2136.

2136
XXIX-1

1.807


REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL
BIBLIOTECA PROVINCIAL



## *Prouintialis licentia.*

EGO Melchior de Pedrosa Societatis Iesu in Prouintia Castellæ Præpositus Prouincialis: Potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre nostro Mucio Vitelleschi Præposito Generali, facultatem facio, vt Tomus inscriptus, *Commentaria moralia in Euangelicam Historiam, Auctore Patre Didaco de Vaeza Ponferradensi, nostræ Societatis Theologo*, & eiusdem Societatis grauium, doctorũque hominum iudicio approbatus, typis mandetur: Inquorũ fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Salmãticæ in Regio nostro Spiritus sancti Collegio, die vigesima sexta Martij, anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo.

*Melchior de Pedrosa.*

---

## *IVDICIVM P. F. GABRIELIS LOPEZ, ORDINIS Minorum S.P. Francisci de Paula Diffinitoris, & à sancti Officij Inquisitionis censuris Ministri.*

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - PALENCIA -

SVpremo Regio mihi iubente Senatu, attentè perlustraui, & alta meditatione perpendi præclara Commentaria moralia in Euangelicam Historiam, auctore admodum Reuerẽdo Patre Didaco de Vaeza è Societate Iesu fausta prole, Theologo insigni: Opus sanè incredibili eruditione refertum, & improbo labore probè elaborabum, mihi visum est, numerisque absolutissimum. In quo, nil mutandum, nil delendum, corrigendum, aut expoliendum nihil, & non censura. sed laude dignum, omni dubio, omni assentatione procul iudicatur. Celsa illius, & plausibilis doctrina, non modò ad vsum, cum magno diuini Verbi Præconum fructu, & emolumento sufficiet, sed in stuporem, in miraculum vsq; procedet. Ea parte diuinæ scientiæ, quæ ad Scholas pertinet, adeò mirum in modum excellit Auctor, vt nec latum vnguem à Catholicæ veritatis, & pietatis via diuersum abijsse, conspiciatur. In alterius. Thæologiæ, quæ expositiua est, peritia instructum, assiduaque lectione exercitatũ, diutiusq; insudasse, tot, tãque maturi fructus, palam ostendunt, quatenùs plenè sublimiorem moralẽ interpretationem desiderandã, haud relinquũt. Etenim sacro textu germanã, & subtilem explanationem adaptat, Tropolicũ sermonem, è sanctorũ, & priscorum Patrum sententijs decerptum cohærẽtè adducit, ita vt sicut antiquorũ labore, & industria, hasce tanti interpretis elucubrationes cõponas, illis superioribus, hunc neges inferiorẽ, qui veterũ placita, tam concinno, & apto ordine connectit, vt vix agnoscas, suis nè dum alienis, & dum alienis, an suis verbis vtatur: ac inter præsentis ætatis Scriptores eximios, ipsum magnum fatearis. In genuẽ, & candidè dicã, quòd quoties hæc scripta in manus sumsi, nõ sine admiratione deposui. Viuat, valeat Auctor, nè in cõmunem iacturã, fiat, vt Venerẽ Coã, quã Appelles inchoauit, qui perficiat, inueniatur nemo. *Nimirũ* (verba sunt C. Plinij) *inuidit mors, peracta parte, nec qui succederet operi, ad præscripta lineamenta, inuentus est.* Hæc de operibus nucleo pro dignitate pauca. De cortice pauciora. Verba singula, mirã quandã grauitatẽ, & energiam præseferunt. Abeat qui non desiderans has cupedias, & lautias dicat, *Vilius esurio.* Cuius (inquã) fames erga electiles cibos contenta sit louieri condimẽto. Satiùs ego: *Grãmaticis placebũt, & sine Grãmaticis.* At seriùs cũ D. Augusᵗ. id quod de sacra pagina à superno Spiritu, obscuris velata ænigmatibus, reuelata: *Ad intellectũ* (inquit) *à fastidio reuocandũ, cui facilè inuestigata, pleriũque vilescunt.* Et alibi: *Sed hæc voluptas* (nẽpe quæ de eloquio Dei dulci super mel capitur) *allegoricis tegminibus, inuoluta est, vt desideretur ardẽtiùs, nudetur q; iucundiùs.* Tandẽ Scriba doctus noster non tantũ de thesauro sũo, nobis profert noua, & vetera, sed & thesauros locupletissimus, pleno de pectore, Marte proprio. Hi, quando non abscõditi? Fodiat, qui inuenire cupiat, thesaurizabit, ditescet multũ, ditabit plurimos, Ita sentio, censeo. In hoc Conuentu Deiparæ de Victoriã Matritensi, Ordinis Minorum. S.P.N. Francisci de Paula, die 15. Iunij, anno 1622.

*Fr. Gabriel Lopez.*

*Martialis lib. 7. epig. 24. Martialis libr. 10. epig. 21. D. Aug. lib. 1. de doctrin. Christ. c. 6.*

# REVERENDISSIMO PATRI MVCIO VITELESCHI SOCIETATIS IESV PRAEPOSITO GENERALI.



*SQVE ad temeritatem me euulgatæ dignatione veſtra promouiſtis: fiducia paternæ charitatis extitit mater audaciæ. Scilicet honores, ætas, meritũ, quod vobis, candidiſsime præſul, facem prætulit, me in vmbram cogebat: niſi culminis veſtri imperia à iugo charitatis noſcerem non immunia. Scio conſcientiam religioſam grande æſtimare compendium, ſi præſtandi naſcatur occaſio, his maxime quos deuotos extitiſſe meminerit. Hac re nõ claudamea fides, vouis qui inter Doctorũ curas grandiditatas meſſe colloquij eſtis in nutriti, tabellæ noſtræ culmos non veretur præmittere. Præcelſæ claritudinis tuæ affectione poſſeſſus, patrocinium ambiui; immo pagina noſtra tanti parentis & Doctoris expectat vultũ; ne de generi te credas exhibere filio patrocinium. Putabã ſcientiæ dotes, rẽ tantũ ingeniorũ eſſe, non familiæ; nec duci per ſtemmata quod labor continuus & indefeßus adipiſcitur. Sed quã tũ in me apparet, ordines ſuos ſeruat ſapiẽtia & oris põpa, quæ exundauit in veteribus migrat ad poſteros: cõcordat ſcientiæ curſus & fluminũ per cõſuetos alueos, & dicẽdi vnda prælabitur. Venit ad me cũ cẽſu familiæ Ieſuitarum eruditio, cui hoc velim debere beneficiũ, ſi tuis paſtoris optimi addar curis: cuius oues, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter illas. Igitur quos de Ieſu habui conceptus, tuæ limæ tutelari committo, cuius generi, doctrinæ, & meritis, nominis ſui ampliſsimam Ieſus ipſe commiſsit familiam. Deus bone indulta cuſtodi: auge ſucceſibus quod dediſti: fac circa paſtorem meum, ſeruum tuum, primum eſſe gradum, qui ſummus eſt.*

LECTO-

# LECTORI.

IN feraci librorum ætate, quando ſingulæ ſacri Textus lineæ libros parturiunt integros; quando quilibet liber commentationum aggeribus, in Bibliothecas exurgit; ea mihi potior cura viſa fuit, ſi Bibliothecas in vnum conferrem librum, & ex pluribus non omnia, quæ poſſent, ſed illuſtriora ſeligens, conuiuium pararem prorſus alienum à faſtidio. Sapiens ille Pater familias apud Matth. 22. vt ad cõuiuium innitaret ſuum, hoc perſuadebat inuitatis, nimirum, quòd *altilia ociſſa erãt*; ſemel eſurienti Petro repentia & communia oblata ſunt, poſthac non communia, ſed altilia parantur, quibus veſci gaudeãt quicumque vocantur ad ſapientiæ conuiuia. Hanc ebibit mentem Theophilus Alex. epiſt. Paſc. 1. vbi inquit. *Cernẽtes à ſapientia immolari thauros, & altilia iuxta Euangelij parabolam, veſcamur fortioribus. pleniſque neruorum, & pingioribus doctrinarum cibis, vt lac infantiæ deſerẽtes ſolidum capiamus alimentum.* Lactis humanioris ſaplentiæ cupedias alij miniſtrant, alij exundantes nectareis ſuccis crateres propinent, alij de Aſſueri ambitione floridas menſas ferculorum varietate fartas exhibeant. Mihi ſanctum eſt illud à B. Ennodio dictũ. lib. 1. epiſt. 12. nimirum. *Pulchra ſunt quæ ſcribis, ſed ego amo plus fortia. Redimita ſunt floribus, ſed poma plus diligo.* Itaque dum fortiores cibos ſapientiæ quæro, de Euangelico aſtu, altilia ſolum aucupari feſtino, quibus lectorum fames ambicioſius adimpleam. Et dum vobis altilia aucupor, in manna incido, nec metuo quod ſapientiæ filijs de leuitate damnetur mannæ cibus. Sed quale iſtud manna? illud indigitat Petrus Dam. lib. 6. epiſt. 5. vbi nomen manna expendens ex cap. 16. Exodi *Manhu? quid eſt hoc?* ſic ſtatim pergit ipſe. *Illi ergo manna, id eſt? Quid eſt hoc? veraciter comeditant, qui dũ legunt, vel audiunt diuini verbi myſterium ſolerter inquirunt. Qui nimirum intra literalis paleæ techam, dulcẽ intelligentiæ ſpiritualis ambiunt enucleare me*

*du-*

*dullam. Hic certe quid eſt hoc? veraciter veſcitur, qui in aſsidua ſcripturæ ſacræ ſolerter inquiſitione verſatur.* Totus hic meus liber ſic quæque ſcripturæ loca ſolicitat, vt tot ſint illius quæſtiones, quot verba, proponit ſimplicia, & dum ſtatim quid eſt hoc? inquirit, de manna parat ſuis lectoribus cibos. Religioſa fuit in manna nouitas, in diem colligebatur, ſemper enim heſternus inuentus eſt putridus. Equidem in ſapientis ore vileſcunt heſterna, à quibus ſe lætiſsimus expedit Ezechiel cap. 4. inquiens. *O Domine nunquam contaminata eſt anima mea, & morticinũ aut immundum non introiuit in os meum. Sed neque caro heſterna introiuit in os meum.* Vnde ſolerter Orig. hom. 5. in Leui. ſapientes monet, *vt cum proferre ad populum ſermoner coeperint, nõ ſterna proferant, non vetera proloquãtur, ſed per gratiam Dei noua ſemper proferant, & ſpiritualia ſemper inueniant.* Moleſte feram quod hic manna notatis ſapor, hoc riquiratur in libro, in quo laboraui noua, & ſpiritualia inuenire. Noua, inquam, non quia recentia, ſed quæ apud veteres obſcura noſtris commentarijs claritatem præſeferant nouitiam. Nonne doctus ſcriba de theſauro ſuo profert vetera & noua? Qualiter de theſauro noua proferantur? Theſaurus is eſt qui cuſtoditas hominum memoria antiquiores ſeruat diuitias. Et quidẽ non dixit noua de theſauro proferri. Sed vetera, & noua, hoc eſt illa quæ à veteribus recondita ſunt, & nouitio, de Doctoris induſtria ſplendore veſtiuntur. Veriſimũ enim eſt illud à Beat. Ennodio dictum orat. 3. nimirum. *Fului nobilitatem metalli, niſi ad vnguem manus ducat artificis, maternis pene hebetatur in tenebris. Et ſi non magiſtra pollitione venuſtetur, nihilei prodeſt ſublimitas quã vena conceſſerit.* Pretioſiora ſunt apud veteres Patres eloquia ſuper aurum & topacium, quæ ne maternis tenebris habentur, meam aliqualem adhibui induſtriam, vtinam de laborioſa mea pollitione ſic renouentur, vt quam vena conceſsit, eorum appareat ſublimitas; quo de theſauris patrũ proferam vetera, & noua ſimul. Auſim aurea vobis promittere, quibus dum diuites Patrum theſauro percurro, ditor. Sæpiſsime quæ non ferunt magna flumina, gra-

na

na aurea inueniũtur inter arenas parui, & humilis flubij, quãdo hic per auri fodinas tranſit & currit. Teſtantur ſane huius operis aurea ingenij mei paruitatem, ſed & meos, per diuites ſanctorum venas, quotidianos decurſus. Quibus dum librum facio, vitium caui merito reprehenſum à Plinio, eorum qui vt doctrinam duplicent ſuam, nil aliud præſtant quam nomina Authorum, à quibus acceperunt, expungere. Nepotiani potius amaui plenam modeſtiæ gloriam de quo hæc aſſerit D. Hieron. *Ingenuo pudore qui ornabat ætatem, quid, cuius eſſet, ſimpliciter confitebatur. Atque in hunc modum eruditionis gloriam declinando, eruditiſsimus habebatur. Illud aiebat Tertulliani, iſtud Cypriani, hoc Lactantij, iſtud Hilarij eſt.* Quorum Doctorum authoritate, meam non puto obtenebrari doctrinam, ſed potius & collimari, & perfici. Sic monebat Ennod. lib. 1. epiſt. 12. *Labora ergo circa ſtudia, lucem in colloquijs dilige, lectioni deuotus inſiſte, vt fructus eloquentia multiplicum authorum ventilatione purgetur.* Aliquis contemnet forſam hanc innumerabilem multitudinem paragraphorum, in ſingulis breuitatem accuſans, quod idem crediderim eſſe, ac ſi quis Auroram accuſet, quod infinitis pene roris guttulis terram impleat, vel pluuiam, quod non inſtar ampliſsimorũ ſtagnorum, ſed linearum inſtar ſeſe terræ communicet. Sapiẽtius Moyſes Deut. 31. hinc commendabat doctrinam dicẽs. *Concreſcat in pluuiam doctrina mea fluat vt ros eloquiũ meũ.* Sua illis Rethorum flumina relinquo, qui fontibus innutriti paradiſi, nil niſi Iordanẽ ſpirant. Ego in extremis terræ dimiſſus, ac deſpectus aptor potentia Dei; qui ab extremis terræ nubes educit, vt concreſcat in pluuiam doctrina mea, & minutiſsimis paragraphis, diſtinctũ fluat, vt ros eloquium meum. Id Orbi, optime lector, vt ſpero, non erint in fœcundum.

PRI-

# Priuilegio.

EL Padre Diego de Baeza de la Compañia de IESVS tiene priuilegio de su Mageſtad, para que por eſpacio de diez años ſo graues penas, ninguna perſona ſin ſu licencia imprima en eſtos Reynos, ni de otros trayga a ellos impreſſo eſte libro que el compuſo intitulado, *Commentaria moralia in Euangelicam hiſtoriam*, ſu data en Madrid a 11. de Iulio de 1622. años.

*Pedro de Contreras.*

---

# Erratas.

FOL. 613. col. 2. illudi, dic. illud.

ESte *libro intitulado* Commentaria moralia in Euangelicam hiſtoriam, *compueſto por el Padre Diego de Baeza, con eſtas erratas concuerda con ſu original, en Valladolid 22. de Octubre de 1626. años.*

El M.F. Rafael Sanchez.

---

# Taſſa.

FVE taſſado por los ſeñores del Conſejo Real eſte libro intitulado, *Commentaria moralia in Euangelicam hiſtoriam*, a quatro marauedis cada pliego en papel. Fecha en Madrid a 21. de Febrero de 1623.

*Martin de Segura.*

LIBER

# LIBER PRIMVS.

## QVI EST DE IESV IN TERRA PARENTIBVS.

MELLIFLVOS floridi Ieſu dum lambo ſuccos, vt reprobare malum, & eligere bonum ſciam, quo mores componam, mihi in primis accidit fugenda ipſa tanti floris radix, nimirum eiuſdem terreni parentes. Etenim Ieſſæus hic flos Ieſus, iuxta Iſaiæ vaticinium, nil ſibi propinquius oſtendit, quàm radicem; ait enim, *& flos ex radice eius aſcendet*, ne roſcido inſiſtamus flori, quin radices illius exſugamus.

---

## *CAPVT PRIMVM*

### *Ioſeph Mariæ Sponſus.*

VERVM, ſanctum, ratumque matrimonium Ioſeph cum alma Virgine Maria, nemo iam poteſt inficiari, imò laudabit quiſquis vtriuſque pariles virtutes meditatur. Ambo Dauidis nobilitabantur ſanguine, non gazis, paupere contenti penu, & habitu, qualis decebat fabrum. Ambo gratioſiſsimi Deo, ſummèq; ſtudioſi virtutis; virgineo flore præfulgebant ambo. Nullus in terra dignior Ioſeph erat, cui crederetur virginitatis Mariana theſaurus, quē ex oraculo Sacerdotum manibus ipſe accepit. plurimiſque vigilijs, obſequijs, & laboribus fuit tutatus.

*Ex Matthæi 1.* Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ.

### §. I.

### *Ioſeph mira ſublimitas ex coniugio Mariæ.*

IOSEPHI virtutes maximas miratus Euangeliſta, notāter vocauit *Virum Mariæ*, ne ſi tantum vocaret ſponſum, crederetur ille nō è terra ortus, ſed è cœlitibus fuiſſe dilapſus. Simile canit textus ſacer Iob, cap. 1. vbi ſic fatur: *Vir erat in terra Hus*, vir, inquam, erat. Et cur in primis vir vocatur? Pulchrè D. Chryſoſt. hom. 2. *Quoniam vitam narraturus erat noſtram vim ſupra modum vincētem, ne quis agonis ſublimitatem reſpiciens putaret, non humanam, ſed peregrinam eſſe naturam, deſcribit naturam, vt propoſitionem mireris, quod homo exiſtens* *Iob 1.* *Chryſoſt.*

*ſupra hominem viuendo cõuerſatus ſit.* Hæc ille. Quæ maximè in rem præſentem quadrãt: quandoquidem Ioſeph in primis vocatur ab Euangeliſta Mariæ vir, ne quis ad coniugij ſublimitatem reſpiciens putaret, Ioſeph non humanam, ſed peregrinam eſſe naturam. Sanè iam pridem puriſsima hæc virgunc ula in diuina ſponſalitia ſeruabatur. Vnde D Chry-
*Chryſol.* ſol. ſerm. 140. hanc reddit rationem Angeli ad Mariam aduentantis, aiens. *Peruolat ad ſponſam feſtinus interpres, vt à Dei ſponſa humanæ deſponſationis arceat, & ſuſpendat affectum.* Itaque hoc erat in optatis Angelorum, vt Mariæ ſponſus Deus eſſet; quaſi tantam virginem dedeceret ſponſus humanus. Hoc ſemper de Virgine Maria cautum eſt, ne inter res mundiales haberetur. Quapropter, cùm Ioannis cuſtodia fuit tradita,
*Ioan. 19.* dicitur, *& accepit eam diſcipulus in ſua.* Ioã-
*Ambroſ.* nis cap. 19. Quæ verba eleganter premens D. Ambroſ in exhort. ad Virg. inquit: *Quid eſt in ſua, cùm reliquerit patrem, & Chriſtum ſecutus ſit? Quæ ſua habebat Ioannes, qui mundana, & ſæcularia nõ habebat, quia de mundo non erat? Bonus verbi ſapientiæ, quæ poſſeſſor, bonus receptor gratiæ. Audite quæ Apoſtoli à Chriſto acceperunt; accipite, inquit, Spiritum ſanctum. Neque enim mater Domini migraret, niſi ad poſſeſsionem gratiæ.* Et quidem meritò cauetur, ne tanta parens migret, niſi ad poſſeſsionem Spiritus ſancti, niſi ad poſſeſsionem gratiæ, vt inde qui viderint Ioſephum poſſeſſorem, & coniugẽ Mariæ, illũ non humanæ, ſed diuinæ ſuperioriſquè naturæ eſſe putarẽt; niſi ab Euãgeliſta docerẽtur, qui ideò ait *Ioſeph virum Mariæ*, ſcribens naturã, vt propoſitionẽ mireris. Quod homo exiſtens, ſupra hominem conuerſatus ſit, & dignitatem Spiritui ſancto ſimilem accipiat. Enimuerò Mater Domini Maria non migraret, niſi in poſſeſsionem gratiæ, niſi in poſſeſſorem illum, cui Spiritus ſanctus inſidens totam ſuam Deitatem inderet, & communicaret.

## §. II.

### *Virginitas Mariana ſub tanti viri poteſtate magis conſpicua eſt, & illuſtris.*

ORIEBATVR quondam Sol Dauidi, *tanquam ſponſus procedẽs de thalamo ſuo.* Sed ecce à Dauide iam oritur Ioſeph ſponſus, tanquam Sol claritatis iubar vndequaque diffundens. Fœlix alter ſomniator Gen. 37 ait: *Vidi per ſomnium quaſi Solem,* *Gen. 37.* *& Lunam, & Stellas adorare me.* Et vbi Sol adoraturus puerum deſcendit? Qua in domo Sol, Luna, & ſtellæ conueniunt aliquem adorare? D. Amb. lib. de Ioſeph Patriarcha, cap. 7. *Quis eſt ille, quem parentes, & fratres adorauerunt ſuper terram; niſi ſolus Ieſus, quãdo eum Ioſeph, & Maria, & Diſcipuli adorauerunt? De quo ſolum dictũ eſt, laudate eum Sol, & Luna, laudate eũ omnes Stellæ, & lumen.* Pulchrè Amb. non inuenit *Ambr.* in terra qui à parentibus adoretur, niſi Chriſtus. Sed neque familiam, in qua Sponſus eſſet Sol, mater Luna, fratres ſtellæ; niſi familiam, cuius inter Apoſtolos, & Mariã Ioſeph ſponſus aderat fulgentiſsimus.

Solennitſsimum apud fœminas, cum marito velamen accipere; inde nanque nubere dicuntur, quia velo obnubilabantur; & velari, & nubere; velatæ, & nuptæ eadem apud prophanos, & ſacros authores ſonant, teſte Tertulliano, ex quo non parua gloria aduenit diuino ſponſo Ioſeph, qui non velum, non nubes, vt ſponſam obnubilaret ſuis nuptijs; ſed clariſsimus Sol, qui eius limpidiſſimam vitam aperiret, & caſtitatem illuſtra-
*Tertul.* ret. *Arabiæ vxores*, inquit Tertullianus, libr. 6 de veland. virg. *velabantur, vt vno oculo liberato contentæ ſint, dimidia potiùs frui luce, quàm totam faciem proſtituere.* Fœlicior multò Maria, quæ inter omnes mulieres benedictionem accipiens, & hoc habuit, vt ſponſum nacta tota radiantis luce Solis frueretur, & purior eius caſtitas appareret.

Fugiunt cæteræ virgines ſolem Daphnẽ correptæ pudore; vt quæ à maritali conſortio timeant virginitatis ſuæ; ideoque ſponſi conſpectum non ſuſtinent, niſi velatæ. Sic Rebecca honeſtiſsima puella Gene. 24. verſic. 65. conſpecto Haac ſponſo eucurrit ad ve-
*Gen. 24* lamen. *tollens citò pallium*, ait Tert. ſuprà, c.
*Tertul.* 16. *Operuit ſe, cùm ad ſponſum ignota perduceretur; ſimul ipſum cognouit eſſe, & confeſſa eſt, quod ſenſerat, id eſt Spiritu nupta negauit virginem velata.* Siccine obſcuriantur puellæ vel ſolo ſponſi conſpectu? Aliter ſpõſus Ioſeph, quem cùm duxit Maria, ſolem duxit adeò virtutis claritate perſpicuum, & notum, vt æternæ eius conſortio conſuleret virginitati, vt hoc ſole Genitricis Dei caſtus pudor, & virgineus candor, magis ac magis innoteſceret, canderet, ac purpuraſceret. Qui carneus ſplẽdor viſolis exuſtus denigratur, & albentia lina, lanæque rubentes à ſolis radijs maiores indies glorias venantur, & pulchritudines. Nihil in Maria carnale; *byſſus, & pur-* *Prozer.*
*pura indumentum eius*; cuius vterus ante fi- *Hieron.*
lium conceptum, teſte Hieronym ſerm. de

Aſſump.

Assump. *Lana quidem candidissima; sed suo colore dealbata.* Vnde ab sponso Ioseph solaribus conuestio radijs in nouum splẽdorem, nouamque claritatem exsurgit Deiparæ virginitas, & manifestior apparet castitas. Sic August. serm. 14. de Nat. Christi B. Ioseph placida lingua allambet. *Sit Maria sponsa Christi in carne sua virginitate seruata: sis autem, & tu (nempe Ioseph) pater Christi cura castitatis, & honorificentia virginitatis, vt de virgineis membris Dei genitricis sæculis Christianis nulla sit Zelotypia.* Ecce ex Aug. Mariæ virginitas per sponsum illustrior, magnificentior, omnibusque sæculis clarior, vt vel sic imitetur candentibus linum sub solis radijs. Accinit pulchrè Bern. Ioseph nuptias cum Thomæ infidelitate componẽs, ne mireris coniugium lucem, & splendorem perhibere almæ Deiparæ virginitati, cùm videas incredulitatem fieri aditum ad resurrectionis fidem. Accipe Bern verb. *Thomas dubitando, palpando constãtissimus factus est, Dominicæ confessor resurrectionis, & Ioseph Mariã sibi desponsando, eiusque cõuersationem tempore custodiæ studiosiús comprobando, factus est pudicitiæ fidelissimus testis.* Pergat dulcis Doctor, nos sistamus, & miremur Iosephum nouum sponsum, nouumque solem, non turpes illos Veneris, & Martis amplexus apud Diuos propalantem, testificantem, sed castissimæ fœminę cũ prole virgineo decori clarissimum, & euidentissimum testimonium perhibẽtem. Ambr. lib. 2 in Lucam, cap. 1. *Locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset, & dolere iniuriam, & vindicare opprobrium, si non agnosceret Sacramentum.* Pulchrum sanè coniugium, vbi marito sole sponsæ uirginitas clarescit, & confirmatur.

Non me aducere possum, vt negem nostro Ioseph celebre illud præconium, quo Moysis alterius Patriarchæ, & laudes, & benedictionem decantauit. Deut. 33. *Benedictio illius qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph, & super verticem Nazaræi inter fratres, quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua Rhinocerotis, vel* (vt sept) *Monocerotis cornua eius.* Accipite in primis illud; *Benedictio illius, qui apparuit in rubo veniat super caput Ioseph*; Et in memoriã vocate rubũ illũ, & radiante flãma vestitum, & medijs flãmis viridantem, smaragdinisque folijs aureum decus à flãmis accipientem. Quid tunc? *rubus ardens, incombustus conseruatam aguouimus tuam virginitatem*: Ecclesia canit, vt quæ inter sponsalitium Spiritus sancti, & fœtũ, Deiparam Virginem virgineæ palmæ addentem pulchritudinem, & virorem adstupet. Contemplator hîc adest Bernard. rubum in flammis viridem ad Mariæ cùm verbo coniugium transferens serm. de verbis Apostoli. *Magnæ* (ait) *planè visio, rubus ardens sine combustione, magnũ signũ, mulier illæsa manens amicta Sole, nõ est rubi natura opertum vndique flammis manere nihilominus incombustum, non mulieris potentiæ, vt sustineat solis amictum; sed Spiritus sanctus, inquit, superueniet in te.* Quibus verbis id intendit Bern. vt duobus miraculis, vnum Mariæ Christiferum coniugium reddat mirandum. In quo videas a rubo virgineæ carnis, seu fragili fœmina ardentes coniugij, & partus sustineri faces, flammanti soli virginem nubi nec comburi nec nigrari; sed virginitatẽ amplius pulchrescere inde, & condecorari. Quod singulare prodigium accidit, Spiritu sancto maritante; etenim vbi sponsus spiritus noui coniugij leges æmulatur, quo diuini spiritus stemmate Iosephus in primis insignitur, quando eius nuptijs virginitas Marię illustratur.

## §. III.

### *Ioseph præ omnibus alijs virginei sponsi idæis correspondit.*

PERGIT Moses, *& super verticẽ Nazaræi inter fratres suos*, cùm Nazaræũ inter fratres audio puto virum insignẽ à multitudine segregatum, á cæteris hominibus discretum, præ omnibusque electu. Is erat Mariæ Ioseph sponsus Nazaræus inter fratres, selectus inter homines. Huc spectat (ni fallor) illa ab sponso Cant. 5 interrogatio. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ò pulcherrima mulierum, qualis est dilectus tuus ex dilecto?* Etenim cùm duo sponsi virginis innotescerent, Spiritus sanctus alter & mirabilis: alter Ioseph primi æmulatur; crediderim hic Mariam interrogari de secundo sponso Ioseph? an primo correspondeat, an in ea illuminanda instar diuini Spiritus se habeat? *Qualis dilectus tuus ex dilecto?* vel aliter, & melius, & magis ad rem præsentẽ. Audiẽtes cæteræ virgines Mariæ sponsum omnibus præferri rationẽ prælationis cupiũt indagare sciscitãtes, *Qualis dilectus tuus ex dilecto, ò pulcherrima mulierũ?* hoc est, quid habet præ alijs, quos nos habemus, qua dote egregius? *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Quicunque sponsi fuere, si cum Ioseph Mariæ sponso componantur, sunt numeri, ipse ipse vnicè sponsus Mariæ quæ situs ex pene infinita huminum multitudine sele-

*Hom. 2. de B.Vir.* ctus, & segregatus, *quem*, inquit Bern. *tanquam alterum Dauid Dominus inuenit secundum cor suum, cui totum committeret secretissimum atque sacratissimum sui cordis arcanum.* Quæ verba vt examinentur, accipite Chrysost. hom. de Dauid & Goliath, vbi expendens illud, *Inueni Dauid filium Iesse*, ait, *quærendo indicari Deum primo singulos homines, ac diuersos attigisse, examinasse cunctos: plurimosque præuidisse, ex quorum numero eligeret Regem, inuenisse tandem Dauid, cuius meritum transire non potuit.* Hinc claret quanti faciat Iosephum Bern. vtpotè qui contendit illum instar Dauidis fuisse quę situm, & inuentum à Deo. Præuidit equidem Deus cunctos homines, præuidit singulos, & examinauit, quis clauum Marianæ familiæ tenere posset, & recensitis omnibus ab Adam, vnius Ioseph meritum transire non potuit, vnus inter omnes Mariani spōsi ideæ diuinæ correspondit Sic Metaphrastes. *Inuentus est itaque Ioseph, qualem quærebat ratio ex eadem tribu, ex quæ erat virgo.* Expende illud, *qualem ratio quærebat*. Nam apud Cassiodorum lib 4 epist. 2. Theodoricus Rex Gothorum præponit filios adoptiuos naturalibus, *quia, inquit, ignaui esse non possunt, quos iudicia peperierunt.* Quis ergo Ioseph, quem ipsa diuina ratio designauit elegit?

*Act. 13.*

*Orat. de educ. Mariæ, & ortu Christi.*

*Cassiodor*

## §. IIII.

### *Ioseph salutis nostræ fontes ostendit omnibus accessibiles.*

HÆRET tandem Moyses in Iosephi laudibus iuxta septuag. 7. *cornua Monocerotis cornua eius.* Nequid laudibus virginis sponsi deesse videatur. Etenim omnibus nota est illa Monocerotis natura, qua primus ad fontes accedit, & immerso cornu venena fugat, salubres aquas ostendit, quibus illum cætera animantia implentur. Ecce vobis in Monocerotis cornu Iosephi virtutem expressam, qui sitientibus cunctis, arente terra, fonteque viuidos suspirante, primus ad vitæ nuos Mariam, & Iesum accessit, vitalique humore ibi madidus, & immersus salutem hallantia æquora demonstrauit; vt vel sic appareant *cornua Monocerotis cornua eius.* Quid ni? Ipse primus venenati fontis scaturiginem venenatam in se fugauit, dum peccati fomitem extinctum habuit. Quod tradit Parisiensis Cancellarius, ipse serpentem Leuiatham virginibus insidiantem, vt ab eis tolleret diuinitatis partum, & fefellit, & profligauit. *Castissimi enim Iosephi desponsatio*, ait Damascenus, *custodia virginis erat, & virgines obseruantis depulsio*: quasi dicat; nouerat vafer ille, & astutus serpens in virgea terra nouam aliam paradisum plantandam, nouum fontem erupturum, ex tunc obseruat virgines omnes, nitens turpare cunctas, ne limpidissimus fons scaturiret: attamen affuit diuinus sponsus Ioseph Mariæ, & virgineæ telluris paradisos spirantes custos, coniugij specie, veneniferum serpentem depulit, viuentis aquæ fontes ostendit Mariam, & Christum. Quorum imbibens primus virtutes, & gratiarum dona, facilem, & securum ad illas mundo reliquit aditum, Non longè abest D. Bernar. serm. 2. *super missus est*, quin nouerit hanc in Iosepho Monocerotis naturam, dum præferens illum Iosepho Patriarchæ sic inquit. *Ille frumentum seruauit, non sibi, sed omni populo: iste panem viuum è cœlo seruandum accepit tam sibi, quàm toti mundo.* Imò ideò toti mundo seruauit vitalem escam, quia primò ipse satur & expletus ostendit mundo. Vnde securè iam poterat ex saturari, omni venenati fontis metu depulso. O quàm lætabatur fidus ille mysticus Monoceros, cùm à se limpidissimum diuinitatis fontem ad cunctos alios homines cernebat dimanare. Apud Cana Ioann. 2. aquam Iesu virtute in vinum commutatam, dum conuiuis propinabant ministri, quanta id faciebant lætitia, testis est D. Max. serm. 1. de Epiphan. vbi sic. *Obstupuit ergo minister attonitus, quia aquas miserat, & vina sumebat, lætatusque nimium, illa se suis humeris fluenta portasse, per quæ Dei esset gloria reuelata.* Quàm lætaretur Ioseph, cùm inter brachia videret fontem illum salutis, per quem, & patris gloria; & totius generis humani incolumitas sperabatur.

*Damasc. lib. 4. canonic. pit. 15.*

*Bernar.*

*Ioan. 2.*

*Max.*

## CAPVT II.

### *Ioseph peculiares virtutes.*

SVNT qui ex Iosephi facto, quo Mariam dimittere volebat, non iustitiæ strictè sumptæ zelum; sed eius singulares virtutes alias enumerent. Item alij relictis cæteris virtutibus, iustitiæ zelum in viro iusto maximè exaggerant. De singulis, dum integra loca apud Maldonatum, Salmeronem, & Barradas legas, nonnulla ego in præsenti elucidabo.

Matth.

*Matth. 1.* Ioseph autem vir eius cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.

## § I.

### *Imperfectus timor à Ioseph abfuit.*

DVM piam illorum mentẽ veneror, qui Ioseph reuerentiam erga Deum exaggerant, quod ignarus mysterij in vtero Mariæ Spiritus sancti virtute elaborati, ab illa voluit discedere; metuo, ne alij hunc inopinatum discessum humilitati viri iusti tribuentes, in tanto viro ingerant suspitionem abiecti animi, non equidem generat humilitas pusillanimitatem, nec perfecta reuerentia facit rusticitatem. Vtriusque nota inureretur Ioseph, si à Deiparæ obsequio, & diuino consortio se nimis humilis, & timoratus abdicaret. Humilis sanè Abraham, & adeò humilis, vt se cinerem confiteatur. Attamen *cùm simpuluis*, inquit, *& cinis loquar ad Dominum*, & si Petrus dicebat, *recede à me Domine, quia homo peccator sum*; tamen, *erat paratus, & in carcerem, & in mortem ire*, illum sequuturus. Centurio exiguitatis suæ conscientiam demonstrauit, Domini magnitudinem speculatus; at non se fugæ dedit, vt poterat, nec accedente Domino ad domum ipse vel ab esse vel ostium claudere meditatur. Illhæc facerent virgines illæ fatuæ, quæ domo exultantes priuatæ præsentia sponsi venientis æternam lacrymantur viduitatem. Sanctus ille vir orabat, Psalm. 26. *Domine, ne declines in ira á seruo tuo.* O diuinum timorem, quo Deum etiam iratum à se declinare metuebat. *Quid times*, ait Augustinus, *ne declinet in ira? Si à te declinauerit in ira, non in te vindicabit, si incurras in illum iratum vindicabit in te: opta ergo potiùs, vt declinet à te in ira, non accedat; quid nouit enim? quid desiderat? ira eius non est nisi aduersio eius.* Equidem dum adest Deus, non debet esse timori, etiam diuina ira, vnum solùm timendum, & deplorandum malum, ne Deus absit, nec ab eius præsentia excidamus. Hinc dæmones de tormentis silentes, de absentia Iesu misere queruntur, fantes: Luc. 4. *Quid nobis & tibi Iesu?* Notanter dicunt quid nobis, deinde addunt, & tibi, quasi suum necessarium exilium, vastissimámque intercapedinem à Iesu lacrymentur. Quod acute notat Tertullian libr. 4. in Marc. vbi ait: *Non dixit quid tibi, & nobis, sed quid nobis, & tibi sẽ deplorans, & sorti suæ exprobrans.* Nimirum sorti suæ exprobrat, cuius erat nullum cum Iesu habere consortium, ab illòque longissime abesse.

*Gen. 18.* *Luc. 5.* *Luc. 22.*

Vrgent aliqui, vt fugam Iosephi a timore profectam laudent, vrgent inquam, illud iam suprà allatum, nempe Petrum timentem, & se à Deo arcentem, *recede à me Domine*; sed audiant D. Petrum Chrysolo. serm. 147. de hoc timore Petri ratiocinantem. *Petrus quoque ait, Dominicæ virtutis timore turbatus, Christum vt à se discederet, suplicabat discede, inquit, à me, quia homo peccator sum; hoc dicebat, quia quicquid amoris, & fidei erat pondus pauoris extinxerat; sic timor, nisi fuerit amore imperatus, quamuis deuptam seruitutem efficit contumacem;* Sic Chrysolog. inter aurea multa, quibus hunc timorem exsufflat a viri perfecti animis. Quis iam audeat sic meticulosum Ioseph efformare animum, vt fugiat ab illius consortio & obsequio, ad quod mille periculis fuerar euolandum? Ea est reuerentia, ea est humilitas, is bonus timor; qui obsequium spontæ tunc maximè egenti, & ipsi nato Deo negare machinatur? Crediderim viri iusti nil tale in mentem aduẽt esse: quid iustus timere vbi norat, nil peti, quàm obsequium pietatis, & omnia Dei effusam ardere charitate? Memini Iordanis ripis exceptum Dominum, vt baptismũ acciperet a Ioanne, a cœlesti patre fuisse prædicatum. Alto intonuit cœlum clamore, perstrepunt æthera, voce patris boant, stant paudæ fluminis aquæ, contremiscuit turba Iudæorum. Quid tunc Ioannes? de illo sic Chrysol ser. 5. de Epiphan. inquit: *Inter hæc tam n talia ac tanta intrepidus stat Ioannes, quia timere non potest, qui totus ad Dei amorem natus Angelico testimonio comprobatur* Natus Ioseph totus ad Dei amorẽ, diuinisq; totus charitatis faculis concrematus, timore succumbere non potest, imò intrepidus diuinæ adstaret maiestati.

*Matt. 3.* *Chrysol.*

Dices ergo, si reuerẽtia, si timor a tanta maiestate profectus, si humilitas non impulerunt Ioseph ad fugam meditandã, impulit necne zelotypia, inuenta vxore prægnante? Absit: egregiè Author imperfecti, *possibilius, ait, esse credabat Ioseph mulierẽ sine viro posse concipere, quã Mariã posse peccare.* Nec Deus, qui Mariano nomini, & pudore cõsulens (teste Ambrosio) illam matrimonio ornauit, ne prægnas male audiret apud extraneos, permitteret eius famam apud sponsum virum pudicum periclitari.

*In Mat. c. 2. oper. Christi.*

Sed age subijciàm causam meditatę fugæ, vt viro iusto dignam, & Patrũ testimonijs inter se collatis, examinatis, expensis, magis cõsentaneam. Admiratus Ioseph sponsæ vterũ plenum, nescius mysterij nil de experta pudicitia, & explorata voluit suspicari: hæsit suspẽsus animo magnũ quid expectans euẽturum; sed vt erat iustus de se timens, ne cõtinuò, & quotidiano conspectu vteri indies crescentis aliquid liceret humano affectui, & animo anxio contra famã, & intemeratã pudicitiã Mariæ, id præcauens periculũ, statuit se fugæ dare. Sic cine sapiens timet, & declinat à malo, *Prouer. 14.* Prou. 14. Indissimili periculo simile m notauit cautelã D. Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 62. in mũdiali Principe, de quo inquit: *Lectione didici, Regẽ quendam, cùm Ephesiam Sacerdotẽ, cuius incredibilis, & singularis pulchritudo erat, cõspexisse, statim ex Ephesina vrbe digressum esse, illud videlicet metuentem, ne præter voluntatẽ, nefarij aliquid admittere cogeretur.* Ecce tibi, vt Rex hic à pulchritudine; Ioseph Regibus clarior sibi à suspicione cauit,

## §. II.

## *Sanctissimus Ioseph timor sui.*

*Gen. 22.* DO singulare huius sanctissimi timoris exẽplũ in viro religione, & pietate insigni Abrã; qui filiũ, vt Domino liberaret, & sibẽti, & inuicto animo se deuouentẽ, nihilominus fortiter, cautèq; legauit. Nil notius patri, quã filij sui alacris, & deuota voluntas, qua se morti tradebat. Nil patentius, quã eiusdem constans, & inuictus animus: credibilius hebetandã ignis, & gladij acie. quã Isaac animũ fugiturũ; & tamen filium ligat. Nec mirũ. *Ratio enim ligandi* (ait Caietanus) *non fecit timor, ne Isaac fugeret, aut ne Isaac exiliret ab altari; sed ne in voluntarij motus, vtpotè naturales, in actu iugulationis existentes ordinatum, cõpositumque situm exturbarent in nõnullam indecentiam sacrificij.* Sic Caiet. & recte. Illustrius adhuc D. Zeno. *Securus pater optimus timuit, ne dolori aliquid liceret in morte.* Sæpe inuicti animi, imò & mœnia ænea medio in ariete, vel rimulas faciũt, & durus lapis crebra gutta cauatur. Securũ Ioseph pectus de Mariæ pudicitia, fortè in eiusdem castitate tutanda sollicitum, & deuotum ad obsequendum pungebat, passim tumentis vteri conspectus quotidianus; & nescio quid doloris raptim infundebat. Timet sapiens, & iustus Ioseph, ne affectibus inuoluntarijs, ne dolori liceat aliquid in nonnullam indecentiam exploratæ diuinæ sp õsæ castitatis, & vt sapiens timet, sic tẽtat à malo declinare, quo eius fides apparet admirãda. Apostolorum apex, viso Christo Domino ad littus, audet se credere fluctuãti mari, Matth. 14. Et dum paucos gradus facit, dum mergi incipit, à Domino clamat liberari. Quæ ista mutatio? Vnde tibi timor, ò bone Petre? Nonne Dominus adstat? vbi Dominus, de quo times? Pulchrè *Mat. 14* D. Max. in præsenti fatetur. *Verè Beati Petri, & dum trepidat mirabilis fides, quam neque per vrgentis periculi potuit turbare formido, clamando enim mergitur, Domine libera me, de se diffisus est, non de domino dubitauit.* Sic cine Diui Iosephi fides, dum trepidat, mirabilis? Planè eius mirabilis fides, quam non turbat perurgentis periculi conspectus, qua de se diffidens, de Maria non dubitauit. *Max.*

Mirabar aliquando seruos à Iob laudatos, *Iob 29.* cap. 29. *Si quando ridebam ad eos, non credebant mihi.* Sed longè maius mirum mihi incit D. Greg. hæc verba à Christi Domini ore existimans prolata O nouum apud fideles genus laudis! nil peius, nil indignius, quàm non credere Deo; & Deo ridenti, qui non credunt, serui laudantur. *Redemptori nostro*, ait *Greg.* Greg. *quasi arridenti non credimus, dum multis iam eius donis testantibus, & gratiã fauoris eius accipimus, & tamen adhuc sub eius iudicio de nostra infirmitate titubamus.* Is sanè Deo gratissimus seruorum est timor qui propriæ hærens infirmitati, quæcumque de Deo testimonia, quamcumque certitudinem, quamcunque diuinæ amicitiæ exhibitionem comitatur. *Sic Paulus*, pergit Greg. *iam paradisi verba audierat, & nihilominus aiebat, castigo corpus meum, ne ipse reprobus efficiar.* Tam dignam putabant sancti gloriam omni labore, omni conamine, & contentione animi, vt medijs patentibus testimonijs de habenda fœlicitate adhuc timidi, & pauidi de sua infirmitate lababãt. Quo maximè claret Iosephi iustissimi, & sanctissimi viri virtus, hoc sanctissimo de se timore informata, & eiusdem in Dei genitricem obseruantia singularis.

## §. III.

## *Beatus Ioseph rigorosæ iustitiæ metam obseruauit.*

ESTO virginea pudicitia criminis rea Iosephi obijceretur menti, ipse tamen, cùm esset iustus, noluit eam traducere, & publicare, sed occultè dimittere eam. Etenim is perfectè,

fectè & rigoroſe iuſtus dicitur, qui mitiorem corrigendi modum exquirit, docètque factis, non ita debili fundamento iuſtitiam eniti, vt ſe clamoribus tueatur, nèque tàm arctis cancellis intercludi, vt ſimul concordi vinculo, & miſericordiam, & manſuetudinem non admittat. De iuſtiſsimo omnium iudice dixit *Iſa.42.* Iſaias cap. 42. *non clamabit, nec accipiet perſonam* nil in iudice ſtrictius, quàm non accipere perſonam; ſed mitiori quo fieri poteſt *Gene. 1.* modo illa curat obliterare. Primus homo reus *audiui vocem Dei ambulantis ad auram poſt meridiem.* Quod attingens D. Am- *Amb.* broſ. in Pſalm. 38. putat, *Deum ad puniendum homines veniſſe ad veſperam*, quando *Procop.* iam vmbræ longiores erant. Vnde Procopius ait, *peccatum hominis in ſolem non protrahit Deus*. Proh immenſa Dei miſericordia! *vult ille quidem omnes homines ſoluos fieri.* Sic humanorum ſcelerum vindex, & pœnas ab homine peccatore iuſtiſsimus exigit, & nihilominus non in ſolem protrahit, non publicat peccata. Hæc mihi cogitanti multa ſubit memoria punientis illius ſpiritus, quo ardebat Elias, cuius perpetua cura, intenſa ſolicitudo, illa erat, vt peccatores inueniret, puniret inuentos, diras illis vindictæ æſtuantes impeccando. Voluit homini Deum hunc errorem depellere, & quaſi in imagine oſtendere, quam longo ſpatio à diuinæ iuſtitiæ norma ſeparatur. Tremit terra: obducitur cœlum nube: fremunt venti: erumpit ſæua tempeſtas tecta proſternens, ſegetes proterens, & arbores radicitùs euellens. Placeat, placeat iſte, ò Elia, qui ſpiritui tuo maximè ſimilis, & cohærens; ſed vide, quòd non in eo Dominus. Æſtuat ignis voragine totus æther: creſcunt flammæ, & immenſum ignis flumen inde emittitur conſumens quicquid viride germinàrat. Ahi quàm miré iſta Eliæ placuere. Euanuit ignis, & poſt ignem *ſibilus auræ tenuis*, aura quædam læniſsima, iucundus flatus, & placidus ſuſurrus, *& ibi Deus*, vbi diuini lenitatem ſpiritus cognouit. Originalis legit *vox tacita, vox tenuis*; ſed acumine ſummo, myſteriòque recondito Chaldæus dixit, *vox canentium in ſilentio.* Qui enim cupiũt cognoſcere quonam erga peccatores ſpiritu Deus habeatur, illud vnum ſciant nulla ratione vociferatorem, & Stentorem, vt aiunt eulparum eſſe; imò potiùs vocem quandam ſuauiſsimam illorum, qui in ſilentio vocem emittunt, æmulatur. Sed quid ſibi vult illud, *vox canentium in ſilentio*? Videtur enim in terminis implicatio. Rem explico; conueniũt in intimis penetralibus Principis ante vltimum cubiculum, quo ille iacet, periti ſimi muſici, quando ille quieſcit, vbi nec quiſquã muſſitare, imò nec reſpirare audet, tota domus ſilentio immergitur, maximè coniunctiores aulæ regio cubiculo; in hac ergo tanta taciturnitate intendunt muſici verſus, voces, & modos experiri, vt vbi primùm expergiſcatur, ſtatim ſuauiſsimâ melodia excipiãt. Incipiunt ergo; concinunt; quid tunc? emittunt altiores voces? Apage; voce ſummiſsimâ rem agunt, ita vt vix ab aliquo percipiatur, & quin aliquis ſonet vehementiùs, nihilominus ſumma dexteritate nec minimum artis apicem prætermittunt. Et hoc eſt quodammodo in ſilentio canere, numerum nullum relinquere quamuis altiſsimum, ſuppreſſa nihilominus voce, & vix etiam è labijs emiſſa. Et hic ſpiritus diuino maximè iudicio conſentaneus, in quo Deus tanquam in proprio domicilio inhabitat. Vnde eleganter D. Syneſius *Syneſ.* lib. de Regno loquitur. Neque enim Deus quaſi in ſcena ſe ipſum oſtentans aut prodigijs, monſtris vè editis; *Sed tacità quadam viâ gradatim cõtẽdens iuſtè humanas res moderatur. Hoc modo Regem ſentio, commune omnibus bonum, nèque inſolentem eſſe debere.* Hæc ille de iuſto Rege ad Dei exemplum compoſito. Itaque ſe vox ſit canentium in ſilentio, ea ſcilicet dexteritate iudex polleat, vt ſanctiſsimas leges obſeruans & pertingens ipſarum apices, lenitatis, & benignitatis non obliuiſcatur. Huc ſpectat Chryſol. ſerm. 145. Ioſephi in dimittenda vxore iuſtitiã, & pietatem *Chryſol.* exaggerans fatus: *Ioſeph meritò iuſtus, quia pius, dum pietatẽ cogitat, crudelitate caruit, dum cauſam tẽperat, iudicium cuſtodiuit.* Ecce vt in ſilentio canit cuſtodiens ſanctum iudicium, & nihilominus temperat cauſam, traducere nolens vxorem, ſed occultè cupiens tantum dimmittere.

## §. IIII.

### *Perfectus iudex priùs manſuetudinẽ, deindè rigorem exerceat.*

PVLCHRE cum Ioſeph eſſet iuſtus, noluit vxorem ſtatim traducere, iuſtitiæ enim & ſeueritatis eſt manſuetudo comes neceſſaria. Quod in Prorege illo Ægypti meditatus Moyſes fecit, verba data ſupra ex Deu- *Deuter.* ter. 33. & iterùm in noſtri Ioſephi laudem exa- *33.* minanda. *Benedictio illius*, ait, *qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph.* Non alia benedictio, non alius mos decet hominem principem, quàm benedictio illius, qui apparuit in rubo, huius indolem ebibant quicumque hominum gubernatores exiſtent. Ignis in rubo iudicem inter ſpinoſos peccatores age-

bat, O magnam viſionem! Ignis rubo adhæret, & rubus viret correptus igne. Iudex inter reos agit, & adhuc minimè cadit reus vllus.

*Auguſt.* Quæ rei cauſa: Aug. quæſt. 42. veteris teſtamen. ait. *Lex ſtatim vindicare non venerat; ſed prius oſtendere, ideò ignis rubum non cõbuſſit.* Legislatorum eſt, iuriſque prudentum non puniendo, ſed parcendo iuſtiſsimi principatus ducere auſpicium; imò lex ipſa priùs manſueſcit, quam furit, vt qui de ſeueritate gloriantur, iuſtitiæ priùs præferant manſuetudinem. Regi omnium creaturarum, & gubernatori maximo Iesu apud Thabor duo laterones adfuerunt Moyſes, & Elias; ita enim

*Mat. 17.* habes Matth. 17. *Et ecce apparuerunt illis Moyſis, & Elias cum eo loquentes*: quibus perfectiſsimi iudicis oſtentabantur inſignia. Sed illud notandũ, quod Moyſes manſuetudine clarus ponitur primus, vt dicat, quæ virtus initiet optimum gubernatorem, & princi

*Pet. Clu.* pem. Id acutè notauit D. Petrus Cluniacenſ. ſerm. de Transfiguratio. vbi inquit. Duo ergo illi patres alter mitiſsimus, alter immitiſsimus apparent cum Domino. Quare? quia miſericors & miſerator Dominus; quia iuſtus Dominus & iuſtitias dilexit. Miſericors ergo miſericordẽ, iuſtus iuſtũ deſigant. *Vnde & cõgruè ſcriptura non priùs Eliam, & poſtea Moyſem; ſed antea Moyſem, & poſtmodum Eliam ponit.* Sic inclytus Ioſeph cùm eſſet iuſtus priùs Moyſem agit, volens vxorẽ traducere, deindè de Eliæ ſeueritate voluit illam occultè dimittere, iuſtitiæ durtiem manſuetudine præmiſſa perfundens iuxta nobiliſsimi, & præſtantiſsimi gubernatoris indolem. Etenim

*Cyril. Alex.* D. Cyrill. Alexandr. Apol. ad Theodoſium, ſic Principis animum ad parcendum reis flectit, dum ſuggerit hæc. *Decet ſupremas excellentias, vt ſerenæ ſint, & placido animo,* ne irarum agitentur furijs, ſed inter furorem, & ſeueritatem, manſuetudinem beneficiorum cumulatricem exhibeant. Nunquam Deus Opt. Max. ſeuerior apparuit mundo, quàm in articulo diei illius, quo vniuerſam terram eruento immerſit diluuio. O quàm dura tunc, & acris diuina iuſtitia! Sed miraberis, quod iuſtitia ſæuitura in mundum expectauit veris tempora, quando campi replebantur vbertate, quando fœtæ oues ſuos magis delectabant paſtores. Quæ huius rei cauſa? Nimirum, vt terræ fructus omnes teſtarentur ſummi iudicis præmiſſam manſuetudinem, & beneficientiam, qui tunc ſolum deſæuit, cùm priùs ampliſsimum gratiarum ſinũ

*D. Ambroſ.* prætenderit. Ita D. Ambr. lib. de Noè. c. 14. *Tunc vltio terribilior tanquam dicẽtis Dei. Ecce omnia ſecundùm diuinæ prouidentiæ gratiam diues natura generauit; omnia in vſu hominum germinauit terra fœcundior, ſegetes expectantur, tritico, & hordeo campi replentur, comæ arborum venturi fructus flore veſtiuntur, non deeſt terra obſequijs ſuis, non beſtiæ deſunt muneribus ſuis, quæ ſolennes ſoluuntur in partus, vt homini nihil deſit.* Hæc ſunt diuinæ iuſtitiæ inſignia, hi ſummi iudicis laterones fidiſsimi, nimirũ beneficia, & ingentes in homines miſericordiæ præmiſſæ. Non antea cataractas cœli ſeuerus peccatorum vltor aperuit, quàm gratiarum vniuerſos fontes præmitteret, quæ iuſtiſsimũ teſtarẽtur iudicẽ, qui poſt manſuetudinis exhibitionem, poſt miſericordias multas, reorũ pertinaciam caſtigat. Quando, vt bene notat in præſenti D. Ioſephi facto D. Chryſol. ſer. 145 *Virtutes ſi ſeparatæ fuerint dilabũtur, æquitas ſine bonitate ſæuitia eſt, & iuſtitia ſine pietate crudelitas. Ioſeph ergo meritò iuſtus, quia pius, quia iuſtus.* Hæc ille. *Chryſ. ol.*

## §. V.

### *D. Ioſeph factus eſt Mariæ quaſi in Deum.*

OMIRAM D. Ioſephi virtutem! ſpõſam, & cognatam meditatur fugere, & dum ſponſi, & cognati declinat ſeruitium, fit quaſi Deus Mariæ. Etenim ſic Leo canit Eccleſia, *Deus, cuius proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, &c.* inſinuans, quòd ſolus Deus ſciat parcere, non creatura, non cognatus, non ſponſus, non pater amantiſsimo filio. Quis magis pater, quàm Abraham Iſaàco & charo, & vnico ſenectutis filio? Hunc tamen iugulaturus gladium pater exerit; ſed perimendus à patre liberatur à Deo filius. Vbi pulchrè D. Zeno, *Zen.* ſerm. 3. & notanter dixit: *Religioſus carnifex ſtringit gladium, patris erat, quod leuauit, Dei fuit, quod pepercit.* Si Iſaacum religatum ad necem viderem, cuius miniſtrum noſcerem patrem, crederem abſque dubio futurum, quòd pater parceret tanto filio. Sed nullius creaturæ eſt tantum parcendi munus, non cognati, non ſponſi, non patris, imo patris erat quòd leuauit gladium ad necem; ſed vnius Dei fuit quòd pepercit, cuius eſt miſereri ſemper & parcere. nec facile admittit creaturas in conſortium talis muneris. Nonne primùs Iſraelitarum Rex Saul malè apud *1. Re. 15.* Deum audiuit, ex quo ſuo arbitratui parcendi munus commiſit? Ecce vbi notatur Saulis crimen, ob quod regno exuitur 1. Reg. 15. *& pepercit Saul, & populus Agag.* De quo verba faciens Ioſephus libr. 6. *Ioſephus*

de

de antiquit cap. 7. inquit. *Seruare Agag decreui, idque non ex Dei ſententia; ſed victus affectu proprio, inconceſſam miſerendi licentiam ſuo periculo ſibi vſurpans.* Vide modò ſanctiſsimi Ioſephi incredibilem virtutem, vt parcat Mariæ, refugere nititur cognati & ſponſi ſeruitium, imò hominis refugit indolem, & quaſi in Deum factus eſt ſuſpectæ virgini. Non equidem negabo, ſanctisime Ioſeph, te in vteri virginalis ſuſpicionem nonnullam incidiſſe, quia inde tuas virtutes videó aſcendere in ſortem diuinam. Simon ille apud Lucam cap. 9. & vt vidit ſaluatorem inclinari miſericorditer in mulierem peccatricem aiebat intra ſe. *Hic ſi eſſet Propheta non ſineret hanc mulierem tangere ſe.* Cui ab ore Domini argutè ſatis reſpondet D Laur. Nouar. hom. de Pœnit. *In dignũ iudicas, ò Phariſæè me ſuſpicere mulierem fornicariam lacrymarum fontibus inundantem, ſed facis hoc quaſi incredulus Phariſæus, dum non vis me eſſe, aut credere Deum.* Planè, non poterat culpari Chriſtum Dominum, quod faueret peccatrici, niſi animo hæretico illius erroris pleno, quo non crederet, Chriſtum eſſe Deum. Qui illi eripere volebat diuinitatem, eius carpebat in peccatricem humanitatem, quando quidem Dei ſolius erat quòd parceret. Abſit à me tantum piaculum, vt hanc diuinam ſortem inuideam ſanctiſsimo Ioſepho, quem cùm video erga ſuſpectam vxorem affici, illum vltra hominem exaltari, & quaſi in Deum Mariæ puto datum.

Luc. 9.

Laur. Nouar.

## §. VI.

### *Chriſtianus homo quaſi ex iuſtitia tenetur parcere.*

VRGEO adhuc D. Ioſephi iuſtitiam ab Euangeliſta notatam, quando vxori ſuſpectæ, nititur parcere: ait enim textus Ioſephus cum eſſet iuſtus *& nollet eam traducere, &c.* Equidem, qui in Chriſtiana familia agebat caput ex iuſto, & æquo tenebatur iniurianti parcere, quandoquidem ex eo maximam gloriam reportaret. Ecce Iob cap. 7. perſonam viri iniurij agens qualiter conueniat Deum inquiens. *Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* Non aliter expoſtulare poſſet, ſi illi remiſsio ex iuſtitia deberetur: quod expendens D. Cyrill Alexandr, Apol. ad Theodoſium ſic ait. *Dicet ad hoc quiſquam, quid igitur, ò generoſiſſime athletarum! criminis in loco Deo impingis, quòd eius, qui deliquit non miſeretur? culpas ne legislatorem, quòd peccatorũ meminit? etiam, inquit, qui enim miſereri conſueuit, nec vulgarem ex eo gloriam habet, ob quam cauſam cùm talis ſit, non & mei rationem habet?* Vbi enim Deus ex eo quod miſeretur & parcit, ingentem ſibi gloriam venatur, id iuris acquirunt in eum rei ipſi, quo Deum de venia expoſtulant, & quaſi iudicio ſiſtant. Et ſimiliter Chriſtiani homines, quia tunc glorioſiores ſibi effingunt coronas, celebrioriſque nominis decus acquirunt, cùm iniuriantibus parcunt, quaſi ex iuſto, & æquo tenentur veniam largiri iniurianti. Proinde iuſtus Ioſeph iuſtitiæ ſatisfaciens ſeſe ad parcendum accingebat, & etiam ſuſpectæ vxoris incolumitatem meditabatur. Neſcio, an hoc ſuboluerat D. Chryſol. qui ſerm. 71. incidit in illud Dominicæ orationis, nimirum *dimitte nobis debita noſtra; ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Vbi non qualemcunque à Deo miſericordiam exquirimus; ſed eam quæ humanæ miſericordiæ teneat modum. Etenim diuina miſericordia liberrima eſt, nullaque neceſsitate poteſt cogi, nulliſque debiti cancellis obſtringi: hanc adeò liberam miſericordiam iubemur deprecari, & illam exquirere, quæ humanior ſit, & ſeſe ex æquo & iuſto obſtringi ſinat. Id quod exprimit illa particula, *ſicut & nos dimittimus*: quam expendens præfatus Chryſol. ait. *Homo penes te eſt poteſtas veniæ, in te eſt indulgentiæ ius*: quaſi indulgentia ab homine exhibita in aliquo iure fundetur, & dari ab homine veniam iniurianti, ſit quaſi ius ſuum illi retribui.

Chryſol.

Matth.

## §. VII.

### *Iuſtitiæ culmen attingis, ſi Deum zelotypiæ præferas.*

SÆPE aliàs Ioſeph egerunt ſacri Scriptores ſine titulo, ſine honorifico eum epitheto nominantes; nunc primùm iuſtum audio, nunc primùm titulo inſignitur ſanctitatis. An quia zelotypiam nouit poſtponere pietati? Iam dicam, ſi priùs pondero illud Oseæ 10. vbi ſic habes, *ex diebus Gabaa peccauit Iſraël, ibi ſteterunt.* Multa patrarat facinora, imò ſcelera Iſraël per omne tempus; ſed nunquam ſic peccator apparuit Deo, vt ex diebus Gabaa. Sed Iſraël in Gabaa potiùs videntur infandum ſcelus vindicaſſe. Nota enim eſt apud libros Iudicum hiſtoria, quando Gabaonitæ vxorem

Iob 7.

Cyril. Alex.

Oseæ 10.

hospitis Leuitæ deturpauerunt, & turpi luxuriæ mole oppressérunt. Quod scelus vt Israël vindicaret, de Dei Opt. Max. oraculo arma sumpsit, & post conseritas manus semel & bis iniquo Marte tandem flagitiosam gentem vastauit. Cur ergo ex tunc dicitur Israël peccasse Domino, & non ex vitulo adorato, ex alijs turpissimis sceleribus commissis? *Hieron.* Rem attigit D. Hieron. in præsenti dicens: *Ex eo die, quo vxorem Leuitæ turpiter atque crudeliter interfecit Beniamin in vrbe Gabaa, peccauit mihi omnis Israël, non quia vltus est iniuriam, scelus sanguine vindicauit; sed quia dolore maritali prosiluit ad pugnam, & sacrilegium in Deum suum noluit vindicare; eò quòd in domo Michææ Ephod, & Seraphin, quæ pro idolis adorantur neglexerit.* Itaque prætualuit in Israël maritalis dolor pluſquàm religionis amor, potentior fuit zelotypia, quam pietas, quàm religio, & ideo ex tunc Israëlis peccata Deo summo, & vero displicuere magis. Iam inde licet colligere Ioſephi sanctitatem, cuius virtus tunc eluxit, tunc præcipuè radiauit, tunc magis glorioſo è vertice emicuit, cùm dolore maritali compresso, zelotypiæ tyrannide superata ſtuduit pietati. Præclaré nobili iusti cognomine insignitur, dum zelotypiam suffocans dicit totum Deo, quia quod homini diceret non habebat. Nonne Ioſeph in hoc veré filius Abrahæ, cui promissio debebatur. Equi *Gen. 12.* dem Abraham Gen. 12. à Deo in Ægyptum mouebatur, vbi Saræ vxoris pulchritudo periclitabatur, vrgebat hominem diuina inſpiratio; ſed vxoriæ pudicitiæ periculum retardabat, hoc frænum, illud calcar erat, tandem zelotypiâ vincens Deo obtemperauit. Quid plura? Accipite D. Ambr. libr. 1. cap. 2. fan- *Ambroſ.* tem. Magnum exemplum deuotionis Abrahæ, quòd cum vxore ſpecioſa deſcendit in Ægyptum. *Erat quidem iusto viro cura coniugalis pudicitiæ; ſed maius erat ſtudium maturandæ deuotionis, ne prætuliſſe cuſtodiam thori mandatis videretur cœleſtibus.* Hæc ſit præcipua cura coniugibus, qui ſanctitatis, & iuſtitiæ appetunt culmen, qui metuunt, ne ſua peccata grauiora apud Deum appareant, & incondonabilia, quod pietatem præferant zelotypiæ, & cuſtodiâ coniugalis thori poſtponant mandatis diuinis.

## §. VIII.

### *Ioſeph incredibilis pudicitia commendatur.*

IAM coronidem faciam de Ioſephi virtutibus, ſi eius pudicitiam, quam miteris, proponam, pudicitiam, inquam, floridam apud flammantem pulchritudinem. Pudicus Ioſeph, & quod mireris magis, pudicus de conſortio, de conuictu puellæ formoſiſſimæ. Poſt Saluatoris Aſcenſionem reuertentes diſcipuli Act. 1. in cœnaculum aſcen- *Act. 1.* derunt, *vbi manebant Petrus, & Ioannes, Iacobus, & Andreas, Philippus, & Thomas, Bartholomæus, & Mathæus, Iacobus Alphei, & Simon Zelotis, & Iudas Iacobi. Hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Mater Ieſu.* Hic ſuffeciſſet locus vt Apoſtolicæ primitiuorum virtutes in immenſum extollerentur, quando veri ſimul, & fœminæ, & pulcherrima virgo vnanimiter orationi inſtabat. Quando inter viros, & vnanimitas, & Deo placens oratio erat de conſortio fœmi- *Sixtus.* narum. Hoc exemplo lamentatur S. Sixtus PP. epiſt. de malis Doct. vicem præſentis ſæculi, & primitiuorum exprimit virtutum excellentias. Ait enim, vbi eſt illa primordialis inſtitutio à Chriſto, & ab eius Apoſtolis tradita? Vbi illius vnanimitatis conſecrata dilectio? qua cũctis omnia communia erant, qua nemo quicquam ſuum iudicabat, qua nec in mentis quidem erat varietate diſcretio. Proh nefas illi eodem in tempore nuper Chriſtiani eſſe cœperant, & indiſcretè cùm ſuis domibus commanebant. *Væ miſero mihi nondum vlla, ſeu virorum, ſeu fœminarum adhuc fuerat celebrata diuiſio, & tamen illorum rudes meliores erant, quã noſtri, nempe perfecti.* Sic primitiuæ Eccleſiæ extollitur laus, cuius virtus etiã de cõſortio virginũ, & mulierum creſcebat. O maximũ D. Ioſeph decus! nõ fœminarũ conuictũ fugit, nullũ fædus cũ oculis pepigerat, ne cogitarent Viginẽ, imò ſemper ob oculos habens miraculũ pulchritudinis, honeſtiſsimã puellã, indiſcretè, & indiuiſè in eadẽ domo cohabitans ſanctiſsimorũ virorũ pudicitiam, & perfectionem longè excedebat. Is enim erat Ioſeph, qui pulcherrimæ conſorti munimen adderet, in expugnabileque propugnaculum inderet. An non Mariana vox illa de Ioſephi conſortio Cantic. 8. *Ego murus,* *Cant. 8.* *ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens?* Ex quo de Ioſephi conuictu gloriatur Maria, ex quo inter vtrumque vnanimitatis conſecrata dilectio eſt, ex quo indiuiſim in eadem domo manebant, par muro eſt Mariæ pudicitia. Mirum dictu! Sed accipe D. Syneſiũ Cyrenenſem epiſt. 4. quam dat Euoptio frairi, vbi nauigationem narrat *Syneſ.* in hæc verba. Qui vectores ſumus ſupra quinquaginta, quorum quarta fermè pars fœminæ ſunt, pleræque iuuenes & formoſæ ſunt: verum non eſt quod inuideas. *Nam cortina*

*tina appensa nos secernebat, eademque munitissima, temperantibus hominibus par Semiramidis muro.* Itaque à virorũ temperantia pulcherrimarum puellarum conuictus in eadem naui, de leui carbaso inuenit inexpugnabilem murum. Gloriosior Ioseph laus, cuius in vna nimi consortio non veli alicuius beneficio, sed incredibilis pudicitiæ puella formosissima non par muro; sed ipsa murus facta est, soli Deo accessibilis.

*Tex.* Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Dei apparuit in somnis ei dicens, Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariã coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.

## §. IX.

### *Ioseph connubium promissionem Dauidi factam iure exigebat, vtpote in quo vno ablatis cunctis maculis, omnes dauidici generis splendores inueniebantur.*

POST tot Dauidici generis successiones, meritò Ioseph filius Dauid ab Angelo nominatur, in illo enim vno totum Dauidicum splendorem nullum vitium notabat, quo nulla promissioni diuinæ poterat iam dari dilatio. Id quod perspicuis verbis tradit D. Chrysol. serm. 145 fatus, Ioseph fili Dauid: *videtis, fratres, in persona genus vocari, videtis in vno totam prosapiam nuncupari, videtis in Ioseph seriem Dauidici stemmatis iam citari, Ioseph fili Dauid, tricesima octaua generatione natus, quomodo filius Dauid dicitur; nisi quia fides promissionis impletur?* Cur tardaretur promissio, quando ablatis vitiorum nebulis, fulgentissimus Dauidici generis splendor in vno Ioseph cõiunctim radiabat? Obsunt diuinis promissionibus peccata, degeneres mores, ob quos impleri tardãt. Sed vbi obex abest, & virtutũ illex est præsens, nequit iam cœlestis promissio tarda re. Decretum antiquitus erat, regnum Dei hominibus aduenturum, cuius nihilominus aduẽtus per longissima sæcula dilatus est, vsque dum homo Deus Christus apparet in mundo. Apparuit homo diuinus, & cœlestis regni promissio ad homines aduolauit. Ut ita Rẽ explicat D. Leo serm. 3. de Nat. inquiens. *Conferenda erat pro reconciliandis hostia, quæ esset nostri oneris socia, & nostræ contaminationis aliena, vt hoc propositum Dei, quo peccatum mundi in Iesu Christi placuit natiuitate ac passione delere ad omnium generationum sæcula pertineret.* Eece Dei promittentis totum ingenium, & indolem, promittit regnum homini, & tantum temporis promissionem differt, donec inueniat hominem, in quo totius generis virtus splendeat, & nulla videatur peccati fuligo. Tunc demũ impletur propositum Dei de coronandis hominibus, cùm Iesus apparet, in quo humani generis recapitulatur perfectio, vt cùm Irenæo loquar, & nihil humani reperitur vitij. Non absimili modo promissa est Dauidi diuina progenies; sed dilata promissio ob degeneres mores prosapiæ Dauidicæ, donec Marianus coniux Ioseph apparuit in mundo, in quo vno tota prosapia nuncupatur, tota Dauidici stemmatis series fulgurat, degenere omni ablata fuligine, quo implenda erat promissionis fides. Huc refero pulchra D. Athanas. verba infrà examinanda; qui de Incarnatione verbi agens dicit, *Deipara Virgo Maria sola ex Adam deriuatur, aut cum sponso suo Ioseph ex Abraham, & Dauide stemma suum deducit.* Quibus põdero, quod Maria, vt ab Adam deduceretur, omnem aliorum societatem fugit, vt quæ sola humani generis maculas vitabat; at verò, vt à Dauide progigneretur, sibi fratrem, & consortem admisit Ioseph, vt qui solus cum Maria, Dauidici generis vniuersis næuis exclusis, totam prosapiæ regiæ gloriam sustineret.

Lco.

Athan.

### *Regale Dauidis decus in Ioseph fulgentissimum.*

DIXI in vno Ioseph totam Dauidici stemmatici seriem figurari; quod sic breuiter perstringo: etenim, vt à Regno exordiar, vbi Regius splendor gloriosior, quàm in Ioseph, vel vnam tantum habens subditam Mariam? Apud Dan. cap. 3. Nabuchodonosor, vt vidit tres pueros in fornace lætos, eorum Deum summis laudibus prædicat, cuius imperium ad vniuersum Orbem dilatari testatur. Etenim tales putat esse eos tres pueros, vt ex illis solis Deus altissimus, excelsus, Dominusque mundi debeat prædicari. Do huius excogitationis authorem D. Chrysost. homil. 6. ad Popul. vbi sic fatur.

Dan.

Chrysol.

Chrysost.

Mundi

*Mundi Dominum ex tribus pueris vocat, non ipsius imperium sine vllo concludens; sed quoniam mundo opponendi pueri tres essent; propterea tot tyrãnos Reges, & Principes prætermittens, qui sibi paruerant, tres captiuos, & seruos, qui tyrãnidem suam contempserant, admiratus est.* Iure ergò Ioseph, quem Maria Dominum vocaret, creaturarum Dominus ex vna Maria vocaretur, quoniam vniuersis creaturis opponenda Maria esset: quapropter inter Reges, & Principes Ioseph superior omnibus, & præstantior numeratur.

## *Sacerdotalis splendor in Ioseph ex pudicitia.*

INTER regalia Dauidis stemmata non obscurum locum obtinent vittæ Sacerdotales, quarum candore Regia purpura sæpe sæpiùs ex coniugijs fuit condecorata, vt Ioannis affinitas cùm Iesu testatur. Sed & Dauidem, si non genus, tamen pudicitia
2. *Re.* 21. Sacerdotio initiauit. Etenim 1. Reg. 21. suam suorumque pudicitiam testans ausus est edere propositionis panes, solis Sacerdoti-
*Sixtus.* bus reseruatos. De quo S. Sixtus PP. epist. de cast. sic loquitur. *Vnde ostenditur, quòd pudicitia Sacerdotio aliquatenus comparatur, cui edere licuit, quod tantùm Sacerdotibus debebatur.* Verè filius Dauid Ioseph, Dauidicique æmulus Sacerdotij, quem incredibilis pudicitia consecrauit: Sacerdos vtique Dauidicus Mariæ sponsus, qui carnem suam hostiam viuam exhibuit, & ex se Deo libauit. Nonne proprium Sacerdotum munus est, hostiam offerre? Cur ergo omni-
*Ad Rom.* bus etiam laicis loquitur Paulus epist. ad Ro-
*12.* man. 12. *Obsecro vos, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem? &c.* Si Sacerdotes non sunt, quomodo exhibebunt hostiam? Plànè, vbi hostia est pura, & pudica caro, ipsa per se vnumquemque Sacerdotem
*Isid. Pel* facit. Ita D. Isidorus Pelus. libr. 3. epist. 75. fatur. *Pulcherrima victima est, piam mentem, & carnem castam habere. Eòque Paulus illud dixit, exhibete corpora vestra hostiam viuentem; non enim ad Sacerdotes solos scribens hæc ipsis mandabat; sed vniuersæ Ecclesiæ. Vnumquemque enim ipsorum hac in parte Sacerdotem esse iussit. Quòd si castitas, & pudicitia subditos Sacerdotes creat, libido, ac lasciuia Sacerdotibus dignitatem abrogat.* Meritò vbi libido Sacerdotem exuit, castitas Sacerdotem initiat & facrat, vt pateat, quàm præ alijs Sacerdotibus radiet Iosephi castissimi apex.

## *Militari robore Ioseph insignis.*

VIDES in Dauidico genere armatas parturiri phalanges: vides bellorum fulmina ex Dauidico sanguine euolare; sed omnibus Ioseph pugnator, & militari gloria extitit clarior. Vnde hæc? Sanè Dominus Luc. 12 vt militari robur inderet discipulis, inquit: *Sint lumbi vestri præcincti.* *Luc. 12.* *Bas.* Quibus verbis militarem baltheum agnouit Nazianz. orat. 2. in Pas. agnouit, & cingulum castitatis, cùm Bas. August. Beda, *August.* & Gregor. PP. relatis à Maldonato, quasi *Bed.* Christianis militibus robur, & fortitudo mi- *Greg.* litaris à virtute perfulgeat castitatis. Quòd si è castitatis nota metienda est fortitudo Christiana, quem non superet Ioseph gloria militari? Sanè, vt videre potest apud Rupert. infrà cap. 5. § 7. omnes exercitus *Ruper.* illi Abrahæmides, & Dauidici hoc vnum spectabant, vt lectulum Salomonis, nimirum Mariam Virginem tutarentur, & defensarent, vt posit in mundo nasci. Et quòd mirere magis, quam tot tantique exercitus custodiebant nasciturum, vnus Ioseph custodit natam; vnusque pro cunctis exercitibus tanquam omnibus præstantior illi datur. Nonne Virgo Maria collum Ecclesiæ est notissimum Patribus: De illa ergo Cant. 4. dicitur; *sicut turris Dauid* *Cant. 4.* *collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea.* Proh fortissima turris Maria! fortissima, inquam, ex se, fortissima ex custodia, quam habet; mille enim clypei pendent ex ea, nimirum innumerabiles illam milites custodiunt. Significantiùs Georg. Venetus *Venet us* in arm. Can. 3. tom. 7. cap. 13. ex Hebræo vertit, *vnum scutum appendent super eam.* Quasi innuat, quòd Mariam, & mille, & vnum pro mille custodiant, & innumeri exercitus, & vnus Ioseph instar omnium custodiæ deputatur virginali. Vnde meritò Iso- *Isolan.* lanus 3. part. cap. 22. meditatus Cherubin illud gladio igneo armatum ad paradisi custodiam deputari, sic argumentatur. *Si hæc exploratæ creduntur veritatis, cur non Ioseph Cherubin asseuerandus est, qui & virginis sanctissimæ, & Christi custos à Deo immortali positus fuit?* Etenim robur Ioseph militiam superat humanã, & de cœlesti exercitu speciem habet, rectè nominatus Cherubin, cuius nominis etymologia est *Hieron.* apud D. Hierony. de nomi. Hebr. Cherub, *quasi multitudo*, & apud Lauretum dicitur Cherub *quasi pugnans*; nimirum Ioseph

ſeph verus Cherubin pro Mariana cuſtodia extitit quaſi pugnans multitudo. Hæc præcipua Dauidici generis ſtemmata cùm alijs claríſimis virtutibus in vno Ioſeph conglomeratur, à quo omnis eiuſdem generis macula abeſt, vt poſito inter viuos Ioſeph, promiſsio Dauidi facta de diuina progenie non poſsit ampliùs dilatari.

## §. X.

### *Subditos noſcat Princeps ex nomine proprio, & parentum.*

MAGNVM Diuo Ioſeph extitit ſolatium, quando inter mordentes curas, inter anxias ſollicitudines de vxoris vtero, à ſummi Imperatoris miniſtro nomine ſuo proprio, parentiſque, & ataui Dauidis ſe ſenſit appellari. Equidem non deſtitutum ſe animaduertit ab illo, cui nomen ſuum, patriſque ſui in memoria erat. Hoc ſit vniuerſis Principibus conſilium, vt ſubditorum nomina perſpecta habeant: nullo enim magis illos recreabunt, quàm præmiſſo nominis proprij, parentiſque, aut ataui vocabulo. Eccleſiæ Principem inſtructurus in
*oan. 21* ſubditos Chriſtus Dominus Ioann. 21. dum ouium ſuarum paſcuam illi commendat, ait. *Simon Ioannis diligis me plus his?* Porrò alios ſæpè diſcipulos appellat Dominus; ſed ſimplici cuiuſuis nominis vocabulo, vt cum dicit, *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum*. Ioann. 14. Sed
*Ioan. 14.* Eccleſiæ principem non de ſimplici nomine ſolùm, verùm etiam de nomine parentis compellat, dicens: Simon Ioannis, vel alibi Beatus es Simon Bariona, hoc eſt, Simon filius Ioannis. Quaſi ex hoc perdocere vellet Dominus, maximè decere Principes, quòd nomina ſubditorum propria, & parentum noſcant, quorum compellatione plurimum illos afficient, & honorabunt. Hanc mihi excogitationem dedit Diuus Sy-
*Synenſ.* neſius Cyrenenſis libr. de regno, vbi fatur. *Admonet, vt præter huiuſmodi appellationem*, nimirum nominis proprij, *addito inſuper parentis nomine, & à maioribus, vnumquemque compellat, omnibuſque honorem deferat*. Hinc optimi Principes bene apud ſubditos audient, ſi ſingulos, & proprio, & parentum nomine compellatos honorabunt. Crediderim, quòd Saul boni Principis habuiſſet ſaporem, cùm miratus adoleſcentem Dauidem inermem aduerſus Phi-
*1. Reg. 17* liſthæum concurrere ait, 1. Reg. 17. *de qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens?* Non enim ſufficiebat Regi Dauidis nomen noſſe, ſed inſuper parentum eius, & atauorum ſcire curabat vocabula, vt vel in hoc optimi Principis oſtentaret ſpeciem. Quapropter ſacerdotum Principi iniunctum à Deo erat, vt in lapidibus rationalis nomina duodecim tribuum ſcripta portaret. Sed quid prætendebant nomina hæc inſcripta ob oculos Principis? Rectè Arnold. Carnot tract. de 7. verbis fa- *Arnol.*
tur. *Hoc intimatur, quòd qui in regimine ſunt, ſemper affici debeant pro his, qui ad eorum ſollicitudiem pertinent, & quantum poſsibile eſt, recordari eorum debent ex nomine*. Nouerint Principes nomina ſubditorum, nouerint & cognomina accepta à patribus, quorum compellatione habeant, vnde ſibi illorum poſsint deuincire animos, & eoſdem medijs laboribus recreare.

## §. XI.

### *Inter pueros agentem filium pater diuinus recreat de nobiliũ obſequio, gaudet enim Dominus à nobilibus honorari.*

ECCE quem famulum paratpater filiõ infanti, nimirum Ioſeph Dauidis filium regijs ſtemmatibus decoratum. Saluatori enim aëreas poteſtates debellanti, glorioſè è ſepulchro emergenti, de piſcatorum retibus famulitia parantur, & viles homunciones in teſtes reſurrectionis aſſeruntur; at eidem vagienti inter pueros periclitanti Regius famulus datur, regales ſubduntur poteſtates. Sane, in bellatore virtus oſtentanda erat; in infantia ſaporandus guſtus; gaudet enim Deus ſeruientes ſibi regios viros *Syneſ.*
habens. Huc reſpexit D. Syneſius Cyrenenſ. libr. de regno fatus. *Nec à ratione alienum eſt, diuinum quoque numen religioſi Principis cultu, reuerentiaque gaudere, eumque arcana quadam neceſsitudine ſibi conciliare*. Monarcha, vt exercitus inſtruat, liberè legit quos vult, & ſibi ſæpè commilitones aſciſcit è fæce vulgi; verùm Monarchæ infanti ad gaudia ſolùm dantur nobiliſsimi quique, imò, & hi procurantur, qui ex regia neceſsitudine futuri ſunt chari. Itaque cùm Deus Reges, & nobiles ſibi neceſsitudine quadam arcana conciliatos habet, cum filio needum viro exercitus parat, ſed adhuc infanti procurat gaudia, nobilium, & regalium virorum illi famulitium aſſerit.

*Dan. 3.* asserit. Liceat Danielis 3. medijs fornacis flãmis tres pueros liberos videre, quorum medius, vt puer inter pueros, Dei filius adstat Et enim ait Rex Nabuchodon. *speciem quarti similis filio Dei.* Vbi id mihi mirabile accedit, quòd filius Dei inter pueros agens, non passus sit videri, & publicari, nisi à Rege: erat enim prope infinita hominum multitudo circa fornacem, quorum nullus vidit eum filiũ Dei; vnus Rex omnium illum vidit, eiusque publicauit magnalia. Quid plura? Cum Dei filius inter pueros agit, vnis se credit, & committit regijs manibus, quibus gaudet. Ita S. Hippolyt. lib de consum. sæculi fatur, Nabu-
*Hyppol.* chodonosorem aiens. *Cur tibi soli, & nulli prætereà innotuit? Sed quando scriptum est, quod Regis in manu Domini, hæc profectò est manus Domini, vt cognoscens eum in camino, ipsum prædicares, & glorificares.* Equidem sunt Reges Deo familiares, sunt illi ad manus, ideo Deo in camino, nimirum inter pueros agenti, Rex asseritur, qui eius magnalia prædicaret Etenim filio Dei, quis similior quàm Rex, quando ad imaginem Dei in homine conseruandam expressius, regia dignitas homini additur? aiebat enim Dominus, *fa-*
*Gen. 2.* *ciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Faciamus, inquam, ait, quasi difficile opus aggressurus consulens, difficilem enim rem putabat diuinam imaginem terreno pulueri imprimere, quàm vt ibi firmam stabiliret, regium decus homini dare meditatus, quasi nihil esset aptius imagini diuinæ tutandę, quã regnum Huc spectat Niss.
*Nicen.* or. 1 in prædicta verba fatus. *Quanam difficultate consulit, an vt ostendat te perfectum esse apud eum? Vbi ergo quæremus quod imaginem referat? nimirum in his, quæ dixit faciamus hominem ad imaginem nostram, & præsit.* Itaque regia dignitas amicissima est, & connata Dei imagine, ne mireris, quòd splendor patris, & figura substatiæ eius recens natus de regijs socijs gaudeat, pares enim cum paribus facilimè congregantur.

## §. XII.

### *Præstantissimum hominis decus est, nullum magnum obsequium alteri, quàm Deo præstitisse.*

IDEO Ioseph permanere iubetur cum vxore, quia quod in ea natum est, de Spiritu sancto est, quasi iam dedeceret Iosephum alteri, quàm Deo præstare famulitium. Quippe homo in creaturarum imperium natus, cur fœdatur indies vili, & abiecta creaturarum seruitute? Vtinam hanc omnibus Deus mentem donasset, qua detrectarent vili insudare creaturæ; sed laborum suorum Deum haberent finem. Sapientes illi Reges stella docti longissimi itineris fastidia suscipiunt, vt natum puerum Iudæorum Regem perquirant, sic enim Ierosolymis aiunt Mat- *Matt. 2.*
thæ. 2. *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Cui à propria domo parabant munera, aurum, thus, & myrrham: sed cur parant thus? Planè vt testatum haberent, non creaturæ; sed Deo deferre seruitium, erubescerent sapientissimi homines tam longum suscepisse iter in creaturæ alicuius obsequium, vnde secum thus offerendum præmittebant hanc gloriam sibi asserentes, quòd nec pedem mouerint; ni ad obsequium diuinum. Huc respexit D. Leo serm. 4. de Epiphan. dicens,
*Leo.* *Fulgentior radius veritatis eorum corda perdocuit, vt priusquàm labores itineris inchoarent, eum sibi significari intelligerent, cui in auro regius honor, in thure diuina veneratio, in myrrha mortalitatis confessio deberetur.* Non aliter viam arripiunt, quàm præscientes, Deum esse, cui præstaretur tantum famulitium. Is etiam erat Ioseph, cui eadem deberetur gloria, nec cui, nisi Deo seruiret, quam gloriam in alterius Ioseph vmbra celebrauit Moyses Deut. 33. dum illi in hæc *Deuter.*
verba benedicit. *Cornua Rhinocerotis cornua eius*, vel vt aliàs, *cornua Monocerotis* 33.
*cornua eius*; quippe Monoceros animal est viribus inexpugnabile hominum recusans imperium, pro cuius proprietatis allegoria D. Basil. relatus in Cat. ad cap. 26 Iob, inquit.
*Basil.* *Monoceros homo est sanctus, qui Deum vnũ intuetur, eique soli fidit.* Dixisset clarius, Monoceros est Ioseph iustus, quem decet creaturis seruire, cuius ingens gloria in eo sita est, quòd vniuersos labores suos conferret soli Deo. Planè cornua Monocerotis cornua eius, quando nulli creaturæ obsequium præstat, sed vni Deo eligitur seruiturus. An hunc recipiebat sensu spirituali Iob cap. 34. sic homini illudens. *Nunquid volet Rhinoceros* *Iob 34.*
*seruire tibi? aut morabitur ad præsepe tuum?* Nulla hominum vis, nulla creatura traheret Ioseph ad seruitium, nulla creata potestas cogeret illum ad præsepe suum; sed qui creaturarum fastidit imperium, ecce solius Dei nutu ad præsepe moratur, vniuersasque subit curas puerperij diuini.

XIII.

## §. XIII.

### *Gratiſsima Deo coniugum concordia & amor.*

IOSEPH, noli timere accipere Mariã coniugem tuam; hoc clamat Angelus, & clamarent vniuerſi Dei miniſtri, quandoquidem nil magis eſt Deo cordi, quàm quòd coniuges ſibi accepti ſint mutuò. Vidiſſes ali quãdo pareates, fratres, amicos vnanimes, vt nobis ſuſpectos à Deo publicari; ſic enim inquit Matt. 10. *Veni ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiã aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum* Nihilominus inter virum, & vxorem, nihil voluit ſeminare diſsidij, vt ſumma ſemper in illis concordia vigèret, ne ſe haberent coniuges vnde ſibi inuicem metuere præſumerent. Id quod notat Rup. lib. 5. de Oper Spir. Sancti. lib. 1. de Conſil c. 21. Vbi ſic habet. *Notandum, quòd cùm cæteras affinitates dixerit, filium aduerſus patrem, & filiam aduerſus matrem, & nurum aduerſus ſocrum, non dixerit virum aduerſus vxorem, ſiue vxorem aduerſus virum, ne videlicet Euangelica puritas occaſionẽ adulterij dare videretur.* O quàm Deo chara eſt cõiugalis cõcordia! quãdo tam anxiè cauit nullam coniugibus dare cauſam diſsidij, quando ſic omnes ſuſpicionis occaſiones eripit illis. Sanè miratus ſum non rarò coniugalem obſeruantiam floridam in ipſa iniuria coniugij, cùm recolo vxorẽ illã Leuites Bethlehemitici, de qua c. 19. Iud. Hæc à viro deſerta, à luxuriãtibus iuuenib⁹ Gabaa rapta, & per integrã noctẽ illuſa nihil coniugalis charitatis amiſit; imò deficiens viribus, amore cõiugis non defecit, & confecta iniurijs dũ ageret animam, monimentum coniugalis obſeruantiæ egit inſigne. Ait enim textus. *Mulier recedẽtibus tenebris venit ad oſtium domus, vbi manebat dominus ſuus, & ibi corruit.* Non illam violenta noctis integrę adulteria fecerunt obliuiſci mariti, vt primùm data eſt illi poteſtas, penè enecta ſurrexit, vt fœdato corpore puram animam exhalaret iuxta coniugij domicilium. Cuius facinus ſic D Amb. lib 3. Ofic. cap. 13. extulit, dum inquit. *Quæ atrocitate vel dolore victa iniuriæ, ante oſtiũ hoſpitij quo vir ſuus diuerterat, proiecit ſe, atque exhalauit ſpiritum, ſupremo licèt vitæ munere affectum bonæ coniugis ſeruans, vt exequias ſaltem ſui funeris marito reſeruaret.* Etenim, quando viua non potuit, ſaltem moriens noluit diſiungi à marito. Proh perfectiſsimorum coniugum magiſtram! Plané, nouerat bona vxor, quàm vtile, etiam errãti fœminæ, eſt inſeparabile conſortium mariti, cuius gratia mille ærumnis, mille periculis eripitur. Quod teſtatum reliquit infœlix illa vxor Loth; ſed fœlix, dum nititur hærere conſortio coniugis ſui. Hœc in Sodomis habitãs, Sodomitarum voluptatibus oculos depaſta eſt ſuos, non àdeò, vt à marito diſcederet, cuius gaudens conſortio à Sodomitarum ſupplicio libera fugit. Vtinam ſemper ad maritũ aſpiceret; ſed aſſueta etiam videre Sodomæ delicias, dum ad illas oculos conuertit, vitam miſerè amiſit. Sed pètes, cur peccatrix hæc fœmina, ſi quidem aliquando caſtiganda erat, non incurrit Sodomiticum ignem? cur non abſorta flammis fuit? cur tam diù dilata eius ruina? Equidem hoc bonæ vxoris habebat, quòd gaudebat contubernio viri, à quo ſeparari nequibat, nec eius conſpectum fugere. Vnde ira Dei tamdiu deſæuire diſtulit in illã, quamdiu maritum ob oculos habens conſortio gaudebat illius: at vbi marito à tergo relicto, reuerſa eſt ad Sodomã, ſupplicium mortis incurrit. Id attigit D. Aug. lib. 2. de Mirab. Sacr. Script cap. 11. dicens *Vt cuius viſus nõ erat immunis, ex culpæ conſortio mortẽ effugere non poſſet, quamuis propter iuſti conuiuium eruta ſit de incendio.* Pepercit incẽdium illi, vbi coniugis gaudebat conſortio; ſed dedit pœnas criminum quando oculos auertit à marito. O ſanctum coniugij firmamentum, aduerſus quod non audet vllum ſupplicium!

Rup. Aug. Iud. 19. Ambr. Gen. 19.

## CAPVT III.

### De Ioſeph vt Chriſti Domini parente.

MAXIMA Ioſeph laus, quod habetur pater Ieſu; eas enim inde accepit animi, & corporis dotes, quibus nihil degenerũ inter Ioſeph & Ieſum adnimaduerterint oculi mortalium. Similis erat patri, & filio in vultu decor, in greſſu grauitas, in conſuetudine gratia & humanitas. Filius in immenſum extollebat patrem, & pater minimè dedecebat tantum filium.

### *Ex Luc. c. 3. Vt putabatur filius Ioſeph.*

## §. I.

### *Ioſeph æterno diuinoque patri per quàm ſimilis in filium.*

FILIVS Dei naſciturus ex virgine, patrem quodammodo in terra quæſiuit, à quo

quo non ſemine humano, nec humano more; ſed vt ab æterno parente incorruptibiliter naſceretur. Quippe æternus pater dum mente concipit ingentem ſuarum perfectionum molem inde facit pollulare filium. Qui vt à cæleſti patre per intellectus miniſtrationem naſcitur, ſic à Ioſeph intellectuali modo virtutum naturalium, vt filium decet, lineamenta deſumpſit. Iam meminiſti qualiter Iacobeę oues à virgis, quæ oculis obijciebantur tempore conceptionis, colorum varietatem darent agnieulis. Sanè, Deus Opt. Max. fæcundaturus Mariana viſcera diuino filio eum ſponſum prouidit, cuius ſanctitas, cuius pudicitia incredibilis virgunculæ concipienti Deum obijceretur, vt filius virginis etiam haberet puriſsimo illo modo virum authorem delineationis corporeæ ſuæ. Crediderim huc
*Auguſt.* ſpectaſſe D Aug. ſerm. 13. de Nat. vbi dum expendit virginem de Angelica annunciatione turbatam, ſic putat Angelo reſpondiſſe. *Quomodo fiet iſtud, vt grauiſcam, & immuniſsimo marito?* Ecce virgini iam iam concipienti Deum in primis obijcitur Ioſephi ſeges virtutum, ex quo per intellectus opus Ioſeph cõcurrit ad naturitatem diuini filij, dans illi delineationis virtutum exteriorum modum, & menſuram. Cui accinit D. Hieron.
*Hiero.* vbi contra Helbidium fatur. *Tu dicis, Mariam virginem nõ permanſiſſe: ego priùs mihi vendico, etiam ipſum Ioſeph virginem fuiſſe per Mariam, vt ex virginali cõiugio virgo filius naſceretur.* Quippe vult Hieronymus, virginitatem Ioſeph obiectam Mariæ aliquid contuliſſe, ſaltim ad delineationem exterioris puritatis filij, quo Ioſeph æterni patris æmulus in progignendo filio per intellectus opus exiſtit. An hoc adumbrat lex illa Leuitica, quæ ſic cauet de offerenda ſimila?
*Leuit. 6.* *Offeret eam calidam in odorem ſuauiſsimum Domino ſacerdos, qui patri iure ſucceſſerit.* In quibus verbis ſcire cupis, quis ſit, qui patri
*Bereng.* iure ſuccedit? De quo pulchrè Bereng. ſerm. in dictum locum fatur. *Ille ſacerdos patri iure ſuccedit, qui in ſe ipſo formam diuinæ naturæ imitatur, vt qui eſt de terra, terreſtris fieri ſtudeat, & de cœlo cœleſtis.* Et quidem expendendum eſt, quòd ſimilam calidam vnus ſacerdos, qui patri iure ſuccedit, hoc eſt, qui diuinæ naturæ æmulus eſt, offerre debet, nimirũ panem illũ vitæ Ieſum adhuc calidũ, adhuc recenter à Virgineo camino eductum, vnus Ioſeph accipiat, vtpotè qui cœleſti patri iure ſucceſsit, diuinam referens in ſe naturam, dum eius virtutibus inſignitur, dum intellectui Virgineo obiectus limpidiſsimo concurrendi modo, pater aliquo modo eſt diuini filij.

## §. II.

### *Ioſeph parentem vna diuina progenies decebat, à qua in immenſum honoratur, ditatur.*

LAVDEMVS viros glorioſos, & parẽtes noſtros in generatione ſua, vt monebat quondam ſapiens Eccl. 44. quando nil magis commendat parẽtum gloriam, quàm eorum propago. Glorioſum parentem filius facit; ſed qui filius? qui terrenus orbi dominatur terrarum? Abſit: ille glorioſum virum decet filius, qui inter cœleſtes ſplendores candicat. Cùm Deus Opt. Max. Abrahamum pa *Gen. 22.*
tris nomine decorauit Gen. 22. ait illi, *multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli*; quaſi tantum patrem à Deo conſtitutum dedeceret filius, qui cœleſti non eſſet ſplendore cla- *Leo.*
rus. Ita D. Leo ſerm 3. de Epiph. fatur. *Abrahæ innumerabilis fuerat promiſſa ſucceſsio non carnis ſeminę; ſed fidei fæcunditate generandæ; & ideo ſtellarum multitudini comparata, vt ab omnium gentium patre non terrena; ſed cœleſtis progenies ſperaretur.* Inglorius eſſet tantus pater de terrena progenie, nouа, & cœleſtis fuit excogitanda, vt patris à à Deo conſtituti compleret dignitatem. Hinc
*Tychon.* bene Tychonius Reg. 4. Salomonem inter cœleſti gloria candidatos conſtituit, ne Dauidi parenti detraheretur, ſi regno ſolium terre no inſignis filius daretur illi. Ait enim: *ſi reprobatum Salomonem dixerimus, occurrit vox Dei, quæ dicit, nec terræ quidem regnũ auferre Salomoni propter Dauid patrem ſuum. Quid enim prodeſt Dauid, ſi propter eum filius eius Regnum conſequeretur terræ, cœleſte perditurus? Quo manifeſtum eſt cum Deo eſſe Salomonem.* Adeò neceſſaria eſt ad gloriam, & ornamẽtum parentũ progeniẽs, quæ de cœleſti pulchritudine gaudeat. Quo iam gloriam Ioſeph decet augurari, quem non ſtelliferum agmen; ſed tota immenſi ſolis ſphæra nobilitat, non cœleſtis propago; ſed ipſe ornat cœlorum creator. Sanè, vt tam glorioſum virum, tãque excelſum patrem compleret ſuper terram, imò ſupra cœlum ipſum fuit noua, & diuina progenies meditanda. Quantus inde honor Ioſeph aduenerit, quis ſufficiat explicare? Tertul. lib de *Tertul.*
Reſurrect carn. ſic extollit limum, ex quo Adam fuit à Deo formatus. *Limus in manus Dei, quæcumque ſunt, peruenit, ſatis beatus, ſi ſolummodò contactus. Itaque*

*toties*

*toties honoratur, quoties manus Dei patitur* Et Deus venit in manus Ioseph, & ipse Ioseph venit ad Dei manus satis beatus, si solummodo cõtactus, verùm per plures annos, & sæpè Deum habuit in manibus, & sæpè diuini pueri manus habuit, sustinuit caput, pedes lambit. Quid plura? Toties honoratur, quoties Dei prendit manus, vt nemo eius honoris cumulum attingere valeat. Habebat Ioseph præ manibus, quod vel semel videre sanctissimi quique vehementer desiderarent. Accipite D. Paulinum de se epist. 4. fantem.

*Paulin.* *Quis mihi misero os adureret, & linguam meam cœlesti illo carbone purgaret, vt vel calcaneo Christi mererer tenus ore contingere, & subdito capite sola sancta tergere, vt caput meum potius Christi pedibus tergeretur, & dum pedes lambo, piarem castis labia immunda vestigijs.* Quid dulcius posset quis sibi excogitare? Et felix Ioseph hęc inter mella passim delitescebat. O quoties apis instar florida pueruli labra fugebat, vel vt papilio ad solaria oculorum lumina aduolabat, vel vt passer in comarum elatis palmarum nidificabat? Quoties labia immunda ignito illo calculo piaret? Quoties serpentinos ausus, si quis in se manserat, de pueri calcaneo confringeret? Quoties illud infiniti valoris drachma exhiberet, vt totum cœlorum Regnum compararet. De alio Ioseph post hunc felicissimo dicitur Ioann 19. *Venit homo quidam diues*

*Ioan. 19.* *ab Arimathia nomine Ioseph, & petijt corpus Iesu.* De quo sic audi D. Epiphan. orat. de Domini sepult. vt quid dixerit, non minus putes in Ioseph Iesu parentem quadrare: ait enim expendens illud, homo quidam diues.

*Epipha.* *Verè diues Ioseph, vtramque enim substantiam à Pilato dono acceperat; verè diues, siquidem margaritam illam, quæ omnem pretij æstimationem excedit, secum asportare promeruerat. Verè diues, sæculum enim plenum portabat, nempe ipsummet diuinitatis thesaurum. Quomodo is diues non dicatur, qui mundi vitam, & salutem adeptus fuerat? Quomodo Ioseph verè diues non erat, qui illum dono acceperat, qui omnes nutrit, omniumque absoluto imperio dominatur?* Sanè, piaculum foret, quòd Ioseph alicuius egeret, quòd cœlestibus diuitijs non redundaret, quandoquidem, l. si quis à liberis, ff. de liber. agnoscend. asseritur. *Iniquissimum quis meritò dixerit patrem egere, cùm filius sit in facultatibus.* Quomodo ergo non Ioseph diues?

## §. III.

### *Quàm filius Ioseph Dominus nobis vtilissimus apparet.*

NON casu Iesus patrem Ioseph accepit; sed vt ex hoc patre eius amplius manifestarentur vtilitates in genus humanum. An non Augustinus in Ioannem sic Sapientiam incarnatam angustabat? *Petra non est, quia durus, & sine sensu non est; ostium non est, quia eum faber non fecit* Ergo siquidem patrem fabrum habet; qui sanè faber eum fecit, dum aluit: iam claret, quod ostium est, per quod liceat ad Regnum intrare. Ecce ex parente fabro Iesu ostium tibi factum euidentius patet. Quid nidum illum tanti fabri progeniem (vt putabatur) cognoscis, magnam tui reformationem incipis sperare, omnia procul dubio calet filius fabri, vt mores ad circinum componantur, vt Dei formetur imago, vt superflua secentur, vt in varios vsus animus effingatur humanus. Vulgò de Iesu dicebant. Mat. 17. *Nonne hic est filius fabri?* Vbi Theophil Antioc lib. 1. allegor fatur. *Filium fabri vel ab obtrectatoribus suis se Iesus voluit vocari, quia terrena nos docent, quæ sunt cœlestia, quasi bonus animæ faber spiritualia vitia nostra circumdolat secare doctus exigua, sublimia seruare culminibus, rigida mentium spiritus igne mollire, & in varios vsus omne humanum genus diuersa ministeriorum qualitate formare.* Adeò vtilis, & hominibus formandis, & reformandis aptus apparet, ex eo quod dicatur filius fabri. Suspecta erat fabri manus in Dijs gentium, quia vt inutilia, & arida ligna erant diuinitati suæ, cauebant à notis fabris. Accipite D. Isidor. Pelus. lib. 4. epist. 207. sic fantem. *Cùm Ptolomæus Rex artifices collegisset, quia Dianæ statuam fabricarent, opere perfecto, ingentem scrobem fodi iussit, & parato lectulo, occultatoq; dolo, iussit ipsos cœnare. At illi cœnantes in foueam illam delapsi, mortui sunt. Quod ideò fecit Ptolomæus, quòd vellet ex oculis remouere artifices illos, vt ille qui vocabatur Deus, non manu factus videretur.* Sanè, arida ligna hanc aduersus fictam diuinitatem infamiam ex artificibus compararent; verum lignum vitę Iesus, vt lignum viride est, & verus Deus, ad omnesq; hominum indigentias subleuandas vellet efformari, sic artificem, & fabrum Ioseph sibi adhærere voluit, cuius præsentia suas vtilitates publicabat.

*Mat. 17 Theoph. Antioch*

*Isidor. Pelus.*

## §. IV.

### *Ioseph quà pater Iesu, aptam cœlo acquirit infantiam.*

OMnibus à Deo Opt. Max. ea lex imposita fuit. Matth.18. *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum cœlorum* Itaque ad paruuli se formam componere debet quisquis cœlestia regna cupit hæreditare; sed ad cuius paruuli formam gratior erit conuersio? D. Ambros. Psalm. 36. fatur. *Ex illo puero, qui ante quàm sciret vocare patrem, aut matrem, cepit spolia Damasci, sancti vocati sunt pueri.* Itaque pueruli Iesu formam subeat quisquis Regni cœlestis candidâ velit decorari. Quomodo Ioseph cœlo dignam infantiam non ebiberet, qui diuinissimi Iesu puerorum exemplaris extitit pater? Sæpè audiui, imò & vidi à natis puerulis parẽtes puerulos fieri. Quod argumentum tractans Ælianus lib. 12. variar. histor. cap. 15. inter alios præfert Agesilaum Regem cum filio infante ludentem; & vt Poëta dixit, equitare in arundine longa, sic pueruli filij parentes afficiunt, vt pueri etiã fiant, ne miremur, si puerulus Iesus parentem suum Ioseph ad diuinam instituerit pueritiam. Non ne ideo antiquus dierum factus est infans hominis filius, vt veterem Adamum ad pulchrã infantiam reduceret? Sic D. Leo serm. 6. de Natiu. inquit. *Amat Christus infantiam, quæ maiorum dirigit mores, ad quam senûm reducit ætates, & eos ad suum inclinat exemplum, quos ad regnum sublimat æternum.* Et quem senem ad suam reduceret citius infantiam infans Christus, quàm illũ senem, quem solum in terra patrem nominabat? Equidem diuinus Ioseph, ex quo infanti Deo, vt pater filio adhæresces, fatuus erit, qui in te aliquid veteris hominis residere præsumat. Tibi do verba illa, quibus B. Zeno serm. 3. ad Nophytos hominis renouationem insinuat, inquiẽs. *Ipse est; & tamen ipse non est. Vetus quidem videtur domicilium, sed nouus est inquilinus, mutatione morum, natiuitatis suæ nobilitatem varijs virtutibus monstrans.* Felix qui à tanto infante nouit eam infantiam induere, quá & fœteroſos veteris hominis pannos abijciat, & de cœlestis Regni candida coruscet. Quomodo enim Ioseph in virum perfectum, secundum ætatem plenitudinis Christi, exurgeret, si ad eiusdem non conformaretur infantiam? Quomodo noui testamenti arcæ Cherubin alter assisteret, ni de infantuli consortio repuerasceret? Etenim, vt apud Pagnin. testatur Rabbi Dauid Cherubin, dicitur à nominis ethimologia, *quasi puer*, ne quis de Iosephi dubitet resumpta infantia, cùm eum viderit Mariæ, & pueri excubatorem agere, & viriliter vtrisque seruiendis insudare. Quando ait D. Isidor. Pelus. lib 1. epist. 442. *Non fieri potest, nisi ad puritatem, & castitatem repueraſcamus, vt aut mentis perfectionem assequamur, aut ad virum perfectum, & operarium inconfusibilem subuehamur.* Igitur Ioseph de infantia apud Saluatoris cunas resumpta, strenuus operarius, vir omni perfectione decorus fuit consecratus. Et veriori sententia diuinum infantem alloquens, dicere posset, quod D. Synesius epist. 124. amicissimo sibi viro dicit in hæc verba. *Num quando aspectu tuo perfruar, Pater verè germanissime? Num quando sacrum caput tuum amplectar? Num Concilij propter te beati particeps ero? Si ea mihi obtinere contigerit, efficiam profectò, vt iam fabula non sit, quod de Aesone Thessalo dicitur, quem bis puerẽ fuisse Poëtarum carmina prædicant, cùm ex sene repentè esset iuuenis factus.* Etenim si quis se nex iuuenescere potest, is est Ioseph medius Angelorum concilio diuinum infantem manibus tractans, pueriliaque verba cum tanto puero proferens.

Mat. 18.

Aelian.

Leo.

Zeno.

Isid. Pel.

Synes.

## CAPVT IV.

### De Mariæ Iesu matris Conceptione.

CHRISTIFERÆ familiæ, Sole cadente, argentea oriatur Luna, æquum est; & illa Luna, quæ nullum luminis defectũ nouit; sed à primo sui ortus egressu fulgentes claritatis radios vndequaque rotauit. Ea est Maria, cuius in vitam ingressum fulgens originalis iustitiæ radius illuminauit. Igitur de immaculata Conceptione erit nobis cantandum. Ardua res! prouincia dura! Cantarunt mille vsque hodie, & passim quotidie chorus Sanctorum circumfertur, vt eadem cantent. Lassisne assidemus, & superſedebimus à tatis repetito cantu? Imò inde non leue consurgit fundamentum, vt Mariam à Deo summo inhabitatam primo sui ortus egressu dicamus: siquidem nec vnquam deficiunt, nec lassantur cantores, dum eius à peccato munditiem extollunt cantu, sanctius enim de Maria notari possemus, quod Iosephus Iudæus de templo Ierosolymitano confirmat. *Eam nempè apud omnes esse opinionem constantem, adèò tasse* Deum

Iosephus lib. 7.

*Deum ad habitandum recens ſtructum, & dedicatum ſibi locum. Nam neque hymnos cantantibus, neque choreas ducentibus laſſitudo eſt obortа, dum ad templū peruenirent.* Quo non miraberis, ſi conſtans omnium opinio de immaculata Mariæ Conceptione creſcat, & firmetur, cùm nulla neque cantantibus, neque pſallentibus laſsitudo oriatur, dum illam & voce, & ſaltibus geſtimus euulgare. Accipite meum de hoc myſterio cantū, non vt confirmem rem adeò ſtabilitam, & firmatam, me ab hoc labore liberarunt plures è Societate Magiſtri, quorum ſcripta apud omnes valent; ſed vt è cōcionatorio penu aliquid educam ſaltem vendibile novitate.

## §. I.

## *Conceptioni immaculatæ Virginis opinio contraria prudentiſsimè in hoc æuo in concionibus non euulgatur.*

HOC in primis omnibus Concionatoribus ſanctum, & firmum ſit ex Pontificis præſcripto, quod his præſertim temporibus nihil è ſuggeſtu dicant almæ Virginis Cōceptioni contrarium. An putas verum eſſe, Mariam in peccato conceptam? Id inficior. Sed eſto: at veritas minimè ad ſalutem neceſſaria, & modò plurimis damnoſa, nec ſine rixa, & bello apud eruditos, & ineruditos, euulgatur. Sanè D. Gregor. Nazianz. hinc laudat prudentiam Baſilij, eiuſque extollit ſanctitatem, quòd difficillimis temporibus, vbi error de conſubſtantialitate Spiritus ſancti cum diuinitate, ſic populares animos peruaſerat, vt ſine magno duelli ſcandalo nec audire poſſent conſubſtātialitatem. *Ille, ait, propriam, & apertam vocem interim vſurpare differebat, tum ab ipſo ſpiritu, tum ab alijs etiam ipſius propugnatoribus veniam petens, ac rogans, ne hoc ſuo conſilio offenderentur, nec committerent, vt dum vnam voculam mordicus retinere conarentur, propter implexibilem voluntatem omnia perderent, conuulſa nimirum turbulentiſſimo tempore, ac diſtracta pietate.* Et quidem ſanctiſsimus vir acerrimus erat defenſor, & propugnator, & prædicator diuinitatis perſonarum trium, & veritas hęc maximè ad ſalutem neceſſaria; ſed dum clara illius voce decepti homines turbabantur, rixiſque, & duellis pietas Chriſtiana labefactabatur, diſtulit vocis illius prædicationem claram, vt publicæ conſuleret pietati. Vtinam hanc omnes Concionatores mentem ebibant, & piam, & Chriſtianam, quâ cum videant rixas, inimicitias, ſcandala paſsim moueri, vbi quid Conceptioni immaculatæ contrarium prædicatur, differant hanc prædicationem ab Angelico Doctore hanc gratiam præſumentes, nedum mordicus quamcumq; eius voculam retinent, pietatem, & charitatem populare conuellant. Non otioſum erit, ſi hue referam alterius Baſilij Archiep. Seleuc. monitum, qui orat. de Verbi Incarnat. ſic fatur. *Cum ergo ea commoda per Virginem matrem nobis obuenerint, quæ omnem excedūt orationis menſuram, æquum eſt, vt benefactricem noſtram aliqua etiam ratione remuneremus. Eiuſmodi autem munere iſthuc faciendum puto, quod in nos quodammodo redundet, & quodnam illud dixerit quiſpiam? Eſt mutua inter nos charitas, & beneuolentia, quæ eſt legis perfectio, & conſummatio. Ante omnia autem Eccleſiæ corpus indiuiſum conſeruemus, concordiæque ſenſum inuiolatum cuſtodiamus: ſumma autem opus eſt cautione, ne dum rectam fidem ab iniuria vindicare contendimus, in mutuas iuiurias, & inimicitias armemur, adeóque ſub pietatis obtentu, malum aliquod feramus. Ac ne dum fœda, & noxia dogmata acrius perſequimur, ipſi à rectis excidamus. Hoc enim agere aliud nihil eſt, quam incertum lucrum cum graui damno conſectari, i pſamque veritatem in fraudem adducere.* Hæc ille pietate, & religione plena, quorum ſingula maximè ponderanda, & amplexanda ſunt viris, & religioſis, & Chriſtianis, qui videant, quâ cautione opiniones agitare debent, quando & fidei veritates ſic iubentur tractari, vt communitati conſulant, nec officiant charitati, quam a ſingulis B. Virgo muneris loco, & expectat, & accipit.

*Nazian.*

*Baſ. Sel.*

## §. II.

## *Mundities conceptæ Virginis illuſtratur verbis allatis.* Ex qua natus eſt Ieſus.

NON ſolùm æternam; ſed etiam temporalem Verbi generationem extollit Propheta ex munditie vteri, â quo eſt dilapſum. *Generationem eius quis enarrabit, qui abſciſſus eſt de terra viuentium?* Merito id proponitur admirandum in generatione Chriſti, quod inuenerit terram mortali inacceſſam plantæ adeò viuidam, & vitam ſpirantem, vt ab illa originem Deus ipſe traxerit. Lumē his verbis addat Ruper. lib. 2. in Iſai. cap. 19. *Ineſ-*

*Iſai. 53*

*Rupert.*

*fabile quod de carnis generatione hic rectè dictum intelligitur, qui abscissus est de terra viuentium, de terra, inquam, non morientiū, siue non mortuorum morte peccati, quâ omnes in Adam mortui sunt; sed de terra viuentium, id est, de terra virginea per sanctum viuificata spiritum abscissus est.* Hæc ille pulchrè terrenam Adami molem iam peccati morte vitiatam, plenam ossibus, & cadaueribus, patenti sepulchro per similem excluſit, vt virgineam, vitalémque terrā, & omni mortis odore liberatam, componat: ex qua lapis ille pretioſus Dei filius ſine manibus cederetur, & vel eo maximè admirabilis Dei virtus, atque potentia, quod in terra Adam mortale virus ſpirante, nihil niſi originale funus præferente, adhuc de virginea illa felicioris quondam Adami terra diuino flamine inſpirata, & viuificata, viuidam partem inuenerit, qua matrem pararet, vnde naſceretur. Hoc ante Rupert. miratus eſt Nazianz. carmine de
*Nazian.* virgiuit. *Poſt animam Chriſtus ſi ſcepit, & omnia membra corporis, atque Adamum ſubijt; ſed qualis in horto, cùm nondum vitij infectum pectus haberet, nec dulci alloquio diri ſerpentis, & æſtu pellectus, fructum, ſtygiamque in viſcera mortem miſiſſet.* O mira Dei potentia! *Generationem eius quis enarrabit?* In mortis regione ſpirantia vitam viſcera, vt generaretur, inuenit in Adamo deplorato, in hominum barathro ſibi acquiſiuit Adamum felicem iuſtitiam halantem, ſerpentini veneni penitus expertem, qualis in paradiſo ante ſerpētem, ante caſum, ante hominum peſtem floridus, viuus, diuinè aſpiratus, talis ſeruabatur naſcituro Verbo; ſed vbi ſeruatur talis, niſi in Virgine Maria, *de qua natus eſt Ieſus?* Hæc ſola eſt viuida terra, peccati morte, quâ omnes in Adam peccauerunt, inacceſſa, ex qua abſciſſus eſt Filius Dei. Hæc Adam pars, ſed Adam viuentis, qualis in horto ante caſum, qualemque ipſe Chriſtus accepturus venerat. Totum hoc argumentum argutè con
*Irin.* ficit quæſtio illa excitata à D. Irenæo lib. 3. cap. 31. *Quare,* inquit, *non iterū ſumpſit Deus limum; ſed ex Maria operatus eſt plaſmationem fieri?* Poterat ſanè Filius Dei, ſicut naturam Adam ex limo finxit, ſibi etiam fingere ex limo naturam; ſed maluit eam à Maria acquirere, ex cuius carne ſibi corpus plaſmauit. Idque ex eo ſolum ait Irenæus, vt non alia ab Adam plaſmatio fieret; ſed eadem ipſa recapitularetur. Adamum Chriſtus quærebat, Adami carne indui exoptabat; ſed illum Adamū, qualem in horto viuidum ante exhibitam ſtygiam ſerpentis alloquio, hunc que vt acciperet, Mariam venit, in qua ſolùm talis Adam ſeruabatur, vt ex illa Chriſtus naſceretur.

Hinc accipite Tertul. de Reſurrect. carn. ſic *Tertul.* Iſaiæ verba explanantē *Auaūt ab Iſaia, exurge, exurge, Hieruſalem, induere fortitudinē brachij tui, exurge, ſicut in primordio diei, ſcilicet in illa integritate, quæ fuerat ante delictum transgreſſionis. Qui enim in eam Hieruſalem voces huiuſmodi competent, quæ occidit Prophetas, & lapidat ad ſe miſſos, & ipſum poſtremò Dominum ſuum confixit? Sed neque vlli omnino terræ ſalus repromittitur.* Et ſanè vna illa Hieruſalem, in qua, & ex qua natus homo cœleſtis, vna Maria repromiſsione liberationis non indiguit, vt quę primam adhuc iuſtitiæ originalis gratiam potiretur. Hanc vnam Hieruſalē expoſtulat Iaias, & ab hac vna poterat contendere, quod exurgeret ſicut in primordio diei, nimirum in illa integritate, quæ fuerat ante delictum tranſgreſsionis, vt in Maria, qualem ipſe Deus finxerat carnem, inueniret, quam & indueret. Equidem ſola hæc Hieroſolymorum ciuis Maria ſurrexit, ſicut in primordio diei, ſcilicet in illa integritate, quę fuerat ante delictum tranſgreſsionis. Hinc iam addubitari licet, cur Matthæus in recenſendo Virginis genere incipit ab Abrahamo, prorſus Adamo relicto? Papę, Lucas cap. 3. in Mariæ proauis Adamum cū *Luc. 3.* numerat, ſic genealogiam finiens *Qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Cur ergo Matthæus Adamum prætermittit? Equidem Matthæus non ſolius Mariæ; ſed, & Mariæ, & Ioſeph, dum aſſerit genealogiam ab Abrahamo orditur, à quo procedens Maria, cognationem Ioſeph, & fraternitatem admittit, vt in quo generis Abrahæ non reperiebantur vitia. At ab Adamo nullius fratris conſortium patitur Virgo, vt quæ ſola ab Adamo ſine Adami nævis trahit originem. Huc reſpexit D. Athan. ſupra datus cap. 2. patag. 9. in hæc verba. *Deipara Maria ſola ex Adam deriuatur, aut cum* *Athan.* *ſponſo ſuo Ioſeph ex Abrahamo, & Dauide ſtemma ſuum deducit.* Sic ille.

## §. III.

### *Quòd mater Ieſu vocetur ante partum, eadem mundities adſtruitur.*

HÆRE O adhuc eiſdem Euangelij verbis: *De qua natus eſt Ieſus* In quibus, etſi noſco anticipationem frequentiſsimam in ſcriptura; tamen hic ſpeciali Dei habitu factum puto, quòd antequam puerperium inſi nueretur, iam à Maria natus Chriſtus dicatur. Quod acutè expendit Chryſolog. ſerm. 146.

Quomodo

*Quomodo non ante conceptū mater, quæ poſt partum virgo permanſit, aut genitrix quando non, quæ ſæculorum genera uit authorem? Maria mater Dei vocatur, & quando non Maria mater?* Nullo ſanè tempore, nullo momento effœta, & vacua eſſe potuit Ieſu Mater, quando omnes nudi tenebricoſo abyſſo peccati cincti filij conſcribantur perditionis, ipſaque ſemel Deum erat paritura, iam Sole veſtita, iam circumdata viro, iam Mater Dei vocabatur, & quando non Maria mater? Sed præſtat audire Chryſoſt. hom. de interdictio. arb. ad Ad. vbi ponderans Euæ damnum, & Mariæ bonum ſic ait. *Seductio Euæ attulit mortem; conſenſus Mariæ peperit à ſæculo Saluatorem.* Expendo, *Peperit Saluatorem à ſæculo*: non ſolùm florentibus ſuæ ætatis annis, ſæuienti hyemis brumæ hunc communis ſalutis fructum dedit; ſed á ſæculo omni tempore, quo apparere potuit, iam apparuit fœta Saluatore. Addo acumen etiam Bernardi ſerm. 1. de Circunc. vbi explicans verba illa Lucæ: *Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquã in vtero conciperetur.* Eleganter illam nobis quæſtionẽ obiecit, cur nomen Ieſus ab hominibus vocatum eſt poſt ipſius puerperium, ab Angelis quidem eſt vocatum, antequam in vtero conciperetur; quippè, inquit Bernard. *Angeli Saluator, & hominis; ſed hominis ab incarnatione, Angeli ab initio creaturæ.* Innotuit namque in hac Ieſu appellatione differentia ſalutis allatæ hominibus, & Angelis illis tardè, & poſt mille caſus, & ideò Ieſum appellant non niſi poſtquam natum; his citò feſtinantes *ab initio creaturæ* primo ſuæ creationis momento, & ita quid mirum, ſi feſtini inueniantur Ieſum compellantes, antequam in vtero concipere tur. Sic crediderim in Mariæ maternitate feſtinata philoſophandum; cur ante vterum plenum iam Maria Ieſu mater? cur á ſæculo peperit Saluatorem, & non ſolùm quãdo illum in præſepio reclinauit? quia illi præ cæteris Ieſus ſtetit ab initio creaturę, à primo ſuæ inceptionis momento, à ſæculo Saluatorem perit.

*Chryſoſt.*

*Luc. 1.*

*Bernar.*

## §. IV.

### *Quod Mater, ſponſa ſimul nati aſſeritur immaculata.*

EX Maria Virgine Chriſtus natus hoc peculiare inter cæteros infantes habuit, vt voluerit naſci expectato Virginis conſenſu, & beneplacito. Nullus vnquam filius petiuit á matre, vt liceret ab illa generari; imò neque Deus ipſe conſenſum Adami quæſiuit, vt ab eius coſta mulier educeretur, quin potius neſcio illo, & dormiente Euam ædificauit; ſed ex Maria nec carnem aſſumit, nec naſcitur ſine eius conſenſu, & beneplacito. Magnam inde Virginis excellentiam venatur Guillelmus. *Nolebat*, inquiens, *omnipotentem carnem ſumere ex ipſa, non dante ipſa, ſicut ſumpſit ex dormienti Adam, vnde formauit Euam. Ad futuram matris excellentiam, non tantum ex ipſa carnem ſumere; ſed etiam ab ipſa volebat.* Ego hanc excellentiam exiſtimarem, quod ex vtero matris exire volebat, *tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.* Et ſicut ab ſponſa expectauit conſentum. Hoc Chriſti natale ex Virgine ſponſa itium ſubuoluit Epiphan. cum inter cœli miracula hoc enumeratur ab illo. *Thalamus Virginis habens filium Dei, Deum ſponſum Chriſtum.* Et rectè cœleſte prodigium appellatur naſci, & deſponſari matrem, & ſponſam habere: eaque adeſt ſponſa, quæ Prouerb. 5. inſinuatur, *Cerua chariſſima*, cerua, in quam, vt iam inde æternet cum ſerpẽte inimicitias, vt vel ex hoc immunis, & præteruata ab antiqui ſerpentis dente intelligatur. *Vox Domini præparantis ceruos*, occinit Regius Vates Pſalm. 28 cuius vocis conceptum eleganter declarat Ambroſius Pſal. 118. ſerm. 10 *Quæ vox*, inquit, *Dei, niſi faciamus hominem? qui ſunt ſerui iſti, niſi inimici ſerpentibus, qui ſuper aſpidem ambulant, & venena non ſentiunt? Non vile igitur, non corporale arbitror, quod præparauit Dominus* Sic ille. Quod ſi inter faciendum hominem prima in ædificatione Adami Deus ceruam aliquam ſibi chariſsimam præelegit, præparauit contra venenatos ſerpentes, eam dicent omnes cum Ambroſ. fuiſſe Chriſti coniugem, & matrem, quę ante hominem, iam iam minanti ſerpenti inimica præparabatur, vt peſſundatis poſtmodum ceruis à colubro, eius victrix cerua ſteriſſet; vt ſponſa Dei ad paradiſi fundum recuperandum. Non longè diuertit Epiphan. dum ait. *Inuenitur Virgo eſſe cœleſtis ſponſa, & mater, quæ donorum ante nuptialium nomine Spiritum ſanctum accepit, dotis verò gratiæ cœlum vnà cum paradiſo.* Aduerte differentiam dotis, cœlum cum paradiſo; quippè pro cœlo gloriam capio, pro paradiſo iuſtitiã originalem, eamque datam non mulieri, quæ cum ſerpente miſceat colloquia? ſed diuinæ ſponſæ Mariæ, quæ ſit vt cerua præparata ad paradiſi ſerpentes exturbandos. Etenim, vt pulchrè addit Damaſc. Mariam deſignans, *ad hunc paradiſum ſerpens aditum non habebit.*

*Apud Delrium cant. 4. ſect. 2.*

*Epiph.*

*Prou. 5.*

*Pſal. 28. Ambroſ.*

*De laudib. Virgin.*

*Damaſ. orat. 1 de dorm. Deip.*

## §. V.

### *Quòd ipsius nati et filia sit, confirmatur Mariæ puritas originalis.*

CHRISTI Domini proauos expressurus B. Matthæus subticuit Mariæ patres, malens Deum ab imperitis Ioseph filium reputari, quàm terrenos patres illi fœminę attribuere, quam nec suspicio infectæ genealogiæ decebat, vtpotè filiam primogenitã Dei. Sic de diuina genealogia sibi blandienti Alexandro, & interdum furtim Philippum Macedonem patrem compellanti, suggessit Sacerdos apud Plutarchum. *Ne vllo casu mortalem patrem nominaret, qui Ioue summo nobilitabatur.* Sic etiam apud Homerum Hecuba locuta ad sponsum de Hectore ait: *Si meus nunc afforet Hector.* Sibi ex Deo fatum attribuens Hectorem, quamcumque excluſit suspicionem terreni patris, vt notauit Spondanus Iliad. 10. & Delrius nondum noster in Agamemnone. Iure ergo infectæ genealogiæ notam a Virgine Matthæus explodit, nec nominat mortales patres, vt quæ à Deo summo nobilitabatur; iuxta id Eccles. 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita omnium creaturarum.* Quod vt audiuit, percepit Damasc. & de Maria exclamauit: *O Deo digna filia primigenæ matris Euæ correctio!* Astnobis expendendum est: *Ex ore Altissimi prodiui.* Fabulosos Mineruæ ortus ex Iouis cerebro missos facio, verissimum Adami ex Dei flatu ortum reuoco ad examen, de quo illud: *Spirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Ingessit porrò Deus Adami corpori animam, vt volunt communiter Doctores, iustitia, & sanctitate ornatam, spiritu, & halitu diuino, vt præstantissimo suffitu aduersus dæmonem communitam: idque declarauit Scriptura, dicens: *Quod inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Quod acutè percalluit Leontius, vbi examinat verba Ioann. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus. Plenitudinem*, ait, *ipsius vocat inspirationem, quæ fuit in Adam, quam & dedit Apostolis post resurrectionem, nempe Spiritum sanctũ.* Etenim qui fuit inspirans Apostolis Dei sanctitatum plenus halitus in renouatione hominum, datus fuit Adam in prima sui conditione, & illius gratiæ Adami animus sanctus, immaculatus ab ore Dei procedens proponitur, & in eo statu vocatur in originibus, *Neßemha*, quod noster transtulit, *spiraculum vitæ.* Huc ergo spectans sapientia Ecclesiæ, vt Marianum ad corpus aduentum fœlicem, sanctum, impollutum indigitaret, illi attribuit, quod dicat, ego ex ore Altissimi prodiui, alter vitæ spiritus, alter Neßemha.

*Plutar.* *Eccl. 24.* *Damasc. serm. de Nat. Vir.* *Gen. 7.* *Ioan. 1. Leont.*

Vt mea excogitatio hæc lucem accipiat, Dauidem affero cygneo illo cantu, vtpotè vltimò decantato, omnes creaturas inuitantem ad Dei laudes, vbi singulis enumeratis, tandem finit Psalm. *Omnis spiritus laudet Dominum.* Quod egregiè expendens Georg Venet in Arm. cantic. 3 tom. 8 modulo 11. concentu 7. animaduertit, ibi solummodo repeti obsoletum iam verbum, *Neßemha*, dicente Dauid, *Neßemha laudet Dominum* Quippè verbum hoc, vt vidimus, significat spiritum hominis procedentem ab ore Dei sanctum, immaculatum, ideoque in creatione Adami primò positum est; verùm post lapsum fœdato hominum animo tic originalis diluuij cæno, & immunditiâ humanâ omnia erant plena, vt Dei columbinus spiritus non inueniret, vbi requiesceret pes eius, ideóque nomẽ Neßemha penitùs absoleuit, nec vnquam diuinæ paginę accessit, nisi altera solùm vice, cùm in fine Psalmorum euocatur à Dauide Neßemha laudet Dominum. Quid ais, ô Dauid? Vnde tibi in mentem venit obsoletum illud nomen, *Neßemha?* Vides ne aliquam creaturam dignam eo cognomine? Sanè, præuidet sibi filiam nascituram Mariam, quæ aboleti generis stemma, nomẽque restauret, in qua vna sanctissimæ originis conseruetur cum decore suo vocabulum, vt iam inde ab origine sanctum genus mundo appareat Nonne sacerdotale genus Aaronis in nepotibus obscuratum penitùs erat? Qualis erat sacerdotij splendor in Anna, & Caipha? Tamen inter tot degeneres Sacerdotes emicuit Elizabeth Ioannis mater, quam vocat Lucas cap. 2. *de filiabus Aaron.* Id quod expendens Diuus Chrysostomus, ait: *Prætermissis omnibus, eius filia dicitur, cuius in se memoria prætulit sanctitatem, quam tanti generis pia custos glorioßissimè transfudit in filium.* Etenim quia primum sacerdotij decus ad Ioannem transfundendum erat, tanti generis pia custos eligitur mater; sic quia primæuæ sanctitatis in Christo inuenienda erat gloria, mater eius Maria eligitur, quæ sola tanti generis in alijs obsoletum in se splendescens conseruet, & custodiat vocabulum. Huc refero Bedam in cap. 11. Luc. tantem. *Eadem Dei genitrix, & inde quidem beata, quia Verbi incarnandi ministra facta est temporalis; sed inde multò beatior, quia eiusdem semper amandi custos manebat æterna.* Itaque Maria sanctissimi illius primæui generis pia, & æterna

*Venet.* *Luc. 2.* *Chryßol.* *Beda.*

æterna cuſtos, nullum in ſe terrenæ præbuit ſaporem proſapiæ.

## §. VI.

### *Infectæ generationis veſtigium nullum in Maria.*

PRÆCLARE cauit Matthæus, ne quid infectæ generationis Mariæ adſcribere, cuius puntas vel ſolo cenſu generationis obſcuraretur humanæ. Illam crediderim commendatatam ab Apoſtolo, dum ad Heb. cap. 9. fatur. *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum, non manu factum, id eſt, non huius creationis introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuẽta.* Cuius loci commentaria vix longa eſſe ſinit conſtructio ipſa verborum, quæ ponens differentiam inter Chriſtum Pontificem, & tabernaculum, per quod ingreſſus acceſsit ad ſancta, non obſcurè deſignat vterum virginalem, & per quem tranſiuit Chriſtus, tanquam per tabernaculum, tabernaculum, inquam, nouæ, & inauditæ perfectionis, & amplitudinis, ipſis cœlis purius, & capacius: quia quem cœli capere non poterant, ſuo gremio contulit. Quid plura? Tabernaculum non huius creationis, in quo nec odor generationis infectæ inuentus eſt. Placet hæc explicatio Catherino; non diſplicet Riberæ noſtro: ego illam acceptam refero D. Dionyſio Alexand. Epiſcop. in Samo ſatem in ſolution. quæſtion. 7. vbi loquitur. *Non in ſerno habitat Dominus; ſed in ſancto ſuo tabernaculo, non manu facto; id eſt, non huius creationis, quod eſt Deipara.* O verè ampliſsimum Dei tabernaculum Maria, quando quidquid habes diuinæ correſpondit arti, non generationi humanæ, quam prorſus ſuſpectam, & inuiſam habes! Dubitari ſolet, cur Mariæ ſalutandæ præmittitur Angelus? Cur non potiùs Propheta aliquis, vt moris erat? Cur non eligitur venerabilis, & ſanctiſsimus Zacharias Ioannis pater? Sanè offenderetur Mariæ puritas, vel de ſola ſuſpicione cognationis humanæ. Vnde elaganter Diuus Ambroſius ait: *Ne quo degenere deprauaretur affatu, ab Angelo ſalutatur* Degener enim erat Mariæ quicunque non erat Angelus, vt quæ inſtar diuini tabernaculi, non hanc generationem, ſed Angelicam, & omnino ſanctam repræſentabat.

* * *

*Ab Heb. 9.*

*Dionyſ. Alex.*

*Ambr.*

## §. VII.

### *Maria diuinæ generationis æmula.*

ECCE tibi Matthei œconomiam, qui per paternitatis notionem Chriſtiferi generis deduxit proſapiam; ait enim. *Abraham autem genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Iacob, Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius: Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. Dauid autem genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ.* Per illud, *genuit*, nõ tam exprimit paternitatis, quâ de patre ad patrem deſcendens, ſingulorum detegit peccata, nimirum Iudæ inceſtum, Dauidis adulterium. E contrà Lucas cap. 3. ait. *Qui fuit Eli, qui fuit Mathath, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid, qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Per illud, *qui fuit*, notam filiationis prætendit, quâ à filio ad filium aſcendit, etiam ipſum Adamum ſub filij nota exprimens, & in ſingulis oppoſitionem cum peccato declarat: quapropter relicto Salomone adulteræ filio, profert Nathan, à cuius nominis Propheta adulterium fuit caſtigatum. Id notatũ reliquit D. Thom. 3. part. quæſt. 31. art. 3. ad 2. ſatus. *Matthæus à Dauid per Salomonem deſcendit, in cuius matre ille peccauit; Lucas verò ad ipſum Dauid per Nathan aſcendit, per cuius nominis Prophetam Deus peccatum illius expiauit.* Sed age cur id factum eſt? Cur Matthæus per patris notam ſingulos recenſet, & eorum aperit peccata? Et è contra, Lucas de filij notione ipſum etiam exprimit Adamum, in ſingulis notans oppoſitionem cum peccato. Equidem Matthæus Iosephi attexuit lineam generationis, in qua neceſſariò apparet peccati infectio à parentibus communicata. Verùm Lucas, vt author eſt D. Thom. ſuper Cajet. Sot. Suar. Maldonat. Tolet. & alij plures è Societate, Marianæ generationis lineam rectam oſtendit, in qua meritò nullus homo, nec Adamus ipſe exprimitur pater, ſed vno Deo excepto, in reliquis ſola filiationis nota claret, & in ſingulis oppoſitio cum peccato; quippè Maria vnum Deum parentem habens, ab illo deſcendit per callem omnino oppoſitum peccato. Hanc Marianam generationem, vt verbi geniti æmulam, ſic Pſalm. 109. decantat. *Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus Sanctorum ex vtero ante Luciferum genui te.* Ecce genitor loquitur ſuæ proli, quod ipſe ſolus pater eius ſit, quod illam genuerit ad principij, quod eſt verbum,

*Mat. 1.*

*Luc. 3.*

*D. Tho.*

*D. Tho. Caiet. Soto. Suar. Mald. Tolet.*

*Pſal. 109.*

exemplar, quod item eius generationem duxerit in splendoribus Sanctorum, non in tenebris peccatorum; sed in oppositio peccati calle. Huic adstipulatur explicationi D. Ambros. in Psal. 40. sic exprimens verba præfata. *Amb.* *Generationis meæ in te priuilegium recognosco, quem nulla potuit macula inquinare peccati.* Quibus expendo illud generationis meæ priuilegium, an quia genitus Dei filius priuilegio aliquo vtatur? Absit; ipse enim filius naturalis naturaliter, & ex propria sua natura expers omnino est peccati, in luce gignitur, nec alium patrem præter Deum, siue in cœlo, siue in terris habet. Harum perfectionũ priuilegium vni Mariæ fuit communicatum, vt quod filius naturaliter habet, Maria ex eius habeat priuilegio, illius existens generationis æmulatrix, quando vnicum Deum patrem habens pellucido calle, & peccatis oppositio oriatur.

## §. VIII.

### Maria ex se sola suam prædicat munditiem originariam.

SED adhuc mirabor Matthæi silentium, in parentibus recensendis Marianis eius sponsum cum omni sua progenie diligenter demonstrat; at quis fuerit pater, siue homo, siue Angelus, siue Deus, omnino ipse tacet, contentus ipsam solam nobis ob oculos ponere, in qua manifestè patebit eius mundities originaria. Lumen huic excogitationi præstulit D. Ennodius orat. in Deutericium ex pulchro, & eleganti exempto aiens. *Ennod.* *Quoties Amonij flosculos per deprædationem lasciui pollicis radice viduatur, & ad dotem manuum humanarum nobile germen adducitur, meritum cespitis odore significat, & naturæ genium prima visione testatur. Occultari se non patitur fœtura sublimis; decor clari sanguinis non tenetur abscondito, vox mundæ originis, licèt in receſſibus, semper auditur.* Porrò, vile lignum si ab arbore scissum inueniatur, non facilè cognoscitur cuius naturæ sit, necessarium est diligens examen, & inquisitio; at Amonis flos quantumuis à radice separatus statim suæ originis testimonium præsefert. Sic vbi ad Ioseph ventum est, nõ aliter eius nobilitas cognosci poterat, nisi præmisso largo auorum, atauorumq; censu; quippè obscuræ, infectæque erat prosapiæ. Non sic Maria; sed vt Amomi flos, radice vidua â, absq; auis, & parentibus proposita ipsa per se meritum cespitis odore significat, & naturæ genium prima visione testatur. Occultari se non patitur fœtura sublimis; decor clari sanguinis non tenetur abscondito; vox mundæ originis, licèt in receſſu, semper auditur. Virgo iã exemplo primæ mulieris à Deo fabricatæ, quam vt educeret diuinus artifex, Gen. 2. immisit sopo rem in Adam, & inde scindens costam, ex illa mulierem occultò fabricauit. Quid plura? à somno excitatur Adam, & ecce tibi, vt primũ ad se venientem mulierem vidit, ait. *Hoc nunc* *Gen. 2.* *os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Vnde ne, ò Adam, id nouisti? Quis tibi mundissimam, & firmam fœminæ narrauit originem? A quo accepisti Euæ prosapiam? Sane, floridus mulieris aspectus, adnatarum virtutum habitus meritum cespitis odore significat, & naturæ genium primâ visione testatur, vox mundæ originis, licèt in receſsib⁹, semper auditur. Fallor, nisi huc respiciat Catherinus in præsenti fatus. *Caiher.* *Ipse quoque Adamus agnouit eã ex se ipso esse, & idcirco diligendam, quæ ad ipsum veniebat, tanquam suam recognoscens originem.* Is erat in Euę vultu floridus decor, ea modestia, & grauitas, is virgineus pudor, ea ad Adamum accedebat gratia, quæ originis mundæ genium ipsa visione testaretur. Accedit illud Genes. 8. vbi post diluuium columba dimissa ab arca est. *Gen. 8.* *At illa venit ad eum ad vesperam portans ramum oliuæ virentibus folijs.* Quæ hæc viridans oliua? An nata post diluuium? Repugnat D. Ambros. cap. 19 de Noê, imò ex virore oliuæ colligit ortam *Amb.* ex arbore primitiua ante diluuium florida, & in diluuio illæsa, quo posito, sic de Noê fatur. *Vir iustus gauisus est fructum de veteri semine aliquem reseruatum, & inde collegit misericordiæ insigne diuinæ, quod iam diluuium remouisset, quæ fructum demonstraret, cui non potuissent nocere diluuia.* Totũ hoc præseferebant viridantia oliuæ folia, quorum amœnitas solâ visione originẽ testabatur. O tu quisquis vides floridam Mariæ vitam, mirabor, si ignorare possies, quod mundissima sit origine nata. Oliua est enim, quæ diuinæ in ore columbæ se ostendit de veteri iusti Adami semine reseruatam, cui non potuissent nocere diluuia. Hinc percipio acumẽ D. Gregor. Taumat. qui de Mariæ annuntiatione fatus, ait. *Ad Mariam autem Virginem* *Gregor.* *solam sanctam, Gabriel Archangelus solo lu* *Taum.* *mine venit, Aue gratia plena illi denuntiãs.* Cur solo lumine venit? Quia vox mundæ originis, licèt in receſsibus, semper auditur, & mundissimam originem suam singularis Mariæ sanctitas solâ visione testatur. Vnde Angelus non sermonales declamationes; sed solum lumen parat, vt Mariæ puritas cernatur.

§. IX.

## §. IX.

### *In Maria cœleſtis Abrahamidum origo munditiem originalem aſtruit.*

MARIANI generis caput meritò ponitur Abraham, cui dictũ â Deo eſt, Geneſ. 22. *Multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris.* Verè tunc multiplicatum eſt ſemen Abrahæ, ſicut ſtellæ cœli, quando Maria in vtero matris de diuinis Solis radijs ſplẽdens apparuit. Hoc Abrahami ſemen miratus Iſaias. 1. ait. *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, &c.* Sed quod ſemen relictum eſt; an ſemen ſicut arena maris, aut ſicut puluis terræ? Sanè non terrenæ generationis opus erat, vt omnes homines erigeremur à lapſu, cœleſtis, & ſtelliferа quærenda fuit generatio, quâ omnes poſſemus regenerari. Hinc Prouerb 30. dicitur. *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius.* Quaſi prophetans dixiſſet, quod fortis illa mulier, per quam in vitam ſumus regenerati, non ex terrenorum fæce; ſed ab ſcintillanti cœlo eſt expectanda. Accedat horum verborum commentator D. Bernard. homil. 2. ſuper Miſſus eſt, vbi ſic ait. *Si de manu fœminæ pendet noſtra omnium ſalus, & innocentiæ reſtitutio, & de hoſte victoria, fortis omnino neceſſe eſt, vt prouideatur, quæ ad tantum opus poſſit eſſe ido..ea. Sed mulierem fortem quis inueniet:* Subdit prophetando *Procul & de vltimis finibus pretium eius, non vile, non paruum, non mediocre, non de terra; ſed de cœlo, nec de cœlo proximo terris, pretium fortis huius mulieris; ſed à ſummo cœlo egreſſio eius*, nempè ab ſtelliferò, & empyreo cœlo. Ecce tibi quò metienda eſt origo Mariana, non a terra, vbi eſt originalis infectio, nec à cœlis terræ proximis, nimirum ab his qui ſunt ex aqua generati, quales ſunt Planetarũ cœli, qui vt terræ vicini, ſic in creatione ſua primæuam terræ inanitatem, & vacuitatem ſunt imitati, quando incompoſiti, & inornati conditi ſunt, motibuſque contrarijs, & raptus, & trepidationis ſubiectis: non ergo iſtorum inſtar concepta fuit mulier fortis; ſed à ſummo cœlo egreſsio eius, eodem modo, quo ſuperius ſtelliferum cœlum, condita eſt. Pro quo accipite elegans Bedæ argumentum, expendens illud Gen. 1. In principio creauit Deus cœlũ, & terram; etenim ait. *Ipſum eſt cœlum ſuperius, quod ab omni huius mundi volubili ſtatu ſecretum, diuinæ gloriæ præſentia manet ſemper quietum. Non ergo ſuperius illud cœlum inane creatum eſt, & vacuum.* Quid virgineæ conceptioni aptius? Sanè cuncti Sancti cœli ſunt Dei gloriam enarrantes; ſed quia vacui concepti ſunt, ſic mille motibus contrarijs ſubiacent. Nonne cœlum erat ſolare Paulus, dum ait: Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legẽ peccati. Verum Maria non inſtar iſtius cœli terræ proximi; ſed verè ſuperius illud cœlum, ab omni volubili ſtatu ſecretum, diuinæ gloriæ præſentia quietum, in qua, vt loquitur Richard. Vict. lib. 2. de Emanuele, omnis pugna tollitur, & pax plena reperitur. In qua item nulla peccati lex repugnans legi mentis inuenta fuit, vt ſentit vniuerſa Theologorũ Schola, cum D. Thom. 3 part. quæſt. 27. artic. 3. Vnde liceat eum Beda ſic eliere, non ergo ſuperius hoc, & ſtelliferum Marianum cœlum inane creatum eſt, ac vacuum.

Gen. 22. Iſai. 1. Prou. 30 Bernar. Beda. Richar. Vict. D. Tho.

## §. X.

### *Maria libera ab omni peccati etiam originalis ſeruitute.*

INSTO ſtellifero Abrahami ſemini, in quo Marianam à peccati ſeruitute cognoſco libertatem, vbi è cœlis ortam fœminã, ſtellis coronatam, Apoc. 12. vidit D. Bernar. ibi ait. *Quid ergo ſydereum micat in generatione Mariæ? Planè quod ex Regibus orta, quod ex ſemine Abrahæ.* Ea eſt hęc Abrahami filia, quæ non inter puluerulentum, & ſeruile Abrahami genus; ſed inter ſydereum, & cœleſte exorta, ab omni peccati ſeruitute, vt regiam prolem decebat, libera, & immunis exiſtat. Erat in Abrahamo ſeruile peccatorum ſemen deſignatum, erat & gratia ab omni ſeruitute pręueniens figurata; illud puluis, hanc ſtellæ notabant: vnde Maria ſtelliferum ducens genus, pręuentionem gratię, qua nullam ſeruitutem peccati incurreret, vt felicior Abrahamidum habuit. Enim verò Abraham dicitur Geneſ. 15. *Scito prænoſcens, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubijcient eos ſeruituti, & affligent eos quadringentis annis. Tu autem ibis ad patres tuos in pace.* Quę verba expendens Richard. Vict. de differentia ſacrificij Abrahę, & Marię tractans, fatur: *Tu autem*, inquit, *ibis, tu quem præ cæteris*

Apoc 12 Bernar. Gen. 15. Richar. Vict.

*abundantiori gratia præueni, tu quem præ cæteris illuminaui. Tu ibis ad patres tuos in pace, immunis ab omni indignæ, & duræ seruitutis oppressione* Sic quando omnes Abrahamides seruitute premendi erant, vnus Abraham præ cæteris preuenitur ea gratia, quâ regium decus ab omni seruitute immune conseruaret. Quod regale decus Abrahami stellifera proles Maria ita conseruauit, vt cum vniuersi homines ipso conceptionis momento peccati seruituti subiaceant: Maria præ cæteris abundantiori gratia præuenta, prodiderit in pace immunis ab omni indignæ, & duræ seruitutis oppressione. Sic vitæ caput, nimirum conceptio in singulis seruili stemmate obscurum, in Maria de stellifera corona clarum; hoc est, de gratia præueniente illuminatum apparet, vt ab stellis regiæ dignitatis preuentionem, vt felix Abrahamides Maria, notaret. Huc respexit Angelus, quando Virginem salutans, Luc. 1. ait. *Aue Maria* Cuius nominis vim, & significationem ponderans Chrysolog serm. 142. inquit. *Maria Hebræo sermone; Latinè Domina nuncupatur: vocat ergo Angelus Dominam, vt Dominatoris genitricem trepidatio deserat seruitutis, quam nasci, & vocari Dominam, ipsa sui germinis fecit, & impetrauit authoritas* Quippè æquum erat, vt tanta parens, Abrahamidũ gloria, abundantiori præ cæteris præueniretur gratia, qua in pace, ab omni indigna seruitute immunis, prosperè procederet in regnũ.

*Luc. 1.*
*Chrysol.*

## §. VI.

### *Maria Iacob filia originale non vidit naufragium.*

ANTEQVAM à præueniente gratia in stellis notata discedam, me vocat nobilis item stella Iacob, â Vate illo nefario Balaam. Num 22. optimè decantata. Nec crediderim casu factum esse, quod in Mariana prosapia bis Iacobi nomen appareat; sed quia huius parentis pugnæ maiorem lucem dedêre Marianæ victoriæ originali. Igitur de Iacob fratrem in vtero supplantante, ait Genes. 25. *Et collidebatur infans in vtero.* Id quod explicatiùs, teste Hieron. posuit Symmachus, dum legit. *In similitudinem nauis in superficiem ferebatur.* Itaque Iacob quasi nauis nauali prælio insurrexit in patrem, vt Marianam victricem ante omnes fratres præmonstraret. Quæ sola nauis facta institoris à primo suæ conditionis instanti, cœlestia onusta pane huius vitæ Scyllam, & Carybdim superauit, & primogenitum peccati detriumphauit, nauisque semper integra, & incolumis euasit Et quidem ex hoc maximè expendit D. Hieronymus epist. ad Saluinam, differentiam illorum, qui post peccatum salutis portum attingunt, & qui nullius sceleris rei æternam ingrediuntur felicitatem. Ait enim ad primos. *Nec nobis pœnitentiæ subsidia blandiantur, quæ sunt infelicium remedia. Aliud est enim integra nauigare, & salutis mercibus portum salutis intrare; aliud nudum hærere tabulæ, & crebris fluctuum reuersibus ad asperrima saxa collidi.* Ecce vobis graphicè descriptus, qui peccati naufragium fecit, qui non naui, sed tabulæ inhærens, mille fluctus, mille dolores expertus, ægrè, & difficulter appellit; ideoque vniuersa Theologorum Schola pœnitentiam, secundam tabulam post naufragium vocat; secundam, inquam, quia post peccati originalis naufragium, vel Baptismus, vel aliud eius remedium erat tabula prima, qua salui fimus. Felices ergo, qui non tabulæ inhærentes, sed integra neue, & saluis mercibus, portum intrant salutis: at ex semine conceptis, vni Mariæ id felicitatis obtigit, sola hæc quasi nauis institoris, à longè, id est, à primo conceptionis instanti portans cœlestem gratiæ panem, integra, & saluis mercibus æternam felicitatem adipiscitur. Huc spectans Damascenus orat. 1. de dormitione Mariæ ait. *Inuenit Maria gratiæ abyssum, quæ duplicis virginitatis nauem incolumem seruauerat, animamq; non minus, quàm corpus incolumem custodierat* Etenim nunquam naufraga Maria non tabulis hæsit; sed quasi victrix nauis in vitam soluit, inueteratumque hominum cum Deo bellum dissoluit, atque integra, & incolumis ad portum properauit. Quid mirum? Nauis erat Maria, non pomum; sed panem viuum portans. Pulchrè apud Virgil. lib 2 suorum naufragiorum radicem Æneas Didoni præsagiès, emphaticè dixit.

*Hieron.*

*Damasc.*

*Virgil.*

----- *Classemque sub ipsa*
*Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ.*

Sub ipsa, ait, notãter Antandro molimur classem, sub ipsa, inquam, à qua omne malum aduersùs Troianos panditur. Enim verò iuxta Strabonem lib. 13. Antandri nomine significatur illa montis Idæ pars, vbi ob sibi negatum, imò ereptum pomum, irata Iuno in Teucros permansit. Nullum ergo siniſtrius omen Teucrorum nauibus excogitari potuit, quã quôd sub noxialis pomi arbore vela ventis dediſſent. Nec Marianæ nauis felicitas aliunde clariùs affulget, quàm quòd in vitam soluens, nec odorem antiqui pomi, sub quo omnes perclitamur, præsenserit ipsa.

*Strab.*

§. XII.

## §. XII.

### *Maria, vt domus Iacob, prima conceptionis fundamina gratia confirmata requirit*

NEMO non sciuit Iacobeam Virginẽ in domum perpetuò duraturam à Deo Opt. Max. sibi constitui: ait enim Angelus
*Luc.1.* Luc. 1. *Et regnabit in domo Iacob & regni eius non erit finis.* Nec crediderim tantæ do-
*Herm.* mus conditorem latuisse illud ab Hermete dictitatum lib. centum Aphorism. in 13. vbi sic. *Dum Luna erit meridionali descendens in scorpione non incipias fabricare; citò enim huius fabrica diruetur.* Non, inquam, hoc latuit Iacobeæ domus conditorem, qui vt domum virgineam, eiusque gloriam æternaret, sub habitu serpentis illius meridionalis minimè primum fundamentum iecisset, vtpotè qui ædificat sicut vnicornium, venenosi flatus contrarium sanctificium suum. Imò verò, sic studuit diuinus artifex tantæ domus firmitati, vt nec primas illi manus posuerit, nisi priùs ædificato inexpugnabili muro, qui & hostium incursiones arceret, & firma domui ædificandæ præberet fundamina. Accipite diuinum artificem Mariæ constructioni operam dantem,
*Cant.8.* Cant. 8. *Soror nostra parvula est, & vbera non habet. Quid faciemus sorori nostræ?* Et quasi iam iam se ad opus accingeret, ait. *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea.* Quæ verba sic ex Hebræo tinniunt: *Si murus est, ædificemus super eum palatium argenteum.* Quis artifex ad palatium ædificandum, antè primum lapidem iactum, murum requireret? Sanè fundamenti lapides profunda in fossa iaciuntur, non super murum locantur; verùm vbi Iacobea domus, summi Regis palatium ædificatur, non antea primus fundamenti lapis imponitur, quàm supponatur murus, à quo excluduntur incursus omnes maligni. Id quod con-
*Amos.7.* templabatur Amos cap. 7. vbi ait: *Ecce Dominus stans super murum litum, & in manu eius trulla cæmentarij.* Et quidem super murum pinnæ eminere consueuerunt, non cæmentum. At qui Marianam construit domum, super murum trullam habet cæmentarij, iacturus, tantæ domus cæmentum super murum, vt prima eius conceptio, quæ est vitę fundamentum, muro inexpugnabili cincta, & confirmata appareat, vnde hostiles repellat phalanges. Vel si a Septuag. lectione stare malus, pro trulla cæmentarij habet *& in manu eius adamas.* Cuius lapidis natura optimè repræsentat, Mariam à conceptione deuastatricem peccati. Is enim est adamas, qui à primis incunabulis, teste Plinio, nascitur aculeatus, & ideò Hebraicè idem nomen habet, quod tribulus, siue sentes, nempè *Samir*, à radice Samar, quod est sibi cauere, ac si nomen esset, *Caue*, vt Hispanè sentes dicitur, *abrojo*, id est, *abre ojo*, quasi iam tunc vulnus, & interfectionem minetur contrarijs, si cuspidi accedant. Igitur primus domus Iacobeæ lapis adamas est, quia Maria ab ipsa conceptione exilit aculeata, crucémque, mortemq; minitans peccato originali, si accedere audeat. *Plin.*

## §. XIII.

### *Mariæ paupertas, & nuditas iustitiã originalem commendat.*

POST Marianos auos, iam nobis conspicitur Ioseph, vir, siue sponsus Mariæ: Ioseph, inquam, quem pauper penu traxit in artem fabrilem. Proh pauperis sponsi digna sponsa Maria, & ipsa pauperie sua nobilis conseruatrix primæui status, in quo nuditas illustris erat iustitiæ originalis amictus! Huius primæuæ glorię memoriam repetens Iob, bonis omnibus spoliatus sic animos sustulit, ca-
*Iob.* pit. 1. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.* Qualis hic affectus dicentis, *nudus reuertar illuc*? An affectus hominis deplorantis vicem suam? Absit; sed affectus est hominis triumphantis, & gloriam exponentis sui triumphi, quando dicit se ad illam illustrem nuditatem peruenisse, quâ glorioſi erant primæuæ possessores iustitiæ. Ita D. Chrysost ad Olymptadem fatur. *Nudus egressus sum de vtero, & nudus reuertar illuc. Sed cuius tandem vteri meminit? nempè primi illius opificis suæ, quæ è terra coagmentationis, primi parentis opificium imitantis. Nudus è terra diuinò munere conformatus sum, minimè fucatus, nulla re superuacanea oneratus. Ergo nudus quoque reuertar illuc. Quò? nempè ad locum plangore liberum.* Ecce tibi in rerum nuditate consideratur vir iustus primæui illius status glorioſam vicem, quando omnes in Adamo nudo conditi nudi fuimus, quam nuditatem diuino munere sortiti, nullâ re superuacaneâ onerabamur, nullo egebamus amictu, nullo secreto domus. O nuditas, hominum gloria! O nuditas, antiquus latero originalis iustitiæ! Vnum peccatum sequuti sunt amictus, vestium splendor, magnificentia palatiorum, ingentesque diuitiæ: quæ omnia peccati *Chrysost. in Cant. Iob.*

vulnę

vulneribus curandis quæsita sunt, & inuenta. Vnde pulchrè Clemens Alexand. lib. 2. Pedagog. cap. 10. de pretiosa veste dicit: *Nihil habet amplius, quàm alia vestis, nisi solum vituperium.* Quando hominis vituperium est, quod sic affectus sit, vt tantis egeat externis pulchritudinibus ad tegendam infirmitatem suam. Quid plura? Quæ ad peccati vulnera cõ currunt diuitiæ, splendidæ vestes, tecta picta, gloriosa tabulata, regiæ solitudines, prorsus abscedunt à Maria, vt quæ originaria illa nuditate splendens, nullius superuacanei, & externi splendoris erat indiga. Huc respiciebat illud Apocal. 12. nimirum: *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole.* Cum audio Solis amictus in fœmina, meritò dubito, an ibi significetur magis splendens fœminæ nuditas, quàm amictus? Solent Hispano sermone in hospitialia loca vocari, stellarum hospitia, scilicet, *Meson de la estrella*, vbi nullà alia tecta succurrunt, quàm cœli stellis fulgidi. Ad eum modum crediderim in Solis amictu omnimodam nuditatẽ stabiliri, eamque maximè gloriosam, & primæ prorsus æmulatricem. Quâ cœlestis fœmina Maria illum in se muliebrem mundum ostentet, qui in originalis iustitiæ nullius rei indigo splendore consistat. Quò, nisi fallor, spectant illa D. Chrysol. 142. verba, quibus Marianam felicitatem depingens, inquit: *Nec secretũ mundanæ habitationis inquirit, quæ se septam superni splendoris circumspicit velamento.* Quasi dixerit, splendidas attexant vestes, magna palatia ædificent, qui peccati scaturigines, & fœditates velint operire. Verùm Maria de fulgore pristinæ iustitiæ amicta munere diuino, respuit fucos, nec fulgentis vestis, nec domus speciem requirit.

Clem. Alex.

Apoc. 12

Chrysol.

## §. XIV.

### *Pulchritudine Mariana originalis maculæ aufertur suspicio.*

TANTO viro, nimirum Ioseph, quantæ pulchritudinis sponsam præparari existimas? Fortissimo viro Sisara moram in bello faciente, maximus luctus tenebat domũ eius totam; sed tunc Iud. cap 5. dicitur, quod *vna sapientior cæteris vxoribus eius, hæc socrui verba respondit. Forsitam nunc diuidit spolia, & pulcherrima fœminarum eligitur ei.* Sic de pulcherrima sponsa munerat fortem virum sapiens fœmina, vt ex præstantissimo virorum Ioseph liceat incredibilem auspicari Mariæ pulchritudinem, & eam pulchritudinem, quæ originalis sceleris suspicionem extinguat. Nihil ego de Tulliano flumine fatio, cùm huc accedo, facturus quod Hiperides ille apud Plutarcum fecisse narratur. Hic Athenis oratione potens, cùm formosissimam puellam Phrynem frustra defenderet Euthias Orator alter, rupto orationis filio, operte reorum more, puellæ excussit velamen, & quæ latebat pulchritudo conspicua omnem facinoris suspicionem erasit, & innocentiã Phryne iudicibus persuasit. Et quidem vbi facinus euidens non est; sed dubia tantùm serpit illius fama, pulchriori fauet ius Cæsareum, vt docet Bald. & vers. *quæ autem, C. quorum appellationes non recipiuntur.* Blanc. l. final. C. de quæstionibus, Mascard. de probationibus, conclusion. 831. a num. 27. Ecce vobis ò seuerissimi Mariæ iudices, quibus dubito, an satis sit perfecta pulchritudo Mariana, quando eam primi facinoris ream accusatis. Ecce vobis, subducto velamine, pulcherrimæ puellæ scintillat facies, in qua Damas naturæ venustatem, August. formam Dei admiratur. His posterior Magnus Albertus in vna Maria recenset, quidquid floridum, quidquid venustum, quidquid gratiosum habuerunt puellæ, de quarum pulchritudine antiquitas se maximè iactat. Illi aureum Saræ os, nescio quid sub ridens, illi oculorum Liæ teneritudo, Dei pectus emolliens, illi Rachelis splendor, sales Abigail, virtus Iudith fulgidum spirans decorem. Ab hac vna pulchritudinum abysso, omnia decora per vniuersum orbem sparsa dimanarunt, crispante purpureum mare, vndas ab eius crinibus didicit contorquere; ipsius æquor a fronte delineatum est. Supercilia Iridem effigiarunt, lumina ab eius oculis scintillata sunt; à genis florentes rosæ, minium à labris, sub lingua mel, & lac, ebur effluxit è manibus. Altum, & leue collum formam cedris dedit, staturæ eius assimilata est palma. Quid plura? Ignorat Mariæ pulchritudinem, qui eam pomi noxialis furto damnat. Ex quo pro eius immunitate sic argumentum conficio ab impossibilitate coexistentium, quam vulgò Hispani vocant, *la coartada.* Quia ipso momento, quo primi parentes noxialis pomi furto Deum offendebant, ipsum tunc pulchritudo Mariana, & pellicie bat, & recreabat. Nonne illa est Mariæ vox. Cantic. 1. *Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie?* Meridiem vocat, quando primum excurrerit peccatum, de quo Psaltes petebat liberari, nimirum, *ab incursu, & dæmonio meridiano*: vel, vt explicatiùs ex Hieronymo dixit Richardus Cenomanus, *à morsu insidiantis in meridie.* An meridies erat, cùm primi parentes pomum farabantur? Ita Rabanus in cap. 3. Gen. ait. *Aptè Dominus*

Iud. 5.

Bald. Blanc. Mascar.

Cant. 1.

Psal. 90.

Raban.

*Dominus crucē meridiè aſcendit, vt quā horā primus homo lignum præuaricationis tetigerat, ſecundus homo lignum redemptionis aſcenderat.* Sciens ergo Maria Deum deambulaſſe ad auram immediatè poſt hunc meridiem, cupit anxiè ſcire vbi paulò poſt ſtetiſſet; vbi hora illa meridiei erat, qu â à latronibus petebatur, quâ ab Adamo contemnebatur, quò tunc diuertiſſet? Cui ſtatim Deus. *Si te ignoras, ò pulcherrima mulierum.* Quaſi diceret: vt ex tua interrogatione colligo, ò Maria, tuam prorſus incredibilem pulchritudinē ignoras, nondum tuam pulchritudinē vidiſti, quando ab hominibus repulſus, tuę vnius pulchritudinis aſylo me recepi, & ibi me tutatus ſum. Sed præſtat audire Rupertum hęc verba dantem. *O pulcherrima mulierum! O benedicta inter mulieres! cuius pulchritudo benedictio eſt; talis, ac tanta cauſa tua eſt, vt ſi te ipſam non ignores, ſtatim ſcias illud, quod quæris: fides, & humilitas tota pulchritudo tua, & hic eſt locus requiei meæ.* Hæc Rupert. quibus nemo Mariam illius pomi meridionali furto iam obſtringet; quandoquidem cum furtum illud agebatur, Maria pulchritudine ſuâ Deum ad ſe trahebat, & Deum ſecum alligabat.

Cant. 1.

Rupert.

## §. XV.

### *Maria in Conceptionis munditie à peccato, verbo Dei ſimilis.*

SPONSO Mariæ ſuccedit modò eiuſdem filius, nimirum Ieſus, optimus maternæ indemnitatis aſſertor. Etenim vbi Filium Dei virgineis viſceribus innatum Iacobus vidit epiſt. can. cap. 1. ait: *Suſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras.* Quæ verba non Dei loquela, ſed de perſonali Verbo, nimirum Filio Dei, virginea è carne veſtito, exponunt D. Anſelm. ſerm. de Transfigur. Beda, & D. Thom. in præſenti. Quibus ego, vt aſſentum præbui, ſic ſtatim notaui illud, *inſitum verbum*, quod iuxta præclara inſitionis leges maximum negotium faceſsit Virgini in gratia conceptę. Quippè Columella lib. de re ruſtica. 5. cap 14. loquens de plantis, quæ alijs inſeri fructuotè valent, dicit. *Si verò etiam ſimilem fructum affert, & eodem tempore ſine ſcrupulo egregiè ingeritur.* Expende ſimilem fructum, & eodem tempore; non enim apta eſt inſitioni arbor, quæ vacua eſt fructu quo tempore ramus, qui ingeritur, fructibus impletur. Quapropter vbi Dei verbum inſitum eſt virgineis viſceribus, ne tantæ detrahamus inſitioni, fateri debemus, gratiæ fructum eiſdem temporibus reperiri in Maria, quibus in inſito verbo, & ſicut verbum nullo tempore vacat à fructu, ſic Mariam fatemur nullo tempore vacuam; ſed omni tempore gratia plenam eſſe. Non enim fas eſt putare, quod verbum inſitum ſit à radice degener; imò potiùs & radix, nempè Maria, & verbum Dei, quod inſeritur, ſimiles ſunt, & in natura fructus, & tempore. Hanc verbi, & Mariæ ſimilitudinem attigit Iſaias cap. 16. in hæc verba: *Emitte Domine agnum dominatorem terræ de petra deſerti.* Cur de petra deſerti? Sanè Paulus ad Corint de Chriſto loquens, ait: *Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra; petra autem erat Chriſtus.* Vbi ergo Chriſtus petra erat, & mater eius, à qua oriretur, debebat eſſe petra, vt ſic inter radicem, & ramum nihil degeneris notæ inueniretur. Id docuit Guarrius Abb. ſerm. 2. in Annunt. fatus. *Si ergo petra Chriſtus, vt ait Apoſtolus, non degenerat à matre filius, quando & ipſa petræ nomine cenſetur. An non rectè vocatur petra, quæ & in amorem integritatis propoſito firma, affectu ſolida, ſenſu quoque ipſo aduerſus illecebram peccati tota inſenſibilis erat, & lapidea?* Quibus pondero, non ſolùm quod dicatur petra Maria aduerſus peccati illecebras, ſed multo magis, quod ideò talis petra ſit, ne ab illa degeneret filius, ſed prorſus in lapideo rigore aduerſus peccatum, ſint quaſi eiuſdem generis mater, & filius. At qui de Dei Filio loquens textus Prouerb. 3. ait iuxta lectionem Septuag. *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitùs ignoro. Viam Aquilæ in cælo, viam colubri ſuper petram.* Facilè enim coluber terræ, ſui veſtigia imprimit, at in petra fruſtra tentat veſtigia relinquere. Id quod notans D. Ambroſ. lib. de Salom. cap. 2. ait. *Sic & ipſe diabolus in ipſis natalibus mundi inuenit corruptibilem terram Adam, & Euā, libenter audientem, quæ eis locutus eſt, fecit in auribus ſemitam, fecit & in pedibus, fecit & in manibus, à quibus contrectata ſunt poma. Venit denique ad petram, quæ eſt Chriſtus, ſed Chriſtus diaboli verba contempſit, ideò ſerpens in petra veſtigium non fecit.* Equidem Adamus, quâ terrâ ſerpentis impreſſionem accepit, vere petra Chriſtus, qui vt ideò à matre non degenerat, ſic mater, & filius petra, & petra primæui ſerpentis veſtigia minimè recepērunt.

Iacob. c. 1

Anſelm. Beda. D. Tho.

Colum.

Iſai. 17.

1. ad Corint. 10.

Guar.

Prou. 30.

Ambr.

§. XVI.

## §. XVI.

### *Maria redemptioni adiutrix in conceptione Redemptori similis.*

PRÆCLARE D. Iacobus, ex eo quod Verbum insitum sit virgineis visceribus, concludit, quod saluare potest animas; hoc est, quod iam à mortis caligine regenerauit nos in vitam. Cur non regenerauit nos Christus, quando compar illius, & adiutorium simile sibi est Maria? Notanter dixi Mariam in regenerandis hominibus adiutorium fuisse cœlesti Adamo simile, adeò, vt dicat D. Irinæus lib. 3. cap 33. *Virgo obaudiens, & sibi, & vniuerso generi humano causa facta est salutis.* Quòd si aliquo modo causa, siue instrumentum fuit regenerationis, sanè & simillima in ipsa sui conceptione Redemptori debet existere. Hinc est, quod toties diua Virgo vocetur à compare suo Columba; ait enim Cantic. 2. *Surge, propera amica mea, columba mea*: & aliàs passim. Cur columba? vt ostenderet originale decus, quo Maria concepta ab eadem gratiæ vulua cum Christo, ei ex tunc similis existeret, vt renatorum examina ab illis sint, qui cœlos impleant. Etenim fidē habeo Columellæ, lib. 8. de re rustica, cap. 8. vbi sic de matrimonio columbarum edisserit. *Curandum est, si fieri potest, vt puelli quemadmodum exclusi sunt, nūquam separentur; nam ferè, si sic maritatæ sunt, plures educunt fœtus, sin aliter, certè nec alieni generis coniungantur, minus enim impares suas amant, nec sæpius fœtant.* Quando ergo Maria à compare suo vocatur columba, id innuitur, nimirum quod quasi eodem gratiæ enixu excluſa sit cum Christo, quòd nunquam separata fuerit à tanto compare; sed simul concepta in prædestinationis gratia, incredibilem renatorum numerum cum illo eduxerit. Huc respicit oblatio illa mystica à Maria, pro se, & pro puero Iesu in templo oblata, obtulit enim partururum, aut duos puellos columbarum. Lucæ. 2. de quo meritò dubitat Richard. Victorinus de differentia sacrificij Abrahæ, & Mariæ, dicens. *Illud in ijs videtur inquisitione dignum, cùm magis elegerit offerre duos puellos columbarum, quam duos puellos turturum.* Sanè offerebatur hoc sacrificium pro Matre, & Filio, in quibus nullum vnquam fuerat peccatum, inter quos nulla dissimilitudo, nulla separatio; sed vt columbæ puelli simul excluſi sunt, hoc est, similiter in gratia concepti fuerunt, similiter adoleuērē vsque in spirituale, castissimúmque coniugiū, quo maritati largo renatorum examine cœlestia fœcundarunt. Non longè abfuit Euthimius dicens: *Iussit lex, vt darent duos puellos columbarum propter pueri fœcūditatem.* Ecce tibi in puellis columbinis pueri Iesu fœcunditas declaratur, quā cum compare sua Maria similiter concepta, similiter nata, simul adulta plura renatorum in Ecclesia partuuit examina.

*Irin.* *Cant. 2.* *Colum.* *Luc. 2.* *Richard. Victor.* *Euthim.*

## §. XVII.

### *Maria omni serpentis veneno immunis, salutem hominibus attulit.*

QVI fieri potest, vt Maria ab antiquo serpente infecta esset, quando ab illa natus est Iesus; hoc est, quando ab illa salus, & antidotus mundi originem traxit? Etenim D. Bernard. serm. de laudibus Mariæ, de illa ingenuè fatetur. *Salutis antidotum, & viris, & mulieribus propinauit.* Imò, vt explicatiùs Arator loquitur lib. 1. in Acta: *Hæc secunda fœmina restituit, quæ prima tulit.* Ex quo perspicua est eius sanctitas originalis, quando Galen. comment. 46. dicit: *Vt pristinum temperamentum corporis euocetur, & restituatur, ea est applicanda medicina, quæ illi omnino similis sit.* Itaque non fieri posset, vt Maria inflicto à peccato vulneri medicaretur, nec pristinum integræ naturæ statum restitueret, nisi omni contagio ab ipsis originibus careret, primæuis parentibus perfectè similis existens. Namque Delrius noster, Disquis. Mag. lib. 1. cap. 5. quæstion. 4. conclusion. 2. à medicamentis arcet aurum Chimicum, quantumuis elaboratum, ac perfectè decoctum videatur; quia nunquam, ait, à noxis qualitatibus, ab igne carbonario, & venenato hydrargyro contractis, carere censendum. Id quod à D. Thom. 2. 2. quæst. 77. artic. 2. ad 1. videtur mutuasse, vbi aurum Chimicum infectum, & insalubre censet. Ast omni hydrargyro venenatius, & igne carbonario pestilentius peccatum originale: non ergo ex hac fornace medicina hominum potuisset sperari. Vnde elegātissimè Cellensis Abb. lib. de panibus, cap. 21. de Maria sic fatetur. *Oportuit hunc prius clibanum, non vili stemmate, neq; more consuetudinario fabricari; quasi in plenitudine temporis panis, qui dat vitā mundo, de cœlo descendens congruū inueniret locum, vbi posset opportunè carnem assumendo decoqui.* An

*Galen.* *D. Tho.* *Cellens.*

non officiunt potioni, siue medicamento nouæ qualitates fornacis? An salubris succus erit ex radice venenata? A page; imò hæc Ieſſæa radix Maria, vt salutiferi floris radix, adeò sana est ab originibus, vt nulli rei magis contrarietur, & opponatur, quàm peccato originali: de quo vide plura cap. 8. parag. 5.

## §. VIII.

### *Maria à consilijs Iesu cum esset, hæreditarium peccatum non habuit.*

*Cant. 2.* VOX erat illa, quâ Iesus Mariam vocabat. Cantic. 2. *Surge, propera amica mea, columba mea.* Cur amica mea à Iesu vocatur? Pulchrè Guillelmus apud Delrium fatur. *Amica cui iam pridem æternum meum consilium de reparatione generis humani credidi* Prima illa fœmina tenebrarum Principi à consilijs fuit, de qua loquens Nyssenus homil. de natiu. Christi ait. *Consilium serpentis amplexa est, atque secuta est.* Felix Maria adeo aliena extitit ab illo serpentis virulento consilio, vt tota posita sit in illo labefactando, & in consilio reparatoris promouendo, ex quo eius ab hæreditario peccati stemmate excluso permanet manifesta. Huic exclusioni adstipulantur Cæsareæ, & Pontificiæ sanctiones, quæ vniuersim fœminas à feudorum hæreditate excludunt. C. mulier, tit. de noua forma fidelit. C. 1. tit. de forma fidelit. Cuius exclusionis ea in primis ratio est, quia feudatarij eo ipso à Principum consilijs sunt, & quale consilium fœminæ Principi dare possunt? Hanc rationem meminit Bald. l. quoties, quę est vltima, colum. 3. versic. *Et dic quod mulier regulariter*, C. de suis, & legit. Cardin. Alex. artic. antep. in 9. fol. tit. qui feuda dare possunt, Socin. conf. 257. Idem repetit Bald. cap. significauit, colum. 1. extra de reſcriptis, in hæc verba. *Ratio naturalis consentit, vt fœminæ regulariter in feudis non succedant: quia animi consilium non reperitur apud fœminas.* Feudum sanè est, & durissimum seruitium Principi tenebrarum exhibitum, peccatum illud, quod in conceptione hęreditamus, quo tanto tyranno omnes homines mancipia initiamur. Nos in hanc feudatoriam hæreditatem fœmina induxit, serpentis consilijs inseruiens. Verùm Maria, licèt qua feudatarij filia, feudi hæres erat habenda; tamè quia nullum apud illam reperitur serpentinum consilium, imò vt istud extinguat, prælecta est redemptori à consilijs, si Baldi verbis vti volumus, & ratio naturalis, & vniuersa lex illam ab hæreditario feudo excludit. Id quod innuebat Dominus, verba illa resonando, nimirum: *Propterea amica mea, columba mea.* Amica, vt à Iesu consilijs; columba, vt serpentini consilij labefactatrix. Quibus consentit D. Irenæus lib. 5. capit. 19. fatus. *Serpentis astutia deuicta est in columbæ simplicitate.* Ecce totum serpentis consilium ruit, vbi Mariana Columba in consilijs Saluatori copulatur. Vnde nihil inuenire est serpentinum in Maria, quæ Dei amica est, & columba est omnibus modis serpenti contraria. Quam contrarietatem ostendit Tertul lib. aduers. Valent. aiens. *Christum columba demonstrare solita est, serpens tentare; illa à primordio diuinæ imaginis prædo* Proh serpentis astum! quàm maturauit homines populari, venenique nimbos, laqueos, & scutum, arcúmque, & bellum pluere in genus humanum! Ast non segnior Columba immaculata Maria; sed ab ipso primordio, eo ipso ore, quo Protoplastus hausit pallidum discordiæ fructum, ipsa viridantia misericordiæ folia prætendens, pacem, serpente occiso demonstraui. Vt meritò dicat Cardin. Petrus Damian. serm. de Annuntiat. *Cùm fecerit Deus omnia sua opera valde bona, hoc melius fecit, consecrans in ea sibi reconciliatorium aureum, in quo post tumultus Angelorum, & hominum se inclinaret, & requiem inueniret.* Cur requiem non inueniret, cur adeò amica, & serpentinis ausibus contraria?

*Guillel.* *Nissen.* *Bald.* *Cardin.* *Alex.* *Socin.* *Irin.* *Tertul.* *Damian.*

## §. XIX.

### *Iesus parentem suam peccato originali obnoxiam, ab eo præseruauit.*

EO Christi Domini victoria deducta est, vt iam non scandescat Propheta, quòd alligato forti, vasa eius auferat Dominus; verùm id maximè stupet, quòd nouerit Dominus prædam à fortis manu indemnem liberare. Sic ex Hebræo apud Delrium. 1. tom. Adag 776. Isaias percunctatur, cap. 49. *Nũ quia tolletur à forti præda, eo quod ablatum fuerit à robusto, saluabitur?* Vbi duo sibi obijcit difficilia Primum, an eripienda sit præda Secundum, an hæc ereptio & sit, & vocari possit saluatio? Quæ duo à Theologis in Beatæ Virginis ab originali præseruatione, & difficilia inuenta, & largis commentarijs explicata sunt. Quid fortius peccato originali? Huius effugit lethales ictus nemo. Quæ propior

*Isa. 49.*

illius

illius præda, quàm Adami filia? Ergo Maria filia Adami tolletur â forti; hoc eſt, originalis peccati fortitudini eripietur: & poſito, quod indemnis eripiatur, in hoc ſaluabitur? debebit ne hanc præproperam liberationem Saluatori? Iam reſpondet idem Vates. *Equidem & captiuitas à forti tolletur, & quod ablatum fuerit à robuſto, ſaluabitur.* Quid explicatius? Tolletur in primis hæc nobilis præda à forti; quippè omnipotens ſermo tuus, Domine, tanquam durus debellator, in mediam ſui gloriæ terram proſiliuit, & à forti ſuſtulit captiuitatem; hoc eſt, obnoxiam peccato Virginem præripuit peccato. Vbi lego illud, *à forti*, memini propoſitionem illam, qua Samſon ingens facinus ſuum voluit æternare, fatus Iudic. 14. *A forti egreſſa eſt dulcedo.* Etenim cũ Samſon medius inter patrem, & matrem iter faceret verſus Thammatam Philiſtinorum ciuitatem, iuuenili ardore correptus, dimiſſis à tergo parentibus, aliquanto præcucurrit, quo ſit obuius Leoni per eandem aduenienti viam. Quid tunc adoleſcens? declinaſſet à via? At procedens Leo eadem ſemita offendiſſet neceſſariò Samſonis matrem, quam laceraſſet. Id præcauens nobilis adoleſcens intrepidus aduolat, feram aggreditur, & inter brachia ſtrangulat, ſtrangulati cadauer proijcit extra viam, vt nec ſuſpicio facinoris perueniret ad patres: idque occultauit tacens, donec ex ore Leonis fauo paſtus, trophæum robori ſuo erexit, verbis allatis, *à forti egreſſa eſt dulcedo.* Quibus integrum clauſit facinus, nimirum quod fortiſſimo beſtiarum deuicto, ſemitam liberam reliquerit matri, quà vel ſine mali occurſus ſuſpicione, mater pertranſijt. Sed age, non glorioſum erat adoleſcenti, matrẽ à Leonis occurſu liberaſſe? Cur ergo tanta id diligentia occultarit. Pulchrè D. Auguſt. D. Aug. ait: *Intelligamus grandia hîc latere myſteria. Samſon, fratres dilectiſſimi, Chriſtum ſignificabat.* Et quidem eo maximè, quod matri in via occurſurum Leonem interfecit. Etenim Chriſtus Dominus vnà cum matre ſua, viam humanæ naturæ ab Abraham, & alijs deſcendebat; illac aduenienti Leoni originalis labis obuius factus eſt, matrem præcedens Leoni occurrit, illúmque extra viam facit, aditumq; vſquè tunc ſanguine hominum fœdatũ, ſuæ matri expeditum, & munditie plenum reliquit. Et qui alia ſua facinora maxima euulgauit, hanc matris à Leone liberationem ſic occultauit, vt ſolùm per ænigmata de illa verba faceret. Quod ſibi facinus expoſtulabat à Patre, vt credo, diuinus Samſon; Pſalm 21. fatus. Pſal. 21 *Erue Domine, à framea animam meam, & à manu canis vnicam meam.* Carnem ſuam ferro petitam, reſurrectionis gloria poſtulat radiare, dum ait: erue à framea animam meã; verùm vnicam ſuam, nimirum vnicè dilectam parentem a manu canis eripi contendit. Cuius canis â manu? Occurrit Cerberus Parcarum comes, & aſſiduus lateio, á cuius grauiolente halitu conſpurcata humani fila deducuntur ſtaminis. Porrò hic canis, quo nihil peccato originali ſimilius, ſicut omnium hominum, ita Deiparæ primò inſidiabatur ſtamini, eius tamen erectæ manui ad prædam erepta eſt Maria immaculata. Cæteri omnes non prius ab originali liberamur, quàm rabido eius ore demorſi. Ideoque, vt acutè notat Niſſenus tractat. 2. in Pſalm. Niſſen. *Quam rabie perciti habent medicinam in aquis, habemus & nos in Baptiſmi lauacro.* Vnica inter omnes Maria non ori canis, ſed manui erepta eſt; equidem ſolet venaticus canis inuentam prædam manu erecta indigitare venatori, â quo percuſſam ore trahit: ſic peſtifer hic canis, dum humanus embrio intra vterum eſt, ipſe aſtat erectâ manu punctum conceptionis ſpectans, vt prædam capiat. Verùm his in anguſtijs poſitam Mariam ante vulnus inflictum, ante rabidos canis dentes Dei verbum liberauit â manu canis vnicam ſuam. Quò acutè reſpexit Cardin. Petrus Damian. ſerm. de Annuntiat. fatus, *A Deo electam, & præelectam, totam rapuit ſibi Spiritus ſanctus.* Cur Spiritus ſanctus rapuit? Equidem ſub manu canis poſitam, & vulneri oppoſitam, illam â manu canis liberam rapuit. Dam.

Hanc illuſtrat rapinam, illud Dauidis cantatiſsimum facinus; enimuerò Amalecitæ Siceleg oppidum aggreſſi ſunt, & multa diuites præda aggreſſi, inter alia pulcherrimas Dauidis ſponſas ad ſeruitutem ſeruabant. Sed dum media in via menſis, poculi ſecuri vacant, ecce tibi fortiſsimus Dauid pro ſponſis aſtat, Amalecitas perdit, immunẽque ſponſas ante ſeruitutem recuperauit. Quam feſtinatiſsimam ſponſarum recuperationem mirati Dauidis commilitones, ſic eiuſdem extollebant facinus. *Hæc eſt præda Dauid.* 1. Reg. 30. Quaſi dicant, ait Cartuſian. *Tam præclaram prædam decuit ipſum Dauid, diuinâ virtute acquirere.* Raptâ Helenâ, Graij inſurgunt in Troiam, quam nec anni domuêre decem, nec prælia mille, & poſt mille prælia, tandem infamem thalamo fœminam recuperant. Direptis muris, Virgo Hieruſalem Babylonem ſeruitura aſportatur, vbi ærumnis confecta, & ſenio, vix redijt in patriam. Aſt ſub manu hoſtili ſponſam, eamq; pulcherrimam captam, & ante labem, ante fœditam ſeruitutis, ante terræ alienæ conſpectum eripi, munditie donari. *Hæc eſt præda Dauid.* Quid ni?

hæc

hæc præda decet diuiniſsimum Dauidis filium, qui & matrem, & ſponſam Mariam, ante labem, ab hoſtili præripuit manu.

## §. XX.

### *Ieſus præclariſsimum Saluatorẽ egit, dum matrem à lapſu originali præſeruauit.*

*Iſai.49.* ADHVC inſtant Iſaię verba prolata: *An quod ablatum fuerit à robuſto, ſaluabitur?* Ideò Filius Dei Saluator dicitur, quia erexit lapſos: quæ lapſa non fuit, dicetur Saluatoris opus? Imò nullum opus Saluatori pulchrius, nullũ glorioſius, quàm quod ita proſpiceret ſaluti matris, vt nec ad lapidem offenderet pedem ſuum. Multi egregij Duces vocari conſueuerunt á populo Iſrachtico Saluatores, qui, vt ait Rupert. de Vict. verb. Dei, lib. 4 cap. 6. *Saluatori æterno, cuius erant vi*
*Rupert.* *carij, ſimilem prætulerunt in geſtis ſuis pulchritudinem.* Expendo quod non dicantur prætuliſſe imaginem, ſed pulchritudinem, quaſi in eis, quod pulcherrimum erat Saluatori fuerit prænotatum. Accipite modò inclitum Ducem Sangarem, Iud. cap. 3. de quo
*Iud.3.* ibi: *Ipſe quoque defendit Iſrael.* In originibus aptius ad mentem noſtram. *Ipſe quoque ſaluauit Iſrael.* Aſt Sangar non captiuũ obtinuit populum, quomodo ergo dicitur quod ſaluauit. Pulchrè D. Auguſt quæſt. 25. & no-
*Auguſt.* dum poſuit, & ſolutionem, fatus. *Quomodo dictus ſit ſaluaſſe Iſrael, poteſt eſſe quæſtio? non enim rurſus fuerant captiuati, nec iugo ſeruitutis inhæſerant? Intelligendum ita dictũ, ſaluauit, non quia nocuerit aliquis hoſtis, ſed ne permitteretur nocere: quem credendum eſt bello cœpiſſe tentare, & huius victoria fuiſſe depulſum.* Quid illuſtrius? ecce vobis pulcherrimum Saluatorem, qui hoſtilibus, turmis incurrentibus ſeſe oppoſuit, illoſque vomere fugauit, & ſaluum reliquit populum, antequam eſſet captiuus, vt vel ſic pulcherrimæ ſalutis Marianæ præferret imaginem, quando primis eius vitæ ſtaminibus deductis in vtero Annæ, iam ibi fugaturi hoſtem cernebantur diuini Saluatoris commeatus. Etenim Cant. 7
*Cant.7.* dicitur *Comæ capitis tui purpura Regis iuncta canalibus.* Quibus duo notata inuenio ex originibus, vbi loco illius verbi, *Comæ*, eſt hoc verbũ, *Dalath*, cuius ſignificatio eſt paupertas, ſiue tenuitas; quaſi dicendum foret: *Paupertas capitis tui purpura.* Quæ eſt capitis paupertas purpuraſcens in Maria? Noui Philoſophos non ignobiles, inter quos Antæonem, & Lactantium, qui primum formationis humanæ initium ducant à cerebro, in quo vitæ animalis fontem Medici conſtituũt. Quis non pauper in ſuæ formationis initio? Ibi iam nuditas primæua apparet, & hæreditas miſera à primis parentibus in nos dilapſa. Sed qui pauper eſt nobis vitæ introitus, in Maria purpuraſcit, regaléſque á ſanguine Saluatoris ortas prætendit gazas. Ait enim D. Ambroſ. in Pſal. 118. ſer. 17. *Sanguis Chriſti pur-* *Ambroſ.*
*pura eſt, quæ inficit Sanctorum animas.* Sanctorum inficit animas poſt conceptionem in lauacris canalibus; at Mariæ animam in ipſa conceptione veſtit, & illuſtrat Saluatoris ſanguis. Id amplius oſtẽdit altera vox originalis, vbi enim dicitur *purpura Regis*, legitur in o- *Alphab.*
riginibus, *Argaman*, de qua voce agens Author ille, qui Alphabetum Salomonis aptauit Mariæ, docet illam componi ex quatuor nominibus ſpirituum illorum, qui apud Ezechielem, bellicum, & triumphantem currum Saluatoris vectabant. Ex quo patet in prima Mariæ efformatione, quam iam effulgebant veſtigia Saluatoris, vbi quadrigę illius nomina cernebantur: nec vllo iure celebrior, & illuſtrior Saluatoris triumphus, quàm in hac præcellenti ſalute matris.

Rem conficit benedictio illa Iacob ad Iu- *Gen. 49.*
dam, Gen. 49. *Ad prædam fili mi aſcendiſti.* Quibus verbis pulcherrimam Saluatoris prædationem, eiuſq; ad mundum aduentum expreſſum putant Hilar. Ambr. Auguſt. Theod. *Hilar.*
Orig. Gennad. Cur ergo dicitur Chriſtus, ad *Ambr.*
prędam aſcendiſti? Nonne ſatius diceretur, ad *Auguſt.*
prædam deſcendiſti? Equidem Nazianz. Sal- *Theod.*
uatoris vſque ad piſcatorum pedes deſcenſum *Orig.*
miratus, ait. *Propter humi depreſſam animã* *Nazian.*
*ſe dejcit, vt peccati molẽ deorſum vergentem ſecum attollat, vt prædam humani generis potiretur, ſe inclinauit.* Quid eſt ergo, quod dicit, ad prędam aſcendiſti? Sanè deſcendit Saluator, & ſe exinaniuit, & humiliauit, vt de pulueulenta natura hominis prædam faceret: at de Mariana præda ante lapſum in immenſum extollitur, & gloriatur. Quod ſi ex vocib⁹ originalibus, & ex vulgata totum locum compãgines, id ipſum ſonat apud Delrium noſtrum, nimirum, *A præda aſcendiſti ad prædam*, quaſi inter duas prædas conſtitutus, ab vna, ad quam ſe deiecit, exurgat ad alteram, eà exaltandus.

Argutiùs adhuc Symmachus refert locum, *Symm.*
nimirum, *A venatione aſcendiſti ad venationem.* Solent equidem duo venationis genera in primis commendari: alterum, quo alites humi cubantes, ſemimbúſque inhærentes, pereuntimus; alterum & longè præſtantius, quo volantes libero cœlo aucupamur. Ecce tibi au-

ceps domo, illuceſcente die egreſſus, per terras ſeminibus graues columbis inſidiatur, & quando columbæ eſcis inhiantes per ſulcos ſepeliuntur aratri; tunc ille, demiſſo corpore, ſummo ſilentio, ære fulgurat, & diues præda, & gaudens, iam non ſpectat deſcendentes in terram columbas, ſed erecto collo extollit etiam arma, & medio cœlo percutit volantes, qui ſummus eſt in venatione gradus. Sic etiã diuiniſsimus auceps Chriſtus à præda aſcendit ad prædam, à venatione ad venationem; dumque funeſta peccati ales mentibus incũbat humanis, cœleſtiaque ſemina depaſcit, humilis, & abiectus Chriſtus dextera fulgurat de peccato, deſcendens vſque ad inferiores partes terræ, vt prædam capiat. Interea maiora petens, vt brachij ſui potentiam, & dexteritatem commendet, dum peſtifera peccati originalis ales, nigricantibus pennis, fœtido ore, verſus terram illam virgineam cœleſti inſeminãdam grano aduolaret, ſtat ocior diuinus Auceps, & ſublato ære nigram auem exſufflat, antequam terram virgineam fœdaret.

## §. XXI.

### *Generalis lex non officit Mariuæ puritati originali.*

HIC quia leges generales obijci video aduerſus puritatem Mariæ originalem, ex legis peritis notabo aliqua, quibus conſtet quanto iure eximenda ſit Maria á lege generali; ſtat in primis illud tritum aſſertum, nimirum, *Statuta odioſa ſtrictè interpretanda, tanquam naturam accuſantia.* Quod deſumptum eſt à l. maximũ vitium, C. de liberis præter. & à l. 12. tabularum, C de legitimis hæredibus. Nec inuenitur lex, aut ſtatutum, quod maius ingerat odium, quod maiorem maculę notam inurat naturæ, quàm lex illa duriſsima in omnes Adæ filios ſtatuta, de tranſmiſsione peccati. Heu quæ peperit damna legis huius ignari Philoſophi acriter in naturam inuehebant, illi attribuentes nouercalem furorẽ, & inſaniam. Noſque ſacra imbuti doctrina, cum inteſtinum animi, & corporis bellum experimur, cum ęgritudinum ſuſtinemus exercitum, cum ab omni bono exilium ſentimus, in authores tam duræ legis inardeſcim⁹, vt vel hinc iuſtè á Procopio dicatur Eua, imò & fœmineus ſexus execrationi addictus. Nõ ergo lex adeo odioſa, & naturæ humanæ, & fœmineo ſexui infenſa, tam ſtrictè, & rigoroſæ intelligenda eſt, vt non patiatur exemptionem in Maria, per quam, vt ait D. Ildephonſ. ſer. 1. de Aſſumpt. *Omnis maledictio ſoluta eſt primorum parentum, & cœleſtis benedictio in toto venit mundo.* *Ildeph.*

Præterquam quod docet Gometius in §. item Seruiana, inſtitut. de actionib. & obligat. *Obligatione generali nunquam comprehẽdi res, per quas conſulitur publicæ vtilitati.* Quod tenet, quamuis verba obligationis ſint vniuerſalia, & rigoroſa, vt tradunt Ruin. Pirr. Anton. Gabr. communiũ opinion. lib. 6. concluſ. 12. nu. 7. Is ergo Marianam conceptionẽ debiti generalis obligatione obſtringet, qui neſciuerit, quod iuxta Andream Cretenſ. ſola Maria deſeruit opifici vniuerſæ naturæ, quod iuxta Damaſcen. in vitam prodijt, vt orbis vniuerſi ſaluti adminiſtram ſe præberet. Quid magis neceſſarium communi vtilitati, quàm Maria? Quid magis exemptum ab obligatione generali? *Gom.*

Rurſus, vt quis excludatur à quacunq; obligatione, ſufficit, quod veriſimile ſit, eum non comprehenſum eſſe à faciente obligationem. l. obligatione, ff de pignoribus, cui ſubſcribit l. 5. inter eas, quas vocant noſtri, *De la Partida*, tit. 13. part. 5. vbi ſic. *A penas obligando vno todos ſus bienes, coſas, y hazienda, ſeñalando que no ſerian por ende obligadas.* Et ſtatim inter alia exempta á generali obligatione, hæc recenſet. *Los criados, ô ſieruos, ó ſieruas que tuuiere ſeñaladamente para ſeruirle, ò guardarle, o criarle ſus hijos.* Hinc D. Ildeph. ſer. 1. de Nat ſingularem Mariæ creationem auguratur, dum ait. *Lacta Maria creatorem tuum, lacta pretium mundi, lacta eũ qui te fecit.* Ecce oſtendit Mariam nutricem opificis ſui, vt vel hinc pateat, quãm facta fuerit exempta ab obligatione generali. *Ildeph.*

## *CAPVT V.*

### De Mariæ Virginis Natiuitate.

AVſpicatiſsimum Mariæ natalitium September colit, quando ſterilis Annę terra dedit fructum ſuum, vnde vniuerſus mundus ditaretur. Tunc primùm mũdus peccato naufragus vidit aream, in qua cæleſte aſſeruatum ſemen vacuas Angelorum ſedes impleret. Tunc noua apparuit Paradiſus, cuius viſceribus tranſplantatus cœleſtis Adamus, exſibilato ſerpente, vitales fructus porrigere generi humano. Tunc promiſsionis terra diues apparuit, & Moyſes viſus eſt montem aſcendere, & emori; quandoquidem à tantæ terræ conſpectu Ieſus facinora incipiunt clareſcere, & radiare.

Ex

*Ex Matt. 1.* Iacob genuit Ioseph virum Mariæ.

## §. I.

### *Mariæ Natiuitas rerum profuit vniuersitati.*

QVOD Euangelistæ de parentibus B. Virginis contiçuerunt, alij & sapiẽtia, & antiquitate notissimi viri, nobis euulgarũt. Hi sunt Nicephorus, Epiphanius, Damascenus, Andreas Hierosolymitanus, Germanus Constantinop. Gregor. Nissen. Simeon Metaph. citati à Suarez tom. 2. in 3. part. disput. 2 sect. 1. Qui omnes Ioachimi, & Annæ coniugium prædicant, nobilitate regium, vtpotè ex Regia Tribu à Dauid originem trahens, fortunæ bonis peramplum, vt decebat honestum coniugum nobilium statum: sterilitate marcidum, obscurum, & abiectum: sanctitate adeo floridum, vt precibus assiduis sibi filiam Mariam, vniuersitati rerum Reginam, hominibus remedium præsentissimum, Deo pulcherrimam parturirent marrem. Igitur sterilis Annæ vterus fœcundatus est, & Maria clarissimo parenti Ioachimo orta est filia octauo Septembris die.

*Suar.*

Nec silendum puto, quod viuidũ hoc Dei Opt. Max. tabernaculum, seu templum ex Salomonis substãtia coalitum, dedicatum item sit in mense Ethanim, qui est September. Etenim ideo mensis hic dicitur Ethanim, nimirũ fortiũ, siue fortitudinum, quia in illo, vt cum Hebræis docet Pagninus, fortissima mundi sunt iacta fundamina. Verùm illo mundi initio, quæ fundaminum fortitudo esse potuit, vbi quam ipse Dominus ædificauit, mulier corruit, & omnia secum ad nihilum traxit? Nihil sanè firmum, nihil decorum esse potuit, vbi omnia lababãt de primo hominum casu, nec apparebat adhuc Deiparæ Mariæ felix natalis. Quippè Elias. 3. Reg. 18. puerum misit, vt specularetur, an cœlo sereno vel minimum nubis vestigium appareret, qui omnia contemplatus, & ruminatus, ait. *Non est quicquam.* Quibus verbis pulchrè adstupet Ioannes Hierosol. l. b. de instit. Monach. cap. 32. rerum omnium vacuitatem, & inanitatem, vbi virgineæ nubeculæ Marię non apparebat natalis. Ait enim. *Cum ascendisset puer, & speculatus esset, ait, non est quicquam, quia nubecula illa, scilicet Maria, non fuit à puero visa nasci in illa ætate prima mundi; ideò puer dicit, non est quicquam* Et merirò, vbi enim Maria non adest, omnia in nihilum vergunt, omnia sordent, omnia malis mille subiacent. Accipe illud Gen. 2. de primo homine dictum, nimirũ: *Non est bonum hominẽ esse solum.* Itaq; etiam formosissimus, & felicissimus creaturarum Adamus malis hærebat. Id quod notat D. Ambros. in hæc verba. *Quãdo solus factus est Adam, non dictum est bonum esse, factum Adam: quando autem & mulier facta est, dictum est: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erãt valde bona. Gen. 1.* Quomodo mulier, quę peccatum seminauit, vniuersa decorat, vniuersa facit de bonitate radiare? Non equidem alia id præstitit, quàm Deipara. Sic ipse Ambr. fatur. *Etsi mulier prior peccatura erat, tamen redemptionẽ sibi paritura* Itaque ex eo, quod inter creaturas apparuit fœmina Deo grauidanda, ex eo quod appa uit Deiparę vestigium, omnia impleuit, omnia fecit pulchrescere, & nouis pulchritudinibus radiare. Iure inde mensis September, mensis Ethanim prædicandus, quando tantæ Virginis natali, terrenorum fundamenta bonorum instauran tur. Sic D Anselm. de excel. Virg. c. 10. *Cũcta quæ Deus bona, & vtiliter fecit, in eo statu quo condita sunt, esse destiterunt, & per hanc B. Virginem in statum pristinum reuocata sunt, & restituta.* Cui consonat illud Sergij Hieros. dicentis. *Maria nascitur, & vnâ cũ ipsa mũdus renascitur, & Ecclesia suo ipsius decore circundatur, atque ornatur.* Iam ergo recognoscere potest Pagninus cum Hebræis, Septembris fortitudines non ab initio mũdi, sed á Maria nata aduenire mundo renascenti, & renouato.

*Gen. 2.*

*Ambr.*

*Anselm.*

*3. Reg. 18*

*Ioann. Hieros.*

## §. II.

### *Mariæ Natiuitas pœnitentiam peccatoribus commendat.*

ALII, quibus hæc Pagnini explicatio de Septembris fortitudine non placet, vocem originalem, *Ethanim*, in malum accipiunt, pro squalore, ac asperitate, vt dicant, *Mensem asperitatum.* His ego libentiùs annuo, cùm videam Septembri mense, collectis frugibus, cœlum obduci nubibus, terram madere aquis, vt statim ardore depulso, semina in sinu telluris putrescant, vt fructus maneãt. O pulchrum squalorem! O asperitatem omni mollitie meliùs suauiantem! Haud dissimilem squalorem, & asperitatem Marianus commendat natalis nobis, vel ipso inspecto nomine Mariæ: quod iuxta celebriorem etymologiam, guttulam, siue stillam maris sonans, lacrymarum imbres insinuat, quibus verbum animis insitum, & crescat, & fructum pariat. Etenim Virgo hæc nascens in mense asperita-

tum, & ſqualoris, *noſtræ nouæ Religionis*,
*Ignat.* inquit Ignatius, *& pœnitentiæ eſt magiſtra.* Vtinam hæc didiciſſent, qui nimis fidi Mariano fauore, á lacrymis, & corporis maceratione abſtinent. Heu quàm feliciter ſi Nemo ita ſibi noceat, vt ex guttula maris cadente non ſibi, & lacrymas, & gemitus, & aſperrimam vitam addiſcat. Audite D. Patianum in Paræ-
*Patian.* neſi de pœnitentia. *Dauid*, inquit, *iacuit in cinere ſordente, ſacco inſuper horrente deformis, cui Maria, cui ſyluæ, cui flumina ſeruiebant, madidus lacrymis conſumpſit oculos illos, quibus gloriam Dei viderat, & infelicem ſe, miſerumq; confeſſus pater Mariæ.* Hæc ille & pulchrè, & emphaticè dixit. Porro quò expendo illud, *pater Mariæ.* Etenim ſi quis peccator à lacrymis, & ſqualore erat arcendus, is eſſet, qui Mariæ pater erat, adeò ſtrictè miſericordię matri coniunctus; verùm nec aliter veniam ſpectauit, quàm lacrymis, quàm carnis maceratione, quàm gemibundus etiam ipſe pater Mariæ: nec illa, quæ patrem lacrymis, & ſqualore duxit ad vitam, alìò peccatores ducet, in hoc maximè filij hominis perfecta imitatrix exiſtens. Eliæ gaudens, & feſtiuus dicebat ſeruus. 3. Reg. 18 *Ecce nubecula*
*3.Reg 18* *parua, quaſi veſtigium hominis aſcendebat*
*Ioan.* *de mari.* A qua Marianum ortum odoratus
*Hieroſ.* Ioannes Hieroſol. *Ecce*, inquit. *nubecula parua, quaſi veſtigium hominis aſcendebat Quia Maria in hoc ſuo ſpirituali aſcenſu, non fœminam, quam imitaretur; ſed hominem habuit exemplum.* Ecce tibi fœminam in paradiſo deliciantem, viri gulæ inſeruientem, fallacis immortalitatis regnum ab eſca, & potu venantem. Ecce hominem, nimirum Adamũ ſub Dei iudicio trementẽ, qui (vt ait Irenæus)
*Iren.* *ſeductus occaſione immortalitatis, ſtatim timore corripitur; timor autem Domini initiũ intelligentiæ, intellectus transgreſſionis fecit pœnitentiam, quam per ſuccinctorium folijs ficus pungentibus contextum oſtendit.* Igitur Maria non fœminam ſequuta, ſed hominem, quaſi nubecula ex mari naſcens pœnitentiæ, & lacrymarum nimbos proponit peccatoribus, vt in exultatione vitæ fructus metant. Sic, inquam, imitatur hominem primum, ſic item imitatur ſecundum hominem Chriſtũ, cuius regnum non eſca, & potus, nec otio torpentibus, ſed laborantibus, eſurientibus, & plorantibus offertur. Nec aliter à Maria ſperet peccator, niſi tranaturus amariſſimum portum pœnitentiæ.

Quando & pœnitentiæ labores, etiam puriſſimam, & virgineam Mariæ terram, mille fructibus valerent honeſtatem decorare. Innocentiſsimus, pijſsimus adoleſcens innocua membra aſperiſsimis pœnitentiæ ſtimulis agitabat, quo in labore conſumptus vitam obijt. De illo B. Ennodius lib. 2. epiſt. 4. ſic fatur. *Iunxit ad vitam perpetuam melioris ſæculi* *Ennod.*
*quod in iſta ſeruauit pœnitentiam, quam egiſſe loqueris. Si in ipſo non inueniret quod dilueret, inuenerat quod ornaret. Quæ quoties innocentibus datur, coronam pro humilitatis affectione conciliat.* Proh ingens pœnitentiæ exterioris laus! quæ etiam in candidiſsima Mariæ vita, non nævos imprimit, ſed candores addit, vt nullus ſit, qui poſsit à pœnitentiæ gemitibus excuſari.

## §. III.

### *Mariæ natæ acclamationes, exterioreſque reuerentiæ plauſus cedit Deus, cuius laus in ſilentio.*

ACCEDIT tandem Vatalus, à quo vērò ſimiliter exiſtimatur September menſis Ethanim, hoc eſt, fortitudinum, dictus ob feſtiuitates in illo celeberrimas. Vbi feſtum tubarum ex Leuit. 23 & tabernaculorũ. 34. quæ omnia hanc vnam virginei natalitij feſtiuitatem tinniebant. Etenim Deus Optimus Maximus ſuam ex ſilentio expectans laudem, quidquid exterioris reuerentiæ conclamationis, & plauſus eſt, vni matri dicauit. Hæc mihi injecit cogitationem ſanctus Laurentius Iuſtinianus ſerm. de Chriſti natiuitate, dum ait. *Ad præſepe perge, vbi matrem cum* *Laurēt.*
*filio, & filium genitricis vbera ſugentem in-* *Iuſtin.*
*uenies. Vtrumque poſtulabis, Mariam voce, infantem affectu; tè namque ore tacentem, vociferantem corde puerulus exaudiet Ieſus* Expendo illud, *Mariam voce, infantem affectu*, quaſi voluerit ſanctus vir inter matrem & filium diuiſum eſſe Chriſtianorum obſequium, vt in voce, & tuba Marianæ extollantur virtutes, & Dei gloria prædicetur ſilẽtio. Cui occinuit fœmina illa prudẽs apud Lucam, dum laudatura Deum extollens vocem, *Beatus*, inquit, *venter, qui te portauit, & ve-* *Luc.11*
*bera quæ ſuxiſti.* Sic de D Laurentij Iuſt. ſententia Mariam voce, & Chriſtum exornabat affectu. Excellens huius rei indicium patet in Zachar. c. 4. *Et educet lapidem primarium,* *Zach.4.*
*& exæquarit gratiam gratiæ eius.* Quem locum, etſi videam à patribus Chriſto attributũ eſſe, non alienũ iudico Dei genitrici Mariæ, cui eleganter illum adaptauit Rab. Hecados apud Gal. de arc. lib. 6. cap. 2. vbi inquit: *Hæc eſt petra primaria, ex qua Meſſias futurus eſt.* Et fauet ſacra Pagina, dum parentes

petræ

petræ comparat, â qua filij, Sic Isai. 51. *Attendite ad petram, vnde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis: attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, &c.* Educet igitur, inquit Zachar. lapidem primarium, nimirum Mariam matrem: educet, in quam, istum lapidem, & exæquauit, sic noster. Verùm in originibus non exæquare verbum, sed clamor nomen impositum est, vt dicat, *Adducet lapidem primarium cum clamoribus.* Etenim quidquid canorum, quidquid vocale, & festiuum apparet, in laudem Mariç matris venit decantandum.

## §. III.

### *Matthæi locus explicatur.*

SED age, ad Matthæum veniamus, qui missos faciens sacros Mariæ patres, illius sponsum meminit Ioseph, vt vel coniuge pateret, qu âtribu, quóve loco â primo Israelitarum parente Abraham distaret; quippè Mariam suæ matris primogenitam, & vnigenitam propinquiori sibi in matrimonium tradi tam esse, auctor est Chrysostomus, Anselm. Theophyl. Euthym. & alij: imò ipse Matthæus rem vulgò notam, & euidentem supponens, genus, & proauos Ioseph Mariæ communes inuestigauit: dûmque Iosephum Abraham idem recenset, similiter Mariam inter vltimos Dauidis, & Abrahami posteros enumerauit.

Vacat igitur modò in dubium reuocare illud Eccles. 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* Quæ verba Virgini apponit Ecclesia sancta. Aut si primogenita ante omnem creaturam, cur minima inter vltimos posteros recẽsetur Abraham? Item si post Isaac, Iacob, Dauid, Zorobabel, & reliquos èst Maria, cur primogenita ante omnem creaturam nominatur? Et quidem vtrumque habet, si binas eius scias Natiuitates vtrasque nobis maximè necessarias. Altera Natiuitas temporalis, quâ à vulua matris processit in lucem, quam Matthæus fuit speculatus; altera æterna in diuina electione, & decretis Dei, indéque ab ore dicitur processisse, & ibi ante omnem creaturam primogenita stetit.

*Eccl. 24.*

## §. V.

### *Maria primogenita, quod prima omnium potiretur mammilla patris.*

AVdiui Iunonem se apud Ouidium in immensum gloriantem,

*Si genus aspicitur, Saturnum prima parentẽ Feci, Saturni sors ego prima fui.* Ouid.

Quid magnum hoc? vbi nostra Angelorũ, Deorúmque Regina, omnium creaturarum prima Deum Optimum Maximum fecit parentem. *Stupendum*, ait Epiphanius, *miraculum in cœlis mulieris filius, qui ipsius, & sæculorum pater est.* Etenim prima ipsa Deũ Patrem fecit, post ipsam, & sæcula. Accedit Eusebius Emissen. homil. 1. de Natiuitate Domini, aiens: *Exulta mater salutis humanæ. Ecce Domini mei vniuerso mundo promissum prima suscipere mereris aduentũ.* Quid tum! aliud sanè est longè diuersum, quo Maria prima acceperit brachijs filium Dei: aliud, quod ipsa ante omnes steterit primogenita? Sed accipite in Emisseni verborum gratiam, pulchram ab Herodoto narrationem, in Erato, & Mamertino, in Panegyrico, ad Maximianum. Aristodemus Lacedæmoniorũ Rex ex Regina vxore sibi duos filios gemellos acquisiuit. At Vafra vxor lætissima natalitia tur bauit, nolens Regi indicare, vter filiorum esset primò natus. Tunc Rex Senatu coacto, in re ancipite, & adeò dubia, vbi primogenitus Regni ignorabatur, quid sibi faciendum inquirit, & ecce tibi concilium auditur mirabile. Constituat Rex, inquiunt Senatores, hominem, qui Reginæ tanquam aliud facturus astet, obseruetque diligenter, vter primus ad osculà, ad næuias, ad mammillas adhibeatur. Is enim naturâ indice primogenitus designatur. Quid plura? Deus, cuius nomen Tadai, nimirum Deus mammeus, verbum suum quod vocatur, & est, apud Clem. Alexand. mammilla patris, vniuersisque protulit creatusis exugendum, cunctorum mentes hoc lacte, nectare rigauit. Hincque maximè inter omnes creaturas primogenitas Maria deprehenditur, quod, vt ait Emissenus, *Verbi vniuerso mundo promissum prima suscipere meruit aduentum.* Prima ad patris mammillam euocatur, prima verbali illo lacte rigatur, quod luculentiùs adhuc ingessit Damascenus oratione prima de dormitione Deiparæ, in hæc verba: *Pater prædestinauit Mariã, spiritus prærigauit, & filius*

*Epiph.*

*Emiss.*

*Herodo.*

*1. Pædagog. c. 6.*

*Damasc.*

*filius demum in ea commoratus est.* Expendo illud, *spiritus prærigauit, & filius in ea commoratus est.* Quasi Mariam specularetur vir sanctus, ante omnes creaturas, accipi ad pectus mammillam, & verbali, nectaréque filij lacte rigari. Etenim obumbratio spiritus Mariæ in conceptu aduenientis, quædam quasi compressio fuit paternæ mammillæ, vt terra Mariana prima Deo rigaretur. Hinc Epiphanius stupens supplausit: *Exercitus Angelorum, qui sunt scabellum pedum Christi procedentes, nec videre possunt, nec contingere; hæc verò labra labris coniungens, incomprehensum salutabat.* Nec dum Angelis licebat oculos in Deum conijcere; sed his dimissis, & opertis alarum velo, præsentis maiestatis fulgorem stupebant, & iam Maria paternæ mammillæ labris, labra infigens, mille dulcedinum exugebat Maria, & se primogenitam inter omnia creata demonstrabat, quod is non credat, qui nescierit hanc primò â Maria susci pi mammillam patris, eiusque verbali totam madere lacte.

*Epipha.*

Et siquidem verum est, quòd Maria prima Domini suscipere meruit aduentum, nil mirum, quod ante homines, quod ante cœlum, quod ante omnes Angelos primogeniorum ornetur benedictione, & principatuum; vix Deus cælum, terramque condiderat, quando terrenæ miserans auiditatis, *Germinet*, inquit, *terra herbam*, & statim flores addidit, fructusque con germinauit: quibus diues, & pulchra tellus exornabatur, & adhuc cœli fordent sine stellis, adhuc sine Sole frigent. Cur ita? cur terrena ante cælestia condecorantur? Anast. Sinait. lib. 4 in Genes. *Ante Deus ornauit terram, quàm cœlum, tanquam si terra ante cœlum ditata sit Christi mysterio, & aduentu. Propterea ante cœlum ornatur, quoniam ante Angelos terra, & terra geniti homines Deum per carnem vidimus, & ante cœlestia exornans ille hæc inferiora, ea lætificauit, & illuminauit ante Cherubim, & Seraphim, magi, & publicani, & latrones, & meretrices, & peccatores facie ad faciem Deum viderunt, eósque oblectarunt, & fruiti sunt. Deinde eum sic transmiserunt videndum supernis virtutibus.* Hæc ille, & pulchrè, ne amplius liceat dubitare, Marianum in omnibus primatum. Etenim vbi prima Deo plena gaudet, prima Christum susci pit incarnatum, vagientem audit, pectus adhibet, labra figet, & osculatur prima etiam ante homines, ante cœlum, ante rerum omnium vniuersitatem creaturarum primogenijs floret condecorata.

*Gen. 1.*

## §. VI.

### *Primogenium Marianum à veste speciali venamur.*

SED libet huius primogenitæ gloriam in vestitu venerari: Etenim Genes. 27. non aliter Rebeca suum Iacob ad primogenium induxit subripiendum, quam adhibitis Esau vestibus: hinc que Glossa, Hieron. Lyra, Comestor, & alij colligunt, primogeniorum esse particulares quasquam vestes, easque pretiosas, cui assonat Tiraquellus, cum magna iuris prudentum hominum phalange, in præfation. de iure primogeniorum. Imò addit, vestem hanc dici in quibusdam codicibus *spiritualem, quam in sacrificijs tantum inuocebant.* Igitur Maria ante creaturas vniuersas nascitur primogenita, vestitu speciali, & spirituali præfulgens decorata: cuncti homines vix nati fœdam incurrimus nuditatem, haud dissimilem illi, quam post lapsum incurrerũt Protoplasti. *Sed tu, ô Virgo,* inquit Rupertus, *nuditatem labis non incurristi.* Etenim, vt doctè & piè meminit Cartusianus, ea ipsa gratia quæ Virginem in vtero sanctificauit, simul illi stetit, quasi ignis *illuminans, & exornans, & penitus non admittens fontem concupiscentiæ. Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietate,* addit Psaltes. 44. Expendo illud, *ab intus*, vel aliter, *ab intimis terræ visceribus*, quasi à visceribus matris exclusa concupiscentiarum nuditate præfulgeat Virgo, miris aulæis ditata, peplisque indura aureis. Audite D. Gregor. Pontificem in 1 6. in 1. Reg cap 15. *In vestitu aureo virginitas prædicatur, sed omnis gloria intus, & in fimbrijs aureis, & varietate circumamicta asseritur, vt innumeris virtutibus adiuncta integritas vsque in finem deduci sentiatur.* O quàm pulchra candidatâ veste nascitur Maria, eâ puritate decora venit, quâ mille intexta virtutibus fulgores iaculantibus aureos, nunquam nudabitur. Cui libenter aptabo Ambrosij verba, quibus Magdalenam Christo appropinquantem commendat. Ea dat ille lib. de Isaac cap. 5. nimirum. *Suscipe igitur Iesu Euã iam non ficulneæ foliis adopertam, sed sancto amictã Spiritu & nouâ gratiá gloriosam, quia iã non tanquam nudata absconditur; sed tanquam circũdata vestimenti splendore fulgenti occurrit, quin vestit eam gratiã.* Verũ esto, quod Marianus amictus in natiuitate hominũ cæterorum

*Rupert. Cart. lib. 5. exert.*

*Gregor.*

*Ambr.*

rorum prodat nuditatem; quid in his ſpeciale Mariæ, quod non veniat Angelis ſub eodem puritatis amictu natis.

Pergo tamen, & Marianæ puritatis fulgorem ſuper Angelos radiare contemplabitur, qui eius virgineum candorem diuinæ prolis fœcunditate viderit purpuraſcere. *Athan.* *Nunc adeſt*, inquit Athanaſ. *Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumamicta, & variegata, eo quod ſecundum ſexum fœmineum Regina, & Domina, & Mater Dei appelletur.* Perpendite quæſo nouam, inauditamque texturam aulæi virginalis diteſcentis regio auro, & minio purpuraſcentis matris. *Hieron.* *Ante hoc*, addit Hieronim. *vterus Virginis, licèt mundus, tamen adhuc vtilitate humilitatis induitur, lana quidē candidiſſima, ſed ſuo colore dealbata, ad quam cum acceſſiſſet Spiritus ſanctus, vt lana infecta conchylio vertitur in purpuram, verſa eſt & ipſa in matrem Dei.* Hunc nouum, & nulli vnquam creaturarum conceſſum veſtitū miratus eſt Ioannes Apo- *Apoc. 12* cal. 12. cum mulierē Sole amictam ſtupet, mulierem, inquam, quæ ſub amictu Solis, nimirum ſub honore matris, gaudeat vigore virginitatis, de quo pulchrè Bernard. *Bernar.* *Non mulieris, ait, potentiæ eſt, vt ſuſtineat Solis amictus, ſed neque Angelicæ quidem, ſublimior quædam neceſſaria eſt.* Crediderim ſolius Dei eſſe poteſtatis cupientis Virginis primogenium tanta veſte extollere ſupra omnium rerum vniuerſitatem.

## §. VII.

### *Maria filia primogenita Deum belligerantem facit.*

NEC præterea illud, quod ſingulare eſt omnibus primogenitis; nempè paternam fortitudinem excitare, ſic Iacob faſſus *Gen. 49.* eſt. *Rubem primogenitus meus, tu fortitudo mea.* Acuitur ſanè cuique irascibilis ob filios tutandos, & promouendos Sic cecinit fulgētiſsimus Theologus Nazianzenus ad Nico- *Naziā.* bolum.

*Vnde etiam mater furibundas concipit iras*
*Ob vitulos, auis ob pullos, canis obq; catellos*
*Aſpera bella gerit.*

Quàm timidi, quàm pauidi effœti omnes! *Gen. 15.* Abrahamo timenti ſibi ab hoſtibus apparuit Deus, & ait: *Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum.* Quaſi dicat: Eia age, aude in hoſtes, ne timeas, conſere manus, rixare. Ad hæc Abraham: *Domine Deus quid dabis mihi? Ego vadam ſine liberis.* Grauis rixa, durum bellum, vbi non ſupereſt, & gloriæ, & ſpoliorum hæres. At vbi filius adeſt, quid homines non audent? vel gallina exurgit in certamen. Quis igitur Deum maximum mundi machinæ conditorem, Paradiſi ſatorem, conuertit in Mauortem? quis ſpiritum lenitatis ad iras traxit? Vnde, qui ad auras poſt meridiem ambulabat, profilitin arenam, claſsicum cecinit, ſe Dominum exercituum compellauit, ob quam rem vexillum erexit, Duces, eóſque foruſsimos creauit, milites recenſuit. Mariæ natalis vnica militantis Dei cauſa, hæc illum belligerantem fecit Huc ſpectat Rupert. omnium exercituum Iſraelis, omnis militis cauſam referens in Mariam, ſic fando. *Rupert.* *Idcirco tempus belli tunc erat, vt defenſaretur genus Abrahæ, vt defenſaretur radix Ieſſe, donec tu Virgo naſcereris lectulus veri Salomonis, laborabat Diabolus per ſatellites ſuos, & miniſtros Reges Babylonios, Reges Perſios, ſiue Medos, Reges Aegyptios, ſiue Aſſyrios; laborabat, inquam, Diabolus, ne eſſet vnde naſceretur hæc Beata Virgo.* Quapropter vbi Deus hanc ſibi filiam prælegit, ô quàm exarſit aduerſus hoſtium Phalanges, quos tibi conquiſiuit Duces, Abrahamides, Dauides, Gedeones, Samſones, Zorobabelos, Machabæos, vt inter omnes Dominus exercituum exultaret in armis & pro filia Maria acerrimè dimicaret. Proh Deus immortalis! vbi eſt agnus ille, quem Iſaias deprecabatur. *Mitte nobis*, ait, *Agnum dominatorem terræ.* Et ecce tibi Deum orbis dominatorem, Aſſyriorum interfectorem, Ægyptiorū, Cananæorumq; exterminatorem. Quid mirum? Eſt Deo filia Virgo Maria, quæ illū belligerantē facit, quę illum ſumma hoſtiū iniuria, & maximo fidelium bono armat in certamē, vt vel mille prelijs tantam filiā defenſaret.

## §. VIII.

### *Maria filia primogenita curat, & manſuefacit Deum.*

PORRO addiderim, non minus propter prolem parentes etiam manſuefieri, quā armari. Hincque exiſtimo ortum illud Hiſpaniæ concelebratum, *Caſaras, y amanſaras*, cum vxore manſuefactionem viro proditurum præſagiens. Etenim in eadem animi fortitudine, quā viri prolis tutandæ cauſa ſe prælijs, rixiſque exagitant; ex eadem, inquam, fortitudine prouenit, vt qui antea iuuenili ar-

dore correpti paſsim tumultuabant, hîc, illuc que rixantes, omnibus furioſi, & graues, poſt nuptias, poſt familiam ſtabilitam, poſt prolem natam, protinus manſuefcunt, cicurantur, omnibuſque, proli conſulentes, fiunt amici, & tractabiles. Vis Deum irafcentem videre, ecce tibi apud Iſai. 1. cap. *Terra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ ſuccenſæ igne; regionem veſtram coram vobis alieni deuorant, & deſolabitur, ſicut in vaſtitate hoſtili, & derelinquetur filia Sion, vt vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut ciuitas, quæ vaſtabitur.* Proh dolor! vnde ſic Deus irafcens placabitur? peribunt vniuerſi ſub ira tanta? Et quidem perirent, niſi Dominus exercituum reliquiſſet ſemen, ſemen, inquam, nimirum promiſsiones, vt ait Bernard. factas ad Abraham, Iſaac, & Iacob: Chriſtus autem ſeminis huius fructus eſſe intelligitur. Itaque cumprimum Deus lumbis Abrahami depoſuit ſemen illud virgineum, ex quo Chriſtus naſceretur, & iram ſimul cum virgineo ſemine, cum puriſsima filia deponit, & miram manſuetudinem amplexatur. Pulcherrimè Tuicenſis Abbas examinat eiuſdem Iſaiæ caput decimum, vbi Deus flammas, crucemque miniſtrans introducitur. *Væ Aſſur; virga furoris mei, & baculus ipſe in manu eorum indignatio mea.* Sed vix ferream hanc virgam euaginarat, & ſtatim ſequenti capite incipit Propheta: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius.* O felicem rerū mutationem! Paulò ante Deus ſub fœuienti Aſſur furens, diſtricta virga furoris, & indignationis, iam ſub Ieſſe manſueſcit, virga in melius mutata. Quid mirum? egreſſa eſt dilecta Eſther Maria, & irafcens Rex iram, & virgam dimiſit gaudens. *Et quam pulchra appoſitio!* ait Rupert. *Supra oſtendebatur ille ſpiritualis Aſſur virga furoris Domini, & in manu eius baculus indignationis eius. Ecce virga autem gratiæ, virga requiei Domini Maria, & in illa flos, in quo habitet; ſuper quem requieſcat omnis plenitudo diuinitatis.* Quidquid iræ, quidquid indignationis exuit Dominus in genus humanum, huic caſtiſsimæ, & filiæ, & parenti, eius acceptum referamus. Per hanc, qui fœuiebat in cœlum, & in terram, manſuetus, & facilis virginea in domo requieuit, nihil amplius niſi manſuetudinem meditatus, & humanitatem. Mirabar fæpiſsimè ego, & apud me neſciens, cogitabā, cur á Deo belligerante, à Domino exercituū, á ſummo tyrannorum vindicatore electus fuerit manſuetiſsimus, mitiſsimuſque Moyſes, vt populum captiuum redimeret, & hoſtes debellaret tyrannos. Vnde inter bellicos tumultus, inter arma, inter plagarum apparatus, inter excogitatas neces, vaſtationes, ſubmerſiones, manſuetiſsimus vir potuit placere, & in Principem deſignari? Et maius mirum, quod placuit Deo tunc maximè, cùm ipſe Deus flāmans, & igneſcens viridis rubi inſidebat in brachijs. Sed iam me D. Damaſcenus non ſinit admirari, etenim orat. 2 de Aſſumptione, videns Moyſes ad præſentiam ardentis rubi Principem deſignari, ait: *Per ſimulacrum quoddam, & vmbram Mariæ tantus Legiſlator, & Princeps creatus eſt.* Quid mirum ſi flammans Deus, & in certamen ardens, recordetur manſuetudinis, & humanitatis ducis eligendi, vbi Marianum ſimulacrum aſtat? *Confiteor tibi Domine, quoniam iratus es mihi; conuerſus eſt furor tuus, & conſolatus es me.* Sic Iſaiæ cantu applaudebat genus humanum, cap. 12. applaudebat, inquā, Deum tibi quondam iratum, iam ad manſuetudinem fuiſſe inclinatum; quaſi diceret, ait Rupertus, iuſtè iratus eſt, miſericorditer autem conuerſus eſt furor tuus in gratiam; videlicet quando virga ſupradicta de radice Ieſſe egreſſa eſt: quando Maria nata: quando hæc directionum virga pullulauit: quando filia hæc, & genitrix Dei apparuit, iam Deus neſcit irafci, tam facilis, & humanus apparet. Hinc teneo Diuum Zenonem Eliſabeth, & Mariam nobis in hæc verba indigitantem. *Illa præconem portat; hæc iudicem. Exultate iam fœminæ culpā deletā veteri.* Sic ille ſermon. 2. in Natiuitate. Et mirum, quod nos iubeat exultare de venia, vbi præconem, & iudicem à Maria, & Eliſabeth prædicat aſportari. Si iudex aderit, quomodo exultabimus? non enim iuſtificabitur in conſpectu eius omnis viuens. Si præco, & iudex iam aſtat, quid aliud deeſt, niſi carnifex, niſi gladius? Moriemur ſanè. Abſit, inquit Zenon, imò & poſſumus exultare: adſtat iudex, ſed à Maria portatus; Elizabeth præconem portat, Maria iudicem, & ab hac nihil diſcet iudex, niſi manſuetudinem, & facilitatem. Hinc Hugo de ſancto Victore, lib. 1. Miſcel. tit. 85. *Chriſtus in cœlo ex patre ſine matre Deus. Chriſtus in terra ex matre ſine patre homo; in cœlo qualis pater, talis filius; in terra qualis mater, talis filius: in cœlo cum patre æternus, & immenſus; in terra cum matre incorruptus, & manſuetus.* Sic mater Virgo ipſi Deo manſuetudinem indidit. Sanctiſsimus ille Ioſias Rex maximè iratum Deum præſentiens. 4. Reg. 22 miſit *ad Holdam Prophetidem vxorem Sellum filij Thecuæ*, vt ipſa conſuleret Dñm. Sed cur relictis viris Prophetis, à fœmina cupit audire oraculum? Reſpondit Nicolaus de Lyra, quod Ioſias voluit habere á Domino reſponſum miſericordiæ, & quia mulie-

*Iſa. c. 1.* *Bernar.* *Iſai. 10.* *Cap. 11.* *Rupert.* *Damaſ.* *Iſai. 12.* *Zeno.* *Hugo.* *4. Reg. 22.*

mulieres ſunt clementiores viris, miſit ad cõſulendum Dominum per mulierem. Ita Lyra, ego autem omnes monuerim, quicumque velint a Deo reſponſum miſericordiæ accipere, vt conſulant Dominum per hãc inter omnes mulieres benedictam Mariam. Verùm pientiſsimam mentem á Maria, Deo deſumptã nullus melius cogitat quam Richar. Vict. part 2 in Can. cap. 23. Virgini dicens. *Carnalia in te Chriſtus vbera ſuxit, vt per te nobis ſpiritualia fluerent. Et cum miſericordia Dei ſit ab æterno, amplior capit eſſe ex tempore. Et cum ex te cœpit initium, eius quoque largitas per te ſumpſit augmentum. In te ergo concreuit lac diuinæ miſericordiæ, & ex te nobis profluxit. Ipſa prius repleta es, & ex te nobis deſcendit hæc abundatia.*

Hug. Victor.

## §. IX.

### *Primogenita genus hominum reſtaurat.*

MANNSVETVM, & facilẽ Deũ fecit filia; qui mirum? vbi filiæ, ibi ſolicitudo, ibi curæ: vbi filia, & nubilis, ibi angor, ibi dotis anxietas, iactura rei familiaris: vbi filia, & primogenita; ibi dolor; ibi metus; ibi generis habiti obliuio; ibi ruina domus. Hæc mala filiæ parentibus afferunt mundiales: longè aliter Maria, quæ Deo ſummo parenti labitum genus reſtituit priſtino decore radians, & ruituræ domui clariſsimum incrementum addidit. Hoc vidit, & ſtupuit Ireneus lib. 5. cap. 19. dum ait: *adhuc Protoplaſti peccatum per correctionem primogenitæ emendationem accipiens.* A ſæculo non eſt auditũ tale, quod ruina domus, & ſplendor generis iam nigreans per filiam, per correctionem primogenitæ emendationem accipiat, Quis familiæ erector? quis primogeniorum inſtitutor non ſibi cauet à ſucceſsione fœminarum? Etenim vbi ad fœminam venerit fulgentiſsimus familiæ ſplendor elanguet, antiquum decus penitus obſcuratur, quo nihil magis inſitum hominum animis, nil magis familiare vniuerſis rationibus: & tamen verum eſt, quod humana familia iam iam ruitura, quod noſtri generis antiquus ſplendor penè languidus, quod priſtinum hominum ornamẽtum, & ſordidum, & fædatum, per correctionem Mariæ primogenitæ emendationem accepit. Hilaris quidem venis, ò Virgo primogenita ante omnem creaturam, quæ parentum labiles imagines fulcis; nomen humanum abiectum erigis, obſcuratum illuminas. Vt humanam conderet Dominus domum, dormienti Adomo coſtam eripuit, Gen. 2. *& ædificauit Dominus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Quod expẽdens Ambroſ. *benè ædificauit*, dixit, *vbi de mulieris creatione loquebatur; quia in viro & muliere domus videtur plena quædam eſſe perfectio.* Porrò hanc perfectionem domui generis humani daturus Deus, *non eſt bonum*, inquit, *hominem eſſe ſolum, faciamus ei audiutorium ſimile ſibi.* Riſit, imò irriſit hic impius Apoſtata, & Auguſtus Cæſar ſapientiam Dei, quæ generis humani caput fœmineo ortu fœdauerit: vbi, inquit, primogenita fœmina domum ſtabiliuit? vbi non obſcurauit? egregium ſanè adiutorium generis humani ſatori, ſi primò ex illo fœmina naſcatur. O quam præclare reſpondit euentus ruinæ totius generis, huic primo fœmineo natali (ſi ruerunt omnes in Adam per Euam, vbi adiutorium fœminæ primò natæ? Hæccine eſt illa adiutrix, imò lafefactatrix primogenita?

Gen. 2.

Ambr.

Apud D. Cyril. lib. 3.

Os impium eleganter obſtruit acumen Tertuliani lib. 2. contra Marcionem, cap. 4. *Etenim bonitas*, ait, *finxit hominem; eadem bonitas adiutorium proſpexit; non eſt enim bonũ hominem eſſe ſolum, ſciebat, illi ſexum Mariæ profuturum.* Proſpexit quidem Deo adiutorium hominum generi per correctionem fœminæ primogenitæ, ſed non per fœminam, quam impij cogitarent, ſed per Mariam ſciebat illi profuturum ſexum Mariæ: ſciebat, vel ab vmbra Mariæ primogenitæ obſcuratum genus illuminandum, familiam redintegrandam humanam, in priſtinamque gloriam reuocandam. Propterea inquit Bernar. *Curre Eua ad Mariam: filia pro matre reſpondeat, ipſa mortis opprobrium auferat, ipſa patri pro matre ſatisfaciat, quia Euæ ſi vir ceciait per fœminam, iam non erigitur, niſi per fœminam.* Crediderim poſt lapſum Protoplaſti natura ipſa faſtiditas fœminarum natiuitates; exoſas omnibus venire in mundo fœminas nullius ortum videbis enumeratũ; cuncti patres primogenitum filium ſuſpirabant, eòque ſolo lætabantur. O caſſam hominum exiſtimationem! O patrum ignorantiam! reſpuite, reſpuite primogenitos veſtros, qui eſtis patres, etiam Abraham, Iaacum. Etenim generis humani ſplendor, & domus iacens *non erigitur, niſi per fœminam.* Vna hæc primogenita Maria ruinam totius generis humani emendauit. *Hæc gloria luti noſtri, hæc primitiæ naturæ, hæc prima natura proximè accedens ad Deum opificem omnium generationum.* Magnus Athanaſius ſermon. 3. contra Arrianos neceſſarium ducens gratiam noſtræ reparationis omniũ primam debere deſtinari, ſic inquit: *gratia illa ante-*

Tertul.

Serm. 1. ſi permiſſus eſt.

Iren.

Athan.

*præparata, designataque fuit quàm nos efficeremur; quin potiùs ante constructionem mundi.* Quod si quæras, cur hæc antelucanæ gratiæ præparatio excogitetur? ad quid opus erat, vt prima omnium generationum inueniretur præfinita, & constituta reparationis gratia? sic addit: *vt quamuis serpente decepti excideremus, non tamen penitùs extincti maneremus, sed habentes in nobis iam ante præparatam redemptionem, & salutem, iterum resurgentes immortales perseueraremus? cùm filius pro nobis initium viarũ creatus sit, & qui primogenitus est filius, primogenitum se fratrem reddidisset.* Nihil elegantiùs in præsentiarum dici, excogitariue potuit. Etenim videtur mihi Athanasius sibi ante oculos proposuisse id, quod passim accidere solet. Orbantur parentibus quotidie mille puerorum inquam, vix a primis vnguilis excedentium, adhuc humi reptantiũm, omni bonorum leuamine carentium: quid tunc lactentes puerulæ? quid elingues infantuli? Sané si expectandum illis esset, vt quis eorum adolescat ad hoc, vt cæteris subsidium habeant, omnes prius disperirent fame. Vnde prospiciens orphanorum patris suis paruulis, eis prouidit fratrem primogenitum, grandæuam germanam, sic ante omnes natam, vt illius cura parentum defectum vix sentiãt infantes. Hæc illos lauat, nutrit, alit educati in perfectam ætatem. Ecce quantum conducat miselliis infantibus habere fratrem, sororemue primogenitam, longè ante omnes natam, vt quæ primogenitam se reddat germanam, paruulos submouendo, & sustentando. Sic eodem modo in præsenti iuxta mentem Athanasij, & veritatem, Protoplastorum defectu, heu quàm miseri mansimus omnes illorum paruuli; quã solo reptantes, bonis omnibus priuati, destituti, mortis pabulum, & calamitatis famelici errones, nullum diuinæ tutelæ ius habentes, perituri necessario: si post tantum casum, lamentabilem ruinam, aliquis nostrum adultus esset, qui mederetur humanæ calamitati desperata equidem, imo & deplorata in tanta expectatione esset omnium salus. Quapropter Deus optimus hominum procurator, à qua subleuaremur, præelegit germanam, longè ante, quã nos efficeremur, quinimò ante mundi constitutionem; vt quamuis parentum subsidio orbati, bonis destituti, non penitus corrueremus, sed habentes longè ante natam germanam in vitam aleremur immortalem; & quæ initium creaturarum creata est & primogenita est filia, primogenitam se reddidisset erga paruulos, & grandeuam germanam, vt sic Protoplasti peccatum per correctionẽ primogenitæ emendationẽ acciperet.

## CAPVT X.

### *Maria inter vltimos Abrahæ posteros nata, sibi, & omnibus maioribus profit.*

DVM æternam Mariæ ex mente, & decreto Dei Natiuitatem sumus cõtemplati; vidimus, quàm vtiliter ante omnem naturã primogenita enascatur. Modo iam vocamur ab eiusdem Natiuitate temporali, quæ tempore præfinito, octauo Septembris die nata est bono vniuersi orbis terrarum. Iuxta quã Matthæus adest qui posteritatẽ Abrahami recensens, inter vltimos cõstituit hanc nobilem filiam Abrahæ.

Hunc Marianum descensum speculatur Ioan. Euang. Apoc. 21. *Vidi sanctam Ciuitatem, nouam, descendentem de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo, & audiui vocem magnam de throno dicentem. Ecce tabernaculũ Dei cum hominibus.* Quid magis nouum sub Sole? quid magis insolens? illa omnium creaturarum prima, ciuitas Regis magni, prima natura proximè accedens ad Deum opificem generationum, illa, inquam, cuius fundamenta in montibus sanctis, sublimis altitudine; à tanta sublimitate á Deo ipso á primatu creaturarum descendit, & inter vltimos Abrahæ posteros constituta, ibi eligitur ad nuptias Principis, & fundamentum diuini tabernaculi, *descendentem à Deo paratam sponsam, tabernaculum Dei cum hominibus.* *Apoc. 21*

Resumo iterùm illud. *Descendẽtem à Deo paratam sponsam*, & mihi statim ante oculos obseruetur Eliezer ille ex 21. Geneseos, qui longo itinere lassus viridantis capitis planitie, vmbrantisque ligni foliis delectatus, salientis fontis gurgitem obseruabat; an forsan illi in aquis, virgo inueniretur, quæ Isaaci præcordia posset deprædari. Hæc cum paruulis murmurabat Eliezer, & ecce tibi Rebeca *puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro descenderat ad fontem, & impleuerat hydriam, & reuertebatur.* Reuertebatur inquam, non adeo festina; imò adeo comes, vt rogata Eliezer, & Camelis aquam propinaret, ea hilaritate, comitate, sinceritate, vt vel hinc debita Isaac sponsa manserit designata. O vtinam liceret modo mihi ex Ambrosio verba suffurari, ab Ecclesiaque in Virginem detorquere: ò quam illis sitim explicarem vniuersi generis humani: ò quam *Gen. 24.*

viuum ſalientis in vitam aquæ fontem Chriſtum proponerem? ſed heu crudele nephas! per quam luteos gradus humani generis ad hunc fontem perueniendum erat: per quot terrenos progenitores terrenarum cupiditatum macie fædatos, idolatria obſcuros, vitijs ſordidos, in dieſque ſordeſcentes? quis purus hac lutea, & ſordida deſcenderet via? equidem puella decora nimis virgoque pulcherrima deſcenderat ad fontem, puellula pulchra, proles aurea, omnium puior, formoſiorque puellarum Maria, per omnes hos luteos gradus ſordidos parentes deſcendit, nihil perfectæ ſuæ puritati detrahens, *hæc ſola deſcendit*, inquit Ambroſius; *hæc ſola agnouit fontem verum vitæ æternæ; ideoque habuit, quod daret ſitientibus.* O vos fælices homines, qui fontem viuidum Chriſtum obſeruatis! etenim ſuperato progenitorum luto, Virgo pulchra deſcendit ad fontem plenaque gratiarum flumine humanam extinguit ſitim, cunctos ſatiat, & in ſponſam eligitur Deitatis. Attamen nolo, vt miremini, quod luteos deſcendat Maria gradus immaculata: hoc ego maximè mirarer, & admirarer, quod luteis ex parentibus deſcendens Maria, ex illorum in ſe condecoraret vilitatem, puluerem conderet, ſic lutum deauraret, vt diuinis obtutibus haud ingrata aſtaret. Cant. 3. *Quæ iſta, quæ aſcendit per deſertum, tanquam virga fumi ex aromatibus myrræ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij.* Quam Angelorum admirationem videns Rup. cum primum puluerem & fumum audiuit, puluerulentas, & fumoſas parentum Mariæ imagines fuit recordatus, quarum puluis, & fumus in Maria eam formam adipiſcetur, quæ Deo gratiſsima aderit. *Tu dicis*, ait Rupert. *ô Virgo, ſum puluis cum Abrahám, ſed puluis, & pigmentarius, qualem conficit Spiritus ſanctus, dicis propter humilitatem, ſum fumus cum Dauid; ſed es fumus ex aromatibus, aſcendens ex aureo thuribulo ad olfactum Dei.* Nihil Marianam Natiuitatem offendit puluerulentus deſcenſus per tot luteos fumo, tabeque plenos gradus; imò ab illis deſcendes, ſic extollit Maria patres, vt qui lutei? puluis, horridus, & lachrymoſus fumus reputabantur, ſic in Maria aſcendunt, qualis puluis pretioſus mille conditus pigmentis, qualis ex aromatibus in aureo thuribulo fumus vſque ſummi Regis cubiculum exaltatur: talia ſibi decora ex maiorum vilitate Maria comparauit, talis in puluerulento deſcenſu apparuit, quod noua metaphora explicuit Ioannes Hieroſol. libr. de inſtitutione Monachorum cap. 32. vbi ponderans illud 3. Reg. 18. *Ecce nubecula parua aſcendebat de Mari;* ſic in Beatam Mariam transfert. *Licet nubecula illa eſſet originaliter eiuſdem naturæ cum mari, alterius tamen fuit qualitatis, alteriuſque proprietatis: mare quippe ponderoſum eſt, & amarum, ſed nubecula illa leuis fuit, ac dulcis.* Hæc ille. Venuſte ſatis. Etenim nubes á mari naſcitur, aqueamque maris naturam habet, imperfectionibus (vt dicunt) ablatis. Marina exurgit nubes, ſed ſine ponderę, ſine amaritudine, dulciter fæcundans; & rigans orbem terrarum; ſic Maria Abrahamidis, Dauidiſque ſata hominis filia, in qua natura hominis ſine infirmitate, ſine vilitate, & turpitudine inſignis, elegans, pellucida apparet.

Ambr.

Cant. 3.

Ruper.

3. Re. 18

Ioã. Hieroſol.

## §. XI.

### *Maria terra firma, in qua primus Chriſtiani ædificij iacitur lapis.*

APPARET, inquam in deſcenſu Maria elegans, quaſi ſponſa Diuino Iſaaco parata, & *tunc*, inquit Ioannes, *audiui vocem magnam dicentem. Ecce tabernaculum Dei cũ hominibus.* Quaſi fundamẽtũ inuenerit ſummus artifex in hominum genere æternum habitaculum fabricandi. Frequentiſsimè in ſacris voluminibus Incarnatio filij Dei per ædificij maximi conſtructionem ſignificatur, quo ſpectat illud Prou. 8. *Sapientia ædificauit ſibi domum*; & alias quam pleniam inſequutus S. Cyrill. lib. 5. Thesaur. cap. 8. ſic explicat á verbo aſſumptionem humanitatis factam; ac ſi Regiæ cuiuſdam ædificandi gratia vel tunc eſſet ętæ terræ lapis injiceretur primarius; quaſi ait Cyril. *Lapis ex ſubſtantia patris profectus incarne noſtra, quaſi in terra defoſſus eſt, tunc fundatam ſe ipſam, ait ſapientia.* Ex quo perſpicuè liquet, quam nobis vtilis imò, & neceſſaria venerit Maria in hoc puluerulento deſcenſu per tot terrenos, & luteos patres; etenim quilibet artifex, priuſquam moueat lapidem ædificij, terram mouet, terraque mobili ablata in imis terræ viſceribus quærit, quod firmum eſt, quod immobile, quod ſaxeum, ibique conſtituit lapidem primarium. Sic Deus Optimus maximus illuſtrem Eccleſiæ domum ædificare habebat in optatis; clamabat quotidiè terra; clamabãt ſancti patres, vt iam tanti ædificij lapidem primarium, nimirum Verbum diuinum terris amandaret, Proh dolor! in vniuerſo hominũ genere, nil firmum, nil immobile inueniebatur, omnia erant homini mobilia, omnis homo

Apoc. 21

Cir. Al.

mo labilis, imò lapsus, Quibus rectè prospectis, decreuit tandem Deus, lapidem hũc inserere Dauidis generi, & Abrahami. Verum quid in his etiam non labile? omnia illorum prima ex ruina commota, rimas agebant, & casum minitabantur. Instant tamen operi diuinus artifex præterijt generationes, aliam, & aliam, aggerat scelestorum cumulos, Babylonem transfert; mobilia omnia disturbat, separat, donec tandem post mille ablatis generationibus in imis apparuit saxum illud Marianum robur, terra immota, nullis concessa ruinis peccati, cuius in carne, lapis adeò profectus quasi in terra defossus est. Hoc perspicuis verbis tradit Athanasius epistola ad Epictetum, sic exponens à verbo nostræ humanitatis assumptionem. *Semen Abrahæ apprehendit, vnde debuit per omnia fratribus assimilari, & assumere corpus, quod vobis esse simile, & ideò pro fundamento istius rei subijcitur Maria.* Quid illustrius? quid clarius? etenim vt in Abrahami parte mysticum erigeretur tabernaculum, æterni numinis construeretur palatium, opus fuit in imis, & vltimis eius generationibus Mariam subici quæ firmum, & stabilem fundamentum tantæ molis astaret: Ideò pro fundamento istius rei subijcitur Maria. Hinc iam vos feices homines compellabo; iam io triumphe inclamito post amotis terrenis generationibus, in vltimis Abrahami satis Maria Virgo subiecta est, firmum, solidumq; fundamentũ apparuit, cui inhærebit primarius lapis. Eia agite Christiani, inquit Cyril Alex. *Præfundatur ante nos Christus; & in ipso nos omnes super ædificamur.* Sed vt præfundatur Christus, pro fundamento subijcitur Maria, ne quis in cœlũ surgat, qui hoc Mariano fundamento non nitatur: ideò illi inest lapis Christus, de qua natus est Iesus, vt in illo posito, cæteri possimus in gloriam superædificari.

*Athan.*

## CAPVT VI.

### *De Beata Maria, vt trima à parentibus in templum asportatur.*

*Ad illud Luc. 11.* Beatus vẽter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti: quinimô beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, cap. 6.

ID solum simplex fœmina ad Marianam fælicitatem congessit, quòd Dei verbum purissimo conceptum aluo parturiret, aleret, educaret. Verum Dominus, quasi veritus, ne simplicis fœminæ iudicio; & æstimatione maternam metiretur gloriam, non ventre Dei verbum excipientem Mariam proponit solùm, sed intimis illi præcordijs, totoque animo prædicat inhiantem; vt sic illustriora matris facinora clarescant, & orbem irradient. Diceretur fortasse Christus ab hæreticis fasti disse matrem, dum puerperij obsequia quasi præteriens, id solùm collaudat, quod verbum Dei audiatur, custodiatur. Sed absit, inquit sanctus Iustinus quæst. 136. ad Orthod. *non ita loquutus est, quasi matrem priuaret honore debito: sed ostendit, quæ maternitate beatior dici debeat Virgo: nam Dei sermonem audire, & exequi virtus est, animæque puræ, quæ tota ad Deum spectet; & quia non quamlibet fœminam elegit Deus, sed omniũ fœminarum virtutibus excellẽtissimam propterea Christus volebat ob hanc virtutem prædicari matrem suam, per quam virtutem illa assequuta fuisset, vt Virgo mater fieret.* Est igitur in Maria ante tumentia vbera antè partũ, quòd maximè extollamus.

*Iustin.*

Nimirum vix tertium attigit annum, & á parentibus templi seruitio oblata, sese ita verbo Dei tradidit, vt omnia obliuisceretur humana. In templi aditis occulta, ab Angelis alebatur; à Deoque ipso in matrem præparabatur, eius virtutes, & excellentias Sacerdotibus mirantibus, & obstupentibus.

## §. I.

### *Maria trimula in templi seruiens aditis, se ipsam aliquo modo excessit, dum apud Bethlehem obsequuta est diuino infanti, illumque lactauit.*

GESTIT modo animus illud concinere, quod præteritis sæculis lugens Hierem. Tren 3. est lamentatus *bonum est viro, qui portauerit iugum ab adolescentia sua.* Hebraicè habes, *à pueritijs sedebit solitari⁹, & tacebit, quia leuauit se supra se.* Quibus verbis exagitat Nauarrete illud *portauerit iugum*, inibi recognoscens non extortam, sed spontaneam quamlibet subiectionem, qua quis libens, & proprio motu se iugo submittit. Is autem qui pueritijs sponte sua, & motu proprio currit ad iugum, equidem leuauit se supra se, sic in sublime euolauit, vt se ipsum, quan-

*Tren. 3.*

*Nauar.*

quantumuis maximum excesserit. Pone virum virtutibus excellentem, nouisque in dies facinoribus, & clarescentem, & in summam se magnitudinem extollentem: is si à pueritijs libens Dei obsequio se tradidit, iam ex tunc leuauit se supra se, nec tanta illi aduenit magnitudo, quàm illam pretij seruitute non excesserit. Hinc apprimè claret puerulæ Mariæ præcellentia quæ (ait sanctus Germanus) valde lætans, & exultans ibat in templũ Dei, tanquam in thalamum, cùm ætatis tertium ageret annum, vixque templi primum gradum parentes attigerant.

*Mant. lib. 1. Parth.*

*Cum ipsa retrahens promptæ sinuata ministræ,*
*Brachia debilibus plantis, animoque vigorè*
*Addidit, & supra ætatem fiducia creuit.*
*Protulit audaces sublatâ Cyclade passus,*
*In sublime volans Virgo, turbamque relinquens.*

Quid magis præcox, & spontaneum? quid in infantulæ Mariæ pueritijs magis illi voluntarium, quàm obsequium istud, quo sese templi Domino libens tradidit seruituram? Equidem ex tunc leuauit se supra se Maria posteriorem, quantumuis magnitudinem longè superans.

Sed cùm hæc dicam ne audax alicui videar, accipite Augustin. sic Mariana in diuino puerperio obsequia componentem cum ijs, quæ præstitit Ioseph ab Arimathia in Dominica sepultura. *Ego dico non minorem Ioseph affectum fuisse, quàm Mariæ; siquidem illa vtero Dominum, hic corde concepit; illa Saluatori membrorum suorum secretũ præstitit; hic secretum sui cordis non negauit; illa Dominum pannis inuoluit, cum natus est; hic linteis cùm recessit; illa perunxit beatum corpus oleo; hic aromatibus honorauit. Conueniunt ergo sibi obsequia, conuenit & affectus: inde necessarium est etiam meritum conuenire; nisi quod Mariam ad obsequium Angelus admonuit: Ioseph autem iustitia persuasit.* Nil dulcius, nil elegantius dici, excogitarive potuit: expendo namque illud. *Nisi quod Mariam ad obsequium Angelus admonuit; Ioseph autem iustitia persuasit.* Vbi nititur Augustin. Mariana obsequia erga Christum aliquo modo vinci, & superari à Ioseph, quia Mariam in nati obsequium traxit Angelus; Ioseph autem ipse à se, sibique infusa sanctitate, in pientissimum officium euolauit. Ergo iuxta Augustini mentem, Mariam non cum Ioseph, sed cum Maria componamus: Mariam, inquam, trinam libenter, & sponte inhabitantis sanctitatis, & iustitiæ proprio motu templi Domino adhærentem, famulantem cum Maria apud Bethlem pueritijs inseruiente diuinis; quippè hæc Deo inseruit, & illa Deo: hæc Deo præbet vbera, illa mentem. Conueniunt sibi obsequia, conuenit & affectus; inde necessarium est etiam meritum conuenire, *nisi quod Mariam in Bethlem ad obsequium Angelus admonuit, Mariã in templo persuasit iustitia.* Vt vel hinc constet, quã hæc virguncula à pueritijs dicata templo, se supra se quodammodo leuauit.

*Augusti. serm. 133*

Huc dixerim spectasse illud à Basilio Seleuciæ Episcopo excogitatum. Etenim oratione de Verbi Incarnat. nobis apud Bethlem Mariam proponit, sic de exhibendis officijs puero nato addubitantem? *Quid aggrediar? te nè lacte nutriam; an verò vt Deum colam? tibi ne maternum præstabo obsequiũ, an sicut ancilla cultum adorationis impendam? Te nè vt filium amplexu meo fouebo, antequam Deum supplex inuocabo? Tibi nè lac porrigam, an offeram thimiama?* Ecce tibi omnia à Virgine in tẽplo exhibita officia; composita cum ijs, quæ exhibenda erant recenti nato. Hinc diuinus cultus, humilis seruitus, supplex adoratio, suffitus thimiamatis, quę omnia præstita sunt à Maria templum inhabitante, illinc puerulus recens natus, egens maternis curis, inhians lacti; & hæc inter Virgo media anceps, nesciens, an puellæ templo excubantis muneri, an parturientis Virginis prior satisfaciat, adeò magna, adeò sublimia fuerant Virginis in templo officia, á quibus cessare extimesceret, etiam vt tanti putri matrem ageret. Rem totam conficit luculentissimè Augustin. de sancta virginitate, cap. 4. vbi Marianæ virginitatis præcellentiam extollit, quod non illi præcepta fuerit, sed ab ipsa suapte oblata. *Ipsa quoque virginitas Mariæ gratior, & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conseruaret, ipse præripuit; sed priusquam conciperetur, iam Deo dicatam, & de qua nasceretur, elegit.* Vide modò, quàm maturauit Maria suam sacrare virginitatem, non eam viro violaturo Christus præripuit, non Angelus; sed ante monentem Angelum, ante præcipientẽ Christum se ipsa sacrauerat. Memini Chrysologi extollentis celeritatem aduentantis ad Mariã desponsatam Angeli; inquit enim serm. 140. *Peruolat ad sponsam festinus interpres, vt à Dei sponsa humanæ desponsationis arceat, & suspendat affectum.* Verùm Mariæ tardior fuit hæc Angeli festinatio, multò ante Angelum desponsationis humanæ affectum ipsa à se arcuit, dum in templo suam virginitatem sacrauit, & inde gratior extitit, ac beatior: quia super Angelum, imò se super se leuauit. Vnde pulchrè Damasc. ait: *O sanctissima, quæ principatus, & potestates fefellisti, immaculatã*

*Baſ. Sel.*

*Chryſol.*

*Damaſc.*

*lata conſeruata in Dei ſponſam.* Etenim excubabant Angeli Marianam virginitatem, hancque cum vident in poteſtate viri, peruolat Gabriel feſtinus, vt affectum terrenæ deſponſationis arceret à Virgine. Verùm ſerus nimis peruenit, & tardus; ſiquidem ſupra Angelos, & ſupra ſe virginitas Mariæ ſe leuauerat.

## §. II.

### *Maria trina in templo ſororis Domini munus adimpleuit.*

Cant. 5. SOROR *noſtra paruula eſt, & vbera non habet; quid faciemus ſorori noſtræ?* ait Dominus Cant. 5. Quibus perſpicuũ eſt, non totam Mariæ gloriam, & felicitatem in mammis, & viſceribus oleo plenis ſitam eſſe, vt illa ſimplex mulier prædicauit. Imò effœta, & ſine vberibus ad oſtium excubans tabernaculi, inter cæteras puellas oculos ſibi rapuit ſummi Patris, illamque vnius Dei filius in ſororem cooptauit. Et cur non ſoror vnici filij Dei, quæ relictis terrenis, cœleſtem euolauit ad Patrem? S. Gregor. Niſſenus homil. 4. in Cantica, ſic ſororis diuinæ munus, & dignitatem examinat. *Sicut roſa inter ſpinas, ſic ſoror noſtra inter filias, non amplius propinqua, ſed ſoror. Poſtquam ergo facta eſt flos, nec aſpinoſis laſſa fuit tentationibus, quo minus lilium eſſet, oblita populi, & domus patris, & matris ſuæ, aſpexit ad verum patrẽ, & ita vocatur ſoror Domini.* Porro vix marianus flos eruperat, vix è germine exceſſerat, & inter puellarum examina apud templum educata omnibus ipſa vnigeniti filij Dei ſororis præbet ſpecimen, penitus florida, nihil quod lædat, habens, primo in templi gradu dum ſiſtitur, terrenorum omnium parentum etiam oblita, aſpexit ad verum patrẽ, ad quem ocior volauit, & ita vocatur ſoror Domini.

Niſſen.

Solẽnis apud antiquos, nuperóſque Theologos agitatur quæſtio, cur tertia in Trinitate perſona, nimirum Spiritus ſanctus non generetur vt filius Dei, & frater Verbi? Cur, inquã, doni diuini proceſsio non ſit germana filij generatio? Quam quæſtionem clarè, & ingenio ſe enodat Alenſis, & Maior ſequuti Richardum de ſancto Victore. 6 de Trinit. cap. 18. 19. 20. & 21. hic namque cap. 19. Filij, & Spiritus ſancti ſimilitudinem trutinans, ſic quærit: Cur ergo eadem affinitas germanitatis vtrobique non adſcribitur alteutrius? Sed & ipſe rationem perſpicuam excogitarat, quam in re adeo ancipiti poſteris legauit; nimirum, quia paternæ naturæ proprium eſt, aliam à ſe perſonam diuinam gignere, cui naturali proprietati Patris perfectè ſimilis Filius fœcundus naſcitur ad productionem Spiritus ſancti. Verùm Spiritus ſanctus habet, nec alicui perſonæ diuinæ dat: & inde in illo non adſcribitur affinitas germanitatis cum Filio. Ergo hanc germanitatis affinitatem ad Verbũ, quam Spiritus ſanctus non habet, puerula hæc Maria habet: ita vt poſit vocari ſoror Domini, atque germana: ſoror, inquam, & germana Verbi adeo ſummi parentis æmulatrix, vt ab illo recipiat fæcunditatem, quę diuinam perſonam generet, & pariat. Id videtur attigiſſe Angelus apud Lucam cap. 2. illis verbis. *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Quæ explicatiùs Magnus Athanaſius reddit: *Virtus Altiſſimi adumbrabit tibi.* Expende illud, *Adumbrabit*; nimirum imaginabit; id eſt, quaſi ſub vmbram, & imaginem, vt ſic velut imago Patris parturias diuinam prolem, Verbique ſis germana. Sterilem Saray vocauit Deus Sara, quæ vox Auguſtino ſonat virtutẽ, cui accinit D. Paulus dicens: *Fide, & Sara virtutem accipit.* Quam virtutem? Lippomanus ait fuiſſe virtutem generandi Deum aliquando de ſemine ſuo in Chriſto de B. Virgine naſcitur. Quis hîc non videat clarere verba Angeli, nimirum: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi?* Quaſi dicat: Tibi, ò Virgo, paterna virtus, & efficatia Deum generandi inerit: virtutem habes, quâ altera Patris imago generes Deum: illa venis, quæ virtute acceptâ, Deum producas, ſiſque diuini Verbi feliciſſima ſoror, ac germana, vt ſtupeat Baſilius, Mariam ſanctam, *quæ dignitati Vnigeniti vniretur*, ſitque in vtriſque Maria, & Verbo eadem affinitas germanitatis.

Luc. 2. Athan. Auguſt. lib. 6. de ciuit. c. 28. Ad Heb. 10. Lipp. Baſil. de humana Chriſti generatione.

## §. III.

### *Pueri Euangelici formam adepta eſt Maria in templo.*

SOLEMNISSIMVM in ſacra Pagina iuſtos homines puerorum nomine inſigniri; nec vacat tritum hunc morem in examen vocare. In eius ratione inueſtiganda multus eſt Clemens Alexand. lib. 1. Pædag cap. 9. à quo illa præcipuè excogitatur. *Nos*, inquit, *pullos vocat, quia ab improbitate minimè domiti ſumus, ſed ſumus ſimplices, ad ipſum ſolum patrem exilimus.* Et quidem nil magis cuiuſcunque animantis pullis inſitum. Ecce tibi pullus media recumbens in arena, videat licèt venientes aliorum turmas, frequentes ſaltus, nõ mouetur: at ſi à longè dulcem odo-

Clem. Alex.

retur

retur parentem, ô quàm ocior salit, insilit, & cæteris prætermissis, vni parenti festinus, & festinus occurrit. Is est omnibus pueris parentum insitus amor, quo prætermittunt, imò despiciunt aliud. *Iure ergo* (pergit Clemens) *sunt pueri, qui Deum solum Patrem nouerunt. His itaque hanc vocem annuntiauit rerum, ac negotiorum iubens curam abijcere, & suadens solum Patrem attendere puellos imitantes.* Quibus crediderim, vna puella Maria, dum templo adfuit, perfectè similis extitit: etenim sola Maria graue filiorum Adam iugum ideo non excussit, quia nunquam subijt, prorsus à naturæ vitijs indomita, oblata Deo, cùm primùm diuini Patris odorata est limen, vt rectè Mantuanus.

*Mant.* *Protulit audaces sublatâ Cyclade passus,*
*Insublime volans Virgo, turbamque relinquens.*

Mundialia omnia præteriens, carnales parentes obliuiscens, ad Deum solum Patrem exilijt, rerum, negotiorumque curam abijciens, vni cœlesti parēti sese charissima puella dedit.

*In cap. 19. Mat.* Accidit prorsus Mariæ, quod Beatus Gregorius Nazianz. cunctis virginibus exoptabat. Etenim docens sanctus vir puellas splendentis generis pulchritudinis, opum principatus, & rerum obliuiscj, in vnumque Deum sursum euolare, hoc vtitur argumento, & eleganti. *Videtis in his aquarum fluxibus, qui plumbeis canalibus inclusi continentur, quod quoniam nimium comprimuntur, atque conglobatæ voluuntur, adeò plerumque aquæ naturam excedunt, vt quò retro protuditur, semper sursum feratur. Consimili modo, si amorem strinxeris, totaque Deo coniuncta fueris, sursum tendes; nusquam humi prolaberis, nec difflues tota Christi manibus, quousque sponsum videas.* Sic compressi fontes exurgunt, & qui naturali motu liquere, humique diffundi nouerunt, concluſi plumbeis canalibus, strictique vndequaque sublimia in astra conuertuntur. Sic Maria concluſa templo, adeo amorem strinxit, vt Deum anhelans vnum, non humi prolabatur; sed in sublime volans Virgo turbam reliquit, & paruulus fons â terra in Solem conuersus est, soli Deo parenti summo adhærescens.

*Esther. 11.* Ex his vides, quo sale Marianus amor in Deum vocetur in Canticis, *Signatus fons*, videlicet non quomodocunque signatus; sed vt signari, & concludi labentes solent fontes, vt sursum erumpant, & in astra prosiliant limpidissimo gurgite, & idcirco ait Nissenus *Encomium hoc virtutem sponsæ summam tribuere videtur, quod videlicet ipsius cogitatio ab hostilibus non attrectata maneat, & pura, & casta, vitijs intacta sponso seruetur suo.* In quem vnum constrictâ sponte prosileat, & maneat tota Christi. Non iam miremur paruulum hunc fontem Marianum à fontiū omnium natura deciscere, dum pernici cursu ascendit, & extollitur in sublime; siquidem eius omnes affectus conglobati, compressique in vnum consignuntur, concluduntur, vt sursum tendant, & erumpant, fons signatus est Maria, nihil, si ascendat, mirum. *Audistis*, ait Gilbertus in Genesi, *quod fons ascendebat, & irrigabat totam faciem terræ: quis dabit horto meo hanc aquam, & areolis meis hunc fontem signatum?* Et cur signatum requirit? nimirum quia ascendentem exoptabat. Nec est fons, qui ascendat, nisi quia signatus, & concluſus. Signatur, concluditur, stringiturque Mariani amoris fons in templo. O qualis ascendit! ô quàm prosiliit in vitam! Hinc Georgius Nicomedensis Archiep. templum hortatur, vt Mariam excipiat. *Hanc introducta, tanquam sponsam, hortum concluſum, fontem reuera signatum, ex quo manant fluenta purissima.* Quippè omni expertia limo, pura prosiliunt vni sponso seruata suo.

*Gilbert. serm. 35. apud Pag. Isa.*

*Georg. Nicom.*

## §. IV.

### *Maria sese Virginem Deo in templo exhibuit, primamque inuentricem Virginitatis.*

VIDIMVS paruulum Marianum fontem, huncque signatum, concluſumq; templo, in Deum ascendere. Sed modò auet animus scire, quâ machinâ, quo artificio fons humilis in Solem prosilierit? Pro quo stat Anselm. de excellentia Virg. cap. 4. sic aiens *Virgo tenera, & delicata regali stirpe primogenita, & speciosissima, totum amorem suum, totum studium suum ad hoc intendit, vt corpus, & animam suam Deo virginitate perpetua consecraret.* Ecce machinam, ecce artificium ab vna puella Maria inuentum, & excogitatum, vt se totam Deo dicaret, nimirum perpetuam animi, corporisque virginitatem. Cæteræ puellæ ad ostium tabernaculi exeubabant, donec animos, & ætate nubiles sub viri potestate humiliabantur, vt matres fierēt; hæc vna Maria inuenit modum, quo virginitatem æternaret, & totum amorem suum indiuisum Sponso exhiberet immortali. Vbi legeras: *Beata Virgo de virginibus, quia cantant canticum nouum, quod nemo alius cantare potest, & sequuntur agnum quocunque ierit?*

*Anselm.*

*Bernar.*

*ierit*? Vbi legeras, laudatos esse, qui se castrauerunt propter regnum Dei? Vbi legeras, *In carne enim ambulamus, non secundum carnē militamus*? Et qui matrimonio iungit virginem suam, benefacit; & qui non iungit, melius facit? *Vbi audieras: volo vos omnes esse sicut & me ipsum, & bonum est homini, si permaneat secundum meum consilium? Christi ergo deuoues te exhibere virginem, & nesciuit, quod ipsi exhibere te oportet etiam matrem* Huc vsque Bernard. homil.3. de B. Virgine, qui solus omnium insipidos reddit sales; egregiè namque meditatur, Mariam se Virginem exhibentem, & in hoc Verbi diuini ortus dedicantem, quod ante Bernard. cælites ipsi stupuerant, dum aiunt: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi*? Bina se se obijciunt miracula; vna puella desertum virginitatis calcans, auia meditans, miram virtuti accessionem facit, miro modo se exaltat, sicut virgula fumi apparet. Quid ni? Puella à Libano puritatis ascendens, & virginea sub niue candens, & fumigat, & fumos excitat.

1.Cor.10

1.Cor.7

Sed videamus iam visionem hanc, & reuocare in memoriam rubum illum flammantem in quo virgineum partum adumbrari nemo ambigit. Sic enim ait Nissenus *Virgo parit lumen, & non corrumpitur*. Rubus in deserto ardens Maria Virgo est, dum increatam parturit flammam. Huius ergo flammantis partus dedicationem Angeli modò in deserto mirantur; etenim in deserto virginum statu ingressa Maria niueo se pudori æternū sacrans, fumigat iam, quasi flāmanti puerperio parata.

Nissen.

O qualem mihi stuporem injecerunt bina diuinæ iustitię facinora! Alterum est, cùm video vnius peccati reos tot Angelicos spiritus ab æterna felicitate deturbatos. Alterum vniuersum mundum ostendit gementem sub aquis. Cur adeo in Angelis seuerus iudex, & cur in hominum tam durus communitatem? De Angelis quærit Alcuinus in Genes. quæst. 4. *Cur summi Angeli peccatū insanabile fuit, & hominis sanabile? Angelus sui sceleris inuentor fuit; homo verò alterius fraude seductus*. Huic accinit Theodoretus expendens humani generis submersionem profectam penè ex simili causa. *Quod cum ita hominis cogitatio intenta esset ad malum omni tempore, Genes.6. vbi Theod. non simpliciter peccatū, sed cura, & studio quæsitam iniquitatem reprehendit eorum, qui subseruire faciunt affectionibus rationem, vt etiem excogitent alias nequitiæ idæas*. Ecce vobis nouorum scelerū inuetores nouo, & inusitato modo multatos.

Alcuin.

Theod.

Accipite etiam quid præmij lucrentur nouarum virtutum patratores; sanè hinc Christus Dominus videtur Tertulliano lib. 3. in Mar. fidem omnē Antichristi præripuisse virtutibus, quia ipse prior documentum adinuenit illarum. *Aut quale est*, inquit, *si inde se voluit probari, & intelligi, & recipi, ex virtutibus dico, vnde cæteros æquè noluit? sed quia prior eis venit, & prior virtutum documēta signauit; idcirco fidem occupauit, posteris quibusque præripuit*. Expendo illud: *Prior virtutum documenta signauit*. Etenim facile est inuentis addere; sed qui prius inuenit, nequit gloria frustrari.

Tertul.

Nec miremini, si nouę virtutis inuentricem Mariam, nouo, & inaudito modo videatis exornatam additi sunt statim flammis sui sceleris inuentores, lumini increato præuios excitat fumos inuentrix virginitatis. Extemplo à Deo exulant, qui nouas peccandi idæas excogitarūt in templo paratur Deo habitaculum, sic in deserto Virginum Maria inuenitur, sicut virgula fumi iam iam paritura lumen immortale.

Linum fumigans non extinguet, dixit de Deo Isaias, nescio quo prouerbij sapore. Sed quid linum? non lucerna, vt vult Syrus apud Matth. sed ellychniū ex lino, tuncque pulchrè hic locus accinit eiusdem Vates, cap. 62. vbi petit, quod *Saluator tanquam lampas accendatur*. Porrò vt lampas accendatur, priùs linum aptatur lumini. Ecce modò linum iam fumigans in templo, nimirum Maria virginitate candens, illuminatura orbem lumini præparata, etiamsi non flammat, tamen fumigat, vt sic in summo Dei templo virgineæ lampadis, iuxta Georg. Nicodemiensem. *Lucidam orbis intueatur nebulam, & radiorum eius fiat particeps, vt in ea videat scatentem fontem luminis, & virginea collucentem in lampade*.

Isai.62.

Georg. Nicod.

## §. V.

### *Prudens Virgo stetit in templo Mariæ.*

QVID Virgo in templo Dei? quid Virgo etiam cum flammante lampade? Opus est & Virgini prudentia, quâ oleum prouideat lampadi. Sic quinque illæ prudentes Virgines accensis lampadibus sumpserunt oleū, cuius defectū æterno prosequuntur luto quinque aliæ: ast quod hoc luto oleum? Chrysost. oleum hîc vocat charitatem, & eleemosynā, & quodcumque circa indigentes auxiliū hoc, sanè sine eleemosynæ oleo frustra Christiani huius sæculi mare vrinantur, vt vellent rubentia Christi coralia: sine hoc oleo nemo virgi-

Chrysos. in Cant.

num

num portum attingit salutarem. Hoc sibi oleum Virgo prudentissima prouidens templum ingressa, vt ait sancta Brigita reuelat. libro 1. cap. 10. *Sic bona, facultatesque contempsit, vt quidquid in bonis haberet, in egenos propensè conferre gauderet.* Vnde Georgius Nicodemensis sic templo Virginem excipienti gratulatur. *Accipe oleam frugiferam, per quam scaturit oleum exhilarans, & pinguefecit creaturam.* Imò crediderim hanc Marianam misericordiam notatã fuisse à Damasceno, cùm oratione prima de Natiuitate ait. *Maria inuenit gratiæ abyssum, quæ duplicis virginitatis nauem incolumem seruauerat.* Vt ratem moueas, seu carinam, non altum maris æquor opus est, sufficiet fluuius mediocris, vel lacus: at si ingentem nauem feras, vastissimus, altissimusque tranandus est aquarum abyssus. Quid plura? virginitas corporis, & animi, non rates, non carina, sed naui maximæ persimilis, quæ vt incolumis portum attingant, non qualiscunque virtutis gratiam; sed immensæ propè abyssus pelagus prærequirunt: ast vbi vastum hoc, & immensum pelagus, quod virginitatis naues sustineat, inueniendum?

Inducitur á Chrysostomo homil. de Annuntiat. Gabriel Angelus dubitans, qualiter paruus Virginis aluus immensitatem Dei capere possit, tunc sic. *Quomodo*, inquit, *Dominus me tabernaculum Abrahæ potuit continere? Quoniam*, inquit, *Angelus hospitalitatis pelagus habebat* Expendo illud hospitalitatis pelagus; quippè vbi hospitalitas, vbi in pauperes charitas, ibi pelagus, ibi abyssus, qui Deum, & Deiferam virginitatem sustineat. Hoc pelagus inuenit Maria, quod virginitatis duplicem nauem seruauit, de qua Ambrosius lib. 2. de virginibus, sic fatur. *Virgo humilis corde, animi prudens, non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponens.* Sic virginea nauis abyssum misericordiæ tranans huius spei anchora firma absque naufragio, salutis portum attigit, & Virgo prudens accepto oleo ardenti lampade diuino Sponso astitit. Deinde, vt cum Damasceno finiam, *In domo Dei plantata, & impinguata Spiritu, velut oliua fructifera, omnis virtutis habitaculum facta est, ab omni carnali concupiscentia procul mentem sequestrans & sic virginem animam cum corpore conseruans.* Vbi expendo, quod prius oliua steterit fructifera, oleo misericordiæ abundans, quo exundante duplicem virginitatis nauem conseruat; quot enim immisericordes videris, tot misere naufragos enumera.

Brigita. Dam. Chrysost. apud Lipom. Ambr. Dam.

## §. VI.

### *Maria in tẽplo educata facili negotio quidquid gloriæ, & splendoris habebat templum, sibi acquisiuit.*

CVM inter sacra Mariam trimam con templor, Regium Vatẽ recordor, qui ita concinit Psal. 67. *Si dormiatis inter medios cleros, erunt pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora in pallore auri.* Quibus verbis explicandis operam nauarunt Augustinus, Hieron. Hilar. Paulin. Ambros. Hi omnes per illud, *inter medios cleros*, intelligunt duo testamenta, quorum lectioni qui accubat, miras accessiones virtuti indies facit. Etenim *si dormiatis inter medios cleros*, ait Ambros. si operam, curamque nauetis sacræ euoluendæ paginæ, *etsi dormias, exurgent tamen pennæ tuæ, nullo negotio prospicies, nullo sudore, laboreque ditaberis.* Porro Virgo Maria in templo, ait Mantuanus.

*Assiduis veterum studijs oracula Diuûm*
*Peruigiliq; legens cura, Mosemque, piumq;*
*Esaiam, mœstisque virum, qui versibus orbẽ,*
*Plorat.* ----
*Carmina dicebat, sanctæ poëmata legis,*
*Qui tretici olim fidibus cantabat ad aras.*

His accubabat humilis Virguncula; hæc inter sacra volumina dormiebat, & huic vacans lectioni sedula. *O pia puella, etsi dormias, exurgent pennæ tuæ!* Tibi summam rerum obtingere non mirabor. Maximè Thimotheum illum egregium ducem apud Plutarch. in uidia hominum exagitat. Cui dormienti, retiaque manu expandenti sese vrbes, & regna dare, vltrò, & sponte reti illius offerre depingebant. Et quod alij inertiæ, ipse postmodum suæ tribuit dexteritati: quę vel dormiens spontanea, & voluntaria regna trahebat. Sic trima puella in sacris educata, omnium labores superauit, vt vel dormiens mũdialia, & æterna regna ad se traxerit; vt quiescenti, & ab omni sudore immuni, illi suopte, vltroq; omnia glorioſa, & exc elsa obuenirent Etenim vt templi antistites Mariam receperunt, *statim viderunt* (verba sunt Georgij Nicom.) *gloriam sua sponte ad eam currere; se autem ea indies priuari animaduertebant.* Non equidẽ Marianus puluis, non sudor, & labor maximus, improbusq; rapuit cœlestia regna, rapuit gloriam; sed illi templum ingredienti gloria ipsa obuiauit; sua sponte gl orioſum Dei, & hominum ad illam eucurrit, quidquid gloriæ, & excellentiæ templo veteri patribus adfuit vltro, & spontaneo ad Mariam transijt. Transijt, inquã, gloria tẽpli ad Mariam sine cruenti stadij puluere, non sine contẽplationis somnij merito.

Psal. 67. Aug. Hier. Hilar. Paulin. Amb. In Psal. 118. Sermon 14 Mant. Rodig. lib. 5. antiq. c. 37. Georg. Nicom.

## §. VII.

### *Virgo in templo optimam excubatricem egit, vbi, quàm sit inuigilandum castis.*

NEMINI dubium est, quin apud templum Hierosolymitanum inuenirentur virgines, *quæ excubabant ad ostium tabernaculi* Sic habetur Exod. 38. vbi *excubabant*, Latinis sonat vigilias militares, quæ fauent amicis, & inimicorum iniurias præcauent. Porro nihil in Virgine vendibilius apparet, quàm vigilare, excubare Væ castitati, quæ ad horam dormitat! Chrysost. homil. 40 ad popul. *Quid Salomone beatius? sed quia dormitauit, cecidit.* Nil mille vigiliæ profuerunt Salomonis castitati, vbi semel accessit dormitatio. Hinc lasciua illa Ægyptia Ioſephi pudorem hoc vno telo petebat, nimirum, *Dormiui mecum.* Id quod expendit Nissenus. *Illa dicebat, dormiui mecum, adolescenti autem contra proclamabat temperantia, vigila mecum, & re ipsa ostendit vigilantiam; non enim blanditijs cædens dormitauit robur constantiæ, non fuit mens sopita incantationibus, non fuit somno oppressa temperantiæ sobrietas.* Ioſepho casto, castior multò Maria excubabat ad ostium tabernaculi, & qualis excubabat? Ait Epiphan. *Virgo plurium nominum, & multocula effecta est.* Verè multocula, quæ instar Argos mille apertis oculis, & sibi, & vniuerso hominum generi, & facem castitatis prætulit, & hostes cauit. Sic Mariæ excubatrici in templo cecinit Nicomediensis antistes Georgius. *Pacem, tanquam signum aliquod, tolle sublimen, & ad te dirige orbem terræ.* Solemnissimum namque est apud milites, sublata face ardenti, imò fumanti, ab speculatoribus signum dari, quo vel fugiatur hostis, vel milites conuolent in certamen. Eia age nobilis excubatrix Maria, ab alta templi arce, virginitatis facem sustolle, tanquam militare signum, quo docemur qualiter vigilandum, qui timendus hostis, quo nobis conueniendum, quo repugnandum. Troianorum, Græcorumque inito certamine, à Palladis templi alto excubabat Helena pestis illa castitatis: eum autem, ait Calep. Græci armis diffidentes ad proditionem conuersi discursum ex composito simulassent, Helena ex arce, accensa face ad occupandam vrbem Græcos reuocauit. Exspue modò turpes Helenæ tædas, quæ nihil nisi excidium, & regnorum ruinas pariunt; & ecce Virgo pulcherrima, sublimi à templi arce vigilans, facem prætulit hominibus iam iam perituris, qua in cœlestem ciuitatem, hæreditatemque auitam reuocamur. Sed scire aues, quæ sit ista fax à Maria in templo sublata, quæ in cælestem viam reuocat orbem terrarum? Ea sanè est ipsissima sanctissimæ Virginis vigilantia, qua diuinis plena muneribus nihilominº ipsa excubabat ad ostium tabernaculi, docens nemini cœlestem patere aditum per somnum, sed per vigilias quotidianas. Et quidem Matth. 25. virgines illæ, & prudentes, & fatuæ *dormitauerunt omnes, & dormierunt.* Verùm media nocte, quo omnes excitarentur, *clamor factus est, ecce sponsus venit.* Sed cur intempesta nocte prudentissimæ virgines excitantur? Præclarè D. Leo serm. 2. de Epiph. ait. *Non enim dormientibus prouenit regnum cœlorum, sed in mandatis Dei vigilantibus, vt si dona illius irrita non fecerimus, per eam quæ dedit, mereamur accipere quæ promisit.* Sic ille.

Exod. 38

Chryſoſt.

Gen. 39.

Niſſen.

Epiph.

Georg. Nicom.

Mat. 21.

## §. VIII.

### *Marianæ virtutes vt in templo creuerint, vbi, quàm vtiliter templa frequentemur.*

STATVITVR Maria in Dei templo, vt cœlestium virtutum plantæ infixę animo de diuinorum fluentium vicinitate, citius adolescerent, vberrimosque fructus darent. Ita ne illa Anna Samuelis mater, puerulum in templo educandum portauit? 1. Reg. 1. De hoc accipite elegantem ratiocinationem D. Chrysost. Ascendit Anna præclarum illud germen transplantans, & quemadmodũ agricolæ primum semen in terra deponunt, deinde vbi conspexerint è semine factam arborẽ, non relinquunt in eadem terra, sed inde reuulsam plantulam in alium trãsferunt solum, vt terra in recens gremio suo exceptam illius radicem, puram, & integram vim suam proferant ad nouam educationem. *Itidem facit hæc mulier, quæ puerum præter spem proseminatum in illo vtero à domo transtulit, & in templũ transplantauit, vbi perpetuæ sunt fontium scatebræ, & irrigationes spirituales. Vt videre licuerit illud propheticũ: Beatus vir qui non ambulauit in consilio impiorum, sed in lege Domini voluntas eius, & erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Itaque Marianæ virtutes, & cuiusque alterius, eo magis in templo crescunt, quo ibi resident circa fluenta gratiarum. Sanè irrigui horti plantæ omnes agricolæ experiuntur culturam, & manum, atque

1. Reg. 1.

Chryſoſt.

atque iuxta fluenta ſunt, ea in primis adoleſcunt, deducuntque fructus ad maturitatem. Sic humanæ mentes, etſi quouis à loco Deum cultorem, & benefactorem habeant: at dum templis adſunt, tunc de diuinorum fluentorũ vicinitate creſcunt magis ac magis. Rectè Pſal tes. 83. ait *Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.* Quod premens D. Baſil. cap. 1 Iſaiæ fatur. *Plane enim nouit is non poſſe ſe in flores erumpere, ac ne vllum quidem germen primigenium excipere ad proferendos fructus, niſi verſetur in atrijs Domini.* Equidem tunc planta floret, cùm fluentis appropiat, nec aliter citiùs ſperat floreſcere mens humana, niſi quando de templorum fluentis rigatur. An id nouerant Ioannis diſcipuli, quando Chriſtum conuenientes in foro, ſic rogant. Ioan. cap. 8. *Magiſter vbi habitas?* Cur quærunt vbi habitet Chriſtus? Cur protinus mentem ſuam non aperiunt Saluatori, ſed eius habitationem indagant? Cyril. lib. 2. in Ioan. capit. 8. putat illos de fontibus Saluatoris cupiuiſſe rigari, quocirca meritò auent ſcire Domini habitaculum; nullibi enim aptius diuinis fluentis rigarentur, quàm ſi donatricæ domui adſint. Aiebat Iacob. Geneſ. 28. *Verè Dominus eſt in loco iſto.* De quo D. Bernard. ſerm. 6 in Dedic. Eccleſ. ait. *Teſtantur ſacræ litteræ in Paradiſo olim poſitum primum Adam, vt operaretur, & cuſtodiret illum. Sic ſecundus Adam in Eccleſia Sanctorum, in horto deliciarum (ſiquidem deliciæ ſuæ eſſe cum filijs hominum) ita inquam & ipſe Dominus eſt in loco iſto, vt operetur, atque cuſtodiat.* Nullus ergo in dubium vocet profectus eorum, qui oraturi templis inſtant, quando in templis & diuinus cultor adſtat, & fluenta pleniſsima, inter quæ vel ſterili plantæ adoleſcere licet.

Pſal. 83 Baſil. — Ioan. 8. — Cyril. — Gen. 28. — Bernar.

## §. IX.

### *Adoleſcentulæ pro religioſo ſtatu eligendo, parentum nutum ſequantur.*

NOLO indictum relinquere, quod in Mariana præſentatione ſapienter noto, nimirum quod illius parentes virgunculã templo ſacrarunt, nec Virgo abnuit, ſed parentum vota, interna ſua complet deuotione. Sic velim, omnes adoleſcentulæ ſeſe, ad parentum nutum, circa religioſum ſtatum eligendũ comparent. Et quidem D. Paulus nullam videtur relinquere optionem adoleſcentulis, de ſtatu eligendo, ſed id negotium in parentum ponit poteſtate. Ita 1. ad Corinth. cap. 7. ait. *Qui virginem ſuam tradit, benefacit; & qui non tradit, melius facit.* Ecce vobis parentibus loquitur, quod melius faciant in non tradenda Virgine, quaſi hoc deberet eſſe cunctis virginibus ſanctum, quod circa ſtatum religioſum parentum nutum ſequantur. Id notauit D. Paſchaſ. in Pſalm. 44. dicens: *Idcirco non diſpliceant tibi, ſoror, parentum vota, qui tibi id quod melius eſt, elegerunt. Audi Iſaac quomodo exequitur paternam oblationem vſque ad gladium, & vſque ad ignes: nam quantum ex voto eſt, etiam vſque ad mortem non refugit, non reluctatur, non contradicit. Occurrat tibi filia Iepte, quæ ne fruſtraretur paternum votum, ſe in mortem obtulit, quia pater aperuerat os ſuum: quæ non ſolum non refugit; verùm adhortatur patrem, vt promiſſum Deo munus adimpleat.* Huc ſuſpiciant virgines vniuerſæ, ne votis paternæ pietatis audeant repugnare, imò tunc exiſtiment duplicato fœnore religionem colere, ſi ex paternis votis illam hæreditauerint. De fortiſſima illa viragine dicitur Prouebrb. 30. quod *domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.* Nihil enim non duplicatum inuenitur inter dotes illius puellæ, quæ à parentibus ſuis ebibit in obſequendo Deo deuotionem. Helias duplicem ſpiritum promittens Eliſeo. 4. Reg. 6. ait. *Si videris me quando tollar à te, fiet tibi.* Quod animaduertens Diuus Ambroſius ſermone 87. ſic clamat. *O hæreditas pretioſa, in qua plus hæredi relinquitur, quàm habetur; plus conſequitur qui accipit, quàm poſſideret qui largitur. Pretioſa planè hæreditas, quæ dum à patre transfertur ad filium, meritorum quodam fœnore duplicatur.* Ecce vobis vnde caſtiſsimæ puellæ dos creſcat, nimirum ex eo, quod à parentibus in illam pietas tranſeat, quod ipſa religioſum parentum votum ſuſcipiat, exequatur. Hoc argumentum ponderans Diuus Auguſtinus libro de bono viduitatis, ſic apud viduam, quæ filiam Deo ſacrauerat, fatur. *Tanta mereris, vt te exiſtente vidua Chriſti, filiam quoque videres virginem Chriſti: dum enim tu oras ſicut Anna, facta eſt illa quod Maria.* Sic duplicantur dotes puellæ, quæ parentum reſpondent pijs optatis.

Paſc. — Prou. 30. — 4. Reg. 6. — Ambroſ. — Auguſt.

1 ad Cor.

## CAPVT VII.

### De Maria Virgine annuntiata.

ANNVNTIATIONIS historiam latè scripsit D. Lucas, quam demum enuclearunt P. Salmeron tom.3.à tract.4. Canisius de B.Virgin.lib.3.cap.2.omnium accuratissimè Cardin. Tolet. apud Luc. Post tantos messores ego spicilegium faciam, vel enucleatum corticem elambam, si quid fortè nuclei lateat asportari sapientissimorum dictis, & operi repetendo non officiam, ne ipsa repetitione legentes grauem. Quare de Deo mittente, de Missionibus, de Angelo Gabriele nihil ampliùs dicam; sed ad id, quod Marianum fuerit, properabo.

### *Luc. 1.* Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Nazareth ad Virginem.

#### §. I.

#### *Angeli vt inuigilent saluti humanæ.*

ANGELVS ad terras aduolat, nuntium illius nosco; etenim vbi intercedit Angelus, nil priùs agitur, quàm humana salus. Apud Iob.cap.1. dicitur. *Iob.1.* *Factum est autem quasi dies hæc, & venerunt Angeli Dei assistere coram Domino.* Quibus verbis docemur, quàm in Dei memoria sit humana salus, vtpotè ad quem frequenter ingrediantur Angeli. Sic Chrysost. in Cat fatur. *Chrysost.* *Quid tandem est, cur Angeli Deo quotidie assistentes inducantur? vt intelligamus rebus nostratibus consuli.* Etenim rebus humanis nunquam magis erit consultum, quàm si Angeli ad consilium adhibeantur. Non poterat Angelus hominum redemptionem facere, hoc enim opus dexteræ Excelsi; at in ijs quæ poterat Angelus, nullus ocyor illo, nullus prior peragebat mandata. Quando peracta à Iesu Domino redemptione, ad demolliendos carceres itum est, nonne omnium prima insonuit vox Gabrielis Angeli ex Psal. 23. aientis. *Psal.23* *Attollite portas principes vestras, & introibit Rex gloriæ.* Id præclarè expendit D. Epiph. orat. de Christ. sepult. fatus. *Epiph.* *Postquam illustris ille cœtus vnà cum Domino ad carceres vndique aditum præbẽtes, inferniq; tecta deuenit, dux exercitus Gabriel, quasi iam læta nuntia hominibus deferre assuetus, cæteros anteuertẽs vocem contra aduersarias potestates edidit, ait enim: tollite portas, &c.* Erubescceret Gabriel Angelorum dux, si quis prior hominib⁹ nuntiaret salutem, si ab alio inferorum portæ quaterentur, quando captiui homines è carcere erant eripiendi. Is enim erat Gabrielis Angeli in homines affectus, adeò Prophetis, virisq; sanctissimis notus, vt ex hoc Zacharias pater Ioannis Gabrielem non agnosceret, quod illum extra hominum orantium consortium videret. Quando namque Zacharias orationes intra sancta fundebat Luc.1. *Apparuit illi Angelus Dñi* (nimirum Gabriel) *stans à dextris altaris incensi, & Zacharias turbatus est, &c.* Turbatus, inquã, est, minimè Angelum reputans, quem separatum ab hominibus videbat. Quã turbationis causam sic expressit D. Chrysost. hom.2. in nat. Ioan. dum Zachariam inducit, ita loquentem. *Cessa dein ceps tu qui me terres: si enim esses à Deo missus Angelus, ad ea quæ sunt mihi vsus adiumento fuisses, & misertus esses eorum, qui foris lacrymantur, affligereris vnà cum eis, qui affliguntur.* Hæc sunt Gabrielis Angeli præsentissima signa, quod hominum preces adiuuet, quod causas mærentium agat, & hominibus promouendis, & consolandis inuigilet. Hinc eleganter nostræ salutis spem erigebat D. Aug. psal. 102. aiens. *Non te sanabit, qui fecit Angelos, & adæquaturus est Angelis?* Adeò enim innatum est Angelis, & inditum à Deo, vt inuigilent hominum sanitati, vt nisi vellet Deus nos sanare, quasi caueret sibi à conditione Angelorum. Quam Angelorũ inditam curam vrgebat illa Cant. dum quærens Dñm, ait illis: *Numquid quem diligit anima mea, vidistis?* Quæ verba expendens Richard. de sanct. Vict. in Cant. part. 2. cap 4. inquit: *Quærite eos testes suæ dilectionis pariter, & desideratæ præsentiæ sp̃ōsi; certè enim scit, quod Angeli Dei visione fruantur, & miretur, & quasi indebitum arbitretur, vt Deum videant, & se expertem visionis illius relinquant.* Expende illud, *indebitum arbitretur*, quasi minimè officio debito satisfaciant Angeli, dum sibi vacant, & hominum commodis non student. *Luc.1.* *Chrysost.* *Augustt.* *Cant.3.* *Richard. Vict.*

#### §. II.

#### *Honesta fœmina frequentias agrorum caueat.*

NOTANTER Angelus ad ciuitatem expresse mittitur, vt honestissimã Virginem Dei Filium parituram adeat, quasi iam ab Euæ casu liber fœminarum discursus per agros, per nemora minimè placeat. Prudens illa,

illa, & Euangelica ſponſa vbi dilectum quæſitura paratur, ait Cant. 3. *Surgam, & circumibo ciuitatem, per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea* Quæ iſthæc inquiſitio tua, ò ſponſa? Nonne dilectus habitat in hortis? Nonne ſponſus tuus flos campi eſt? Cur ergo quæſitura non peragras campos, ſed ais, circumibo ciuitatem, per vicos, & plateas quæram? Non per agros, ſed in ciuitati cuſtodia virgines habent, vnde Deo placeant. Do huius mentis aſſertorem D. Ambroſ. lib. de Iſaac, cap. 5 ſic præfata verba elucidantem: *Quæram*, inquit, *in foro, in illo foro, vbi tractant iura Conſulti, vbi oleũ venditur, quod Euangelicæ virgines emunt, vt ſemper face ſua luceant.* Papæ, intra cuſtodiam ciuitatis inueniunt virgines, vnde faces foueant, quibus excipiant ſponſum. Hinc eſt, quod Dominus domus Iacob œconomiam libentiùs ſuſcepit, quàm aliorum patrum; ait enim paulò inferiùs Angelus, *Regnabit in domo Iacob.* Cur non in domo Iſaac? in Iſaac non facta eſt repromiſsio? Iſaac non adumbrauit totũ Verbi incarnati myſterium? Nihilominus Deus præ Iſaac domus Iacobeæ œconomiam ſibi adamauit; etenim Iſaaco vxor de agrorum frequentia quæſita eſt Planè Geneſ. 24. Abrahami ſeruus, vt Iſaaco vxorem quæreret, extra ciuitatem ad frequentiſsimum puteum expectauit, exiſtimans, inter frequentias Domino ſuo vxorem reſeruari. At Iacob. Geneſ. 29. vt formoſiſsimam puellam Rachelem vidit ad puteum expectaturam, quod paſtores vniuerſi venirent, & omnes ſimul greges adæquarent, inſperatis paſtoribus, puteum aperuit, & cognatæ gregem impleuit aqua, indignè ferens, quod puella in frequentiſsimo agro moram faceret. Id quod eleganter attigit D. Cyrillus Alexand. lib. 11. in Geneſ. fatus. *Cùm optimis ſemper moribus educatus eſſet Iacob, inſignibuſq; virtutibus præditus conſiderabat, quàm turpe eſt virginem nubilem ætatem gerentem paſtores expectare.* O prudentiſsimus Iacob, qui nuptui aptam puellã non tulit inter gregales frequentias per agros errare; ſed de ciuitatis, domuſque cuſtodia laudauit. Placuit hinc præ alijs Iacob domus Deo, qui ſibi ſponſas diligit, non de peragratis campis; ſed de ciuitate, de domo. Vt enim ait D. Chryſoſtom homil. 4. in epiſt. ad Titum. *Vxor, quæ domus curam habet, pudica quoque ſit neceſſe eſt, nunquam vel circa delicias, vel circa intempeſtiuos, improboſque proceſſus, aut aliud aliquid huiuſmodi ſe occupabit* Vnde felix illa peccatrix nacta Saluatorem intra ciuitatem, in domo Simonis diſcumbentẽ, de circunſtantia loci diuina ſponſalitia ſollicitabat, inquiens apud D. Ambroſium lib. de Iſaac, cap. 5. cum teneret pedes Ieſu: *Vade ad Patrem; ſed non relinquas Euam, ne iterum labatur. Tecum eam ducito iam non errantem.* Quaſi diceret: ſi intempeſtiui Euæ proceſſus, per hortoſque diſcurſus malè apud te audiêre, ecce iam nouam Euam, non per agros errantem; ſed intra ciuitatis mœnia, intra domus ſepta quærentem, quid moraris? Scio tibi illam ſolam placere ſponſam, quæ de ciuitatis cuſtodia commendatur. Sed age, ſcire cupis quàm Deo ſuſpecta eſt ſponſa, quę per agros vagatur, quàm item amica, quæ muris cuſtoditur ciuitatis. Recole in primis quo ſupplicio mulctentur Beniamitæ impudici, poſtquam Iſraelitarum bello fracti ſunt, minimè permittuntur vxores accipere, niſi quas de agris rapiant. Ait enim cap. 21 Iudic. *Præceperuntque filijs Beniamin, atque dixerunt: ite, & latitate in vineis. Cúmque videritis filias Silo ad ducẽdos choros ex more procedere, exite repentè ex vineis, & rapite ex eis ſinguli vxores ſingulas.* Et neſcio, an impudicis hominibus conuenientius fuerit ſupplicium bellum illatum, an hæ vxores erraticæ? Quam aliter puriſsimus Agnus ſibi ſponſam comparauit, quæ non per agros erraret; ſed clauſa cuſtodiretur ciuitate! Sic Apoc. 21. ait Ioann. *Et venit vnus de ſeptem Angelis habentibus phialas ſeptem, & locutus eſt mecum, dicens: Veni, oſtendam tibi Sponſam vxorem Agni, & ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum, & altum, & oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Hieruſalem, &c.* Itaque Sponſa, & vxor Agni immaculati de ciuitatis cuſtodia debet gloriari; nunquam enim ſponſa Agni ſine ciuitate. Quod perſtringens D. Bernard ſerm. 5. in Dedicat. Eccleſ. ait. *Dico autem, quòd eadem ſponſa, quæ ciuitas eſt.* Sic ille.

Cant. 3. Ambr. Gen. 24. Gen. 29. Cyril. Chryſoſ. Ambr. Iud. 21. Apoc. 21 Bernar.

## §. III.

### *Caſti homines maximè Deo noti, & familiares.*

MIROR quàm particulariter notetur Virginis domicilium ex prouincia Galileæ, ex ciuitate Nazareth, cùm videam aliorum ſedes ignorari. Nonne lacrymabundus Ieſus de Lazaro rogabat Ioan. 6. *Vbi poſuiſtis eũ?* An quia ignoraret, vbi quieſceret amicus Lazarus? Abſit; ſed ignorabat laſciuũ hominem á mulieribus depoſitum. Ita acutè notans Chryſol. ſerm. 64. ait: *Cùm dicit vbi poſuiſtis eũ, mulieres increpat, mulieres arguit.* Notiſsimi, & probatiſsimi eſſẽt Deo homines,

Ioan. 5. Chryſol.

ni fœminarum irritentur laqueis, fœmina in culpa est, quod homo à Deo ignoretur, sola lasciuia abscondit homines ab oculis Saluatoris. Idcirco cum hominis sedem Saluator ignorat, mulieres increpat, mulieres arguit, quasi notans suę ignorationis causam. Virgo esto, & noscēris à Deo ex nomine, ex ciuitate, patria, ex prouincia ciuitatis. Ecce enim missus Angelus á Deo in ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. An visitaturus Virginem clamat Adam, vbi es? aut quærit, vbi posuistis eum? Absit; notissima est Virgo Deo â genere, à patria, â viro, â nomine. Pulchrè D. Bernard. ferm. 1. in præsenti fatur. *Nominat Virginem, sponsum quoque Virginis, amborumque genus, ciuitatem, ac regionē proprijs designat nominibus. Vt quid hoc?* Sic modò dubitat Bernard. & non multum distulit dubij solutionem, quando ita loquitur serm. 2. *Virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoq; mentis, pariter & corporis decore præfulgida, specie sua, & pulchritudine sua in cœlestibus cognita, cœli ciuium in se prouocauit aspectus.* Expendo illud, in cœlestibus cognita, quibus innuitur designati nominis, & ciuitatis, & regionis causa; nimirùm, quod notissima sit apud cœlites Virgo, maximeq; familiaris.

*Bernard.*

## §. IV.

### *Nec sui vmbram gratiùs credit Deus alteri, quàm Virgini, à qua difficilè separatur.*

AD Quam mitteret Deus, nisi ad Virginem, quando Deo virginitas præ alijs virtutibus adeò clarior est, vt nec vmbram sui vix alteri committat, quám virginitati? Nonne aiebat Matth. 25. *Simile est rēgnum cœlorum decem Virginibus.* Ecce vel similitudo, vel vmbra Christiani Regni non nisi virginibus aptatur. Sæpè ego miratus sum, cur medio iuuentutis flore permissus esset sanctissimus Abel occidi, præcipuè in tanta virorum raritate, quando liberorum procreatio laudatissima foret. An non seruaretur conueniētiùs vsque ad virilem ætatem, & post multam filiorum segetem, ipse demeti potuisset? Sed iuuenis interficitur ante nuptias, quia repræsentaturus erat Verbi passuri imaginem, quæ nulli gratiùs, quàm virgini commendatur. Huc Augustin. lib. 1. de mirabilib. sacræ Scripturæ respiciens ait: *Primus post delictum Saluatoris nostri gestauit figuram, qui Virgo, & Sacerdos, & Martyr.* Sanè Virgo eligitur, qui vel de figura Saluatoris splendeat. Huic similes pueri illi apud Babylonios traduntur flammanti fornaci, Daniel. 3. quos factos quatuor dum stupet Rex impius, dicit, *quod species quarti similis filio Dei.* Sed scire aues quo ilice pueri hi ad ad se traxerunt Filij Dei similem? Id explicat Apponius dum illud commentatur Cantic. quod Sponsus diuinus pascitur inter lilia. Etenim ait. *Tres pueri Hebræi castitatis dilectione missi sunt inter Babylonicas flammas, in eis medius ardente fornace, quasi inter lilia Dominus pascitur, eò quòd semper requiescat in cordibus diligentibus castitatem.* Quisquis ille erat, vel Deus, vel Deo similis de castitate puerorum delectatus, sese illis iungit, nec facilè est Deum disiungi, & separari à Virgine. Potuit Ioseph castissimus à patria, & parentibus, & amicis separari, & in carcerem mitti; sed ibi à Deo ob insignem pudicitiam separari non voluit, vt dicat D. Cyprian *Pudicus iuuenis, quia delicto conscientiam non miscuit, in imum carceris traditur; sed sola non est in carcere pudicitia; nam est cum Ioseph Deus.* Nec id miror, cùm sciam sic Deum virginitatis vinculis teneri, vt nisi maximam sibi inferendo vim á Virginis visceribus non potuerit exire. Quod ex Diuo Ambrosio sermon. 28. huc transfero verbis his. *Sinus Christi erat in Deo Patre Diuinitas, in Maria matre virginitas: cuius sic tenebatur pulchritudine, sic irretiebatur amore, vt ni sibi inferret vim, ab illa exire nequiret.* Sed adhuc argutiùs id ponderat Nazianzenus oration. 2. in Pasch. dum rationem reddit, cur Agnus Paschalis petebatur masculus *Quia*, inquit, *nihil muliebre, nihil molle, & effœminatum circumferat; verùm ex virgineis, & maternis vinculis pro potestate, & violēter eruperit.* Sic enim Virginis matris vinculis illigabatur diuinissimus Agniculus, vt tantum pro potestate sua sibi violentiam inferret, nunquam inde exiret.

*Mat. 25.*

*Dan. 3.*

*Cypria.*

*Ambros.*

*Nazia.*

## §. V.

### *Suspectam habet Dominas impudicitiam.*

PVLCHRE Virginitatem Marianam vocauit Andreas Cretensis *Dei tutissimum ad inhabitandū asylum*, quando Deus malè audit apud impudicos. Hi enim apud Sap. cap. 2. sic fantur: *Venite fruamur bonis,* Sap. 2.

quæ

*quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter, coronemus nos roſis, ante quam marceſcant, nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Quid tunc? Quid hi luxuriantium animi in Deum parturient? Accipite iam dicentes: *circumueniamus iuſtum morte turpiſſima cõdemnemus eum.*

*Auguſt.* Hoc ſtupens D. Auguſt. inquit: *Omnia horrenda, quæ timentur in ſceleratis, videte de qua labe conſurgant.* Iam dudum dicebant, fruamur bonis, vbique relinquamus ſigna lætitiæ, nullum ſit pratum, quod non pertrãſeat luxuria noſtra, nunc dicunt, circumueniamus iuſtum. *A talibus ligatus, cæſus, interfectus eſt Dominus. Quis de coronis florentibus erupta vincula formidaret? Quis de ſuauibus poculis dolores ſæuiſſimos præuideret? Quis de mollibus pratis tam durum crucis lignũ prænoſceret?* Et quidem vnus Deus hæc ſibi præcauere potuit, cuius præſcienti naſo adeò ſuſpecti fuêre laſciuientes flores, adeo inuiſa extitit impudicitia, vt ab illa fugiens aduolaret, virginitatiſque periculum, ſiue incolumitatem ſibi communem putaret. Hinc eſt, quod

*Dan. 13.* Daniel, cap 13. pudicitiæ prædicator Suſannæ factus, ait: *Mundus ego ſum à ſanguine huius.* Quæ verba premens Auguſt. ait. *Hac voce circa Suſannam Daniel vtitur, qua circa Chriſtum vſus eſt Pilatus: eadem igitur ſententia abſoluitur pudicitia, qua eſt abſoluta iuſtitia.* Ecce quàm ſit eadem Dei, & pudicitiæ cauſa; ſed & impudicitia comes eſt erroris, & idolatriç inſeparabilis. Enimuerò vbi accuſatores Suſannæ turpitudinis locum oſtendunt, ſub Lentiſco fuiſſe affirmant, necnõ & Iacob apud Geneſ ſub Lentiſco abſcondit idola. Quod meditatus D. Amb. lib. 2. cap. 7

*Ambr.* ait. *Congruus error presbyteri veræ confeſſionis, vt ibi contaminatam diceret caſtitatem, vbi gentium deoſſa ſimulachra ſunt.* Sic errorum ſectas vniuerſas comitatur impudicitia, vt dicat D. Saluianus lib. 8 de gubern.

*Saluian.* Dei, ponderans ab Ethnicis Romanis permiſſam eſſe ſimplicem fornicationem. *Timuerũt videlicet, ne nimis caſti homines, ac puri eſſent, ſi ab omni eos impuritate prohiberent.* Sic Ethnicis ſuſpecta eſt pudicitia; ſic verò Deo amica.

*Text.* Deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid.

## §. VI.

### *Caſti viri nimij fame zelatores ſunto.*

AD deſponſatam denique acceſſit Dei Filius de bono Matris nomine ſolicitus: maluit enim propriæ gloriæ aliquid derogari, dum putatur Ioſeph filius, quàm quod Matris caſtitas malè apud homines audiret. Etenim ſuſpectus eſſet Virginis innuptæ graueſcens vterus. Vnde D. Bernar. ſerm. 2. ait. *Tollerabilius, atq; honeſtius fuit putari ad tempus Chriſtum de coniugio natum, quàm de fornicatione.* Hæc ſit honeſtorum hominum cura, hoc anxium ſtudium, omnibus periculis, omnibus incommodis alijs aditum prorſus intercludere ſuſpicioni, quæ caſtitati officiat. Sanè modeſtiſsimus Booz Ruth. 3. vbi intra fœminam, etſi nullius criminis ream cubare vidit, *ſurrexit*, antequam homines ſe cognoſcere poſſent mutuò, & dixit Booz, caput ne quis nouerit, quod *huc veneris.* Quid quod ad propinquum puella accederet? quid quod ad diuitem modeſtum, & iuſtum paupercula veniſſet, & vitæ ſubleuationem, & caſtitatis cuſtodiam quæſitura? Nihilominus ait: caue, ne quis nouerit, quod huc veneris. Quod expendens Ioſephus lib. 5. cap. 11. inquit, excitatam iuſſit hordei, quantum ferre poſſet capere, & priuſquam aliquis eam ibi dormiſſe videat, ad ſocrum redire: *Cauendi enim tales rumores, maximè ſi non de nihilo oriantur.* Non enim honeſtis viris ſufficit immaculata conſcientia, ſed adeò debent famæ inuigilare, vt omnibus incõmodis reſecent rumores contrarios. Graui-

*Ruth. 3.*

*Ioſephus*

ter D. Athanaſ. exhortat. ad Monach admonebat ſanctiſsimarum etiam fœminarum frequentias deuitare, ſic fatus *Non quod mihi fas ſit de ijs, qui verè ſemel deuota Deo pectora dicauerunt, ſecus æſtimare aliquid; ſed vt ex abundantia ſic orant, quod fingi poteſt, tanquam poſſe credi caueamus, ne in nullo famæ noſtræ vulnere ſerpat nata ab occaſione ſuſpicio. Non tamen nobis fides facti; ſed poſſibilitas etiam religanda mendacij.* Adeò cauti eſſe debent, qui virtuti ſtudent, vt mendacij tollant poſsibilitatem; amat enim Deus bonam in ſuis famam, adeo vt vix inueniri queat, niſi in bonæ famæ penetralibus. Hinc eſt, quod Nazareth elegerit vnde parentes ſibi compararet: Nazareth, inquam, cuius etymologia flores ſonat, quaſi nullus illi iam locus placeat, niſi qui bonæ famæ odore fragret. Accipite D. Bernardum ſermone 3. in

*Athan.*

Annuntiat. fantem. *Amat florigerã patriam flos de radice Ieſſe, & libenter inter lilia paſcitur flos campi, & lilium conuallium. Teq; florem reputat Deus, & bene ei complacet in te, ſi tibi, nec honeſtæ conuerſationis decor, nec bonæ opinionis fragrantia deſit.* Duo hęc in te Dominus requirit, nimirum & honeſtę conuerſationis decorem, & inſuper bonę opinionis fragrantiam, quarum altera ſi deficiat, Deo minimè places. Subijcio D. Paſchaſ. lib. 2. in Matth. huic Mariani conjugij rationi ita ſubſcribentem. Cur Maria nubet? *Ne Virginibus velamen excuſationis fieret, quòd mater Domini criminibus fuerit infamata. Hinc eſt, quod teſtis eligitur caſtitatis, & adhibetur maritus, qui poſſit cuncta virginitatis repellere opprobria. Vnde nullus datur mentiendi locus.* Sic à caſtis mentibus fugienda eſt etiam falſa infamia.

## §. VII.

### *Vt Maria humana, & non diuina haberetur, deſponſatur.*

*Athan.* PRÆTEREA Sanctus Athanaſ. epiſt. ad Epictetum eam deſponſationis Marię cauſam reddit, vt illius panderetur natura creata; ſic enim ait. *Gabriel ad eã ipſam legatur, neque ſimpliciter ad quamuis Virginem; ſed Virginem deſponſatam viro, vt ſponſo oſtenderet Mariam verè hominem eſſe.* Et quidem hoc finitudinis ſuæ indice eguit, quæ vel conſpecta homines beabat. Illam vidit magnus ille Theologus Areopagita, & eum vidiſſet, ait. *Niſi tua diuina doctrina me docuiſſet, ò Deus, hanc verum Deum credidiſſem, quoniam nulla videri poſſet maior gloria beatorum, quàm fœlicitas illa, quã ego tunc fœliciſſimus deguſtaui.* Quis hęc crederet non Theologo, & Theologicé ſemper diſputanti? ſed qua ex Theologia id deduxit Areopagita, quo ſuſpicionem penè ingerit, vel mediocriter theologizantibus? Non maior gloria videtur beatorum, quàm ea fœlicitas, quàm ex viſione Mariæ Dionyſius guſtauit? Non maior gloria videntis Deum, quàm videntis Mariam? & hoc Theologus audet? Sed audi quàm Theologicè audeat. Etenim plures in ſcãmate Theologiæ verſantur haud ignobiliores Doctores, qui putent beatorum lumina, quibus diuinam ſcrutantur ſubſtantiã, ab alijs ſi cernantur, ipſum illis Deum cernendum tradere. Verbi gratia, videant ſuprę mæ Hierarchię Deum clare, luminibuſque Deum exprimentibus, vt in ſe eſt, maximè clarent: tunc cæteri, qui has illorum viſiones, qui hęc radiantia Deum lumina videant, ſi non poſſideant, ſi Dei nõ inebrientur vbertate; tamen & Deum guſtabunt, & proximi exiſtent æmulatores beatis. Siccine Mariano in pelago gratiarum ea Diuinitatis lumina fulgebant, hę Deum prę ſeferentes irradiabant flammę, vt illam videns haud multum impar beatis Deum guſtaret. Huc crediderim pulcherrimè reſpexiſſe Epiphaninm. *Aue*, inquit, *gratia plena, ſplendidum cœlum, qnæ incomprehenſum contines Deum. Aue gratia plena, quæ Cherubicum thronum Diuinitatis fulgore ſuperas, quid dicam? & quid proloquar? quo pacto prædicabo gloriæ radicem?* Sic ille ſeſe verbis Angeli Mariam ſalutantis ingerẽs, & ait, á Maria fulgorem Diuinitatis Cherubicum ſuperari, & vinci. Etſi quæras, quis fulgor Diuinitatis Cherubicus? Claritas ſane eſt in Deo proſpiciendo, & explicando, qua Cherubini pollent præ alijs. Sic apud Areopagitam Cherubim dicitur Dei viduum, & aluſsimæ luminum dationis exceptiuum, vt denotetur iuxta explicationem Cartuſian quod hi ſpiritus claritate *viſionis diuinæ decorantur*: verùm Maria gratia exſuperans, maiores quã Cherubim, exhibet Diuinitatis fulgores: clariores explicat Deum halãtes radios, vt quaſi noua ſpecies (liceat ſcholaſticè loqui) & Epiphanio, & Dionyſio, & cuilibet alij, diuinæ gloriæ exiſtat radix.

*Epiph. in ſerm. encomiaſtico.*

*Areop. de cæleſti Hierarc. c. 7. ibi art. 28.*

## §. VIII.

### *Deſponſata annuntiatur Virgo, ne ſoli viderentur cæleſtia dona attribui.*

*Areop. epiſt. ad Paul. Apoſt.*

VAE ſoli, clamat Sapiens, & meritò: etenim vniuerſorum author nil tribuit, quod vniuerſitatis multitudini non proficiat. Siquidem eſt communicatio Sanctorũm, caput hominum cùm ſit Chriſtus, nihil ab illo accipiet membrum ab alijs ſeparatum, & diuiſum. Ideò iuxta prædium Sichar longo laſſus itinere, fonti aſsidens, dum longa de viuenti aqua colloquia miſcet, quam mulieri Samaritanæ propinat: iam iam cupientem, imò ardenter ſitientem, & enixè exorantem in ciuitatem remittit. Ioan. 6. *Vade, voca virum tuum, & veni huc.* Abire iuſſa eſt foemina, & iterũ ad Chriſtum redire iuncta viro. Cur ita? Chryſoſt. *Ne ſpiritualium horum ſola donorum gratiam accipias* Non vni ſoli conſueuit benefacere Diuinitas. Hinc claret, cur Virgo iuncta viro eligitur proli diuinæ, quippè

*Ioan. 6.*

*Chryſo ſ.*

quippe ne ſpiritualium donorum gratiam ſola accipiat: non ſoli Mariæ; ſed vniuerſo hominum generi parabatur tantus filius. Sic Damaſcen. orat. 1. de Natiuit. Virg. *Vitam habebis natura præſtantiorem, non tibi ſoli, nec enim tui ipſius cauſa progenita es, quocirca Deum habebis, ob quem in vitam prodiſti, vt orbis vniuerſi ſaluti adminiſtram te præberes* A ſe ipſo deciſceret planè Deus, ſi ſoli Mariæ, ſi vni creaturæ, vel exiguum donum à manibus fineret proficiſci diuinis, filiorum nulli manum extendit pientiſsimus pater, quæ ſimul omnibus non eſſet filijs profutura. Et apud Lucam cap 19. prodigus ille hæreditatis ſibi debitæ partem à patre poſtulat. Porrò erant patri duo filij, & vt petenti prodigo annueret pater, inquit textus ſacer, *quòd diuiſit illis ſubſtantiam*. Hunc patrem in cœlis habemus non vni, ſed omnibus vtilem. Vnde pulcherrimè Chryſolog. ait *Petente vno, ambobus totam ſubſtantiam diuiſit; ſiquidē vnus ſolus petit, ſufficit, ſi vni ſoli ſubſtantia tribuitur*. Et quidem hoc in alijs ſufficeret, non in Deo, qui non habet in more vni ſoli tribuere, imò ſemper omnibus ſua bona diſtribuit, ſolus es, vnus es, fratribus iungere cæteris, vinculo dilectionis copulare hominibus. Etenim à Deo nil ſola accipit creatura, adeò, vt hinc ſerm. 3. contra Arrianos Diuinitatem Verbi magnus Athanaſ. concludat Eſt Verbū creatura, aiebat Arrianus; verùm creatura omnibus alijs ſuperior, ab omnibuſque diſcreta, & ſeparata, ſola Deo aſſidens ſublimis, cui vni, & ſoli Deus omnem ſubſtantiam communicauit, à qua poſtmodum acceperunt cæteræ creaturæ. Hos ridet, & triumphat Athanaſ. dū inquit. *Quomodo ſi creatura eſt, poteſt & ſolus, & primus condi, vt ſit initium omnium: omnia enim pariter cum omnibus originem ſuam, ortúmque adepta ſunt*. Pulcherrimè dictum, hæc eſt enim rerum creatarum ipſiſsima natura, vt illarum nulla ſola, vel obolum à Deo accipiat, niſi ea ſit cæteris ſocietate coniuncta, vt ſimul omnibus proficere poſsit donum diuinum.

*Damaſ.* *Luc. 19.* *Serm. 1. circa hoc* *Athan.*

Sed age oſtendamus Deo eò adductum, vt vel ab vno hominum, imò & creaturarum optaret vocari, & vni tunc omnem ſuam ſubſtantiam promitteret. Quid plura? Tempeſtate actus in altitudinem maris, ab omnibus derelictus, in ſumma nuditate, in ſumma rerum indigentia, ſublimi hærens ſtipiti, vaſtiſsimos creaturarū campos ſpeculatur, quærens conſolatorem vel vnum, & ſpeculādo feſſus, hoc exclamauit, dicens: *De gentibus non eſt vir mecum* Quaſi nec vnum ſolum videret acclamantem ſibi: eò deducta res erat, quando ecce tibi medijs paſsionum fluctibus à delictorum tempeſtate euomitus, adhærens ligno apparet ſolus naufragus quidam, qui adnatans nautarum peritiſsimo Chriſto ſic clamat amaricante lingua. *Memento mei, cùm veneris in regnum tuum*. Hæc vnus dixit, & hæc vni dicenti vni uerſas obtulit Chriſtus Paradiſi delicias. Hiccine ille Deus, qui etiam petente vno, duobus ſubſtantiam diuiſit, à quo nemo ſolus accepit quicquam? Cuius dona nō vni parabantur, nunc vni, & ſoli petenti omnia ſua tribuit? *Abſit* (inquit Auguſt) *non illi ſoli hoc præſtitum eſſe deprehendimus, nam dum tantum rerum benignè relaxat, humano generi ſubſcripſit ſecuritatem, vt conſolatio, atque ſpes totius populi abſolutio vnius deſperati eſſet, & priuatum donum creſceret in publicum beneficium*. Immenſa enim Dei bonitas libenter tribuit, quæ etiam generaliter profutura prænoſcit. Etiam tunc in tanta petentium raritate, vbi requirebatur vel vnus, non reſpexit Dominum ſolum vnum, nec Latro iſte ſolus, niſi omnibus eſſet fidelis, cunctos theſauros poſſet exhaurire diuinos, in hoc maximè felix, quod requiſiuit donū ſibi, & multis profuturum. Etenim facilè extorquetur à Deo publicum, & commune beneficium. O quàm id calluit Moyſes, dum Deo in gentem ſuam vehementer irato reſtitit, ne illos omnes interimeret ſe ſolo relicto. *Aut dimitte*, inquit, *illis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ*. Quaſi diceret: ſi omnes trucidandi ſunt, & ego cum illis trucider. Cur hoc Moyſes? Equidem tunc poterat vni ſibi ſperare vniuerſas Dei promiſsiones factas Iſraelitis: nonnè optimum illi, ſi ſolus potiretur regnis promiſsis? ſi ſolus potiretur, & haberet optimas illas regiones? Deſine ergo Moyſes cæteros trucidari, & decora ſolus habeto. S. Bernard. *Nec Moyſes vult ſolus introduci in gaudium Domini ſui. Quid ni? genti ſuæ firma charitate cohærens illam ſaluauit ſecum*. Quid ſoli daret Dominus, non viderat, imò iure ſibi ſoli diuina munera timuit, ſecuriùs iungi, copularique fratribus eduxit, ſperans ſine dubio impetrandum publicum beneficium.

*Auguſt.* *Exod.* *Bernar. ſerm. 12 in cant.*

*Text.* Et nomen Virginis Maria.

## §. IX.

### *Virginitas Mariana Deitate coronatur.*

REVOCO ad examen illud Apoc. 14. nimirum quod agni ſocij virgines habeant

Apoc.14 beant *nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis.* Etenim solemnissimum est præstantes virtute viros diuinis nominibus cohonestare. Danieli enim cap.5. posuit Rex Babylonius Dei sui nomẽ, nimirum Balthasar, quod ibi notat Theodoretus fatus. *Vbi eum vidit ipsum diuina virtute illuminatum Dei sui nomine appellandum censuit.* Sic item Virginibus, vt diuina virtute illuminatis, nomen Dei frontibus eorum scribitur: sed iam dubitabis, quomodo purissimę virginitatis Matri, non de Diuinitate; sed de dominio, & regno nomen attribuitur, dicitur enim Maria, id est, Domina. Crediderim, in Virgine quid maius ea appellatione denotari, nimirùm, quòd in illa ipsa Diuinitatis totius præsentia habitans illam coronauerit: quare magis de Diuinitatis corona, quàm de nomine illustrata Domina prædicatur. An nõ solemne fuit apud veteres, quod Pontifices in capite lamina aurea inscriptum nomẽ Dei gestarent? Nihilominus Christus Dominus verus, & æternus Pontifex cum in ara crucis esset, non de nomine Dei, sed de nomine regio scripto illustratur; etenim sic in crucis titulo capiti Iesu superposito legebatur. *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Cur Pontifex accedis ad victimas, & obliuisceris Dei nomen, & assumis in gloriam regium vocabulum? Sanè non de nomine; sed de Diuinitatis ipsissimæ corona gloriabatur. Accipite Origen. hom 35. in Matth. fantem. *Pontifex summus in fronte Dei nomen auro sculptum gestabat. Christus nomen Regis super caput in ligno positum habet: habet enim Patrem suũ, vt coronam solus Patris sui capax effectus.* Quem Diuinitas coronabat rem ipsam in se habens, cur de nomine curaret? Succedat nomini Dei regium non en, vbi Diuinitatis corona Dominus decoratur. Sic dixerim aliquo modo cum Virgine Deipara factum, quam sanè ablato vnionis hypostaticæ priuilegio impleuit præsentia Diuinitatis, adeò, vt circũdata Deo, & coronata non tam de Dei nomine, quàm de regio stemmate in Diuinitatis corona fundato debeat gloriari. Vnde Bern. mulierem illam Sole amictam, Apoc.12. Virgini Deiparæ aptans, sic inquit. *Iure ergo Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundissimam diuinæ sapientiæ, vltra quam credi valeat, penetrauit abyssum, vt quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur, huic illi inaccessibili videatur immersa. Illo nimirum igne Prophetæ labia purgantur, illo igne Seraphim accenduntur: longè verò aliter Maria meruit non velut summatim tangi; sed operiri magis vndique, & circumfundi, & tanquam ipso igne concludi.* Quam intimam diuinitatis in Mariam circumfusionem multis, & pulcherrimis aliis sententijs confirmans, tandem in hæc desinit verba. *Denique & coronauit eam, & vicissim à Deo meruit coronari.* Ecce virgũculam Deitate circumfusam, ecce Filij diuinitate coronatam, vt quæ sola filij Dei capax effecta sit, & filij æmula, ex hac diuinitatis corona regio nomine gaudeat: vt iterum Bern serm. 3. in Missus est, fatur. *Nescies virũ, & gignes filium, qualem filium? Filius paternæ charitatis erit corona tuæ castitatis.* Sic ille.

Dan.5. Theod.

Origen.

Beruar

Bernar.

## §. X.

### *Quòd nulli magis congruat dominari, quàm Virgini.*

MARIA sonat Dominam Hieronymo, & Damasceno, passimque alijs plurimis; nec Virgini excogitari decentius nomen potuit, quàm id quo clarum Regnum, & Imperium exprimitur. Regium diadema putauit Cyprianus proprium esse virginitatis & pudicitię fructum, sic de casto iuuene Ioseph scribens. *Qui in domo minor cum periculo fuerat, Regiæ domus sine periculo Dominus effectus est: generositati suæ redditum fructũ pudicitiæ Deo iudice, à quo meruerat, accepit.* Expende illud, *Deo iudice*; vt sic videas, quàm iure debitus pudicitiæ fructus regius splendor. Id satis nouerat Ioseph ipse, quùm lasciuæ heræ respõdit. Gen.39. *Nec quicquam est, quod nõ in mea sit potestate, vel nõ tradiderit mihi præter te, quæ vxor eius.* Obseruantius forsan dixerit seruus, *præter te, quæ domina mea es.* Cur non domina à seruo dicitur, præcipuè cùm & ab ingenuis quęuis fœmina domina vocatur? Stat pro Ioseph Amb. lib. 5. sic aiens. *Ille noluit, & dixit vxori domini sui rectè vxor domini, & nõ ipsa domina dicitur: quomodo domina, quæ dominandi non habet officium? quæ disciplinam dominæ non tenebat? Ille dominus, qui amantis non excipit faces.* Equidem vni Virgini adnatus est principatus, solùm Virgo ad clauum, ad imperium vocatur. Id quod animaduertens Ioseph ipse, cùm de libertate recuperanda agit. Gen.40. solùm dicit. *Suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere, quia furtim sublatus sum, & hic innocens in lacum missus sum.* Sed cur non iubet suggeri facinora sua, nimirũ, quòd viderit se à fratribus adorari, quod abstrusa somniorum caluerit? Cur solius infractę castitatis memorat causam? Sanè præsagus illius animus festinantem regiam dignitatem olfaciebat, &

Cypr.

Ambr.

Gen.39.

Gen.40.

ideò

ideò ſolam memorat caſtitatis cauſam, & cui
*Iſid.Pel.* ſoli deberetur regnum. Ita D. Iſidor. Peluſ. lib.4.ep.79 fatus. *Erubuit Ioſeph ea commemorare, quæ ſibi acciderunt, ne coronam caſtitati debitam ſibi ipſi imponere videatur.* Etenim vnũ caſtitatis coronatur opus, vt potè regiũ, adeó, vt regalis purpura, Cãt.7. vnis caſtiſsimis ſpõſæ tribuatur mẽtibus: ait enim.
*Cant.7.* *Comæ capitis tui purpura Regis.* Ibi enim reſidet regius decor, vbi caſta cogitatio, cui nium denotata nomine quieſcit. Hinc laſciua Dalidæ manus aduerſus Samſonis armatur comas, Iud.16. Cuius exemplo D. Iſidor. Pel. lib.2. ep.284. monet nos, vt fugiamus luguriantem
*Iſid.Pel.* manum. *Ne velut horrendum quendam, & elatum leonem nacta, comam quidem, quæ leonem verè leonem efficit, regiamq; dignitatem ipſi cõſeruat, amputet.* Coma ergo, nimirum caſta cogitatio, ſedes purpureq; eſt, regiq; ſplendoris, quæ ſola regali nobilitatur nomine, & ſtemmate. Dominatorem Agnum deprecabatur Aulicus Iſaias vates fœlicior illo Ioann.
*Apoc.14* Apoc.14. *Et vidi*, inquit, *& ecce agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centũ quadraginta millia habentes nomem eius, & nomen patris eius ſcriptũ in frontibus ſuis: hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo, & agno, virgines enim ſunt.* O pulchram virginum laudem! O vos fœlices dominatoris agni Laterones! Quid plura? omnes nomen regium eius, & patris eius habent in frontibus ſcriptum, regalemq; ſtirpem ipſo nomine pandunt.
*Arnol.* Vnde pulchrè Arnoldus Carnot. ait. *Maria lingua Syriaca Domina dicitur, Chriſtus Dominus, Maria Domina.* Ecce Virgo habet nomen agni regium, quòd ſi contraria contrarijs licet cõponere, accipite Chryſologi aculeum, quo inceſtos Baptiſtæ interemptores acriter pungit. *Sociatur Herodi Herodias, ne eſſent vel nomine diſsimiles, qui erant ſcelere, moribus, vitaque conſimiles, & iungerentur vocabulo, quos criminum iunxerat turpitudo.* Sic miſera cupidinis mãcipia nominis communione ſuam præferunt infamiam: ſic è contrario, qui dominatori agno candidiſſimo virginitatis balteo aſsiſtunt, nomen eius, & nomen patris eius commune habent, hoc eſt, à regia orbis moderatorum familia non degenerant, gentili condigni nomine, & principatu. Hanc ſociorum agni regiam pulchritudinem ſubodoratus D Greg Põtifex, viſis agnis illis, qui ſuper Sion dominatoris
*1.Reg.15* agni nomine cãdidabant, meminit ſtatim Saulis actum, cùm expugnaturus Amalech, nimirùm turpitudinem dicitur, *quòd præcipit populo, & receſſuit eos quaſi agnos* Quid cum mili tibus, hiſque ſtrenuis turpitudinem vaſtaturis
*Gregor.* nomen agni; *quaſi agni ſunt*, inquit Gregor. *quia per gloriã perfectæ pudicitiæ iam illis virginibus cum Chriſto in Regno gaudentibus ſimilantur*: quaſi velit à virginibus militantibus omnia regia decora iam haberi, quibus gaudent in cœlo regnantes: & rectè quidem dominanti agno ſociantur dominantes agni, ne eſſent vel nomine diſsimiles, qui erant pudicitia, moribus, & vita conſimiles; vnì enim virgines regium agni nomen ſeruant inuiolatum. Hinc de virginibus ſponſi lateronibus Regius Vates Pſal. 44. *Aſtitit Regina â dextris tuis in veſtitu deaurato, circumamicta varietate.* Quæ grauiſsimè D. Ambr. expendit lib.1 de Virginit. *Aduerte, ô Virgo, quantum tibi Spiritus ſanctus, Scripturæ diuinæ teſtificatione, detulerit Regnum, aurum, pulchritudinem: regnum, vel quia ſponſa es Regis æterni, vel quia inuictum animum gerẽs, ab illecebris voluptatum non captiua haberis; ſed quaſi Regina dominaris.* Namque, vt ſupra dicebamus, ille Dominus, qui amantis non excipit faces, & quæ niueo pudore creaturas facilè ſuperauit, iure Domina, & Maria ab omnibus celebratur.

*Pſal.* 44

*Ambr.*

## §. XI.

### *Virginum proprium in amaritudinibus vitam ducere, & abſcondi ab oculis carnalium.*

RVRSVS alij etymologiam Mariæ ducunt à radice Hebræa ſignificante amarorem maris, quam ſignificationem à Virginis nomine ablegauit Ambroſius. Verùm crediderim nunquam magis commendari Virginem, quàm cùm amarore prædicatur. Hoc vno ſe maximè iactat illa, quæ dicebat: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus inter vbera mea commorabitur* Cantic. 5. Quaſi diceret: floridis effulgeant aliæ corollis, virenti potiantur ætate, gaudijſque, ac lætitia ebriæ currant in amplexus optatos, mihi myrrheus puluis potior eſt, illis condiar vnguentis, quibus condiuntur cadauera; nõ enim carnis integritas, niſi amaricante myrreo puluere ſeruatur. Sic Nazianzen. carm. ad Virg.

*Cant.* 5.

*Nazian.*

*Mortua ſis cunctis alijs, velutiq; ſepulta.*

Nil etenim virgineæ pudicitiæ conſeruandæ aptius, quàm is, quo in ſepulchro cadauera conſeruantur, myrrheus, & amarus puluis. Hinc ſibi aptat virginitas vnguentum, ne putreſcat, ne vaneat Hinc rectè D. Gregor. Niſſen. homil.3. in Cantic. *Cuiuſmodi eſt canticum, quod canit fortis, & excelſi animi Virgo: mihi*, inquit, *eſt faſciculus, quẽ à collo ſuſpendo*

*Niſſen.*

*pendo ſupra pectus, per quem bonum odorẽ præbeo corpori, nullum autem aliud ex benè ſpirantibus aromatibus, quam ipſe Dominus effectus mirrha, ſitum eſt in faſciculo conſciẽtiæ, in ipſo meo corde commorans, & habitans*: quaſi hoc vno venanda ſit incorruptio virginitatis, quo venantur incorruptionem ſepulta cadauera, nimirùm ſuccis amaricãtibus myrrhę.

Hæc prima à Virgine effulgeat virtus, qua mortificata in diuini ſponſi oculis reuiuiſcat. *Pſal. 44.* Ecce Dauidem Pſal. 44. canentem: *Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis ſuis, a domibus eburneis.* Et quæ ſunt domus eburneæ, niſi virginea corpora? Quod ergo in primis virginem commendat, non gutta, non caſsia, ſed mirrha eſt; non enim alias virtutes ſperet virgo, cui in primis cara non eſt myrrha. Sic Guarricus Abb. ſerm. 1. in præſenti fatur. *Guarr.* *Myrrha, & gutta, & caſsia à domibus eburneis: inhabitamus quidem domus luteas, ſed quæ materiæ qualitate ſunt luteæ, continentiæ virtute fiunt eburneæ, ex quibus ſi myrrha prima ſpirare cœperit per mortificationem voluptatum, conſequenter & aliæ ſpecies multiformem virtutum gratiam ſpirabunt.* Obſunt diuinæ ſponſæ profana gaudia: quippe Labanus querebatur de clandeſtino, *Gen. 31.* & mœſto filiarum diſceſſu, dicens Gen. 31. *Si ſcirem, proſequerer te cum gaudio, & tympanis, & citharis.* Vbi pulchrè Philo. lib. 2. alle *Philo.* gor. fatur. *Re ipſa fateris, quòd detinueris eam in carcere, nam ſi eam cum inſtrumẽtis muſicis proſecutus fuiſſes; non verè deduxiſſes.* Malè profectò oleret virginitas apud gaudia, vbi & coniugium labat, nonne chriſtallinus virginitatis ſplendor torperet, vbi pene æneum caſti coniugij ſpeculum maculatur? Nonne virgo offenderet, vbi coniugij caſtitas cadit? Quæ virgo percurreret viam, quam coniugij iuga nequeunt ſuperare? Fuge, ó virgo, omnem mundum, fugitiua reſpue gaudia, quia talibus deductoribus minimè ad ſponſum diuinum peruenitur. Vxoribus conceduntur fugitiua gaudia, bonorum humanorum vſura, domus amplitudo, fulgentes veſtes, diuitiarum, deliciarũque vſus: ſed ò quàm hęc inſidiantur pudicitię, etiam in vxoratis! Id pulchrè expendit Chryſoſt. homil. de Cæ- *Chryſoſt.* co nato. *Quid laſciuæ profuit AEgyptiæ adulterium in cubiculo? Quid primæ Martiri Teclæ nocuit nudam in theatro certare? non peccauit denudata; non afficitur ignominia; ſed coronatur ſancta: atque hæc quidẽ in theatro coronatur; illa verò in thalamo infamatur.* Aduerte, vbi virginitas floreat, & vbi etiam coniugalis caſtitas fœdatur. Pudicitia in luctibus, in cruciatibus, in felleis doloribus euolat ad coronam. At ſt thalamo in eburneo, pictiſq; tapetibus, medijs gaudijs, & rerum abundantia perit caſtitas coniugalis. Vnde nomen Virginis *Maria*, nempe amaritudo, ſeu myrrha maris. Hinc pulcherrimè D. Epi- phan. de laude Virg. *Maria interpretatur* *Epiph.* *myrrha maris; mare autem dicit vniuerſum mundum, cui Virgo ſerenitatem, & tranquillitatem contulit, dum portum peperit Chriſtum.* O quàm mundus amaritudinibus exundabat antiquitùs, quot fellei fluctus hinc inde currebãt, concurrebant. Dauid ad cœlum vo *Pſal.* laturus canit. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, volabo, & requieſcam?* Cur non pe- tes Aquilarum volatus cupiebat Pſaltes? cur Ardeæ pennas non ambiebat? Equidem non tam volatum, quàm ſine felle volatum requirebat, nec inueniebat; non ales ſine felle ad altra volabit: felleum eſt, & amariſsimum tranandum pelagus, fellea Maria ſuperanda ſunt ad vitam euolanti. Sed age, inſtemus ad hucilli Naz. ad virgines conſilio, nimirum mortua ſis cunctis alijs, velutique ſepulta, quaſi non ſufficiat virgini, quòd omnibus mundi gaudijs moriatur; ſed inſuper debeat ſepeliri, hoc eſt ſic claudi, vt omnium mundialium fugiat conſpectus, quo è ſepulchro virgo ad ſuperos euolabit. Abrahę dictum â Deo fuit. Gen. 15. *ibis ad patres tuos ſepulto in ſenectute* *Gen. 15.* *bona*: an non ſufficeret dixiſſe, *ibis ad patres tuos mortuus*? cur magis dictum eſt ſeputus? Sanè, vt quis ad ſuperos euolet, non ſatis eſt, ſi mundo moriatur, inſuper requiritur, vt nec videatur à mundo, quod propium eſt eorum, quos ſepulchrum claudit. Id quòd eleganter docet Ricard. Victor ſer. de diffic. ſacrif. Mar. & Abrah ſic fatus: ibis ad patres tuos ſepultus. *Richar.* *Priùs homo moritur, vt poſt modum ſepeliatur. Mortuus quidem deſinit videre; ſed non ſtatim deſinit videri. Qui vult ergo huic mundo mortuus eſſe, oportet illum oculos illos claudere, quos in primis parentibus legimus apertos fuiſſe, & oblectamẽta ſenſuum non attendere: ſed tunc qui eiuſmodi eſt, quaſi poſt mortem ſepulturã inuenit, quando per ſapiẽtiæ ſtudium, æternitatiſque deſiderium à mũdanis inſuper mundana traſiens, in huiuſmodi ſtatum proficit, qualem carnalis quilibet non dicam ſcire, ſed nec ſuſpicari poſsit.* Iam ergo virgo mundo mortua, ſi velit ad patres ſuos cœleſtes volare, adhuc neceſſe eſt, vt ſe peliatur, hoc eſt, vt ſic â carnalium oculis clau datur, vt nec mente ab illis attingi queat. Sic puerulus adhuc Chriſti præcurſor de Virginea Mariæ præſentia feſtum agens, quia feſtum Virgini aptum meditabatur, in vteri materni abſcondito illud ſaltibus inſtituit: ait enim Luc. 2. *exultauit infans in vtero meo*, quaſi occultæ

occultæ exultationis ſigno Virginis denota-
Leo. ret aduentum Quò acuté ſpectauit D Leo ſer. 10 de Nat. inquiens. *Nondum editus puer genitricem Domini ſigno clauſæ exultationis oſtenderet.* Proh nobilis luxuriæ expugnator, quando moriens caſtitatem commendat, & conceptus in vtero inimica proſcribit caſtitatis publica feſta, omniaque virginum gaudia clauſa, & quaſi ſepulta teſtatur!

## §. XII.

### *Virginitas mentem illuminat, vt Deum videat, indeque Maria ſibi, & nobis lumen acquirit.*

TANDEM alijs, & Maria idem quod luminare, & valde appoſitè Virgini indi tur ab illuminando vocabulum: nil enim magis puro cordi innatum, quàm conniuentia lumina ad Deum videndum acuere, & excita-
Matth. re Sic apud Matth. *Beati mundo corde, quoniã ipſi Deum videbunt.* Quæ pulchrè expen-
Hilar. dens Hilarius ait. *Nihil poſtulatum, & ſordidũ ad occurſum diuinæ claritatis inſiſtit. Hi viſui, & occurſui Dei ſunt patentes, quibus per animi nitorem, ac vitæ puritatem poteſtas eius ſit contuendi.* His luminibus claruit caſtiſſimus iuuenis Ioſeph, hac fruebatur luce medijs carceris, & vinculorum tenebris, quẽ non tàm faciei ſplendor, quàm pudicitiæ lu-
Auguſt. men reddidit conſpicabilem. Vnde Auguſt. ſerm. 83. de Temp. *Pulchrior erat intus Ioſeph, quam foris, pulchrior in luce cordis quã in facie corporis.* Lux cordis eſt pudicitia, qua nobilis adoleſcens ditatus fumantes cupidinis tædas repulit. *Iure ergo Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundiſſimam diuinæ ſapientiæ, vltra quam credi valeat, penetrauit abyſſum, vt quantum ſine perſonali vnione creaturæ conditio patitur luci illi inacceſſibili videatur immerſa.* Sic Bernar. lucidiſſi-
Bern. mam Virginis mentem colligit, & expendit in radiante illa, & cœleſti fœmina Apocalyp. 12. cap Et ſanè quàm pateat Diuinitas oculis caſtis, ex illo perſcipitur quòd excepturi Hebræi Deum legis latorem apud Sinam, ſic monen-
Exo. 19. tur Exod. 19. *Eſtote parati tribus diebus, & ne acceſſeritis ad mulieres.* Id quod eleganter ponderans D. Sixtus Pontifex epiſt. de Caſt. inquit. *Si tantum illis tunc exigui temporis continẽtia profuit, vt diuinæ claritatis viſione gauderent; vide quanta illi remuneratione ſunt digni, qui per tuam voluerint integritatem ſeruare. Erunt non modo Dei breui tempore inſpectores; verum etiam coæterni habitatores.* Lyncei ſunt virginei oculi, vt Deum perſcipere valeant.

Nec ſolùm ſibi luceat Virgo Maria; ſed aliorum etiam exiſtit re, & nomine illuminatrix. Etenim quæ ſibi Sole amicitur, vt clareat, & caleat cœleſtiũ penetralia nobis viatorib⁹ Luna aſtitit. *Luna*, inquit Ioãnes, *ſub pedibus eius*, quaſi ſuperius Solẽ, inferius Lunam exprimeret. *Luna ideo facta, vt præeſſet nocti:* quod ſic Chryſoſt. examinat; *quid eſt in præfecturas diei, & prefecturas noctis? hoc eſt, vt Luna diſpellat tenebras, & hominum generi lumine ſuo præbeat commoditates vtendi ſuis ſtudijs: tunc enim viator fidentius iter facit, & ſua quique ſtudia metu poſito aggrediuntur.* Proh Deus immortalis! quàm hæc vita non ſcatet periculis, quot ſunt metus, quot occulti hoſtes, quot paratæ ſagittæ, quot mortis genera! Verum hos inter nocturnos timores data eſt Maria Luna fulgentiſima, cuius lumine quiſquis viator eſt, ſecurè iter facere, & conficere poteſt. Væ autẽ viatori, qui ſine huius Lunæ radijs viam aggreditur; *quoniam ecce peccatores arcũ paraverunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde.* Pſalm. 10. explicatior eſt Græcus, *vt ſagittent in nocte illuni rectos corde*: nulla ſanctitas, nulla cordis rectitudo inimicorum ſagittas efugiet, niſi fauor refulgeat Mariane Lunæ: tunc Dæmones rectos corde inflectendos putant, ſi faciunt iter nocte illud, hoc eſt ſi vitam ducant ſine Maria illuminatrice.

Apoc. 12. Chriſoſt.

Pſal. 10

*Text.* Et ingreſſus Angelus ad eam,

## §. XIII.

### *An non audet Angelus malus in Virginem?*

NON cuiuſuis Angeli acceſſum fælicem eſſe, teſtificatur Ægyptus, quæ Angelum exterminatorem vna nocte ſuſcepit, & omnes primogenitos ſuos interfectos luxit. Item Aſſyriorum exercitus Angeli cuiuſdam incurſu contriti ſunt: & quod maximum timorem incutit, ipſe Doctor gentium, vas electionis de ſe dixit *datus eſt mihi Angelus Sathanæ qui me colaphizet.* Qualis igitur Angelus acceſſit ad Virginem? explicuiſſet procul dubio Euangeliſta; niſi res ipſa id ſatis explicatum relinqueret, ad eam quippe, ad Virginem puriſſimam, ideoq; & ſociam agni, & eius ſingulariter dealbatam ſanguine, ingreditur Angelus

gelus, eò solùm felix, & beatus monstratus, quòd ingreditur ad illam Virginem. Huius commentarium cogitationis præstat á magno Pontifice Leone audire, qui sermon. 4. de Pasch. sic extollit corporis, & animi pudicitiam. *Et quia nil est omnium virtutum dignitate præstantius, quàm pietas misericordiæ, & puritas castitatis; his nos præsidijs specialius instruamus, vt charitatis opere, & nitore pudicitiæ, tanquam duabus eleuati alis, de terrenis mereamur esse cœlestes: quo desiderio quisquis gratia Dei adiutus impletur; huius limina vastator Angelus sanguine Agni, & signo crucis prænotata non intrat.* Equidem virginea limina Agni sanguine, vt est in Apocal. albicant, & exterminatores Angelos omnino fugant: quisquis ad Virginem Angelus intrepidè accedit, bonus est, & venturi boni nuntius. Quod pulcherrimè confirmat Chrysostomus homil. de Annunciat. inquiens. *Tunc Angelus iussa facessens Virginem adit, & clara voce: Aue*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum, non est amplius diabolus contra te.* Expende illud, *Non est amplius diabolus contra te.* Quasi dicat: Nullus Sathan, nullus malus Angelus ex tunc virginea premet limina, ex quo Agno diuino fuit consignata virginitas in Marla.

Leo.

Apud Lipom.

## §. XIIII.

### *Virginum decus clausura, & solitudo.*

INGRESSVS ad Virginem Angelus est, non enim illam in hominum frequentia inuenit; sed solam, intra cubiculum, ostio clauso reuisit. O quàm sibi debet cauere pudicitia! *Margaritam vsu atteri* non dubium est Plinio. Pulchrior, & pretiosior cunctis margaritis virginitas, seu pudicitia: væ illi si frequens hominibus sit, si pateat omnibus prospicienda, vilescet prorsus vsu, pessumibit. Nonne virginali hominum splendore, castoque naturæ humanæ decore longè elegantior, & firmior est splendor naturæ diuinæ? Quis non demens hoc neget? Accipite igitur D. Irenæum, lib. 4. contra Gent. cap. 37. vbi luculenter expendit, quám sit necessaria, & quám periculosa Dei inter homines apparitio. *Si non appareret, perirent cuncti, si passim videretur, fieret contemptibilis? Quid plura? Ideò factus homo est, & ita inuisibilitatem quidem Patris custodit, ne quando homo fieret contemptor Dei, visibilem autem rursus ostendit Deum, ne in totum deficiens homo cessaret esse; vita enim hominis visio Dei.* Ruminare illud: *Inuisibilitatem Patris custodit, ne quando fieret contemptor Dei.* Quis hæc Theologis dixerit? quod nimirum facies illa diuina, quæ in patria vniuersos beat spiritus, quæ omnium ad se oculos conuertit, rapit affectus, hæc sibi cauet ab hominum in viatorum statu manentium conspectu, ne contemnatur, ne pessundetur ab illis. Hæc Irenæus, & Theologus, & pientissimus affirmat de increata pulchritudine, *quæ se inuisibilem custodit, ne quando homo fieret contemptor illius.* Quod igitur sibi Deus timet, non timebit carnea pudicitia se ab hominum oculis sequestrans, ne fortè vilescat, & contemnatur ab illis? Diuinissimum sanè est frequentias fugere, humanis eripi obtutibus, ne vilis fias. Deificum est, summæque Deitatis proprium longa hominum deuitare colloquia, ædificare sibi solitudines. *Ecce constitui te in Deum Pharaonis*, dicit Dominus Moysi. Exod. 1. Quod eleganter enodat Rupert. lib. 1. his verbis. *Tu Deus Pharaonis constitutus non dignaberis multa loqui, vel orationem protelare cum Rege Aegypti, vel faciem tuam aperire popularibus ineruditis exemplo mei, qui nec verborum indicijs ego cum principe tenebrarum, nec passim visibiliter appareo mortalibus filijs hominum.* Nil elegantius, nil pulchrius excogitari potuit, vt doceantur qui æmularores sunt perfectionis diuinæ, qui Agnum sequuntur quocumque ierit, qualiter se mortalibus oculis negare debent, qualiter sibi timeri ab hominum frequentia, quàm suspecta debent habere humana colloquia, quàm illis grata extitura solitudo exemplo Dei, qui tenebrarum Principis colloquia, & hominum conspectus deuitat, fugit. O quám Dei æmulatrix Virgo Maria! cui ait Bernard. *In proposito erat hominum fugere frequentias, vitare colloquia, ne continentis castitas tentaretur.* Clauserat itaque etiam illa hora (nempe qua ab Angelo salutatur) suum super se habitaculum Virgo prudentissima; sed hominibus, non Angelis, & quidem iuxta Ambrosium, sola erat in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus Angelus reperiret, sola sine comite, sola sine teste, ne frequens hominibus vilesceret, eiusque puritatis splendor inglorius esset.

Iren.

Exod. 1. Rupert.

Hom. de B. Virg.

* * *

Text.

*Textus*. Dixit, Aue Maria gratia plena, Dominus tecum.

## §. XV.

### *Summa Virginis in Deum deuotio pluribus debuit ſalutationibus interrumpi, vt aduerteret.*

MIRABERIS fortaſſe ab Angelo ter Mariam ſalutatam, tribus vſitatiſſimis ſalutationibus præmiſsis. Primum dixit, *Aue*, mox, *gratia plena*, tertiò, *Dominus tecum*, nec frequenter apud Hebræos ſalutandi ſe mutuò forma inuenietur, quam To, *Aue*. Cur ergo ſalutaturus Mariam non vnica ſalutatione vſus eſt, quin potius, nullo expectato reſponſo, omnium ſalutationum genera protelauit? Ruſticus ſanè haberetur ille apud homines, qui ſalutaturus accedens ſimul omnes ſalutationes congereret, & euomeret in præſentiarum. Ruſticus ne Angelus? Abſit: tunc temporis Maria lectioni ſacræ, ſeu orationi vacabat, vt multi meditantur patres, à quibus id accepit Simon de Caſsia: vacabat, inquam, orationi ea mentis attentione, quam requiſiuit à puero Eliſæus 4. Reg. 4. inquiens. *Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum; & ſi ſalutauerit te quiſquam, non reſpondeas illi.* Quibus indicauit miniſtro, iuxta Abulenſis, & Caietani expoſitionem, vt debitè abſque diſtractione mentis properaret ad executionem mandati. Planè Maria, quæ cæteros attentione vincebat, ſic orationi vacabat, ſic diuinis legibus meditabunda inhærebat, vt communes ſalutationes non curaret: quare opus fuit Angelo nouam, & peregrinam ſalutationem texere, imò ſalutationes congeminare, vt ab opere exhibito Mariam ſibi attentam reuocaret. Hanc mihi iniecit cogitationem ſanctus Ambroſius libro 1. de Abraham capit. 8. à quo fidelis ſenex depingitur ſacrificaturus Iſaacum iam rotata ſecuri, vt amantiſsimum filium trucidaret, & ecce tibi Angelum à tergo vociferantem: Abraham, Abraham. Cur hæc Abrahami nominis congeminatio? Si ſemel tantum vocaret parentem, à nece amantiſsimi filij procul dubio reuocaret. *Tamen non ſemel vocauit*, inquit Ambroſius, *ne aut non planè audiret, aut fortuitam eſſe vocem putaret, repetiuit vocem tanquam veritus, ne præueniretur ſtudio deuotionis, & vna vox impetum ferientis reuocare non poſſet.* Et vt Chryſoſtomus addit. *Bene hic geminatione vſus eſt, vt ſuperaretur impetus iuſti.* Sic ſe ſacrificijs dedunt ſancti, ſic attendunt quid faciant, vt nec Angelorum vocibus capiantur, niſi multiplicatis. Sic omnium ſanctiſsima Virgo orationi vacabat tanta mentis deuotione, & attentione, vt opus fuerit Angelo voces, & ſalutationes geminare, veritus ne impetus orantis reuocare non poſſet.

4. Reg. 4.
Abulenſ. Caiet.
Ambroſ.
Gen. 22.

## §. XVI.

### *Gratiæ Marianæ plenitudo omnibus profecit, etiam Angelis, etiam Deo.*

ABOMINOR plenitudinem illam bonorum mundiali auaritiæ familiarem, qua pleni homines perire malunt, quàm alteri prodeſſe. Huiuſmodi erat ille apud Lucam, cap. 12. qui plena horrea deſtruere cogitabat, & maiora ædificabat, ne quid ſupereſſet pauperi. *Quid faciam*, ait, *deſtruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi? O fœdam hominis auaritiam*, inquit D. Baſil. *& horrea quidem crepabant præcodia conditorum, auarus tamen animus nequaquam implebatur! Vrgent enim ipſius animam diuitiæ à promptuarijs emanantes, ne fortè cum exiuerint, proſint egentibus.* Longè aliter Maria impleta erat cœleſti gratia, cuius plenitudo largo Spiritus ſancti imbre vniuerſas creaturas irrigabat. Vidiſti è pleno fonte nouos ſcaturire radios aquarum, quibus vicina omnia continuo irrorantur? Sic Maria plena gratiarum ſcaturit, irrorat, vt nullus illi adſit non madidus. Hinc ſanctus Laurentius Iuſtinianus ſermone de Annuntiatione ait. *Gratiæ plenitudinem, quæ in Maria erat, præſenſit, cœleſtis nuntius cognouit, manifeſtauit*, dixit, *Aue gratia plena.* Vbi ponderò illud, *præſenſit*, inſtar eius, qui vicinam fontis plenitudinem præſenſit, quùm accedens madet, ſiue irroratur. Sic Angelus Mariæ accedens, ſic ſe gratia perfundi ſenſit, quaſi ſcaturienti fonti appropinquaret. Egregiè D. Bernard. ſerm. 2. de Paruis, comminiſcitur formoſiſsimam puellam Rebecam viuo fonte adaquantem Eliezer, eiuſque iumenta, ſub cuius hiſtoriæ cortice ita in præſenti latur. *Quærit Angelus puellam, quam parauit Dominus Filio Domini ſui, bibit ipſe de hydria tua, ô Virgo, cognata ſibi virtute delectatus: ſed numquid*

Luc. 12.
Baſil.
Lau. Iuſt.
Bernar.

*non & iumentis potum tribues? bibit Angelus, quod virum non cognoscis, bibant iumenta, quòd de humilitate singulariter glorieris; sed forte ne in his quidem duabus metretis plena est hydria tua, capax est etiam tertiæ, vt non modò Angelus, & iumenta; sed ipse iam bibat archi triclinus, Patrem loquor, qui principium Trinitatis architriclinus iure vocatur. Ait sanè Angelus fœcunditatẽ Mariæ commendans, quæ tertia est metreta, quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei, ac si dicat: cum eo solo tibi est generatio ista communis.* Hæc ille eleganter expendens plenitudinem Marianam, ex qua lacteo candore pudicitiæ potantur Angeli, humilitatis decus imbibunt homines, gaudet diuinus Pater sibi socio splendore fœcunditatis, vt sic nemo sit è diuinis, vel è creatis, qui de Mariæ plenitudine non capiat.

## §. XVII.

### *Plenæ gratiæ Mariæ Deus per se ipsum prouidet, & adstat.*

SVFFICIAT cuiuis alteri, quod Deus *Angelis suis mandauit de te.* At Mariam non Angelis suis mãdauit; sed ipse per se Dominus custodiuit, parauit; quod innuit Gabriel, dum dixit: *Dominus tecum*, hoc est, non mihi ades, ò Virgo, commendata, nec ego tibi prouisurus accedo, Dominus ipse tibi adest, Dominus tui curam suscepit. Nec ideo putanda est Maria non habuisse custodes, imò & seruos Angelos: habuit sanè; sed illius singularis, & principalis custos extitit Angelorum Dominus per se ipsum. Regius ille apostata hoc crimen obijciebat Christianis, quod Deum seruire creaturis faciebant: etenim diuinùs Deus, ait, apud gentes effingitur, ab omni creaturarum cura semotus, terrena hæc Angelicæ suæ inferiorum Numinum prouidentiæ relinquens. Huius conclusit ora sanctus Cyrillus, dum recolit summam ab irato Deo profectam hominum perniciẽ, vbi Exod cap. 33. ait Moysi. *Transi hinc tu, & populus tuus, quem eduxisti ex terra Aegypti, & simul mittam ante faciem tuam Angelum meum, non simul ascendam tecum.* Tum sic Cyrillus. *Vide Israelem sub Deo in summa felicitate esse; vbi autem impegit non mediocriter vergens in defectionem, pro pœna accepit, vt sit sub Angelo.* Quin & detrimentosum hominibus, si sub alijs quibusdam sint, vel gentium principibus, etiam si boni quidem sint, sanctique, & sumo Deo subditi. Huius damni timorem Mariæ præcauet Angelus primo sui ingressu præueniens, ne tanta Virgo Angelis putaretur demandata, illorumque prouidentiæ relicta, quin potius à summo rerum Domino assumpta, ab illoque immediatè electa, & præmunita. Hoc mihi sæpe accidit admiraculum, quod Angelus Mariam, tanquam Dominam venerans, illi nouum partum, nouas curas indicens, nunquam se illi obtulit seruiturum, nunquam Angelicum promisit obsequium. Cur ita? erant Mariana omnia Domino Angelorum demandata, ab illoque diligenter suscepta, quid tunc facerent Angeli? Hoc debeo Euthymio, qui expendens verba illa Angeli ad sanctum Ioseph. Matth. 2. *Surge, & accipe puerum, & Mariam matrem eius, & fuge in Aegyptum.* Sic ille commentatur. *Non promisit se fore comitem itineris, insinuans quod magnum haberent vitæ comitem, puta puerum.* Etenim vbi Dominus adest, friget obsequiũ, etiam exhibitum ab Angelis Mariæ adesti Dominus, non opus sunt illi Angeli, quibus etsi permicissimi sunt, præuenit Dominus, vt Mariam susciperet, & comitaretur. Quod pulchrè ponderauit Hieronymus sermon. de Assumpt. vbi audiens Angelum dicentem Mariæ, *Dominus tecum*, addit: *Iam autem erat cum Virgine, qui ad Virginem mittebat Angelum, & præcesserat nuntium suum Dominus.* Ergo accedens Angelus, videns se in Mariano obsequio præuentum à Domino, non suam, nec aliorum curam promisit Mariæ, quin ex hoc eius maximam prædicat felicitatem, quod præ Angelis Dominus illi adsit.

Matt. 2.

Euth.

Hieron.

## §. XVIII.

### *Quicquid à Deo venit, humana pectora replet.*

MIRABERIS, quòd Angelus Mariæ gratiæ plenitudinem annuntiet. O bone, desine iam mirari, quando hoc certissimum est, quod quicquid à Deo hominibus venit, potens est eorum corda replere. Dominum Isaias vidit cap 6. sedentem in solio maiestatis, & inde eius magnalia notans, ait: *Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum.* Vbi expendo, quòd non solùm Dei maiestas per se, sed quæuis ea quæ sub ipso sunt, & mittuntur à Deo, dicuntur replere templum. Id quod eleganter attigit D. Gregor. Papa homil. 15. in Ezech. fatus in rem nostram. *Implebant templum, quoniam etsi Angelus apparet, infirmæ tamen mentis desiderio*

Exod. 33

Apud Cyril.

Isai 6.

Gregor.

*rio ſati facit.* Adeò diues eſt Deus in miſericordia, vt vel minimus è miniſtris eius bonis repleat, & ſatiet animam inanem, vt vel mica ab illius menſa dilapſa famelicos impleat, & ſaturet. Sapiens illa Cananæa vel vnam micam requirebat è diuinis manibus, ait enim Marc. 7. *Et catelli ſub menſa comedunt de micis.* Qualis iſta mulieris petitio? Tota egens erat, & vnam tantum á Deo petit micam panis? Sanè nouerat, quod à Dei manibus, vel mica integram boni plenitudinem affert. Ita Victor Antiochen. ibi ait. *Minimam virtutis illius partem, hoc enim micæ nomine ſignificabatur præſtandam filiæ ſanitatem arbitrata eſt.* Sed age recolamus animo tres illos Orientis Magos apud Regiam Herodis regalibus delicijs madidos, hi vt ab Hieroſolymis abſcedunt, ſtatim vident ſtellam medio ab aëre radiare. Matt. 2. *Et gauiſi ſunt gaudio magno valde.* Ecce vobis vna cœleſtis lux illo replet gaudio, qui inanes à mundiali regia à Regis Herodis conſortio diſcedunt, vbi vel vnam ſtellam Dei miniſtram offendunt, ſummo replentur, & perfunduntur gaudio. Ibi D. Chryſoſt. ait *Per miniſterium ſtellæ intelligebant, quoniam dignitas nati Regis excedebat menſuram omnium mundialium Regum.* Quippè qui à toto Herodis exercitu, medijs Regijs gazis adhuc præferebant inanitatem, ſic per hãc Dei miniſtram replebantur, vt ſuperfluere mensura gaudij. Diuiniſsimè aiebat Pſalm 25. *Cibauit illos ex adipe frumenti, de petra melle ſaturauit eos.* Mirabar, quòd Dei Angelus, quod Dei ſtella, quod Dei mica afferat hominibus ſaturitatem & plenitudinem ſed vide quod mirere magis, de petra melle ſaturauit eos, quam in nullis mundialibus bonis reperies, vel in diuinæ domus petra plenitudinem inuenies. Quò ſpectat Ricard à ſanct. Vict ſerm. de Spiritu ſancto fatus. *Neſcit omnino, neſcit, quàm ſit vera, & plena refectio, quem non ſatiat ſupercœleſtis illa, & plus quàm dulcedo mellea.* Quaſi dicat: vbi vel à domus Dei petra inſtillatam guttam non ebibis, nullam inuenies plenitudinem, & ſaturitatem.

*Mar. 7.*

*Vict. Ant.*

*Matth. 2*

*Chryſoſt.*

*Pſal. 25.*

*Richar. Vict.*

Pulchrè Cantic. 3. notatur. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael, &c.* Vbi Niſſenus, & Richardus Victorinus cœleſtem quietem intelligũt, in qua qui labore improbo hic deſudabant, delicijs pleni, & ſaturi requieſcunt. Sed aues ſcire quàm ſit immenſa hæc requies, quæ fortiſsimos exſaciare valet. En, inquit, lectulum; non enim magnum ſtratum, non ingens lecti ſternium, ſed vel lectulus minimus Dei ingentes creaturarum animos ſaturat. Id inſinuans Richard. part. 2. cap. 10. *Quia minimum eſt, quod de illa quiete cognoſcere poſſunt, per diminutionem exprimitur: nec tam lectus, quàm lectulus nominantur.* Planè minima quæ ſub ipſo ſunt, replent ampliſsima ſpatia pectoris humani.

## *Text.* Turbata eſt in ſermone eius.

### §. XIX.

### *Caueat honeſta ſponſa, inſcio marito verba excipere, vel Angeli.*

OVERE Virginem Matrem, & magiſtram ſponſarum, vt ſola in penetralibus verba Angelica excipit auribus, tota turbatur! Quæ turbationis cauſa? quod reſponſum Angelicis verbis præbes? Pulchrè apud Antipatrum orat. de Ioann. Natiuit fatur. *Non adeſt Ioſeph, voci non aſſentior, cum ſola prima parente locutus eſt ille, qui fuit primus author malorum.* Iam in prima parente ediſcant ſponſæ, quàm ſit noxium inſcijs maritis, peregrina colloquia obſeruare: & in Maria diſcant nemini aures præbere, niſi de mariti conſcientia. Non ſatis laudata illa Samſonis mater quicquid ab Angelo excipit, protinus marito reuelat Iudic. 13. quod ponderans D. Ambroſius epiſt. 60. fatur. *Inſinuauit marito viſum ſibi hominem Dei præclara ſpecie, futuræ ſobolis ferentem oracula, nec paſſa ſine viro ſcire, vel diuinitatis ſecretum.* Hinc in vna ſponſa ſalubriter vniuerſas monebat Pſalm. 44. dicens: *Audi filia, & vide.* Quippe omnes ferè Græci dum expendunt illud *vide*, putant contineri ibi monitum vxoribus ſa utare; nimirum, quod nunquam oculos âconiuge arceant, quod ſemper illum ob oculos habeant. Quòetiam crediderim ſpectaſſe verba illa Pauli ad Rom. 7. *Quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro, alligata eſt lege.* Vbi Tertul. lib. de Monogamia cap. 13 aptiùs tranſtulit, *Viuenti viro alligata eſt lege* Sic enim ſe componere debet vxor ac ſi viro eſſet alligata, vt nullibi ſit, nec conuertatur ſine viro. Huius coniugium laudabile in filijs reddit Pſal. 125. *Sagittæ potentis acutæ, ita filij excuſſorum.* Aliter apud D. Chryſoſt. nimirum, *ita filij alligatorũ*, quaſi bonorum filiorum mater illa ſit, quæ viro alligata, nil ſine viro audiat, neminem alloquatur ſine viro. Prima mulier nil curans virum, ſerpenti alloquenti ſtatim reſponſum dedit, vnde ebibit virus Id quod meditans Lyppoman. ait. *Tacere debuerat mulier, & indicaſſe protinus*

*Antip.*

*Iud. 13. Amb.*

*Pſal. 44.*

*Ad Ro. 7 Tertul.*

*Pſ. 125.*

*Lyppom.*

*protinus marito. Periculosum est confabulari veteratoribus. Discant hinc insolentiores fœminæ, & ad exemplum matris primæ multiloquium cum exteris, &c.* Imò honestæ vxores ad exemplum Mariæ sine viro, etiam Angelorum sermonem habeant suspectum.

## §. XX.

### *In quouis sanctitatis culmine timeat Virgo castitati suæ.*

SANCTISSIMA Virgo post tot virtutum innatarum examina, post Dei in se prouidentiam, & summum amorem à primo conceptionis instanti expertum, post Angelorum obsequia, audita Gabrielis voce de concipiendo Deo, statim turbatur, & suæ timet castitati. O dignam tanta Virgine cautelam! Nulla, mihi credite, virtus tanta est, quæ non debeat timere castitati. Amos cap. 7. Deum Optim. Maxim. nobis repræsentat super murum stantem, cui in manu erat adamas; sic enim habent Septuag. *In manu eius adamas.* Et quidem perfectus quisque vbi ad tantam peruenit gratiam, qua Dei manibus hæreat, firmatus adamas est; adamas, inquam, ferro, igneque potentior. à quo namque vincetur adamas? & adamas in manu Domini, timebit ne ignem? timebit ferrum? Nullo modo; sed vnum habet, quo molliscit adamas, nimirum hœdi sanguinem. Papæ, etsi factus adamas in manu Dei fueris, etsi omnia difficilia superaueris, vnum adhuc habes, quod timeas, nimirum animalem libidinem, & petulantiam. Ab hac tibi timendum est, etiam si in manu Domini adamantino virtutum robore videaris firmatus. Ab hac stat sententia D. Hieron. in præsenti lib. 3. cap 8. fatus. *Habet in manu adamantem, qui in tantum robustus est, vt dicatur ad eum, si transieris per ignem, flamma non comburet te, quantoque magis tentationibus cæditur, tantò fortior fit, & pro nomine Saluatoris inter flagella lætatur. Cumque à nullo superari queat, solo mortiferæ libidinis calore dissoluitur. Hæc enim sanguinis hircorum dicitur esse natura, vt sit ad libidinem calidissimus, & quod ignis domare nequeat, solus illius dissoluat cruor.* Itaque post mille victorias partas, post rebelles domatas naturas, etiamsi virtutibus clarus, manibus sustenteris diuinis, etiamsi adamas fias, cauendum tibi est à libidine, hanc semper inimicam, & contrariam puta, quam in ipsa securitate timeas. Non possum non mirari sanctissimi Iob hac de re cautelã: is enim sic filiorum inuigilabat pudicitiæ, vt cùm audiret filios, & filias simul discumbentes, ruina domus oppressos fuisse, hæc illum prima subijt cura, ne masculorum cadauera coniuncta cecidissent fœmininis. Accipite D. Chrysostom. homil. 1. in Iob fantem. *Sedit itaque Iob verus, fortisque adamas, beatus Iob discernens liberorum suorum membra, cauensq; ne forté in masculinis membris fœminea coniungat.* Prch verus adamas Chaldæorum ferrum de cœlo ignem immissum pertransis inuictus, & in membris sanctissimorum filiorum, cum iam vita carerent, times scintillam libidinis, ideoque caues, ne masculos fratres fœminis sororibus, & defunctis coniungas! Quis non metuat libidinem in quacunque vitæ sanctitate constitutus, quando adamas in manu Dei eam timet quando Iob ex collisione cadauerum fratrum, metuit eius scintillas? quando Maria electa, & prælecta à Deo turbata ex colloquio Angeli suæ castitati timet? Dicit Genes. 6. *Videntes filij Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores.* Id quod ponderans D. Basilius de vera Virgin. ait. *Sufficit quippe vel modice nudata pulchritudo, Dei quoque filios ad voluptatem emollire, & quasi homines eius causa morientes, mortales ostendere.* Nullus ergo in culmine sanctitatis, & perfectionis securam se putet castitas, & ab incursu, & decursu liberam. Psalm. 44. *Astitit Regina à dextris tuis.* Quis locus aptior, & securior Virgini, quàm dexteræ Dei, vbi agni locantur post pericula? Sed ibi statim, *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam.* Adhuc in dextera Dei constituta monetur, quia adhuc habet quod timeat. Rectè D. Paschas. ibi: *Statuitur in dextris, vbi beatorum est locus, & monetur à patre, quoniam, vt dixi, adhuc bellandi est tempus.*

Amos. Sept. Hieron. Chrysost.

## §. XXI.

### *In castitatis duello per fugam vincitur.*

HEV Mariæ trepidatio! credebat inuenisse mulierem fortem, quæ aëreas detriumpharet potestates, & ecce vno Angeli verbo tota Mariæ fortitudo turbatur, tota trepidat. Quæ ista hæc fortitudo mulieris in trepidatione? Sanè nunquã fortior Maria, nunquã bellicosior, quàm dum audito de conceptu sermone, & trepidat, & fugã meditatur. Enim verò castitatis victoria non in congressu; sed in fuga sita est. Strenuus ille, & veteranus

miles

miles Iob poſt manus ſæpe cum hoſte conſertas, vbi ad caſtitatis accedit duellum, ait cap. 31. *pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de Virgine.* Id quod nunquã ſatis miratus D Chryſoſto. hom. de cont. Ioſeph. ait. *Quis nõ admiretur videns virũ hũc cum Diabolo viriliter certare, & omnes maligni machinas vincere, virginis autẽ faciem fugere, & à formoſæ puellæ aſpectu oculos ſubducere? Diabolum accedentem non fugit; ſed manſit ſicut Leo viribus fidens, virgine autem viſa non ſtetit, neque moratus in contuenda pulchritudine; ſed ſtatim ſeceſſit. Cenſebat nimirum in prælio contra Dæmones virili, & audaci animo opus, in continentiæ autem præparatione victoriam concedi, non ex virginis conſuetudine; ſed ſeceſſu.* O quiſquis in mundi huius arenam prælaturus deſcendis, diſce pugnandi modos, cadunt ſanè Dæmonum phalanges, vbi ſtrenuè inuadentem militem experiuntur, excidunt vniuerſa vitia, vbi audax miles primis cenatibus obſiſtit intrepidus: at laſciua manus tunc vincitur, cùm fugitur, cùm timetur! Ecce qua iter caſtitas armatur aduerſus hoſtes. Luc. 12. *ſint lumbi veſtri præcincti.* Quid hic lumborum præcinctus innuit? Præcinguntur ne lumbi militum, vt expeditiùs hoſtem aggrediãtur, an vt hoſtem fugiant? Pulchrè D. Fulgent. ſermo. in hoc Euang. ait. *Omnis Chriſtianus præcinctos habeat lumbos, vt fugiat libidinem.* Papæ, cæteræ virtutes ſuos præparant milites ad congreſſus; at caſtitas quos victores expetit ſic præparat, vt illis non congreſſum, ſed fugam ſuggerat. Vidiſſes exercitum Iſraelis Iud. 20. ſemel & bis arma corripuiſſe aduerſus adulterij architectos Beniamitas; ſed quoties Iſrael aggreditur delere luxurioſam tribum, toties ipſe malè cadit percuſſus. Tandẽ quod audaci congreſſu non potuerunt, id perficiunt artificioſa fuga, ait enim, *qui fugam arte ſimulantes inierunt conſilium, vt abſtraherent eos de ciuitate, &c.* Ecce vbi aggrediuntur libidinoſos hoſtes, ipſi proſternuntur tunc vincunt, quùm artificioſè ſimulant fugam, nunquam enim ex libidine victoria venit niſi per fugam.

Iob. 31.

Chryſoſ.

Luc. 12.

Pulg.

## §. XXII.

### *Quàm eſt fugiendus puellis ſermo blandus.*

TVRBATVR Maria in ſermone Angeli, & in eo ſermone, quo maximè extollebatur, quo ſummè pellicienda erat. Quis vnquam ornatius? quis luculentius? quis blandiùs puellam commendauit, quàm Angelus Mariam commendat? Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Verba ſanè tot illicibus plena, quot literis, nec magis ſuauia, nec magis allectoria, nec magis cõpta excogitari poſſent, & turbata eſt, & expauit caſtitas, quia ſermonis exceperat blanditias. Heu quam iuncta eſt pudicitiæ ruina mollitis, & compoſitis ad inficiendum ſermonibus His ſe contulit Iudith cap. 9. vt Holophernem detriumpharet, inquiens, *peruaries eum ex labijs charitatis meæ.* Prouerbialiter dixit labia charitatis, nimirùm ſermones compoſitos amatorios ſimillimos ſiſtulæ aucupis, qua dulcè canit, vt volucres capiat. His ergo ſermonibus totam Holophernis perniciem credidit ſapiens fœmina, & quod robur illis non molleſcit, & labat? Poſt mille numeratas puellas Apollinis carminibus proſtitutas, nimirùm Steropes, Arethuſas, Narciſſas, Zeuxippes, ſic finit D. Clem. Alexan. in adhortat. *Effugit enim ſola Daphne, & vatem, & vitium.* E tot vna egrè, & difficulter poeſis effugit luxurians virus, vt veriſimè dicat Hieron. ad Demetriadem, *quòd perditæ mentis homines vno frequenter verbo, leuique ſermone tentant clauſtra pudicitiæ.* Suſpecti igitur ſint virgini blandi ſermones, ſuſpecta charitatis labia, & verba, quæ præſeferunt ſuſpicionem libidinis, non ſine horrore, & turbatione audiat, quantumuis ab Angelo ſint dicta. Sic apud Nazian. Trag. de Chriſto patiente, docet ipſa Deipara.

Nazia.

*Libidines auerſor, vt nec verbulo*
*Audire, nec pictura eas feram aſpicere*
*Spernendo ſiquidem hæc virginem animum*
*poſſideo. ---*

Quis deinceps ſibi de virginitate, & munditia cordis blandietur inter impura carmina, inter choreas, luxuriamque exhalantes ſermones, cùm fortiſsima omnium Virgo Maria non aliter virginem animum poſsidere dicatur; niſi hæc ſpernendo; niſi à verbulis, à picturis fugiendo? Sed ais, quid officit verbulum, ſiue ſermunculus, aliaque leuidenſia, vbi integer animus, & infractus conſiſtit? Heu periculoſam ſecuritatem! ne tibi videatur animus liber, vbi verba mollia, vel ore profers, vel excipis aure. Sanè apud Luc. cap. 11. dicitur, *cùm immundus ſpiritus exierit ab homine, perambulat per loca inaquoſa.* Quid eſt, cur immundus ſpiritus ab homine abſcedit? Cur audet extra hominem eſſe, vel â quo homine ſecurus

Luc. 11.

discedit immundus spiritus? Equidem ab illo securus abit, qui immundis verbulis ora præbet, & aures. Rem explicat eleganti exemplo D. Basil. libro de vera Virg. fatus. Sicut miles, dum domum sibi pergyrum circumiens quærit, occupato primo ingressu, facilè ad interiora penetrat, quidpiam ex armis suis, lanceam scilicet, aut galeam, clypeumue illic deponit; ac licèt sociorum gratia egressus foris interim videatur, potestate tamen intus est, ob id quod ex armis suis intus posuit, propriam suique iuris, aut sociorum, quos secum introducturus est, fecit domum. *Ita & voluptatis miles atrox domum per circuitum quærens, anticipans per sensus ad intima transitum, aliquid armorum suorum, id est, vel aspectus lanceam, vel galeam scilicet sermonem voluptatis opificem, vel manuum tactum in anima virginis ponens etsi foris esse videtur peccati perpetratione nondum corpore inquinato, potestate tamen intus est per arma ibi deposita vitians mentem.* Itaq; vt in militaribus rapinis domus stat militi absenti per leue chirotecæ, seu galeæ signum, adeò, vt quantumuis liberam, integramque videas domum; tamen de leui signo eam sub potestate æstimas inimici. Sic vbi in virgine voluptatis opifices sermones, & alia huiusmodi leuidensia videris, ruinam inde auspicare pudoris, quamuis longissimè videatur abesse hostis. Id nouerat castissima Sujanna Dan. 13. quæ vt non poterat reuelare senum in se facinus, quin castissimo ore verba impudicitiæ tractaret, elegit silens mori, quam eiusmodi facere sermones Ita D. Amb. in Psalm. 37. ait. *Accusabatur, & tacebat, ducebatur ad mortem, & silentio se tegebat, ne nudaret pudorem* Quando excusationis verba impudicitiam senum sonarent, ab illis abstinuit nō metuens mortem, & metuens pudori. *Ambros.*

## §. XXIII.

### *Etiam ab Angelorum colloquijs cauendum præ silentio ei, qui Deum diligit: pernicioſa enim colloquia castis.*

QVAM Virgo Maria in Deum rapiebatur, cùm Angelicos horret, & expauet sermones! Sanctissima illa Christi Domini amasia Magdalena diuinum cadauer exquirens, Angelos offendit, & Angelos nihil curans preterijt. Angelos non vides Magdalena? Pulcherimè eius nomine respondet Orig. *Nolo Angelos videre; si cœperint mihi multa narrare, & si voluero illis ad omnia respondere, timeo, ne amorem meum magis impediant, quàm expediant.* Adeò Dei amatoribus præcauenda sunt colloquia, etiã Angelica! Malachias cap. 3. inquit, *Locuti sunt timentes Dominum, vnusquisque cum proximo suo: attendit Dominus, & vidit, & scriptus est liber monumenti coram Deo.* Ecce timẽtibus Deum tot accidunt linguæ lapsus, qui librum repleant. Quid mirum? etiam Deũ amantes sibi timent à colloquijs Angelicis. Nihil diuinis amatoribus præstat, quàm silentium: pro quo vnus adest Guaricus Abb ſer. 3. de Anunt. vbi sic. *In vtero verbum æternũ sub silentio se premit? vobis tamen fratribus illud silentium loquitur, vobis clamat, vobis vtique disciplinam silentij commendat: sicut namque puer ille conceptus in vtero ad maturitatem partus sub alto, & diuturno profecit silentio: sic spiritum hominis disciplina silentij nutrit, formar, & roborat, & quantò occultius, tantò tutius, & salubrius incremẽtum præstat.* Ne miremur, quòd prudentissima Dei dilectrix Maria expaueat Angelicos sermones, quæ à silentio maximos in dies capiebat profectus: nullum enim est colloquiũ, quod non debeat timeri à perfectionis studiosis mentibus. Quo circa & pulchra, & efficacia verba dabo sancti Isaci Presbyteri de contemptu mundi sic dicentis. *Sic vehemens glacies subitò incidens summitatibus plantarum deficcat eas; ita colloquia hominum, quamuis omnino breuia sint, & putentur ad bonum proluta, deficcant tamẽ flores virtutum, quæ de nouo floruerunt ex temperantia solitudinis.* Hæc ille etiam de honestis colloquijs sanctorum hominũm dicebat. Vbi autem de colloquijs mundanorum agit, tunc sic pergit. *Sicut nobilis homo, cùm inebriatur, obliuiscitur suæ nobilitatis, & status eius exhonoratur, & irridetur pretiositas eius propter alienas cogitationes, quæ superuenerunt eidem vini virtute: ita & castitas animi turbatur ab incauta locutione, & eradicatur ab ista omne sustentaculum laudabilis status sui.* Expende quæso, quàm exitialis existat incauta loquutio animis castis, quorum stabilis fortitudo sub verbulo labat, & eradicatur ab ista omne sustentaculum laudabilis status sui. Quid plura? D. Aug ſerm. 114. sic ponderat: D Petri lapsum, *Petrus labia puellæ non sustulit; sed vbi locuta est, ille turbatur: processit sermo puellæ, & immobilis columna concussa est.* Quæ castitas non timeat colloquia, ad sonumque sermonis non expaueat? De prima peccatrice Eua ita Text lib. de patien. fatur. *Quid quod non sustinuit sola circumuẽta, sed apud Adã nõdũ maritũ impatiẽs etiã tacendi est.* Ecce principium lapsus, quod *Malach.* *Guarr.* *Isaac.* *Auguſt.*

virgo

virgo cum homine collocuta fuerit. Id enim significat, dum ait, quod apud Adam nondum maritum impatiens extiterit tacendi.

*Text.* Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius.

## §. XXIV.

### *Mariæ turbatio humanæ saluti dedit spem.*

*Oseas.* VIDERE mihi videor in hac Mariana turbatione adimpletum id, quod apud Oseam, cap. 2 promisit Deus. *Dabo eis vallem Achor ad aperiendam spem*, siue cum Symmacho, *ad ostium spei* Quibus To Achor, nec nomen proprium, nec cognomen est; sed substantiuum quoddam vocabulum turbationem significans: quasi dicat, dabo eis vallem turbationis ad ostium spei. Ecquis potior vallis, quàm fructifer Mariæ venter *vallatus liliis*? Turbatur sanè, imò contremiscit floridus pudicitiæ Marianæ vallis, cùm iussus est fructum effundere Hæc vna, & tota turbatio
*Tolet.* nis causa apud eruditissimum Cardin. Tolet. legitur, nimirum proposita Mariæ, & adamata virginitas, quæ vel nomine prolis audito contremuit, expauit, turbata est. Sic Cantic. 5.
*Cant. 5.* ipsa fatur Virgo. *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit.* Siue cum Septuag. *Et venter meus conturbatus est super ipsum.* Quod pulcherrimè ex
*Guill.* pendit Guillelmus apud Delrium, dum inquit. *Maluit manum mittere per foramen, per aurem Virginis sono prædicationis Angelicæ illabi in mentem eius ad eliciendam, quæ diuino mysterio cooperatur, fidem, ad manus huius suauissimæ contactum memoria Virginis obstupuit, & expauit pro cautela votiui propositi sui.* Quid tunc conturbata virginitas? *Surrexi*, inquit, *vt aperirem dilecto meo: sic*
*Honor.* *sacra Virgo*, vt commentatus Honorius, *Christum fuit, per quod Christus in mundum introiuit.* Sic floridus, virgineusque vallis conturbatus voce Angeli ostium nobis aperuit salutis. Hoc equidem liliato valli, quasi stagnatam video piscinam illam Bethsaidã Ioan.
*Ioan. 5.* 5. quæ ab Angelo perturbata primo occupanti causa facta est salutis. Sed absit à Mariæ turbatione tam angustus salutis fons: etenim cum accedente Angelo Mariam turbari videris, vniuerso hominum generi maximam auspicare salutem. Id mysterij prænouit D. Da-
*Damas.* mascenus oratione 1. de Virginis Natiuitate, in eo quod domus virginea fuerit apud Bethsaidam fundata, ex quo sic præsenti mysterio accinit. *Fausta tibi sint omnia, ô Probatica, patrium Reginæ domicilium, fausta tibi sint omnia, ô Probatica, seminum loachim vetus fanum, nunc autem ouilis ratione præditi: Ecclesia cœlum imitans, atque olim semel quotannis Angelum Dei excipiens aquam turbantem, & vnum valetudini restituentem.* Verùm modò recepti Angeli sermone turbata Maria; turbata, inquam, semel vniuersitatem hominum reddit sanitati.

Memini Cassiodorum lib. 8 epist. 32. Are- *Cassiod.*
thusæ fontem extollere ad miraculum, cuius miram, inauditamque proprietatem ideò prædicat. *Nam cum ibi tacitus homo, & studiosè silentiosus aduenerit, aquas fontis irriguas reperit sic quietas, vt in morem stagni non tam currere, quàm stare videantur. Aſt vbi concrepans tussis emissa fuerit, aut sermo clarior fortasse sonuerit, nescio qua vi statim aquæ ibidem concitatæ prosiliunt, os illius gurgitis ebullire videas grauiter excitatum: silenti homini tacita loquenti strepitu, & fragore respondens, vt obstupescas sic subitò perturbatam, quam nullus tactus exagitat. Nouavis, inaudita proprietas, aquas voce hominis commoueri, & quasi appellatæ respondeant, ita hominum sermonibus prouocatæ, nescio quid immurmurant, credas ibi aliquod animal prostratum somno quiescere, quod excitatum magno strepitu tibi respondeat.* Hæc Cassiodorus pulchrè admirans, fontem silentio quiescentem sermone perturbari: quod forsan miraculum in viuido salutis fonte Maria inuitus est D. Zeno serm. 3 de Natiuit. dum ait: *Mariæ super hus emicat venter, non munere coniugali, sed fide: verbo, non semine.* Ecce tibi signatus ille fons, virginalis vterus intremuit, turbatus est, vt supra dicebamus; turbatus, inquam, est, non tactu virili, non semine accepto humano, sed verbo, sono prædicationis Angelicæ in mentem eius illapso. *Turbata*, inquit Lucas, *est in sermone eius.* Aderant proculdubio Mariæ frequentissimi Angeli, adfuit illi ãtemplo Gabriel familiaris, nec tunc legitur Maria turbata accessu Angeli. Quid mirum? aderant Angeli taciti; nil prius de concipiendo verbo, de omnipotenti sermone egerant, sic silentius Angelis de verbo, tacita, & quieta respondebat Mariæ puritas virginalis. Aſt vbi Angelico sermone eius signati fontis pudicitia huc vsque instagnata, ebullire cœpit, vt obstupescas sic subitò perturbatam, quam nullius tactus exagitat, sic ebullire, sic effervescere, *non munere coniugali, sed fide, verbo, non semine.* Pulchra sanè illa

Cassiodori excogitatio est, vt sermone pertur bati fontis rationem adderet, nimirum, *credas ibi aliquod animal prostratum somno quiescere, quod excitatum respondeat.* Nec crediderim falli, qui ex Mariana turbatione à verbo Angeli causata, numen inibi quiescens dixerit excitatum. An non Psaltes 76. clamat, *Excita potentiam tuam, & veni, vt saluos faciat nos?* Sanè consopita erat potentia, quæ poscitur excitari. Sed audi Petrum *Dam.* Damian. serm. de Annunt. qui sic apud Mariam potentiam Dei prædicat accubantem. *Cum fecerit Deus omnia sua opera valde bona, hoc melius fecit, nempe Mariam, consecrans in ea sibi reconciliatorium aureum, in quo se post tumultus Angelorum, & hominum inclinaret, & requiem inueniret.* Mariano in pectore quiescebat diuina potentia, ibi quasi cubabat consopita, donec sermo Angelicus intonuit; tunc enim virgineus conturbatus venter, non tactu, sed verbo, potentiam Dei excitari præmonstrat, & magnum humanæ salutis ostium aperiri: equidem fecit potentiam in brachio suo, & exaltauit humiles,

## §. XXV.

### *In sermone Angeli suas laudes Maria timuit.*

*Gregor.* PRÆCELLENTI Gabrielis salutatione nulli vnquam creaturarum tributa, turbatur Maria, quia vt eleganter Gregorius dixit: *Iustus dum laudatur in facie, flagellatur in mente.* Timet prudentissima Virgo laudes suas, nouumque, ac gloriosum expauet panegyricum, vel tunc maximè parens *Luc.4.* digna diuino Filio, qui gloriosè à Dæmone compellatus. Luc. 4 silentium Dæmoni indicit, *Obmutesce*, inquiens. Cuius imperij faci- *Epiph.* nus sic expendit D. Epiphan. tractans de malo linguæ. *Se ipsum sponte morti obtulit Saluator, & sermonibus mendacij aurem nequaquam præbuit, os suum aperiès acetum cum felle gustauit, qui scelesti verba auribus excipere recusauit: os proditori osculandum exhibuit, & deceptori responsum dare noluit: sic & tuum os maledicis osculandum præbe, aures verò minimè; nam si tuum illis os præbueris, osculum illos condemnabit; sin aures illis accommodaueris, iam te verborum gustus occidet.* Hæc ille occasione Christi Domini fugientis laudes explicuit, quibus pondero illud, *Si aures illi accommodaueris, iam te verborum gustus occidet.* Sanè efficacissima venena vel ventriculo decoqui, vel mandi debent, vt perniciem infundant. At laudum virus omnia venena superat, verborum solus gustus occidit. Sic esurienti in deserto Christo nocituro Satanas, illumq; exterminare cupiens, non venenatas dapes proponit, non vina virulenta propinat; sed laudes parat, quæ vel gustatæ possunt occidere. Sic Chrysost. homil. 13. in *Chrysost.* Matth. *Non dixit, si fur; sed si Filius Dei es, videlicet existimans posse se aliquid per laudum blandimenta furari.* Vide qua se pestel berent, qui laudes suas ab hominibus nõ exquirunt, præterquam quod vanissimũ, imo stultissimũ est, alienis testimonijs fidere. Pul- *Bernard.* chrè Bernard. serm. in Nat. Ioan. Bapt. *Audi quid dicat Scriptura; Sapiens permanet vt Sol; stultus autem vt Luna mutatur. Mutatum siquidem lumen nunquam in eodem statu permanet; sed crescit, deficit, extenuatur, annihilatur, & penitus non comparet; sic qui conscientias suas in alienis labijs posuerunt, modò magni, modò parui sunt, modò nulli, secundum quod adulantium linguis vel vituperare placuerit, vel laudare.* Has lunares decretiones sustinent, qui ab alijs expectant, & auent laudari; è contra prudentissima Virgo in hoc maximè electa vt Sol, quæ nec lumen emendicat, imò horret, & turbatur laudata.

## §. XXXI.

### *Diuina dona rationis exigendæ metum afferunt.*

VENERAT, inquit Chrysolog. *Angelus blandus in specie, fortis in bello, mitis in habitu, in sermone terribilis, humana proferens, diuina repromittens.* Sanè ac cõmodatè dixit, *diuina repromittens*, magna enim, & diuinissima Virgini Angelici sermones instillabant, & Virgo tunc diuinissimis oppignorata muneribus, ditata orbis terrarum pretio, cœlesti ciue visitata, de sermone hæc sibi offerente turbatur. Quæ tanto in mu- *Chrysol.* nere turbationis ratio? Illam eleganter Chrysolog. tradit. *Quid plura? mox sensit in se supernum suscipi iudicem, vbi antè iam cœlestem vidit, & contemplata est mediatorem.* Et verè vbi cœlestia sibi donari vidit, mox in se supernũ præsensit iudicem, cui reddenda erat exacta doni ratio. Huc spectat Chrysost. hom. *Chrysost.* 1. in Acta, expendens causam, cur Spiritus sanctus venerit in Apostolos medijs linguis igneis. *Postquam*, inquit, *adepti sumus donum, iam instat iudicij, & examinis tempus*, quasi nullum sit interuallum medium inter donũ, & iudicium, inter benefactorem, & iudicem. *Iacob. 1.*

Etenim

Etenim, vt ſcitè docuit ſanctus Iacobus epiſtol. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum.* Nullum in nos proficiſcitur donum, niſi á patre luminum, vt flammantis iudicij metu afficiamur, cum donum ſuſcipimus. Id effigiatum memini apud Heliopolim, vbi erat Apollinis ſtatua, cuius dextera ſpicarum manipulum, ſimul & fulmen dicitur oſtentaſſe, ne quis ſpicas ſumeret, qui etiã igniti fulminis non ſuſtineret examen. Sic compoſitus erat Eccleſiaſtes, cap. 2. quùm de acceptis à Deo donis in immenſum gloriatur. *Quis ita deuorabit, ait, & delicijs affluet, vt ego?* Quæ verba ſic expendit Chaldæus, vt priſtinam Salomonis pietatem commendaret. *Ecquis, quæſo, vel in ſententia legis vigilantior, vel circa ſummi illius venturi iudicis diem ſollicitus magis quàm ego?* Vbi inter accepta bona venturi iudicis ſollicitudo regium animum pulſabat, conturbabat; cur etiam Marianum animum hæc ſollicitudo non pulſaret, vbi tanto filio ditabatur? Et qui dem vbi Deus triumphali illo curru vectus, ſe ſe Ezechieli obiecit, vt hac viſione, iuxta explicationem Iuſtini martyris, quæſt. orthodox. 44. conſolatio daretur Hebræis prægraui ſeruitute Babyloniorum preſsis, inter currum vehentia animalia igniti crebrò carbones fulgurabant, *in quorum ſinu*, ait Tertul. lib. de Trinit. *carbonum medius eſt ignis, quoniam ad diem igneum iudicij mundus iſte feſtinat.* Quaſi nollet Deus vel minimam conſolationis ſpeciem hominibus prætendere, quin ſimul de illo igneo tempore rationis reddendæ commonefaceret ipſos. Hoc enim habent omnia diuina beneficia, quod intra ſe nutriant examinis, & ſupplicij ex ingratis ſumendi ignem. Quod meditatus D. Zeno ſermon. 2. in Exod. vbi recolit beneficia à Deo in ingratiſsimum populum profecta per nubis, & ignis columnas, fatur. *Verùm Iudæe quid monumentis tui criminis gratularis? Columna nubis te perduxit per diem, vt oſtenderet cæcum, ignis columna per noctem, vt moneret arſurum.* Ecce qualiter inter ipſa beneficia propinabantur cæcitatis, & ruinæ ſupplicia populo ingratiſsimo. O felix, qui diuinis beneficijs non ſic afficitur, vt ignoret latentem ibi ignem vaſtaturi examinis; Oculatiſsimus Abraham. Gen. 18. hoc pro magno habuit beneficio, quod Deus eius tabernaculum intraret. Sed quid tunc vir iuſtus? Pulchrè D. Clem. Rom. lib. 5. Conſtit. cap. 21. fatur. *Dei Filium Abraham acceptum hoſpitio iudicem, & ſuum Dominum confeſſus eſt.* Sic de beneficio hoſpite gaudens, de iudice expauit.

*Ecclеſ. 2.*

*Iuſtin.*

*Tertul.*

*Zeno.*

*Gen. 18.*

*Cle. Ro.*

*Text.* Et cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.

## §. XXVII.

### *Nil non præmeditandum, antequam faciendum.*

PRVDENTISSIMA ſanè hæc Mariæ in reſpondendo cunctatio fuit, nam- *Ennius.*
que vt aiebat ille. *Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem*; dixiſſem ego: vna fœmina Maria cunctando rem hominibus reſtituit. Etenim dum Eua feſtinauit ſerpenti credere, omnia nobis cœleſtia bona eripuit; vna Maria ad Angelicum ſermonem cunctata, verbaque eius meditata, rem nobis reſtituit integram. Id quod ponderans Moyſes Barcepha lib. de Parad. cap. 28. inquit. *Hic mihi Mariã apud tuum animum contendito pauliſper cum Eua, atque illius quidem fortitudinem, huius verò ſocordiam animaduertito. Maria enim, quæ ſæpiſſimè audierat, promiſſum eſſe à Deo patribus naſciturum Chriſtum, cùm eius nuntij gratia ad eam veniſſet Angelus, dixiſſetque, concipies, & paries, nequaquam ſubitò fidem illius verbi adhibuit, eò quod inauditum eſſet Virginem peperiſſe; ſed cum ipſo diſceptando rem expendere decepit, &c.* *Barceph.*

Nil ſubitum non ſuſpectum, non plenum periculis, inde quæ Deo plena erat Virgunecula, hoc primum didicit, nimirum à ſubitis obſequijs metuere ſibi: nec alio magis Chriſtum Marcionis Tertullianus contundit, quàm ex eo quod ſubitus proponatur credendus; ait enim lib. 3. *Subito filius, ſubito miſſus, ſubito Chriſtus; atqui nihil poteſt à Deo ſubitum, quia nihil à Deo non diſpoſitum*; imò nunquã Deo placere potuit obſequium ſubitũ. Nonne ea erat vox Petri conſtantiſsima, Luc. 22. *Domine, tecum paratus ſum, & in carcerem, & in mortem ire?* Et tamen ex hoc male audit apud Auguſt. tract. in Ioan. cap. 23. ſic fantem de morte Petri. *Hunc inuenit exitum Petrus, vt pro eius nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo ſe moriturum peruerſa feſtinatione promiſerat.* Ideo peruerſus affectus Petri, quia feſtinus, quia ſubditus ex nulla præmeditatione, aut conſideratione natus. O nimis grata Deo Maria, quæ cogitabat, qualis eſſet ſalutatio affectum ſubitũ prudentiſsimè ſuſpectũ habens! Vnde D. Bern. hom. 3. fatur. *Solent virgines, quæ verè virgines ſunt, ſemper pauidæ, & nunquã eſſe ſecuræ. Ac proinde quicquid nouum, quicquid ſubitũ fuerit ortum, ſuſpectas habet in ſe dias totum* *Tertul.* *Luc. 22.* *Bern.*

*contra ſe æſtimant machinatum*. Vtinam hanc virginum propriam virtutem vniuerſi ebiberemus, qua in ſubitis obſequijs hoſtis inſidias caueremus, nihilque non præmeditatum nobis eſſet in optatis. Mendax illa à primordio Euæ de vitæ ligno ſata, ait, ſibi á Deo fuiſſe imperatum, *Non manducabitis ex eo, neque tangetis ex eo*. Profectò egregiè mentita eſt, cùm ait ſibi dictum, neque tangetis ex eo; imò licuiſſet tangere prius, & meditari multis, quid damni, quidve vtilitatis cibus ille poſſet afferre. Ecce enim vnde æſtimat Ioannes Apoſtolicam œconomiam. 1. Canonic. cap. 1. nimirum: *Quod erat ab initio, quod audiuimus, quod vidimus, oculis noſtris perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ*. Itaque vt vitalem arborem nacti ſunt non ſubito, non ſine præmeditatione; ſed mentis manibus tractantes, & contrectantes illam affectum præbuêre. Id quod expendens Ambroſius lib. de Parad. cap. 12. inquit. *Vides, quod ante velut manibus quibuſdam perſcrutatus ſit Dei verbum, & poſtea annuntiauerit? Et ideò nihil Adæ, & Euæ fortaſſe nocuiſſet verbum, ſi pertractantibus diligenter quibuſdam mentis manibus antè tetigiſſent*. Hinc omnis ruina, quod ſine mentis conſultatione ruitur in optata, hinc omnis hominum victoria, quòd rem prius mente tractent, mentiſque manibus attrectent de verbo vitæ, antequam in opera ſaliant. Huc reſpiciebat Dominus, quando hominum mentes, cogitationeſque internas præceptis ſuis ligabat. Cur enim iubemur non concupiſcere? Cur minatur Dominus ſupplicium ijs, qui corde mœchantur? Sane, vt doceamur mentalibus exerceri, & mentibus conflictis edocti, in arenam poſiti, præſentes illecebrarum phalanges deuincamus. Ita D. Iſidor. Peluſ. lib. 2. epiſt. 107. fatur. *Ob eam cauſam ſalutaris ſermo eum qui impudico oculo aliquem perſpiciat, ſupplicio affecturumſe comminatus eſt, cum alij legum latores facinus dumtaxat puniant, ne difficile, ac nimis arduum bellum ſit, verùm facile, & procline*. Et ſanè magna petis quicunque hoſtes in arena ſuperare cupis, cum nunquam vllum prælium mente fueris præmeditatus.

*Gen. 2.* *Ioan. Canon. 1. capit. 1.* *Ambroſ.* *Iſid. Peluſ.*

## §. XXVIII.

### *Examinandi ſunt maximè ſpiritus, quibus agimur.*

PLACEAT Eutymius, qui Mariam cogitabundã proponit in ſermone Angeli, vt examinaret, an dolus aliquis ſubeſſet ſalutationi tantæ. Porro nulla in re Mariana prudens virginitas; crediderim magis imitata Angelicam puritatem, quàm vel in hoc critico Naſo. Iubemur apud Lucam vigilare Chriſtiani eo genere vigiliarum, quibus ſimiles ſimus *hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs, vt cum venerit, & pulſauerit oſtium, confeſtim aperiant ei*. Quæ dum expendo, vix reperio in mundo homines, qui Dominum à nuptijs reuertentem clauſo expectent oſtio, quod minimè aperiant, niſi prius nuptiali comitatu cinctus Dominus pulſauerit. Sanè nuptiarum tempore patent ianuæ, nemini domus intercluditur aditus, ſerui eo ſunt intenti, vt aduenti Domino parata deprehendat, affulgeat, ardeant facibus valuæ, ſeſe ad illarum facibus dent obuios famuli, ne Dominus neceſſe habeat pulſare præuentus ſeruorum vigilantia. Quin potius ridiculum mundo ſpectaculum accideret, ſi ſponſus à nuptijs veniens fulgenti ſtipatus ſponſa, magnoque amicorum comitatu, clauſas ſuæ domus inueniret ianuas, adeò, vt opus fuerit, ſtare omnes, pulſare, conclamare, commutatique ſeruorum reſponſiones, examinationeſque ſuſtinere, nimirum illud ab interioris domus parte vbique gentium barbarum, *quis eſt?* Hoc nuptiarum tempore nulli hominum in mundo accidit; verùm accidit in cœlo Angelis, qui Domino á nuptijs reuertenti ſponſa Eccleſia, nuptialiq; decore fulgenti, non aliter cœleſte oſtium aperiunt, quin prius ipſe pulſet, clamet: *Aperite portas, principes, veſtras, & introibit Rex gloriæ*; & ipſi ſemel, & bis examinent, *quis eſt iſte Rex gloriæ?* Huc refert Niſſen. homil. 15. in Cantic. Lucæ dictam parabolam his verbis. *Comparat nos Dominus cum Angelis, ſiquidem vigilanter Deo pareamus, & vos*, ait, *ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs, vt cum venerit, & pulſauerit, aperiant ei, ſcilicet facilis nuptijs, & in thalamum myſteriorum, admiſſa iam ſponſa, expectabant Angeli reditum Regis Eccleſiæ ad naturalem beatitudinem, & gloriam*. Expectabant, inquam, ſed minimè aperturi ianuas, niſi præmiſſo rigoroſo examine; niſi pulſante Domino adhuc præcauerent ſibi, & ſemel, & bis examinarent, *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Hoc in nuptijs examen, hæc ſeruorum in aperiendis valuis etiam cum Domino ſuo cautela minimè inter homines reperitur, propria & ſingularis eſt Angelis videntibus Dei faciem. Quod voluit ſignificare Pſaltes, cum præmiſit *Hæc eſt generatio quærentiũ Deum, quærentium faciem Dei Iacob*. Et ſtatim ſubiungens

*Luc. 12* *Domus* *Domino* *Niſſen.* *Pſal. 23.*

iungens quaſi notam Angelorum poſuit hũc dialogum plenum naſo, *Aperite portas, principes veſtras, & introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Quaſi dicat, hanc Angelorum mentem æmuletur quærentiũ Deum natio, hunc ſibi effingat criticum naſum, vt nulli, nec Domino cor ſuum aperiat ſine rigoroſo examine: ſic Maria Angelorum imitatrix, imò Angelicis virtutibus cautior, Angelico pulſata ſermone cogitabat, examinabat ſecum conferens qualis eſſet iſta ſalutatio. Nec á tanta Virgine abfuit prũdentia illa Magdalenæ ab Origine celebrata, quæ Dominum in ſepulchro deflens, Dominum offendit hortulani ſub habitu, á quo ſic confeſtim interrogat, *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eũ.* *Origen.* O mira fœminæ prudentia! hanc, quicumque Deum quæris, imitare. *Et ſi forte*, ait Origenes, *aliquod tibi apparuerit, & deſiderio tuo ſe præſentauerit, noli à te præſumere tanquam tu eum noſcas; ſed interroga illum, & ora, vt indicet tibi ſe ipſum.* Sic crediderim Marianam iſtam cogitationem de Angelo ſalutante fuiſſe quandam mentis orationem, quam in corde ſuo meditans, Deum deprecabatur, vt ſe ipſum indicaret, & manifeſtaret, quit. *Quaſi familiarius notam vocat ex nomine, nec timere debeat iubet* Nonne Luc. 10. iubentur diſcipuli gaudere, quod cuiuſque nomen ſcriptum in cœlis obſeruetur? Et cur gauderent, niſi ex hoc maximam ſui felicitatem auſpicarentur, Deumque ſibi gratũ, & placatum præſagirent? Et quidem gaudeat Maria meritò, quæ cœleſtium ore ſuum nomen perceperit expreſſum, & ex hoc æſtimet quanto ſit in amore cœleſtium Regi. Iam pridem oſtenderat Deus nimium erga protoplaſtum amorem, cùm fugientem á facie Domini inſequitur, & proprio nomine compellat: Adam vbi es? Quod Deo hominem adhuc amanti tribuit Chryſoſtom homil. 7. ad Antioch. his verbis: *Saul non dixit, vbi eſt Dauid? ſed vbi eſt filius Iſai? Iudæi quoque quoniam auerſabantur, & oderant, non dixerunt, vbi eſt Ieſus? ſed vbi eſt ille? Sed Deus, & in hoc demonſtrare volens, quod nec peccatum amorem extinxit, ait: Adam vbi es?* Porrò, Maria cœleſtem afficit amore patrem, quando ex proprio nomine à cœlitibus euocatur. Quid igitur timendum illi, quę Deo eſt amabilis & grata? quid timeat illa, cuius nomen incœlitum ore verſatur? *Beda.* 1. *Reg.* 20 *Ioan.* 5.

*Text.* Ait illi Angelus: Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiã apud Deum.

## §. XXIX.

### *Proprij nominis appellatio ſecuritatem in primis obtulit Virgini.*

*Gen.* 3. QVAM iuſtè timeret peccator, expreſsit textus ſacer. Gen. 3. vbi ſuppreſſo nomine Adam, ſic de illo poſt peccatum loquitur. *Qui ait, audiui vocem tuam, & timui.* Et meritó timuit, qui ſub peccati mole nec dignus cenſetur nominari. Sic Lyppomanus ruminatur in præſentiarum. *Lippom.* *Adam*, inquit, *coram Deo peccator ſine expreſſo hic nomine ſcribitur.* Timendam ergo luti noſtri ſortem in peccatoris Adami ſuppreſſo nomine exhibitam eliminat Angelus, cum Virgini fatur: ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum. Etenim nullo alio Adami filia Deo exprimeretur gratior, amantiorque, quàm ſi proprio ſuo nomine à cœleſtibus exprimatur. Id quod Beda inſinuans, in præſenti in-

## §. XXX.

### *Vbi Dei operatur gratia, omnia cooperantur in bonum.*

NESCIT gratioſa Dei manus fouere timores, imò quæcunque mala, etſi horribilia, etſi maxima à Dei tractantur manu gratioſa, ſtatim admirabili bonitate perfunduntur. Quæ maiora mala, quàm ea, quæ in rebellem Prophetam Ionam parabantur? Fremunt fluctus feri maris: ſæuit dira tempeſtas: immanis bellua hominem voratura paratur; ſed vnum inter tot mala felicitatis indicium erat, quod hæc à Dei manu tractabantur; ait enim Ionæ cap. 2. *Præparauit Dominus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam.* *Ion.* 2. Ibi D. Hieronymus expendit illud quod ait, *Præparauit Dominus piſcem.* Ad quid manus Domini piſcem præpararet? *Vt pro morte præberet habitaculum, vt qui in mari iratum ſenſerat Deum, in morte propitium ſentiret.* Sic mala ipſa, vt Dei tractantur gratioſa manu, gratia perfunduntur, & in bonum vertuntur. Idcireo Angelus, vt penitus radicem timoris euelleret à Maria, eam præfert rationem, quod eius virginitati ille Deus gratioſus adſit, qui malis ipſis in bonum abutitur, á cuius manu ipſa mala benefacere diſcunt. *Hieron.*

Guarr. Vnde Guarric. Abb. Angeli verba expendens homil. 2. inquit. *Secura igitur, ô Virgo intemerata, ô porta sanctuarij perenniter clausa, secura aperi Domino Deo Israel, qui tibi iam dudum clamat; aperi mihi soror mea, amica mea, non est quod timeas integritati tuæ, Deus non nouit integra violare, sed violata consolidare.* Hoc proprium esse solet gratiæ, & fauoris humani, quod noceant dum fauent. Sic de pulcherrima Tyri naui Ezechiel capit. 27. lamentatur. *Ventus Auster contriuit te in corde maris.* Non sæuus Aquilo, non præceps Boreas; sed lenis Auster, & suauis contriuit tantem nauim, quippe ipse humanus fauor, & gratia nociuus est, & maximè exitialis, id quod ponderat Tacianus oratio. contra Græcos, dum eorum deridet fabulas quibus fingebant, Hiacynthum á Zephiro fuisse interfectum, ait enim. *Dicat mihi nunc iaculator Apollo, quomodo Hiacynthus à Zephiro sit necatus? vicit eum Zephirus, & cum tragicus Poeta dicat. Aura Deorum pretiosissimum vehiculum ipse ab exigua vitius aura perdidit suos amores.* Heu suaues humani fauoris auræ, quot naues mundiale Pelagus fœliciter nauigantes conteritis? quos amores fædatis? Fœlix qui non apud homines, sed apud Deum inuenit gratiam, qua sola incolumis seruabitur. Hinc ponderat Damasc. fœlicitatem Marianam, quod inuenerit gratiæ abyssum, *qua duplicis virginitatis nauim incolumem seruaret.* Vbi enim Auster fauoris humani conterit nauim castitatis, eandem seruat, & custodit diuina gratia.

Ezech. 27.

## §. XXXI.

### *Qui Dei munitur gratia, nil timet.*

IVRE Maria timorem omnem exsibi luit, quæ gratiæ plenitudine confirmata, nil quod timeat habet, imò terrori est vniuersis, qui timentur ab alijs. Exemplum esto id quod pulchrè animaduertit Chrysostom. de grat. fortitudine ad cap. 21. Geneseos. *Quicunque,* ait, *gratia Dei insolitudinibus agit, securior ac potentior est ijs, qui sine illa in medijs ciuitatibus versantur ingenti hominũ multitudine freti.* O ingentem fortitudinem gratiæ! Sed vnde has illius vires colligemus maximas? quibus adducemur rationibus, vt tantam inesse gratiæ virtutem credamus? estne aliquis, in quo emineat hoc robur gratiæ? est sanè, ait Chrysostom. *Dauid de loco in locum transiens, erraticus, ac vagus manu superna munitus fuit: Saul in medijs ciuitatibus cùm esset, & tantum securum duceret exercitum, quotidie timebat & tremebat inimicorum insidias: ille quidem solus erat, & non indigebat humano præsidio; hic verò coronatus, & purpura indutus illius auxilio indigebat, & Regi opus erat pastoris opera.* Quid pulchrius? quid gratiæ fortitudinis explicatius? Argutior adhuc est Theodoretus, qui Saulem in Dauid irruentem meditatus, postquam Rex ipse tribus millibus hominum Dauid inuestigaturus perrexit, postquam illem inuenit, hæc à Suale Dauidi inimico inuento dicta miratur. *Iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, ne auferas nomen meum de domo patris mei.* Hæc pene inermi Dauidi dicebat Rex maximo exercitu armatus. Quo circa Theodor. ait: *Est imbecillitas vitij, vt qui erat dux & Imperator tàm multorum militum, rogabat fugitiuum, & qui erat cum multitudine militum rogabat eum, qui aufugiebat, vt ipsum impertiret benignitate ac clementia, vt nomen suum patrium non expungeret.* Meritò namque Saul expers diuinæ gratiæ sibi, nominique suo timebat, Dauidem contemplatus; fugitiuum quidem: sed Deo gratum. Eas ingerit in creatis mentibus vires diuina gratia, vt timendis ipsis, & horrendis sint Deo grati, timore, & honore! Vnde Andreas Cretens. Angeli notans ingenium ait. *Quod enim subiecit, inuenisti gratiam apud Deum, commodé omnem excussit Virginis metum.*

Guarr. Genes. 2. Chrysost. Reg. 30

## §. XXXII.

### *Quicunque Deo gratiosus accidit non timeat suis bonis, omnia bona habet.*

HORRET natura vacuum, vt philosophice loquar, quod ne detur mille propriæ naturæ dissonos, contrariosque motus sustinent res creatæ; fœlix Maria, quæ cùm Deo gratiosa adsis, nullam extimescas vacuitatem, hiccine gratiæ Dei fructus; vacuitates, & innanitates ab humana natura eliminare, miraque illam plenitudine, & bonorum cumulo ditare. Sic D. Irenæus argumentatur ex Deuteronom. 26. Moyses ait, *Et nunc Israel, quid Dominus tuus postulat à te, nisi timere Dominum Deum tuum, ambulare in omnibus vijs eius, & diligere eum, & seruire Domino Deo tuo ex tota anima tua? Hæc quidem gloriosum faciebant homi-*

Deut. 26 Iren. lib. 4. c. 31.

*hominem, id quod deerat ei implentia, ideſt amicitiam Dei.* Pulchrè, & accommodatè Irenæus vniuerſam naturæ noſtræ plenitudinem vocat amicitiam Dei, qua ſola, etſi cætera deſint bona mundialia, fœlix es, glorioſus es, plenus es. Audite plectrum Græcanicum ſic tinniens Latio.

*Seruus Epictetus fuerat, & corpore mancus.*
*Paupertate Irus, Dijs ſed amicus erat.*

Sanè qui Deo gratus qui Dei amicus, fœliciſsimus, medijs inanitatibus plenus, & abundans, vt rectè iubeatur Maria nullam ſibi inanitatem timere, quæ gratiam inuenit apud Deum. Auet ad hunc animus reuocare in examen illud Irenæi, nimirum, *hæc quidem glorioſum faciebant hominem, id quod ei deerat implentia, ideſt amicitiam Dei.* Quibus pulcherrimè ſugillat inanitatem humanorum bonorum; & gloriarum, quicquid lucidum, quicquid in humanis ſplendidum non implet, quod deeſt homini, cum omnibus his gloriolis, & humanis bonis nunquam impletur, imò mille patitur defectus homo. Defleuit hanc inanitatem naturæ Seuerinus Boecius lib. 2. de conſolatione Philoſophica, proſa 7. *Quis eſt tam compoſitæ fœlicitatis, vt non aliqua ex parte cum ſtatus ſui qualitate rixetur: anxia enim eſt humanorum conditio bonorum, & quæ vel nunquam tota proueniat, vel nunquam perpetuò ſubſiſtat. Hunc conſenſus exſuperat: ſed eſt pudori degener ſanguis. Hunc nobilitas notum facit; ſed anguſtia rei familiaris ineluſus eſſe mallet ignotus; ille vtroque circumfluens vitam cœlibem deflet; ille nuptijs fœlix, orbus liberis alieno cenſum nutrit heredi; alius prole lætus filiæ, filij vè delictis mœſtus illacrymat.* Ideircò nemo facilè cum fortunæ ſuæ conditione concordat, ſub defectuum metu gemunt cuncti mortales, quantaſcunque ſibi conglomerent fœlicitates. Vide apud Danie. capit. 2. omnia mundi regna aurea, argentea, ærea congeſta, vt compleant, vel vnam hominis ſtatuam. Nec complent tandem, nec omnibus his integratur natura humana; niſi ſupplente puluere defectum metallis. Quid plura? Vide in Thabor Chriſtum Dominum radiantem, ſummaſque Paradiſi glorias propinantem Apoſtolis, tunc quærit Abulenſis, an claritas illa Chriſti fuerit vna ex dotibus gloriæ, quæ naturam exſatiant humanam? & ſic definit *Ad verum corporis gloriam non ſufficiebat claritas, cùm manere poſsint cum illa multi defectus corporis.* Ecce omnia humana decora diuites gazæ, pulchritudo, ſplendor generis hominem inglorium faciunt, nimirum, quia inter hæc ſemper deeſt homini aliquid de ſola gratia Dei: verè, & ideſt Irenæus fatur, quod hæc glorioſum faciebant hominem, id quod ei deerat implentia, ideſt amicitiam Dei, quæ ſola perficit, adimplet hominem, illumque omni parte integrum, & omni defectus metu liberum facit. Idquod 1. ad Cor. crediderim à D. Chryſoſtomo expectatum cum 9. de Paulo ait. *Omnem hominem Paulus exhibebat Deo*, nimirum integrum, plenum, non deficientem; ſed omni ex parte conſtantem, qualem decebat eſſe illum, qui Deo habebatur gratus. Hinc licet iam ponderare Marianas gazas, quàm plena, quàm ſuperabundans, quàm omnis defectus, omnis metus expers, quæ apud Deum inuenerat amiciciam, & gratiã! *Gratiam*, inquit Andreas Ieroſol. *Quam non accepit Sara, quam non ſenſit Rebecca, quam nec Rachel cognouit: inuenſti; gratiam, qua non eſt digna habita nobilis illa Anna. nec Phenenna hinc è regione poſita: quoniam hæ quidem matres ex ſterilibus factæ ſunt, amittentes vnà cum virginitate orbitatem; tu autem, vt etiam mater ſis, virginitate tamen frueris ſemper illæſa.* Hęc Andræas, vbi expende illud, *hæ matres factæ ſunt amittentes vnà cum Virginitate orbitatem; tu autem, vt etiam mater ſis, virginitate frueris ſemper illæſa*: quaſi diceret, quòd cæteræ omnes non adeptæ ſunt bonum prolis ſine defectu ſaltem virginitatis, ſola inter omnes Maria Dei amica, & grata etiam prolem potuit expectare abſque metu alicuius defectus; ſed potiùs gaudes omni plenitudine integritatis.

Boecius. Abulenſ. Andre. Hieroſo.

## §. XXXIII.

### *Gratia pudicitiæ confirmatæ omnis metus abeſt.*

SANE æque tritum, ac verum illud Profani, res eſt ſoliciti plena timoris amor, nec Mars ipſe limina Veneris tangit, cui non ſit maximo in timore Vulcanus. Vnde pulchrè Cyprian. de pudicitia fatur. *Qui cupiditates tollit, & metus ſuſtulit.* Nam ex cupiditatibus metus veniunt. Argutiùs adhuc Athanaſ. orat de Paſsio, & Cruce de ijs, qui Fidei Chriſtianæ nomen dederunt, inquit. *Voluptatem? cui in idolatria ſua metuebant, in Chriſto nunc aſpernantur.* Etenim nullus niſi in timore indulget voluptati, & quidem cum Maria gratiam virginitatis perfectiſsimè inuenerit, timoris occaſionem exeluſit: timor enim

Cypr. Athan.

enim impudicitiæ comes, ſpes autem ſocia
1. ad Cor. 3. virginitatis eſt. Vnde vbi D. Paulus 1. ad Corinth. 3. fatur. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.* Id explicans D. Hieron.
Hieron. in Ionam cap. 1. ait. *Quando dicitur hoc, corpus oſtenditur, hoc, in quo naſcimur, hoc in quo morimur, hoc, quod virginitas expectat ad præmium, adulterium formidat ad pœnam.* Ecce tibi virginitas vtpote nititur; verùm adulterij impunitas ſub formidine premitur. Sed quid timeret virginitas, quæ pugnacem Dominum ſibi lateronem habet? Enimverò Ægyptiæ laſciuiam aduerſus Ioſephum pudicitiæ exemplar armatam videns D. Iſidor.
Iſid. Pel. Pelut. lib. 4. epiſt. 77. inquit. *Cum illa caſtitatis hoſtis, cum iſto autem eiuſdem legislator faciebat, & certaminis ſocium ſe coniungebat.* Nulli ſuccumbit timori, quæ de tanto laterone gloriatur; quæ ſibi ſocium belligerantem Dominum acquirit, omnis erit expers timoris. Hinc meritò Mariam virginum ornamentum loquitur Andræas Cretenſis homil.
Andr. Cr. in hoc Euangel. aiens. *Benedicta tu in mulieribus, quæ cœleſtem theſaurum, in quo alij omnes ſapientiæ, & cognitionis theſauri ſunt reconditi, in tuto virginitatis tuæ complexa es.* Expendo illud, *in tuto virginitatis*, quaſi virginitas Mariana omnes timores ableget. Et quidem meritò dicebat in præſenti D.
Chryſol. Chryſolog. ſerm. 144. *Quid timet, cui iudex cauſæ eſt aſſertor, integritas teſtis innocentiæ?*

## §. XXXIV.

### *Vbi Ieſus adeſt, munimentum eſt pudicitiæ.*

MERITO iubebatur Maria non timere virginitati ſuæ, etiam in partu, quando paritura erat Ieſum: ait enim Angelus, ne timeas Maria, concipies enim, & paries filium, & vocabis illum Ieſum. Nec alio efficacius de perdendo pudore timor eradicari poterat, quàm dum Ieſus pariendus annuntiatur, qui vbi eſt, impugnabile adeſt munimentum caſtitatis. De Marianæ virginitatis clauſtris locutus Ezechiel cap. 24. ait, quod
Ezec. 24. *porta erit clauſa principi.* Quæ verba dum expendit Guarric. Abb. ſerm. 2. in præſenti fatur. *Si verbo Dei apta es, tum demum non modò clauſa, ſed & ſignata es. Pone me, inquit, vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuprabrachium tuum. Ieſus quippè impreſſus corde, expreſſus opere, ſigillum planè, & munimentum eſt caſtitatis ſponſæ ſuæ, & eo ipſo, quod ſe imprimit imitationis formam, imponit etiam incorruptionis cuſtodiam.* Planè non euertenda erat caſtitatis arx à Ieſu, de cuius nominis flexuris conſpicua conſeruatur incolumis integritas Eccleſiæ
Athan. ſanctæ. Sic D. Athanaſius lib. 3. contra Arrianos, integritatem Eccleſiæ ponderans, ait. *Omnia in omnibus erit Chriſtus, vbi porro Chriſtus, quod genus ibi metus aut periculi fuerit?* Et paucis interiectis, nominis Ieſu cuſtodiam pro Eccleſiæ integritate ſeruãda hoc appoſito explicat exemplo, dicens *Quemadmodum ſi quis Regis filius, patre eius volente ædificare ciuitatem, in ſingulis operibus præſcribat nomen ſuum tutelæ cauſa, quo ſimul & inuiolata permaneant titulo, reuerentiaque nominis ſimul, vt ex ea inſcriptione in memoriam veniant ipſius, & patris ſui, & ab eo rebus iam ex ſententia confectis, percunctetur quis de ciuitate quomodo eam condiderit, iſque tum reſpondeat ſe bene eam ædificaſſe; nam ſecundum patris voluntatem ſuam imaginem ſingulis operibus impreſſam eſſe, eo quod nomen ſuum vbique ſit inditum, & quaſi inædificatum.* O pulchrum ciuitatis munimentum de nomine Ieſu comparatum! Hoc ſanè robur habet maximum, vt vbicunque eius inditum, & veluti innatum fuerit nomen, nulla ruina timeatur, ſed noua tutela, & integritatis cuſtodia aſſeratur. Vnde Cant. 2. Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia.* Non ait, quod in lilijs caſtitatis paſcatur; ſed potius quod inter illa moratus paſtorem, & cuſtodem agat. Ita D. Bernard ſerm. Bernard in Natiuit. Virgin. fatur. *Non cibo, ſed conſortio paſcitur liliorum, nec lilijs veſcitur, ſed verſatur.* Qui veſcitur, conſumit lilia; ſed dilectus noſter Ieſus minimè lilijs puritatis veſcitur, minimè conſumit flores caſtitatis; ſed vt paſtor, & cuſtos inter illa verſatur.

*Text.* Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Hic erit magnus, & filius altiſsimi vocabitur.

## §. XXXV.

### *Mariæ, & filij Dei magnitudo maximè ab hac conceptione claruit.*

ACCOMMODATE Filius Dei dicitur magnus, & in altitudine patrillare, cùm

cum concipitur vtero virginali, quasi ex tunc maximè eius magnitudo, & altitudo innotesceret, necnon Virgo mater creaturarum altissima monstratur, quæ magnum filium cum altissimo communem habuit. Hinc pulchrè
*Epiph.* sanctus Epiphan. hæres. 38. explicans illud Matth 1. quod Ioseph non cognouit Mariam, donec peperit, sic inquit singularis. *Non nouerat, quod tali gloria honorandus esset aliquis in terra, maximè mulier; non igitur cognouit ipsam, donec vidit miraculum: nec cognouit miraculum ipsius, donec vidit genitum ex ipsa.* Et quidem Ioseph magnum quiddam de Maria cogitarat, maximam, & fidelem de Deo opinionem habuerat; sed sic excessit æstimationem iusti viri Deus ex Virgine conceptus, & natus, Virgo Deum concipiens, & pariens, vt tunc primum dicatur vterque à Ioseph cognitus, illique vtriusque magnitudo declarata non cognouit ipsam, donec vidit miraculum, non cognouit miraculum ipsius, putà filium, donec vidit genitum ex ipsa Accinit ex parte Imperfectus
*Imperf.* apud Chrysostomum homil. 1. in Matthæum sub fine. *Verè enim non cognouit eam*, ante cuius fuerat dignitatis, quæ vnigeniti Dei facta fuerat Mater; sed postquam peperit, tunc cognouit, quod speciosior, & dignior facta fuerat, quam totus mundus non capere poterat, nec merebatur accipere, quasi in angustũ cubiculum vteri sui sola suscepit.

## §. XXXVI.

### *Mariæ magnitudo expenditur, quod Deum conceperit, & vtero libenter detinuerit.*

DE Mariana magnitudine explicanda certant inter alios Gregorius Papa, &
*Gregor.* Hieronymus. Ille ad cap. 3. Reg. sic ait. *Maria, vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret meritorum verticem supra omnes Angelorum choros vsque ad solium Deitatis erexit.* Hic sermone de Assumptione maiori verborum maiestate eandem amplificat magnitudinem Marianam. *Celsis*, ait, *sublimior fastigijs, gloriosior prærogatiuis meritorum, ita vt nullis iam vsibus ipsa, eademque mancipanda, nisi diuinis.* Vtrumque longè superauit D. Zeno serm. 3. de Natiuit Mariæ. *Superbus emicat venter Verbo*: non contentus, nisi
*Zeno.* ad excessum gloriæ magnitudinem componeret Marianam, superbus emicat Marię venter, dicit Zenon, quasi á conceptu Verbi Maria nullum finem, nullum modum magnitudinis cogitaret; sed supra modum, & mensuram, quod proprium superbientium est, euolaret. Crediderim hic sanctum Antistitem meminisse illius Isaiæ vaticinij, nunc maximè Virgini aptandi: *Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem, & generationem.* *Isa. 60.* Quomodo in superbiam? Pagninus legit, *Ponam te in gloriam æternam*, & satis aptè, vt exsuperantem Mariæ gloriam indigitaret, Mariam conceptu, & Maria sæculum, orbemque superbientem facit.

Sed agè, duobus è capitibus colligamus hanc Mariæ excellentiam maximam á conceptu Verbi manifestatam: sanè illam manifestauit Angelus, cum dixit. *Concipies in vtero, & paries filium.* Quibus indixit partum non inopinatum, non phantasticum, non abortiuũ, non præcocem; sed maturum, sed temporaneum fœtui; vtpote qui ante conceptus, non quasi fluuius per eandem; sed tanquam pluuia in vellere consisteret, in vteroque inueniretur commorari, quod maximè extollit gloriam vteri virginalis, qui exultantem illum gigantem ad currendam viam in primo cursus impetu sistere fecit. Lego præcursorem Ioannem in materno vtero exultantem, nimirum in officium exilire conantem. De quo eleganter Chrysostomus homil. 2. *Exilijt Ioannes in materno vtero accusans naturæ tarditatem: labefacto*, inquit, *vincula naturæ, propero prædicare.* Eo namque puer ardebat desiderio fungendi suo munere, vt non sustineret natiuam vteri tarditatem, quem mora impatiens disrumpere conabatur. Ex hoc Ioannis facto maius quid in Dei Filio augurabar, vtpotè qui desiderio desiderabat hominibus communicari, quorum ardentissimo desiderio sic flagrabat, vt â regalibus sedibus descenderet, fieretque extra cœlestia palatia. Quidni extra cœlestia? extra ipsum est factus. Me audaciæ nota liberat D. Dionysius Arepagita *Dion.* cap. 4. de diuinis nominibus. *Audebimus*, inquiens, *& id proveritate loqui, quod ipse quoque author omnium pro amatoriæ bonitatis magnitudine extra se fit.* Id sanè est hominum desiderium in Deo, quo extra cœlestia decora, quo extra ipsum trahitur, quæ res illum extra cœlum, extra se factum poterit detinere? quæ illum morabitur, quàm Ioanne superior, vbi ad maternum vterum peruenerit, vterum perfundabit, vt egrediatur? quàm Ioãne festinior properabis ab vtero in officium, & more mensium impatiens disrumpet vteri carcerem? Sed ó Virgo vteri præstantia! O Mariæ gloria inenarrabilis! quem nec cœlestia omnia detinuerunt ad homines properantem, nec ipse se detinuit extra cœlum, & extra se factum detinuit libentissimum pulchritudo

Christrudo vteri virginalis. Sic de Filio Dei ad homines currente D. Zeno fatur. *Requieſcit libens florentiſſimo in domicilio caſtitatis, & in viſceribus ſacræ Virginis comparat ſibi corpus ſuo iudicio naſcituras.* Ecce tibi quàm ex hoc clareat Mariani vteri pulchritudo maxima: in Elizabeth vtero non quieſcebat Ioánes moræ impatiens, & Filius Dei Ioanne longè feſtinior, provt ardentiori impetu ferebatur, poſtquam extra cœleſtia, & extra ſe profilijt, hominum deſiderio tractus requieſcit libens vtero virginali clauſus, nec ibi deſiderio exeundi agitur, qui flores Mariano in vtero, vbi adeo libens quieſcit cœleſtis apis, quę ibi carmina, quibus voluntaria mora rapidiſſimo in curſu ſiſtitur princeps nautarum? quod pulchritudinum emporium, vbi properans ad nundinas tam diu moratur diuinus mercator?

*Zen. ſer. 4. de Natiuit.*

Pergo aliò, & miror Marianum vterum tam floridum apparere, imò florentiſſimum ſub tanti luminis radijs perterrefecit Ieruſalem Dominus. Sophon. 1 in cap. fatus. *Scrutabor te in lucernis.* Nec vnius ſuſtinebat ciuitas ſancta ſcrutinium facis: aſt Mariana puritas immenſi Solis fulgentiſsimos ſuſtinet radios, & tunc eius apparet magnitudo puritatis: etenim tunc maximè conſpicua eſt puritas cryſtalli, quando ſub Solis radijs ſine næuo, & ſine macula claret. Hinc D. Chryſoſtom. in D. Thom. Caten. *Siquidem enorme quibuſdam videtur, Deum habitare corpus: nonne Sol, cuius eſt corpus ſenſibile, quocunque radios mittit, non læditur in propria puritate? Multò ergo magis iuſtitiæ Sol vtero virginali mundiſſimum corpus aſſumens, non tantum contaminatus non eſt, imò etiam ipſam Matrem ſanctiorem oſtendit.* Hæc Chryſoſtomus, quibus ego expendo, quod Sol iuſtitiæ ingrediens Marianum vterum, *ipſam Matrem ſanctiorem oſtendit*: vtpote quę ſub tanti Solis radijs in nullo nigrizans, vndique pura, & illuſtris apparuit. Quod mirabere magis, dum apud Iſai. 6. Seraphim diuinum iubar expaueſcentes facies ſuas pedibus, & alis velabant, ne videantur & ipſi, vt ait Forerius: quonam enim pacto nudi apparent coram eo, cuius ſplendores ipſi ſuſtinere non poſſunt? aut quid in ſe ipſis dignum admiratione, atque inſpectione intelligent, qui maieſtatem illam intuentur? At Maria immenſo Deitatis lumini proxima, nihil quod vellet habet, nec coram in creata ſanctitate propriæ timuit ſanctitati; imò tunc conſpicabilior, gratior, ſanctiorque apparuit. Iuuat modò exclamare illud Antipatri, orat. de Ioann. Natiu. *Quis dicat ab ea, quæ fuerat olim condemnata, intus in ventre habitum fuiſſe iudicem? quæq; audiuit, in doloribus paries filios tuos, eam venisse poſt autem illum, qui nobis annuntiauit doloris ſolutionem.* Hæc ille, miratus, quod fœmineus ſexus olim reus, olim damnatus ea in Maria fulgeat innocentia, qua poſsit iudici adeſſe, cum illoque metu poſito conuerſari.

*Sophon.* *Chryſoſt.* *Antip.*

## §. XXXVII.

### *Mariæ nil defuit magnitudinis, quæ decebat ſolium magni Dei.*

SVPRA omnes Hierarchias meritorum verticem vſque ad ſolium Deitatis Virgo Mater erexit, quod vt glorioſum, ita vt maximum de Maria prædicauit Gregorius Magnus. Cæterùm inde gloria maior Regio Vati apparet, quod in Sole conſtitutum ſit Marianum tabernaculum. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum.* Etenim non tenebras; ſed lucem amat opus, cui nihil deeſt, quod omnes menſuras attingit perfectiſsimæ artis. Seraphim illa ab Iſaia conſpecta maieſtatis magnitudinem ipſa conſpicata, obductis alis, vt vidimus, ſeſe obnubilabant. Quæ tunc cauſa? Pulchrè D. Chryſoſtomus. *Quia inexplicabilem erga conditorem reuerentiam exhibere ſtudebant ipſo habitu, & voce, aſpectu, ſtatione: quoniam igitur id, quod deſiderant, quodque conueniebant, non aſſequuntur, declarant, eò quod vndique velantur; nam ita defectum circumtegunt, & quod deeſt affectui, velo obtegunt.* Quid Marianæ gloriæ magis accommodatum? quæ ſic explicuit omnes perfectæ erga Deum reuerentiæ numeros, ſic in ſe omnia decora clauſit, quæ ſolium Deitatis decebant, ſic omnes menſuras magni, & ſummi Dei tabernaculi tenuit, vt tenebras, & velamen faſtidita clariſsimos Solis radios adamarit. Huc ſpectant anxiæ illius voces, Cantic. 1. *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne efficiar ſicut velata:* quaſi diceret, velantur illa, quæ nequeunt aſſequi quod increatæ conuenit maieſtati, quibus deeſt par muneri ſufficientia: ſic Seraphim apud Iſaiam velabantur; nolo inter hæc numerari, quæ ſuprema magnitudinis tabernaculi Dei *tenui*, cui nihil deeſt, quod deceat magni Dei Matrem, ideoque velum ſpuo, lucem appeto meridianam, qua abſolutiſsima perfectio omnea clareat. Sic Maria, iuxta Cyrillum Alexandrin. loco Solis incircumſcriptæ iuſtitiæ Solem complexa eſt, non in tenebris, non ſub velamine; ſed meridiana luce patentior maternum vterum conditori ſuo parauit, vtpotè cui nihil deerat

*Iſai.* *Chryſoſt.* *Cant. 1. Sic leg. ex Sep. Origen. Hieron. Amb. & Auguſt.* *Cyrill. Alex. de recta Chr. fid. lib. 2.*

ex

ex omnibus ad ſummum Deum excipiendum procurandis. Quod eleganter meminit D. Dionyſ. A exand dum ait: *Hæc eſt, quã Iſaac præuidens dicebat Iacob: det tibi Deus benedictionem terræ habentis omnia; qui enim de cœlo deſcendit vnigenitus Dei, verbum gestatum eſt in vtero virginali, & genitum ex Paradiſo virginali habente omnia.*

*Dionyſ. epiſt. aduerſus Paul. Samolãten. quæſt. 10.*

## §. XXXVIII.

### *Uterus virginalis Mariæ dedit Verbo diuino & nominis magnitudinem, & celebritatem apud omnes.*

HÆREO adhuc Angelicis verbis ſupra relatis: *Concipies*, inquit, *& paries filium, & vocabis Ieſum. Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur* Hæc protulit Angelus, quaſi Deus á conceptu, & partu virginali adepturus eſſet magnitudinem, & nominis celebritatem. Tantũ id non intonuit Proclus, dum homil. de Chriſt. Natiuit. ait. *Maria vnitarum inter ſe naturarum officina, hæc ſalutaris reconciliationis panegyris.* Et quidem iure panegyris noſtræ reconciliationis vocatur: etenim illic quicquid laudabile in noſtra reconciliatione Verbum fecit, acceptum tradit. Vide apud Pſaltem. 44. quàm ſe Chriſti nomen in vnguenta diffundat per vniuerſum orbem terrarum: *Myrrha, & gutta, & caſſia à veſtimentis tuis*: hoc eſt, vt Theodoreto placet, nihil odoratius, quàm Verbum veſtitum carne, nil celebrius, vnguentum effuſum nomen eius, cuius ſuauitate repletur mundialis hæc machina: verùm omnis iſta vnguentorum effuſio, omnis iſta nominis celebritas ſuum originem traxit *à domibus eburneis*: ab eburnea virginalis vteri domo egreditur Verbum apud omnes creaturas nominis ſui, rerumque geſtarum diffuſurum fragrãtiam. Sic magna orationis grauitate retulit D. Cyrill. Alexand. Exageſi de Incarnat. Verbi, hæc verba faciens. *Quia perinde ac vnus e nobis ortum ex muliere ſortitus eſt ſit, vt iure, meritoque nomen quod eſt ſupra omne nomen, acceperit perhibeatur, omneque genu cœleſtiũ, terreſtrium, & infernorum ipſi incuruetur, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Ecce tibi nomen magnum, & celebritatem Chriſti vtero adſcriptum fœmineo, à quo originem traxit.

*Proclus.*

*Pſal. 44.*

*Cyrill.*

Vnde meritò Alcuinus ſermon. de Natiuit. Virgin. memorans Rebeccæ, cuius aſtutia filius Iacob obtinuit à patre benedictionem, ſic de Maria fatur. *Rebecca futurorum præſcia, magnificandi filij manibus pelliculas hœdorum circumdedit, & colli nuda protexit.* Quaſi diceret: ò noua Rebecca à qua genitus patri, habitu inuetus vt homo, ſimilitudinem carnis peccati accepit, qua patris benedictionem venatus miro modo ſeſe magnificauit, vt meritò ſit, & vocetur magnus filius Altiſſimi Patris. Hinc pulchrè D. Athanaſ. ſic Mariam alloquitur. *Benedictionibus te celebrat prima acies, quæ ex Thronis, Cherubinis, & Seraphinis conſtat, qui magni Regis Dei cognitores appellantur* Et cur magni Dei cognitores Mariam celebrant? Sanè, vt magni Regis Dei excellentias ſpeculantur, neceſſariò in laudes virginei vteri exſurgunt, quaſi in aliqualem Chriſtiferæ magnitudinis cauſam. Cui videtur ſubſcripſiſſe Guarric. Abb. ſerm. 1. in Annunt. vbi fatur. *Mariam ſingularem præ omnibus electis inuenit gratiam apud Deum, vt videlicet Dei conciperet, & pareret Filium, atque ex ebore corporis eius thronum ſibi virtus Altiſſimi ſine manibus exſcinderet glorioſum. Glorioſus prorſus ille thronus, ac mirabilis, de quo Scriptura perhibetur, quòd nen eſt factum tale opus in vniuerſis regnis, quod facilè teſtimonijs probaretur Angelorum, qui ſemper & inſatiabiliter in gloriam, & decorem Dominici corporis proſpicere concupiſcunt* Sic de Mariæ ebore virgineo rutilat Dei thronus ſublimis, & eleuatus; ſic de Maria exhorta Chriſti caro, afficit decoris magnitudine ipſos Angelos.

*Athan.*

*Guarric.*

## §. XXXIX.

### *Uterus virginalis Mariæ non deiecit, ſed extulit Deitatem.*

VANA relinquo vanis, qui Deum Mariano in vtero conſpurcandum metuebant, in illos telum contorſit Proclus felici dexteritate. *Nullam*, inquit, *Deus contrahit labem, quòd intra viſcera, quæ citra omnem dedecoris notam condiderat, inhabitat.* Adueſus hæreticos hoc dediſſe ſatis; verùm fidelibus Auguſtin. gratior extitit, qui Nativitatem Verbi humilem, & excelſam prædicauit lib. 1. de Symbol. ad Cathecum. *Vnde humilis? quia homo natus ex hominibus; vnde excelſus quia ex Virgine.* Et ſanè ab vtero virgineo omnia glorioſa, & excelſa Deo canunt Angeli. Vnde B. Gregor. Niſſen. magnum quid, & excelſum meditatus, quo immenſa Dei maieſtas à cœlo in terram migraret, hoc vnum

*Proclus.*

*Auguſt.*

*Niſſen.*

præ

præ omnibus inuenit, nempe almam virginitatem, sic ait. *Non nauigio, aut curru aliquo; sed incorrupta virginitate in vitam humanam trajecit.* Videtur acutus Doctor coniecisse oculos ad nauigia illa auro flammantia, quibus nupturi Reges adnauigant, siue ad currus triumphis, gloriaque plenos, quibus Imperatores vibem honestabant, hisque despectis, ita fari. Non Deo nupturo triumphatori aureas classes pares, humanum vt mare tranet, non splendidos curius: habet, quo se exaltet maiestas, habet, quo triumphet maximè sublimis Saluator, non nauigio, non curru, sed incorrupta virginitate in vitam traijcit humanam. Nullo sublimius efferretur Verbum, quàm dum conscendit in almam materni vteri virginitatem. Hæc est illa Aquilæ volantis in cœlum via, quæ tam difficilis, & accliuis apparuit Sapienti. Prouerb. 30. Sed audi qualiter ab Ambrosio lib. de Sal. 12. complanatur. *Quis cognoscere potest quemadmodum Verbum in Virginem venerit, vt tam felicem fœtum partus virginalis effunderet, id est, quod ait vestigia Aquilæ volantis, id est, Christi Domini aduenientis.* Etenim nil magis nobis Verbi ad Virginem ingressus prætendit, quàm prepetes, & sublimes aquilarum volatus. Vidisti aquilam pansis alis nubes perterebrare, arduis, sublimibusque verticibus subsidere, cœlorum altitudinem appetere, id est, vestigium Christi Domini ad Virginem aduenientis. Non se deprimit Regia Verbi Maiestas, vt virgineum vterum teneat, imò tunc maximè aquilę celsitudinem, sublimemque volatum ostendit. Etenim à virginitate nihil non sublime exeundum erat, nihil non diuinum, & maximum. Id quod notat Chrysolog. serm. 142. in eo quod Angelus ait: *Concipies, & paries filium*, eleganter subinferens ille. *Non dixit, filium tibi, non dixit, tuum: monita ergo per Angelum Virgo, ne præsumas hunc vocare filium tuum; sed mox vt genueris, inuoca Saluatorem, quia virginitas non sibi parit filium; sed pignus authoris, & integritas suum gestat Dominum, non alumnum.* Ita Chrysolog. quo nemo digniùs virginitatis partum elucidabit: etenim qui à Virgine oritur, eam præsefert magnitudinis exuberantiam, vt non tam filius, quàm Dominus appareat, non tam hominis factura, quàm hominum omnium vindex, & Saluator videatur.

Prou. 30 Ambr.

Chrysol.

Ildeph. Hinc D. Ildephonsus serm. 8. de Assumpt. Virgin *Virgo*, ait, *credidit admonita quod audiuit, meruit sanctificata quod credidit. Denique tantum se ad cœli fastigium subleuauit, vt Verbum in principio apud Deum, id est, Dei filium de summa arce susciperet.* Itaque non descendit Verbum, dum Mariæ adest; sed tota sua altitudine conseruata illum pertingit sublimitas Mariæ, illique nouum dedit decorem, nouamque sublimitatẽ. Rem confecit vnus Gilibert serm. 21. in Cant fatus. *Fœmina circundabit virum, quemodo circundat corona caput; caput enim Ecclesiæ Christus, glorioſus planè in illo splendore gloriæ, & paternæ figura substantiæ, sed superadditio nostræ quodam velut fuco naturæ, & colore inducto, dum sublucet, plus placet, nec illis tantum qui secus ferre non possent; sed in ijs etiam, quibus purè se splendor ille refundit.* Itaque & Angelis, & hominibus exoritur Sol iustitiæ mirificè exaltatus, condecoratus ab vtero virginali.

Gilib.

## *Text.* Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob.

### §. XL.

### *Virginis Matris amore, & æstimatione tenetur Verbum diuinum.*

SAPIENTISSIMI Athenarum lege cauerunt, ne filij à matribus cognomen acciperent; quæ lex ita vniuersos homines peruasit, vt nihil sanctius habeatur apud humanas familias, quàm materna, & fœminea decora obnubilare. Hinc natum est prouerbiũ, quo Spiritus diuinus cap. 4. istam hominum stultitiam expungit. *Stultus*, inquit, *homo despicit matrem suam.* Gratiores suis matribus Lycij, qui teste Alexandro ab Alexandro, eo in honore, & æstimatione habent matres, vt omissis patribus, nomen solum efferant, atque decus maternum. Quid mirum? habent hi, quem imitentur filium Dei, qui summi Patris principatum dissimulans, Matris gentilitate gloriatur immense. Ecce tibi accipiet sedem Dauid, & regnabit in domo Iacob. Pulchrè ad hæc Bernard. *Quid magnum promittitur ei, qui sedet super Cherubim, quem Propheta vidit sedentem super thronum excelsum, & eleuatum, sedere in throno Dauid?* Sanè diuino Verbo, quia per matrem Dauid sedem habet, Iacobæa domus, Dauidicum regnum, gẽtilitia sunt materna, adeo inde Verbo grata, adeo pretiosa, vt paterna stemmata, & amplissima

Prou. 4.

Bernar.

plisima,& diuina obliuiscens,his solum maternis gentilitijs se maxime iactet, immensèq; glorietur. Quod rectè calluerat quisquis cecinit id Cantic. 3. *Egredimini,& videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua.* Hæccine sunt diademata, quibus se conspiciendum offert diuinus Salomon,diademata, quæ ex matre haber: etenim diadema, regnumque paternum in sinu Patris luce inaccessibili candet,Immēsi Deitatis abyssus superandi sunt,vt quod à Patre accipit ornamentum appareat, quo exterius eminet, quo exultat, quo gloriatur, quo vellet conspici, maternum est,& maximè gratum. Sic ingeniosus Guillelmus expēdit. *Diadema,quo coronauit eum Mater sua, nempe regiam nobilitatem assumptæ humanitatis, qua eum coronauit,eo quod illum de sanguine suo regio secundum carnem concepit. Vnde Gabriel paranymphus: Ecce concipies,& paries filium,& dabit illi Dominus Deus sedem Dauid; & regnabit in domo Iacob.* Sic ille,vt gratius Verbi ornamentum,quo vellet dignosci, indigitaret,nimirum,quod ex regia Matris familia hæreditauit tanto erga Matrē amore, & æstimatione afficiebatur Verbum. Quid plura? medijs ipsis passionis nubibus, quando candor ille lucis æternæ velabatur, quando potestas tenebrarum in Deum dabat iura, quando diuina omnia abscondebantur, & se Pater ipse abscondebat vsque in Filij que relam;tunc Verbum diuinum diuinę originis dissimulationem, & obnubilationem passus, hoc vnum habuit maximè in optatis, vt gentilitia Matris eluceret, vnde sub titulo Iudæorum Regis voluit excarnificari, vltimūq; profundere sanguinem. Vide,ò Virgo,quantum debeas Filio, inquit D. Ildephonsus ser. 8.in Assumpt. *Vt te veram Matrem ostenderet, verum se Hominem patiendo tormenta monstrauit.* Etenim maluit se Matris Filium ostendere sub titulo Regis Iudæorum in cruce perseuerando,quàm & titulum, & crucem deferendo se Filium Dei ostentare Iudæis postulantibus. Acutè hunc erga Matrem affectū in Christo Domino Tertull.aduersus lib. 4.in Marcion. etenim vociferantem cæcum, Iesu Fili Dauid miserere mei,Iesus statim illuminauit Filius Dauid, qui hoc se & cognouit, & cognosci voluit Filium hominis, etsi minùs occulatam,etsi veri luminis compotem exteriori quoque visione donauit,vt & nos regulam, simulque mercedem fidei discceremus. *Qui vult videre Iesum Dauid Filium, credat per Virginis censum.* Ecce tibi quo Iesum tibi maximè obligabis, si illius materna decora, maternos auos in mente, & ore habeas

Cant. 3.

Guil.

Ildeph.

Tert.

## §. XLI.

### *Virgo statim à Verbi conceptu classicum aduersus Dæmones cecinit.*

EXPENDO adhuc cui regno, cui sedi succedat Verbum incarnatum. Dauid regnum plenum bellis,sanguine hostium madidum, vt ex eo solum à templi maximi constructione arceatur. Iacob ab vtero supplantauit fratrem: quid magis faceret ipse Mauors, quàm ipso in vtero matris arenam effingere, & inimicum bello deuastare? Horum ergo regnum,& sedem accepit Dominus, hoc est, iuxta Theopilatum,his sese regnando accommodauit, gladium,ignemque, & crucem inimicis minitando,nec distulit bellum, sed potius Iacobæa proles ab vtero matris perterrefecit aēreas potestates. Memini Galen. in lib. *An animal sit id quod in vtero est*,talibus indicijs heroum conceptus augurari, quod ab vtero iam sui experimentum præferant,ficque inter alios ait. *Alcmena Herculem procreās, terrorem aduersarijs, diffidentiam inimicis incutiebat,cum adhuc infantem vtero gereret.* Alcmena longè præstantior Maria, quæ Verbum concipiens adhuc infantem vtero gestabat,etiam terribilis hostibus videbatur;terribilis, inquam, vt castrorum acies ordinata. *Et quidem*,ait Guillelmus,*ex quo Dei filium peperit,terribilis Dæmonibus fuit;cum enim viderent eam integritate simul & prole gaudentem, vehemens illis suspicio incidit,ne fortè illa genuisset tot propheticis vocibus olim pronunciatum Messiam, per quem eorum imperium rueret; itaque virginitate illius puerperæ nil eis tunc terribilius.* Iamiam Mariæ virginea aluus terrorem aduersarijs incutiebat, cum adhuc infantem in vtero gereret. Quod pulcherrimè excogitauit Athanasius, dum illud Angelicum expēdit,nimirum, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Enimuerò, *vt in Apostolos virtus ista ideò descendit, vt contra omnem aduersariam virtutem vigerent,ideoque Spiritus superueniet essentialiter, ita quoque Spiritus sanctus in Virginem descendit.* Sic ille : vbi pondero energiam comparationis Mariæ de Spiritu sancto habentis,cum Apostolis eodem flammanti correptis spiritu, vt contra omnem aduersariam potestatem vigerent. Etenim latet in hac ipsa comparatione quædam contraposi-tio non inelegans, quatenus Apostoli,

Guil.

Athan.

ſublato in cœlos Domino, igneum Spiritum ebibentes terribiles aduerſarijs extiterunt: at Maria à primo Verbi in mundum ingreſſu, cùm primũ vtero habuit infantilia membra, ô quàm terribilis, ô quàm aduerſarijs formidabilis erat! adhuc virgineus vterus calefaciebat pueruli artus, & quaſi ignientis tela, quaſi hoſtilia elaborantis arma officina formæ horrebat. Vnde merito exclamauit de Chriſti Natiuit. *O vtere, in quo arma aduerſus mortem fabrefacta ſunt!* Cuius ſententiæ pondus vt exprimatur, conſule prius Virgilianum ſpecus, vbi Vulcania domus, vbi tela omnia fiũt, vbi.

*Virgil.*

*Vulnificuſque chalybs vaſta fornace liqueſcit,*
*Et Cyclopum exeſa caminis*
*Atria denſa tonant, validique incudibus ictus.*
*Auditi referunt gemitum, ſtriduntque cauernis.*
*Stricturæ chalybum, & fornacibus ignis anhelat.*
*His informatum manibus, iam parte polita*
*Fulmen erat.*
*Parte alia Marti currumque, rotaſque volucres*
*Inſtabant, quibus ille viros, quibus excitat vrbes.*
*Aegidaque horrificam turbata Palladis arma.*
*Fulgores nunc terrificos, ſonitumque, metumque*
*Miſcebant operi, flammiſq; ſequacibus iras.*

Tolle gemitus, & omnis huius terrificæ officinæ finge tibi Mariam in vtero æmulatricem, vbi eum infantilibus membris credes fabrefieri ignea tela, gladium ancipitem, rapidum fulmen, fulgores terrificos, ſonitumque, metumque, flammiſque ſequacibus iras: quæ omnia aduerſus mundiales, aêreaſque poteſtates vtero virginali fabrefiunt. *Quid enim non horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt præter morem inſtructam omni armatura fortium contra ſe procedere fœminam?* Hæc pulchrè ſerm. de Natiuit. Virgin. Alcuin. intulit, memorans virgineum vterum â Verbo concepto, armorum, terrorumque officinam: nec mirum, quod nigras Dæmonum phalanges perterrefaciat, quæ lucidiſſimis cœlorum exercitibus eſt terrori, vt Epiphan. exiſtimat his verbis *Obſtupuerunt omnes Angeli, & vniuerſus Angelorum exercitus timore, tremoreque graui detenti, quia cernebant illum, qui habitat in cœlis per eam verſari in terra, & exhorreſcebant Virginem, & formidabant dum conſpicerent eum, qui principio caret deſcendentem à throno Cherubico, in vtero virgineo ſedere.*

*Alcuin.*

*Epiph.*

## §. XLII.

### *Maturet certamina, qui Regnũ Chriſti velit comparare.*

REGNAT equidem Chriſtus in domo Iacob, in domo nempe illius, qui prius nouit certamina, quàm lucem, qui vt ſenſit inimicum, non tempus naſcendi expectauit. *Oſeas. 12*

*Sed ab vtero ſupplantauit fratrem.* Nihil enim magis pauendum Dei hoſtibus, quàm forte, & intrepidum initium pugnandi. Nonne Ægyptij plures ſuſtinuere plagas? ſed cùm vident primogenita occiſa, tunc Iſraeli poteſtatem exeundi faciunt. Quod meditatus Nicetas in Nazian. Natiuit. 2. Paſch. dicit. *Neque enim eam plagam Aegyptij perferre potuerunt, ſed tunc Iſraelitis diſcedendi poteſtatem faciunt: eodem modo Dæmonibus quoque animarum noſtrarum perſecutoribus grauiſſima hæc pœna videtur, quando in animo ab omni oſtentatione alieno primogenita peccati; hoc eſt, prima vitij origo, ac principium à nobis extinguitur.* O quàm promouetur Dei regnum, & peccati regnum cadit, vbi miles primis incurſibus ſtrenuè obſtat, & primis auſibus oſtenditur clarus! Irruat Satanas in Iobum, & vbi prima ſua tela inania vidit, ſic vxoris per vocem clamat. *Quouſque ſuſtines?* Quibus commotus Origen. lib. 2. ait. *Non dicit Iob, qui torquebatur, quouſque ſuſtineam? quouſque torquear? Diabolus verò, qui non ſuſtinebat dolores; ſed confuſionem, dicebat ad patientem, quouſque ſuſtines? Iob, qui ſuſtinebat, non ſuccumbebat. Diabolus, qui non ſuſtinebat, deficiebat.* Sanè grauiſſima hæc pœna videtur Diabolo, quando fortiter in principio reijcitur, quando primi eius expugnantur conatus, id prorſus intolerabile ducit. Felix ille, qui ſic audet à principio: dicunt vulgò, *Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.* Atego Chriſtianorum regnum in primis auſibus crediderim conſtitutũ. Ecce vobis Abraham iugulaturus filium, cum primum gladium ſtringit, ante vllam ſanguinis effuſionem coronã obtinet triumphi D. Iſidor. Peluſ. lib 4. epiſt. 157. dicentẽ. *Erat cernere naturam quidem cum ſuis armis, atque copijs omnib⁹ humi proſtratã, ipſum verò ſtantem, & manum extendentem non corona præditam, ſed gladio quauis corona illuſtrius fulgente armatam.* Quibus põdero, quod omnes aduerſantes phalanges humi iaceant proſtratę ad primã militis eductionem gladij, & quod corona nõ in capite poſt facinus impletum,

*Iob 1.*
*Origen.*

*Gen. 22.*

*Iſid. Pel.*

tum, ſed in ipſo effulgeat gladio. Equidem ea virtute eduxit vir ſtrenuus gladium, nihil moratus, vt vel à primo eductionis nixu victoriam, & coronam reportauerit. Sic de ipſo Iob cap. 1. poſt hoſtis primos conflictus dicitur. *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, tonſoque capite corruens in terram adorauit.* Cur ſeſe in tetram proſternit? Pulchrè Origen. Origen. lib. 1. *Primùm ſurrexit, & ita demum ſe proſtrauit: ſurrexit ad prælium, proſtrauit ſe ad pacem; ſurrexit ad victoriæ perfectionem, proſtrauit ſe ad coronæ ſuſceptionem*, vt vel ipſo in certaminis capite ſe dignum corona oſtentaret.

## §. XLIII.

### *Chriſtus Dominus omnibus ſuas paſſiones manifeſtauit, abſcondit ſuas glorias.*

MIRABERIS Iacobum in vtero animoſè aduerſum fratrem inſurrexiſſe, cuius certaminis gloria vtero matris fuit clauſa: verùm vbi in lucem editus eſt, nunquam Gen. 22. non timuit fratrem; ſic enim Geneſ. 32. ad Deum clamat. *Erue me de manu Eſau fratris mei, quia valde eum timeo.* Inſuper magna cinctus familia in conſpectu omnium cum ad fratrem appropinquaret, cap. 33. *Adorauit pronus in terram ſepties* Sic victorias, & animoſitatem vteri tenebris concluſit, metus autem, & infirmitates coram omnibus propalauit. Sanè hinc dicitur Ieſus in domo Iacob regnaſſe, quando de Iacobi more ipſe Ieſus totus erat in manifeſtandis paſſionibus, & gloriis obnubilandis. De his audio Iſaiam dicentem cap. 6. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum.* Iſai. 6. De paſſionibus autem agens cap. 53. inquit *Vidimus eum, & non erat aſpectus.* Iſai. 53 Quibus id ſtatim venit pōderandum, nimirum, quod ad videndas glorioſas ſedes, & thronos, vnus, & ſolus Iſaias admittatur; ait enim, *vidi.* Verùm, vt ad paſſiones ventum eſt, iam non ſolus, ſed cum multis accedit, fatus *vidimus.* Id quod eleganter attigit Bernard. ſerm. 5. in Iſaiæ locum dicens, Bernar. *Communis viſio verbo pluralis numeri deſignetur, hæc autem tam ſingularis eſt, quàm ſublimis. Ibi tanquam vnus è multis vidimus*, ait, *hic tanquam ſolus, & ſolitarius leuans ſe ſupra ſe; vidi*, inquit, *Dominum ſedentem.* Is enim eſt Ieſus, qui glorias ſuas ab oculis mortalium ſtudioſè arcet, verùm paſſionum ſuarum infirmitates, contumelias præſentiſsimas omnium oculis velit eſſe. Dicitur Exod. 40. *Pones altare aureum, in quo adoleatur incenſum coram arca teſtimonij: Tentorium introitus tabernaculi; pones, & ante illud altare holocauſti.* Exod. 40 Ecce tibi vtrumq; altare Chriſtum ſignificabat; ſed quod aureum eſt, velo contegitur; alterum, nempe holocauſti palam omnibus patet. Cur hoc? D. Cyrill. Alex. lib 4. Ioan. cap. 28. ait. *Celabatur primùm, quia occultata, atque recondita eſt gloria Chriſti; alterum autem vulgò patebat, quia mors eius omnibus patet.* Cyril. Siccine qui de regno Chriſti velint gloriari, patefactis infirmitatibus, virtutes curent celare, & abſcondere. Id quod pulcherrimè oſtendebant ſorores illæ Lazari quę eius infirmitatem verbis, & literis manifeſtarunt; at vbi eum mundo mortuum viderunt, ſic recondunt, & abſcondunt, vt nec amiciſsimorū oculis pareat. Sic D Ber- Ioan. nar. ſerm. 3. de Aſſumpt expendens illud Do- Bernar. mini apud Ioan. *Vbi poſuiſtis eum? Sorores*, inquit, *alloquor, quæ ſepelierūt fratrem prædicatione, & miniſterio, vbi ergo poſuiſtis eum? abſconditus eſt foſſa, humo non facilè inuenitur.* Et rectè docetur abſcondi foſſa humo, qui mortuus mundo Chriſto renaſcitur.

## §. XLIIII.

### *Generis nobilitas magni ponderis eſt in Prælatis.*

NON caſu vbi de regno Ieſu agit Angelus, ad domum Iacob præ cæteris cucurrit, quaſi ad fontem totius Iſraeliticæ nobilitatis. Equidem nulla domus eſt in toto Iſrael, in qua degenerum aliquid non inueniatur. In Abrahæ domo Iſmael ancillæ filius: in Iſaac domo quis magis degener, quàm Eſau? & ſic in alijs; vna Iacob domus nihil degenerum paſſa eſt, ſed tota populi nobilitas ab illa pullulauit. Iam meritò futurus orbis Rex de antiquo nobilitatis fonte commēdatitior, nihil enim ſic premit ingenuos ſubditos, quā à fæce populi ſuſtinere duros Prælatos. Accipite quid ſanctiſsimus ille Epiſcopus Ptolemaides Syneſius in quodā Andronico Præ- Syneſ. fect. ſibi infenſo notarit epiſt. 57. fatus *Memini ſtis cuiuſmodi erga me extiterit? qui vt nihil aliud certè ab illis maioribus ortum duxerā (ab Eruſtine enim qui Dorienſes in Spartam deduxit, ad meum vſque parentem generis ſucceſſiones publicis tabulis inſcriptæ ſūt) is qui ne aui quidē nomen edere poſſet, imò nec parentis, vt aiunt, niſi quantū cōiectura aſſequi poteſt, porrò à piſcatu ad Præfecti curru ſit euectus.* Hac ſolū vir egregius ſuas ærū-

nas ponderabat, nec ad aliud dolorum pondus inueniri posset maius, quàm quod ingenui subditi vile sustineant sibi durum præpositum, & prælatum, præterquam quod mille alia incommoda prosiliunt statim ab ijs, qui à sententia præsumunt clauum. Ea eleganter no-
*Ennod.* tauit D. Ennodius in paneg. Theodorici Regis de quodam tyranno aiens. *Metuebat parentes exercitus, quem meminisse originis suæ admonebat honor alienus, nam ire ad nutum suum legiones, & remeare, pauore algidus imperabat; suspecta enim est obedientia, quæ famulatur indignis, & quoties Prælatos conuenit conscientia stirpis vltimæ, & illud metuunt, quod timentur.* Et sanè mens vilibus assueta malè semper audit in sceptris, illi continuus comes metus, & suspicio sesperni, ac contemni, dominandi disciplinam nec
*Prou. 30.* nouit, vt quæ innutrita fuit seruis. Idcirco inter felicitates fortis illius fœminę, Prouer. 30. hæc non postrema censetur, quod *nobilis in portis vir eius.* Cum enim maritus dominus sit vxoris, non poterat subditæ plena felicitas intelligi, si dominum sortiretur, quem innata nobilitas non efferret. Hinc iam non miror id quod sæpissimè obstupescere solebam de Imperio Israelitarum, quo nullum noui miserius, tot cladibus refertũ, tot à Deo vero defectionibus plenum, in quo vix vnus inter mille bonus princeps extitit. Excipe Dauidem, Ezechiam, & Iosiam, aut vnum alium, & reliqui omnes Reges mali fuêre, idolatræ, in Deum rebelles, populo damnosi. Quæ huius rei ratio? nempe seruilis, & abiecta conditio, quam gentes illæ apud Ægyptios captiuatæ ebiberunt. Hanc reddidit Anastasius Nicen. quęst.
*Anast. Nicen.* 45. vbi tractans intolerabile damnum, Prou.
*Prou. 25* 24. notatum, nimirum: *Seruus eum regnauerit*, ita loquitur; *id est, si seruus regnauerit, nempe Israel, qui fuit seruus in Aegypto, & insipiens repletus fuerit cibis, vt qui terram in promptu acceperit, & comederit, & repletus recalcitrauerit.* O vtinam ille ad prælaturas eligatur, cui generositas, cui ingenuitas,
*Gen. 1.* cui iubere innatum sit! Fallor, si hoc non tra-
*Chryſoſ.* debat D. Chrysost. hom. 7. ad pop. dum ex 1. Gen. ait. *Faciamus hominem ad imaginẽ, & similitudinem nostram: quid est ad imaginem nostram? principatus imaginem dixit, vt quẽ admodum nullus in cœlo est Deo superior, sic super terram nullus sit homini superior: vno enim hoc, & primò honorauit, quod ad imaginem iam eum fecit; secundò, quod non laborum præmium imperiũ nobis præbuit.* Etenim hoc maximè notandum, quod á Deo imperium non datum est laborũ præmium; sed naturæ ipsi inseminatum humanæ, quasi velit eos in profecturas assumi, quibus innatum est imperare, & iubere. Vix equidem est aliquis labor, qui imperio munerari debeat, vbi natura minimè suffragatur. Vnus Deus ad omnipotentiam suam ostentandã ignobiles, & rudes piscatores, in Ecclesiæ principes elegit; at ipsi statim vbi pro Iuda duodecimus Apostolus eligendus erat, an elegerũt piscatorem, & rudem hominem? Absit, imò vt bene notauit D. Antoninus apud Lorinum, elegerunt Mat-
*Anton.* thiam, virum mira eruditione, & doctrina præclarum. Ille enim solus, qui de lapidibus potest facere filios Abrahæ, potest de vilibus, & seruis bonos suscitare Prælatos.

*Text.* Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum nõ cognosco?

## §. XLV.

### *Maria experta Domini præsentiam supra naturam audet.*

CREDIDIT Maria Angelo; credidit, inquam, se parituram Deum: & tamen votum conceptum de virginitate æternum seruanda humiliter, & summissè exponit. Sic Patrum authoritate fultus tradit Toletus, sic verba ipsa attendenti facilè persuadent. Mihi vnum accidit admirandum, siquidem Virgo Angelico credidit sermoni de prole diuina à se parturienda. Cur modum exquisiuit? Cur prætendit votum, & propositum castitatis? An in Deo obliuionem sui propositi machinatur? Crediderim sanè Mariam non tam conatam esse emissum exhibere votum virginitatis, quàm illo exhibito adducere Deum, vt ex virgine incorrupta nascatur. Annuit quidẽ partui, sed partus mũdialis leges fastidiens virginitati adhæret, & à Deo expostulat modum quo virgo pariat. De Ioanne adhuc in visceribus matris agente, sic Antipater meditatur. *Antip.*
*Cum ex matrice in matre Christum Ioannes aspexisset, præuidens, exiliens, naturæ terminos conatus est transire. Video enim Dominũ, dicebat apud se, qui imponit naturæ terminos, non expecto tempus, quo solet fœtus gestari in vtero.* Sic supra naturam conatus exilire infans, eo solum quod se Domini præsentia ditari videat. Sic Maria Ioanne animosior secum Dominum Angelico testimonio præsentiens, se in maximam Dei gratiam euectam conspiciens, mediocria ista pertæsa magna audet, & eum sibi Deiferum partum

videt

videt offerri, naturæ terminos transcendit, nouum, & inauditum Virginis partum expostulat, soli Deo remittens excogitandum modum, quo pariat Virgo florida. Hoc ipsum
*Chrysol.* fœmineo sexui consulebat Chrysolog. in hęc Mariæ verba inquiens. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Mulier, quem virum quæris, quem tu in Paradiso perdidisti? Redde virum mulier, redde depositum Dei, redde ex te quem perdidisti per te, prætermitte naturæ ordinem, recognosce ordinem Creatoris* Nil dulcius ad exprimendam excellentiam Mariæ, quæ fœminarum agens personam corrigere nititur damna primæ nobili antipatia. Etenim illa Angelico suasa sermone fructus dulcedinem noluit gustare sine viro, quem perdidit gustu fructus. Hæc ab Angelo salutata, vt fructum ventris perciperet benedictum, noluit comitem habere virum; sed ipsa sola respuens omnes perditos viros ex se sola, suisque visceribus Dominicum audet sperare fructum, præsentiensque secum gratiam Creatoris, vt ait Chrysolog. audacter ordinem prætermittit naturæ. Ad hæc acuta est
*Anast. Sinait.* Anastasij Sinaitæ ponderatio, etenim Matth. 21. dicitur. *Intrauit Iesus in templum Dei,*
*Mat. 21* *& eijciebat omnes ementes, & vendentes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit; & accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo, & sanauit eos.* Et quidem cæcos, & claudos à se templi claustra arcebant: vnde ergo modò isti ad templum accedere sanandi audent? Anastas. Sinait. lib. 4. de rectis fid. dogm. inquit. *Claudos, & cæcos longius arcet lex ab ingressu templi, designato admirabili hoc prodigio, nimirum exclusis templo negociatoribus, qui viderant, & audierant secum reputantes, id operis humana esse fragilitate superius, ausi sunt ingredi* O quã audere possunt supra omnem vim ij, qui præsente Deum
*Mar. 10* augurantur! Miraberis, quod Marc. 10. petat Iesus à ficu fructus, cum non esset tempus ficorum, cur hoc Dominus faciebat? An, vt doceret homines præsente Domino supra omni audere natura? Ita Origen. in Matth. tom.
*Origen.* 16. fatus. *Vult enim Christus fideles suos meliores esse humana omni natura, & erigit eos supra naturam, & vt dicam, opera Dei magis, quàm hominum, propter quod hominibus dicit, quoscumque ad beatitudinem vocat. Ego dixi. Dij estis, & filij excelsi omnes arguent eos, qui nolunt esse Dij, neque filij excelsi.* Quippè crimen est, si præsentia Domini muniti non audeamus in superiora, & diuina Igitur virum expuit Maria, & præsentiens Deum sola sibi totum diuinum exoptat fructum infundi, vt simul ipsa totum vniuersæ refundat creaturæ. *O vtinam*, clamat hic Alcuinus, *poculum suum ebria illa Eua, aut totum effudisset!* At participem habuit virũ, *Alcuin.* & perdidit omnes viros; prudentior Maria dũ virum despicit, totum ipsa ebibit vitalem fructum, vt tota vniuersi illo perfundatur natura.

## *Text.* Respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.

### §. XLVI.

### *Mariæ sanctitas in Verbi Incarnatione maximè enituit.*

TOTVM Incarnationis negotium, quia diuinissimum, diuino tribuit Angelus artifici; nempe Spiritui sancto, eiusdemque virtuti fœcundatrici. Placet in hac re nobis Eu- *Ruth.*
thym. qui & placuit doctissimo P. Ioan. Mal- *Mald.*
donato minimè distinguenti Spiritum sanctum, & virtutem Altissimi; imò iuxta scripturarum loquellam venusta est eiusdem repetitio, idemque Spiritus sanctus, & virtus Altissimi, quæ obumbrabit; id est, quasi obnubilabit, siue quasi nubibus obteget, vt irroraretur Maria, diuinoque fœcundata, & completa ex nubilo, animatam germinaret salutem. Hæc mihi bene donauit Maldonatus, quibus sub breuitate transcriptis, iam hinc vocor in Marianum panegyricum, cuius supereminens sanctitas iam palam sub his verbis emituit. Enim verò Bernard. acutè expendens illud, *Spiritus sanctus superueniet in te*, super plenitudi- *Bern.*
nem quandã virginalis sanctitatis exaltat, quæ non solum interne plena, sed & superplena conspicitur propter abundantiam gratiarum, cuius super illam erumpunt radij. Ille nimirum Spiritus, qui iuxta Apostolum in cordib⁹ nostris clamat, inibi clausus miro in Maria, modò supereminet, supereminentesque effundit sanctitatis radios. Nescio quam huiusmodi superplenitudinem sanctitatis in protomartyre Stephano sunt mirati Patres, quę interioris hominis angustias rimans, exterius sui clarissimã speciem dabat. Cuius rei rationem pulchra similitudine exponit D. Greg. Nis. apud Lippõ. *Nissen.*
*Nam*, inquit, *sicut igniis idoneã nactus materiam, sublimem flammã tollit, & splendidiorẽ lucem efficit: ita Spiritus sancti ex magno Stephani animo clariores gratiæ radios emittebat.*

*tebat.* Quid vendibilius? Sanè ignis pro qualitate materiæ exurgit in flammas, & eam quâ doque inuenit materiam, intra quam concluſus vix extra appareat; verùm quando aptam materiam inuenit, & mundam, ò quàm ſublimibus, quàm ſplendidis, quàm diffuſis ſupere minet flammis! Igitur Marianam mentem, & pinguem virtutum adipe, & mundam puritate virginea, quales putatis tædas præbuiſſe ignibus Spiritus ſancti? Crediderim, quod ignis diuinus tantam, tamque idoneam materiam nactus, eas ſuperfuderit flammas, quæ mentis creatæ ſuperantis anguſtias ſe propè in immenſum dilatauerint. Quid plura? Audi Rupertum, qui ex tunc primò putat tertiam Trinitatis perſonam ditari nomine Spiritus ſancti, tanta fuit in Mariam profecta moles
*Gen. 2.* ſanctitatis. De fluuio Paradiſi dicitur Gen. 2. *Qui inde diuiditur in quatuor capita.* Id
*Cellenſ.* quod ad rem ſpiritualem transferens Abbas Cellenſ. lib. de panib. cap. 12 ait. *Quia ſimul collecta gratiæ plenitudo nullatenus creaturæ humanæ capacitate poteſt apprehendi, in quatuor capita dicitur diuidi, priuilegio tamen Filij ſui ſupra totius creaturæ meritum Mater Dei aſperſione Spiritus ſancti tota Deitatis gratia eſt ſuperfuſa.* Hæc ille.

Hanc exuberantem Mariæ ſanctitatem præ
*Hilar.* oculis habuit D. Hilar. dum ſerm. de Aſcenſ. *Verbum diuinum*, ait, *ſinum Virginis inuiolabiter pertranſit, ſicut reuerenter intrauit.* Expendo illud, *reuerenter intrauit*, & non poſſum non meminiſſe illius magni legiſlatoris Moyſis, qui nudis pedibus ob reuerentiæ notam iuſſus eſt videre viſionem magnam.
*Exod. 1.* Sed cur ea reuerentia à tanto viro expoſtulatur? *Quia*, inquit text⁹ ſacer, *terra in qua ſtas, ſancta eſt.* Iure terræ ſanctitas quamcumque reuerentiam poſtulabat. Hinc iam potes colligere Marianæ terræ ſanctitatem, quam non Moyſes, ſed Deus intrauit: magna ſanctitas, quam verentur homines, quam reuerentur & Angeli; verùm Mariæ ſanctitas præſtantior omni creaturæ ſanctitate, ſiquidem illam reueritus eſt omnium maximus Legiſlator. Aſt cupis cognoſcere qualem reuerentiam Deus exhibuerit maternæ ſanctitati; eam præclarè
*Zeno.* explicuit D. Zeno ſerm. 4. in Natiu. Chriſti, dum ait. *Tempore maturo Diuinitatis dignitate depoſita; non tamen poteſtate, cœlo egreſſus, ſacrario templi virginalis hoſpes pudicus illabitur.* Obſeruo illud, *diuinitatis dignitate depoſita*, & ſimul recordor illius triti moris, quo iudices, quum principem, ſeu virum illuſtrem inuiſunt, comitatis, & obſeruantiæ ergo, non antea conueniunt principem, quàm virga dignitatis inſigni ſepoſita. Hanc Matri ſuæ reuerentiam exhibuit ſupremus creaturarum Iudex, diuinus Legiſlator, ſummus omnium Princeps Deus, qui non aliter virgineum, ſacratiſsimumque ingreditur vterum, quàm diuinitatis dignitate ſepoſita; hoc eſt, maieſtatis inſigni dimiſſo.

## §. XLVII.

### *Quidquid carni, & ſanguini proximum eſt, ſuſpectũ, & inuiſum habeatur à mente caſta.*

CASTISSIMÆ Virgini grauidandæ diuinus illabitur Spiritus; caro enim in caſtitatis negotio, non ſolũ non prodeſt quic quam, ſed etiam officit plurimùm. Pulchrè D. *Chryſol.* Chryſolog. ſerm. 142. ad Virginem Mariam loquitur. *Deus ipſe ad te venit, quia te pœnituit ad hominem peruenisſe, nec iam caro ad carnem, ſed Spiritus ſanctus ſuperuenit in te.* Quaſi diceret: vbi carnis illecebras fugiſti, vbi te Virginem caſtam exhibuiſti, non caro, ſed Spiritus in te requieſcet, in teque ſua exercebit munia: vnus Spiritus caſtis mentibus familiaris, & amicus ſit. Quidquid carni concernit, ſuſpectum, & inuiſum habe: quam potius doctrinam caſtitatis cultor Ioſeph, veſtes fœminæ retentas manu reliquit, & fugit. Sed cur veſtes reliquit? An quia veſtes carni proximæ *Gen. 39* ſunt, & caſtus animus, neceſſum eſt, vt fugiat etiam carnis vmbram? Ita prorſus D. Nilus in *Nilus.* cat. ad cap. 1. Iob dicens *Ioſeph ille pudicitiæ athleta, voluptate illum tenere conanti, res quæ habent commercium cum corpore, tanquam indumenta relinquens, foras egreſſus fugit.* Expendo quàm ſe expediat vir caſtus á rebus, quæ habent commercium cum corpore, quali ſola incorporea, & ſpiritualia poſsint eſſe menti caſtæ ſecura. Vtinã ſic cauiſſet primæuus ille Sacerdos Aaron; at malè cautus, vt in aures fœminarum petijt. Exod. 32. Quid *Exo. 32.* inde, niſi laſciui vituli idolũ effingeret? *Quas cum ille accepiſſet, formauit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulũ.* Eu caueamus à rebus, quæ habent commercium cum corpore, ni velim⁹ *Nazian.* illis adoraturi ſuccumbere. Id monebat Nazianzen. orat. in ſanctum Baptiſma dicens. *Illuſtrentur oculi, vt recta cernamus, nec meretricium vllum ſimulachrum ex accurato, & ſuperuacaneo aſpectu conflatum in nobis circũferamus.* Nil quaſi mediũ eſt, & viſio carnalis pulchritudinis, & ſtatim idolũ, cui miſerè genua curues, & mulierem mundam attingis, & ſtatim laſciui vituli altaria donis cumulas. *Cle. Ale.* Non multum diſſentit Clemens Alex. 2. Pædag. cap. 12. fatus. *Beati quidem fuiſſent Hebræi*

*braei veteres, si mundum mulierum abstuliſſent, & abieciſſent, vel ſolummodo fudiſſent. Nunc autem cum aureum bouem conflaſſent, & in eo adorando idolatriæ peccatum admiſiſſent, ipſi quidem nec ex arte, nec ex proprio inſtituto commodi quicquam cæperunt.* Sane ſi mundum mulierum abiecisſent beati fuiſſent, at vbi manibus acceptum conſpexerunt, in eo adorando miſerè ſeſe conficiunt. Hinc Virgo cauta in eo, quem Angelum, purumque cognouerat Spiritum, corporalia, carnique concernentia timebat verba, turbata in ſermone eius; ſic enim cogitabundam, & meditabundam inducit Andreas Cret. Mariam. *Quæ eſt illa ſalutatio, aut vnde ingreſſus, qui nuntium hoc mihi aſportauit? Angelũ ergo eum conſebo? Verum hominis inſtar loquitur.* Si cauta virginitas, adeò puros ſpiritus amabat, vt vel in ore Angeli verba humana metueret.

*Andr. Cret.*

## §. XLVIII.

### *Ab vno Spiritu ſancto inhabitante diſcit Maria ſuam integritatem æternare. Vbi de B. Xauerij integritate.*

DE conceptu monita Maria, & pro virginali integritate ſolicita, nihil dubitans, ſed modum ſeruandæ, in partu, & poſt incorruptionis requirens, aiebat. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Nouit Angelus Virginis affectum, nouit diſcipulum parari, quæ æternam incorruptionem ediſceret, & protinus tantæ diſciplinæ magiſtrum profert, locutus. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.* Ad hæc D Bernard homil. 4. *At ſi Angelus reſpondeat ad Virginem. Quid a me requiris, quod in te mox experieris? Sciens ſcies, & fœliciter ſcies, ſed illo doctore, & authore; ego autem miſſus ſum nuntiare virginalem conceptum, non creare, non poteſt doceri niſi a donante.* Et quidem non eſt poteſtatis Angelicæ, quod virgo doceatur ſuam integritatem æternare; id ad diuinum ſpectat magiſterium. Spiritus, qui intime illabitur membris humanis, ille ad incorruptionem facit proficere, & immortalitatem. Modo accipe pulchra Tert. verba lib de Trin. vbi ſic loquitur de Spiritu ſancto. *Inhabitator corporibus noſtris datus eſt, & ſanctitatis effector, id agens in nobis, vt ad æternum, & reſurrectionem immortalitatis corpora noſtra perducat; dum illa in ſe adſuefacit cum cæleſti virtute miſceri, & cum Spiritus ſancti diuina æternitate ſociari. Erudiuntur enim in illo, & per ipſum corpora noſtra ad immortalitatem proficere, dum ad decreta ipſius diſcunt ſe moderanter temperare.* Ecce qualiter à Spiritu ſancto ebibunt corpora noſtra diſciplinam ſeſe æternandi, immarcescibilemque corruptionem conſeruandi; vt hinc norint virgines quo doctore poſsint diſcere ſolidam integritatem ſeruare, dum nimirum ad decreta ipſius diſcunt ſe moderanter temperare. Etenim Spiritus ſancti caſta decreta eò ſpectant, vt viuidam, & æternam ſeruent virginum incorruptibilitatem. Cauet. lex Leuit. 21. *ad omnem mortuum non ingredietur omninò*, & nihilominus Moyſes ipſe Ioſeph oſſa mortua ſecum aſportabat. Vbi ergò legum obſeruantia? Quaſi á Moyſis ore reſpondit D. Iſidor. Peluſ. lib. 4 epiſt. 157. dicens. *Non violo, non ſoluo*, inquit, *legem, ſed per hoc oſtendo rem ipſam, quæ per ſcripturam, ac verba legis ſignificantur, diligenter eſſe attendendam. Ego enim eum, qui caſtitatem coluit pro mortuo non habeo.* Quippe qui caſta diuini Spiritus decreta ſecutus eſt, ſemper viuidam, & floridam ediſcit integritatem ſeruare. Proquo notandum mihi in primis aſtar, quod Ioſeph iubeat morituus, vt oſſa eius arida ex Ægypto, in patria ſepulchra reducantur, verum pater eius Iacob longe aliter cauet, ne corpus emortuum Ægypto ſepeliatur, ſed carnibus integris transferri ſtatim mauult. Cur ita? Rem pulchrè attingens D. Auguſt lib. 2. de mirab. ſacræ Script. cap. 15. ait. *Iacob nam que nequaquam externæ gentis fœminis, niſi his, quæ de Meſopotamia ſecum venerãt, miſcebatur: idcircò ad paternum ſepulchrum integro corpore poſt mortem ſtatim deuehitur. Ioſeph verò Aſſenez Puzipharis ſacerdotis Heliopolis filiam accipiens, ex terno ſanguini fuerat immixtus, & ideo poſt mortem in extraneo terræ limo conditus eſt.* Sic mille virgines à Spiritu ſancto edoctæ, ſuam integritatem æternarunt, nullam enim videntes corruptionem, integro corpore transferendæ ſunt in cæleſtẽ patriam. Sic Chaterina, ſic Cæcilia, ſic Beatiſsimus Indiæ Apoſtolus Franciſcus Xauerius Ieſuitarum decus; is ſanè vt de Spiritu ſancto accepit, quod alienigenarũ, & exterorum prouincias peragraret, quin mulierum exterarum, vel viſui acquieſceret, ſic integro corpore, floridiſque, & viuidis carnibus in patrium ſepulcrum tranſportatur. Similem huic corporis integritatem in Beat Malachia meditatus D. Bernard. ſerm. 1. meminit illius Pauli ad Rom. c 8. dicentis *habitat in me peccatum.* Sed qualiter in tanto Apoſtolo peccatum habitaret? Sanè habitabat vt in-

*Leui. 2*

*Iſid. Peluſ.*

*Gen. 4.*

*Gen. 39*

*Auguſt.*

*Bern.*

*Tert.*

carcere,non vt in possessione: habitabat, inquam, vt coactus in vinculis habitat, ne officiat. Id ipsum ad mortem in viuido, & integro cadauere transferens,ait *Sic & mors ipsa minimè quidem adhuc abesse cogitur, sed cogitur non obesse.* Ecce tibi corpora,quæ Spiritus sancti fuerunt habitacula, vt sint eadem Angeli mortis vincula, & carceres. Inhabitator Spiritus docuit membra nostra regnare, & mortis dominari,adeò ipsa mors in membris adsit vincta,adsit captiua,minimè lędens viuidam,& floridam integritatem.

*Text.* Ideo & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.

## §. XLIX.

### *Vterus virgineus Mariæ diuinam prolem arguit.*

VIRGINEVM partum vnus verus,& naturalis Filius Dei spectat, cuius supereminentem magnitudinem decet è floridо Virginis inuiolatæ vtero delabi. Pulchrè Theodotus apud Synodum Ephesinam,homil. 2. de Natiuitate argumentatur. *Cernis quomodo quod natum est,Matris integritatem illæsam conseruauit? Apud rectè ratiocinantes Deus esse vtique cognoscereturr.* Quę fructum daret semper floridus vterus Marianus,nisi Deum? Vbi gratissimus diuini parentis hinnulus pascuam inueniret, nisi inter florentia lilia castitatis? Meritò de Virgine pariente loquitur D. Zeno serm. 4. de Natiuit. *Quæ principaliter stupet talem se filium genuisse, qui ex se natus non crederetur, nisi quia sicut fuit Virgo incorrupta post conceptum, permaneret talis etiam post partum.* Hac in alma virginitate cubat,& pascitur Dei Filius in meridie, quando ex vtero ante Luciferum â Patre generatur,hac eadem cubat in media nocte,quando apud Bethleem ex Maria nascitur. Nec virginitas aliud, quâ Deum pareret, vnius virginitatis est diuinus partus. Non amplius id debebo D. Chrysostomo in præsenti apud Metaphrastem sic ab Angeli ore loquenti. *Naturæ errores Domine corrigere,membrorum nebulam dissoluere,membra mortua ad vitalem vim reuocare, naturæ præcipere,vt gignat,à certis membris sterilitatem remouere, senescentem stipulam ad viridem formam reducere, terram infœcundam statim efficere manipulorum matrem, solitum est tuæ virtutis opus. Testis est Sara, tum Rebecca, post autem Anna, quæ cum graui sterilitatis morbo laborarent, abs te liberatæ sunt. Virginem verò sine virili congressu parere, superat naturæ leges, & præsentiam tuam in puella denuntiat,vt quem cœli terraque non capiunt,vterus Virginis comprehendat.* Sic ille:quibus egregiè ponderat virgineum partum, præter omnipotentis brachij efficacitatem,adhuc inducere realem præsentiam nascentis Deitatis.

Theod.

Zeno.

Chrysost.

## §. L.

### *Maria Virgo quandam sanctitatis speciem dedit Verbo diuino ex se nascenti.*

VRGEO vlterius illud, *quod nascetur ex te sanctum*, & miror quod paruus sanctiratis fons videatur immenso sanctitatis pelago aliquid dedisse. An abyssus ille gratiarum, & splendorum ex Maria natus accepit quicquam? Sanè illum splendorem, illamque sanctitatis accepit speciem, quam ex parentibus sanctis accipiunt filij. Hanc speciem in Salomone susciebat Rex ille, cuius epistola ad ipsum sic habet apud Eusebium lib 9. de Præp. cap. 41. *Rex Vaphres Salomoni Regi salutem. Valde sum gauisus, & festum celebraui diem, tum ego, & copiæ meæ vniuersæ, quod Regnum à probo viro acceperis, & probato tanto Deo.* Sed ecce plusquam Salomon hic,nempe Mariæ filius, quo nullus sanctior, nec beatior; vtpote qui vltra infinitam gratiam sibi insitam, hanc etiam habet, quod à sanctissima, Deoque gratissima Matre carnem habeat. Vnde meritò Alcuinus sic Mariam affatur. *Vterum tuum, ó Domina, velut sacratissimum Dei templum, totus mundus veneratur. Quia in eo salus mundi initiata est:ibi decorem indutus est Dei Filius, ac præelectæ sponsæ Ecclesiæ formosus in stola candida exultanter occurrit.* Etenim vterus virginalis nouum decorem, nouamque sanctitatis speciositatem intulit Verbo increato. Sic illi apud Hierosolymam,Christi Domini & miratores,& excep tores prius exclamant.Matth. 21.*Osanna filio Dauid.* Et immediatè subdunt: *Benedictus qui venit in nomine Domini*:quasi in illo mirarentur solam sanctitatem, & benedictionem ex benedicta Dauidica parente ortam. Quod ponderans D. Cyrillus Alexand. homil. in Nestorium, sic salutat Verbi diuini Matrem.

Euseb.

Alcuin.

Mat.21

Cyril.

Matrem. *Salue Mater, & Virgo, per quam is benedictus in Euangelijs nominatur, qui venit in nomine Domini.* Vt clareat, quàm iustè Verbi speciositas, & sanctitas spectabilis quasi accepta Matri referatur. Hinc Rupertus lib. 1 cap. 11. de operibus Spiritus sancti, sanctiorem Natiuitatem putat in Christo, quùm in Adamo, ex parte terræ, ex qua assumptus est vterque. Etenim Adamum fecit Deus ex terra, nec benedicta, nec sua; verùm Christum fecit ex virginali terra benedicta, & sua, iuxta Psalm. 84. *Benedixisti Domine terram tuam* Ergo à primo homine secundus longè perfectior: an quia ille factus à patre est, hic autem opera Spiritus sancti genitus? Absit; sed quia secundus homo à virginali terra Maria singularem excellentiam accepit, quam non habuit homo primus. *Non ergo melior artifex Spiritus sanctus, quam Pater; sed melior terra, melior, & diuinæ rationi vicinior à Spiritu sancto assumpta est.* Sic ille.

*Text.* Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit in senectute sua, & hic est sextus mensis illi, quæ vocatur sterilis, quia nõ erit impossibile apud Deum omne verbum.

## §. LI.

### *Quàm vtilis Elisabeth cognatio Mariæ.*

POTVISSET Angelus veteres illas, & steriles fœminas, nimirum Saram, Rebeccam, Annam in exemplum vocare, vt parituræ Virginis fidem astrueret; maluit tamen Elisabeth commemorare, vt Marianis meritis etiam hoc daret, quod sibi fœcunditatem acquirerent, & vicinis cognatis. Rubus ardens incombustus, virginitas Mariana fuit sub partu Dei Filij, Nisseno, Bernard. Eucher. Rupert. Theod. & alijs, quos refert Lorinus, Actor. 7. capit. In quo rubi miraculo illud singulare addit Auctor historiæ scholastic. quod nimirum non solum rubus ipse flammis correptus, viridis manebat, & illæsus; sed etiam vicinæ herbæ, & plantæ, plus quàm ipsa natura ferebat, vegetæ, & hilares videbantur. Quo virginei partus clarius adumbratur miraculum, quando & Virgo diuinis superfusa flammis, intacta fœcundatur in matrem, & eius cognata, & propinqua ad nouum etiam repuerascebat partum. Tantum hoc non dixit Guarricus Abbas serm. in Natiuit. Ioan. Bapt. sic aiens. *Flumina prorsus de ventre Mariæ fluebant aquæ viuæ, & fons vitæ gratiæ oriebatur de medio Paradisi. Proxima erat fonti Cedrus ista nobilis (Ioannem loquor) ideoque vberius irrigata, in tantum excreuit, vt inter natos mulierum nihil illa sublimius possit inueniri.* Quid aliud diceret perdoctus Abbas de Ioannis matre? iam penè emortuum lignum erat, vetus, & infrugifera arbos; nanciscitur tamen cognationem, & propinquitatem cum Mariano rubo, fuit huic gratiæ fonti cognata, & ideo quæ vetus & sterilis erat, nouum virorem acquirit, & nouam fœcunditatem. Hanc reddo excogitationem D Theodoro Studitæ, qui orat. de Natiuit Ioann. ait. *Elizabeth matri Saræ gloria æqualis, vel potius superior, vt quæ esset propinquitate coniuncta Dei Matri, ex sterili gignit non Isaac, qui vocatur Dei seruus; sed Ioannem, qui fuit appellatus Dei verus, & germanus amicus.* Expende illud, nimirum, *vel potius superior*, vt quæ esset propinquitate coniuncta Dei Matri. Hinc enim felix fœmina vincit superiores in gloria, hinc ditior fœtu apparuit, hinc viguit inter omnes, quia huic flammanti rubo approquauit. Non minus elegãti sermone D. Chrysostomus notans Zachariam pressum fuisse silentio, cum Elisabeth, & Ioannes exiliunt præ gaudio, hanc illius rei promit causam. *Vir frænatur, & mulier liberatur, Zacharias silet, & Ioannes exilit, solum enim vidit sterilis Virginem, & Solem animaduertit Lucifer.* Quasi quærenti causam silentij patris, & lætitiæ matris responderet, tantum sterilis vidit Virginem, cur non lætaretur sterilis, quæ sola meruit, vt propinquius fœcundam Virginem videret.

*Nissen. Bernar. Euch. Rupert.*

*Guarr.*

*Theod. Stud.*

*Chrysost.*

## §. LII.

### *Subditi ad noua, & inusitata mandata eliciendi sunt rationibus, & exemplis.*

ECCE quot argumentis, quot exemplis Angelus adducit Mariam, vt Deo ex illa volenti nasci; obediat, & quidem obedientia Mariana promptior erat, quàm vt ege et Angelicis argumentis, nihilominus tam-

Angelus vbi Dei mandatum nouum, & extraordinarium nouit, illud rationibus, & exemplis mollire ſtatuit. Sic Prælati, quoties noua, & inuſitata ſubditis mandant, non ſine præmiſſa ratione id faciant. Conſule Exodi cap. 20. vbi dicitur: *Non occides, non furtum facies, non mœchaberis.* At vbi de Sabbatho feriando præceptum datur, ait: *Septima die non facies opus, quod in ſeptima die requieuit Deus ab omni opere, quod patrarat.* Quod notans D. Chryſoſtomus homil. 2 ad Populum ait. *Quare, dic mihi, in Sabbatho adiecit cauſam, in cæde verò nihil tale fecit? Quoniam hoc quidem mandatum non de principalibus erat, nec per conſcientiam nobis exquiſitis; ſed particulare quoddam, & temporaneum.* Hoc ſolemne ſit omnibus Prælatis, qui velint promptius ſua adinuenti præſcripta, quod particularia, & noua præcepta non ſine ratione, & cauſa præmiſſa ſuggerant. Porro ſubditi, qui perfectæ obedientiæ dant operam, id non expectent, ſed ad Dei nutum, vel oculis clauſis, nullo rationis examine proſiliant. Sic monebat D. Proſper ſententt. 286. dicens. *Magna eſt vtilitas hominis, iubenti Deo etiam incognita ratione iuſſionis, Deo ſeruire. Iubendo enim Deus vtile facit, quidquid iubere voluerit, de quo metuendum non eſt, ne non profutura præcipiat: nec fieri poteſt, vt voluntas propria nō grandi ruinæ pondere ſuper hominem cadat, ſi eam voluntati ſuperioris extollendo præponat.* Non tamen erit contra rationem obedientiæ perfectiſsimæ, mandati particularis rationes inquirere, vt inquiſiuit Maria, dicens: *Quomodo fiet iſtud?* Enimverò parata erat etiam in difficillimis, quantum ex ſe erat, obedire, ſed cupiebat modum, & rationem ſcire mandati. Id quod in obedientia perfectiſsima licet inueniri. Quando rudes illi, & imperfecti Iſraelitæ dicebant Exod. 24 iuxta lection. Septuag. *Omnia quæcumque dixerit Deus, faciemus, & audiemus.* Quaſi in eo ſuam imperfectionem oſtendant, quod antequam plenè perciperent, & intelligerent faciendarum rerum rationes, operi incumberent. De quo D. Baſil. in cap. 1. Iſaiæ, fatur. *Tametſi conſentaneum magis erit, vt dicerent: Audiemus, & faciemus. Atquiſic legis ſenſum explere, vel craſſiſſimi cuiuſuis eſt: ceu ſunt Sabbathum obſeruare, iuxta corporalem ſenſum, ab æduliis lege prohibitis abſtinere, die octauo circuncidi, vtque ter in anno in lege apparerent. Horum autem rationibus dignoſcendis ſpiritualiter incubuiſſe, viri eſt iam perfecti, & eius, qui per vitæ curriculum in huiuſmodi rerum cognitione ſit plurimùm verſatus.* Itaque perfecti obedientis eſt, rationes, & cauſas mandatorum exquirere, quibus citius in mandati euolet executionem.

Exo. 20.

Chryſoſ.

Proſp.

Exo. 24.

Baſil.

## *Text.* Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.

### §. LIII.

### *Mariæ excellentia fuit, quod Deus ab illa carnem ſumpſerit, dante ipſa.*

NIHIL ex matre habere voluit Deus, quod non libenti, & gratioſo animo præſtiterit, quaſi in hoc maternam dignitatem reuereatur. Id expendebat Guilelmus apud Delrium, cant. 4. ſect. 1. dicens. *Nolebat Omnipotens carnem ſumere ex ipſa, nisi data ipſa: ſicut ſumpſit ex dormiente Adam, vnde formauit Euam, ad futuræ Matris excellentiam, non tantum ex ipſa carnem ſumere, ſed etiam ab ipſa volebat.* Igitur hoc vnum in ſua incarnatione Verbum exoptauit, ad hoc Angelum miſit, qui miraculum explicaret, qui dignitatem, & gratiarum cumulum proponeret, vt Virgo ſponte ſua libens aſſenſum præſtaret. Nemo pulchrius hanc Marianam excellentiam ponderauit, quā Theodotus orat. habita apud Concil. Epheſ. aiens. *O Virgo, quæ ipſam viciſti deliciarum Paradiſum, illa ſine ſemine, omne plantationis genus protulit, ex virgine terra ortis plantationibus. Hæc autem Virgo illa terra melior eſt, non enim pomorum protulit arborem, ſed virgam Ieſſe fructum Saluatorem hominibus afferentem. Et illa terra virgo erat, & iſta virgo; ſed illius quidem arborem naſci præcipit Deus.* Enim verò iure pōderandum eſt, quod Paradiſus non niſi iuſſa, præceptoque diuino obligata, germina, & fructus præſtiterit illius quidem, ait, arborem naſci præcepit Deus. At Maria Virgo nulla tacta præcepto, ſed ſponte ſua libens, & voluntaria generando Chriſto exhibuit vterum. Miſſurus Dominus Prophetam ad populum, ſic loquitur, præſente Iſaia *Quem mittam?* Ad hæc Ambroſ. Pſal 118. ſerm. 14 *Vtique ſeruulo ſuo poterat imperare, quem dignum, qui mitteretur, inuenerat; ſed maluit eum ſponteneæ oblationis non fraudare mercede, qui vt ipſe ſe offerret, præſtolatus eſt; & quamuis eius*

Guil.

Theod.

Iſai. 6.

Ambr.

*eius sciret affectum, expostula. it tamen vocem, vt gratia cumularet.* Quo ! si hoc in ser uulo expectauit, non miremur idem in Matre expectasse, præterquam ·· od magni ponderis est spontanea voluntas, qua quis mouetur, vt operis suscepti non grauetur sarcina. Ideo
*Exod. 30* Exod. 3. missurus Moysem, ait. *Et nunc veni, mittam te ad Pharaonem.* Verùm Isai. 6 ait.
*Isai. 8.* *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Ecce tibi Moysi imperat, at Isaiæ nihil mandat, solùm
*Basil.* prætendit necessitatem, vt ipse sponte sua, se se offerat. Cur ita? Bene D. Basil. fatur. *Quia illic mittebatur Moyses pro bono, ac beneficio in populum conferendo: hic autem ministerium proponitur, ad nuntiandum res parum amœnas, imò permolestas. Quocirca illi quidem mandatum præscribitur, huic autem famulatus legationis in potestate relinquitur: propterea quod nos homines sic natura comparati sumus, vt quæ semel volentes exequenda elegerimus, quamlibet molesta fuerint, tamen eam operosam molestiam deuoramus, ac perpetimur.* Meritò ergo in potestate, & libera Mariæ voluntate ponitur diuinus partus, ex quo iam per eius animam transiturus acuebatur gladius.

## §. LIV.

### *Egregium Mariæ facinus, quod libens se offerat tanto ministerio.*

IMMERITO carpuntur à Toleto D. Ambros. & Euthym. qui putant verba illa Mariæ: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, fuisse verba optantis, desiderantisque, imò ex desiderio sese alacriter offerentis. An contrarium hoc virgineæ molestiæ? Recolitè semel datos Prophetas, Moysem, & Isaiam, diuinæ œconomię candidissima lumina. Ille ad Israelis clauum vocatus, suæ humilitati consulens, munus constan
*Exod. 3.* ter recusabat, dicens Exod. 3 *Mitte quē missurus es.* Hic vix Dominum sollicitum animaduertit de eligendo ministro, & sese offert muneri tanto, cap. 6. *Ecce ego, mitte me.* Vter
*Isai. 6.* pulchrius? Vter agit sanctius? De vtroque sic pronunciat Nazianz. *Bonum est Dei imperiū aliquantisper detractare vt Moyses ille, & rursus ad vocantem promptè, atque impigrè*
*Nazian.* *accurrere, quemadmodum Isaias* Expeditius huius rei rationem reddit Nazianzeni Scho-
*Nicet.* liastes Nicetas, fatus. *Etenim Moyses impari metuens muneri, sibi, suæq; fragilitati prospiciebat refugiendo: Isaias autem cum remissis sibi peccatis audiuisset, quis proficisceretur ad populum hunc, atque existimaret eam ob causam, nuntiū quæri, vt pari beneficio fruerentur illi, ad quos mitteretur, præ animi lætitia se ipsum offert, vt illis quoque peccata remitterentur. Ecce ego, inquit, mitte me. Quare non sine ratione, & ille mandatam sibi prouinciam deprecabatur, & hic cupidè ambiebat.* O summè extollēda ambitio, quę adeo populari saluti studebat! quæ beneficio diuino donata cupidè ambiebat munus, quo par beneficium hominibus miseris communicaret! Hoc ambitu extulit naturam Angelicam D. Hilar. dum paruulos memorans ait. *Hilar.*
*Periculosè contemnitur ille, cuius desideria, ac postulationes ad æternum, & inuisibilem Deum ambitioso Angelorum famulatu peruehuntur.* Et quidem nihil glorioſius, nihil ambitioſius etiam Angelis, quàm salutem miseris propinare. Et Prophetas, & Angelos quā longissimè ex capite superat ambitio Mariana, quæ sese offerens in ministerium humanæ salutis, ait *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Equidem se gratiosam apud Deum experiens, vt pari beneficio fruerētur homines, oblatum sibi Saluatorem ambit. Nonne Hierem 31 ait. *Fœmina circundabit virum?* vbi ex multorum Doctorum calculo, pro *circundabit*, legendum est: *Fœmina ambibit virum.* Quod Mariæ singulare est: quando viri cæteras fœminas ambiunt, ipsa vna virum ambit, virum, inquam, Saluatorem mundi sollicitat, & trahit, vt aurora diem, Apollinem Diana, vt meritò excelamet Alcuin serm. de Nat. Virg. *Sicut aurora valde rutilans, ò Maria, veri Solis splendorem præcessisti, vt verè diem salutis, diē propitiationis à tua claritate initiari dignum fuerit.* Talem auroram talis dies, & talē diem talis aurora decuit; tu vide, de quo se magis possit Maria gloriari, an quia auidè occurrit, an quia præcurrit Solem, vt mundo diem salutis initiaret. *Hier. 31.* *Alcuin.*

## §. LV.

### *Maria ancillæ appellatione, sibi magis Deum vincit, & arctat.*

SVNT, qui Mariam à consortio Diuinitatis, à Deiparæ nomine excludebant, eo nixi fundamento, quod ipsa se ancillam appellauerit. O egregij Marianarum virtutum æstimatores! Quia se ancillam dixit, non est mater Dei? non creaturarum Regina? Imò quando se ancillam dabat, & munus matris, & summam rerum à Deo percipiebat. Similiter in-

sanie-

ſaniebant Arriani aduerſus diuinum Verbum, quod ſeruus quandoque diceretur. Quid tũc? ait pulcherrimè D. Athan. *Quin & Berſabe, tametſi mater, filium ſuum, ſeruum nominat, dum patri dicit ſeruum tuum. Deinde Nathan loquitur, & inter loquendum Salomonem ſerui nomine appellat. Dauid autem talia audiens, æquè filium ſuum agnoſcebat: iſti vero ita loquendo, non ignorabant eum genuinum filium eſſe, quinimò vt hæres patri inſtitueretur, ſolicitabant, cum illum vt ſeruum nominarent.* Athan. Ecce quantum valeat ſerui compellatio, qua Nathan, & Berſabe regnum filio, à patre expiſcari conantur. Sic prorſus Maria ſe dum ancillam nominat, vt Regina omniũ, Meterque Dei eligeretur, ſolicitabat: nec vnquam magis Deum ſibi attraxit, quàm cum ſe inter abiecta ſeruitia numerat. Nec miror in Mariana ſeruitute tantam eſſe poſitam gloriã, quãdo vẽturi æui fœlicitatẽ nõ alijs titulis oſtendit Paulus, niſi titulis ſeruitutis & ſubiectionis. Ait enim 1. ad Corin. *Nouiſſima autẽ inimica deſtruetur mors. Omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius. Cum autem dicat: omnia ſubiecta ſunt ei: ſine dubio præter eum, qui ſubiecit ei omnia. Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia; tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia.* 1. ad Corinth. 15 Ecce vnde extollat pacatiſsimum regnum Chriſti, non ex auita ingenuitate, ſed ex ſubiectione; quod notans Orig. homil. 23. in Matth. ait. *Vide quo modo in omnibus iſtis nomen ſubiectionis ad ſalutem ponitur ſubiectorum.* Orig. Hinc crediderim, quod ſanctiſsimus Daniel captiuus apud Babylonios, magis æſtimat humilem illam ſeruitutem ſuorum, quam Regiam proſapiã. Etenim memoraturus regios pueros, tacita ſtirpe regia, ſolùm, ait, cap. 1. *Fuerunt ergo inter eos,* (nimirum inter captiuos, & ſeruos) *de filijs Iuda, Daniel, Ananias, Miſael, & Azarias.* Dan. c. 1 Tacita illorum regia nobilitate, hoc ſolum meminit, quod fuerint inter ſeruos, quaſi hinc ex ſeruitute Dei cauſa ſuſcepta, maximè illorum gloriam exaltaret. Id notabat Theodoretus dicens. *Cum ſupra dixerit, imperaſſe regem, vt eligeretur é ſtirpe regia iuuenes forma conſpicui, & magnitudine decori, & hic perſonarum nomina poſuerit: Tribus Iudâ ſimpliciter mentionem fecit, & regiam cognationem occultauit.* Theod. Equidem non multi nobiles, ſed qui religioſam, & piam virtutis ſeruitutem præferunt, hi diuinum affectum ſolicitant ſibi.

*Text.* Et diſceſſit Angelus ab ea.

## §. LVI.

### *Fœminarum colloquia quàm fugienda.*

PEracto ſalutis nuntio, nil moratur Angelus, ſed ſtatim abijt, iam hic docens Chriſti miniſtros, quam cauenda ſint illis longa colloquia fœminarum. Paulus 1. ad Corinth. 11. aiebat; *ideo debet mulier poteſtatem habere in capite propter Angelos.* 1. Co. 11 Quaſi vellet, quòd fœminæ in contegenda pulchritudine ſua non ſolum humani, ſed etiam angelici cõſpectus rationem habeant. Ita planè D. Baſil. de Vera Virg. explicat Paulum fatus. *Admonet non decere mulierem, non modo vllum membrorum cæterorum, verum nec caput quidem temerè, indifferenterque nudare. Et quoniam ſola, abſentibus viris id attentare conſueuerunt, ideo dignitatem aliam præſtantiorem viris adiecit: dicens, propter Angelos qui vbique præſentes ſunt, & omnia quæ gerentur, inſpiciunt. Reuereatur ergo omnis mulier, ſed virgo in primis Angelos, etiam cum domo ſola, nullis viris arbitris, reſidet.* Baſil. Non ſatis commendata virginum cautela videtur, niſi inbeantur virgines cautæ eſſe etiam ad angelorum conſpectum: ſic eodem modo non ſatis commendatur virorum apud fœminas cauta conuerſario, niſi de Angeli facto. Quando per acto ſalutis nuncio, non amplius apud Virginem moratur, ſed ſtatim feſtinus auolat Dei miniſtrum reſpiciebat Iſaias, cap. 16. aiens: *& erit ſicut auis fugiens:* quippe ales tibi aderit placidiſsimus, teque cantu ſuo maxime recreabit: ſed vbi cantus ſui peregit modulos, ſtatim ſine mora auolat. Ita Dei miniſter cum ſalutis cauſa, fœminas adire cogatur, peractis breuiter ſalutis cantibus feſtinet ſtatim euolare. Id docebat D. Iſidor. Peluſ. lib. 3. epiſt. 274. dum ait. *Quod ſi vt cum fœminis congrediaris, neceſſitas aliqua te obſtringat, oculos humi deiectos habe. Cumque pauca quæ ipſarum animos obſtingere, atque illuſtrare, locutus fueris, euola.* Iſa. c. 16 Iſid. Peluſ. Crediderim quod ipſe Dominus Ieſus ſic vitam ſuam compoſuerit, vt ad mulieres etiam familiares, & ſibi deuotas, breuiſsimè verba daret. Etenim ardens illa Dei amatrix Magdalena, dum defunctum Dominum, imò ſublatum, apud ſepulchrum lacrymatur, ait Ioannes cap. 20. quod, *vidit Ieſum flantem, & non ſciebat quia Ieſus eſt. Dicit ei Ieſus mulier quid ploras? quem queris?* Et inter hæc Magdalena adhuc non cognoſcebat Ieſum, cuius rei cauſam attingens Origin. ait. *Ipſe eſt Ieſus qui te cum* Ioan. 20. Orig.

*loqui-*

*loquitur, sed forsitæm ideò cum non cognoscis, quia tecum loquitur.* Adeò rara erant Iesu cum fœminis colloquia, vt ex eo Magdalena non cognoscat Iesum, quod secum priuatim videat colloquentem. Ad Corinth. scribens Paulus, epist. 1. cap. 9 fatur. *Nunquid non habemus potestatem, mulierem sororem circunducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* Habebat sane saltim de aliorum Apostolorum exemplo hanc potestatem, qua alimoniæ causa mulierem sororem circunduceret; sed minime id ausus fuit facere, imò à tali fœminarum consortio longe abhorruit. An quia timeret sibi tantus Apostolus à fœminarum familiaritate? Ita respondet D Basil. de Vera virginitate, ipsa per verba Pauli. *Non sum*, inquit, *vsus hac potestate: bonum enim mihi est magis mori, quam vt gloriam meam, virginitatis scilicet, vlla inquinet affectio.* O vere Apostolica cautela! eius erat imitator D. Synesius Episcopus Ptolem. Cum enim naufragus ad insulam appellaret, ab incolis terræ amicabiliter exceptus est, sed ille à fœminis dona afferentibus, quibus famem leuaret, nihil accipere voluit, accepit tamen à viris; de quo ipse fatur epist. 4. *Neque enim libet mihi á mulieribus quicquam accipere, ne cum eis vllum fœdus intercedat.* Iam huc accedit D Ephræn. ser. 2. de compunct. dicens. *Si quis fœminis delectatur, & apud eas alacrem, hilaremque se reddit: passionibus prauis deseruit, & cum conscientia bellum gerit; has vero qui auersatur, seque à consuetudine eiusmodi abstrahit, belli molestia liberatur, pacemque cum conscientia retinet.* Hæc ille, & verè. Addendus insuper est Hieron. qui quam præcipuè sint fugienda consortia mulierculorum plebecularum, sic monet epist. 4. ad Rust. Matrem ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant, vt tacitum viuat sub pectore vulnus. *Ancillas, quæ illi in obsequio sunt, tibi scias esse insidijs. Quia quãto vilior earũ conditio tanto facilior est ruina.*

Basil.

Synes.

Ephr.

## CAPVT VIII.

## De Mariam Elisabetham visitante.

MARIAM Verbo diuino grauidãdam reliquit Angelus, & ipsa quam occisimè ad montana festinauit, vt viseret cognatam, *non quasi incredula de oraculo, non quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio festinans præ gaudio.* Hæc Ambrosius, cui sufficiat subscribere, vt tantæ Virginis mentem, in hac eius præpropera visitatione manifestam faciamus. De ciuitate inquam, perrexit virgo; quæ hęc ciuitas sit? Hoc vnum ex Euangelista scio, illam esse sitam in montibus Iudææ, nec amplius vacat diuinare.

*Ex Luca. 1.* Exurgens Maria abijt in montana cum festinatione, in ciuitatem Iudà, & intrauit in domum Zachariæ.

### §. I.

*Verbum cum primum Marianũ vterum ingreditur, matrem eo in loco ponere curat: vbi maior ei reuerentia exhibeatur.*

MARIA Diuina prole fœta, ea fertur festinatione in montana, vt satis credibile appareat, illam ab Angelis fuisse aportatam, quod memini viris doctis placuisse. Prę terit Angelos Rupert. & ab ipso Angelorum Domino in montana deduci Virginem admiratur. Sic enim ait: *Post Dominum fœmina trahebatur, & currebat in odorem vnguentorum, & ipsum currere, ideſt, abire cum festinatione in montana, erat dicere, trahe me post te.* Etenim nihil prius cogitauit Dominus quàm matrem extollere, & meliori orbis loco, & parte exaltare. Illud maximè decantatum effecit Iesus Naue; vix promissam attigit terram, & in primis locum, vbi tabernaculum fœderis sanctius constitueretur indagauit; cõstituitque illud summa veneratione, & sanctitate apud montana Silo. Rem memorat Iosephus his verbis: *Iesus Castris è Galgalis in montana translatis sacrum tabernaculum in vrbe Silunte fixit, quod is locus propter pulchritudinem visus sit idoneus, in quo tantis per maneret, donec maior commoditas ædificandi templum se præberet.* Sic verus, & diuinus Iesus terrenam ingressus substantiam, deductis Angelorum castris, maternum, & virginale tabernaculum transtulit in montana Iudææ,

Rup.

Ioſu. 18.

Ioseph.

dæ, quod is locus visus fuit idoneus, in quo tantis per maneret, propter pulchritudinem. Ecquis pulchrior in toto orbe terrarum locus quàm ille, vbi sacri præcursoris parentes floresc ebant? vbi quercus annosa, & fætę Elisabeth, viridantibus folijs, fructuque grauida repuerascit? Vbi Zachariæ arbos magna, & procera vernabat? His medijs pulchritudinibus, & amenitatibus, Mariam, vt viuidum tabernaculum fixurus Iesus venit, quia nullus locus in orbe terrarum gratior, quia nullus Dei Matris æstimationi accommodatior. Me vocat illud ab Ezechiele propositum ænigma, cap. 17. vbi ait. *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, & transportauit eam in Canaam, in vrbe negotiatorum posuit illam.* Nullus âme inuentus est, qui verbum illud *Canaam*, pro nomine alicuius terræ proprio vsurpet in præsenti, sed pro apellatiuo nomine, quod negotiationem significat. Et merito Cedrorum pulcherrima à monte, vbi parum, aut nihilo æstimatur, transl ata est in locum, vbi floret negotiatio, vbi ditissimi, & oculatissimi negotiatores, & merces solent æstimari, & ex illis immensas sibi cõparare diuitias. Iam ergo ænigmatis expositionem afferam, dum considero medio in Libani monte, nimirum, medio in Hierosolymitano termino, arborem illam floridissimam assurgere Mariam Cedrorum pulcherrimam, ingloriam tamen apud conciues suos, & paruo pretio habitam, sed ecce tibi Aquila grandis, nimirum, Verbum Patris Diuinitatis caniciem infantilibus membris, plumisque inuentæ carnis renouans, & varians, à paterno nido in terras aduolat, tollit medullã Cedri, hoc est, incorruptam Matrem, & trasportauit illam in Chanaam in negatiationem in vrbe negotiatorum posuit illam. In loco vbi oculatissimi mercatores Zacharias, Elisabeth, & Ioannes, & dignam æstimationem in corruptæ Virgini præberent, & ex illa maximas spiritualium donorum diuitias compararent sibi. Sanè hanc apud se in æstimabilem mercimoniã nouit in primis Ioannes, qui Matris ab vtero sic exclamat apud Chrysosto. dicens: *iniquè facis Mater quæ tardas; lux venit, solue matutinũ, opus est sanguine, qui mũdũ emat, oportet me agnum eminus ostendere.* Vide quàm se præbeat Ioannes negotiatorem strenuũ, qui iam ab vtero matris emptiones, & venditiones meditatur. Vide quam apud illum æstimabitur Marię virginalis maternitas, & quàm bene hoc pretioso thesauro negotiabitur, vt ex hoc cõijcias, quám prudẽs oculatissima aquila pretiosum Matris Cedrũ ad hanc negotiatorum vrbem transferat.

Ezech. 17.

Chrysos.

## §. II.

### *Deus humanas mentes in sublime agit.*

CVR Maria in montana non euolaret? In vtero Deum habebat, qui in sublime leuitat. Pulchrè D. Augustin. serm. 11. de Nat. ait. *Cum esset grauida, Maria, salubri leuitate plaudebat, lumen enim, quod intra se habebat, pondus habere non poterat.* Sæpe in hominum gaudijs visæ sunt ligneę moles per aêra ocissimæ volitare; volitant, inquam, magni ponderis machinæ, sed volitant de inclusi ignis efficacia: qui vt in sublime nititur, sic põderosas machinas per supernas regiones agit. Hac mente Aug. meditabatur Mariæ per mõtana ocissimum volatum; salubri namque leuitate plaudebat, sed quam præstaret lumen vtero clausum, qui nescit, quibus inest mentibus, ad sublimia non eleuare. Qui vnquam homines maiore peccatorum pondere in ima vergebant quam Ægypti? De illis. Exod. 15. *Submersi sunt quasi plumbum in aquis*: quo circa Origin. hom. 6. in Exod ait, *animæ eorum ad talentum plumbi, super quo sedebat iniquitas, aggrauata erant, propter quod submersi sunt, tanquam plumbum in aqua vehementi.* Quid plura? hi grauissimi peccatores, plumbeæ hæ animæ postmodum eas susceperunt alas, quibus æthera tranent. Videres abrupta montium deserta inhospitalia, per totã Ægyptum non plumbeis, sed alitibus spiritibus plena, qui in corpore quasi extra corpus de cœlestibus solum, vitam agunt. Nonne hęc mutatio dexteræ excelsi? Sane vbi ignis diuinus infantilibus obuolutus fascijs Ægyptum intrauit, plumbum mutauit in alas, & depressas humi mentes fecit in astra leuitare. Sic D. Hilar ad cap. 2. Matth. inquit. *Considera quod AEgyptij aliquando pecuniæ fuerint amatores, ventris imperio seruientes, sed Christi suscipientes ignem in cœlum subitò subuolarunt.* Alta semper quærat qui igneo Dei spiritu agitur. Quem post receptum ignẽ Petrus, qui sæpe alias mare descendebat in nauibus, Act. 10. *Ascendit superiora domus, vt oraret*, iam propter diuinum ignem menti clausum, nun placebant illi iam loca, sed totus in superiora ferebatur. Quod meditans D. Cyril. Alexand. lib. 9. in Leui. ait. *Petrus, quæ sursum sunt, quærebat, non quæ super terram. Illuc ascendebat, ad illa tecta, ad illa fastigia, de quibus dicit Dominus, qui in tecto est non descendat tollere aliquid de domo.* Quasi periculosum sit his, qui igneo Dei spiritu

D. Aug.

Exo. 15.

Orig.

Hilar.

Act. 10.

Cyril.

Matth. 24.

ſpiritu fuerunt, non ſemper ſtudere altis. Hinc eſt quod Chriſtianos ſuos Dominus renaſci fecit ex aquis, vt cæleſtium corporum naturæ aſſocientur, eorumque cognationem, & proprietatem bibant, quando cæli omnes ex aquis orti ſunt. Quod memorans D Zen. ſer. de Iudæis 10. ait, *Genitali vnda ſubmergit: vt cæleſtes effecti terram deſiderare non norint.* Quo reſpiciebat D. Chryſoſt. hom. 22. ad Pop. ait. *Si non potes Sol fieri, ſias ſtella dum taxat. Tantum aſcende ſuper terram, incipe æmulari ſideribus.* Quaſi dicat, vbi eadem, qua cæli, vulua, editus es, ne tu ſolus degeneres, & inferior fratribus maneas, ſequere fraternos volatus, alta pete, ſola tibi placeant ſuperna, ne miror ſis, vel infima ſtellula.

Zeno.

Chryſoſ.

## §. III.

### *Verbum Dei non ſolum apud florentiſsimas vrbes, & frequentiſsima templa, ſed per compita per montana euulgandum.*

NESCIO an Verbi Dei adeò ſtudioſi ſint, qui non niſi apud nobilium conuentus, apud frequentiſsima templa, in vrbibus, de illo verba faciunt. Ecce Dei Verbum virgineo vtero clauſum, quo ſe primum deducat, per abrupta montium, per aſpera montana, vt vel famelicum puellum cibo ſalutis ſaciet. Audio Hieremiam lamentantem. Tre. 1. ſuper populi ſui ærumnas, & inter alia lugenda, hæc fatur. *Sacerdotes mei, & ſenes mei in vrbe conſumpti ſunt, quia quæſierunt cibum ſibi, vt refocillarent animam ſuam.* Nõ adeò flebile erat, quod Sacerdotes caderent, ſi in arena caderent, ſi per montium abrupta præcipitarentur, dum lupos ab agnis arcent. Sed planè lugendum eſt, quod Sacerdotes Dei non niſi in vrbe conſumantur, quæ conſumptio eorũ eſt, qui ex Sacerdotio nil aliud quærunt, quàm animam ſuam refocillare. Vnde ſtatim cap. 2. ſic ipſe Hierem. clamat: *Conſurge, lauda in nocte, in principio vigiliarũ: effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectũ Domini; leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.* Non pulchrè ſtratis pulpitis ſolum inſtes, ſed percurre compita, perambula plateas, vias, aſcende montes, vt verbo Dei famelicos exſatures. Vbi eleganter, & piè D. Paſchaſius Abbas ſic fatur. *Ne ſola Dei dilectio ſufficere videatur ſine dilectione proximi, leuandæ ſunt manus & cura impendenda pro paruulis, & his qui fame verbi Dei periclitantur in capite omnium compitorum. Reuocandi ſunt ergo de triuijs, & platearum extibus, ex capite omnium compitorum, ad conuiuium, & prandiũ Domini, ne fame vſque ad finem periclitẽtur inædia.* Is eſt omnipotẽs Dei ſermo, qui amat circumferri, per triuia, per montana, ne vel paruulus hominũ tio Diuini verbi inædia conficiatur. Nec indecorum eſt Deo per vilia circunduci loca, quando in eis iuuandi ſunt paruuli; ait enim Tertul. lib. 2. contra Marcion. *Nihil Deo indignum eſt, quod efficit Deo credere.* Vnde de Sapientia Incarnata dicitur Matth 9. *Circuibat Ieſus omnes ciuitates, & caſtella docens, &c.* Vbi Hier. *Vides quod equaliter, & vicis, & vrbibus, & caſtellis, id eſt, & magnis, & paruis Euangelium prædicauerit, vt non conſideraret nobilium potentiam, ſed ſalutem credentium.* De cuius exẽplo feruidi Prædicatores per compitorum capita, per triuia, per abrupta montium quęrunt paruulos, quos verbi Diuini fructibus exiaturent. Vt dicat Pſalm. 103. *Super ea volueres cæli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces*: quippe cæleſtium volucrum eſt, nimirum ſanctiſsimorum Concionatorum, non ſolum ab aureis pulpitis templorum, ſed à petris compitorum, à montium ſaxis plenas Diuino verbo voces dare.

Tren. 1.

Tren. 2.

Paſc.

Hieron. in Cant.

Pſ. 103.

## §. IIII.

### *Maria creaturarũ Regni inauguration em apud montana capit. Vbi quàm regium ſit benefacere.*

REGALEM Mariæ dignitatem â Dei conceptu nemo non nouit; ſed ſcire cupis, cur tantæ dignitatis Regina feſtinet in mõtana? Quis rex ſine inauguratione? Quæ regis inauguratio vbi non ſaxea moles, ſeu quercus magna? Abbul. 3 Reg. q 36. tot congerit Reges Iſraëlis, ad fontes, ad prærupta ſaxa inauguratos, vt putet à nemine culmen regiũ conſcenſum fuiſſe, qui inter hæc non fuerit proclamatus. Ecce tibi cur regiã Mariæ maternitatẽ ſequatur in montana feſtinatio, nimirum vt regni in auguratiõnẽ capiat. Similiter Matth. 17. de Chriſti diſcipulis dicitur. *Quod duxit illos in montẽ excelſum.* Vbi D. Hier. ait; *duci in montana pars Regni eſt.* Et quidẽ pars maxima Regni inauguratio. Quo circa Maria

Matth. 17. Hiero.

cum

cum Regem sæculorum vtero clausit, ius ad sæculorum Regnum accepit; inauguranda tamen ferabatur in montana, vbi prærupta saxa, limpidissimi fontes, annosæ arbores immortale eius Imperium auspicabantur. Vbi sacerdos aderat, vbi plausus, & exultationes felices, vbi salutiferi olei effusio maximè illam omnium Reginam prædicabat. Sane Maria de oleo diuino, quo ipsa plena erat, sic totam Zachariæ domum infecit, vt paruulus communi omnium pressus infirmitate, statim prosilierit sanus.

Quid igitur magis regium: quam omnibus benefacere, omnium infirmitates curare? Prudenter ille apud Isaiã, cap. 2. se á Regno obeũdo excusabat dicens: *non sum medicus*. At Maria Ioannem à peccato liberat, replet gratia, totamque Zachariæ domum cumulat sanctitate, vt decebat Reginam omnium creaturarum. Iudæi Iesum vehementer accusant, quod se Regem facit, aiunt enim Ioan. 19. *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris, omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari.* Sed quid in se regium humilis Iesus ostentauit? Vnde potuerunt colligere, vel vmbram tâm egregij mẽdacij? Sane vbi eum insignem omnium benefactorem videbant, non sine fundamento regalem eius mentem suspicantur. Pulchrè D. Leo ser. 10 de Pas. ait. *Veruntamẽ nõ in totum videatur inanis Iudæorum obiectio: discute diligenter, Præses, quid de Domini operibus notum sit, quid de potestate compertum. Cæcis visum, claudis gressum, surdis auditum, mutis præstat eloquiũ. Febres abegit, dolores resoluit, mortuos resuscitauit. Magnum prorsus Regem ista demonstrant.* Adeo proprium, & innatũ est Regibus quod benefaciant, vt non cæcutiant Iudæi, quando videntes Iesum omnium benefactorem in eo quid regale suspicentur. Vnde Beat. Synesius lib. de Reg. hæc regibus fatur. *Princeps cum in bonis conferendis liberalitate sit præditus, tûm nihilo magis ea dere defatigãdus est, quâm Sol suos in stirpes, atque animantia radios effundens: neque enim lucere laboriosum est ei, vt pote cuius in natura splẽdor, & fons ipse luminis continetur.* Huc reuocarem miraculum illud, quo Deus significauit prolongandam esse vitam Regi Ezechiæ. Is enim cùm penè animam ageret, 4. Reg. 20. obtinuit á Deo vitæ prorogationem, cuius rei signum factum est in Sole retrocedente, & longiorem diem efformante. Sed cur in Sole, regia vita significatur? D. August. lib. 2. de mirab. cap. 28. ait. *Conuenienter tale signum Regi in mortis expectatione posito aptissimum euenit, quod Dominus per Solem fieri taliter disposuit.* Eadem enim debet esse ratio, & vitæ regiæ, & cursus solaris: quippe sicut Sol nescit sibi viuere, nescit non festinare ad aliorum necessitates, sic Rex velut Sol, velut dies vniuersos subditos festinet illuminare, coadiuuare. Accedit etiam Nazianz. orat. in funere Patris dicens. *Deus simul Regem gratia, & miraculo ornat, & Diei augmento, dierum augmentum confirmat:* vt sibi semper Sol, & Regia, vita correspondeant.

Ioan. 19

Leo

Synes.

4. Regũ.

Aug.

Nazian.

## §. V.

### *Domestica vitæ seruitia non contemnenda, vbi opus fuerint, prætextu Deo vocandi.*

FESTINATIONEM Mariæ in Zachariæ domũ Angeli mirantes, aiũt. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora cõsurgens.* Hoc in primis mirantur Angeli in Maria, quod longo silentio rupto, quod interrupta quiete, quasi Aurora consurgat. Etenim cum Aurora communes hominum labores excitantur, seruilia opera incipiunt agitari. Virgil. Æne 12.

Cant.

Virg.

*Aurora interea miseris mortalibus almam.*
*Extulerat lucem, referens opera, atque labores.*

Quisquis cum Iacob sub nocturna quiete luctabatur, Gen. 32. se à lucta excutiebat his verbis. *Sine me, iam enim ascendit Aurora*; quasi diceret iuxta Interlinealem. *Iam tibi tempus est ab inuisibilibus, & diuinis ad corporalia, & humana negotia tractanda descẽdi.* Hoc autora consurgens significat, vt cuncti mortales operibus incumbant seruilibus, vt se dedant negotijs exterioribus tractandis. Hoc pulcherrima aurora Maria præmonuit suis factis, dum à Verbi conceptu, silentio, & quiete contemplationis dimissa abijt cum fæstinatione seruitura Cognatæ. Id notauit D. Ildephon. ser. 5. de Assumpt fatus. *Porro post quam electa est â Domino, fæcundata Dei verbo, exurgens de loco, per iter deuium, & abrupta montium veniens, vt deferret amicis actualis vitæ laboriosum officium, Zachariæ vatis ingreditur domum.* O vtinã ab hac diuina Aurora excitarentur ad laborandũ mille muliercularũ otiosarũ examina, quæ prætextu orationi vacandi horrent fusum, operisque laborẽ aspernantur! Sane bene cõueniũt, & in vna sede morantur contẽplationis otiũ, & labor manuum, nec mens Deo plena discit contemnere, & aspernari laboriosa officia

Gen.

Inter

Ildep.

vitæ

vitæ humanæ. Magnus ille Moyses pascebat
*Exod.3.* gregem soceri sui, Exodi 3 *apparuitque ei Dominus in flammæa ignis.* Quid tunc Moyses? *Vadam, & videbo visionem hanc magnã.*
*Zeno.* Quæ verba sic legit D. Zeno. *transibo, & videbo visionem.* Transibo ait, an relinquet soceri gregem? An officium pastoris dimittet, vt visioni vacet? Imò tunc magis gregi pascendo operam impendit; cum tantæ visioni intendit animum. Accipite D. Zenonem in Psalm. 118. fantem: *Quid est istud trãsibo? nulla enim locorum interualla discreuerant: eodem in loco, & loquitur, & videt. Quid ergo transit? transit plane corporales curas, & soceri sui oues pascens, in cælestem cognitionem relictis terrenis operibus excedit.* Expende illud, *& soceri sui oues pascens*, non enim laboriosum pascendi gregis officium, impedimento fuit, quominus Deo vacare posset, sed Deo intentus actualis vitæ laboriosum officium socero deferebat. Desidia est quæ nocet pijs mentibus, & Deo plenis: laborautem ingentia cumulat bona, quando ait, Psalm. 127. *Labores*
*Ps.127.* *manum tuarum quia manducabis, beatus es,*
*Dorgo.* *& bene tibi erit.* Quæ verba expendens Drogo, lib. de sacramento Pas. sic loquitur, *Molestus est labor, sed fructuosus; labores manuũ tuarum quia manducabis, iam beatus es, & bene tibi erit in futurum.* Quasi labores nesciant vel ad momentum esse sine præmio, esse sine fructu, sic præter ea bona, quæ in futurum afferent, statim in præsenti beatificant laborantem. Hinc Deus vbi seruorum suorum mentibus adest, nil prius illos docet,
*Damas.* quàm laboriosis officijs operam nauare. Damascenus, vt ad Marianos labores gradus faciat, multus est in explicanda Solis creatione; etenim ait. *Primâ die creauit Deus cælum, & terram, in cælo finxit corpus solare, sine luce efforme, sine motu quietem, & stabile. Verum quarta die acceptam lucem corpori infudit solari, & factus est Sol, & statim ab accepta luce sese in orbem cæpit rotare, pernicique cursu omnes mundiales plagas illuminaturus euolauit.* Quid plura? Virgineum corpus Mariam affabrè Deus condidit, & sic pulcherrimum corpus per quindenium mansit quieti vacans: cum ecce tibi luce inaccesibili uestitur, dum cælestis mulier Solem induit, hoc est Deum concipit, & tunc statim alite gressu volat in montana, sic similiter vbi quis Deo impletur, statim agitur, ne ocioſus vacet, sed vt per varia opera exerceat animum.

(*)

*Text.* Et salutauit Elizabeth: & factum est, vt audiuit vocem salutationis Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu sancto Elizabeth.

## §. VI.

### *Maria à Verbo edocta Cognatis, in primis consulere nititur.*

DIVINISSIMVM est Cognatorũ egentium necessitatibus accurrere quã doctrinam â Verbo diuino in primis hausit Maria, illaque edocta, montibus superatis, Eli-
*Ildeph.* zabeth ad domum festinauit. Sic D. Ildeph. ait, *de conceptu honorem deferre didicit Cognatis.* Ecce tibi virgo concipiens increatum Verbum, id in primis didicit, vt Cognatis prospiceret, & illos honoraret. Non id doceret spiritus diaboli, sed contrarium: apud Matth. *Mat.10.* cap. 10. docens Dominus diaboli furorem in Christianos ait. *Tradet frater fratrem.* Quæ verba eleganter tractans Eusebius Emiss. ait. *Euseb.* *Non est, fides in seruis diaboli, qui cum non gignat, neque gignatur, non etiam iura propinquitatis seruat.* Melioris conditionis sunt qui Dei verbo aguntur, diuinoq; inspirantur halitu, cum enim in Deitate sit gignens, & genitus hanc suis mentem injcit, vt suum deferant honorem Cognatis, illisque cum necessitas tulerit, in primis faueant Sed iam do Tert. *Tert.* gui lib. de carne Christi, cap. 17 eleganter explicuit, quibus fontibus hanc hæreditariam siue curam, siue incuriam in Cognatos à Deo, vel à diabolo accipiamus. *Eua*, inquit, *nihil concepit ex diaboli verbo? Imò concepit, nam exiade abiecta vt pareret, & in doloribus pareret, verbũ diaboli semen illi fuit, enixa est denique diabolum fratricidam.* Quid aliud pareret coloquio diaboli imbuta? Quid aliud afferat de verbo diaboli, nisi ruinam nisi excidium omnis cognationis, & germanitatis? *Econtra Maria eum edidit qui carnalem fratrem Israel in teremptorem suum, saluum quandoque præstaret. In vuluam ergo Deus verbum suum detulit bonum fratrem, qui memoriam mali fratris eraderet.* Qui vix conceptus virginali in vtero, matrem edoceat honorem deferre Cognatis. Tanto Maria præstantior, prima illa hominũ genitrice: quod illa de verbis diaboli odium

peperit inter fratres, & parricidij semina rit m. Hæc autem felicissima, verbo diuino fœta ce conceptu didicit honorare Cognatos, in montana currens, vt integram Cognatorum domum mille donis ditaret. Sed adhuc audax videbitur forsan hoc facinus Marianum quo puella sese tanto itineri dedat diuino fatu iam grauis. Quippe audax etiam visum fuit Iacob facinus, cum præter ieræ mores, inspera tis pastoribus, ipse solus agressus fuit tollere putei lapidem, vt Rachelis greges adaquaret. Nonne hoc audax fuit factum? Sed ecce qua-
Gen. 29. lem excusationem indicat Textus Genes. 29. *Quam cum vidisset Iacob & sciret consobrinam suam, ouesque Laban auunculi sui, amo-*
Hugo. *uit lapidem.* Vbi eleganter Hugo fatur, *officium sanguinis inaurauit audaciam.* Etenim vt consanguineis extremè egentibus quis fa-
Iob. 1. ueat, laudabiliter audet, audet quæcumque difficilia superare. Annon pro Iacobi primogenito funebris est illa declamatio in cap. 1. nimirum: *filijs tuis, & filiabus tuis comedentibus, & bibentibus apud fratrem suum seniorem, &c.* Vbi expendo illud, apud fratrem
Olimp. suum seniorem: quod ponderans Olimp. in cat. ait. *Conuiuium verò exornat, cum illius exstructorem fratrem natu maiorem fuisse confirmat.* Equidem maximum id est ornamentum, quando maiores potentioresq; fratres in vigilant minorum cognatorum infirmitatibus.

## §. VII.

### *Qui Christo Iesu inseruiunt, proximorum commodis insudant etiam per humilia opera.*

SIC Christus Iesus affiat eorum animos, quibus adest, vt suæ quieti pareant, & proximorum saluti se tradant negotiandæ, vt discant non ministrari, sed ministrare. Nonne vides Virginem Christo plenam, non ad cælestia rapi, sed ad montana mitti, vt Ioannis domui salutem afferat? Sic de radiante illa stella
Mat. 2. Magorum duce dicitur Matth. 2. quod *stetit supra vbi erat puer*; licet enim cælestem originem fuerit nacta, non dedignatur dimitti ad stabulum vsque, vt hominibus præbeat ducatum. Vnde hanc dimissionem propter ho-
Max. mines didicit stella? A Christo Iesu, cui famulabatur. Do pulcherrima D. Max. verba hom. 4. in Epiph. nimirum. *Verè stella hæc, dominicæ Natiuitatis ministra quæ tanto est Caldæis obsecuta famulatu, vt inquirendo Christo nõ solũ eos moneret é cælo, sed & ducatum illis præberet in terris.* Expẽdo vnde probet stellam verè fuisse Christi ministram, nimirũ; quia non solũ è cælis, sed in terris etiam hominibus seruiret. Multi enim sunt, qui proximis subuenire volũt, sed à puppi, sed a sublimi imperii solio. Quam alia est mens eorũ, qui Christi Domini spiritu afflantur; hi & ab alto fulgent, & humi repunt, vt proximorũ incumbant saluti. Sic cauetur Leuit. 6. *Ignis in altari ardebit semper, quẽ nutriet sacerdos, subijciens mane ligna per singulos dies, & imposito holocausto, desuper adolebit adipes pacificorũ.* Quibus expendo quod ad oblationem pacificorũ, quibus cũ Deo, per Christi reconciliationẽ pacificamur, iubemur ligna ministrare, vt holocausti fornax nutriatur, quia nisi per humiliũ operum ministerium proximorũ Deique amorẽ nutriamus ægrè, & difficulter cũ Deo per Christum habebimus pacem. Sic Berengosius Abbas, ser. 11. in Nat. Conf. fatus. *Bereng.*
*Quisquis interse, & Deum vult facere pacẽ, primitus in se geminæ dilectionis incesurus est facẽ: quia tunc Deo dignè de se odorem suauissimum reddit, si pro dilectione Dei, & proximi ad humilia quæque se studio charitatis inflectit.* Hoc sit ergo omnibus Christi ministris studium singulare, ne sibi solum vacent, sed quouis propriæ commoditatis dispendio, proximorũ studeant commoditati Apoc. 22. *Apo. 22*
dicitur: *qui audit dicat veni*: vbi D. Gregor, *Greg.*
hom. 14. in Ezech. fatur. *Cui enim iã vox vocantis Dei efficitur in corde; necesse est, vt proximi per prædicationis officium erumpat in voce, & id circò aliũ vocet, quia ipse vocatus est.* Post Christi ascendentis in cælũ visionem, sic Christo vacantes Apostolos vrgebant Angeli Acto. 1. *Quid statis aspicientes in cælum?* *Acto. 1*
Quæ verba commentatur D. Athan. orat. in *Athan.*
Ascens. dicens. *Quid statis suspicientes in cælum? Quid statis? mundo miraculum hoc prædicate.* Quasi à Christi Domini intuitu piaculum foret, nõ currere ad proximos iuuandos.

## §. VIII.

### *Mariana verba Elizabeth in domo primæuam sanctitatem halantia.*

SCIRE cupis, cur primus Ioannes excepit verba Mariæ, ait enim, *vt audiuit vocẽ salutationis Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu sancto Elizabeth.* Ecce tibi primus Ioannes ad vocẽ Mariæ exultat, de inde Elizabeth Spiritu sancto repletur. Sed cur primus Ioannes exultat? Ea est natura cuiuscũq; anthidoti, & pharmaci medicinalis, vt in primis sese armet

met aduersus humorem, cui maximè inimicatur, illumque acriter impugnet vsque dum victoria potiatur. Sane Ioannes in vtero existēs sub virulenta antiqui serpentis lue, erat marcidus, originali tremens infirmitate, qua nihil Mariæ sanctitati magis contrarium, nihil magis oppositum. Vnde factum est, vt ingrediēs Maria domum Zacharię primum sete in Ioannis maciem armaret, illamque acriter expugnans, puerum donaret integra sanitate, quam ipse saltibus manifestauit. Non longe abest *Alcui.* Alcuin ser. de Nat Virg. vbi ait *Tu bellatrix egregia, primo eum, qui primus Euam supplā tauit, expugnare viriliter aggressa es.* Ea erat Mariæ sanctitas originalis, vt nihil magis sibi putaret contrarium, quàm peccatum originale, ideòque ingressa Zachariæ domum in illud prima emittit iacula, illudque protinus de bellare conatur. Missurus Dominus discipulos, ait illis Matth. 10. *Estote prudentes, sicut serpentes.* *Matth. 10.* An iubentur discipuli serpentis astum imitari? Qualiter id faciant, explicat D. Remigius in cath. fatus *Serpens decepit primum hominem, callidus fuit hostis ad decipiēdum*: quippe rubenti se immiscuit fructui, & infirmiorem partem aggressus, totum perdidit genus humanum. *Sic vos sitis prudentes, & benedicte crucis fructu, viuida eloquia parate.* Sola Maria inter omnes hanc induit serpentinam calliditatem, qua de salutifero fructu vētris sui munita, ea verba dedit, quæ infirmiorē naturam, scilicet puerum vtero degentem primo inuadunt. & exultante puero, totum serpētis virus manet elliminatum, vt clareat, quam supra serpentem se exaltet, & sanctitas, & prudentia Mariana. Insuper serpens ille fructu, & verbis potens parentes impegit, & vniuersos filios prostrauit. Hæc fructu sui ventris, & verbis potentior, filium Elizabeth vtero clausum tangit, & parētes repleuit Spiritu sancto. Hinc *Ildeph.* pondero D. Ildeph. serm. de Assumpt. verba in laudem sanctitatis Marianæ prolata in hunc modum. *Recte arca sacramentorum Virgo Maria fuit, supra quam sane propitiatorium, & Cherubin, hinc inde obumbrantia figurantur, quia Mariæ nullum obrepsit peccati contagium, sed intus omnis custodia Legis, & manna fuit, quod est mirabile Sacramentum, & propiciatio salutis humanæ.* Quibus verbis id ostendit Mariæ sanctitatem maximam, quod Sacramentorum iustar, eius verba conferant alijs sanctitatem, & medellam primæui peccati. Nonne Sacramentorum verba conferunt gratiam? Ita vt locuta est Maria, exultauit infans super infusus gratia, vt merito Maria apelletur Sacramentorum arca. Quo refero *Epiph.* Epiph. lib. 3 Hær. cap 79. fontem. *Non permisit Deus beatæ Mariæ dare baptisma, non benedicere discipulos, non imperare in terra iussit, sed solam ipsam sanctificationem esse voluit.* Vere vnus Iesus erat omnium creaturarum sanctificatio, & fons vniuersæ sanctitatis. Sed is matrem suam ea sanctitate compleuit, qua videretur non tam sancta esse, quàm ipsa sanctificatio, vt merito non instar ministrorum, sed ferę ipsorum Sacramentorum instar gratiam halare dicatur. Vide quid de Mariano cadauere meditatur Andreas Cret. homil. de Assumpt. aiens. *Erat in medio illud luminosum corpus Deiparæ, quod Dei verbi totam capiebat plenitudinem. Quod quidē dum videbatur in lecto, vnguenti sanctificationis suaui odore totam perfundebat naturam.* Vt primo dictis respondeant hæc verba, nimirum, *quod quidem dum videbatur in lecto, &c.* reuoco in memoriam illud Moysi diuinitus inspiratum, videlicet, serpentem æneū longo sublatum stipite, qui cum conspiceretur, venenata vulnera ignitorum serpentum à populo Israelitico exsufflabat. Hinc Cretensis, ait, quod virginale corpus *dum videbatur in lecto, vnguenti sanctificationis suaui odore perfundebat totam naturam creatam.* Quasi diceret, dum videretur hæc prudentissima, serpens, mortua, medellam, & sanitatem halabat vulneribus ab ignito serpente illatis. Quid visa viua præstaret? Quid cum Dei verbo plena Elizabeth visitauit? Tunc cum cernebatur ingrediens, vel cum sybilus eius audiebatur, sanctificationis vnguento perfundebat totam domum Cognatæ, vulneraque anti qui serpentis depellebat á Ioanne. *Andreas Cret.*

*Text.* Et exclamauit voce magna, & dixit: benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.

## §. IX.

### *Maria Verbi diuini benedictionibus omnium creaturarum propinquissima.*

QVAM vnica sit Maria Verbi diuini imitatrix, haud obscurè cognoscet, qui illa apud D. Aug. formam Dei compellatam viderit, qui proximè dicta de eius efficacia in sanctificandis hominibus notarit, qui modo Elizabet sententiam enucleauit. Vidit, enim Elizabeth Mariam, vidit & reuelante Spiritu Sācto eius sanctitatis magnitudinē sic obstu-

puit, quasi proximè accederet excellentiæ, & magnitudini Diuini filij, quod sequenti declarauit præconio. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Ac si diceret, tua beatitudo tua excellentia, quàm longissimè superat omnes mundiales virgines; sicui cõparanda est, maximè beatitudini, & excellẽtiæ filij tui, vt pote Altissimi filij. Eidem beatitudinis ordini cum filio tuo, si non par, saltẽ quantũ fas est creaturæ, proxime accedis, soli filio, nulli alij, cõparabilis. Eliam de nubibus solicitum 3. Reg. 18. cõmonefecit puer, nubeculã paruam quasi vestigium hominis appare re. Quid est cur nubecula dicatur, quasi vestigiũ hominis? Ioãnes Hierosol. de Inst. Monach. 33. inquit. *Ecce nubecula parua quasi vestigiũ hominis ascendit in Carmelũ, quia Maria in hoc suo spirituali ascensu, non fœminã quam imitaretur, sed hominem diuinum habuit exemplũ.* Volauit proculdubio super laudes omniũ fœminarum Maria, omnes creatas perfectiones infirmas putauit, & leues, vnius viri solum & maximi, & diuini vestigijs hæsit: cui in excellentijs si qua vnquam creatura potuit, fuit parallela. Rẽ hanc simiat D. Chrysost. hom. de Nat. Ioan. apud Metaph. Vbi multa à filio in Virginem profecta bona expendens sic pergit. *Meritó is quoque qui est natus, matri talia præbuit priuilegia, quæ etiã habuit solus, ea illi quoque soli dedit. Nõ habuit ipse fratrem ad generationem, neque dedit matri sororem miraculi.* Expendo: quę enim habuit solus, ea illi quoque soli dedit, quasi Virgo inter omnes personas tam creatas, quàm increatas fuerit vnica Verbi diuini æmulatrix. Etenim quæ Verbum habet solus, ea nec Patri communicat, nec Spiritui sancto; communicat tamen Matri, vt nimirum sint nati ambo diuinæ personæ productores ambo, vt sic pateat, quàm sit benedictio Mariæ benedictionis verbi germana. De quo supra c. 6. parg. 2.

1. Regũ. 18.

Ioan. Hier.

## §. X.

### *Felix qui fructum profert iuxta genus suum. Vbi de Pœnitentiæ fructibus.*

MAXIMAM crediderim laudem esse, qua Maria terra benedicta extollitur de benedicto fructu. Namq; ex eo maximè honoratur homo à Deo, quod primæ conditionis instar & lucẽ pariat, & fructus iuxta genus suum. Pro quo exhibeo vnum Chrysost. hom. 56. ad Pop. sic fantẽ. Vide quanto nos honore prosecutus sit Deus, tale nobis opus præcipiens. Feci inquit, ego cælum & terram, do tibi etiam creationem. Fac terram, cælum, nam potes. Qui facit omnia, & mutat de Deo dictum est: hanc & hominibus potestatem dedit. Feci ego, inquit, speciosum corpus, do tibi melioris creationem; tu bonam fac animam. *Dixi ego germinet terra herbam virentem, & omne lignum pomiferum, dic & tu, producat ipsa terra fructum propriũ, & exibit, quidquid facere velis.* Non magna á nobis petuntur, sed solùm quod instar fœcundæ arboris proprios fructus proferamus. Sed qui sunt proprij? Diuinus præcursor apud Lucam, cap. 3. peccatoribus inquit. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*: quæ verba premens D. Amb. fatur. *Faciat ergo fructum qui potest gratiæ, & qui debet pœnitentiæ.* Quippe mõstruosa erit arbos, monstrosa tellus, quæ proprij oblita fructus, nutriat alienos. Benedicta ergo terra, nullo peccati debito infecta, producat gratiæ, & benedictionis fructum, at terra maledicta, peccati spinis consita iuxta genus suum fructum producat, nimirum, pœnirudinem, squalorem. Hinc malè audiuit Saul, qui peccator innocentiæ fructum parturiebat 1. Reg. 15. aiens. *Peccaui, sed honora me coram senioribus.* Vbi D. Greg. Magnus. *Saul quia confitetur & affligi non vult, sed honorari, é regno & Dei beneplacito abijcitur.* Cõsultius Iob, vbi de ira Dei se peccatorem agnouit, protinus, cap. 1. *Tonso capite corruens, &c.* Cur tonso capite? Orig. lib. 1. in Iob fatur. *Totondit comam capitis sui, & cum totondisset proculdubio quod ipsis eam aduersarijs proiecit. Ecce*, inquiens, *arbor sum fructifera, omnia quæ superflua sunt à me proijcio, illibatus perfectum fructum afferam.* Et rectè de pœnitentis fructu cogitans, criniũ cultum, corporisque abijcit ornamenta; etenim pœnitentium fructus afflictio est, squalor est. Vnde meritò D. Chrysost. suspecta habet ornamẽta in pœnitente: quãdo enim de primis peccatoribus induendis agitur Gen. 3. dicit *Fecit quoq; Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas.* Id quod ruminãs Chrys. hom. de lapsu hominis, ait. *Accipiunt indumẽta pellicea, vt qui cõfessi iã delictũ fuerãt veniã cultus humilitate perciperẽt. Ostẽdit dominus cõfessione, & deformitate cultus veniam posse facillimè impetrari. Vt enim contumacia est celare quod Deo teste cõmiseris, sic periculosum est, si splẽdore cultus animi innocẽtiã mẽtiaris.* Equidẽ sterilis, & in frugifera arbos est pœnitẽs, vestiũ delitijs affluẽs, cuius proprius fructus luctus est, & squalor. Bene monebat pœnitentem D. Cyprian. lib. de lapsis fatus. *Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidisses, ingemiscere dolenter, & fleres facie inculta, veste mutata, neglecto capillo, vultu*

1. Reg. 15. Greg. Iob. 1. Orig. Gene. 3. Chrysost. Cypria.

*vultu nubilo, ore deiecto, inducia doloris ostẽderes. Animam tuam misera perdidisti, spiritualiter mortua super viuere hic tibi, & ipsa ambulans funus tuum portare cæpisti, & non à criter plangis? non iugiter ingemiscis? Non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abscondis.* Sic ille: producat ergo terra fructum suum, terra, inquam, benedicta, benedictionem populorum, terra maledicta luctum, squalorem, mœrorem, & omnia benefient.

*Text.* Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim, vt facta est vox salutationis tuę in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.

## §. XI.

### *Maternitas Mariana plurimum leuauit fœminarum laboriosa puerperia.*

QVÆ se mensibus quinque occultabat, quasi fastidia pleni vteri erubescceret, iam exultans conceptam prolem explicat, & incredibili gaudio, suam de conceptu felicitatem exaggerat. Quippe experta est Elizabeth inter conceptus ærumnas, & fœtus fastidia, & timores partus, experta, inquam, est, noua, & insperata leuamina, quibus Dei matris præsentiam auguratur, & post habitis fastidijs; vteri, gaudet de consortio tantæ maternitatis. *Vnde ait, hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Sed vnde scis tibi adesse Dei matrem? Puellam integerrimam vides, Ioseph cernis sponsam, cur ex hac ad te diuinæ maternitatis opinio dimanauit? Cõceptus grauedinem sensit amitti, vteri fastidia vidit relenari, & puerperium gaudijs perfundi, quod vni tribuit cõsortio, & præsentiæ diuinæ matris. Etenim eleganter Hesychius hom. 1. ait. *Cum prima virgo concluderetur molestijs ob transgressionẽ inflictis, & ab ea gemitus plurimi prodirent omnisq; mulier illius causa in dolore esset cõstituta, & partus omnis propter eã acerbitatẽ pateretur. Secunda Virgo Maria miseriam omnẽ fœminei sexus repulit; omnemq; tristitiæ fontẽ, qui inter pariendum adesse solet, obstrinxit, & nubem desperationis, qua premũtur mulieres in partu, dissipauit: & lumina lætitiæ apud contribules coruscare fecit.* O vnica, & vera Lucina Maria, quæ Deũ pariẽs cunctas honoras matres, cunctisq; parentibus prætẽdis lætitiæ faces. Quæ mulier vterum de coniugẽ plenũ erubescat, quando videat puerpuerij habere consortem Dei Matrem? Quæ coniux fastidia conceptus non toleret, dum noscat se vna cum Deipara, matris insigniri vocabulo? Hoc Diuinæ matris consortium vt haberet, quibus se periculis non opposuit Thamar? Ea Gen. 38. vt à socero suo Iuda semen acciperet, *operuerat vultum suum ne agnoscereturs*; at post cõceptum, minime erubuit tumentem vterum manifestare, ait enim Textus: *nunciauerunt Iudæ dicentes, fornicata est Thamar nurus tua, & videtur vterus illius intumescere.* Cur quæ faciẽ primò occultauit, postea de fœminarum astu, minimè occultat tumentem ventrem? Sane sic de consortio Christiferæ matris, quam sperabat, gloriabatur, vt omnia pericula á tumente vtero profectura facile contemneret. Huc spectans D. Zeno. serm. de Iuda, ait *Tamaris nostræ cum processu temporis, procedit & vterus. Mirum profectò mysterium videte, quæ celauerat faciem, non celat ventrem.* Conceptum erubuit, in quo quam longissime absimilis fuit Deiparæ Mariæ, & non celat ventrem, quando se in illa familia fœcundam vidit, inqua Dei mater tumidum vterũ gestatura erat. Acciniisse videtur Theodoretus, quæst. 94. in Genes. vbi Thamaris honestatem etiam in incessu ponderans, ait. *Nec enim postea, vel Iudam, vel alium quempiam attigit, sed contenta fuit vocari mater eorum, qui ex illo semine Habrahamidum nascerentur.* Inde enim mater Dei futura, tristitiæ fontem, quæ inter pariendum adesse solet, obstruxit, lætitiæ lumina apud contribules suas coruscare fecit, qua exultantes pergerent ad partus, per quos Deiparæ matris consortes haberentur. Igitur Elizabeth vbi pro tristitiæ fonte ab antiquo serpente mulierũ conceptibus, & partubus inseminato, totam secum prole sensit perfundi lætitia, optimè colligit, & celebrat præsentiã Dei matris. Mirabar aliquando cuiusdam Aleonis decantatissimam in iaccndis sagittis dexteritatem. Huius filius cum viridanti ruris cespite cubaret, somno sepultus, per roscidas herbas elabitur anguis, pueri nudum pectus ascendit, ibique securus sese multos plicans in orbes, insedit. Tunc ecce tibi Aleon, qui erat adolescentis pater aduenit, videt simul filium, & eius pectori cubantem serpentem. Proh dolor! obstupuit, ast animosior factus, arcũ aptat, sagittam dirigit, illamque ea dexteritate eiaculat vt serpente confosso staret ferrum,

Gen. 38.

Zeno.

Theod.

Hesich.

ſolumque excitaret iuuenem, gaudentem ſe à tali fuiſſe periculo liberatum. Vnde Alconi tam felix dexteritas? Quæ ars illi fuit, vt in pectore pueri, confoſſo angue, ipſe viuus exſultaret, & lætus? Pulchrè Manil. lib. 3.

*Manil.*

*Ars erat eſſe patrem, vicit natura periclum.*
*Et pariter iuuenem, ſomnoque & morte leuauit.*

Haud alia ſubijt, vt credo, Elizabetham cogitatio, vidit prolis in pectore cubantem ſerpentem illum vectem peccati originalis, vidit ſerpentinos halitus in parturis fœminis conſeruari. Et ſimul ſenſit ad Mariæ greſſum, quidquid ſerpentis erat, abijci, & omnia de lętitiæ lumine coruſcari, cuius hæc dexteritate fierent? qua arte, tanta eijcerentur mala? Sanè ars erat eſſe Dei Matrem: Mater Dei ad fuit, quidquid ſerpentis erat in parturis, ad meliorem conditionem tranſtulit.

## §. XII.

### *Chriſtus Dominus amat ſolis ſentiri beneficijs.*

ECCE adhuc Saluator, materno ab vtero clauſus tęnetur, & occultus, & illum produnt beneficia in Ioannem profecta. Ait enim eleganter Ambroſ. *Cito euentus Mariæ, & Dominicæ præſentiæ beneficia declarantur. Nam ſequitur. Et factum eſt, vt audiuit ſalutationem Elizabeth, exultauit infans in vtero eius. Vocem prior Elizabeth audiuit, ſed gratiam prior Ioannis ſenſit.* Ioannes, inquam, prior ſenſit diuinæ præſentiæ gratiam, quando hic eſt Saluatoris mos æternus, vt potius ſentiatur beneficijs, quàm cernatur obtutibus. De illo ingrediente mundũ verba fecit Paulus ad Titum, cap. 3. *apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris.* Quid ò Paule apparuit? apparuit ne Saluator? apparuit potius benignitas, & humanitas Saluatoris. Quo reſpiciens Ambroſ. epiſt. 86. *Hæc eſt Saluatoris pietas, vt interueniat ſaluti, ac non ſe prodat aſpectu, ſentiatur beneficijs, & non ſentiatur obtutibus.* Equidem beneficia primo Saluatorem produnt, non oculi, amat enim ſuam perſonam latere, & ſua publicari beneficia. Ioan. 1. dicitur de Verbo. *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.* Quippe in Saluatore, & erat ipſa viuida ſubſtantia, & erant beneficiorum lumina: tunc ſubdit. *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes, hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine.* De quo eleganter dubitat Orig. tom. 5. in Ioan. inquiens. *Quæro cur tandem cum Ioannes miſſus à Deo, venerit ad teſtificandum, vt teſtificaretur de vita?* Sane in verbo, *& vita, & lux erat*, cur ergo Ioannes ſolum teſtatur lucem, & non vitam? An quia Saluator ſeſe abſcondit, tantumque velit dignoſci per beneficia? Ita Orig. ait. *Homo ergo nullus qui veniret, teſtificari proterat de vita etiam nunc abſcõdita cum Chriſto in Deo.* Is eſt proculdubio Saluator, non qui lapidem mittat, & manum abſcondat, ſed qui ſeſe abſcondat, & è manibus beneficiorum lumina effundat. Quam apte D. Chryſoſt. inducit Ioannem calcibus, & ſaltibus in vtero matris ſic fantem. *Inique facis ò mater, quæ tardas Prophetam geſtas in vtero, contines militem Regiæ prædicationis. Lux adeſt, ſolue matutinum, Sol oritur prius lucebit Lucifer, in foribus lux eſt, & voce eſt opus.* Vt matutinum de ſola luce Solis, non de obtutu coruſcat, ſic Ioannes non de facie Saluatoris exultat, ſed de beneficijs.

*Amb.* *Ad Tit. cap. 3.* *Amb.* *Ioan. 1.* *Orig.* *Chryſoſt.*

## §. XIII.

### *Quàm ſemper Dominus ſit ſalutaris paruulis.*

CVR ibi non Dominus, vbi infans exultat adhuc in vtero matris? Planè bonus eſt ſemper Dominus, & ſalutaris infantibus, quibus omnia erunt felicia ſi Deus adſit. Elias 3. Reg. 19. vt Deum videret, prius terribilia quædam eſt paſſus, prius venit ob oculos, *Spiritus grandis, & fortis, ſubuertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in ſpiritu Dominus. Et poſt ſpiritum commotio: non in commotione Dominus. Et poſt commotionem ignis: non in igne Dominus.* Quid plura? Ioannes Hieroſ. de inſtitu. Monaſt. cap. 18. exiſtimat per ſpiritum fortem conterentem petras ſignari Azahelem, per cõmotionem autem explicari Iehu, qui domum Achabi eradicauit; per ignem, Eliſæum dici, qui 4. Regum. 2. illudentibus pueris duram per vrſos intulit ſtragem. *Nec mirum*, ait ille, *ſi pueris illis hoc accidit; nam ſequitur non in igne Dominus.* Vbi Dominus adeſt, non ſæuitur in pueros, imò omnia læta, & iocunda accidunt infantibus. Hæc illa notiſsima Dei vox eſt, ſinite paruulos venire ad me, inde ſuam commendat, & exaltat bonitatem, vt rectè dicat Tert. lib. 4. contra Marcionem, loquens de Deo. *Quia vero bonus adeó*

*3. Reg. 19.* *Ioan. Hier.* *4. Reg. 2.* *Tert.*

*adeò diligit paruulos, vt apud AEgyptum benè fecerit obstetricibus protegentibus partus Hebræos periclitantes edicto Pharaonis.* Vnde D. Paschasius lib. de Sacramento corporis Christi cap. 15. vt probet Eucharistici panis gratia infantes paruulosque ditari, expendit, quod ipse Dominus perse distribuat gratias diuini conuiuij, ait enim. *Licet Sacerdos benedicat: ipse Dominus est, qui benedixit, & frangit. Vnde in Exodo ad Aaronem, & filios eius, inuocabitis nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eos. Sacerdos ergo inuocat, sed ipse benedicit, & frangit, quia nisi ille frangeret hunc panem, paruuli omnes ieiuni remanerent. Hinc quoque Propheta suspirans, qui nec dum venerat Christus, aiebat in lamentationibus suis, Paruuli petierunt panem, nec erat qui frangeret eis.* Euge Euge, ò vos paruuli. Magno vestrum omnium bono Christus adest; adest, inquam Christus, vt ex infantis, & paruuli colligitur saturitate. Non enim lætitiæ panis ad paruulũ Ioannem perueniret, ni Cristus adesset in vtero matris, cuius bonitatis proprium est, consulere paruulis, vt infra etiam dicetur lib. 3. cap. 5. §. 3. & alibi.

*Pasc.*

## §. XIIII.

### *Scænici ludi à diabolo instituti aduersus Sanctos.*

NONNE vides Ioannis in vtero præproperam lætitiam, qua gestit, qua saltat? Sane vbi hyemali bruma nimium matutini prosiliunt solis radij, nigram solent indicare tempestatem. Ideò suspecti mihi sunt hæ Ioannis antelucanæ exultationes, & nimis festini saltus, & si diuinare licet, iam inde Ioanni exitiales saltationes in vitæ fine auguror. Iacobi, & Esau inferorum bellum etiam pueri ab vtero signabant, Gen. 25. de quibus dicitur: *collidebantur in vtero.* Vbi Symmachus, *in superficiem ferebantur*, & apertius scholiastes, ait, *colluctabantur.* Sed nescio quo diuino mysterio S. Ambrosius lib. de Isaac, cap. 4. ex Greco reddit, *exultabant*, & D. Aug. quæst. 27. in Gen. posuit, *gestiebãt*, quasi per ante lucanam exultationem, & gestientem lætiam, futuros sanguineos conflictus significaret. Sic Ioannis in vtero exultatio, & gestientes saltus, an inde protendunt sanguineos saltantis puellæ gestus, Ioanni exitiales? Et cui sancto, & pio viro Scænicus saltus non extitit exitialis? Crediderim à diabolo inuenta tormenta, vt suã ostenderet in homines crudelitatẽ, at ludi scænici, & choreæ inuentæ ab eodẽ, vt perdat Sanctos. De Herodiade saltante dicitur Mar. 6. quod *placuisset Herodi.* Vbi eleganter D. Fulgentius ait; *Ecce iam diabolo procurante, ludens cæpit delectare puella, adhoc solum, vt posset occidere Prophetam.* Nullũ non mouit lapidem diabolus, vt Ioannem â viuis tolleret, sed omnia machinamenta ei extiterunt vana, quippe Herodes Ioannem reuerebatur, & libenter eum audiebat. Quid tunc diabolus? Saltationem instituit Regi gratam, qua sola posset occidere Prophetam! O quam salutaris illa Clementis Alexand. in adhor. ad gentes vox, qua â Syrenarum cantibus humanas mentes arcet, aiens. *Præter nauiga, cantus mortem operatur.* Sciolus ille Babyloniorũ Rex, Dan. 3. aureæ statuæ adhibuit omne genus musicorum, vt quos non flexisset ignis fornaceis, saltim cantibus eneruarentur, vt adorarent statuam. Ait enim: *In hora qua audieritis sonitum tubæ & fistulæ, & citharæ, & sambucæ, psalterij, & Symphoniæ, & omnis generis musicorum cadẽtes adorate statuam.* Non verò diabolus opponeret efficaciora arma sua ad perdendos Sanctos, si non produceret scænicos hos cantus De quo D. Chrysost. hom. 4 ad Popul. fatur. *Vidisti quám difficilia certamina parata sunt, & quot insidiarũ necessitates, & quam profunda vorago, & præcipitium vtrinque? Sed ne timueris. Quanto magis machinamenta inimicus auxerit, tãto magis puerorum fortitudinem demõstrat. Propterea tot musicorum consonantia, propterea caminus ardens, vt & voluptas, & timor assistentium animas obsideret. Asperastantium quis piam est, & rigidus? Molliat ipsum, inquit, delectans omnisonæ musicæ melodia.* En pernicioſa Dæmonis arma! Fœlix qui in his aureis poculis venenum nouerit pertimere.

*Mar. 6. Fulg.*

*Cle. Ale.*

*Dan. 3.*

*Chrysost.*

## §. XV.

### *Pugnacissimus est Ioannes pro tutanda castitate.*

AD virginis vocem, exultat adhuc in vtero existens Ioannes, quasi iam inde pro castitate tutanda in certamen prosiliat. Sic de Virgiliano calculo, ad militarem audaciam refero illud *exultauit*, ait enim illæ Ænæi. 2.

*Virg.*

*Vestibulum ante ipsum, primoque in limine Phyrrus*
*Exultat telis, & luce coruscus ahena.*

Ioannes ergo ad castissimæ Virginis vocem afficitur, vt quasi luce coruscus ahena, nouus Christi miles ad castitatem tutandam telis exultet. Nec mireris, quod

maternus vterus non detineat exultantem militem pro castitatis certamine, quando nec cœlum ipsum, pacis locus, eundẽ potest continere, quominus in castitatis hostes prosiliat.

*Basil.* Vnus id luculenter attigit D. Basil. ad Virginem lapsam inquiens. *Ioannes verò Baptista suspiria duxit, quod non potest relictis supernis conuersationibus, quemadmodum tunc solitudine, ad redarguendam iniquitatem percurrere, & si quid pati oporteret, caput potius, quàm dicendi libertatem amittere. Imò ad beati Abel similitudinem etiam ipse mortuus adhuc loquitur, clamat adhuc altiùs, quàm de Herode vociferatur illud, non licet tibi habere ipsam.* Proh inclytus castitatis athleta, quem nullus auocat locus â certamine, qui excitatus in vtero voce Virginis, & mortuus, & in cœlo existens cuperet ad defensionem castitatis sæpe in arenam prosilire! Dicebatur Ioannes Luc. 1. venturus *in spiritu, & virtute Eliæ*, sed ecce plusquã Elias

*Luc. 1.* existit, irata enim Iezabel, Elias. 3. Reg. 19. *Ti*

*3. Reg. 19* *muit, & surgens abijt quocumque eum ferebat voluntas.* Quò non fugeret Elias ab irata Regina mortem, crucemque minitante? Pul-

*Fulgent.* chrè D. Fulgent. ser. de Ioan decol. ait. *Elias Iezabel Reginam passus est inimicam, quam dum fugit, totam vitam suam in fuga contriuit. Cuius tantum timuit gladium, vt viuus fugisset in cœlum.* Itaque Elias viuus sese in cœlum reciperet, quo â Reginæ furore permaneret securus. Animosior proculdubio Ioannes, qui vellet etiam cœlum relinquere, vt castitatem aduersus furentes Reginas propugnet. Qui etiã mortuus, & in pace requiescens adhuc clamat, & vociferatur illud, *Non licet tibi habere ipsam.*

*Text.* Et beata, quæ credidisti, quia perficientur in te ea, quæ dicta sunt à Domino.

## §. XVI.

### *Nunquam sine effectu inueniri potuit Mariana fides.*

MVLTI sunt in extollenda Mariæ fide, quæ Abrahami filia, Abrahami longè superauit fidem. Sanè Mariæ puritas, humilitas, & integer omnium virtutum chorus, Deum maximè allexit, deliniuit, inescauit. Verùm omnes hos affectus in Maria validissimos effugit Deus per quindecim annos, potuitque illis resistere: ast vt nobis medijs his virtutibus innotuit fides Mariana, statim à sinu Patris extractus Filius ad vterum fidelis Virginis aduolauit. Enim verò magna fides nescit effugi, nescit frustrari. Ausus est fidelis Abraham immensæ Dei maiestati offerre paruum, & rusticum hospitium, cuius paruitatis conscius Deus, nihilominus apud fidelem virum hospitatur. Quod ponderans D. August. serm. 68. de temp. ait. *Licèt illa minora fuerint, quæ exhibebantur locorum* *August.* *angustijs, magnitudinem dederat fides, quæ contemni non debuit à Deo.* Et cur contemni â Deo pateretur fides, quæ vel renitentibus naturæ legibus, semper suis potitur optatis? *Zeno.* Id animaduertit D Zeno lib. 2. serm. 5. de Abrahamo, & Sara sic loquens. *Quia vtriusque ætas ademerat spem sobolis; pignus succidaneum meruerunt. Sic meruit fides, quod ademerat tempus, extorsit credulitas, quod natura negauerat.* Nullam equidem nouit fides repulsam pati, ad omnia audet, quasi iam prę manibus habeat. Notatè Gen. 28. gemellorũ *Gen. 28* in Thamaris vtero existentium historiam; ait enim text. *Instante partu, apparuerunt gemini in vtero, atque in ipsa effusione infantium, vnus protulit manũ.* Quid audacius? Adhuc in vtero existens, ante caput prætendit manũ. Sanè is erat populus fidelis, qui fide viuens, non potest non habere omnia optata præ manibus. Quò spectans Theodor. quæst. 95. *Theod.* inquit. *Ante legem fuerunt etiam plerique pietatis alumni secundum fidem viuentes. Quocirca Sara tale vitæ genus demonstrans, manum porrexit.* Nullo enim signo clarius demonstraretur hominum secundum fidem viuentium præstantia, quàm porrecta manu, vtpote, qui omnia felici conficiãt manu. Huc reuoco Gedeonis fidem, Iudic. 6. cui timore *Iud. 6.* confecto, viribus fracto apparuit Angelus, & ait. *Dominus tecum, fortissime virorum.* Ad quem ille. *Si Dominus nobiscum, vbi sunt mirabilia eius, quæ narrarunt patres nostri, atque dixerunt: de Aegypto eduxit nos Dominus.* Ad hæc Angelus Dei respondit. *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian.* Sed quæ erat hæc Gedeonis fortitudo? Ipse timore perculsus potius imbecillitatem, quàm fortitudinem referebat, vbi robur, vbi fortitudo ad tam infensos hostes repellendos? An fortitudo in eo, quod credens Dei gesta, eius magnalia memorabat? Hoc meritò placuit Theodoreto, quæst. 12. vbi ait. *Memor erat Gedeon mirabiliũ Dei,* *Theod.* *firmamque de Deo habebat opinionem, & meruit audire ab Angelo: prefuiscere in robore fidei huius, & vinces.* Vbi fides, ibi fortitudo,

ibi

ibi manus valida, qua hoſtes detriumphet, prę daſque capiat. Inſuper mittitur Daniel in Leonum lacum à Regis Satrapis, quibus inuitus
*Dan.6.* Rex annuit, quod crederet Danielem á Deo ſuo poſſe liberari: & licet procurata fames Leonum auidiſsimè expectaſſet paſcua: tamẽ ſubitò ad eſcæ præſentiam, quilibet Leo fit Tantalus. Quid plura? Audite Tertul. aduerſus Gnoſt. *Danielem ſtatim vtique concluſa*
*Tert.* *& vſitata feritas Leonum deuoraſſet, ſi Darij digna præſumptio de Deo falli potuiſſet.* Quid pulchrius? Tanta eſt certitudo, qua fidẽ virgineam non fallendam Elizabeth auſpicatur, dum ait: beata quæ credidiſti, quia perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino; etenim à Deo magna fides nequit repulſam pa-
*Ildeph.* ti. Vnde D. Ildeph. ſerm. 7. de Aſſumpt. ſic Angelum memorat dicentem ad Virginem. *Non expaueſcas partum, Virgo, nec metuas, nec multum ſis in experta formidine, tantum crede, & concepiſti.*

## CAPVT IX.

## De Mariæ Deiparæ cantu apud Zacharię domum.

VISA Maria exultauit Ioannes, cuius exultatio tota effuſa eſt in Marianas laudes decantãdas, quaſi vni uerſi gaudij ſui & Deum, & Dei Matrem recognoſcẽs authores. Superior Maria ſuam animi exultationem, & immenſum gaudium, quo eius ſpiritus perfundebatur, vni Deo, & Saluatori, Dominatori acceptum decantat. Quaſi diceret Maria: vos cognati exultationis, & lætitiæ veſtræ, quaſi authricẽ me laudibus magnificatis. Felix ego, quę nulli creaturarum refero acceptum gaudiũ. Exultat planè animus penè impar magnitudine gaudiorum, & gratiarum; id tamen vni Saluatori meo, Dominatorique omnium, debitum recognoſco: quarè vnum, & ſolum intimis animi mei medullis magnifico, & laudo. Vnde,

*Text.* Magnificat anima mea Dominum: & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.

### §. I.

### *Deus ea magnitudine, qua fulget in cœlo, apparuit in Virgine.*

ELEGANTER ratione probat Theodotus Ancyræ Epiſcopus, Mariam ampliorem, & excelſiorem eſſe ſedem magnitudini Dei oſtendendæ, quàm cœlum ipſum. *Sed obijcis*, inquit, *magis decebat, vt cœlum* *Theodot.*
*incoleret? Sed intelligentis animæ excellentiam conſideres, venuſtamque humani corporis conſtitutionem contueare, vnum hoc animal cæteris dominari, ac imperare poſſe demirare. Iam dic, obſecro, vter præſtãtior eſt, ſeruus ne, an dominus? neceſſitatis iugo ſubiectus, ab omni neceſſitate immunis?* Procul dubio regia hominis mens capacior eſt, vt illa magnitudo diuina exhibeatur, quàm in ampliſsimo, & fulgentiſsimo cœlo. Hoc vnum ab humana mente require, quod vni, & ſoli Deo ſe pandat, & cœlo melius ſummam Deitatis magnitudinem capiet. Quod noſcens Virgo aiebat *Magnificat anima mea Dominum: & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Omnia ignoro creata, vni Domino, & ſeruatori animam, mentemque pando, & ecce tibi in anima mea, in vtero meo ſub omni ſua magnitudine claret, quia ſolus ibi *Iſa 33.*
capitur. Hanc Marianam gloriam Iſaias cap. 33. ſpeculatus aiebat. *Oculi tui videbunt Hieruſalem, ciuitatem opulentam, tabernaculum, quod nequaquã transferri poterit. Nec auferentur claui eius in ſempiternum, & omnes funiculi eius non diſrumpentur: quia ſolum ibi magnificus eſt Dominus.* Etenim vbi ſolus eſt Dominus, qui dominatur Marianæ mentis, magnificus ibi, & valde magnificatus apparet. Id quod clariùs oſtendunt Septuag. dum legunt. *Quia nomen Domini magnum vobis.* Hoc eſt, iuxta D. Cyril. quia *Cyril.*
nomen Domini ſecundum ſuam magnitudinem ibi ſplendet, & ſicut in ampliſsimo cœli ſpacio demonſtratur. Hinc pulcherrimè D. Theodorus Studita ſerm. in Ioan. ait de Ver- *Theod.*
bo diuino. *Qui eſt ſuper omnia, & in ſinu* *Stud.*
*Patris manet, neſcientibus alijs miniſtris, tanquam aliud cœlum ingreſſus, in vtero ſemper Virginis Mariæ ſe patefecit.* Expendo quod altiſsimus Dei Filius ſe ipſum patefecerit ingrediens Virginis vterum, quaſi aliud cœlum ingreſſus. Sanè non ibi minus ſpatium magnitudini oſtentandæ, aperiendæq; adinuenit. Vt vel ſic pateat, quàm doctè magnus Hilar. hom. 1. de Aſcenſ. magnitudinem Dei

naſcentis è Virgine confert cum magnitudine eiuſdem aſcendentis in cœlum, dicens. *In illo die virginalis templi, in hoc cœleſtis regni ſecreta patefecit.* Enimuerò ſicut magno, ſublimique Deo aſcendenti compagum cœleſtium magnitudo, murorumque ſublimitas patuerunt, ſic naſcenti magno, ſublimiq; Deo amplitudo apparuit templi virginalis, vbi ſub tam incredibili magnitudine ſe Deus recepit.

## *Text.* Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.

### §. II.

### *Abiectiones, & contemptibilia mundi ingentes gloriæ fructus pariunt ex Deo.*

MERITO ancillulæ vilitati, & abiectioni tribuit Maria, quos fructus in ſe ex Deo parturiri præſenſit: is enim eſt diuinus oculus, qui de ſtercore ſublimitatem educat pauperum. Exod. 26. dixerat Dominus. *Reſpiciam ſuper vos, & augebo vos.* Quorum verborũ explicationem pulcherrime tractans D. Cyril. Alex. lib. 16. in Leuit. ait. *Reſpiciam ergo,* inquit, *& augebo vos, tanquam ſi Sol reſpiciat ſegetem, & afferat fructum.* Quippe ad Solis aſpectum virides efflorescunt campi, ſed citò marceſcentibus floribus, nullus inde legitur fructus: at verò ſeminibus arua fœta, & luto, ſiue ſtercore horrida de Solis aſpectu mille parturiunt ſegetes, mille dant agricolis vſuras laborũ. Sic omnis carnis gloria, ſuperbus, & aureus ſplendor, ſicut flos agri, diuinis ſub obtutibus marceſcit: verùm vbi diuinus oculus ſeruulorum ſuorum vilitates reſpicit, & abiectiones, quis numeret ab illis ortas ſegetes gloriarum immenſas? Huc attendebat Chryſoſt. hom. de cæco nato, notans mundialia euanuiſſe decora, quãdo exaltata ſunt abiecta Chriſtianorum. *Quid profuit,* ait, *idolis, etiam eorum, qui non ſunt, adoratio, templorum amplitudo? Quid verò martyribus obfuit vilitas ſepulchrorum? Nonne dedecus inuſtum eſt errori in amplitudine, & in humilitate res martyrum ſunt exaltatæ?* Ecce florida idolatriæ ſpectra ad Dei conſpectum euanuère, & vilia ſeruulorum Chriſti ingentes parturiunt fructus gloriæ. Non immeritò apud Matth. cap. 12. notantur loca, per quæ ducat Ieſus diſcipulos ſuos; ait enim: *Abijt Ieſus per ſata Sabbatho.* Cur per ſata? Sanè vt oſtenderet diſcipulos ſuos inſtar ſatorum de ſtercore, & abiectionibus horrentium, ſub diuinis oculis fructificare. Id quod attigit D. Ambroſ. lib. de Iſaac, cap. 6. fatus. *Ieſus in Sabbatho duxit per ſeminata diſcipulos. Moyſes per deſertum duxit populum Iudæorum. Chriſtus per ſeminata duxit, quia per paſſionem eius deſertum floret, vt lilium.* In deſerto floridos inuenies agros, amœnos lucus, in ſeminatis ſolùm vides ſtercoris horrores, aratri ſcindentis ſurculos, & tamen à deſerto ſterilitas, à ſeminatis dies fructus naſcitur. Sic de ſatorum more, Dei ſeruuli per paſſionum horrorem, per vilitates, & abiectiones mille fructus ex oculis diuinis trahunt. Hinc rediuiuus Sol diuinus, & è ſepulchro egredieus, imbecillliores areæ ſuæ glebas proſpexit, vt per illorum imbecillitatem, amplius radiaret efficacia eius gratiæ. Quocirca ait Chryſoſt. hom. 38. in 1 ad Corinth. 15. *Petrus cũ Chriſti diſcipulum ſe eſſe negauit, quominus reiectum ſe putaret præ cæteris, hunc conſpectu ſuo dignatur Dominus. Eadem cauſa propter ſexus imbecillitatem, Saluatoris gratiã primò mulier, & naſcentis, & reſurgentis ſenſit.* Proh, quàm trahit infirmitas oculos Saluatoris, vt ex illa ingentes faciant glorias pullulare! O ama dimitti, ama ſub Dei potẽti manu vileſcere, & pro nihilo reputari, vt dum ſub humilitatis ſtercore videaris á diuinis oculis, in æternam ſublimitatem erigaris. Iſaias. 6. ingentem Dei notans maieſtatem, ait. *Et ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum.* Ad quod D. Bern. ſer. 2. ait. *Fuit quippe in Angelis, qui diceret: Ponam ſedem meam ad Aquilonem. Miſer ille, qui ſine Deo eſſe maluit, quam ſub Deo; miſeri illi, qui videntes furem currerunt cum eo, exierunt infelices, & vacuus relictus eſt locus, quem accipiet alter. Nonne Deo ſubiecta eris anima mea? Alioquin nec tibi locus erit in templo, quia quæ ſub ipſo erant, replebant templum.* Felix Maria, quæ etiam dum aliquo modo ſupra Deũ eleuatur, quando Mater Dei efficitur, mauult ſub Deo eſſe, & ad vilitatis natiuæ ſtercus recurrens, ſeſe præparat, vt ſub diuinis oculis ingentes hominum glorias parturiat.

*Pſal.* 112
*Exod.* 26
*Cyril. Alex.*
*Chryſoſt.*
*Matth.*
*Amb.*
*Chryſoſt.*
*Iſai.* 6.
*Bernar.*

### §. III.

### *Obedientia hominem reddit dignum, qui Dei oculis appareat.*

SINGVLARI prudentia Virgo Maria tribuit humilitati ancillæ, quod fuerit à Deo proſpecta: vna enim forma ſerui, obedientiſque ancillæ ad ſe rapit Diuinitatis oculos,

*Zeno.* los. Sic Abrahamum vſque filij internecionem Deo obedientem meditatus D. Zeno pulcherrimè explanat. *O nouum ſpectaculum, ac verè Deo dignum!* Quod vel ipſe Abraham præcognoſcens, ex oſtenſione ſuæ obedientiæ, loco nomen impoſuit, vt mauult Hieron. vt dicatur, *Dominus videbit.* Quaſi nihil in terra pulchrius, nihil inueniri poſsit, quod diuinos exhilaret oculos, quam vel vmbra obedientis hominis. Huic retulit D. Athan. illud

*3. Re. 17* Eliæ: *Viuit Dominus, in cuius conſpectu ſto.*

*Athan.* Etenim ait in vita Antonij. *Non computabat Elias præteritum tempus, ſed tanquam quotidie in certamine poſitus, talem ſe præbere cupiebat, qualem ſciebat Dei dignum eſſe conſpectibus, purum corde, & præparatum obedire voluntati eius.* Hinc cernis, quàm vtiliter Deus tot dederit leges populo Iſraelitico; nec enim erat vllus vaſculus in domo Sanctuarij, de quo non haberent plures obſeruationes, vt ne manum extendere liceret ſine obſeruantia legis, & religione. Cur tot leges? tot ceremonię? An vt ex illarum cuſtodia ſemper diuinis verſarentur obtutibus? Ita Tertull.

*Tertul.* 2. contra Marc. dicens. *Deus in lege aſſignanda ipſorum vaſculorum curam diſtinxit, vt iſtis legalibus diſciplinis occurrentibus vbique, nullo momento vacarent à Dei conſpectu.* Sanè vir obediens, cuius oculi, ſicut oculi ancillę in manibus dominæ ſuæ, intentos ſibi reddet oculos diuinos, neque ad horam illum

*Iſa. 60.* fugiet Dei conſpectus. Ita apud Iſaiam cap. 60. loquitur Dominus. *Super quem reſpiciã, niſi ſuper humilem, & manſuetum, & trementem verba mea?* De quo D. Chryſolog.

*Chryſol.* ſerm. 143. inquit. *Audi Dominum dicentem, ſupra quem reſpiciam, niſi ſuper humilem, & manſuetum? quantum manſuetus eſt ille, qui iuſſis obtemperat, immanſuetus tantum eſt ille, qui iuſſa diſcutit.* Igitur qui iuſsis obtemperat, is ad ſe rapit oculos diuinos: is à Deo vnicè reſpicitur, diuiniſque aſtat haud ingratus obtutibus. Iam noui quo merito

*Luc. 10.* Magdalena, dum ſoror domeſticis inſudat, ipſa ſub oculis hærebat diuinis; ait enim Lucas. 10. *Ipſa ſedens ſecus pedes Ieſu, audiebat verbum illius.* Audiebat, inquam, illius verbum, parata protinus obedire, ſiue actiuæ, ſiue contemplatiuæ inſtare iubeatur. Cur quæ ſic obediens dicto erat, ab oculis diuinis arceretur? Sanè in conſpectu Dei fixa erat, quam prompta obedientia commendabat. De hac Magdalenæ obedientia ait Dominus. *Maria optimam partem elegis, quæ non auferetur ab ea.* Quæ hæc optima pars, niſi indifferens obedientia, qua in Dei ſtabat conſpectu? Ita

*Bernar.* D. Bernar. ſerm. 3. de Aſſumpt. fatus. *Vnum arbitror ê duobus, vt aut de electione Maria laudetur, quod pars ipſa, quantum in nobis eſt, ſit omnibus eligenda; aut certè, vt neutrum dicatur defuiſſe, nec in partem quamlibet præcipitaſſe ſententiam, ſed ad obedientiam præceptoris ad vtrumlibet ſit parata.* Non aliter ſecus pedes Ieſu ſedet, non aliter diuinis oculis aſtat, quàm parata obedire, ſiue ad frequens miniſterium, ſiue ad contemplationis quietem mittatur. *Quis enim ſicut Dauid fidelis ingrediens, & pergens ad imperium Regis? Denique paratum, inquit, cor meum, paratum cor meum non ſemel tantũ, ſed & ſecundò, & vacare tibi, & proximis miniſtrare.* Hinc Maria Virgo penſat ſua merita, ob quæ oculis diuinis placeret, nimirum, ob obedientiam, quatenus ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita Mariæ oculi ad Dominum Deum noſtrum.

*Text.* Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.

## §. IV.

### *Dei oculi firmitudinem in bonis conferunt.*

QVAM pulchra argumentatrix eſt Virgo Maria! ex eo quod à diuinis oculis reſpecta ſit, infert: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quaſi æternam in bonis ſuis firmitudinem augurans. Equidem nouit Sol lutum durare, & ſolidare, ſic verus iuſtitiæ Sol vbi reſpicit clemens, luteis hominum cordibus petrarum indit firmitatem. Simon non dum Petrus, accęſsit ad Ieſum, Ioan. cap. 1. *Intuitus autem eum Ieſus dixit: tu es Simon filius Ionæ, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Qui modò Simon, iam Petrus, qui modò luteus, fragiliſque homuncio, iam petræ gaudet ſoliditate. Vnde? hoc videre licet in his; *Intuitus eum Ieſus.* De quo Origen. in Ioan. 5. dicit. *Origen.* *Potuit Simon eo quod — ſus in eum intuitus eſt, eò vſque ſtabiliri, vt ab opere ſtabili, firmoque cognomen traheret, & Petrus vocaretur.* Sic Dei oculi firmant, & ſtabiliũt mentes humanas, vt à Dei oculis in petrarum ſoliditatem tranſeant. Præclarè Iſaias, vbi ſe ante oculos vidit, diuinos ait, cap. 6. *Ecce ego, mitte me.* Quæ verba ſic tranſfert D. Baſil. *Iſai. 6.* ibi.

ibi. *Ecce ego ſum, mitte me.* Proh Deus immortalis! vilis homuncio dicit, ecce ego ſum. Non ne hoc eſt nomen proprium diuiniſsimæ, firmiſsimæque eſſentiæ Dei? Vnde homo nactus eam fiduciam, qua ſibi diuinæ eſſentiæ attribuat firmitatem? Sanè dum ad Deum loquitur, dicens, *Ecce*, quaſi eius ſeſe præſentans oculis, ſtatim fidit de eſſentiæ firmitate.

*Baſil.* Quod innuens D. Baſil. ait. *Ecce ſum ego, fiducia iam fretus, quaſi particeps illius eſſentiæ, ſe ipſum annumerat his, qui in conſortium venerant illius eſſentiæ.* Hanc in ſe ab oculis diuinis firmitatem dilapſam nouerat Dei amatrix, Cant. 8. vbi ait. *Ego murus, & vbera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo.* Septuag. *in oculis eius, quaſi pacem reperiens.* Quaſi totam murorum firmitatem diuinis oculis acceptam referat. Inde

*Matth. 8* Matth. 8. Apoſtolicæ nauis fluctuationem eò refert, quod Chriſti oculi clauſi ſomno eſſent; ait enim,

*Hilar.* *ipſe verò dormiebat.* Vbi D. Hilar. fatur. *Eccleſiæ, intra quas verbum Dei non vigilauerit, naufragæ ſunt, non quod Chriſtus in ſomnum relaxetur, ſed quod ſomno noſtro conſopiatur à nobis.* Ergo oculi noſtri ſemper ad Dominum, vt ipſe ſuos miſericordes ad nos inclinans, æternum duraturas gratias animis noſtris indat.

## §. V.

### *Marianum nomen ferè celebritate contendit cum Dei nomine.*

NON ſolùm ab Elizabetha, ſed ab omnium fidelium generatione prædicandam ſuam gloriam Maria auguratur, ex eo quod ſanctificata ſupra modum ſit, ab eo cui eſt poteſtas maxima, & nomen ſanctum. Su-

*Theoph.* pradicta verba ſic explicat Theophilactus. Aſtruitur propriæ celebritatis rationem, & eauſam refert Maria beneficijs acceptis, non ſolum à potenti, ſed ſingulariter ab habente nomen ſanctum? An vt ſui nominis claritatem, & celebritatem ex diuini nominis ſimilitudi-

*Dam.* ne commendaret? Vnus Petrus Damianus debitam Mariano nomini celebritatem pulcherrimè explicabit, ſerm. de Annunt. fatus. Solicitus erat pater, cui filium mitteret generandum, quæ vocaretur mater digna tanto infante, *& ſtatim de theſauro Diuinitatis Mariæ nomen euoluitur, & per ipſam, & in ipſam, & de ipſa, & cum ipſa totum hoc faciendum decernitur.* Expendo illud, *de theſauro Diuinitatis Mariæ nomen euoluitur*: quippe in mundialibus Regijs, & eſt commune penu, ex quo ſinguli miniſtri, & veſtes, & ornamenta nanciſcuntur; & vlterius eſt regius theſaurus, vbi ſolum aſſeruantur ea, quæ regalibus perſonis ſunt in vſu. Quod ſi Princeps aliquem velit honorare miniſtrum ex regio theſauro, illi vel veſtem, vel ornamentum donari iubet. Quo munere, nullum honorificentius expectari à Rege poſſe, Aman ſuggeſsit Aſſuero, Æſter cap. 6. Hanc de ornamentis apud mundiales regias diſtinctionem cogita apud cœleſtem Hieruſalem de nominibus glorioſis Sanctorum. Sanè commune penu eſt apud Deum, quo glorioſa nomina iuſtorum aſſeruantur, & ideò iubet Dominus per Lu- *Luc.*
cam gaudere diſcipulos, *quod nomina ſua ſcripta ſunt in cœlis.* Præterea regius eſt theſaurus, vbi occluduntur diuina nomina, propria diuinis perſonis, & quàm ſint diuina nomina abſcondita, theſauriſque aſſeruata oſtendit illud Exod. 1. *Et nomen meum Adonai* *Exod. 1.*
*non indicauit eis.* Id enim, vt vni Deo proprium in Diuinitatis arcano theſauro occultabatur. Ergo Marię nomen non ex communi penu, non ex nominibus iuſtorum ſcriptis in cœlo, quibus maximè quiſque beatorum decoratur; ſed ex Diuinitatis theſauro, ex arcanis illis, quibus ipſa vtitur Deitas, euolutũ eſt, ne mireris, quod diuini nominis æmuletur claritatem.

## §. VI.

### *Maximam Filius Dei fortitudinẽ, & potentiam oſtẽdit, dum fœminæ quaſi coadiutrici credit magnalia Incarnationis.*

DEI erga ſe potentiam exaltat Maria, dũ ait: *Fecit mihi magna qui potens eſt.* Miranda maximè facinora fecit Deus in cœlo, & in terra, quibus ſuam potentiam exaltaret; liberato Hebræo, Ægyptium ſubmerſit, manna pluit ad vnius militis vocem cœleſtem militiam ſtare iuſsit, medijs flammis roſcidas adoleſcentes cuſtodijt, & his præermiſsis, in hoc vno ſe iactat diuina potentia, quod vni ſe credat fœminæ, quod in vterum Virginis inuiolabiter deſcendat. Et quidem antiquum erat, & paruum illud diuinæ poteſtatis elogium, nimirum, *Montes ſicut cera fluxerunt à facie Dei Iacob.* Maius ſine dubio eſt diuinę poteſtatis miraculum, quod cera ſicut mõs firmetur ad greſſum magni Dei Iacob. Sic ſtupet D. Cyrill Hieroſ. orat. de Occur. Domini, *Cyril. Hier.*
vbi hæc verba dat. *Qui omnibus cœli portas patefecit, actuſque in crucem ſepulchrorum oſtia*

*ostia aperuit, & æternas illas inferorum portas contriuit. Matris tandem Virginis claustra admiranda virtute concluſa ſeruauit.* Hęc ille, quibus pondero: poſt tot portas, vectesque confractos, inde admirandam Dei virtutem commendat, quod virginitatis Marianę claustra, admiranda virtute concluſa ſeruauit. Cuius facies montes contriuit, & velut ceram liquauit, liliatam pudicitiæ vallem in Maria integram nouit æternare. Proh Dei virtutem mirabilem! Nonne magnum hoc, in Mariam, Dei facinus? Sed accipe maius, nimirum, quod fœminæ coadiutrici totam reparationem generis crediderit humani. Imperium hominis in vniuerſo orbe terrarum firmaturus Dominus mulierē Adamo adiutricem addidit. Proh dolor! Vnius mulieris fallacia imperium hominis corruit, & totum Dei opus, ſi quo alio facinore, hoc vno fœmineæ opere labauit. Quid tunc Deus? Fœmineum ingenium, & ſtatum abominatus, maledictis fœminas multauit, à paradiſoque exulare fecit? Cur ergo hominem reparaturus non ſibi cauet à fœmina? Cur impauidus mulierem iterum adit? Fortis eſt Deus, nil quod timeat, habet. Num. 16. cum Deus iratus in Core, & Dathan, & Abiron, vniuerſam Hebræorum nationem euertere tentarit, Moyſes, & Aaron ſteterunt, & vt Deum placarent, ſic eius fortitudinem maximam obijciunt. *Fortiſſime Deus, num vno peccante, contra omnes ira tua deſæuiet?* Hoc elumbi, puſillanimique homuntionis propriſsimum, quod propter vnius errorem, in omnem generationem exardeſcat, quaſi ex vno ſuſpectos omnes habeat, ab illiſque ſibi timeat, & exardeſcentem iram ſuam neſciat frænare. Non ſic qui magnanimi, forteſque ſunt, qui & ſe temperare norunt, & alios timere neſciunt. Ergo Deus, qui omnium fortiſsimus eſt, fortitudinis ſuæ illud prodit indiciū, quod etiam peccante fœmina, & regium euertente opus, iterum ad fœminam recurrit, cui totum humanæ reparationis conſilium, quaſi optimæ coadiutrici fidit. Hinc D. Zeno ſer. 2 de Natiuit. ait *Exultate fœminæ, promotionemque veſtri ſexus agnoſcite, culpa deleta veteri. Ecce per vos iungimur cœlo, anus peperit Angelū, & Virgo Deum. Hic eſt Deus noſter, qui dignitate interim ſepoſita, non tamen poteſtate, & c.* Longiorem Zeno producit ſermonem, nobis id ſatis eſt, quod fœminæ crediturus humani generis excitationem, ipſe Deus adeſt diſsimulata dignitate, non tamen poteſtate: quippe qualiter diſsimularet poteſtatis ſuæ ingens robur, qui à muliere videns opus ſuum proſtratum, & deiectum, iterum mulierem conuenit? Qui matri maledicens, dolores, & ærumnas minitatur, filiam adit, & de cœlis roris benedictione cumulat? Qui parentes à Paradiſo exturbat, & prolem ſibi in matrem acciſcit? Magna hæc in Maria fiunt, in quibus neceſſum eſt, vt incredibilis Dei potentia pateſiat. Similem Dei potentiam exaggerat Tertull. eo quod, exiturus cum fuerit Marcion Hæreticus Nauclerus, adhuc Ieſus ad naues accedat, vt diſcipulos ſibi quærat è nauibus. Sic enim ait lib. 4. *Affectauit de nauicullariorum collegio allegere; habiturus quandoque Nauclerum Marcionem.* *Tertul.*

## §. VII.

### *Deus hominibus veras res præſtat, ab illiſque ſola nomina accipit.*

MAGNA ſuſcepit à Deo Virgo; ait enim: *Fecit mihi magna qui potēs eſt.* Et quid pro magnis his Deo reddit? Redditur à Virgine Deo confeſsio illa: *Et ſanctum nomen eius.* Equidem nouit Deus bona data dare hominibus; dare, inquam, res veras, ſolidaſque glorias, à nobis autem ſola nomina, nuda nouit vocabula accipere. Moyſem, & Eliam cum Ieſu colloquentes in Thaboris gloria notans Tertul. lib. 4 contra Marc. ait. *Quid tam Chriſtus creatoris, quam ſecum oſtēdere prædicatores ſuos? Cum eis gloriam ſuam communicare, a quibus Dominus gloriæ nuncupabatur?* Hoc diuiniſsimi Chriſti, ſummi Patris Filij propriſsimum, quod pro nuncupatione glorioſi nominis veritatem ſuę gloriæ communicet, quod res gloriæ tradat ſuis, & nomen gloriæ ab illis accipiat. Memini D. Iſidorum Peluſ. lib. 3. epiſt. 131. ſic ſeruorum Dei gloriam extuliſſe. *Opere pretium eſt, relictis bonorum nominibus, ad res ipſas contendere: Regnum enim, & opes, ac gloria, nomina quædam ſunt apud exteros; res autem apud Chriſtianos. Quemadmodum etiam contra, dedecus, & mors, & paupertas apud nos vocabula ſunt, res autem apud illos.* Ex quibus illud ego addiderim, quod iam dixi, nimirum, quod regnū, ac gloria accepta Deo ex hominibus, nomina etiam ſunt apud Deū; res autem apud Dei ſeruos. Malè ergo cum accipis à Deo gloriæ res, non reddis illi gloriæ nomina inſignia. Hæc in Adamo peccatore Deus maximè deſiderauit, quando condonaturus ſi reſipiſceret, vocabat: Adam vbi es? Ad quæ ille. *Audiui vocem tuā, & timui.* Vide quàm ſeſe ruſticū in reſpondendo exhibeat, quod notans Lyppoman. ait. *Sine honoris præfatione, & cognomine, ſine digno epithe-*

*Num. 16*

*Zeno.*

*Tertul.*

*Iſid. Pel.*

*Gen. 22.*

*Lyppom.*

*theto Deum alloquitur. Vocem, inquit, tuam audiui, non addit clementissime Deus, & Creator meus* Largus in accipiendis à Deo beneficijs, auarissimus in reddendis Deo nominibus. Crediderim hanc etiam à serpente rusticitatem ebibitam: etenim Diabolus interroganti Deo. Iob. 1. *Vnde venis?* Ipse solum respondit. *Circuiui terram, & perambulaui eam* In quem meritò irascitur Chrysost. hom. 2. fatus. *Superbus, & tumens, neque sui locum, & statum sciens, neque interrogantis dignitatem, dicit, circumiui terram.* Planè rusticus, ac superbus, qui quæ solum dare potest nomina gloriæ, ea Deo eripiat. Humilis, & comes Maria vel tunc maximè cum Deo grata, illi reddit glorioſa nomina, & illustria, dicens: *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.*

## *Text.* Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.

### §. VIII.

### *Misericordia Dei foecundissima, per omnes generationes, sed vbi est Dei timor*

FOECVNDISSIMA res est misericordia diuina, contendit cum humanis generationibus, à progenie, & in progenies extēditur: sed si habeat socium timorem Dei. Psal. 28 Id innuit Psal. 28. *Vox Domini præparantis ceruos*, siue, vt ex Hebræo alij reddunt: *Vox Domini parturire faciet ceruas.* Quippe natura difficiles ad partum ceruæ, eum tonitruũ timore percelluntur, maturos iam fœtus parturiunt; sic vbi timor Dei adest, per generationes, & generationes misericordiam Dei multiplicat. Hinc est, quod sterilem socium iam iam igni applicandum, vt reuiuiscere, & fructificare faciat bonus latro, dolens quod iuxta misericordiæ fontes pereat, timorem sug- Luc. 23. gesit, dum ait Luc. 23. *Neque tu times Deũ.* Quod sic expēdit D. Chrysost. hom. de cæco nato. *Alter probus inuenitur, in iudicio re⁹, in cruce iudex, sed & timorem docet: prima enim vox latronis ad socium latronem hæc fuit. Neque tu times Deum.* Et merito in ligno sterili, & arente etiam iuxta misericordiæ apertos fontes posito, vnum timorem Dei desiderauit, de quo posit in vitam æternam foecundari. Nihil, mihi crede, sic foecundat animos, sic munit, sic virtutes eorum æternat, vt Dei timor. Sic ex Dinæ historia, pro timore exclamat Cellensis Abbas lib. de panib. cap. 14. aiens. *Noli filia Iacob, noli sine fratribus exire ad mulieres Pharaonis huius, quia Leo est in via, Sichen filius Emor ardens concupiscentia tui. Salte Simeon, & Leui, id est, timor præsentium, & futurorum pudicitiæ tuæ semper assistant protectores, & vltores, ne rapiaris, ne blanditijs delinita in confusionem nobilitatis tuæ prostituaris.* Nemo nos à paternali Dei amore rapiet, nemo nos diuinæ misericordiæ auferet; imò hoc vno timoris Dei affectu replebimur omnino sanctitate. Quid dixisse miraris? An nostra maior, quã Christi Domini capacitas? Ergo vide, quo Christus repleatur. Isai. 11. *Requiescet super* Isai. 11. *eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilij, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris.* Quid pro timore dignius? Cui sapientia, pietas, fortitudo, & aliæ adsunt virtutes, hunc replet timor. De quo vide, quã Guillel. ipse diuinus timor iactet apud Guillel Paris. Paris. lib. de moribus, tract. de tim. *Sunt & aliæ magnificæ laudes meæ, inter quas & illa est eximia, quod ipsum Christum Dominũ apothecam omnium gratiarum, imò fontem omnium virtutum replere dictus sum. Cũ enim alijs datum sit in illo requiescere, solum replere eum ab Spiritu sancto mihi tributum est. Ita enim dicitur: requiescet super eum Spiritus sapientiæ, & intellectus, & ita de alijs. Deinde dictum est: replebit eum Spiritus timoris Domini. Nec mirum, cum ego plenitudo sapientiæ sim, cum sim ipse Dei thesaurus. Quid ergo decuit magis implere illũ, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei!* Hæc ille pulchrè de Dei timore nobis donauit: inanis ille, & vacuus erit, qui sine Dei timore vixerit, quem si habueris, plenus es, felicissimus es. De Iob dicitur, quod vacuatus omni substantia, de hac diuini timoris plenitudine gaudebat. Sic D. Zeno lib. 2. ser. 16. Zeno. ait. *In sterquilinio fœtido, scaturiente vermibus Iob sedet, quasi nil passus; sed solo Dei timore contentus.* Cur non esset contentus eo Spiritu, qui corda humana potis est replere? Enim verò Dei timor anteambulo est omnigenæ misericordiæ, fauorisque diuini; vnde ex timore à Deo incusso sic argumentatur Chry- Chrysost. sost. homil. 6. ad pop. *Si rebus ipsis castigare vellet, & malorum experientia non tot diebus vos timori tradidisset; cum enim punire voluerit, terret: quoniam si puniturus esset, timor esset superfluus.* Vbi ergo præmittitur timor, non supplicium; sed Dei fauor expectetur. Sic eum Maria. Luc. 22. turbata est in

sermone

ſermone Angeli, diuini fauoris ingentem in illa capacitatem meditatur D. Chryſolog ſer. 143 aiens. *Quod per Angelum Deus mandat, ille meretur ſcire, qui timet ſcire. Audi Dominum dicentem: ſuper quem reſpiciam, niſi ſuper humilem, & manſuetum, & tremẽtem verba mea.* De Dei timore ſæpe aliàs.

*Chryſol. Iſai. 60.*

## *Text.* Fecit potentiã in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

### §. IX.

*In eo maximè Dei oſtenditur potentia, quod ſuperborum mentes in humilitatem transformet Chriſti.*

CVM ab extenta Dei manu, vel à ſolo eius digito ſuperbiſſimo Ægyptios non uerim diſſipatos, imò ſuperbiæ omnigenæ patrem Luciferum è cœlo deturbatum, & terræ viſceribus ſepultum: quæ erit iſta laus brachij Dei fortiſsimi, quod ſuperbos ſupplãtet? Adde in præſenti brachium Dei eſſe Filiũ Dei, qui fortiſsimum Dei brachium frequenter in ſacra pagina appellatur, quod Incarnatione extentum aëreas poteſtates debellauit. Quis ergo ex ſuperbis triumphus decebit magis diuinum brachium, nempe Filium Dei hominem factum? An quod verè, & propriè ab illo ſuperbiſſimi tyranni fuerint enecti, mari, terræque ſepulti, igmbus addicti immortalibus? Sanè ad hæc perpetranda non deſiderabatur potentia tantibrachij, quando vel *ſpiritu oris ſui interficiet impium*, & tyrannorum maximum. Vbi autem fecit potẽtiam in brachio ſuo, quid maius ſperatur, nimirum, quod diſperſerit ſuperbos mente cordis ſui! hoc eſt, quod ſuperborum mentes ſalubri contritione tranſmutauerit in humilitatem. In hoc maximè eluxit potentia Filij Dei, hoc fuit illius opus, hic labor totius incarnati Dei œconomiæ. Huc ſpectauit Pſalm. 28 *Vox Domini confringentis cedros, & comminuet eas, tanquam vitulum libani.* Cuius explicationem libenter capio à Richard. Vict. dicente. *Verè hæc mutatio dexteræ excelſi, rigorem cedri conterere, & ad ſimilitudinem vituli libani, id eſt, qualibet tumida corda inclinare ad imaginem humilitatis Chriſti, qui attritus eſt propter ſcelera noſtra, non propter peccata ſua.* Hæc, inquam, eſt mutatio dexteræ excelſi: hoc opus dignum laudatiſsimi brachij Dei, quod proceræ illæ arbores, quod ſuperbi, & elati homines, audè, & enixè amentes neſciri, & pro nihilo reputari, à Domino factum eſt iſtud. Quam diuini brachij potentiam oſtendit illud de Chriſto Domino à Iacob Geneſ. 39 decantatum, ſcilicet, *quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius.* De quo pulchrè Tertul lib 3. in Marc. ait. *Taurus ob vtramque diſpoſitionem alijs ferus, vt Iudex, alijs manſuetus, vt Saluator, cuius cornua eſſent crucis extrema. Hac denique virtute crucis, & hoc more cornutus vniuerſas gentes & nunc ventilat, per fidem auferens à terra in cœlũ, & tunc per iudicium ventilabit auferens à cœlo in terram.* Hæc ille, de mira Chriſti fortitudine in conuertendis, ſiue euertendis ſuperbis. Vbi expende, quàm facilè euertat Deꝰ ſuperbiſsimos quoſque, nimirum qua facilitate quis graue aliquod à cœlo in terram dimittit: at vt ad meliorem frugem conuertat, ingenti fortitudine eget, quia grauiſsima corda deorſum vergentia, & renitentia à terra in cœlum ventilanda ſunt. Hinc D. Leo ſerm 8. de Paſch. ait. *O admirabilis potentia crucis! in qua & tribunal Domini, & iudicium mundi, & poteſtas eſt crucifixi. Traxiſti enim omnia ad te, & cum expandiſſes tota die manus tuas, ad populum non credentem, & contradicentem tibi, confitendæ maieſtatis tuæ ſenſum totus mundus accepit.* Proh extenti diuini brachij poteſtas, quæ grauiſsimas renitentium mentes ad ſuperos vſque facis reuolare! Nunc teneo Saluatoris triumphos Ezechieli monſtratos, cuius triumphalis currus ſub iugis bouis, leonis, & hominis volitantia corpora cernebantur, quaſi ea Saluatoris denotetur poteſtas, quod ponderoſas mentes, corda peccatorum grauia, & deorſum vergentia, ad tranandum aethera perpeti nobiliter ala, vt veriſsimè dicat D. Bernar. ſer. 19. in Cant. *Multum laborauit in ea Saluator, hæc in omni mundi fabrica tantum fatigationis author aſſumpſit. Ille dixit, & facta ſunt, mandauit, & creata ſunt: at verò hoc, & indictis ſuis ſuſtinuit contradictionem, & in factis ob ſeruatores, & in tormentis exprobratores.* Quas contradictiones, & renitentias non experietur, qui boues, & leones ad ſuperos niteretur ventulare? Sed & hos in cœlum ventilauit, & per aſtra fecit volare, quo eius brachij poteſtas maxima explicatur.

*Beda. Taeoph. Orig. Gregor. D. Tho.*

*Pſal. 28.*

*Richard. Vict.*

*Gen. 39. Tertul.*

*Leo.*

*Bern.*

§. X.

## §. X.

### *Christus Dominus redempturus homines, sibi labores, & opprubria omnia præoccupauit.*

EA est regalis brachij potestas, vt sibi speciosa omnia, & vtilia in primis occupet: venienti enim Regi statim alimenta præoccupantur, profecturo commeatus stagnantur. Rex autem Christus homines redempturus accedens, in eo pientissimi brachij sui ostendit potestatem, quod labores, & opprobria cuncta sibi præoccuparit. Suffixo iam cruci Domino dicit Matth cap. 27. *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, vnus à dextris, & vnus à sinistris. Prætereuntes autem blasphemabant eum mouentes capita sua.* Nullus prætereuntium latronibus molestus erat, nemo illis nota furta, & homicida improperabat. Cur hoc? Sanè potentissimus Rex Iudæorum improperia omnia, & opprobria vni sibi tunc temporis præoccupauerat. Id nobis notatum dedit D Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 130. fatus. Pendebat quippe in patibulo, meridiano tempore, atque in metropolitana vrbe, ac maximo festo, in quo neminem fuisse, verisimile est, qui non interesset. *Quin etiam alij cauillis in eum ludebant, alij latus ipsius lancea feriebant. Atque in eos quidem latrones, qui vna cum ipso in crucem acti fuerant, nihil tale perpetrabant.* Equidem probra omnia vni sibi Dominus tunc temporis reseruauerat, ipse solus pro omnibus opprobria pati volebat. Memini apud Ioan. cap. 2. Dominũ ad nuptias iuisse, item passurum Hierosolymam ascendisse; at cum de nuptijs agitur, dicit, *Erat Mater Iesu: Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius ad nuptias.* Verùm vbi ad Hierosolymam veniendum erat, solum ait. *Ascendit Iesus Hierosolymam.* Iesus dicitur ascendisse, non discipuli: an quia discipuli non ascenderunt cum Iesu? Absit; imò simul & Iesus, & discipuli ascenderunt Hierosolymam; paulò enim pôst vbi Iesus negociatores á templo abegit, dicit Ioannes: *Et mirati sũt discipuli:* ascenderunt ergo cum Iesu discipuli. Sed iam scire cupis, cur ad nuptias simul Iesus, & discipuli dicantur iuisse, in Hierosolymæ ascensu prætermissis discipulis, solus Iesus ascendisse prædicetur? Sanè in nuptiali cõuiuio leuamen aliquale erat, quod etiam permittit Deus suis discipulis: at apud Hierosolymam omnia dura manebant, crux, verbera, opprobria, quorum auidissimus Iesus omnia vni sibi præoccuparat, & sic suis se infuderat discipulis ad patiendum, vt vnus ipse, & solus videretur inter labores esse, vt solus illos potiatur. Ab hac stat sententia Origen tom. 11. in Ioan. aiens. Obseruandum est, Matrẽ Iesu dici adesse nuptijs, vocatumque fuisse Iesum cum discipulis, neminem verò præter Iesum nominari Hierosolymam ascendisse, videriq; discipulos etiam adfuisse, quandoquidem recordati sunt scriptum esse: zelus domus tuæ comedit me. *At fortasse in singulis discipulis erat Iesus Hierosolymam ascendens, quo circa non dictum est: ascendit Iesus Hierosolymam, & discipuli eius.* Et quidem in subeũdis laboribus vnus Iesus exhibetur, vnus est Iesus qui patiatur, sibi labores, & sudores reseruans, gaudia, & festa permittẽs, & reliquis.

Reuoca in memoriam maternã illam charitatem Rebeccæ, quæ filium Iacob cœlesti benedictione aptabat, & cum ille timeret, ne pro benedictione maledictio sibi obueniret, ait illa Genes. 27. *In me sit ista maledictio, fili mi.* Quæ verba ponderans D. Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 58. inquit, *Rebecca apostolica, vt sic loquar, animi magnitudine prædita, imprecationem suscipere minimè dubitauit, vt ipsius filius benedictionem consequeretur, atque bonis quidem ipsi cedebat: mala autem ipsa sola sufferre parata erat, dicens, in me sit ista maledictio, fili mi.* Ecce modò non Rebeccæ amorem, sed diuini brachij validam & ardentem charitatem, qui in cruce extentus, & confossus, imò pro nobis maledictum factus, imprecationem suscipere minimè dubitauit. Atque bonis quidem discipulis, & omnibus hominibus cedebat; mala autem, numirum maledictionis pristinæ partus tribulos, & spinas, dolores, & nuditates ipse solus sufferre paratus erat. Proh charitas Christiana, prodiga in bonis dispertiendis, auarissima in malis sibi reseruandis! De alatis illis Cherubinis apud Ezechielem cap 1. dicitur *Duæ pennæ singulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum.* Quippe in Christianis affectibus hæc duo licet obseruari, & quod beneficentiæ alæ extentæ sint ad alios, & quod ærumnas, & dolores sibi vni reseruet Christianus. Sic D. Gregorius magnus homil. 4 in præsenti, vbi dicit. *Sanctorum pennæ coniunctæ sunt amor, & spes; duæ verò pennæ quæ corpora contegunt singulorum & sibimet ad alterum coniunctæ non sunt, timor, & pœnitentia.* Volare faciat Christianus bona sua ad alios; at timores, & pœnas vni sibi velit habere, si summitatem charitatis pertingere amat. Hanc charitatis summitatem pulchrimè insinuat D. Isidor. Pelus. in duobus fidelis populi dilectoribus: alter erat Moyses, alter Paulus,

*Mat. 27.* *Isid. Pel.* *Ioan. 2.* *Origen.* *Gen. 27.* *Isid. Pel.* *Ezech. 1.* *Gregor.*

*Ad Rom.* lus, ille ſic rogabat pro populo, Exod. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ.* Hic epiſt. ad Rom. ait. *Optabam enim ego ipſe, anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Ex quo ſic eleganter monet Iſidor. lib. 2 epiſt. 58. *Moyſes vt de diuino libro expungeretur, rogauit, ſi ij, qui ſub ipſius imperio erant, interrectione delerentur. Maius eſt quod Apoſtolus fecit, nam ille ſimul perire cupiebat: hic autem perire, vt alij ſalutem conſequerentur.* Eam Apoſtolus charitatem à Dei brachio Chriſto accepit, qui per ſui contritionem, omnes homines in libertatem aſſeruit, qui ſibi mortem, & maledictiones accipiens, nobis ingentia bona reliquit, & optimum triumphi modum edocuit. Sic Græcus apud Cath. explicat illud: *Fecit potentiam in brachio ſuo*, nimirum, *nec quoquam alio mediante, niſi in proprio brachio triumphum docuit:* quatenus brachium Dei ſibi dolores aſſumens, omnibus alijs glorioſos peperit triumphos.

*Iſid. Pel.*

*Græcus*

*Text.* Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Suſcepit Iſrael puerũ ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ. Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, Abraham, & ſemini eius in ſæcula.

## §. I.

### *Deus res hominum firmauit, fulciuit.*

QVIS fugiat mũdiales vices? Quis rerum humanarum rotatus non ſubibit? Sanè ludit, & humanis diuina ſapientia rebus, iam Irus, qui modò Creſſus erat, iam exigit tributa, qui paulò ante emẽdicabat ſtipem Sapienter Philo lib. quod Deus ſit immutabilis, de rerum humanarum volubili ſtatu philoſopbatur. *Verbum diuinum* ait, *choræas in orbẽ duxit, quod vulgus hominum fortunam vocat, & omnes gentes circum luſtrando, nunc his, nunc illis imperia vel tribuit, vel adimit.* Sic omnia humana in præcipiti raptu ſunt, à ſentina itur ad puppim, deponuntur potentes, & exaltantur abiectiſsimi quique. Porro medijs his humanæ conditionis vicibus recordatus Deus miſericordiæ ſuæ antiquis promiſſæ Patribus ſuſcepit Iſraelem puerum ſuum; hoc eſt, ſeſe humanæ carni immiſcuit, ſeſe ſubiecit noſtræ volubili naturæ quaſi nobile, & immutabile fulcrum, æternumque ſuorum imperiũ ſtabiliuit. Huc ſpectat illa ſubminiſtratio Chriſti, quam dicit Paul. ad Philip. 1. aiens *Subminiſtratio, inquam, Ieſu Chriſti.* Vbi D. Anſel. *Sicut columna, vel fundamentum fulſit mę ſubter, ne corruam.* Hoc decebat fundamentum res humanas, ne paſsim currerent, hoc ſibi adhærente fulcro egebat noſtra natura, ne cõmunes ſubiret vices, & volubilitates. Hoc ferreum robur immiſcendum erat fictili, & teſtaceo calcaneo, vt aurea, argenteaque membra ęternũ confirmata durarent. Nonne poſſet Deus labilem naturam hominis, vel ſpiritu oris ſui confirmare, qua neceſsitate coactus ſe ſe illi nobile fulcrum admiſcuit? Proferam D. Athan. qui ſer. 3. contra Arrianos ſic loquitur. *Si ob vires ſuas, per quas id potuit Deus, verbo edixiſſet, & ita maledictio aboleretur, imperantis quidem potentia in conſpicuo pateret: homo tamen huiuſmodi effectus fuiſſet, qualis Adam ante prævaricationem fuerat, extrinſecus accipiens gratiam, non autẽ eam ſuo corpori conglutinatam tenens. Talis ſiquidem antea fuit, quàm in Paradiſo collocaretur, forſitan etiam deterior euaſiſſet, vtpote qui iam prævaricari ediſcerat.* Ecce tibi res hominum in animo mutationi ſubiecto, quã labaret, quam laberetur. Quid intereſt quod homo ab intriſeco labilis, ſulcipiat omnia ſanctitatum decora, niſi ad illa ſuſtentanda fulcrum ſibi habeat adhæreſcens? Firmo nitatur fundamento? Nouit hoc diuina ſapientia, & vt humanis vicibus mederetur, naturam hominis ſuſcepit; hoc eſt, firmiter ſibi coniunxit, ſeſe humanæ felicitati ſubiecit fundamẽtum. Id ex multorum Patrum lectione, clamat Proverb. 8. dicens. *Ante ſæcula fundauit me.* Et quid eſt illud, *fundauit me*, niſi, me fundamentum firmitudinis humanæ poſuit? Sic D. Cyril Alex. lib. 5. theſaur. cap. 8. *Quando quaſi lapis aliquis de monte abſq; manibus dimiſſus, hoc eſt, ex ſubſtantia Patris profectus, in carne noſtra, quaſi in terra defoſſus eſt. Tũc fundatam ſe ait ſapientia, quaſi dicens: Filius Dei ſum verus, ſed homo factus ſum, vt principiũ & fundamentum ſuper ædificandorum per fidem ſuam, vt propter carnis connaturalitatem mihi ipſi eos compingam.* Quid aptius à diuina ſapientia potuit excogitari, vt mederetur humanis vicibus, quàm vt humanæ naturæ ſe ipſam coniungat? Equidem vbi Chriſtus apud Pilatum ludibrij cauſa, chlamidem induit coccineam, regios ſplendores ſuis fide-

*Ad Philip. 1. Anſel.*

*Athan.*

*Prou. 8*

*Cyril.*

*Philo.*

*Isid. Pel.* libus æternauit. De quo sic D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 251. loquitur. *Ludibrij vestis de terreno imperio, ac principatu tanquam ludrico triumphauit. Verùm Domino imposita robur, ac vires contraxit, atque ad imperiũ à successione immune progressa est. Conuenie bat enim eam cum vel Christum dumtaxat contigisset, atque ipsius fimbria extitisset, firmam, & stabilem effici.* Is enim est Christus Dominus viuus lapis, qui firmitudine, & perpetuitate manet, qui suppositus sciat fragilia, & caduca omnia fulcire in æternitatem. Id quod etiam meditandum est in arundine, quã manu Saluator in prætorio patiens gestabat, *Amb.* de qua D. Ambros. lib. 10. in Lucam ait. *Arundo quoque secundum Matthæum comprehenditur manu eius, vt humana fragilitas iam non sicut arundo moueatur à vento; sed operibus Christi corroborata fundetur* Sic ille.

## §. XII.

### *In Deo solo firmitudo.*

LABANTVR omnia, volubiliqueratu rapiuntur mundi magnalia, is solus rapidissimis rerum vicibus obsistit, cuius in vno Deo spes collocatur. Post ruinam Nabuchodonosoris, post Balthasaris excidium, regnum accepit Darius, de quo Daniel cap. 6 ait *Dan. 6.* *Placuit Dario, & constituit super regnum Satrapas centũ viginti, vt essent in toto regno suo: & super eos principes tres, ex quibus Daniel vnus erat.* Vbi crediderim, quasi ad miraculum, dictum esse illud, ex quibus Daniel vnus erat, quippe Daniel in delicijs fuit Nabuchodonosori, item per gratus extitit Balthasari, & tandem placet Dario. Quis crederet amicum Regis, cum Rege non perire? Et ecce pereunt Reges, transferuntur regna, vnus Daniel Dei seruus stat, & perseuerat omnium amicus. Proferam Theodoreti verba sic *Theod.* aientis. *Regnante Nabuchodonosor, Daniel splenduit, & à maximè horribili Rege adoratus est; regnante item Balthasar floruit, nec minus illustris fuit Dario sceptra tenente, regnumque successiones nihil de eius gloria immutarunt, sed illi morte extincti sunt; at Daniel æqualem illis omnibus regnantibus splendorem obtinuit.* Conuenite huc, qui Regum amicitiam ambitis, qui stabilem, firmumque statum in regijs fauoribus amatis. Vnus est, qui volubilem fortunæ rotam stare faciat clauus, nimirum, quo inusti diuinam seruitutem profiteamini. Dum Deo, virtutique innitimur, Regum successiones nihil de nostra gloria immutabunt; firmi stabimus medijs humanis vicibus, medio rapidissimo gurgite, quo voluuntur omnia creata. Iacob vidit celebrem illam scalam, & in ea Angelos ascendentes, & descendentes; putares scalam similem fuisse fortunæ rotæ, in qua motu perpetuo ascendunt, & descendunt etiam Angeli, nulla enim creatura est, quæ mutationi non subiaceat. Sed vide miraculum, inter tot descensus, & ascensus Angelorum, vnus Iacob immobilis, & firmus perseuerabat, vtpote qui capiti suo lapidem Christum supposuerat; ait enim textus, Genes. 35. *Ibi posuit lapidem ad* *Gen. 35.* *caput.* De quo D. Hieronymus Psalm. 133 di- *Hieron.* cit, *Sub capite ipsius lapis erat Christus.* Crede mihi, vni fidas Christo, si velis nunquam cadere, ipse est lapis angularis, pro firmo, & immobili fundamento humanarum fœlicitatum datus, vt pulchrè dicat D. Athanasius ad *Athan.* Maximum. *Omnis creatura de mutabilitate suspecta est; sed ipsum verbum suum corpus pro nobis obtulit, ne in hominem spe, aut fiducia moueremur.* In vitæ scala ascendunt, & descendunt etiam Angeli, caue fidas alio præter Deum, qui descendentibus cunctis creaturis, tibi aderit, teque firmum, & stabilem su- *Luc. 1.* stentabit. Ecce tibi apud Lucam cap. 2. post *Andr.* salutationem Angelicam dicitur: *Discessit An* *Hier.* *gelus ab ea.* Vbi acutè Andræas Hierosolymitanus ait. *Discessit ab ea Angelus, verùm Dominus non recessit ab ea,* qui solus humanæ spei manet sustentaculum, cum rapido cætera rapiuntur volatu. Sanè Abrahamus dilectissimum filium obtinuerat, suæ senectutis fulcrum, suæ familiæ stabilimentum acceptæ à Deo promissionis sustentaculum. Sed proh dolor! inter hoc, iubetur filium iugulare, nec moratur senex, ascendit montem, struit ligna, super ponit Isaacum, stringit gladium. Quid ni, fidelis vir, siccine occidendus filius? Siccine succidendæ familiæ spes? Nonne vel aliqua verba facies, cui facturus es mortale vulnus? Quid dicis amantissimo filio iugulando? Verba Abrahami ad filium dedit Iosephus, in- *Ioseph.* quiens: *Fili, mille votis te expetitum postquam in hanc vitam venisti, summa cura, & solicitudine educaui, nil beatius reputans, quàm si te virum videre daretur, & denique hæredem meæ ditionis relinquere. Sed quoniam Deo visum est, vt te eius mihi benignitate donatum, ei nunc redderem, fer generosè hoc sacrificium, cedo enim Deo, qui à nobis hunc honorem reposcit. Itaque inter preces, & sacra animam tuam apud se collocabit. Vbi memor, cur te potissimum educauerim, senectutem meam sustentabis; non quidem per te ipsum, sed Deum mihi curans tuo loco adiutorem, & protectorem.*

Expende

Expẽde quàm ſibi caueat Abrahamus à creaturarum auxilijs, expertus enim volubilem creaturarum conditionem, ſenectutem, ait, meam ſuſtentabis; ſed ſtatim cauet, non quidem per te ipſum, ſed Deum mihi curans adiutorem, quaſi & filium, & cœleſtes ciues de mutabilitate ſuſpectos haberet, & ſolius Dei manum, & ſuſtentaculum requireret.

## CAPVT X.

# De Maria prægnante, & partum expectante.

GAIEBAT Angelus ad Mariã, Luc. 1. Concipies in vtero, & paries filium, quibus verbis ſignificatur fructus ventris Mariani non precox futurus, ſed ibi maturandus, & perficiendus, & de Heroum more decimo parturiendus menſe. De quo eruditè ſatis, vt aſſolet, Pater Pineda in Salomonis incunabulis. Quid autem ex hoc Marianæ accedat excellentiæ, no bis modò venit examinandum.

## *Luc. 1.* Concipies in vtero, & paries filium.

### §. I.

### *Maria ſola in ſe vna communes omnium gratiarum fontes per decem menſes ſtannauit.*

QVIS ingentes diuitiarum cumulos illi viro accreſcentes enumerabit, qui communes bonorum fontes, quibus vniuerſi viuunt, ſolus ipſe ſibi retinuerit per tempus aliquod? Hinc ergo placuit Hilario extollere Mariæ prope immentas gratias, ſeim 2. de Natiuit. fatus. *Commune omnium gaudium peculiari munere nouem menſibus ſola poſſides.* Fons ille bonorum, qui totum cœleſtem Paradiſum replet, qui vniuerſos Angelorũ exercitus exſaciat, & inde redundans mortales vniuerſos ingẽti cumulat plenitudine gratiarum. Is totus, integer, ſuper plenus intra ſolius Mariæ aluum clauditur, vt Mariana gratiarum abyſſus longè ſuperet vaſtiſsimam plenitudinem maris. Etenim mare omnia flumina intrant, ſed tamen vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant, ſicque perſpicuis remoribus quot flumina maris alueum intrant, tot alibi erumpunt. At Marianam abyſſum vniuerſi conueniunt fontes gratiarum, nec per nouem menſium curricula inde exeunt, ſeſe eius mente ſtannantes, & vtero. Excipe paruas guttulas, quibus tunc temporis ſancti ex ſuper pleno Mariæ ſtagno rigabantur, quando in ſola Maria integer, & plenus erat fons gratiarum. Gen. 2 ſic habes. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita.* Quaſi extra Paradiſum fluuius haberi non poſsit, niſi diuiſus, & in minuta fruſta ſecatus. Ad eum modum gratiarum fluuius, qui diuiſus, & guttatim ſectus ab alijs creaturis habetur, in ſola Maria indiuiſus, & plenus ſtannatur. Id ponderat Cellenſ. Abb. lib. de panib. cap. 12. dicens. *Quia ſimul collecta gratiæ plenitudo nullatenus creaturæ humanæ capacitate poteſt apprehendi, in quatuor capita dicitur diuidi: priuilegio tamen filij ſui ſupra totius creaturæ meritũ Mater Dei, tota Deitatis gratia eſt ſuperfuſa.* O quàm exundauit aluus Mariana, quando qui diuiſus fluuius alios replet vniuerſos, inibi totus clauditur; Clauditur, inquam, inibi fluuius gratiarum, adeo vt ex quo intrauit Mariana viſcera, nunquam inde exierint diuina fluenta. Quod innuit Angelus, quando dixit Luc. 1. *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*: hoc eſt, nunquã non tibi aderit totus influxus gratiarum, ita exponit D. Athan. dicens. *Quam virtutem per omnia tempora conceptus eam habuiſſe confido, & poſt conceptum, eam retinuiſſe: neq; enim id temporarium in Virgine acciaiſſe opinor, ſed per omnia tempora hoc illi datum fuiſſe.* Itaque influunt in Mariam omnes fontes gratiarum, & non effluunt, intrant Marianam aluum omnia flumina, & nunquam exeunt, vt pene immenſam eius gratiarum abyſſum expaueas.

*Gen. 2.*

*Cellen.*

*Luc. 1.*

*Athan.*

*Hilar.*

### §. II.

### *Primùm tibi diuinam gratiam, quàm alijs procura, nec niſi de pleno alios riges.*

IAM illud, *Concipies in vtero*, ponderandum eſt, quo naturalem fœtus moram, & inhabitationem in vtero virginali explicat Angelus, vt confundat illorum mendacia, qui vt ingentem Deiparæ debitam tollant gratiam, contendunt in eius vtero Ieſum, nec conſtitiſſe, nec aliam illi gratiam communicauiſſe, præter eam, quam aqua communicat canali, per quem curſum tranſit. Contra quos ſtat illud Gregor. Nazianz. ad Cledonium, recitatum in Synodo Epheſina, nimirum. *Si quis ſanctam*

*Nazian.*

*ſanctam Mariam Deiparam non credit, extra Diuinitatem eſt. Si quis Chriſtum per Virginem, tanquam per canalem diſcurriſſe, ac defluxiſſe, & non in ea diuino modo, quia abſque viri opera, ſed humano, quia procreationis lege, firmatum eſſe dixerit, in ſimili impietate verſatur.* Expendo illud, *per canalē*, quo verbo, agnoſco ſenſum intentum â Theologo, nimirum, quod Maria non canalis, ſed fons verus extiterit humanitatis Chriſti, deinde pondero & aliud, quo ſcilicet Maria non quaſi canalis in ſolo tranſitu ad alios Ieſum habuerit, ſed quaſi fons ſibi diutius detinuerit, & non niſi de pleno ad alios effuderit. Huic excogitationi lucem prætulit D. Bernard. ſer. 18. in Cant. vbi aſſerit. *Bernar.* *Si ſapis, conchā te exhibebis, non canalem: hic ſiquidem penè ſimul & recipit, & refudit, illa verò donec implea tur, expectat, & ſic quod ſuperabundat, ſine damno ſuo communicat, ſciens maledictum, qui partem ſuam facit deteriorem.* Ergo Maria non vt canalis, quod accepit gratiæ fluentum, ſtatim ad alios refudit, ſed vt concha, prius ſeſe per nouem menſes impleuit, meliorem ſuam partem efficiens, & ſic de ſuper pleno, ad alios fluenta exire cupiuit. Vtinam ſic omnes non canales ad alios, ſed conchas nobiſmet ipſis prius eſſe velimus! Actor. 7. magnus ille Simon aiebat: *Act. 7.* *Date mihi poteſtatem, vt cuicunque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum.* Proh ſeductor! ad alios iſte gratiam requirit, non ſibi, non vult eſſe concha, vt de pleno fluat, ſed canalis, vt alijs abūdet. Illum bene mordet Chryſoſt. homil. 18. *Chryſoſt.* *Oportebat petere, vt ipſe accipiat Spiritum ſanctum; at ille, quoniam hoc ei non erat curæ, vt de alijs petit.* Nonne ſimili laborabat inſania dives ille apud Lucam cap. 16. dum á flammis ait. *Luc. 16.* *Rogo te, pater Abraham, vt mittas eum in domum fratris mei; habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, &c.* Quām nefaria charitas, ſui oblitum in animæ diſcrimine, aliorum meminiſſe! Pulchrè D. Greg. *Gregor.* lib. 8. mor. cap. 8. inquit. *Flammis vltricibus traditus non ſibi, ſed opitulari fratribus cupiuit.* Hinc meritò D. Bernard. ſerm. 2. ſuper Miſſus eſt, veteri Ioſepho præfert Ioſephum ſponſum Mariæ dicens. *Bernar.* *Ille frumentum ſeruauit non ſibi, ſed omni populo, iſte panem viuum é cœlo ſeruandum accepit, tam ſibi, quàm toti mundo.* Verè in hoc coniux Mariæ, eiuſque imitator virtutum, quando prius ſibi accepit fluentum diuinum, & non niſi de pleno ad alios refundi permittit.

(·.·)

## §. III.

### *Vtrum Maria in homines liberalior ſepulchro, quando ſepulchrum poſt tres dies, Maria per nouem menſes nobis reddidit Chriſtum.*

MVLTVS eſt Auguſt. ſer. 113. in extollenda ſepulchri Domini gloria, imò conferens natiuitatem Chriſti ex vtero Marię, cum natiuitate è ſepulchro, ſic fatur. *Auguſt.* *Religioſior eſt planè iſta natiuitas, quàm illa; illa enim corpus mortale genuit, totius mundi Dominum, nouem menſibus in vtero clauſum tenuit; hæc autem triduo tantum tumuli gremio cuſtodiuit. Illa cunctorum ſpem tardius protulit, hæc autem ſalutē citius ſuſcitauit.* Ideo ne Maria ſepulchro auarior, quia tardius dedit Theſaurum mundi? imó inde ſepulchro in homines Maria extitit liberalior. Enimverò ſepulchrum, vt tertio die redderet Ieſum, vim maximam paſſus eſt, vt tremor ille teſtatur, quo concuſſum apparuit. Inſuper ſepulchrum nil contulit egreſſuro Domino, nec eius egreſſum parauit. Verùm Maria in homines liberalior, vt inſitum verbum accepit, ſemper operata eſt, vt nobis naſceretur filius, quem per nouem menſes excoluit, maturauit, aptauit ad natiuitatem. Vnde D. Zeno ſer. 4. de Natiuit. ait. *Zeno.* *Parturit Maria non dolore, ſed gaudio, naſcitur ſine patre filius, non totus matris, ſibi debens quod conceptus eſt, donans matri quod natus.* Etenim à materna efficacia habuit, quod vtero adoleſceret, & maturo tempore nobis eſſet natus. Eius conceptio adſcribitur Spiritui ſancto, naſcendi autem tempeſtiuitatem debemus actiuitati Marianæ. Id caluit Theodotus, homil. ſæpe aliàs citata, dicens. *Theod.* *Paradiſo glorioſior facta eſt Maria: ille enim Dei cultura factus eſt, hæc autem ſecundum carnem, Deum coluit, eligentem hominis copulari naturæ.* Seſe iactaret Paradiſus, quod à Deo fuerit excultus, quod in ſe experiretur manus diuinas: ſed maior eſt gloria Mariæ, quæ ſuas manus impoſuit operi diuino, quæ Deum ipſum liliorum ſepi vallans, in vtero ſingulariter coluit, & excoluit, vt maturo ſui ventris fructu homines viuiremus. Paradiſus à Deo excultus occiſimè ſeſe fudit in fructus, qua hora diuinas præſenſit manus, fructibus plenus fuit, eoſque homini propinauit. Væ homini, qui tam precocis, & acerbi fructus damnum experitur, & pœnas luit. Huc ſpectat illa vulgò

*Hierem.* vulgò iactata querela apud Hierem. 31. & E-
*Ezech.* zech. 18. nimirum, *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.* Inde Paradiso gloriosior facta est Maria, quæ gratiæ fructum Iesum in vtero suo sic excoluit, vt paulatim, & per tempora, incrementum accipiens, acerbitatem pristini fructus toleret, & dulcis, & maturus, & tempestiuus parturiretur hominibus. Sic Georg. Nicomed.
*Georg.* antistes dicit. *Maria est, quæ ascendit ex li-*
*Nicom.* *bano virginitatis, & mundum perfudit vnguento. Ex qua dulcedo diffluens veterem amarorẽ ligni dulcem reddit.* Ecce tibi quã nobis vtilis fuerit longæua Mariani partus expectatio! cultura enim diuina Paradisum fecit in fructus festinare, qui ex festinatione immaturi, & acerbi extiterunt generi humano. Mariana cultura fecit Dominum in vtero tardare, & maturescere ad partum, vt sic veterem amatorem ligni decoqueret, & nobis dulcis-
*Tertul.* simum fructũ ventris sui donaret. Vnde Christiana respiciens tempora Tertul. lib de Monog. cap. 7. ait. *Desierunt vuæ acerbæ à Patribus manducatæ, filiorum dentes obstupescere.* Desierunt equidem vuæ acerbæ; sed ex cultura Mariæ, qua diuinus fructus, & maturus, & tempestiuus nobis in plenitudine temporis apparuit.

## §. IIII.

### *Non repentè ad virtutis fastigium euolandum, sed paulatim, & per gradus.*

CONVENITE huc vos omnes, quos vel horaria expectatio diuexat, qui de Christo concepto grauidi, ad partum curritis, & infantiam pertæsi subito transformamini in virum perfectum, in ętatem perfectam plenitudinis Christi. Ecce Maria concipit Deum in vtero, & per decem spatia mensium paulatim sustinet augeri, & perfici corpus diuinum. Etenim ait D. Zeno serm de Natiuit.
*Zeno.* *In hominem coaptatus integumento carnis includitur Deus, humanamque vitam mutuatur de tempore, qui prostat temporibus æternitatem* Quid est, humanam vitam mutuatur de tempore? Sanè qui æternus est, moras temporis satagit expectare, & amat humanos subire progressus paulatim per temporũ ætates, vt prius pusio, dein puer, statim iuuenis, postea vir, pulchritudine sua prosperè procedat, & regnet tempestiuitate Non aliter Maria Deum voluit habere, nisi etiam illum de tempore mutuans, membrorum, in vtero per temporis moras expectans maturitatem. Sic illa Dei amatrix, Cant. 1. ait. *Botrus cypri dilectus meus mihi*: non adhuc vua, non mustum, non vinum optimum, & perfectum, sed tantum botrus, nimirum gemmula, siue flos, & tamen in gemmula, & flore gaudet, patienter sustinens, quod per temporis incrementa liceat maturum, & tempestiuum fructum capere. Do in præsenti Origen homil. 2 sic fan- *Cant. 1.*
tem. *In quibus verbum Dei vitis vera efficitur, non eis ad summum maturos botros producit, & dulces, nec repentè eis efficitur vinum suaue, & lætificans cor hominis, sed prius producit eis suauitatem odoris in florem. Botrus hic florens monstratur esse in vineis Engaddi, vt gratia flagrantiæ ipsius immittatur in initijs animæ, vt post hoc pati possit acerbitatem tentationum, quæ propter verbum Dei credentibus excitantur, & ita demum maturitatis eius dulcedinem præbet.* *Origen.*
Sic qui sapit, nec subito velit altum sapere, per ima ascendat ad summa, per inferiora, superiora petat, prius lætetur in botris, & post modum aspiret ad nouum illud cœlestis regni vinum, per infantiam crescat in virum perfectum plenitudinis Christi. Felix illa mulier. Matth. 26 Christum recumbentem cum discipulis suis vnguento pretioso perfudit, quã acriter mordebant discipuli, quod melius videretur eis, si vnguentum venderetur, & illius pretio pauperes viuerent. Quid? verum ne est hoc, an satius esset vnguentum venundari ad pauperes alendos, quàm illo perfundi Christum? Equidem perfectius illud opus existimat D Chrysost homil 61. ad popul. & nihilominus ait, iure increpitos fuisse Apostolos à Domino, quod ex nouella discipula id quod perfectius erat, statim requirant, quando tyrones non subito ad somnia trahendi, sed per gemmulas, & flores exhortandi, vt expectent maturos fructus *Quoniam adhuc imperfectius erat affecta, ipsam autem illi fatigabant, eam consolans hæc dicebat: Vt quid molesti estis huic mulieri? Ne mulieris fidem, tunc germinantem discipulorum increpatio tabesceret.* Expende illud tunc germinantem, quippe per germen, ad florem, & fructum itur, nec prius fructus, quàm germen exquirendus. Hic non possum non meminisse quosdam prælatos, & magistros spirituales, qui nimis grauantur filiorum imperfectionibus, nec sustinent expectare tempus tempestiuum vteri, donec formetur Christus in eis, sed in infantia requirunt virum perfectum, & in nouellis, & imperfectis plantis stat moderũt, vel germẽ luxurians sine fructu, & sæpius clamãt, *Si sic futurũ erat, melius esset non concipere.* Vt festinissimi non ferẽtes vteri moras, amant *Mat. 26.* *Chrysost.*

sæpius abortiri,& informes,imò deformes fœtus excludere. Illos pulchrè conuenit Bernar. serm.12.in Cant.Moysis exemplo,qui rebellibus filijs misericordiam à Deo expostulans aiebat. Exod 32 Aut dimitte illis hanc noxã, aut dele me de libro vitæ. Tunc sic Bernard. *Neque Moyses vellet solum se introduci in gaudium Domini sui, foris scilicet, remanente populo, cui licet inquieto, & ingrato, vice pariter, & affectione matris inhæret. Dolet viscera, sed tolerabiliorem sibi iudicat torsionem, quàm exclusionem.* Ergo discant prælati viscerum torsionem, fastidia veteri tolerare, donec in filijs Christus efformetur, discant subditi imperfecti iacere, & paulatim per incrementa temporis in perfectã ætatem euolare.

Exod.32

## §. V.

## *Mariæ in vtero Christum habentis desideria.*

ARDENTISSIMIS Saluatorem videndi desiderijs antiqui Patres æstuabant,sed omnes lõgè superauit Maria,vt quæ ardentior erat,& Deo proximior, intra viscera continebat infantem. O quoties tunc repetiuit illud Rupert. aientis. *Quam veraciter ille te appellauerit desiderium collium æternorum, ego maximè experta sum in visceribus meis.* Enim verò tot in eius pectore ebulliebant desideria, tot ardebat ipsa flammis,vt omnium priscorum desiderijs in vnum collectis,sola videretur agi. Nullus ardentiores preces,& lacrymas obtulit,nullus calentiora emisit suspiria. Audisti Seraphin illa apud Isaiam cap 6. Deo stantia, quæ simul & binis alis quietis Deum obnubilabant, & alteris extensis alis sine requie præ nimio desiderio volabant?Ecce modò in illis Maria delineata, quę Seraphinis ardentior,& Dei amantior,Deum simul in summa requie veri velamine contegebat, & totis præcordijs, crebris desiderijs videndi illum afficiebatur. Apoc.12. protenditur cœlestis hæc fœmina de amictu Solis clara, de stellarum corona glorioſa, de subiacenti Luna excelsa,sed etiam dicitur,quod *in vtero habens clamabat parturiens, & cruciatur, vt pariat* Siccine parturit Virgo Maria? Siccine cruciatur,vt pariat? Equidem cruciatur Maria,vt pariat,non eo dolore,quo cę teræ excruciantur matres, sed vehementi desiderio videndi natum. Excruciat enim desiderium vehemens amantes: excruciat longa expectatio concupientes animos; cur ergo vehemens desiderium, cur expectatio boni summo ardore concupiti virgineum pectus non stimularent? non pungerent? non excruciarent? Apud Paul: ad Rom. 8. omnes creaturæ, etiam Angeli, vt mauult Ambros. Origen. & Theod. vehementer cruciantur, dum reuelationem filiorum Dei expectant. *Nam expectatio creaturæ*, inquit, *reuelationem filiorum Dei expectat. Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc: non solum autem illa, sed & nos ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes.* Vbi ergo omnis creatura, etiam cœlum, etiam sanctissimi viri, etiam beati Angeli parturiunt, & ingemiscunt reuelationem filiorum Dei expectantes: nihil mirandũ, quod Maria, cuius expectatio maior, cuius desiderium ardentius, cuius amor exuberantior, expectans reuelationem filij Dei à se nascituri, clamet parturiens,& crucietur,vt pariat. Quò crediderim spectasse D. Zen. serm. 4. de Natiuit. dum de Deo vtero clauso virginali,sic fatur. *Interea promouent suum membra factorem, & opus, sui figura vestit artificem Parturit Maria non dolore, sed gaudio.* Expendo illud, parturit, hoc est, pariendi sustinet cruciatus, sed non illos, quos parientium dolor, disruptioque membrorum causat, sed quos vehemens expectatio, ardens desiderium, & ab spe certa ortum gaudium intimis solent inferre animis. Siccine dum fœtus in vtero perfectè figurabatur, parturit Maria, & cruciatur non dolore, sed gaudio, quo & ipsi beatissimi Angeli cruciantur. Hinc eleganter à B. Epiphan. dicitur Maria Verbũ concipiens, *Thronus Cherubicus, cruciformis, & cœlestis.* Quasi vellet, quod inter Cherubicas, cœlestesq; virtutes, quibus in vtero thronum Deo parauit, noui statim illi assurrexerunt cruciatus, vt simul Deum sustentans, & gloria affecta,& desiderijs vehementibus agitata,& Cherubim,& cœlum,& crucem repræsentaret.

Rupert.

Apoc. 12

Ad Ro. 8

Zeno.

Epiph.

## §. VI.

## *Vehementes expectationis amplius expenduntur cruciatus.*

ILLE Marianos in expectando Saluatoris partu cruciatus iusto pondere pensabit, qui eius fidei certitudinem nouerit ponderare. Sanè ille felix latro cruci suffixus erat, ea fide qua clamauit, *Domine memento mei, dũ veneris in regnum tuum.* Quam vocem sic stupet Augustin. serm 119.de tempore,vt prę illa parui ducat reliquos latronis cruciatus.

Luc. 23.

Traditus

Traditus enim erat latro crucis tormentis, sed illa voce fidelem mentem tradebat tantillæ expectationi de regnō à Iesu dando, cum primum animam agat, & prætermissis crucis doloribus, fidelem mentem dolet Augustinus expectatione vexarijait enim: *O latro, quid in futura sæcula fidem in te perfectam fatigas?*

*August.* Ecce tibi Augustini acumen non miratur hominem dolores mortis sustinentem, & miratur, & dolet fatigationem credenti animo aduenturam ab expectatione ad summum horaria! Cur in futura sæcula fidem perfectam fatigas? & si Iesus in regnum properet, cur vt perueniat vis expectare? an nescis fatigationē expectationis fideli animo esse maximam, excedere reliquos cruciatus? Hinc conijce

*Ioan. 4.* quàm aptè Dominus. Ioan. 4. Apostolorum labores conferens cum laboribus priscorum Patrum, ait: *Ego misi vos metere, quod non laborastis. Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introeistis.* Quæ huius sententiæ veritas? Prisci Patres coniugij gaudia potiti sunt, bona terræ comederunt, in diuitijs multi, in victorijs illustres, in regnis clari, in filiorum, charorumque sinu occubuerunt, sepulti in senectute bona. Verùm Apostoli in fame, & siti, in frigore, & nuditate tentati sunt, excruciati sunt, ferro, flammisque extincti. Cur ergo hi præ alijs dicuntur non laborasse? An crux suauior, quàm mollis lectus? An paupertas mitior, quàm rerum abundantia? An terra mortem, crucemque minitans lætior, quā terra lacte, & melle manans? Sanè priscos Patres credentes vna vexabat Saluatoris expectatio, & in huius comparatione nullus est alius

*Rupert.* labor. Ita Rupert. in præsenti fatur. *Illi credentes, & sperantes credendo, & spectando fidem, & spem suam in propagationem carnis suæ, tanquam in bona terra gratiæ Dei committentes, seminauerunt, euntes, & flentes, & semina sua mittentes. Et ecce nunc alij metunt, nempe vos Apostoli, qui promissionum, quæ ad eos factæ sunt, præsentem habetis effectum.* Hæc ille: sed adhuc ostendo quā sit credenti acceptior mors ipsa, expectatione, si tantum vnius meminerimus senis aduen

*Luc. 2.* tum Christi Domini expectantis. Is est Simeon, de quo Lucas cap. 2. *Et ipse expectabat consolationem Israel.* Expectabat sanè, adeo, vt præ expectatione illi mors dulcis accideret. Quid plura? Ingressurus Dominus

*Thimot. Hieros.* templum, sic diuinitus admonetur Simeon apud D. Thimoth. Hierosol. *Surge senex, quid dormis? tempus, quo oraculum expleri debet, iam adest, matura cito, præsto est enim, qui te absoluet. Excute necrotaphia, funereasque sindones, præpara sepulchrum, dispone domui tuæ, adest qui te missum faciet.* Perpende quę so, quibus putet Timotheus posse deliniri expectantis animum, nimirum, ostenso funere, annuntiata morte. Etenim expectatione mors ipsa suauior, animo expectanti haud ingrata mors, dum ab expectatione soluatur. Hinc iā facile erit Mariæ expectantis ponderare cruciatus: ô quàm fatigabatur eius perfecta fides in expectando! ó quàm ipsa expectatione laborabat præ omnibus! verè cruciformis, verè martyr, & plusquam martyr.

## §. VII.

### *Expectatio Mariæ digna imperio.*

EA erat Maria, quæ etsi vehementer concupiebat Saluatoris partum, tamen incredibili patientia, vteri tempora obseruabat, quibus maturè, & tempestiuè benedictus sui ventris fructus in terram caderet. Et quidem decebat cœli, terræque Reginam adeo patiēs expectatio: quippe D. Ambros. iustissimam *Amb.* electionem, qua Salomon in regnum fuit euectus â patre, inde colligit, quod cæteri fratres, etsi natu maiores, ita impatienter in regnum anhellabant, vt nesciuerint illud ex parte expectare. *Vnde eò vsque precauit Dauid, vt cum Adoniam filium, regnum sibi vsurpare comperisset, & gerere conuentus, non eum, qui præripere gestiebat, sed eum, qui expectaret, eligeret* Sic Ambros. in Apol. Dauid cap. 6. & meritò Dauid expectationem Salomonis coronauit, quando nimis propera festinatio Saulem à regno deturbauerat. Etenim conserturus Saul cum hoste manus, iussus fuerat à Propheta, vt se cōtineret tantum sex diebus; ille autem moræ impatiens, expectare nesciens, ad bellum festinauit, vbi primum imperij ruituri omen accepit. Id quod eleganter attigit Theodor in 2. reg quæst. 29 aiens. *De* *Theod.* *nunciauit Samuel Sauli, vt eum expectaret sex dies, & deinde cum ritè sacrificasset, instrueret aciem Saul autem non expectauit Prophetam, vnde cum eum sacrificantem deprehendisset Propheta, vehementer eum increpauit, & prædixit regni priuationem.* Ecce tibi vna patiens expectatio, vel Reges exuit, vel inauguratur. Imò crediderim ab expectatione Mariæ manifestatam fuisse eius regiæ maternitatis dignitatem, & robur illud, quo negotia populorum suo subiecit placito. Huic excogitationi facem prætulit inclyta illa Hebræorum lux Iudith, cuius conciues adeo erant ab Holopherne, in angustum dedu cti, vt iam iam vrbis deditione obsidionem

vellent euadere. Tunc exurgens Ozias cap. 7. ait. *Aequo animo eſtote, fratres, & hos quinque dies expectemus à Domino miſericordiam; forſitan enim indignationem ſuam abſcindet, & dabit gloriam nomini ſuo. Si autem tranſactis quinque diebus non venerit adiutorium, faciemus hæc verba, quæ locuti eſtis.* Meritò Ozias expectationi totum committebat negotium; ſed malè intra certos dies expectationem ſuam arctauit. Audiuit Iudith
*Iudith. 7* Oziæ puſillanimem expectationem, vocat virum, præſentem alloquitur. *Quod eſt hoc verbum, in quo conſentit Ozias, vt tradat ciuitatem Aſſyrijs, ſi intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? Et qui eſtis vos, qui tentatis Dominum? Expectemus humiles conſolationem eius, & exquiret ſanguinem noſtrum de afflictionibus inimicorum noſtrorum.* Hanc illa expectationem populo perſuaſit, & ſummam rerum inter milites, inter arma, mulier obtinuit. Id quod expendens D.
*Ambr.* Ambroſ. lib. 3. off. cap. 13. inquit. *Quanta honeſtatis authoritas, vt conſilium de ſummis rebus fœmina ſibi vendicaret, nec principibus populi committeret? Quanta honeſtitatis authoritas, vt Deum adiutorem præſumeret, quanta gratia, vt inueniret?* Vna equidem magnanima expectatio præfecit fœminam principibus, & fortiſsimis viris: ne mireris Mariam omnibus creaturis fuiſſe prælatam, quando ingenti patientia nouit Saluatorem vtero ſuo morantem expectare. Hanc ex-
*Cant. 2.* pectationem commendabat illa Cantic. 2. dicens. *Adiuro vos filiæ Hieruſalem, per capreas, ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis, nec euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.*
*Philo Carp.* Quæ verba ad Chriſtum venturum referens Philo Carpatius, ait. *Adiurat ne excitent deſiderium ſponſi ad ipſam; ſed vt quando velit, & ſecundum beneplacitũ maieſtatis ſuæ, pro illa terreſtri fungatur legatione redemptionis.* Hæc erat Mariana cura inter ardentia deſideria, ne ante tempus excitaretur dilectus,
*Laur. Iuſt.* ſed vt ſecundum beneplacitum eius aut tempeſtiuè veniret, aut tardaret. Hinc D. Laurẽt. Iuſtinian. ſerm. de Annunt. ponderat, quàm afficiatur Saluator expectantium amore, fatus. *Verbum in vterum Virginis deſcendit, vt ſpem daret laborantibus, peccantibus indulgentiam, diligentibus pacem, atque expectantibus mercedem.* O quàm gauderet expectatione matris, qui in eius vtero expectantibus mercedem parabat.

## CAPVT XI.

## De Purificatione Virginis Mariæ, eiuſque ad templum aduentum poſt partum.

DVPLICI lege cautum erat apud Moyſem, ne fœminæ poſt partum templum adirent, antequam quadraginta dies purgationi ſacratos expectaſſẽt, quibus tranſactis, oblatura Domino prolem accederet. Qua lege ſolùm tenebatur fœmina, cuius partus, & peccato prolis, & ſanguinis fœcibus conſpurcabatur. Vnde Maria, quæ inuidente ipſa puritate, iuſtitiæ Solem nobis peperit feliciſsimo, nitidiſsimoque partu, vbi nullum dedecus, nulla macula, nulla priſtinæ maledictionis ſuſpitio videbatur, â purificationis lege prorſus erat Verùm perfecta æmulatrix diuini fœtus, vt ille circunciſionis notam eſt amplexatus, ſic illa Sole purior, purificationis legem obſeruat. Igitur illo die ſide quãta aperiantur Dei magnalia; lumen diuinum apparet, Simeon Deum infantem vlnis ſuſcipit, adeſt prophetans Anna. Maria ſiſtit Domino, & redimit primogenitum, purificationiſque Moſaicæ abſoluit ſacra. Nos autem miſſo Dei, & Simeonis, & Annæ occurſu in librum ſequentem cap. 9. ad ea, quæ propria Mariæ fuerunt, properamus.

*Luc.* 2. Poſtquã impleti ſunt dies purgationis eius ſecundum legẽ Moyſi, tulerunt illum in Hieruſalem vt ſiſterent eum Domino, (ſicut ſcriptum eſt in lege Domini: quia omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur.)

### §. I.

*Maria mulier eſt illa, quæ euertit domum, & accenſa lucerna perditum inuenit hominem.*

EV Quàm malè perdidit hominem mulier! Sed crediderim hodie per mulie-

rem

rem recuperandum. Hodie beata mulier Maria poſt Deum conceptum, poſt virgineum partum, poſt puriſsimum puerperium, poſt legis ferè omnis, & ordinis naturalis euerſionẽ, adit templum, portans in vlnis lucem increatam. Quis tam perditus homo reparationem ſuam non ſperabit? Apud D. Lucam cap. 15. *Mulier perdidit decimam dragmã, & dragma perdita, accingitur ad inueſtigandum, ac cincta domum euerrit, vt acceſa candela perditam dragmam reſtauret.* Ecce modò tibi, quem hominem mulier perdidit, mulier Maria qualiter ſe comparat, vt reſtauret. In primis domum euertit, hoc eſt, totam naturam tranſcendit, nullum in conceptu, neque in partu, neque in puerperio ſeruat ordinem, ſeu legem naturalem, nullam naturæ legem non frangit. Conceptura Deum dicebat Angelo. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Vbi acutè, vt aſſolet Chryſolog. ſerm. 142. ait. *Mulier, quem virum quæris, quem tu in Paradiſo perdidiſti? Redde virum, mulier, redde depoſitum Dei, redde ex te quem perdidiſti per te: prætermitte naturæ ordinem, recognoſce ordinem creatoris.* O felix mulier, quæ hominis perditi damna potes reſtaurare! à qua fidentius poteſt exigi, vt quem virum mulier dedit perditioni, ipſa mulier reſtituat ſaluti, quando lumen indeficiens manibus geſtans accedit templo, poſt totam domum euerſam, nimirum, poſt legem naturæ ſuperatam. Iuſſus fuit Simeon templum adire, vt in mulieris manibus facem videret, cuius lumine perditæ gentes erant reſtaurandæ. Quid plura? Inter fœminarum examina, vnã dignoſcit Mariam inuentricem ſalutis humanæ. Vnde illã noſti, ſenex bone? Vnde inquã noſti nullam tot fœminarum ad inueniendum hominem accingi, prẽter vnam Mariam? A Ieſu quæſiuit aliquando Nathanael. Ioan. 1. *Vnde me noſti?* Cui ſtatim Ieſus ait: *Cum eſſes ſub ficu, vidi te.* Vbi Eucherius lib. formal. ſpiritual. explicat. *Cum eſſes ſub ficu, id eſt, ſub peccato originali, vidi te redempturus.* Hinc, ex illius antiquæ arboris vmbra cognouit Ieſus Nathanaelẽ. Hinc etiam diuino nutu ſenex Simeon cognouit omnem illam mulierum multitudinem non præparari ad humanam ſalutem inueniendam, quia omnes illas ſub primæua ficu animaduertit, nihil proſpexit in illis non olens, & referens naturalis propaginis contagium. In vna Maria tota corruptæ naturæ domus euerſa erat. Omnis lex peccati, & maledictionis in partubus in Maria erat ſuperata, & fracta, & ab eius manibus accenſum lumen gentium coruſcabat. Sic D. Timotheus Hieroſol. orat. de Simeone fatur. *Iuſtus Simeon oculos huc, illucque circumferens vidit quidem multas mulieres, verùm ſingulas ſchemmate, ornatuque humanæ naturæ proprio affectas; ſolam autem Virginem quodam diuino, infinitoque lumine circumfuſam animaduertit.* Illæ inuentrices hominum, mortis inuentrices, & muliebre naturale ingenium, & infectæ naturæ ordinem præſeferebant; ſola Maria naturam anteuertens, perditi hominis reſtauratrix templo apparet, euerſa naturæ domo, nihil priſtinæ arboris nullum naturalis propaginis ordinem ſeruans, ſed & diuino fulgore coruſcat, & diuinitatis lumen manibus præfert, vt accinat Alcuinus. *O Virgo lampas luculẽtiſſima, quantos lætificaſti, quando ſplendore gloriæ Dei illuſtrata deſideratum illud lumen, quo inuenta eſt drachma decima ſedentibus in tenebris, & in vmbra mortis protuliſti.* Exultate viri, iam proculdubio inuenienda erit veſtra ſalus, ecce corruptæ naturæ domum euerſam à muliere, quæ Deum de Deo, lumen de lumine hodie geſtat, vt è medio vmbræ mortis ſalui, & liberi inueniamur. Non lõgè abeſt Epiphanius, vbi ait *O Virgo ſanctiſſima, quæ exercitus Angelorum in ſtuporem deduxiſti! Stupendum enim eſt miraculum in cœlis, mulier amicta Sole; ſtupendum miraculum in terris, mulier geſtans lucem in vlnis.* Expende quot miracula in virgine congerantur; mulier cœleſtibus ſe ingerit, natura illa labilis, quæ à ficu veſtimentum quæſiuit de ſubradijs Solis amicta claret, quæ mortis tenebras propinauit, quæ latebras ſuggeſsit, hodie geſtat lucem in vlnis. Quis tam miſerè perditus eſt, qui nequeat tanto ſub lumine inueniri? Quis tam captiuus in legem peccati, qui non ſperet reparari per fœminam, à qua leges confringuntur peccati, & penè euertitur domus naturæ lapſæ.

Luc. 15.

Luc. 1.

Ioan. 1.

Eucher.

Timoth. Hieroſ.

Alcuin.

Epiph.

## §. II.

### *Ingenuum eſt non expectare præſcriptum legis ad bene operandum.*

MOSAICÆ legi innutrita Maria ſummam inde commẽdationem accipit, quod Angelis purior, nullique legi puerperij ſubiecta, purificationis tamen legi obtemperarit. Enim verò quod tanto ditata ventris fructu legalem obſeruantiam non deſpexerit, ingenuum eſt, regiũ eſt, diuiniſsimum eſt. Agar illa Sarę ancillula Gen. 26. vbi ex Abrahamo filiũ concepit, ſtatim *deſpexit dominã ſuam*, quod ſeruorũ ingenium bene ibi notauit Lyp pom. dicens. *Meliorem ſe putat domina ſua,*

Gen. 26

*non fert fortunæ ſuæ ſortem niſi ſeruiliter.* Quid magis ſeruile, quam debitam obſeruantiam deeegare? Quid magis ingenuum quam ad indebita etiam officia exurgere? Sane qui debitum pendit honorem, aut tributum, is ſeruus eſt, non ingenuus, non princeps, nil enim magis ingenuum, magiſque diuinum, quam id efficere, ad quod nulla lege teneris. Accipite in vno Chriſto Domino, quid regius, & diuinus animus, quid forma ſeruilis operata ſit Ioan. 2. rogat mater, vt vini defectum in nuptijs ſuppleat; cui ille reſpondit: *Quid mihi, & tibi mulier?* Quaſi diceret: quid ad nos pertinet, cuius noſtri debiti obligatione, nos pungit hæc vini cura? Hoc notans D. Cyril. Alex. lib. 10. Theſauri, cap. 2. ait. *Quid mihi, & tibi, mulier, vt homo dicebat, & aquam in vinum vt Deus conuertebat.* Seruilis forma obligationem examinabat ab indebito officio, & munere & ſe, & matrem arcebat; verum diuinitas innata quo magis indebitum officium putabat, eo cupidius ſeſe in illud accingebat. Apertius adhuc hunc Ioannis locum verſatur D. Greg. Niſſen. orat. in illud Pauli, tunc & ipſe filius ſubijcietur ei, vbi ait. *Quid mihi & tibi mulier? Vis ne, me ante tempus præeſſe, aut imperare? Non dum venit hora mea, quæ præbet ætati, vt imperet, & ſit ſui iuris.* Quaſi idem eſſet indebitum officium præſtare, & innatam ingenuitatem, & regium, imperatoriumque animum exercere. Ea igitur eſt ingenuitas Mariana, is regiùs, imo diuinus in illa vigebat ſpiritus, quo ad indebitam legum obſeruantiam accingitur, & eo velocius properat ad templum, vt filium Deo ſiſtat, quo ex nullo legis præſcripto ad id tenetur. Eleganter D. Chryſoſt. hom. 24. in epiſt. ad Epheſ. componit votum Annæ ſamuelis matris cum ſacrificio Abrahæ, quando filium Deo litabat. Etenim Anna 1. Reg. 1. ſic precatur. *Domine exercituum, ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ, dederiſque ſeruæ tuæ ſexum virilem, dabo eum domino omnibus diebus vitæ ſuæ.* Ad hæc Chryſoſt. inquit. *Ipſa erat Abrahæ filia, ille poſtquam petitus erat, filium ſuum obtulit, iſta vero ante petitionem dedit* Vtriſque longè præſtantior Maria, quæ abſque vllius legis obligatione, ante petitum, quem filium à Deo liberaliter accepit, ipſa hilariter, & liberaliter reddit.

Ioan. 2. — Cyril. — Niſſ. — 1. Reg. 1. — Chryſoſt.

## §. III.

### *Maria virgo in oblatione filij, maximè glorificata eſt.*

TALENTVM dum ſudario in voluit, in volutumque recondit piger ille apud Lucam, & talentum perdidit, & iram diuinã incurrit. Prudentius Maria talentum mundi Chriſtum, & pannis in voluit, & in templum cum illo proſilit, ſalutem humani generis negotiatura. Sic bonos negociatores hortatur dominus Ioan. 12. *Ambulate dum lucem habetis.* Maria optima negociatrix lucem increatam potita, non ocioſa ſedit, non ſe tenebris abdidit, ſed egreſſa domo, feſtina in templũ abiens lucem ſacris aris intulit, ingentemque inde ſibi gloriam acquiſiuit. Pulchrè Iſaias, cap. 60. accinit. *Surge illuminare Hieruſalẽ, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuperte orta eſt* Nec credendus eſt euangelicus vates locutus fuiſſe ad illam Hieruſalem, quæ occidit Prophetas, cuius oculi caligauerant, ne viderent lumen, vt bene Adamus notat: ſed nouam aliam Hieruſalem alloquitur; crediderim ego, Mariam. An non Maria potita eſt diuinum lumen? An non Maria illuminata, & illuminatrix? Equidem Maria ſurrexit, & accipiens lumen mundi, ad templum iuit, & gloria domini orta eſt ſuper illam, quando ex hoc ingẽtis gloriæ radijs enituit. Eius in vlnis vt vidit Simeon Ieſum, ait. *Lumen ad reuelationem gẽtium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.* Quaſi diceret, qui vlnis tuis ſuſtentatur puer, O virgo, lumen eſt, quo vniuerſæ nationes fulgeant, & vnica Iſraelitica plebs gloriam accipiat. Ad hæc D. Chryſoſt. Iudæorum plebem indignam cenſens gloria Chriſti, Simeonis Verba examinat. An recutitorum gloria Chriſtus? An in domino glorificantur, qui mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli commedentis fœnum? Qui gloriam itẽ ſuam crucis vendiderunt ſub haſta? *Eſt tamen Propheta Simeon*, ait ille, *& dicit gloriam tuæ plebis Iſrael. Fuit enim expectantium gloria, eius, qui expectabatur, aduentus, & glorificant tum Ioſeph, tum Maria, quæ dicuntur.* Equidem ſuper Mariam de diuino lumine radiantem in templo gloria domini orta eſt. Et quomodo Maria non glorificaretur, quando tantum munus ſiſtit Deo, nimirum Chriſtum? D Irinæus lib. 34 de muneribus Deo oblatis inquit. *Non indiget quidem dominus noſtro munere, ſed is, qui offert glorificatur ipſe in eo, quod offert, ſi acceptetur munus eius* Vtinde Marianam gloriam venemur maximam, quando templum ingreſſa vnum obtulit Deo munus omnibus acceptabilius Iſaac ditaturus filium Eſau gloria benedictionis, expectabat ab eo aliquale munuſculum, ait enim Gen 27. *Fac mihi inde pulmentum, ſicut velle me noſti, & benedicat tibi anima mea.* Interea Iacob currit ad greges, agnum affert, vt cibum, & munus parenti gratum paret, & ſibi glorioſam benedictionem accipiat.

Ioan. 12. — Iſa. 60. — Adamus — Chryſoſt. — Iren. — Gen. 27.

*Amb.* accipiat. Quid plura? Accipite Amb. fantem. *Accessit ad uues Iacob, & attulit innocentiæ partus; quia Patriarchæ cibum nullum credi dit esse dulciorem, quam Christum: hunc publico parenti cibum vtilem iudicabit, quo futura erat remissio peccatorum, & ideo accepit stolam fratris.* Ideò præ fratre benedictio ne fuit ditatus, & glorificatus. Sic communis omnium pater Deus optimus maximus quotidie in templo ab Israele expectabat munus aliquod gratum, dumque carnalis populus hircorum sanguinem parat; Iacobea proles Maria templum adiens innocentiæ attulit, & puritatis partum, quia parenti optimo cibum nullum credidit dulciorem futurum, quam Christum, quo futura erat remissio peccatorum, eoque munere Maria & patri Deo placuit, & maximam sibi gloriam conquisiuit.

*Isidor.* Quam sibi gloriam meditatur D Isid Pelus. lib. 2. epist. 192 dicens. *Si pœrulus matrimonij fructus est, quo nam pacto Virgo matrimonij fructum edidit? Sic, inquam vt nec diuina natura quicquam patiatur, & quod mortale est modo quodam, qui nullis verbis exprimi posset, omnemque interpretationis vim superat, honorem accipiat.*

## §. IIII.

### *Maria liberalissima in genus humanum.*

*Epipha.* MVLTVS est D. Epiphanius in B. Maria commendanda, sed precipue cum diuinum infantem eius videt in manibus. Tũc sicutlit Marianas laudes. *Dico illam esse cælũ, thronum simul, & crucem, extendens enim sanctas vlnas Dominum portauit.* Et merito crucis dicitur Maria imitatrix, cum extensis vlnis susceptum Dominum portat, aris illum oblatura sacris. Crux equidem omnium creaturarum liberalior extensis brachijs recepit dominum, nec sibi retinuit aura, sed statim illum patri reddidit hostiam salutarem, & acceptabilem, & hominibus, quo redimi possent, precium referauit. Altera crux Maria, minus dura, sed non minus liberalis vix excepit filium, & extensis vlnis illum portat exhibendum patri, hominibusque donandum. Quod innuens Euang. ait, *& tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino.* Non ait tulerunt filium suum, vt diuinissimæ matris extolleret liberalitatem, quæ cedens iuri materno, non vt suum, sed vt mundi precium hominibus donatum, efferebat æterno Patri. Nõ didicit hoc Maria ab illa, quæ natura mater erat hominum. Hæc enim alienos, & vetitos fructus sibi subripuit, & dum vni marito, & sibi sapientiam procurat, & diuinitatem, totũ infecit, & fame enecat genus humanum. At di dicit hoc Maria à maternis Crucis brachijs; quæ statim ac fructum protulit, illum potigit mundi precium, & hostiam Deo acceptabilem. Vt hinc videantur verba illa Cant. 8. Mariæ aptari: nimirum. *Sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est mater tua.* Quibus Rup. Beda. Iustus, & Ans. cognoscunt pulchram antithesim inter crucem, & ligni scientiæ boni, & mali: Sub illa enim viuentium mater gratiæ plena apparuit, sub isto corrupta est natura in prima naturali matre; sub ligno vetito, quæ mater erat natura, naturam ligni induens aruit, putruit, nil nisi vermes pauit. Sub cruce cælestis sponsa Maria excitatur, cruci cõfigurata crucis induit, & gratiam, diuinum fructum non sibi subripiens, sed illum donans hominum vniuersitati. Et dicitur Lucæ 2. *Concipies, & paries filium.* Vbi os aureum Chrysologi sic fatur. *Nõ dixit tibi, non dixit tuũ: Quare? quia sanctum vocabitur filius Dei. Virgo tegratia præstitit matrem, non natura, genitricem te dici pietas voluit.* Sane si genitricem è natura æmularetur Maria, vni sibi seruaret diuinum fructum, sicut illa sibi subripere voluit diuinitatem, at misericordia Dei effecit, vt Maria non natura, sed gratia esset mater, non pristini corruptæ naturæ ligni, sed viuidæ crucis gratiæ existeret æmulatrix: Vt sicut Crux diuinum fructum non quasi suum reseruauit, sed hominibus donauit, sic cruciformis gretiæ æmula statim á partu materno iuri cedens, fructum diuinum patri obtulit, illoque vniuersos homines ditauit. *Cant. 8.* *Chrysol.*

## §. V.

### *Mariæ manibus diuinus fructus sese maxime ad omnes homines auxit.*

PANIS viuus erat Dei verbum â principio, sed quo cœlestes spiritus soli vescebantur, quo circa aiebat Aug. conc. 1. in Psal. 33. *In principio erat Verbũ, ecce cibus sempiternus, sed manducant Angeli, manducant supernæ virtutes, mãducant, & saginantur, quis autẽ homo posset ad illũ peruenire?* Nec mica superat à mensa illa, quã homines mãducarent, ideo fame perituri. Tandem accessit Maria, & Verbum suis sumpsit in manibus, illumque in illam segetem multiplicauit, quæ vniuersitati hominum parturiret saturitatem. *Augusti.*

Hinc

*Epiph.* Hinc Epiphan. ait. *Maria eſt ager minimè cultus, quæ Verbum velut granum frumenti ſuſcipiens, etiam manipulum generauit.* Cõpone illud granum frumenti, cum manipulo generato, & videbis quám multiplicatus ſit Angelorum panis in manibus Marianis. Grani menſuram non excedens Verbum aduenit Mariæ, cuius manibus in manipulum creſcens vniuerſo hominum generi paratur pabulum. Exiguitatem grani illius meditatus Simeon, *expectabat conſolationem Iſrael*, nimirum, quod ſoli Iſraelitæ veſcerentur illo grano; verùm vt templum ingreſſus Marianis vlnis contemplatur infantem, protinus exclamat. *Quod paraſti ante faciem omnium populorum.* Ad

*Author Græc.* hæc author Græc. in Cat. fatur. *Antequam dignus videretur beatæ viſionis, præſtolabatur ſolatium Iſrael: vt autem quod ſperabat, obtinuit, exclamat ſe vidiſſe ſalutem omniũ populorum.* Iam non vni Iſrael, ſed omnibus populis eſtimauit ſufficiens, quaſi in manibus Mariæ tantum incrementum accepiſſet, quod omnium mortalium indigentiæ foret ſatis A-

*Ioan. 6.* pud Ioan. cap. 6. beneficentiſsimũ illud Chriſti Domini miraculum celebratur, quo quinque panes accipiens manibus, ſic illos fecit augeri, vt præter innumeram puerorum, & fœminarum multitudinem, quinque millia virorum exſatiaret. Ex quo ſic D. Athan. orat.

*Athan.* de Incarn. Verb. ait. *Cum tamen paucis numero panibus, tanta vis populi alitur, & ex inopia copia repullulat. Quis aliud credet, quàm authorem earum rerum Dominũ eſſe, procuratoremque mundi?* Dixiſſem eadem de fœcunditate Mariana. Cum enim granum illud frumenti, nempe Verbum diuinũ, quod ſolos Angelos exſatiabat, à virgineis manibus non granum, ſed manipulus, ſed ſeges fiat, tot populos ſatians, quis aliud credet, quã Mariam tanti augmenti inſtrumentum procuratricem eſſe mundi?

## §. VI.

### *Præclara virtutum ſacinora ſcientiam mentis acuunt.*

MARIAM in templum gradientem, vt Deo filium ſiſtat, comitatur Eccleſia accenſis cereis, de more prudentũ virginum, qui exierunt obuiã ſponſæ, & ponſo accenſis lampadibus. O quàm diſcitur prudentia, ò quàm acuitur mentis ſapientia ex

*Cant. 1.* præclaris facinoribus manuum! Ad animam ſcire cupientem [illegible]itur Cant. 1. *Si ignoras te, ò pulcherrima mulierum, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hœdos tuos, &c.* Tunc enim ignorantiam depellit, & ſapientiam acquirit anima, ſi laborioſis inſtet officijs, ſi inſignia opera patret. Sed aptius *Cald.* Caldæus quaſi cum Maria locutus dicit. *Si ignoras te, ò pulcherrima fœminarum, egredere, & abi, & deduc filios tuos tanquam hœdos, vt appareant in domo Sanctuarij.* Adeo enim excellens eſt facinus, quo Maria Filium ſuum vnigenitum fecit apparere in domo Sanctuarij, vt vel hoc facinus eius mentem valeat illuſtrare, & omnigena prudentia condecorare. In Exod cap. 24 iuxta lectionem D Baſil. in 1. cap. Iſaiæ, dicebant Iſraelitæ: *Omnia quæcunque dixerit Deus, faciemus, & audiemus.* Nota ordinem, *faciemus*, aiunt, & *audiemus*, quaſi ex factis ad ſapientiam capiendam animum aptent. Sic D. Iſidor. Peluſ. *Iſid. Pel.* lib 4. epiſt. 81. ait. *Qui diuina præcepta in opus, actumve perducere ſtudent, ab ipſa actione diſcunt, non tam oratione, quàm actione, & opere cognitionem pariente.* Memoriam in præſenti ſubit illud Abrahami decantatiſſimum facinus, quo vnigenitum Deo litauit, à quo eam acquiſiuit ſapientiam, quam nullis ſtudijs compararet. Quæ enim ſtudia ſcientiam pariunt futurorum? Et Abraham litaturus filium futura cognoſcit, quando interro- *Gen. 22* gatus de oue, reſpondit: *Dominus prouidebit ſibi victimam.* Vnde ſciſti hanc diuinam prouidentiam? Quis tibi tam perſpicacem ſapientiam edocuit? Id ſola edocuit tam inſignis lita tionis actio. Profero D. Ephræm in Ionã, vbi *Ephræm.* ſic ait. *Lingua Abrahæ plus nouerat, quã cor, manebatque mens eius ocioſa, at lingua vaticinabatur: os cum ſoleat a corde addiſcere, hic cor edocetur ab ore myſteria futura.* Poſſunt equidem externæ operationes, præclara facta, mentem illuminare, incredibilem que ſapientiam ingerere animo. Quocirca Maria ad templum mittitur, vt Filium Deo ſiſtat, & ex tam inſigni opere, quidquid ſcire cupit, facilè capiat.

## §. VII.

### *Mariana fœcunditas in vnitate prolis commendatur.*

MALE perière, qui Marianum puerperium multiplicabant, docentes à Filij Dei egreſſu manſiſſe aperta virginalia clauſtra, vt alios parerent, vt ſic rigoroſè primogeniti munus Deo oblatum decantent. Proh inſania! Hos detriumphat Epiph. lib 3. *Epiph.* contra Hæreſ. aiens. *Profectò etiam genitricẽ ipſius*

*ipſius leænam dixerim: vnde enim gignitur omnino leo, ſi non leæna mater eius vocatur? Leænæ autem non contingit ſecundus partus, non ergo amplius partum nouit Maria.* Eâ enim erat Maria, cuius vnicus filius inter omnes futurus exiſteret ſingularis. Qui à maledictione partus, multiplicantur, non enim propè infinita malorũ moles aliter exhauriri poſſet, niſi per multitudinem partuum. At vbi tò tum benedictionis negotium eſt, vbi totus perfectionis cumulus adeſt, vnicus etiam partus debet eſſe, qui in ſe totum gratiarum imbibat mare. De Præcurioris Domini parenti
*Luc. 1.* bus dicitur Lucæ 1. *Et non erat illis filius:*
*Chryſol.* quod expendens Chryſolo. ſerm. 91. ait. *Non dixit non erant illis filij, ſed non erat illis filius, quia ſingularis futurus erat, qui erat de talibus naſciturus.* Perfectiſsimum parentem decet non filiorum examen, ſed is filius, qui totum perfectionum cumulum exhauriat, qui
*1. ad Corinth. 8.* ſingulares patris virtutes ipſe vnice, & ſinguläriter ornet, & exaltet. Hinc Paul. ad Corint. 1. cap. 8. vaniſsimas Deorum Græcorum genealogias confundens ait. *Nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* Quaſi diceret, quod verus Deus noſter, etſi multarum creaturarum author ſit, tamen non earum enixu pater conſtituitur, quãdo partus multitudo degeneres, & imperfectas proles enuntiat, verum quod pater fiat, id habet ab vnico & ſingulari filio, qui omnem patris exhaurit perfectionum cu-
*Athan.* mulum. Quem ſenſum præfert D. Athanaſ. epiſt. 1. ad Serap. dicens. *Si filius eſt Dei Verbum, vnus eſt ſicut Pater. Vnus enim Deus Pater, ex quo omnia, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus; vnde & vnigenitus filius dictus eſt. At creaturæ multæ ſunt, variæque Angeli, Archangeli, Cherubin, Principatus, Poteſtates. Porrò, quia filius non eſt de multorum numero, ſed vnus eſt, ſicut Pater vnus eſt, nequaquam eſt creatura, &c.* Inducens erat tanti Patris filium, numerum eſſe, & vnũ è multitudine, ſed vnicum, ſed ſingularem, Patris referentem æternam ſingularitatem. Hinc iam ſeſe efert maternitas Mariana de vnico, & ſingulari filio exultans, qui vt vnicus eſt, ſic in omnibus perfectionibus, vnicã refert matrẽ.

## §. VIII.

### *Vna Maria parens, purgatione minimè indiguit.*

APAGE Origines, qui diuiniſsimum hoc puerperium purgationi ſubijcit, quando ipſa puritas, & mundicies Mariæ parienti inuideret. Quid purius eo partu, in quo iuſtitiæ ſol naſcitur? Pulchrè D. Zeno ſerm. 2. *Zenõ.* de Nat. inquit: *Non mater eius tanti partus pondere exhauſta, totis pallens iacuit reſoluta viſceribus, non filius matris, aut ſuis eſt vllis ſordibus delibutus: neque enim re vera aliquid circa ſe habere poſſet immundum, qui humani generis peccata, ſordes, & maculas venerat mundaturus.* De antiqui ſerpentis hãlitu, ſordet infecta hominum natiuitas, & qua fœmina hominem purum acceperat, & mundum, æquum eſt, vt in ſordibus iaceat erubeſcens quod ipſum reddat prorſus ſqualentem, & immundum. Inde Maria fœlicior, quę non parturit peccatorem, ſed ſanctum, non ſolùm hominem, ſed & Deum, ideo, ait Angelus, *& quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei:* & vt bene D. Gregor Nazia. *Nazian.* orat. 40. *Dei filius, ſine vlla ſpurcitie ex virgine progreſſus eſt, nihil enim ſpurcum vbi Deus eſt.* Iam à ſæculo Deus habitat lucem inacceſsibilem, quare complexa Deum Maria, non ſordes nutrit, ſed candidiſsimo lumine, limpidiſsimiſque radijs conueſtitur. Ecce vobis, quicumque tenebrarum harum principibus ſeruitis, quantis ſordibus eorum emitis amicitiam? Sane ſi abluendi eſtis, fontibus egetis, & mari. Nota eſt illa Marc 5. hiſtoria, *Mar. 5.* vbi grex porcorum, quo nil immundius, dæmonis tamen immundiciam non ſuſtinens, vt illam depelleret, totam maris aquam ſubijt; ait enim. *Exeuntes ſpiritus immundi, introierũt in porcos, & magno impetu grex præcipitatus eſt in mare.* Quod notans Chryſologi acu- *Chryſol.* men ſerm. 17. dicit. *Demergi in mari, & fluctibus perire grex maluit, quam eius immundiciam pati, & putredinem tolerare.* Quaſi eis, qui nequiſsimis ſpiritibus obſequuntur, toto mari opus habeant, vt contractas indè depellant immundicies.

## §. XI.

### *Qui ſpiritu Dei aguntur omnes alios, vt Dominos, reuerentur.*

ECCE vobis Angelorum regina diuino ditata partu, diuina prole præſultans in templum properat, vt Moyſi obſecundet, & puerum Domino ſiſtat. Quid ſibi vult quod ſiſtat puerum Domino? Nonne verius dixiſſet vt ſiſtat puerum patri? Equidem hoc habet humana caro á diuino verbo aſſumpta, ne detrectet Dominum recognoſcere, & etiam vbi Patrem dicere poſſet, dominicum retinere atur titulum:

Mat.11. titulum. Matth. 11. inquit. Iesus: *Confiteor tibi pater Domine cœli, & terræ.* Si patrem vocas, ò bone, & vere vocas, cur Domini meministi? Patrem vocabat vere filius, sed humanitas assumpta nequit etiam ibi Dominum obliuisci. Do huius loci commentatorem D. Athan. lib. 3. contra Arrianos, vbi sic habet. *Cum pulcherrima interpunctione dixit, confiteor tibi pater; deinde Domine cæli & terræ. Vbi illum & patrem suum dixit, & rerum creatarum Dominum, vt liquido constaret, eum à tempore indutæ carnis patrẽ suum Dominum appellitare.* Caro facit assumpta, ne detrectetur forma seruilis, sed etiam in patre summum internoscatur dominium. Et expendo illud, à tempore indutæ carnis, non enim is est Dei filius, qui detrectet Dominos recognoscere, cum licet; ante carnem non habebat vnde Dominum confiteretur, sed vbi carnem accepit, statim sese Domino sistit. Hunc ebiberunt spiritum quicumque anhellant ad filiationem diuinam, quo cæteros quisque sibi Dominos, & prædicat, & existimat. Mat.15. Felix illa Chananæa Matth. 15. á Tyro, & Sydone egressa, sic molliebat Dominicam repulsam. *Etiam Domine, nam & catelli comedũt de micis, quæ cadunt de mansa Dominorum suorum* O vere felix mulier, quæ salutis filiæ causa Christum secutura, hoc in primis ex filij Dei spiritu accepit, vt etiam Iudæos profiteretur Dominos suos! De illa Amb. ait: *Studium eius, & humilitatem Dominus laudauit, quæ non sibi profundum sapientiæ à primordio vindicauit, quamuis de Tyri, & Sydonis finibus iam esset egressa, sed micas quasdam, quæ de mensa Dominorum suorum caderent, crederet colligendas.* Quam longe absunt vanissimi Tyrones, qui vix limina sapientiæ, siue vitæ spiritualis ingressi, & Agarenorum instar, Dominam despiciunt, omnibus se præficiunt. Vtinam quid de filio Dei haberent menti insitum, & nil tam in se meminissent, quam seruitutem, & cæteris Dominium. Sic Probam commendat D. Fulg. Epistol. ad Gallam. *Proba cum sit auis, atauisque nata consulibus, & delitijs regalibus nutrita, tanta illi est humilitas dono gratiæ cælestis infussa, vt amore subiectionis, & vsu seruiendi Dominam se aliquando fuisse iam nesciat, cum omnes Dominos habere de lectione sanctæ seruitutis affectat.* Maria ergo Deo propinquior quam Chananæa, Dei studiosior quam Proba, vt Dei filio ditata fuit, quasi Dominam se esse nesciret, de lectione sanctæ seruitutis Moysi obtemperans, legalis disciplinæ micas perquirit, cum esset plena pane viuo, & in templo se filiumque suum Domino sistit.

Athan.

Amb.

Fulg.

## §. X.

### *In communi legum obseruantia virtus enitet præstantissima.*

SVSPECTI sint noui, & paradoxi viuendi modi etiam in virtutum transcurrendis curriculis, nam qui extraordinarias abiectionis, & austeritatis vias arripuere, præpropero consilio, in amplissimos vitiorum campos deuenerunt. Superbissimus ille Nabuchodonosor, audiuit à Daniele somni sui expositionem, cap. 2. Quid tunc? *Tunc Rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam & Danielem adorauit, & hostias, & incensum præcepit, vt sacrificarent ei.* Quis de tam humili adoratione non speraret magnos progressus virtutum? Quis Regem humi postratum ad captiui pedes videns, non crederet, in humilitatis verticem deuenturum? Sed ecce statim auream sui imaginem extollit quam adorandam exhibet multitudini. Id acute animaduertens Richardus Vict. lib. 1. de erud. int hom. parte 1. cap. 36 ait. *Illud notandum quod sæpe quo se quis inconsultius, & immoderatius abijcit, eo ad insaniorem postmodum superbiã erumpit. Attende in rege humiliationem instabilem, & indiscretam, & postmodum superbiam plusquam humanã. Nam qui prius Danielem adorauit, idem ipse postmodum statuã suam adorare præcepit.* Securissime quis eas virtutum semitas terit, quæ intra communes sui status terminos continentur Hinc sese maxime extulit virtus Mariana, nimirum in sui status communium legum exactissima obseruantia. Quam enim abiectionis, & humilitatis semitam secuta est, nisi eam, qua communibus puerperij legibus sese subiecit? Et dum tritis omnium vijs graditur, perpetes aliorum volatus excedit. Illi aiebat Angelus, *inuenisti gratiam apud Dominum:* quo circa D. Bern. serm. 3. in Annunt. ponderat. *Inuenisti gratiam quantam gratiam? gratiam plenam, gratiam singularem; singularem an generalem? Vtramque sine dubio, qua plenam, & eo singularem, quo generalem.* Itaque eo singularis præstantia virtutis Marianæ claruit, quo non peregrinis & exorbitantibus, sed communibus, & generalibus semitis gradiebatur. Ecce tibi vnde commendatur præstantis virtutis vir. Genes. 6. iuxta lect. Chrysost. *Noè homo iustus in generatione sua.* De quo pulchre expendit ipse Chrysost. hom. 23. *Vidisti admirabilem genealogiam? Noé, inquit, homo, commune nomen pro laude iusti vsurpat.* Nec in iusto viro crediderim laudabilius aliud, quam si com-

Dan. 2.

Luc. 2. Bern.

Genes. 6. Chrysos.

si communes, & tritas viuendi sui status semitas impleat sanctitate. Debbora suam victo-
*Iud. 5.* riam commendat Iudic. 5. aiens. *De cælo dimicatum est, stellæ manentes in ordine suo cõtra Sisaram pugnauerunt.* Quasi diceret, vt inclitus Israelis dux Iosue victoriam reportaret, omnes planetæ cælestes á communibus legibus exorbitarunt, nouas, & inusitatas stationes præse tulerunt. Verum mea victoria eo præstantior, quo communis astrorum ordo permansit, quo intra communes cæli, terræque mores confecta est. Id innuit Dionis.
*Carthu.* Carth. dum, ait: *Contra Sisaram pugnasse dicuntur stellæ in suo cursu, & ordine permanendo, id est solitum cursum, & dispositionem suam seruando. Sicque per verba ista innuitur differentia huius victoriæ ab ea: quæ sub Iosue desuper est concessa* Summe enim commendatur virtus, quaquisque in ordine suo, in stata suo tritas terendo vias, communes obseruando leges se maximè exaltat.

*Text.* Et vt darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

## §. XI.

### *Discant religiosi viri, dum Principum frequentant domus, nihil dimittere de Christiana paupertate.*

ILLVSTRIVM, diuitumque erat, agnum Deo offerre, vnde miror, quod virgo paucos ante dies á Regibus visitata, & munerata, inter regum frequentia, & munera adhuc amaret Christianam paupertatem, & munus diues, nec Deo offerendum sumpserit: secuta in omnibus mores pauperum, dũ offert par turturum, aut duos pullos columbarum. O quam religiosè! O vos felices viri religiosi, qui de Mariæ exemplo nostis inter Reges, & Principes commorari, & nihilominus integrã
*Psa. 103* Christi paupertatem sectari. Psal. 103. ait. *Cedri libani, quas plantauit, illic passeres nidificabunt. Erodij domus Dux est eorum.* Sanè cedri istæ, Principes sæculi sunt, quibus diuitijs passerculi Christi sustentantur apud illos manentes, & illorum saluti inuigilantes spirituali. Dũ tamen apud Principes sunt, de Principum exemplo non amant diuitias, non secũtur aurum, sed Erodij, vel, vt alij legunt, Fulicæ domus, hoc est Christi paupertas dux est eorum. Hanc vnam, vel in Regijs spectant: quod eleganter tractans August. ibi conc 3. *August.* ait. *Illic, id est in cedris libani, passeres nidificabunt: præbebunt ramos facultatum suarũ, colligendis minutis spiritualibus. Præbent istæ, faciunt hæc cedri libani, quas plantauit Dominus. Sed passeres quamuis in cedris libani nidificabunt, non tamen cedri libani duces sunt passerum. Sed Fulicæ domus dux est eorum. In cedris quidem nidificant passeres, sed petram illam habent ducem, qua fluctibus tunditur, & non frangitur, imitantur enim Christum* Nec inter amænas cedros, inter regum, Principumq; frequẽtias patiuntur aliud, quam Christum pauperem spectare, & sectari. Cedrus illa magna, & procera Nabuchodonosor, in cuius brachijs fideles passerculi nidificabant, fecit statuam auream Dan 3. quam se *Daniel.* ctatores eius adorarent. Fecit & ardentem fornacem, qua mitterentur, qui aliud, quam Regiam auri imaginem spectarent. Proh dolor? inuenti sunt tres passerculi, tres pueri Hebræi, qui etsi in cedris nidificabant, tamen non abibant post aurum, non ducem habebant cedrum, sed Deum spectabant, hi dati flammis sunt, verum flammæ illos custodientes, sectatores auri vorarunt Cane tibi serue Dei, qui apud cedros nidificas, qui Principes sæculi sectaris, ne cum auri sectatoribus abeas, ne oculos auertas á Christiana paupertate, & veneratione eris ipsis flammis Luculenter monebat hoc Chrysost homil. 24. ad Popul. fatus. *In ignem igitur descende, ne sedeas extra ignem ne te flamma corripiat. Nam si te cum pauperibus quidem viderit á te discedet. Si vero separatum ab eis, tibi statim insiliet, & te corripiet. Cum diabolus aurum nonadorantes in caminũ paupertatis immittere minatus fuerit, ne de mittentium, sed ex missorum esse velis numero, vt ex his qui saluantur ne ex his qui comburuntur, efficaris.* Mirabor si post aurum abeuntem non te flamma voret, quæ illorum custos est, qui nidificantes, ambitiosi sectatores sunt paupertatis Christianæ.

## §. XII.

### *Qui magna reliquerunt pro Deo, erubescant non contemnere parua.*

POSSET sane Maria de Regum muneribus offerre agnum, vt vel aliquantulum

tulum inde ſplendorem inter populares caperet. Abſit hoc piaculũ à Mariana virtute, quæ magnis præparata, caperetur paruis. Non ne eleganter monebat Tert. lib. de Pat. *Abſit à ſeruo Dei tale inquinamentum, vt patientia maioribus tentationibus præparata, infriuolis excidat?* Ea ſane eſt Mariæ puritas, quæ vt animoſe contemſit mundi magnalia, ſic paruas conſolatiunculas ſummere dedignatur. Sane fortis athleta Iob bonis omnibus ſpolia tus iuxta ſeptuag. lectionem, cap. 2. *Sedebat ſupra acerbum ſtercoris extra ciuitatem.* Cur extra ciuitatem ſeſſurus abijt? Pulchrè Orig. lib. 2. in Iacob. *Cur in ciuitatem maneam? Cũ re, ac filijs, & ciuitate, & domibus carui. Cũ re familiari, ac liberis, corona regni ablata eſt mihi. Nunc vero cum regno, relinquam etiam ciuitatem ac domum.* Vir ſtrenuus putabat gloriæ ſuæ inquinamentum fore, ſi qui regni amiſsionem tulerit, conſolationem caperet in vna permanẽte ciuitate, ſic aſſuetus magnis ipſe dedignatur & parua. Vt erubeſcant illi, qui regna, qui mundi grandia auſi ſunt à ſe pellere, & paruis poſtmodum irretiuntur conſolatiunculis. Cur Petri ardor, in nefario milite plectendo, non fuit Domino probatus? ſed ait illi Matth. 26. *Mitte gladium tuum in vaginam.* Quid quod Petrus ſtrinxerit glaudiũ? An hoc ignominioſum Chriſto, ſe de vnius gladio conſolari, quando omnes Angelorum exercitus reliquerat? Ait D. Leo. ſer. 9. de Paſ. *Superfluũ erat, vt qui nolebat præſidio, Angelicarum virtutum iuuari, vellet ſe vnius diſcipuli oppoſitione defẽdi.* Fugiamus & nos qui magnalia mundi abnegauimus, de paruis conſolationem perquirere, qui plenas menſas abiecimus, ad micas inhiare, & ad oſſa corroſa, qui cete magna victores ſuperauimus, Echeneidis minimis detineri. Sic monebat D. Greg. Nazian. carmine 3. ad Virgines.

*Nec vitæ ipſa tuæ immittas, Echeneida, carnem.*
*Quæ velut in iecta, properantem, compede, puppim.*
*Detinet, ac tantam cogit ſubſiſtere molem.*

Et quidem doleres nauim ſaluis mercibus per Scillas per Caribdines nauigare, ventoque ſecundo ingentia ſcopulorum pericula contemnere; tumentes fluctus, ventorum ſuperare rabies & tandem è veſtigio puſilli piſciculi immobilem hærere. Sic multi deſcendunt mare in nauibus, quando humanæ vitæ fluctus vt ſuperent, ſeſe Chriſtianæ ligno committunt crucis, & poſt ſuperata grandia pericula, poſt ingentes mercẽs comparatas, poſt feliciſsimos factos proceſſus, paruum quid obijcitur, nimirum puſilla concupiſcentiæ, ſiue vanitatis remora, quæ properantem detinet, & cogit tantam ſubſiſtere molem. Aliquando enim perfectis viris accidit id quod familiare eſt illis qui à ſolis luce ingrediuntur ſuboſcurum cubiculum, vbi luci aſſueti nihil vidẽtes paſsim offendiculis. Sic multi viri ſpirituales dum ob animarum lucrum, foras diſcurrunt, glorioſa faci nora peragentes, inſenſibiliter deforenſibus negocijs affecti, ſæpe domi corruunt propter leuiſsima offendicula.

## §. XIII.

### *Magna virginitatis cuſtodia eſt quod nolis ornatior apparere, quam ſtatus rei familiaris permittit.*

CVR paupercula & humilis Maria de agno oblato vellet ornatior apparere? Vt bene notat Canus lib. 11. de locis, non decebat vt quæ paupẽr erat, diuitum oblationem ſubitò efferret: ab omni enim faſtu erat virgo aliena. Præcipuè quod in virginibus male olet quicumque ornatus, qui ab ſtatu rei familiaris non permittitur. Vbi tenue penu profiteris, cur de diuitum extolleris ornatibus, & pulcritudinibus? Tota priſcorum adoleſcentum ambitio, præcipuus ornatus erat crinibus, quibus inſignis Iob, inter diuitias, inter regni ſplẽdores, vbi regni, bonorumque patitur iacturam, *tonſo capite corruens in terram adorauit.* Quid plura? tonſi á Iobo capitis hanc pulchram rationem meditatur Orig. lib. 1. in Iob vbi inquit. *Commam vero capitis ſui totõdit, ob hoc quia depoſita diuitiarum abundantia, etiam comæ nimietatem deponeret.* Non bene conueniunt pauper penu, & diuitum ornatus, qui animo caſtus eſt, eum ſtatus ſui conditione temperet corporis cultum, & comarum ambitionem. An hoc reſpexit Lucillius ille, qui poſt ſubſtantiæ omnis naufragium, crines ſtatim totondit? dicens in illo Græco latino apud Natalem comitem lib. 8. Myth. cap. 4.

*Dijs, æquoreòque Ioui.*
*Seruatus dicat é pelagi Lucillius vndis,*
*Hoc crines, aliud namque habet ille nihil.*

Turpe enim eſt nihil habere, & crines rotari calamiſtri veſtigio. Hinc ab Ægyptiæ manibus ſine pallio elapſum Ioſephum commendans D. Cyprianus lib. de Pud. inquit *Ipſas veſtes reliquit, corporis nuditatem habiturus innocentiæ teſtem.* Ah quoties quam innocentiam prædicat corporis nuditas, humilis ornatus,

tus, pauper cultus, eámdem produnt intorti crines, ornatior cultus, ambitioſus ornatus. Hoc de exemplo Mariæ ſanctum eſſe velim omnibus caſtitatis amatoribus, quod nimirum humiles virgines minime decent pompoſæ ambitiones diuitum.

## §. XIIII.

### *Primo loco Deo reddas idem, quod abillo accipis.*

OBLATVM à Maria filium ſequuntur alia turturum munera, quia Marię gratiſsimus animus, nil prius Deo offerre ſtuduit quam ipſum quem acceperat filium Deo dante. Sic monebat D. Leo ſer. de Nat. 6. *Non ſpiritum huiuſmodi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ á Deo donata ſunt nobis, qui non aliter pie colitur, niſi id ei, quod ipſe tribuit offeratur.* Accepit Maria á Deo filium qualem nulla fœmina accepit, ſed nec accipere poteſt. ſed auara & ingrata minime retinuit acceptum, quando in primis feſtinat in templum, filium Deo reddere. Felix illa Anna Samuelis mater, an equam eſſet mater, 1. Reg 1. ſic Deum orabat. *Si audiendo audieris precationem ancillæ tuæ, & dederis mihi filium, dabo illum donum Domino omni tempore.* Ad quæ verba eleganter aduertit D. Chryſoſt. in epiſt. ad Ephes cap. 6. homil. 24. *Non dixit ſi dederis mihi puerum, dabo pecunias, ſed ipſum totum donum retribuam, primogenitum, & orationis filium.* Longe præſtantior Maria vbi venit plenitudo temporis ipſum, quem acceperat filium, donum Deo retribuit. Alia de Simeonis occurſu, & Annæ prophetiſæ habentur lib. 2. cap. 9. per totum

Leo

1. Reg. 1.

Chryſoſt.

## *CAPVT XII.*

## De Maria iuxta Crucem.

SVLTA B. pertulit Maria in Saluatoris infantia, cum fugitiua ad Ægyptũ cucurrit, cum triduo duodenẽ filiũ deſiderauit. Etenim his, & alijs plurimis euentibus doloris gladius virgineum animũ transberuerauit. Quorum dolorum æſtimationem non vacat in præſenti facere: commodius id præſtabimus cum Chriſti Domini enucleauerimus infantiam. Modo in altum ducimur, vt quo á tempeſtate paſsionis iactata ſit Mariana rates, inſpiciamus: rates, inquam, & Crucis arbori religata, & Crucem ſecuta, medijs ipſis naufragijs.

*Ioann. 19. Stabant autem iuxta Crucem Ieſu, mater eius.*

### *§. I.*

### *Innocentis filij mors acerbiſsima omnium dolorum Mariæ.*

QVID magis acerbum, quam quod parens videat morientem filium, & vnicũ, & amantiſsimum filium? Neſcio an Deus maiori clade afficere poſſet in hoc ſæculo parentes, quã filij amantiſsimi internetione. Sanctiſsimus ille vir Syneſius Ptolemaidæ antiſtes dolorem ſuum ex filij morte exagerans epiſ. 126. aiebat. *Neceſſe erat vehemẽtiorem eſſe huius mali impetum.* Hinc crediderim, quod dęmõ ille cuius curæ erat, rebus Iobi nocere, hunc vehementiſsimum impetum illi in primis paraſſe, dum omiſsis alijs, vnam filiorum mortẽ renuntiat, dicens, c. 1. *Quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt.* Ibi Olimpiodorus in Cat. ait. *Germanæ prolis præcipue meminit, vt iuſti naturã exulceraret. Nec enim dixit ſuper omnes qui intus erat, cecidit, ſed magis luculentas ei plagas infligens dixit cecidit ſuper filios tuos.* Videte modo Marianã plagam eo vehementiorem, & luculentiorem, quo Mater digniorem vita filium videbat atrociter, & crudeliter finiri. Geneſ. 17. cauetur; *Erit omnis anima, quæ non circunciſa fuerit exterminabitur à populo ſuo.* Et quidem, quod puer non circumcideretur, non ex illius culpa, ſed ex parentum incuria oriebatur, cur ergo lex non potius vindicat in parentes, quã in pueros incircunciſos? Et ſane eo grauius in parentes exardeſcit legis vindicta, quo filios mulctat, & affligit. Sic D. Iſidor. Peluſ. libro 2. epiſt. 81. inquit. *Dicendum erat enim qui non circumcideret exterminatum iri, non autem infantes immaturæ ætatis. Ego vero ne literalem quidem ſenſum improbo, ſiquidem parentibus acerbius eſt ſupplicium, cum pueri exitio dantur.* Proh dolor, & virginis, & Matris ſanctiſsimę, vbi vnigenitum filium tam crudeli, & infami mortis ſupplicio videt extingui! Neſcio an Maria in hoc ſæculo poſſet torqueri amplius, & affligi. Rabidiſsimus dæmon in Saulem, vt eum incredibili dolore affligeret, 1 Reg. cap. 14. id machinatus eſt, quod Saulis filius Ionathas legem inculpabiliter frangat, ob quam innocens morte in ipſis Patris oculis mulctetur. Id quod ponderans D. Chryſoſtom. homil. 14. ad Popu-

Olimp.

Geneſ. 17

Iſid. Pel.

1. Reg. 17.

Chryſoſt.

lum fatur. *Excogitauit ſceleratus ille, & hac rurſus prophanior moliri cædem. Si enim Ionathas ſciens peccaſſet, & iugulatus fuiſſet, filij cædes tantum id erat: nunc autem ex ignorantia præuaricatus (nec enim audiuit iuramenta) deinde interfectus, duplicem Patri dolorem effeciſſet, filium enim, & filium qui nihil peccauerat, immolaturus erat.* Vere ò Beata Virgo, & Mater non ſimplex eſt dolor tuus iuxta Crucem, ſed dolor eſt duplex, ſed multiplex, quando occidi vides filium, & filium qui nihil peccauerat, & ab his, qui tibi cordi erant, & quos ipſe cumulauerat beneficijs multiſque indies bonis impleuerat.

## §. II.

### *Maria Virgo pro mundi vita filium neci tradit.*

REVOCO in examen illud pro dolore Saulis in morte filij à Chryſoſtomo paulo ante ponderatum Nimirum, *Filium, & filium qui nihil peccauerat, immolaturus erat*: Siccine Marianus dolor eſt, quod ipſa, filium, & filium qui nihil peccauerat, immolabatur. Sic D. Bernardinus Sen. putat filium ad Matrem fuiſſe locutum his verbis. *Vulnera ſti cor meum, pro amore tuo carnem aſſumpſi, & vulneribus primis vulnera ſti in Cruce cor meum.* Prima quidem Maria inclyta Abrahamides ſtrinxit ferrum in filium, vt imperanti Deo prolem immerentem litaret. Prima pro communi ſalute primogenitum ſuum ad mortem expoſtulauit. Prima parens altera filio ſuo non pepercit, ſed pro omnibus tradidit; à qua ſimul & lac, & lignum Crucis filius accepit. Siſaræ fortiſſimo duci Iahel vxor Heber Cinæi lacte potauit, ſic hiſtoria Iudicum 4 narratur. *Iahel aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum.* Et ſtatim cum ille lactatus dormiuiſſit; *Tulit Iahel clauũ tabernaculi aſſumens pariter & malleum, & ingreſſa abſconditè, & cum ſilentio poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum vſque ad terram qui ſoporem morti ſocians, defecit, & mortuꝰ eſt.* Ex hoc Iahelis facinore Petrus Damianus triumphum ex hoſte ab Eccleſia peractum his verbis decantat. *Itaque quem Iſraelitica plebs ſuperare non potuit, peregrina mulier, hoc eſt Gentilis Eccleſia, ſolo Crucis ligno proſtrauit.*

Verum liceat nobis ex hoc facto non mortem inflictam hoſti ab Eccleſia, ſed inflictam amantiſsimo filio à matre decantare. Equidé noua, & illuſtrior Iahel ſummi ſpiritus ſponſa Maria vbere de cœlo pleno ducem, & filium Ieſum lactauit, ſed quo aſtu lactauit: vt poſtea clauis, ligno ipſo Crucis exhauriret, & ſanguinem. Ita Phylotophatus Magnus Athanaſius de Chriſto Domino ait: *Suxit mammam, vt diuinum illud lac nobis ſcaturiret, quod ex proprio latere profundit: nihil enim aliud eſt lac, niſi ſanguis albus.* Ecce quam maturauit Maria mortem filio propinare, ipſo in lacte, à primis mammis confoſſum haſta latus meditabatur. Trutiores illi Iudæi, qui Domini ſitiebant ſanguinem, ad ſummum dicebant: *mittamus lignum in panem eius.* Feſtinior mater non expectat panem, ſed in lacte porrigendo mittit lignum, exigit ſanguinem, vt nec guttã lactis exugat infans, cui non reddat in ligno fluuium ſanguinis. Tenellum filium Machabæum, ſic apud D. Ambroſ. inuictiſsima mater ad Crucem, mortemque hortabatur. *Tu ſolus ſuperes fili, ſumma votorum meorũ. Miſerere mei, quæ te in vtero tot menſium curriculo portaui: aſpice in cœlum ad patrem omnium; aſpice ad fratres, qui collegium requirũt; aſpice ad matrem quæ tibi lac dedit; redde mercedem pij ſanguinis; noli à fratribus; noli à matre diuelli.* Sic illa ex Patris cœleſtis obedientia, ex fratrum exigentia ex materni lactis obligatione filium animoſe propellit ad cruciatus. Quæ verba (vt puto) virgineo robori magis quadrant. Siccine Maria filium moriturum alloquebatur, & cum Iudæi clamabant, *ſi filius Dei eſt, deſcendat de Cruce*; illa lactis oblati memorans, ſic proclamat: *Miſerere mei: quæ te in vtero portaui, aſpice ad patrem cœleſtem, ad fratres, qui Saluatorem requirunt: ad matrem, quæ tibi lac dedit; redde mercedem pij ſanguinis.* Compenſetur lac, exhauriatur ſanguis, vt ſic in ligno decidẽs priſtini ligni damnis medearis.

Bernardinus. Ind. 4. Dam. Hom. in diſcript. apud Metaph. Sap. Amb.

## §. III.

### *Maria & morti filium animoſe fortiterque dabat, & ſimul luctu, doloreque maximo moribundum plangebat.*

IVGVLATVRVS Deo vnicam eã dilectiſsimam filiam Hebræorũ iudex Iepte ingemuit vehementer, indoluit maxime, ſic text. facer Iud. 11. *Qua viſa ſcidit veſtimenta ſua, & ait, heu me filia mea decepiſti me, et ipſa decepta es: aperui enim os meum ad Dominũ, & aliud facere non potero.* Expende in du-

Iud. 11.

ce

ce maximo, & fortiſsimo poſt mille hoſtium ſtrages, & lachrymas, & gemitus vehementes de filia iugulanda, ſimul & promptam, & inuictam voluntatem ad tantum facinus perpetrandum. Etenim, ſciſsis veſtibus, multa lamentatus, ait; *aperui os meum ad Dominum, & aliud facere non potero*: nec lachrymæ, nec luctus, nec gemitus robur emolliunt voluntatis paratæ; vt filiæ effundatur ſanguis; nec ænea, roboriſque plena voluntas, quæ in ſanguinem etiam proprium audet, lachrymas, luctuſque exſiccauit, vt merito. Ambroſ. lib. 3. offic. cap. 12. dicat. *Iepte licet prometu* (ſcilicet Dei) *acerbitatem duræ ſolutionis impleuerit; tamen luctum annuum etiam poſteris deplorandum ſtatuit, ac de reliquit.* Æternis luctibus abſoluit religionem, eademque pietate, & filiam abſumpſit, & lamenta æterna uit Ieptæum tamen luctum ſimul, & religionem Virgo Maria longe ſuperauit, quæ crucis proxima patibulo, acerbitatem duriſsimi holocauſti mente adimplet, immenſique doloris ſegetem rigat lachrymis, mactatura filium (ſi patri placeat) eruci animoſe adſtat; & pene enecti vulnera mille excruciata doloribus lamentatur. Vnus id expendat D. Antonius 4. parte Theolo. tit. 15. cap. 41. §. 1. *Stabat vere cunda, modeſta, lachrymis plena, doloribus immenſa: ita tamen diuinæ voluntati conformis, quod* (vt Anſelmus ait,) *Si oportuiſſet, atque obtuliſſet. Neque enim minoris fuit obedientiæ, quam Abraham* Robur illi circa pectus erat, quo filium ipſa litabat, & ſimul oculi molleſcebãt in lachrymas, oſque felleum ex abundantia cordis lamentationes, carmen, & væ erutabat: O validus miſerationis affectus! potens es vel vno ictu à marmoreis pectoribus educere riuos aquarum. Pulchre author Catenæ Græcæ Iob 2. verſ. 10. id in Patriarcha Ioſeph eſt meditatus his verbis. *Pleroſque eorum, qui cupiditates vicerunt, inflexit miſeratio. Ioſeph ille mentis, virtutiſque celſitudine præſtans vir eam, quæ ſummam inter mortales exercet tyrannidem, compreſſit voluptatem; barbaram quoque fœminam infinitas machinas adhibentem propulſauit, ſed tamen lachrymas tenere nõ potuit. Fratres enim, à quibus iniuriam acceperat, cum conſpexiſſet inflammatus affectu os celeriter lauit.* Ecce tibi iniurios licet ſibi fratres ſolo proſtratos non ſuſtinuit ille videre, quim vim profunderer immenſam lachrymarum. Quid ergo efficeret miſeratio Mariana? Vidit non iniurium fratrem, ſed amantiſsimum filium, ſed beneficum Deum à puluere in crucem ſublatum, ex carnificatum, faciem illam decoram tabo, ſanguineq; fædatam. An quæ Æthnæos cupidinum ignes non nouit, manantia lachryma-

*Amb.*

*Antoninus.*

*Grecus.*

rum flumina exſiccabit? an quæ ſummam carnis tyranidem, ante quam ſentiret, peſum dedit, erumpentes gemitus retardabit? an quæ filium ſine dolore vitæ dedit ſine ingenti, dolorum ſtrage morti tradit? ſane non ea eſt miſerationis violentia, immò arentia marmora facit ſudare ænea pectora eliquat, maternum animum ex cruciat, dilaniat. *Intuetur te illa benedicta in mulieribus, & fixis in te oculis vulnera tua pietate conſiderat materna, & licet non ignoret, quid boni conferat mundo paſſio tua, tamen parentis affectiu commoritur, & pectus maternum immanitate dolorum arctatur.* Hæc Arnoldus Chriſto de materni doloris acerbitate locutus; quibus virginem ſimul, & ſaluti hominum proſpicere vides, & vehementi dolore moribundum filium lamentari! Quod ſi velis iuſte dolorem Virgineum æſtimare, vel vnico argumento animo perpende, quid tunc vniuerſi creatura patiatur, perſtrepent ſaxa, & colliſa finduntur, inhiant ſepulchra ruptis faucibus, carnifices ipſi, velinuicti pectora quatiunt, vnde pulchre Bernar. *Cogitare nunc libet quantus dolor tunc infuit matri, cum ſic dolebant, quæ inſenſibilia erant.* Is etenim erat dolor, & luctus Marianus, qui finderet ſaxa, qui moueret inferorum antra.

*Arnol.*

*Bern.*

## §. IIII.

### *Maria Virgo oculis excepit vniuerſa filij ſui vulnera; quod dolorem exprimit omnium maximum.*

IS maximum dolorem ictus affert, qui maximè ſenſibilem corporis partem afficit. Is maxime ſenſibilem afficit qui oculorum pupilas inimicatur. Hinc apud Zacha. c. 2. Dominus dolorem de ſuorum ſtrage conceptum ſic exaggerat, *qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Etenim quos ictus fideles corpore excipiebant, his Domini oculi eruciabantur; cum illi dorſo, Deus oculis feriebatur. Hinc Marianum dolorem iuxta crucem credet omnium maximum qui aduertit ab illa oculis excipi quotquot tela amantiſsimi filij corpus tranſuerberabant. Id in Machabæorum matre laniatis aſtante filijs expendit Auguſt. acumen ſermo. 109. de diuerſis 6. cap. *Illa inquit videndo in omnibus paſſa eſt; facta mater ſeptem martyrum, ſepties martyr à filijs non ſeparata ſpectando, & filijs addita moriendo, videbat omnes, amabat omnes, ferebat in oculis, quod in carne omnes.* Nihil virgineæ matri acomodatius, nihil de

*Zachar.*

Mariano dolore, eſt verius, & ſignificantius. Filius Mariæ mille pertulit immanniſsimos eruciatus, in via, in monte Caluariæ, in cruce, illa videndo, in omnibus paſſa eſt, millies martyr, á filio non ſeparata ſpectando, ſeſe filio cupide additura moriendo videbat filium, amabat filium, ferebat in oculis, quod in carne filius, & ideo cruciatuum acerbitate, & immanitate ſuperabat omnes martyres: acute Ioſe-
*Ioſeph.* phus Machabœorum immaniſsimos cruciatus, membrorum laniationem, ardentes ſartagines, vix audet, matri hæc ſpectanti compara re; ſic enim alloquitur inclytos antiquæ legis Martyres. *Non ego vos paruulos membrorum lineamentis, & totius vultus notis matris æmulos dicam, ſit hæc ſumma laudis in cæteris, quibus præter naturam nil animus dedit. Vos ergo ſimiles mente, robore, fide aſſeram, & matri in omnibus pares dicam, in nullo poſtponendi, in nullo minus venerabiles, niſi quod illa immanitatem dolorum præ oculis excepit.* Sic ille inuictiſsimos iuuenes mille cruciatibus, mille tormentis affectos eos reputat ſolum matre inferiores, quod illa, & ſi non corpore, tamen oculis cruciabatur filios ſpectando. Sunt equidem qui religione conſtricti dorſum acerbiſsimis flagelis dederunt, latera, candentibus flammis, ferreis vngulis crura bipenni, os felleo calicis, manus claui, ventrē plumbeæ molli, hij forſitan ſuos poſsint Marianis cruciatibus comparare, niſi quod illa immanitatem dolorum præ oculis excepit, vt
*Cypr.* merito Mariæ Virgini conueniat, quod Cyprianus eidem Machabœorum matri hijs verbis aptat. *Tam grande martyrium Deo præbuit virtute oculorum ſuorum, quam præbuerat filij omnes tormentis, & paſſione membrorum.* Etenim ſi aliqua creatura tam grande martyrium præbere potuit Deo quā Chriſtus crucifixus, crediderim à ſola Mariæ præbitum tantum martyrium, virtute oculorum ſuorum, quantum præbuit Filius eius tormentis, paſsione membrorum. Porro de Marianis progenitoribus, apud Abraæ ſinum exiſtentibus, hoc aſſerit B. Brigitta lib. 9. cap. 11. quod
*Brig.* vel crucifixum Dominum odorati, in tantum turbantur, quod maluiſſent in æternum eſſe in inferno, quam talem pœnam videre in Domino. Summum dolorem á conſpectu irati Dei in reprobos proficiscendum inde expendit Oſeas, cap. 10 Quod illi fugientes fulgurantem iudicis faciem dicent montibus, cadite ſuper nos, & collibus operite nos, quaſi minor illis, ſit æterni carceris dolor, quam dolor quo afficientur iratum Deum videntes. Ecce tibi Chriſtiferi patres crucifixum Dominum videntes eandem petunt optionem reproborum, amant enim æternum torqueri, vt fugiant tormentum à Chriſto in cruce viſſo profectum, hoc Abraham, hoc Iacob, hoc Dauid, hoc omnes Chriſti parentes; & vna Maria aſtans cruci laniatum intuens filium, oculis bibit tantum illud tormentum, quod vt fugerent viri pij recti rerum æſtimatores cupide malent inferorum pati tormenta.

## §. V.

### *Maria tormentorum immanitate celſitudinem matris Dei oſtendit.*

QVOD vniuerſos peccatores ſubmerſit diluuium, Noe inarcam magnoperè exaltauit, nec niſi tantum in diluuio ſummam ſupra nubes exaltationem pertingeret area. Quod eleganter D. Amb. & Baſilius cum Laurent. ad viuidæ crucis exaltationem transferunt: placet modo id ad aream theſaurorum Dei, ad Deiferam matrem, cuius ab vtero vniuerſæ animæ ſaluæ factæ ſunt, accomodare. Non enim matris Dei celſitudinem attingeret, niſi immenſo tormentorum diluuio ſuper nataret, opus fuit tota illa dolorum tempeſtas, vaſtus ille gurges pœnarum, pene infiniti cruciatuum nimb, vt Deifera arca in ea exaltatione, quæ decet matrem Dei, ſuper aſtra, ſuper cæleſtia omnia ſublimis euolaret. Inde Ioannes, qui aquilinis oculis ſublimia omnia rimatur, notanter, ait. *Stabat autem iuxta crucem Ieſu mater eius.* Nec enim alio in ſolio pertingeret magnitudinem ſuam Dei mater, vnde pulchre. Amb. in cat. *Sed nec Maria minor quam matrem Chriſti decebat, fugientibus Apoſtolis ante crucem ſtabat.* Quaſi diceret totam ibi Chriſti paræ magnitudinē oſtentabat, nequaquam minor, quam minor quam tantam matrem decet aparebat in altum cruciatuum pelagus ſublimata. *Amb.*

Hoc Ambroſij excogitatum maxime exornat illa Diui Cyrilli ſententia á quo cum Imperator Apoſtata quæreret de Chriſto filio Dei. Cur non potius Regis cuiuſd. m terreni appellatus eſt filius & natus ex Regina matre? Poſt multa quæ ſanctè, & erudite congeſsit vir ſanctiſsimus prope finem, libro ſecundo, ait: *Oportebat Ieſum exiſtentem Deum curam habere ne videatur hominibus gloria minor, & deſiderare nobiſcum momentaneas has gloriolas, & parce dimenſas proſperitates.* Itaque opus fuit Chriſto Domino omnes mundiales glorias fugere, vilitatem, nuditatem, ignobilitatem infirmitatem, dedecora omnia, & dolores accipere, ne hominibus videretur gloria

ria minor, ſed quæ decebat filium Dei conſerueret magnitudinem. Ea erat gloria filij Dei digna qui in immenſo vilitatum, & tormentorum abyſſu quo miſeri homines ſummerguntur, ſupernataret ipſe. Hæc ſane gloria decebat filium Dei, & matrem Deiparam qua non minor apparuit Maria iuxta crucem, quim potius quæ decebat matrem Dei magnitudinem
*Chryſo* & exaltationem ibi attingit. Vnde D. Chryſoſt. Simeonis Marianam compaſsionem augurantis verba exponens ait: *Et tu eſſe mater videris. An tu igitur tentationis expers eris, quando quidem eſſe te matrem confeſſa es? Quandoquidem illum peperiſti? quandoquidem vterum tuum viſſa es commodiſſe? nuntius enim, & index illius operationis venter tuus fuit, nunc ta igitur tentationis expers eris? ſed & tuam ipſius animam pertranſiuit gladius.* Adeo putat Chryſoſt. quod matrem Dei deceant tentationes tormentorum, & cruciatum, vt hoc fundamento nitatur, nempe quod Maria ſit Dei mater, vt hinc immenſam illi pœnarum molem aduenturam præſagiat.

## §. VI.

### *Maria Virgo ſummæ charitatis metas iuxta crucem attigit.*

IBI Dominus ſummum charitatis apicem cõſtituit, quod animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Quod rimatus Ioann. 1. Can. cap. 3. Dei hominis erga nos charitatem inde
*Ioan. 1. Can. 3.* exaggerat. *In hoc cognoſcimus*, inquit, *charitatem, quoniam ille pro nobis animam ſuam poſuit*: ad hæc eleganter D. Fulg. ad Traſimũdum Regem lib. 3. cap. 24. ſic argumentatur.
*Fulg.* *Animam igitur ponere dilectionis eſt proprietũ vbi autem dilectio non eſt corpus tradi dicitur, anima poni non dicitur.* Iam hinc ſeſe pãdit Mariana ſumma in Deum charitas, & dilectio, cuius non corpus, ſed anima iuxta crucem doloris ſuſtinuit gladium. *Tuam ipſius animam* (ait Simeon) *doloris gladius pertranſiuit.* O ſummi Deum amantis vera paſsio, vbi integra carne anima confoditur, laniatur! Chriſtus Dominus in Vtero Virginis exiſtẽs, fulguris ſpeciem præ ſe tulit Epiphanio, ita enim alloquitur Mariam, *O nubes lucida quæ fulgur de cælo lucidiſſimum deduxiſti Chriſtum* Verum crediderim Chriſtum numquam ardentius fulgur extitiſſe matri quam cum illam á cruce ardentibus compaſsionis flammis fulminauit, fulgureaſque fecit in illa amoris faces. Sane fulguris ea vis eſt, vt mollia & infirma præteriens, fortiſsima ſolum, & adamãtina conterat, populetur. Quid molius carne? Quid infirmius humano corpore? Quid fortius? Quid magis adamantinum, quid immortalius quam anima? Hinc vide quam appareat Maria á filio cruci affixo amore fulminata integro corpore, illæſa virginea carne. Fortiſsimam viuidiſsimamque animam eius trãsfodit tranſuerberat doloris gladius; vna Mariæ anima ſuſtinet immenſam dolorum ſtragem, patitur in credibilem dilaniationem, excruciationem, vt vel hinc recognoſcas fulgurantes amoris faces.

O quam experta cecinit ipſa aliquando. Cant. 8. *Fortis eſt vt mors dilectio, lampades* *Cant. 8.*
*eius lampades ignis atque flammarũ*, quod latinis lampades ſonat, Hæbreis tinnit Riſphe, ideſt, emittentes, & inde vox traducitur à Domina, vt dicat miſsilia atque volatilia iacula quæ fulminantur. Ea igitur eſt vis dilectionis, ait Maria qualis fulguris eiaculati, læthalis eſt dilectio, mortem affert, ſed qualem fulminatæ flammæ, quæ illæſis carnibus conterent ferrea omnia; ſic modo quaſi ſub fulgure rapido amoris illæſo corpore corroditur, diſcerpitur, dilaceratur adamantina, & ferre virginis anima.

Cignæus ille cantor Simeon Chriſtiferum lumen ab vtero Virgineo eductum amanter amplexus eſt, & acceptum manibus miſtis exoſculatus: at dum inter amplexus interris indicia eleuatus oculis, & ſi á longe illud mundi aſpexit à cruce eiaculatum; horruit inquam, & expauit & quaſi è nigra nube non ad fulmen, ſed ad fulgur timidus ait, nunc dimittis ſeruum tuum Domine, potiorem ſtimans naturæ mortem quam, vel atræ paſsionis nubis fulgetris fulminari; ſic eius verba pendit D. Thimotheus Hieroſ. orat. de *Timoth. Hieroſ.*
Simeone: *Abſoluar nunc quæſo Domine, ne diutius hic hærens quæ nolim, intueri compellar. Et enim Spiritus ſanctus qui inme eſt, palam oſtendit quæ in te futura ſunt. Dimitte me nunc obſecro, ne videam audax nefarium quæ Iudæorum in te facinus, ne videam corpus nã, ex ſpinis contextã, ne videã ſeruum alapã infligentẽ, ne videam lanceam in te adactam, ne videã te clauis cruci affixum.* Hæc Simeon dũ amantia figit oſcula lumini gentium formidabat, amat, exoſculatur lumen, ſed à nigricante paſsionis nube fulgur eiaculatũ fugit, expauet, & mortẽ potius appetit. Ardentior Simeone amatrix Virgo Maria, & lumen parit, & incorrupta virgo fouet in manibus lucidum, & tenellum infantem, & tota eius amore transformata, media in tempeſtate nigrantibus nubibus paſsionis ſtridentibus triſtique & horrendum ſonantibus, intrinſecus ipſe rre anima contrita, & tanto fulgore lacerata integro

gro corpore de fulminatorum more Cruci
*Aomdæ.* astat. Huc crediderim spectasse Amodæum dum hom. 5. de Virginea matre sic fatur: *Vicit sexum vicit hominem, passa est vltra humanitatem, torquebatur namque magis, quã si torqueretur ex se, quoniam supra se in comparabiliter diligebat.* Quomodo vltra humanitatem passa? An quia summus erga filium amor instar fulminis id quod fæmineũ, quod molle, quod carneum in virgine excedens, solum quod in illa adamantinum erat, nempe animam, contriuit, dilaniauit?

## §. VII.

### *Vna Maria flammis amoris, & compassionis fulminata ad stans cruci filium, vt imperatorem decet parentauit.*

VIDISTIS Mariam iuxta crucem ardenti charitatis fulmine exardescere verberatam. Accipite modo quam decenti funere eo habitu creaturarum imperatorem honestauerit. Etenim inter alia postremis honoribus conuenientia hæc numerat Alexan. lib.
*Alex. ab Ale.* 4. cap. 7. de genialibus, vt quod rege morte sublato familiares, & qui cum eo coniunctissime vixerant charitate principis finem vitę sibi adrogum afferant vnaque morte intereant. In dorum per vulgata historia est, vt viro defuncto quę carissima coniux in vita fuerat eodem igne absumatur, vnaque cremetur; sic imperatoris, sic coniugis charissimi vnanimes amasię funus honorabant. Quod meminit, & Philo
*Thil.* Iudæus lib de Abrahamo, Eusebius de præpa-
*Euseb.* rat. lib. 6 cap. 8. non defuit Imperatori maximo cruci affixo hic honor fecialis â charissima sibi & Amasia, & matre, & sponsa exhibitus quæ filij tormentis immoritura summisq; dilectionis excruciãda flammis cruci astabat. Sed prohanos mores libet ex prophano præ-
*Proper.* lib. are. Is est Propertius lib. 3. eglo. 8. vbi pulcherris carminibus sic ardentes sponsas sub coniugis busto depingit.

*Namque vbi mortifero iacta est fax vltima lecto*
*Vxorum ffius stat pia turba comis.*
*Et certamen habent lethi, quæ viua sequatur,*
*Coniugium pudor est non licuisse mori.*
*Ardent victrices, & flammæ pectora præbent*
*Imponunt suis ora perusta viris.*

Hæc pulchre cecinit ille; vbi afabre effigiantur amasiæ pudibundæ, quibus non licet mori, & hilares, & victrices, quæ ardenti correptæ igne conflagratione sui funus maritale conde corant. Ijs tamen obiecerim Mariam mortifero Crucis adstantem letho summi Regis, summeque dilecti Filij, & sponsi funus parentantem. Accedat tamen Nazianzenus Propertio, vates vati, profano Theologus, qui hæc Ma- *Nazian.*
riana verba in sua tragedia dedit.

*Filij vt vultum mei*
*Squalore vidi plurimo, & sanie obsitum,*
*Mors sola votum est, vita mors tantum mihi*
*Agite iam, agite vos vitam non feram amplius.*

Et sane pudor erat non licuisse mori, & sane victrix ardebat, toraque amoris ignibus fulgurata crebrius imposuit ora perusta suo & imperatori, & filio, & sponso, vnaque cum illo morte interibat, vt merito Sophronius dixerit, quod erat dilectio eius durior quam mors, quia mortem Christi suam fecit.

Hæ Regiæ inferiæ ex dilectissimorum conflagratione debebantur tanto occumbẽti imperatori: hæ peractæ sunt ab amantissima Maria: hæ promissæ fuerant Christo, Zachar. 12. *Zach. 12.*
vbi iuxta septua legitur, quod plantus eius erit, *sicut plantus malogranati, quod in campo succiditur.* De quo Theodoretus ait, *non temere alijs arboribus relictis ex malo granato duxit similitudinem, Charitatis enim typus malogranatum granahabet coniunctissima.* Ego adderim, quod & Regni sit etiam malogranatum typus, vt vel sic Regiæ notarentur inferiæ Christo Domino peractæ, quæ morte, & conflagratione omnium amantissimæ vltimum honorem aequirerent.

## §. VII.

### *Maria Filium à suis in Cruce desertum vehementer lamentatur.*

HÆREO proxime adducto ex Zacha- *Zach. 12.*
ria loco, quod fecialis Mariæ de Christo Domino plãtus sit, *sicut plantus malogranati, quod in campo succiditur.* Quod eleganter expendit Cyrillus hijs verbis: *Similẽ plan- Cyril.*
tũ, ait, *fore qualis est plantus agricolæ malogranato arbore cũ malis excisa.* Etenim malo granatum arbor est, á radice plena ramis, & cũ malis punicis decoratur, sanè gratissima accidit cultori agricolæ. Hæc igitur arbor plena pomis, decora fructibus, si infausta, inui-

daque

daque manu ſuccidatur, non poteſt, non maximum luctum, meroremque excitare in agricola. Præſertim cum exciſa arbore neceſſum ſit, quod maneat orbata fructu, quod fructibus hinc inde excuſsis illa in gloria ſuperſit, & inutilis truncus. Quomodo hanc videbit agricola ſine ingenti luctu? & præcipue ille agricola, cuius cultura, & diligentia arbor creuerat, ille qui magnis curis excoluerat arborem ſpe allectus fructuum. Proh dolor ſuam ſine fructibus arborem vidit agricola, malum illam pulcherrimam Chriſtum quam Virgo adoleſcere fecerat, quam magnis curis nutriuerat, quãque fructificare miro modo aſpexerat, & plenam totidem fructibus, quot diſcipuli eius doctrina creuerant, hunc inquam malum Chriſtum conſpicit eius cultrix Maria ſucciſſam, medio in campo in gloriam, excuſſam fructibus, diſperſis vndique diſcipulis quaſi ignobile, & ſterile lignum derelictam. Qui tunc luctus eſſet Mariæ? qui mæror? qui dolor eius animam transfigeret? Recte D. Chryſoſ. huc retulit gladium illum doloris à Simeone prædictum, *ter, inquit, negauit Petrus, alij diſcipuli relicto eo fugerunt; pertranſiuit igitur Mariæ animam gladius*, & cur non per tranſiret gladius animam agricolæ videntis arborem pulcherrimam à ſe excultam ſucciſſam, marcidam, omni orbatam fructu? & cur non pertranſiret animam virginis gladius, cum videret diſcipulos tam magnis curis partos, & conquiſitos, & excultos, exſuflatos eſſe á vento paſsionis, arbore vitæ quaſi inutili in monte relicto? Hunc virgineum dolorem pulchre expendit Anſelmus: *Adiectus eſt his doloribus eius dolor alius: Petrus, & alij diſcipuli de nihilo in apoſtolatum electi, & iam in tantæ celſitudinem virtutis vt Dæmonibus imperarent erecti, nec non ſecretorum filij conſcij, & familiares in cunctis effecti, inſtante hora traditionis eius, fugam ineunt, & eum pro quo ſe mortem paulo ante ſubituros promiſſerant, obliti tantorum bonorum ſponſionisque ſuæ ſolum ipſa virgine conſiderante relinquunt. Vnde ipſum ad paſsionem omnibus amicis deſtitutum tendentem hac voce ſequebatur Maria gemens: vadis propitiator ad immolandum pro omnibus, non tibi occurrit Petrus, qui dixit pro te moriar, relinquit te Thomas, qui ait, eamus, & moriamur cum illo omnes, & nullus ex eis niſi tu ſolus duceris, qui me caſtam conſeruaſti filius meus Deus meus.* Hiecine erat plantus Mariæ qualis eſt plantus agricolæ ſuper malum granatum, à quo ſucciſſo excuduntur & fructus, quaſi plantus chariſsimæ matris ſuper filium ſummis curis nutritum, quem abſciſſum à terra viuentium in morte marceſcentem relinquunt diſcipuli laborum ſuorum fructus.

*Chryſoſ. oratio. de occurſu Dñi, & Simeonis*

*Anſelm.*

## §. IX.

### *Mariæ iuxta crucem dolores partuum dolores ſuperarunt.*

VIRGO gaudio, & lætitia plena peperit ſaluatorem, vt recte aduertunt Cyprianus, Athan. Niſſenus Damaſc. Bern. Sed quos pariens fugit, hos dolores patitur iuxta crucem. Vnus Ruper. circunfertur hac in re elegãter (vt aſſolet) verſatus, qui lib. 13. in Ioan. cap. 16. ſic argumentatur. Si eunctos diſcipulos ſuos in tormentis poſitos Dominus mulieri comparat parturienti, *quanto magis mulierem hanc ſtantem iuxta crucem ſuam mulieri parturienti talem matrem talis filius recte ſimilem duxit? quid autem dico ſimilem cũ vere ſit mulier, & vere mater, & veros habeat in illa hora partus ſui doloris?* Hæc ille, rem cõfeciſſe putans, ſi Virginẽ iuxta crucem parentium doloribus ſuaſerit excarnificari.

*Canyſius lib. 2. c. 28.*

*Rup.*

Verum quid maius excogitauit Amphilochius, dum iuxta crucem Mariam imaginatur ſic ſtantem? *Virgo manſi, & magis mordeor viſceribus quam matres.* Expendenda nobis illa ſunt verba, & magis mordeor viſceribus quam matres, ideſt, magis exrucior, magis torqueor, magis dilanior quam quæ obſtetricante natura fiunt matres. Etenim non vniuerſæ, quæ parturiunt, ſunt matres imo quam plurimæ parturiunt, non vt matres fiant, ſed vt emortua in vtero prole membratim educta, ſummis doloribus, omniumque maximis cruciatibus vitam ſibi emercentur orbam, & ſolitariam. Hinc ſuos acerbiſsimos explicat Maria cruciatus, magis ait, mordeor viſceribus quam matres, crucior, lanior, vt laniantur, & excarnificantur illæ, quæ vel mortuam, & laceram prolem coguntur enomere, vt viuant ſolitariæ. Ab hac excogitatione ſtat Damaſc. lib. 4. de fide orthodoxa, cap. 15. dicens: *Ipſa Beata Maria, & ſuper naturam donorum digna effecta dolores partus, quos effugit pariens, illos tempore paſsionis ſuſtinuit ex materna compaſsione viſcerum lacerum reparturiens, & quem Deum per natiuitatẽ agnouit, illũ vt maleficum interfectum videns, tãquam gladio cogitationibus decerpitur.* Expẽ de illud, lacerum reparturiens, quaſi diceret quod ſuſtineret non eos dolores partus, quibus afficiuntur, quæ ex naſcente prole fiunt matres, ſed eos, quibus laniãtur, quibus diſcerpuntur illæ, aquarum vtero laceri, & dilacerpti fœtus fruſtra eradicantur. Eam ipſam Ma-

*Damaſc.*

ria laniationem iuxta crucem patitur, dum ex materna compassione viscerum, lacerum, & decerptum filium parturiens, decerpitur, dilaniatur. Vidit inclyta illa Machabæorum mater septem filios euiscerato s, laniatos, membratim sectos, quos dum sic Domino parturiebat, occubuit ipsa tandem. Ad quam pulchrè
*Ambr.* Ambros. lib. de Iacob. 2. cap. 11. *Pia mater supplemento passionis adiuncta, quæ in talibus filijs integram pietatis formam, & parturiuit, & peperit.* Quibus verbis liceat modò finire Mariæ compassionem, quę dilaceratum filium conspiciens, summis agitata cruciatibus, longè perfectiùs, quàm Paulus filij supplemento passionis adiuncta, in tali filio integram pietatis formā, & reparturiuit, & peperit.

## §. X.

### *Maria superstes Filio dilectissimo, suos dolores absq; vllo solatio sustinuit.*

NESCIO vtrum grauis erat Mariæ, vel quod ipsa viueret, vel quod Filius moreretur? Rectè Arnoldus Marianos expendēs dolores ait, quod difficillimum erat, morieba tur, & mori non poterat; si enim morienti Filio ipsa immoreretur, id pro solatio, & dolorum præmio reciperet; at tunc non posse mori, calamitosum illi extitebat, & difficillimum. In summa Saulis, & Ionathæ calamitate, hoc solatium inuenit Dauid, quod nec pater filio
1. *Reg.* 2. superstes extiterit, ait enim. 1. Reg. 2. *Saul, & Ionatha amabiles, & speciosi, qui in vita sua non fuerant disiuncti, ita nec morte sua separati sunt.* Maximum hoc amantium solatium & dolorum leuamen est singulare, quod vna illos opprimat mors, ne se alter sine altero vi-
*Chrysost.* deat. Vnde elegāter Chrysost. fatur. *Quod ait, neque in morte separati sunt in solatium doloris; iam enim, inquit, non potest dici, quod filius orphanum se esse lugeat: neq; quod propter orbitatem suā deploret. Verùm quod nullis obtigit, illis contigit, videlicet vno, eodemque die ę viuis eripi, neutro alteri superstite: existimabat enim vitam iniucundam fore, si alter ab altero fuisset diuulsus.* Ecce tibi vnde istorum minuuntur dolores, augentur tormenta in Maria, dum se dilectissimo Filio superstitem videt, sine quo vita amarissima exitura erat. Quem nullus casus à matre viuētem separauit, siccine separat amara mors? Verè amara est, quando mortuo filio nullum inuenit solatium mater gemebunda, perpetuò suam orbitatem declamans. Sanè plenā doloris tūc res agebatur, nullus ibi locus patebat solatio: è contrario, omnia accidebant, quam Sauli, & Ionathæ, simul interemptis, nec alter alterius lugeret orbitatem. Hic Mater superstes est Filio amantissimo, diuelluntur ardentissimi amatores, moritur filius, & tamen non alter solū, sed vterque se gemit, & deplorat, orbatum. De matre, res est clara; de filio ita dicit Epiphan. in die sancto Paschæ, vbi Ioseph ab Arimath. sic inducit loquentem ad Pilatum. *Pro mor-* *Epiph.*
*tuo illo interpello, qui ab his vulneratus est, quos ille paternè sanauerat, & ipsa etiā matre quodammodo orbatus est.* Et mortuus Iesus, & in Regno quiescens, tamen vt matre orbatus tangitur, quid interea sentiret pia mater adhuc viuens in hac lacrymarum valle â tanto filio separata?

## *CAPVT XIII.*

# De Mariæ Virginis morte, resurrectione, & glorioſa, & triumphali assumptione.

MARIA Virgo, vt prę omnibus cōpassionis affectu iuxta crucem fuit excruciata, sic prima omnium glorioſa filij resurrectione extitit glorificata; semel in cruce ebibit passionis calicem, verùm â resurrectione Filij cœlestibus in dies poculis saginata, voluptatum torrenti immersa, nectareos à Christo percusso lapide fluentes latices hausit. Vitę huius eremum post filij necem vndecim annis incoluit, consequente eam petra; petra autē erat Christus, qui non iam sanguinem, sed ambrosiam sudans dilectissimam matrem refrigerabat. Hoc vitę spatio postquam diuini Spiritus excepit igneas linguas, maiori cæteris omnibus simul iunctis plenitudine, vixit apud Ioannem, nascentis Ecclesiæ altrix, & nutrix, Apostolorū magistra. Tādem expletis duodecim ætatis lustris, plus, minusue mortem gustauit, & tumulo reuiuiscens glorioſa reuolauit ad superos.

## §. I.

### *Nullam pretiosiorem mercedē potuit Deus amatrici Matri in sublimioribus reddere, præter mortem.*

MORTIS calice hausto â Deo ipso, nulla mortalis natura fauorem daceret, si & ipsa mortem non biberet. Quod ipse

Impe-

Imperator gustauit poculum, militem bibendum accipere, maximum sané est fauoris, & honoris indicium, eoque solum dignus, qui summo amore deuinctus adstat Principi Xenophon de laudibus Agesilai, hoc inter alia dicit. *Duplicem potionem in conuiuijs ex instituto accipiens, nec siquidem tota vt ebatur, verùm simplici, nec integra contentus reliquum distribuebat.* Ratus geminam Regi potionem dari non sacietatis gratia, sed quo posset quem velit honorare, & quem vellet, nisi quem amaret? Hinc nihil magis cordi fuit Domino, iam iam mortis calicem potaturo, quã à se prægustatum amantissimis eum propinare discipulis. Sic enim orat. *Transeat à me calix iste.* Quam orationem expendens D. Hilar. canon. 31. in Matth. ait *Pro his rogat, qui passuri post se erant, dicens: transeat calix à me; id est, quomodo à me bibitur, ita à meis bibatur.* Quasi ita à Patre expostulasset: non mei solius causa tantus hic calix propinetur, bibam ego, sed post me bibant & illi, qui me amant. Hinc natum illud, quod acutè, & verè animaduertit D. Fulgent ad Trasimundũ Regem, lib. 3 cap. 24. sic fando. *Primitus Christus ad confessionem amoris inuitat, vt facultatem ponendæ animæ suo deinceps amatori concedat.* Ponderanda hæc maximè, nempe vt facultatem ponendæ animæ amatori concedat. Etenim non infligitur reo, sed indulgetur mors amanti, posse mori concessio est, facultas est, prærogatiua est Christi amatoribus indulta, hisque solum propinata. Sic Maria mater, vt quæ supra omnes filium amarit, non potuit carere hac facultate, ac moriendi in Domino prærogatiua, nec alia re posset Deus in terris tantum sui amorem Marianum condecorare. Ter prius de ardentissimo sui amore Petrum Dominus interrogauit, vt illũ prærogatiua mortis insigniret. Sic Ioan. 21. *Petre, amas me?* Idem bis, & ter repetiuit, & post pauca: *Cum senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te,* significans nimirum, quam mortem Petrus erat subiturus. Accipite hoc ex Fulgentio, vbi supra. *Cum illi tertio interroganti trinum amoris sui testimonium reddidisset, statim Dominus Petro ponendæ pro se animæ largitus est facultatem, dicens: Amen, amen dico tibi, cum esses iunior, cingebas te, cum senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te.* Ecce tibi mortem pretium, & meredem constitutã ardentissimo Dei amori, non ergo Maria moriendi in Domino facultate debuit priuari, ne eius erga filium strenuus amor propria amatorum mercede abiret vacuus; imò ab ipsa arena fuliginea mortis coronam donatus triumphalem rhedam æternum triumphaturus scanderet. Sic D. Damascen. orat de dormit. Deiparæ, ex pretiosa sanctorum morte pretium, & æstimationem Marianę dormitionis his verbis venatur. *Verè quidem veneranda est mors Sanctorum Domini à Dei potestatibus, longè autem magis veneranda est Matris Dei migratio, vt quæ soli igniferi amoris sit incineratio, & flemma singulare.*

Mat. 26
Hilar.
Fulgent.
Ioan. 21.
Fulgent.

## §. II.

### *Maria moriens non rigidæ Adami legi obtemperauit, sed filio Deo obsequium præstauit.*

QVID cum Maria mors? Sanè parentes iam morti obnoxios, mortalique pelle circumamictos à Paradiso eiecit Dominus, *ne fortè alter mitteret manum suam, sumeretq; de vitæ arbore, & viuet in æternum.* Maria nulla peccati lege comprehensa integram in se habuit arborem vitæ Christum, ex qua & sibi & vniuerso hominum generi vitam parturiuit. Cur in æternum non viuit? Cur sese morti dedit? Cur minimè corpus suum æterno victurum tradidit legi communi? Non debito legis communis peccati; non maturę damnatæ seruiuit Maria, nec eius rigidis legibus cessit moriẽs, sed Christo. Pulchrè id insinuat Andræas Cretensis hom. 1. de dormit Deip. vbi miraculã in Mariana morte peracta contemplatus ait. *Erat tunc quoque Verbum præsens, & legem fecit cessare; legem, inquã, mortis, cui nihil poterat afferri detrimenti.* Ius mortis in hominibus huc vsque inuiolatum, vnam Mariam minimè læsit, vnam Mariã non attigit, sed mortis, & naturæ iure contempto, mortalium duras leges despiciens, præsenti Filio obsecuta Virgo induit cadauer. Accipite Damasc. qui moribundam Virginem depingit sic fantem ad Filium. *In manus tuas, Fili commendo spiritum meum, suscipe tibi charã animam, quam conseruasti alienam ab omni reprehensione. Meum corpus tibi trado, & non terræ, custodi saluum, quod tibi placuit habitare.* Expende illud, meum corpus tibi trado, non terræ, cuius verbi pulchritudinem vt percaleas, reuoca in memoriã id quod crebro solet iudicibus accidere. Insequitur quandoque fustarius hominem, vt comprehendat, claudatq; nigro in carcere, ille elapsus fustari manibus loco munitur secuto, vbi liber ab iniuria manet: Instant iustitiæ ministri, mille mouent lapides, vt hominem trahant, circumuallant satellibus locũ, machinas conglomerant, vt expugnent, vt capiant, adest vniuersa ciuitas spectatrix, vident irrita satellitum conamina, robur, & astum fugientis admirantur. In-

Gen. 2.
Andr. Cret.
Damasc.

terea ille à fustarijs inexpugnabilis, illorum in iustam violentiam protestans sese libens viro alicui nobili, aut principi tradit, cui salutem committit suam, & securitatem. Ita prorsus, ait Damasc. Mariam grandæuam mors insequebatur, inuiolabile ius inferni tenere cupiebat, illa horum euadens manibus contemptis mortis, naturæque legibus, vni se dilecto filio tradit, hac sui traditione protestans: *Meum corpus tibi trado, & non terræ.* Quasi diceret: in me mortis satellites ius non habent, illorum legibus non pareo, eorum iura abominor, expuo; me tibi, ô Fili, trado, tibi corpus meum credo, qui incolume reseruabis.

Et quidem Deo mortuo, vt à mortis, naturæque infectæ tyrannide erat libera, sic hoc debebat obsequium filio præstare, vt moreretur & ipsa. Vniuersus mundus contremuit moriente Deo, elementa maximè turbabantur, cœlestia ipsa incorruptibilia lugubre quid, & tenebrosum reptabant. De quo D. Leo serm. 6. de passione ait. *Debebat hoc testimonium suo mundus authori, vt in occasu conditoris sui vellent vniuersa finiri.* Itaque Maria non potuit hoc mortis debitum Filio mortuo negare, debebat vni Christo hoc testimonium, vt ipsa quoque vellet finiri, & ideo vt debitũ Filij exoluat, moritur, illi vni suum corpus viuificandũ credens non terræ, non sepulchro, quorum legibus ipsa non tenebatur, vt Cretensis addit. *Te nequam potest habere, ô Virgo, sepulchrum aduersus te non valebunt inferi, animam enim regiam non attingunt ea, quæ seruiunt cum alijs.* Itaque Mariæ vita vt potè regia, nulliusque seruitutis inusta macula, omnes iustitiæ satellites declinãs, non mortali, non puluerulentæ legi cedit, sed vni Filio Deo mortuo debitum obsequium moriendo persoluit.

Leo.

Cretens.

## §. III.

### *Maria dum moritur, mortem honorauit, & illustrauit.*

HOC in primis scribendum eduxit Angelus Ioanni Euangelistæ, nimirum, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Et qui non à morte beati? Argutè Olimpiodor. in cap. 8. Eccles. *Transitus dies stadio nos abducit, & siquidẽ peccator est, qui decedit peccare, vltra iam desinet; qui verò fuerit iustus vita perfruetur æterna.* Tam iustus, quã peccator debent morti maxima beneficia ab eius manibus accepta. Vna Maria Virgo non à morte beatur, imò ipsa mortem beat, & condecorat. Ita Damasc. serm. 1. de dormit. Deiparæ. *Non te mors beatam reddidit, sed ipsa mortem exornasti.* Huc vsque nihil magis inglorium, quàm mors, infamis erat puluis, & cinis peccati pœna, reorum indicium. Verùm Maria moriens, & mortem, & puluerem extulit, omnemq; infamiæ notam excussit. Huc spectat illud verborum pondus, quo Andreas Cretensis Mariã parentauit, dum inquit. *Quæ puluerem reddit cœlestem, terræ reddidit id, quod est ei cognatum.* Quasi diceret: O vos felices funereæ faces, ô mors, ô cinis, ô puluis, hodie in æternum decoramini, illa puluereis mortis aggeribus additur, quæ puluerem reddit cœlestem, quæ didicit puluerem diuinitate, & ditare, & illustrare.

Olimp.

Damasc.

Cret. homil. 1.

Stupet Chrysost. mirabilia â luteis, terrenisque hominibus peracta postquam induti Apostoli fuerunt virtute ex alto. Cur talium effectores terreni? An non melius quod exuti terrena hac mole, & vtilitate fierent Angeli? Cur ad talia facinora assumpti sub puluerulenta natura manent? Ad hæc eleganter respõdet Chrysost. *Vt intelligas, ne priorem quidẽ illam pœnam fuisse pœnam, quando dixit: terra es, & in terram reuerteris, propterea manere permisit in terra, vt amplius potentia spiritus ostenderetur, quæ talia per terrenum corpus perficeret. Nam videre erat luteam manum morbos sananten.* Sic Chrysost. antiquam illam pœnam puluueris dicit illustratam, & condecoratam virtutibus ab Apostolorum puluerulenta natura dilapsis. Quid plura? Stupes Marianum corpus examen miraris marcescentem illam radicem, ex qua arbor vitæ pullulauit? indignaris quod facta cinis frigeat illa, quæ incombusta Diuinitatis flammis exarsit? quę lumen peperit immortale? Erubescis sub terra degens sublime Dei tabernaculum? Sanè vt intelligas (sic Chrysost. verbis licet fari) ne priorem pœnam, quando dixit, terra es, & in terram reuerteris, propterea manere matrem permisit in terra, vt amplius potentia spiritus ostenderetur, quæ talia per terrenum corpus perficeret. Nam videre erat luteũ illud vas dæmonibus imperans, morbos pellens, mundum sanctificatione ditans. Vnde Andreas Cretens. hom. 2. *Quibusnã vnguentis vngent corpus tuum odoriferum, & impolutum, & plenum sanctificatione, ex quo scatet remissio, ex quo Deificatio, in quo est perfectio.* Etenim quando genus hominum in puluerem egit diuina vltio, ibi diuinitatis superba desideria contriuit, ibi naturæ humanæ imperfectum nudauit. Porro cum in puluere sedit Dei mater, iam puluis, non supplicium malæ concupitæ diuinitatis. iam puluis, non iudicium imperfectionis. Imò ex puluerulento Mariæ cadauere impoluto scatet remissio,

Chrysost. orat. de sancta pentente.

Cretens.

erum pit

erũpit Deificatio, prosilit perfectio totius naturæ humanæ, sed & ipsum sepulchrum eam pertingit virtutum efficacitatem, vt clamet apud Damasc. *Nunc diuina in me habitat gratia, ego euasi officina medicinæ ægrotantibus, ego sum refugium omnibus confugientibus.* Vt vel sic Mariani spiritus eulgetur efficatia, quandoquidem eius sepulchralia Dæmonibus imperant, & omnibus morbis mederi se iactant.

Damasc.

## §. IIII.

### *Maria Virgo ardentissimis amoris diuini telis confixa emoritur.*

AMBICIOSO desiderio gloriæ tenebatur dux ille, qui apud Homerum Iliad. 22. sic de diuinæ matris fauore gloriabatur.

Homer.

*Insignem mortem mihi sæpe profata est.*
*Diuinis Phœbi radijs.*

Æstimans vnam illam mortem, quæ sub ardentissimi Phœbi radijs erat, solam Dijs satũ hominem decere. Sed age vana relinquamus vanis: hoc sanè verissimum, & glorioſissimũ est, quod Deipara insignem subijt mortem diuinis iustitiæ Solis radijs. Non morbi, non langor, non ægritudo, aut dolor aliquis; sed linguæ illæ diuini amoris igneæ dum Mariana præcordia suauiantur, spiritum elambunt. Sic ipsa apud B. Brigitam lib. 6. cap. 62. *Cum quadam die animus meus suspensus esset in admiratione diuinæ charitatis, tunc anima mea in ipsa contemplatione repleta fuit tanta exultatione, quod vix se capere poterat, & in ipsa consideratione anima mea à corpore fuit soluta.* Hæc decebat solutio fœminam, quæ in vtero Deum, & hominem connexit, sic diuinis Phœbi radijs validissimis charitatis telis plena gaudio cassura erat mater, quæ tã acerbos filij casus stetit speculata. De nobili Machabęorum matre benemeritus proculdubio est, qui illam non ferro, sed post filiorum tormenta hausta exuberanti gaudio interemptã putat. Sic de grauibus authoribus Sixtus Senensis lib. 5. Blibi. sub finem commentatur. Sunt qui gaudij magnitudine mortuam velint, è quibus ego vnius Victorini Afri carmẽ dabo, qui postremi filij necem rimatus sic ait.

Brig.

Senensis Vict. Af.

*Dum puer ista gerit, soluêrunt gaudia matrem.*
*Iamque vt erat laxata malis iam voce negata.*
*Suspirans interq; manus colapsa suorum.*
*Concidit ex animis, resolutaque membra quierunt.*

O mors digna tantæ matris! quam vt mille tormentorum acies inuictam obstupuerunt, sic ingentibus Deum amantis animi gaudijs, suauiantibusque flammis immersa occubuit. Hæc debebatur mors matri in filiorũ morte grauiora passæ. Hęc accidit proculdubio vnĩ geniti Filij Dei Matri, quam immensa soluerunt gaudia, quæ roscidis diuini amoris flammis ardescens inter manus collapsa suorum concidit exanimis, resolutaque membra quieuerunt. Iam nunc secundô rubus existens inter vorantes flammas incorrupta seruata est.

Post Deiparam altera legitur Maria, scilicet Magdalena amatorijs ignibus inflammata, quam cum primò offendisset Christus Dominus glorioſus iam è prælio passionis resurgens totam Deo in holocaustum igniuit, vt Iepte sibi primó occurrentem filiam. Sic non ignobiles Mijstæ. Verùm satius dixissent, si quod Magdalenæ, tribuant Deiparæ. Etenim verus Iudex, & Saluator mundi Christus à bello reuertens, spoliatus inferos, quam Deo litaret, & primó inuisit, & offendit Mariã Deiparam, primoq; inuentam charissimam matrem, & filiam nouus Iepte ardentissimis amoris facibus adhibitis in holocaustum conflagraturam reliquit. Ex quo Mariana anima iuxta Rupert. lib 5. in Cant. victima erat holocausti vsque dũ tanto igne consumpta libens interiret.

## §. V.

### *Maria amoris flammis consumpta debuit statim reuiuiscere.*

DECVIT sanè, vt quæ filiũ imitata est moriens, eundem imitaretur tertio die reuiuiscens; & cur non reuiuiscceret, quæ diuini amoris flammis exusta occubuit? Hanc crediderim sibi promisisse resurrectionem celerem sanctissimum Iob, dum occasionis occiput rimatus, inquit. *Dicebam, in nidulo meo moriar, & sicut phœnix, multiplicabo dies meos.* Porro phœnix, resurrectionis index, vt multiplicet dies, congestis vndique lignis flammas excitat, medijs quibus dum ipsa consumitur, nec dum frigescente cinere subuiuidi specie vermis reuiuiscit. Sic Iob Phœnicis æmulus ardentibus flammis exustus, quàm celerẽ sibi resurrectionem effingit, & sicut phœnix, ait: Multiplicabo dies meos, dum prius igne consumptus moriar in nidulo.

Iob.

Rara auis in terra Maria nidulo clausa ignibus diuini amoris consumpta, igneſcente adhuc cinere sicut phœnix multiplicat dies in ęterna sęcula reuiuiscẽs. Accipite Nazian. car. 3 ad Virg. vbi pulchrè hanc depingit phœnicis naturam:

Nazian.

Vt

*Vt phœnix moriens primos reuiuiſcit ad annos,*
*In medijs flammis, poſt plurima luſtra renaſcens.*
*Atque nouum veteri ſurgit de corpore corpus.*
*Haud ſecus egregia redduntur morte perennes.*
*Dum pia diuinis ardeſcunt pectora flammis.*

Arſit Maria diuinis flammis, illiſque conſumpta phœnix occubuit; nec miremur quod vbi phoenix combuſta egregiè moritur, phoenix alteta à flammis reuiuiſcat.

## §. VI.

### *Ex perfecta cum filio ſimilitudine Maria celerem reſurrectionem obtinuit.*

PVTRESCVNT meritò illi, qui imaginem terreni hominis ſibi effingunt; verùm qui coeleſtis hominis imaginem induũt, hi ſuffragante Apoſtolo viuificati reſurgent incorrupti. Virgo igitur Maria, in qua nihil terreni illius apparuit, quæ coeleſti induta Sole meritò dicitur â Richardo de S. Victore: *ſpecies Chriſti*, iure non puluis in puluerem, ſed coeleſtis, ſed Chriſtifera, perennem conſurrexit ad vitam. Eleganti argumento vtar, quod confecit Origenes hom. 5. in Hierem. his verbis. *Si ad peccatores dicitur, terra eſtis, & in terram ibitis, quare non dicatur ad iuſtum, cuius eſt regnum cœlorum, cœlum es, & in cœlum ibis?* Non potuit terra corpus illud virgineum retinere, in quo coeleſtis hominis reuerebatur figuram, mortis etiam vincula caſtigata à reſurgente Chriſto, vix Chriſto ſimilem Deiparam guſtauerunt, & ſtatim euomunt in tegram. Is qui ſemel cibi alicuius venenatos morſus experitur, cum primum poſtea quid ſimile, vel viſu percipit, vel guſtu, ſeſe ab illo, quàm occiſime poteſt, liberat; inſuper qui maximum damnum excipit ab inimico diſſimulante ſe, vel ad eius vmbram caſtigatus expauet, quem vt effugiat, libentiſsimè cedit iure ſuo. Hæc eadem acciderunt morti in dormitione virginea; etenim caſtigata illa, & corroſa à Chriſto ſimilem Mariæ carnem expauet, quam occiſimè vt effugiat, & tradit vitæ, & in coelum, cui ſimilis eſt, exſufflat. Pulcherrimè id attigit Damaſc. dum inquit. *Hanc autẽ omni ex parte beatam, quæ tota Deo fuit vnita, quomodo mors deuorauerit? Quomodo ſuſceperint inferi? Quomodo audebit interitus in corpus, quod vitam ſuſcepit? Hanc mors tantum aſpiciens extimuit, eius enim filium aggreſſa didicit ex ijs, quæ paſſa eſt, & cum ipſa didiciſſet; experientia fuit caſtigata.* Sanè expauet ſimile, & memor venenati morſus illius, ſiue nauſeæ priſtinæ, vbi Chriſtum deglutiens euomuit, & viſcera, modò vel aſpiciens virgineam carnem Chriſtiferam extimuit, compreſsiſque faucibus ad imaginem, vel vmbram coeleſtis hominis timida exclamat dicens, quod quæ portat imaginem coeleſtis hominis, & coelum eſt, in coelum viam arripiat, non in puluerem, vt meritò homil. 2, dicat Damaſc. idem. *Hodie Virgo immaculata, quæ nullis terrenis inquinata eſt affectibus, ſed cœleſtibus educata cogitationibus, nõ in terram reuerſa eſt, ſed cum eſſet animatum cœlum, in coeleſtibus tabernaculis collocatur.*

Orig.

Damaſc.

Damaſc.

## §. VII.

### *Maria integritas virginalis occiſsimam à ſepulchro in coelum euolationem pararat.*

SIQVIDEM, vt ait Ambroſ. *in coelo eſt patria virginitatis*, minimè decẽs erat, vt corpus illud virgineum Mariæ â viuis exclusum, longo tempore ſub vmbra mortis exularet à patria. Neque vllus reſurgentium ordo præſtantior excogitari poterat, quàm ille, quo eiuſdem integritatis, & incorruptionis viri primi obtinerent incorruptibilem vitam, & immortalem. Id forſan innuit Paulus. 1. ad Corint. 15. *In Chriſto omnes viuificantur, vnuſquiſque autem in ordine ſuo, primitiæ Chriſtus.* Et quid illud, *in ordine ſuo*? Anſelmus explicat de ſimilitudine virtutum, & meritorum, nimirum, martyr in ordine martyrum; virgo in ordine virginum. Æcumenius etiam agnoſcit quãdam temporalem prælationem, cui ſuffragatur Magiſter. 4. ſentent. diſt. 43. Scotus, Durand. Ricard. & alij. Et meritò intelligitur Apoſtolus ordinem temporis prætendere, vbi ſtatim cauit. *Primitiæ Chriſtus.* Quare placet vetuſtiſsimus Sedulius omnia complectens: *Vnuſquiſque in ſuo ordine, in ſuo ſcilicet honore, tempore ſeruato, quia primitiæ Chriſtus.* Vbi ergo honoris ratio habetur, in temporis ordine ad reſurgendum poſt Chriſtum, quo in ordine conſtituenda erat carnis Chriſtiferæ reſurrectio? Reſurrectio, inquam, illius Virginis, *qua nec ſimilem viſa eſt, neque habere ſequentem?* Sanè non decebat ordinem, vt quæ integritate, & puritate lõgè coeleſtia omnia ſuperabat, vt quæ virginitatis,

Amb. lib de virg.

1. ad Corint. 15.

Sedul.

tis, & incorruptionis stola ipsum Deum amiciuit, inter puluerulentas turbas ad vitam resurgeret immortalem.

*Tert. lib. 1. ad Auxor.* Inde Tertullianus pudicitiam commendat, maximè quod pudicioſiſsimè, vel ad primæ tubæ ſonitum euigilaturi ſunt. *Cur enim*, ait, *Dominus væ prægnantibus, & nutricantibus cecinit, niſi quia filiorum impedimenta teſtatur in illa die expeditionis in commodũ futura? Tum autem ad viduas non pertinebit ad primam Angeli tubam expeditæ proſiliẽt.* O ſumma caſtitatis commoda! qui hac non floruit virtute, etiam ſonante tuba, & repetito clangore in puluere pigreſcet, & tardabit. At virginitas florens, quàm exped tè ad primam Angeli tubam proſiliet. Et quidem hoc vno ſigno diuiſit Principes à turba populi.

*Num. 10* Num. 10. *Si ſemen languerit, venient ad te Principes, & capita multitudinis.* Quæ

*Procop.* verba ſic elucidat Procopius. *Vnius tubæ ſonitu conuocabantur Principes, acutius cernentes, & citius obedientes: at verò plebs conuocabatur ad tabernaculum Domini, ſæpius à Moyſe repetito clangore.* Inter reliquos ſanctos caſtitate floridi Principes ſunt, Reges ſunt, & ſic expeditiſsimi ad primum tubæ ſonitum euigilabũt, in ęterna tabernacula ituri. Et tantam præcellentiam tribuit Tertull. vni viduali pudicitiæ, maiora ſanè in eodem genere tributurus incorruptæ ſemper, & viuidæ virginitati Mariæ. Equidem creaturarũ Princeps, omnium capiti Chriſto propinquiſsima non turmatim cum vulgo hominum, ad ęterna tabernacula erat aſcenſura, virginumq; puriſsimarum gloria, & ſtupor, non perſtrepentem clangorem buccinæ expectatura; ſed vel tenui ſpiritus aura, aut ſibilo cum primum euigilatura.

*Ezec. 37* Quæ intuitus eſt Ezech. c. 37. oſſa arida ſe ſe mouentia neruos, carnem, cutemque induẽtia, vt iterum reuiuiſcerent. Pulchrè compara

*Theod.* uit Theodoretus cum corpore Adami ex arida efformato, membriſque omnibus elaborato, antequam vitam ebiberet. *Priſtinũ*, ait, *opificium, altera inſtauratio conſequitur; ſicut enim primi parentis Adam corpus prius effectum fuit, deinde in ipſum anima inſpirata: ita hic quoque oſſa conuenerunt ad propriã compagem; produxerunt autem carnes, & neruos, & cute cooperta ſunt.* Verùm in tam ſimile corporum è puluere opificio abſimilẽ inuenio vitæ elargitionem: Adami enim corpus placidiſsimo oris Dei ſibilo excitatur in terram, cum ait: *Spirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Vel vnico Dei halitu euigilat Adam expergefactus. Illa autem corpora ab Ezechiele viſa, vt in vitam reſurgant, hîc opus, hîc labor eſt. Iubetur vates clamare, & non vnam auram, non vnum halitus ſibilum, ſed vniuerſos ventos allicere, vt illis vitam afferant: ſic enim dicit: *A quatuor ventis veni Spiritus, & exſuffla ſuper interfectos, & reuiuiſcant.* Cur igitur corpora tam ſimilia, tam ſimili arte conflata, tam vna materia conſtituta, tam diuerſimodè excitantur ad vitam: Hęc ægrè, & difficulter, reſonantibus, perſtrepentibuſque angulis mundi, & non alio expergiſcuntur, illud ante clamores, vel ſolo ſibili halitu excitatum inſurgit. Equidem huius rationem D Irinæus lib. 3. cap. 31. propinat ſic in quiens. *Protoplaſtus ille Adam de rudi terra & adhuc virgine, nondum enim pluerat Dominus, & homo non erat operatus terram, habuit ſubſtantiam, & plaſmatus eſt manu Dei.* Hæc ſanè tota ratio diſcriminis Adami corporis puluerulenta materies, erat virginea, renidens adhuc primæuo ſui, & natiuo flore, cæterorum corporum materies, mille iam corruptiones experta erat; iam omnis caro corrupẽrat viam ſuam, ideo à corrupto puluere vt excitentur, mille indigent clamoribus, & reſonanti buccina; virgineus, & incorruptus puluis non ita vno ſibilo viuificatur, vt vel ſic conuincatur, Mariæ virgineam carnem longè ante tubam, ante communes ſtrepitus, ſibili Dei halitu exurrexiſſe ſuſcitatam in vitam. *Iren.*

Hanc, crediderim ob virginalem virorem, celerem Mariæ ſuſcitationẽ inſinuari cap. 24. *Eccl. 24* Eccleſiaſt. dum dicitur, *quaſi platanus exaltata ſum.* Etenim platanus ſummè commendatur ex eo, quod teſte Ruelo, cap. 118. Solem æſtatibus arceat, placidiſsimiſque vigeat vmbris, *vmbræq; gratia ex alieno petita ſit orbe.* Imò ex Theophraſto idem Ruelus affirmat platanum vmbriferam, *trunco ſecuri dolato reſurrexiſſe, atque noctu leuatam onere reuixiſſe, corticem iterum conueſtiuiſſe.* Vt platanus ergo exaltatur Maria, dum placido obumbrata ſpiritu, conceptum, & partũ Virgo incorrupta ſuſtinuit, nec tanti Solis amictu damnum ſenſit, indeque poſtea a terra viuentiũ abſciſſa ſepulchro condita quàm occiſsimè reuixit, depoſitoq; mortali onere ſurrexit ſpirituali, & glorioſa leuitate refulgens. *Theoph.*

## §. VIII.

### *Excellens Mariæ Virginis innocentia illam ſtatim vi[illegible] reſt[illegible].*

QVI carcer acceptum i[illegible]atem, non ſtatim libertati reſtitu[illegible] ſortis, & ſepulchri carcer iam id didicit in [illegible]riſto, quem innocentem guſtatum euomuit [illegible]nregrũ. Sic Pſal. 40. ad patrem loquitur filius: *Propter innocen-*

*Psal.40.* *nocentiam meam ſuſcepiſti me.* Quæ cõmentatus Ambroſius inquit *Suſcepit eum pater reſurgentem, quia nulla eum offenſio prolapſionis aſperſit. Immaculatus ad Patrem redit, à quo immaculatus exiuit, quando deſcẽdit ad terras. Vnde dixit ei Pater: Filius meꝰ es tu, ego hodie genui te.* Pſal. 2. *Hoc eſt, generationis meæ in te priuilegium recognoſco, quem nulla macula potuit inquinare peccati.* Simili ingenita animo innocẽtia pollens Virgo, mortis diſruptis vinculis ſuperam reuolauit ad patriam. Omnino immaculata non potuit diu contineri in puluere. Ramus ille oliuę qui in communi omnium ſubmerſione poſt diluuium, poſt cadauerum colliſionem, poſt luti, & aquarum immenſam moſem, adhuc virens à columba inuenitur, non amplius in puluere inſidet, ſed in aream reuocatur quam primum. *Carth.* Etenim vt rectè argumentatur Carthuſianus, ramꝰ hic non ex arbore decerptus fuit, ſed é puluere, & luto, in quo deciderat ſumptus, & aſſumptus à columba. Inſuper ſi Hebraico inſiſtamus fonti, qui nobis ramus eſt, Hebræis ſonat *Ghalh*, quæ vox oritur à radice *Haleth*, & ſignificat aſcendere eo modo, quo folia decidua in puluere leuitando quaſi aſcendunt, quod forſan expreſſerunt Septuag. dum dicunt, quod erat columba *Folium oliuæ feſtucam portans in ore.* Expende To *feſtucam oliuæ*, eſt enim feſtuca leuis quidam apex, ſeu folium à puluere leuitans in ſublime. Et meritò ramus poſt tantũ diluuium vigens, priſtinoque virore perpulcher, à puluere leuitabat, & aſcendebat, & à columba aſſumptus ferebatur in aream ſublimis. Itaque Maria, quę tot effugit diluuia, quam nõ maculauit culpę originalis diluuium, cuius virori & pulchritudini nihil damni intulit peccatorum, miſeriarumque mundialium profluuium, puluere in ipſo leuitaret in aſtra, & aſcenderet, indeque quàm citiſsimè deberet, in æternam menſionem aſſumi. Ad conſpectum viridantis rami in arcam aſſumpti, vt ait Ambroſ. lib. de Noê *Amb.* & arca, cap. 19. *Vir iuſtus gauiſus eſt fructum de vetere ſemine aliquem reſeruatum, & inde collegit miſericordiæ inſigne diuinæ, quæ fructum demonſtraret, cui non potuiſſent nocere diluuia.* Sed ò quàm iuſtius gauiſus eſt totus ille coeleſtis virtutum chorus, cum à puluere eleuari viderunt carnem Virgineam, carnem de veteri ſemine reſeruatam; de veteri, inquam, illo ſemine, quod ante peccati diluuiũ extitit in Adamo. Etenim videbant in Maria carnem innoxiam priſtino Paradiſi vigentem flore, cui non potuiſſent nocere diluuia mortis, aut peccatiſsimo quę peccati immunis mortali gurgite ſuperato æternùm viuitura ſupra omnes creaturas celebratur.

*Text. Exillo Luc. 10.* Et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domo ſua.

## §. IX.

*Maria Virgo mulieris vocabulo afflicta debuit quàm citiſsimè, vt Chriſtum videret, à puluere euocari in coelum.*

PVLCHERRIME Eccleſiaſtica prouidentia Mariæ reſurgenti, in coeloſque aſcendenti fragmentum hoc capitis 10. D. Lucæ aptabit, cuius vel ſingula commata nobis oſtendunt id, vnde debuit Dei Mater præcellenti à Deo gloria ditari; & prætermiſſa inſigni Marthæ virginitate, qua Deum hoſpitem habuit, & egregiè Mariam Virginem effigiauit, cuius virginitas occiſsimam reſurrectionẽ traxit, vt vidimus §. 9. Inſto mulieris vocabulo, quo Virgo à Filio quandoque fuit appellata, imò & mortificata. Hic ego compono grauiſsimas Patrum ſententias, quæ videntur diſſidere, dum alij verba illa apud Ioannem 2. iactata, nimirum, *Quid mihi, & tibi, mulier?* *Ioan.2.* Verba dicunt reprehenſionis, obiurgationis, & exaſperantis. Alij maximè id abnuunt, reſpuunt, & reclamant, vt videri poteſt apud To *Tolet.* letum. Porrò, etſi negemus, verba illa profecta fuiſſe ab animo in Virginem amaro, quod mihi euidentiſsimum faciunt, & amantiſsimi pietas Filij, & ſumma innocentia Matris; tamẽ verba ipſa ex ſe aeria ſunt, acerba ſunt, maximeque amatorem animum ſtimulantia. An non amantis Matris præcordia tangerentur, cum ſe à Filio Mulieris communi vocabulo ſenſerit compellari? An non Mater pungeretur, cum omnes communi aſperitate, & ſeueritate tractentur? Et quidem inde eiuscelerrima à ſepulchro euocatio fuit obpignorata. In hanc me traxit cogitationem D. Hilarius, qui *Hilar.* Pſal. 52. acutè expendit fauorem illum maximum, quo Chriſtus Dominus Moyſem præ cæteris Patribus apud inferos exiſtentibus honorauit, dum relictis alijs vnum illum in tranſfigurationis gloriam euocauit. Cæteri omnes Sancti anxiè cupiebant gloriam Filij hominis videre, cur Moyſes, vt prius videret, in Tabor raptus? An quia Moyſes viuens à Deo fuerat mortificatus, & caſtigatus? O iuſtã amici Dei mortificati à Deo retributionem! *Magis*, ait Hilar. *his quæ volumus propitiatus eſt, quàm his*

*his, quæ non poſſumus, iratus eſt. Nam Moyſi fideli vtique animo ſuo dixiſſet, quia non glorificaſti me in aquis contradictionis, aſcende in montem, & morere: Hunc ſibi poſtea vnà cum Elia ab Apoſtolis in monte conſpectum beati, & æterni regni ſui conſortem, & martyrem reſeruauit.* Hæc Deum Optim. Max. pungebat cura, ne amantiſsimus ſibi ſeruus amaris conceptis verbis hæreret amaricatus: ideoque non poſteriores expectauit glorias, vt illum cum cæteris glorificaret; ſed cum primum glorioſus apparuit, ſibi amicum aſciuit ab inferis, vt tantæ gloriæ fieret particeps.

Qui talis erga ſeruum extitit, qualē ſe exhibere debuiſſet erga dilectiſsimam matrem: illam crebro hominum ſaluti proſpiciens aſpero mulieris vocabulo tetigit, illam mulierum mortali legi tradidit, illam ergo non ad communem omnium reſurrectionem, & glorificationem reliquit; ſed cum primum licuit ante omnes à ſepulchro in gloriam euocauit. Pulchrè depingitur á Cypriano Chriſtus in cruce moriens, hac vna cura ſtimulatus, quod amantiſsimam Matrem aliquando paulò ſeuerus tractarit. *Cypr. ſerm. de Paſſ.* *Conſidero te*, inquit, *in cruce de Matre ſolicitum, cui volenti loqui tecū, cum euangelizares, negaueras retro actis diebus colloquium, & prætuleras Matri auditores Verbi, pauperes ſpiritu, dicens, eostibi eſſe pro matre, & fratribus, qui voluntati patris obtemperant: nunc materno moueris affectu.* Hæc Cyprianus, & meritò Chriſtum Dominum abeuntem in cœlum effingit memoria ſolicitari diſsimulata in Matrem ſeueritate, hęc ſanè pungebat Deum cura, hæc illum diſcedentem comitabatur; in gloria ſolicitabat, ne dubites ex hac cura ante omnes â ſepulchro fuiſſe Mariam in gloriam euocatam, vt amplexibus Filij potiretur optatis.

## §. X.

### *Maria dum Filium Dei hoſpitio recepit, ſimilem gloriæ Chriſti gloriam obtinuit.*

NEMINI dubium eſt, à Chriſto Domino ſuæ carnis celerem reſurrectionem, & glorificationem promeritam fuiſſe. Quid plura? Eādem ſibi debuit obtinere Deipara. Etenim apud Matthæum dicitur: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ recipiet.* *Mat. 10.* Hoſpitij exhibiti iure, Maria obtinuit eandem mercedem Filij, hoc eſt, ſimili gloria indutam æternat virgineam carnem. Hinc eleganter D. Athanaſ. argumentatus eſt his verbis. *Athan.* *Ex carne eius, & ex oſſibus eius, veluti ex veteri Adamo, nouꝰ iſte Adam, vt vicem eius expleret, coſtam ſibi finxit: nimirum iſtam incarnationē, eamque ſemel indutam perpetuò geſtat: ac proinde iſta noua Eua mater vitæ appellatur, variegataque permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viuentium* Et meritò cum Chriſtus Dominus in vtero virgineo hoſpitatus æternam ſuæ carni ſtolam acquireret, eandem etiam Matri, & hoſpitæ ſuæ donauit, vt eadem mercs vtrumque condecoraret. Hinc Guarric. Abb. ſic facit Chriſtum Dominum loquentem ſer. 4. Aſſumpt. *Aſcendi, & præparaui thronum gloriæ, vt à dextris Regina coronata conſideat in veſtitu deaurato circumdata varietate. Neque hoc dico, quod in parte rei thronꝰ collocetur, quin ipſa eſt thronus meus Veni igitur electa mea, ponam in te thronum meum.* Non loco diſsident filius & mater, ſed eodem prorſus loco eadem gloriæ claritate, & vt tronus, & princeps irradiāt. *Guarric.*

De diuinis illis celſiſsimiſque ſupremæ hierarchiæ thronis inquit D. Dionyſ. c. 7. *Quod communicatione Ieſu digni facti, non in imaginibus ſacrè factis formati, vt forant Deificam ſimilitudinem; ſed vt verè ipſi approximantes, vt prima participatione ſcientiæ Deificum eius lumen, & quia Deo ſimile ipſis ſubſtantialiter donatum eſt, communicant huiuſmodi, vt poſſibile eſt in præoperatrice virtute, Deificis ipſius, & humanis virtutibus.* Itaque diuini eſt throni Ieſu Deificam, & humanam ſimilitudinem præferre, eiuſque virtutibus, & Deificis, & humanis illuſtrari, & amici non imaginibus mentis, ſed verè, & ſubſtantialiter communicando, vt poſsibile eſt. Vnde Maria thronorum diuinorum excelſior Filij ſui Ieſu communicatione poſita, non imaginibus mentis figurat in ſe diuinam ſimilitudinem; ſed vt verè Chriſto approximans Deificum eius lumen, & caracterem ſubſtantialiter recipit, communicatque illi, Deificis ipſius & humanis virtutibus, ſimilique, & carnis, & ſpiritus gloria irradiat. *Dionyſ.*

Illuſtratur amplius hæc gloria Mariana exēplo, quo vſus eſt D. Gregor homil. 20. in Euang. vt oſtenderet qualiter Prophetarū mercede decorantur illi, qui Prophetas excipiūt. *Gregor.* *Proprium*, inquit, *fructum vlmus nō habet, tamen portare fructum cum vite ſolet: ſic & ſæculares viri, quamuis ſpiritualium virtutum dona non habeant, dum tamen ſanctos viros donis ſpiritualibus plenos ſua largitate ſuſtentant, quid aliud, quàm vitem cum fructibus portant.* Ecce tibi vlmum ex ſe infrugiferam, tamen quia amicè vitem excipit, & amplexatur, aureis vndique conueſtita fructibus

ſuam æternat pulchritudinem. Sic homo virtutibus effœtus, dum iuſtum recipit, fouet, nutrit. O quàm immenſum gloriæ pondus ſuſtinet, particeps factus mercedis recepti iuſti. Magnum hoc? Sed maius, & glorioſius cogitauit de Maria Guarricus, dum illam ex hoſpitio exhibito Deo non meditatur vlmum aureis filij decoratam fructibus, ſed excelſum, & eleuatum â terra thronum, eadem ſummi Regis radiantem gloria, totumque pellucentem Deifica Ieſu, & humana figura.

## §. XI.

### *Non ſolùm eandẽ cum Ieſu mercedem participat Maria, ſed quodammodo ille ſuperior exiſtit.*

MIRATI fortè ſunt plures, Mariam virginitatis ſuæ gloria, quantum poſſibile eſt, condecoratam, qui nunc mirentur magis, quod ipſa Deifico Filio quodammodo ſuperior dicatur exiſtere. Id quod probari debuit magno Athanaſ. dum inquit de Deipara. *Ea nunc, vt Regina aſſiſtens à dextris Filij vbique regnantis, quaſi in veſtitu deaurato incorruptionis, & immortalitatis circum amicta, & variegata ſacris & ſolemnibus verbis celebratur.* Ecce tibi iuxta Athanaſium Maria regnat â dextris Filij, vt ex potiori loco maioritas aliqualis à Filio ei remittatur. Etenim eruditiſsimus, ſapientiſsimuſq; vir Pat. Maldonat. Pſal 109. verba expendens. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*, maioritatem inde ſuper Patrem in ordine ad nos pluribus docet, & ſtatuit. *Quocirca*, ait, *ſidere ad dexteram non ſolum ſignificat Chriſtum eſſe æqualem Patri, ſed etiam maiorem; non quidem re ipſa, ſed quod attinet ad nos, ex functione officij, & adminiſtratione Eccleſiæ. Neque enim iuxta Ioannem. 5. Pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio.* Sic crediderim Mariam à dextris Filij vbique regnantis aſsiſtentem, ſupremam ab illo authoritatem donari, vt hominum iudicijs præſit. Itaque Cardin. Petr. Damian. extollit Mariam: *Accedis ad aureum diuinæ ſeueritatis tribunal, non rogans, ſed imperans; Domina, non ancilla.* Sanè Sol, & Luna, Chriſtus, & Maria diuinum imperium habent; ille, vt præſit diei, hæc vt præſit nocti: nimirum, vt dum huius caliginoſæ vitæ nox premit, mortales, non iuſtitiæ Sol Chriſtus, ſed Maria Luna miſericordiæ plena imperet, tribunalque conſcendat, non rogans, ſed imperans, Domina, non ancilla. Hinc apud Canam roganti Mariæ reſpondit Filius: *Quid mihi & tibi?* Quaſi offenſus, quod rogaret Mater, vbi integrum habebat ius imperij. Quod attigit D. Gregor. Niſſen. orat. in illud Pauli. *Tunc & ipſe Filius ſubiectus erit.* His verbis. *Maternum autem conſilium, quod minimè tempore adhiberetur, reijcit dicens, quid mihi, & tibi: vis ne me ante ætatem præeſſe, ac imperare? nondum venit hora mea, quæ præbet ætati, vt imperet.* Sic caliginoſæ vitæ imperium detrectat Chriſtus Sol iuſtitiæ, illudque plenæ miſericordiæ Lunæ Mariæ remittit, quæ à dextris conſiſtens, noſtris miſerijs ſubueniendo, præeminet Filio. Non multum abfuit D. Anſelmi excogitatio, qui lib. de excellentia Virg. dicit. *Velociter eſt nonnunquam ſalus, memorato nomine Mariæ, quàm inuocato nomine Domini Ieſu, vnici Filij ſui. Et id quidem non ideo fit, quod ipſa maior, & potentior eo ſit, nec enim ipſe magnus, & potens eſt per eam, ſed illa per ipſum. Quare ergo propitior ſalus in recordatione eius, quàm Filij ſui ſæpe percipitur. Dicam quid ſentio: Filius eius Dominus eſt, & iudex omnium, diſcernens merita ſingulorum. Dum igitur à quouis ſuo nomine inuocatus, non ſtatim exaudit, profectò iuſtè facit. Inuocato autem nomine Matris, etſi merita inuocantis non merentur, vt exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt.* Ecce tibi vt Ieſus, ad præſentiam Matris, iudicem exuat, & non quod iuſtitiæ, ſed quod mater poſtulat, agat, quaſi modò deſerit omne iudicium matri. Vbi Maria ſtat, Ieſus potius aduocati, quàm iudicis fungitur munere; etenim Luc 10. vbi ajebat. *Maria optimam partem elegit*: meritò ſubdit Bernard. ſerm. 3 in Aſſumpt. dicens. *Vide prærogatiuã Mariæ, quem in omni cauſa habeat aduocatum.* Sanè Mariana merita ſæpe iudicium immutant, & de iudice faciunt aduocatum, dum ipſa tribunal ingreditur, non rogans, ſed imperans. Vnde etiam creditur vocari Regina miſericordiæ: quem titulum dum explicat ipſe Bernard. ait. *Conuenienter vocatur Regina miſericordiæ, quod diuinæ pietatis abyſſum, cui vult, & quando vult, quomodo vult, creditur aperire, vt quiuis enormis peccator nõ pereat, cui ſancta ſanctorum patrocinij ſui ſuffragia præſtat.* Sic ille.

*Mald. Pſal. 109*

*Ioan. 5.*

*Apud Sal. Prouerb. 8. nu. 146.*

*Niſſen.*

# LIBER SECVNDVS.

## VBI CHRISTI DOMINI INCVNABVLA, ET PVERITIÆ ANNI.

MARIANA rimari decora, iam vnicæ prolis mysteria enucleaturi accedimus, & à primis eius vnguiculis omnia accuratè examinabimus. Quod eruditissimi viri nostræ Societatis Cardin. Tolet. & Maldon. exararunt, quàm feliciter non euoluo, sed solùm meto, dè meóque à Patribus florilegium addo.

### CAPVT I.

*De Verbi diuini in vterum virginalem descensu.*

DISCEDENTE à B. Virgine Angelo, continuò eius viscera intrauit Verbum, naturamque humanâ anima rationali, & corpore constantè diuini Spiritus vi ex Maria conflatam sibi vniuit. Itaq; in eodem instanti conceptus Christus, Deus homo, integer, perfectus in essentia, mente humana, & diuina pollens, & inde relictus Marianę actuitati, à qua, sicut cæteræ proles à matribus, incrementũ membrorum, & maturitatem partus accepit.

#### §. I.

*Verbum diuinum silenter in vterum descendit, vt facilius prædam faceret.*

SÆPISSIME miratus sum id, quod D. Athanasius aduertit, nimirum Verbum diuinum Angeli discessum expectasse, vt in vtero Virginis copularetur naturæ humanæ. Cur non præsentibus Angelis? Cur non cœlo intonante? Cur non canente Archangelorum buccina? Anne sibi caueret aduersarius? Sanè eam assignat causam D. Zeno serm. 1. de Natiuitate. *Christus*, ait, *latenter in mundum intrauit, ne sibi sapiens Diabolus videretur. Vt quomodo homo in Paradiso non cognouerat Diabolum, sic & Diabolus in sæculo non cognosceret Christum.* Cum primùm deambulantis Dei audita fuit vox in Paradiso, qui esum arboris Adamo persuasit, eidem & fugam suggessit. Ideò modò dissipaturus Deus Diaboli consilium, tacito gressu, & latenter appropinquauit, ne prædam fugaret, vt in Paradiso fugauit. Imò, vt rectè ait Theodotus Episcop. Ancir. hom. de Natiu. Christi. *Adiungit se fugitiuo; seruus enim ad ipsum venire non poterat. Accedit ad seruum non maiestate herili, non Angelorum satellitia præmittens, non igneos globos vibrans, non elementa concutiens; sed quo fugitiuum capiat, propriamque possessionem recuperet, blandè accedit.* Quorum verborum percipies acumen, id animaduertens, quod non semel accidit militibus in suum Principem

*Vide Toletum.*

*Zeno.*

*Theodot.*

rebellantibus. Diffugiunt rebelles protinus ad tyrannum, verùm Dux vt fugitiuos reducat ad caules, non Marte furit statim; sed etiam simulata fuga sub nocturno silentio accedit petit admitti socium, & ita admissus paulatim solicitat sociorum animos, commouet, trahit, vsque dum spreto tyranno imperium subeunt Principis naturalis. Ita prorsus ait Theodotus, verbum fugientis hominis recordatus, non ita fulgurat, non perstrepit gressibus, non in rebelles vociferatur; sed latenter accedit, & adiungit se fugitiuo & quo fugitiuum capiat, propriamque possessionem recuperet, ingreditur blandè Hinc eleganter Antipater Virgini applaudit his verbis. *Tu es benedicta, quæ portas qui ambulauit in Paradiso.* Quasi diceret: in te, ó Maria, pristina maledictio in benedictionem mutatur Quid miraris? Portas qui ambulabat in Paradiso, qui ambulans ad auram pertrepentibus gressibus peccatores fugauit; namque dicitur Genes. 3. *Cum audissent vocem Domini ambulantis, abscondit se Adam, & vxor eius* Iam experientia doctus adeo blandè, adeo quietè ad fugitiuos accedit, vt præ silentio nec ambulat, nec pedem mouet; sed placidissimo in vtero ipse quietus portatur. Vnde meritò dicat Chrysost. hoc ipsum meditatus, videns Deum se nobis silenter admiscentem. *Non habemus amplius suspectam exilij exprobrationem, non extimescimus amplius claustra portarum Paradisi, non amplius à ficu accipimus folia, non amplius ad sonũ gressus contremiscimus.* Expendo, non amplius ad sonũ gressus contremiscimus adeo blandè accedit, ne gressu prædam fugaret; sed fugitiuo adiunctus, tyranno exibilato, propriam possessionem recuperaret.

*Antip. hom. de Ioã. Bap.*

*Chrysost. hom. de Ioã. Bap. Apud Metaph.*

## §. II.

### *Verbum diuinum alto virginei vteri silentio sese maximè premit, crucisque excedit cruciatus.*

CONCEPTVM sermonem retinere quis potest? Etenim ea est natura Verbi, vt omnia tentet, dum se prodat, quæ in Verbo diuino vis augebatur, quod vehementer cupiebat hominibus communicari Hinc meritò Guarricus Abbas serm. 3 de Annunt. hæc est verba fatus *Omnium humanarum infirmitatum, vel iniuriarum, quas pro nobis pertulit diuina dignatio, sicut tempore primam, sic etiam humilitate ferè maximã existimo, quod in vtero concipi, in vtero nouem mensium tempore maiestas illa incircumscripta passa est contineri. Vbi enim sic se exinaniuit, aut quando ita penitus à semetipso defecisse visus fuit? Tanto tempore nihil illa virtus manifestum operatur, nullo signo visibili maiestas, quæ clausa latè proditur. Nõ sic in cruce visus est infirmus, vbi quod infirmum illius fuit, statim apparuit fortius omnibus hominibus, quando & moriens glorificat latronem, & expirans inspirat centurionem In vtero autem sic est, quasi non sit, si Omnipotentis virtus vacat, quasi nihil posset, & Verbum æternum sub silentio se premit.* Hoc inter ligni cruciatus solatium Christus Dominus habuit, quod ibi operatorium verbum agebat, dum septies loquitur, & in latrone, & in centurione, in inimicis eluceat suorum verborum efficacia; at in vtero actiuissimum Diuinitatis fulgur, vocalissimum Verbum, vim sibi contrariam experitur validissimam. Quid contrarius illi qui est, quàm non esse? Quid magis oppositum Omnipotenti, quàm ineficacia? Vocalissimo, quàm infantia? Ecce tibi qui est in vtero clausus, censetur quasi non sit. Ita Tertul. 1. contra Marcion. c. 22. *Otium sui natura non vouit, hinc censetur si agat, vt sit cessarit, non sit.* Quod videtur cauisse Moyses Gen. 1. nihil præmisso opere Deum detractans nominare; ait enim: *In principio creauit Deus.* Sic expendit Theophilus ad Autol. l. b 2. *Primum quidem principium, & eius creationem nominauit, deinde ipsum Deum posuit Non enim fas est Deum temere, & ocioso nullo opere subiecto nominari.* Pulchrè igitur Guarricus dixit, melius cum verbo in cruce fuisse actum, quàm in vtero; nam in cruce verbum locutum secuta fuit latronis expostulatio. *Domine, memento mei dum fueris in regnum tuum.* Centurionis confessio. *Verè filius Dei erat iste.* At in vtero sic est quasi non sit, sic Omnipotentis virtus vacat, quasi nihil posset, & Verbum diuinum sub silentio se premit Equidem eleganti dictum est ponderatione, quod sese in vtero Verbum diuinum premit, hoc est sibi vim infert maximam, nihil agens. Quod adhuc expressit D. Zeno serm. 3. de Natiuit. sic fatus. *Etenim Dei Filius ab æterna sede prosilius in prædestinatæ Virginis templum sibimet castra metatur* Sanè, vt vim inferant, hosti castra milites constituunt, sic Verbum diuinum, vt aëreis potestatibus noceat in cruce castra metatus est: verum, in vtero virginali non hosti vim illaturus, sed sibimet castra metatur, in se desæuit, se premit, imò perimit. Actiuissimum ignem scimus aliquando spino hæsisse sine pascua, sine opere; sed etiam scimus quàm tunc coërcetur eius actiuitas ab omnipo-

*Tertul.*

*Gen. 1.*

*Zeno.*

*Guarric.*

nipotenti manu. *Cernere erat*, ait Eusebius, *pugnantem ignem, à Deo tamen fræno coërcitum.* Quam coërcitionem, & vim maximã Verbo in vtero existenti auspicatur Angelus apud Chrysost. dum meditans Deum accedentem ad ostium tabernaculi Abrahæ, & protinus transeuntem, sic in rem præsentem argumentatur. *Illic, ô Domine, te conspicuum Abrahæ præbuisti in ostio tabernaculi, & pertransisti, qui omnia comples: quomodo autem feret Maria Diuinitatis ignem?* Quasi dixerit, beneficentissimus Abrahamo accedis, mille illi benedictiones indicens, & vix tabernaculi ostium attingis, & statim præteris, nec te detinent perspicua à te in Abrahami domum profecta beneficia. Quãta igitur vi, quãta coërcitione indiget Diuinitatis tuæ actuosissimus ignis, vt otiosus lateat sub virginali vtero.

## §. III.

### *Verbum diuinum vtero clausum otij impatiens sanctificaturus, Ioannem abijt.*

ADEO Verbum diuinum in hominum salutem ardebat, vt nec in vtero detineretur virginali, quominus ipse sese Ioanni offerret, vt illum sanitati donaret. Quod miratus Antipater, ait *Licebat videri lutum saluturi à figulo, excipi Regem in tabernaculo militis, & venisse Dominum in serui domunculam.* Porrò, Deo inimicabatur peccator, lutum à figulo desciscerat, & miles rebellarat in Regem maximum. O Dei amorem! ô misericordiam magnam! obdurato luto, tacẽte peccatore, ecce tibi Deus primus salutat lutum, & á domibus eburneis veri Mariani in serui domunculam venit, primusque ipse offert pacẽ, vt meritò dicat Tertul. *Quid Deus prius in se pœnitentiam dedicauit.* Ipse offensus, & omnipotens offensorem adit, & beneficijs allicit. Id quod maximè perspicuum fuit Gen. 3 vbi Adamum sub peccato fugientem his verbis suauissimis trahit *Adam vbi es?* De quibus Chrysost. *Obstupescite ad eminentem Dei misericordiã, non solum quod vocabit; sed quod per se ipsum vocauit, id quod homines facere nunquam ferrent inter se.* Explicatius adhuc ad rem nostram Lippomanus *Docemur hîc benignitatem Dei, qui pertinaciter adhuc fugientem recipit in gratiam; ex misericordia enim prior vocat ad pœnitentiam.* Qua misericordia actus vix mundum ingressus virginali vtero clauditur filius Dei, & seruum, & peccatorem adit, vt illi impertiretur sanitatẽ: non enim sustinebit fons ille misericordiæ instagnari; sed qua singulis se momentis effundere, rimabatur. Quod in præmatura innocentium cæde D. Leo serm. 2 in Epiph ponderauit sa- *Leo.*
tus. *Itaque Christus ne vllum ei tempus esset absque miraculo ante vsum linguæ potestatem Verbi tacitus exerebat; & quasi iam diceret, sinite paruulos venire ad me, noua gloria coronabat infantes.* Sic infans in infantes, & in vtero existens in eum qui vtero existebat, largus ostendebatur, ne vllo tempore à beneficijs impertiendis vacaret. Cui accinit D. Bernard. serm. 1. in Ramis, dicens *Qui paruulus natus est, & primam paruulorum eligit aciem.* Is enim erat ardor diuino in pectore, quo quiescere non posset; sed de coëtaneis suis saltem triumphorũ præludia meditabatur.

*Antip.*

*Lippom.*

## *CAPVT II.*

## De Christi Domini temporali Natiuitate.

NON hîc quærenda longa de tempore Dominicæ Natiuita. is suppu tatio, quæ vel à nostro Barrada, vel ab eruditissimo Baronio exarata iam fuit. Nec item, quod illi fecerunt, miracula Deificum ortum præcedentia examinabimus. Manauerint fontes oleo, templa idolorum corruerint, terni apparuerint Soles, Sodomitica Venus incinerarit: vineæ Engaddi floruerint. Quid mirum, si mundus tanto Dei hominis fœcundus miraculo tot ediderit, vel parturierit miracula? Edicto Cęsaris vocantur duo virginei coniuges in Bethlehem auitam ciuitatem: quorum tenue penu non inuerit locum in diuersorij penetralibus, stabulum adeunt, ibique intempesta nocte tempestiuus fructus nulla obstetricante manu à virgineo vtero in terram dilabitur. Orientem Solẽ brachijs excepit casta Soror, & mater Diana, fascijs coronat, vberibus lactat, & adoratura Regem præsepij fœnum sternit, ibique reclinat infantem.

*Ad illud Luc. 2.* Ascendit autẽ Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam in ciuitatẽ Dauid, quæ vocatur Bethleem eo quod esset de domo, & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante.

## §. I.

### *Romano imperio ad sui corporis tutelam, & custodiam vsurus nascens Dominus Cæsaris parens describitur Cæsareis tabulis.*

IOSEPH, Maria, & Iesus inter Cæsaris subiectos scribuntur, vt placet Orosio, Bedæ, & alijs: magna equidem Dei humilitas, qui eo tempore voluit incarnari, quo mox natus censu Cæsaris ad scriberetur. Igitur Cæsar Dei hominis dominus? Anne Deus homo Cæsaris seruus? Quid aliud insinuat ista descriptio? Mihi hæc cogitanti sese statim obijciunt illa Pauli ad Galat. 4. verba. *Dico autem quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit Dominus omnium, sed sub tutoribus, & actoribus est.* Sanè diuini testamenti hæres Christus, Dominus omnium, quando paruulus pro nobis factus est, paruuli seruitutem debuit etiam amplecti, vt sit non sub dominis, sed sub tutoribus, seruique conditionem subeat, tutelare Romanorum dominium expertus. De infantibus sic cauet lex. 12 tab. *Tutores liberi in potestate testamento, parentes danto.* Sic diuinus Pater integro testamento Romanum imperium tutorem recens nato filio in potestate dedit, sub cuius imperij potestate adscriptus paruulus natus iuxta perfectissimæ tutelæ iura integras suas res tempore ordinato fuit nactus. Vnus me in hãc cogitationem traxit D. Athanas. ser. in hanc descriptionem, vbi ponderans quàm diuinè non alio genere mortis, sed in crucem Dominus à Pilato esset actus, sic loquitur. *Huius rectæ ordinationis causa instituta est prima sub Augusto Cæsare descriptio: nisi enim lex hæc antea fuisset, Domini Iesu Christi corpus integrum sepulturæ mandatum non esset, nã Iudæorum natio nimio furore accensa Dominicum corpus in ignem, aut in mare deiecisset. Nam si Hieremiam non sic exosum in lacum cœni plenum coniecerunt, quid in Christi corpore magnopere sibi exosi facturi fuissent, nisi Romanæ legis pœnam timuissent?* Imperium igitur Romanum optimi tutoris iure functũ commissum sibi Christum tutatus est, ne ab aduersarijs discerperetur; sed omnia illius manerent integra.

Galat. 4.

Athan.

Habetur apud Metaphr.

Hinc eleganter Orosius Imperij Romani supra omnia imperia ingentem illam gloriam auguratus est, qua subditione sua vniuersum orbem terrarum dicitur conspicisse. Etenim maximo omnium Domino paruulo maximus omnium & potentissime parandus erat tutor, & custos. Audite Orosium huic Euangelicæ descriptioni alludentem verbis istis. *Hæc est prima illa, clarissimaque professio, quæ Cæsarem omnium Principem, Romanosque rerum dominos sigillatim cunctorum hominum edita ascriptione signauit, in qua se, & ipse qui cunctos homines fecit inueniri homines voluit. Quod nunquam penitus ab orbe condito, atque ab exordio generis humani in hãc modum, ne Babylonico quidem, vel Macedonico, vt non dicam, minori cuiquam Regno concessum est. Nec dubium quin omnium cognitioni pateat, quod Dominus noster Christus hanc vrbem nutu suo auctam, defensamque in hunc rerum apicem proue xerat, cuius potissimè voluit esse, cum venit dicendus vtique ciuis Romanus, census professione Romani.* Hæc Orosius lib. 6. histor. cap. 20. & meritò inde summum Romani Imperij apicem colligit, vt quòd habendo, tutando, defendendoque diuino puero Christo parabatur.

Oros.

## *Ad illud Luc.* 2. Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies, vt pareret: & peperit Filium suũ primogenitũ, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eũ in præsepio.

## §. II.

### *Deus in summa paupertate, & nuditate natus, vt inde se accessu facilem dedicaret.*

QVICQVID magnum, quicquid excelsum Verbum in mundo nascens in primis deposuit, ne maiestate deterreret homines; sed vilitate alliceret, & facilitate caperet. Id quod egregiè meditatus Theodotus orat. de Christi natiu. non terrens, inquit, tanquam Deus, neque tonitruis auditus percutiens, neque nube circumamictus, & ignẽ in nube demonstrans, neque tubæ sono audientes terrẽs, sicut aliquando Iudæis apparuit, timorem incutiens indeuotis, nec concutiens famulum; sed gratia magis, & bonitate reuocans eũ. *Propterea non venit cũ imperiali fastigio, nec obsequium deduxit Angelorum, non mouit Archangelorũ exercitus; sed venit omniũ Dñs in serui forma, paupertate circũamictus, vt venationẽ non effugaret.* Vt venator prædam trahat ad laqueos, quàm sese deijcit, quàm nudatur,

Theod.

datur, abscondit ramis; sic homines Deus vt traheret prædandos, faustum omnem exuit imperialem, sese humi prostrauit, paupertate amicitur, vt vel sic prædam faceret. Sic etiam postmodum vir factus, dimissis discipulis in ciuitatem, mansit ipse solus iuxta fontem Sichar. De quo eleganter Chrysost. hom. de Samarit. *Chryss.* *Quare discipulos suos ablegauerat Dominus? Mulier illa paupercula erat, neque potuisset multorum satellitum numerum contueri: quod si magistri dignitatem vidisset, ac discipulorum cœtum, accedere ausa non esset, piscis è retibus euasisset, propterea discipulos ablegabit.* Ita modò paupertate circumamictus, omni satellitio nudatus apparet, humi vagiens, vt pauperculi etiam homunciones Deo valeant approximari. *Vide ergo* [finit Theodotus, vbi supra] *quomodo paupertas eum, qui pro nobis homo factus est, accessibilem vniuersis ostendit: nullus enim metuens superbas Christi diuitias tardus fuit, nullum accedere ad eum Imperij celsitudo prohibuit; sed communis apparuit, & propter semetipsum offerens omnibus ad salutem. In præsepi namque Dei proponitur verbum, vt licentiam habeat rationalis, & irrationalis participari cibo salutis.* Quocirca loquens Iosephus lib. 8. ant. cap. 3. de senioribus Israel, quū do Roboamo consilium dederant, sic ait. *Ioseph.* *Sua serunt, vt comiter populum alloqueretur, & posito aliquantisper fastu Regio, ad captandam multitudinis gratiam se accommodare; hac enim arte captos facilè illum amaturos: quod ita comparatum est, vt subiecti delectentur Regibus mansuetis, & de suo fastigio non nihil se demittentibus.* Proh Deus immortalis! Quò te dimittis? Quàm deponis fastum regium vt mansuetudine allicias, & allectos capias? Cum primum noster Rex legem tulit, ad montem Sina descendit. Cur non potius è cœlo? Athanas. lib. 3. contra Arian. ait. *Athan.* *Qui poterat ex ipso cœlo legem dictare, notat vtile esse hominibus, si è Sinai eam promulgaret: idque ideo fecit, vt & Moyses ascendere posset, & illi de proximo sermonem audientes melius crederent.* Modò, non è cœlo, non è mõte Sinai, sed magis dimissus hominum intrat casas, vt per demissionem facilius homines ad se trahat: etenim ait Matth. 8. *Cum venisset Iesus in domo Petri* Vbi Chrysol. serm. 118. *Ad domum Petri venit Christus, vt domus Petri veniret ad Christum.* Sic à condescensu homines capit.

## §. III.

### *In summa nascitur Deus paupertate, vt vnus, & solus puerulus, mortalium oculos detriumpharet.*

NON is est Deus natus, qui è mendicatis decoribus homines traheret, ipse solus, & nudus sufficit mortalium, & immortaliū mentes exsatiare. Sic Theodotus ait. *Propterea pauperculam Deus elegit matrem, pauperiorem patriam, egenus sit pecunijs: omnia paupera, & vilia elegit, omnia mediocria, & plurimum obscura, vt diuinitas sola cognosceretur orbem transformasse terrarum.* *Theod.* Sanè is erat puer diuinus, qui nudus, qui solus caperet humanas voluntates. Fulgentia congerunt decora Principes mundiales, auro, gemmisq; faciunt radiare palatia, vt contuentium oculi circumstantibus decoribus præoccupati cæcutiant ad Principis humanam infirmitatem. At puer iste, imbecillis licet, & pauper medijs crepiracillis infantilibus, media fasciarum, & præsepis vilitate sic omnium creaturarum oculos, mentesque potitur, vt cæcutiant ad fulgentissimas quasque mundi gazas. Accipite Cyprianum pulchrè de nascentis pueri paupertate philosophãtem. *Ornamenta,* ait, *quæ deerant, etiamsi adessent, non haberent oculos inspectores, quia præsentia paruuli sic eorum qui aderant, oculos occupauerat, sic illuminauerat animos, sic corda illexerat, vt in hoc summo bono omnium bonorum vnita collectio videretur, nec opus esset mendicari per partes, quod simul in se vno fidelibus omnipotens infantia præsentabat.* *Cypr.* Viluissent cuncti creati splendores, radiantia decora, ditissima ornamenta, vbi solus pauper hic puerulus radiabat, ipse, ipse nudus, omni decore spoliatus, circumamictus paupertate præoccupat animos, oculosque omnium, ne illo viso, alia externè splendentia desiderarẽt omnium pulchritudinum segete exsatiari. Huic simile rationem meditatus est D. Athanasius, propter quam inuisibilis homo Deus visibilis apparuit. *Athan.* *Ideo,* inquit, *hominum amator Deus corpus sibi assumpsit, homo inter homines versaturus, vt hominum sensus præoccuparet, vt homines humana sola cogitates quocumque suos sensus conferrent, ibi se anticiparet, præoccuparique notionibus animaduerterent.* O præstantissimũ artis diuinæ artificiũ! ô singularis verbi Dei sagacitas, homo fit pauper omni decore & ornamento nudatus, vt oculos humana decora concupientes rapiat, præoccupet, exsatiet! Quomodo id præstabit?

qui nudus eſt, qui omni decore ſpoliatus, qualiter omnium pulchritudine capiet? qualiter mihi vniuerſas creaturarum, & creatoris diuitias repræſentabit? Sanè quia omnium nudatus eſt. Materialis oculus, vt vniuerſos mihi poſsit colores repræſentare, & claro ſub lumine obijcere, ita elaboratus eſt Philoſophis, vt omni ſit in ſe colore vacuus, qualibet licèt minima tinctura nudatus, adeo vt ſi quando ex morbo aliquo tingatur, pupilla omnia ſibi ſuo colore delibuta fingat. Hoc ergo quod materialis oculus habet, longè præſtantiori, & diuiniori ratione increatus oculus Dei paupere circumamictus carne præſtabit. Is nudus extrema in paupertate viſitur in ſtabulo natus, vt omnium bonorum diuitias, ditiſsimoſque pulchritudinum theſauros fidelibus repræſentaret, eorum oculos præoccupando.

*Theod.* Hinc eleganter Theodot. ait. *Tu reſpice mihi pauperrimum habitaculum eius, qui ditat cœlum, vide præſepe ſedentis ſupra Cherubin, vide pannis obſitum eum, qui pelagus arenæ iunxit, vide deorſum paupertatem diuitias eius ſurſum conſiderans; ſi etenim gratiæ, & clementiæ vidis magnitudinem, ſi tacitã Dei condeſcenſionem conſideraueris: nam ipſa paupertate diuitiæ eius diuitis oſtenduntur.* Expendo iſtud, nam ipſa paupertate diuitiæ eius diuitis oſtenduntur: paruulus namq; puer nudus Dei oculus, & pupilla in media nuditate vniuerſos diuitiarum immortalium theſauros, eunctas pulchritudinum ſplẽdentium ſpecies, hominum concupienti animo repræſentabat.

## §. IIII.

### *Præſepis palea Dei hominis commixtionem æternùm duraturam ſeruauit.*

*Athan.* PRIMVS ſeſe mihi obijcit Athanaſius orat. de Incarn. Verbi, vbi hanc ſubditationem, cur Verbum diuinum, & non alia Deitatis perſona hominem aſſumeret reparandum. *Neque fuiſſet*, ait, *vllius alterius op⁹ exemplar imaginis diuinæ hominibus reſtituere, niſi eius qui erat imago Patris.* Tota generis humani ruina in eo erat, quod imago Dei homini impreſſa deleta fuerit, & abolita: reparatio ergo generis humani inde prouentura, quod imago Patris iterato opere homini firmiter inderetur. Porrò, inditum fuit homini verbum diuinum, imago æterna, Patris carni humanæ ſub paleis præſepis apparuit impreſſa, inde auſpicium præbens, quod nunquam vlterius eſſet abolenda. Hoc Cyprianus admiratus myſterium totus adſtupens aie *Cypr.* bat. *Miror quomodo verbo Dei caro adhæſerit.* Etenim teſtacea, luteaque caro qualẽ commixtionem cum ærea Dei imagine præſeferat? Vix terreno Adamo indita fuit imago Dei, & ſtatim ad ſerpentis ſibilum exſufflatur, non equidem cohærenti ſibi teſta, & ferrum.

Reuoca, ſi vis, in memoriam illud Dan. 3. Regi Babylonio obiectum ſpectrum, cuius *Dan. 2.* pedes ex parte ferrei, ex parte fictiles viſebantur. Quid tunc myſterij? *Commiſcebuntur*, inquit, *humano ſemine; ſed non adhærebunt ſibi, ſicut ferrum non poteſt miſceri teſtæ.* Hoc crediderim Cypriano præcognitum, cum dixit, quomodo verbo Dei caro adhæſerit, non miratur, quod virgineo ex ſemine commixti fuerint homo, & Deus; ſed quod ænea Dei imago, ferreum Dei verbum, & penetrabilius omni gladio ancipiti teſtaceæ, & luteæ carni firmiter adhæſerit. Dixiſſet barbarus quis, & hæreticus, quod quantumuis ſemine humano Deus, & homo coniungerentur, non tamen ſemper adhæſuri ſibi, ſicut ferrum non poteſt miſceri teſtę. His labaret ratio humana ſpectris, hæc prædicarent ſancti miracula, & myſteria, quo verbo Dei caro adhæſerit.

Verùm enim verò verbum Dei non teſtæ, non luto cuique adhęſit; ſed luto humano paleis cõuoluto præſepis, ne adeo mireris, quod firmiter verbum Dei humanæ carni adhęſerit. Cur enim Chriſti Domini humiliras ſub paleis conſtituti, perſeuerantiam vnionis hypoſtaticæ non mereretur? Sanè teſtaceum lutum, vt omni palea purum eſt, ſic nihil valet, vt conglutinare, & coniungere poſſet. Vnde *Ezech.* apud Ezechielem peruerſe ędificantibus dicitur. *Liniebant eum luto abſque paleis. Dic ad eos, qui liniunt abſque temperatura, quod caſurus ſit.* Quę verba expendens Theodoretus, gluten iſtud, ſiue lutum, quo muri lapides *Theod.* abſque temperatura palearum vinciebantur, putat Reges, & principes; ſic enim ait: *Vinculamuri Regem, & Principes appellauit, qui ſicut commiſſuræ ædificium, ita populũ conſtringebant.* Vbi ergo lutum ſine palearum temperatura regnat, futuram ruinã, & caſum minitatur. Proh dolor! luteus homo terrenus Adam Dei imaginem ſuſcepit medijs paradiſis delitiarum, florenti nemore, aſpirantibus ſuauibus auris, nulla ibi palea, nulla palearum vilium temperatura. Quid plura? Vnico ambitionis flagello cecidit homo, imago Dei exturbatur, totũmque innocentiæ ędificium ruinam patitur. Hinc iterato opificio imago Patris imprimenda luto humano, non aliter luto inſedit, quin lutum humanum pre-

meret

meret ſub fœno præſepis, illumque condiret de fullonis more temperatura palearum, quo adeo firmiter imago Dei, verbum Dei adhæſit carni, vt hominis, & Dei mixturam æterna ret. Pulchrè, & eleganter ex hac à paleis commixtione pungit Theodotus hæreticos illos,
*Theod.* qui in Concilio Epheſino Verbum diuinum carni minimè inhærendum putabant. *Porrò, nos oſtendimus*, inquit, *quia pauper factus propter nos, qui eſt diues, verbo diuinitatis ſalutem omnibus perceptibilem faciēs. Quod enim ſignificans Paulus dicebat propter nos pauper factus eſt, cum diues eſſet, vt nos illi⁹ paupertate ditaremur. Et quomodo iſte pauper factus eſt propter nos, dicant nobis, qui à Dei verbō ſeparant hominem, & quod vnitum eſt, ſeparant?* Sic ille, eleganter ex paupere carne accepta in ſeparabilitatem verbi ab homine præſagiens. Etenim vbi humanum lutum ſub tanta paupertate, & vilitate, addita palearum temperatura, Verbo diuino coniungitur, non poteſt coniunctio hæc, & commixtio æternùm non durare. Quod ponderans
*Chryſoſt.* D Chryſoſt. ſic Paradiſi caſus cum præſepij felicitate componit. *Illic probo affectus fuerat paradiſus; hic ſpelunca facta eſt glorioſa. Illic duo, Adam, & Eua expulſi ſunt à peccato; hic fines orbis terrarum educti ad gratiam. Non habemus amplius ſuſpectam exilij exprobationem; non extimeſcimus ampli⁹ clauſtra portarum paradiſi, non metuimus amplius morſus ſerpentum.* Omnia in tuto ſunt, omnia æternùm firmata, & confirmata, nunquam diruēdus eſt noſter hic paries, non fieri poteſt, vt corruat genus humanum, ſi quidem lapis angularis, Dei verbum imago Patris, non ſe teſtaceo luto impreſsit; ſed lutum cum palearum temperatura ſibi in præſepio copulauit.

## §. V.

### *Faſciæ, panni, & vilitas præſepis Deum omnipotentem maximè honorarunt.*

*Theod.* FACEM nobis præferat hac in re millies nominandus Theodotus, à quo hæretici vilia Dei incunabula faſtiditi, ſic apud Epheſinam Synodum punguntur. *Vides paupertatem tantarum factam diuitiarum matrem. Numquid nocet deorſum vnigeniti ad parum tempus abiectio, quæ tantas diuitias contulit orbi terrarum? Quid ergo exprobras Chriſti in Bethlehem humilitatem? Cur paupertatem deducis ad medium eius lucra non computans? Cur indignū dicis Deo, quod tantorum bonorum facta eſt occaſio? Cur paupertatem dicis indignam Deo, per quā mundus ditatus eſt? Noli detrahere abiectioni, qua tyrannis diabolica eſt deſtructa: ſi enim cum format Deus membra mulieris, non accuſatur, neque cum inhabitat in eis iniuriam patitur.* O vim argumenti maximam! O mentem pipere ſuperplenam, & ſale! Nulla res Deo, & creaturarum orbi tot peperit glorias, tot genuit triumphos, tantas coronas reportauit, quàm præſepe, quàm ſpelunca, quàm infantia, quàm faſciæ. Quot faſciæ, tot diademata, quibus coronauit Deum Mater ſua; coronauit, inquàm, Deum Mater. Sed quando coronauit? An in Paradiſo ab illo condita? an quando à florido Dei ore accepit vitæ ſpiraculum? an quando diuinis elaborata manib⁹? Quin potius tunc Deum coronauit Mater, cū peperit trementem artubus, cùm fudit in præſepio, cùm vilibus faſcijs colligauit; tunc ſanè Deum diuinioti, ſublimioique diademate ditauit. Siccine magnus Theologus Nazianzen *Nazian.* orat. in Chriſti Natuit. creationi hominis à Deo elaboratæ præponit eiuſdem aſſumptionem in Deum ex vtilitate, & infirmitate natalis *O nouam*, ait, *& inauditam mixturā, qui eſt, fit; ſecundum conſortium nobiſcum init: & quidem priori lōgè mirabilius, tunc enim id quod præſtantius erat, nobis impertijt; at nunc eius, quod deterius eſt particeps, ipſe fit. Hoc priori illo diuinius, & apud cordatos multò ſublimius.* Et quidem laudandus erat Deus, quod hominem condiderit, quod illum pulcherrimo corpore viuido ſpiritu donauerit, quod nemo florenti ditauerit. Tunc enim pulchritudinis, diuitiarum, regijque fulgoris magnificentiſsimos effudit theſauros maiora tamen, & longè admirabiliora prætendit, cùm hominem aſſumpſit reparādum. Quidni? eius quod deterius eſt, particeps fit, non ſplendentia, ſed obſcura; non ſublimia, ſed abiecta; non pretioſa, ſed vilia, ſed paupera ſibi innectit. *Et hoc priori illo diuinius, & apud cordatos multò ſublimius*, adeo vt dicat Auguſtinus ſerm. *Auguſt.* 3. *Quod iſta natiuitas potentiam diuinitatis honorauit.* Miraberis potentiam infirmitate honorari? Audis infantem præſepio reclinatum, pannis inuolutum, trementem artubus, & interea neſcis qualiter poſsit de potentia, & fortitudine laudari? Qualiter eius potentia effulgeat honorata? Equidem Toleti, vbi è calybis maſſa dexterrimè enſes conflantur, videre erit fabrum gladiarium, qui vt experientia emptorem doceat, quàm præclarum enſem confinxerit, quamque bene ipſum temperarit, arripit ipſe prior gladium, nudat, eumque flexilem monſtrans, parieti

impingere non reformidat. Itaque ipsum flectit, in gyrum rotat, & ducit, vt cuspidem ad capulũ ipsum deducat. Quid hoc magni est? Plumbei, aut ficulnei potius gladij signũ apparet, quem quocunque volueris, inflectes. Id sibi persuaderet ignarus artis; verùm qui sapit, tunc magni æstimat gladium, cum ita flexilem, & ductilem cernit, tuncque faber dexterrimè elaborati gladij valorem commẽdat, adauget pretium, cum illum crebris flexibus premit, ac conuoluit. O Verbum Patris increatum, omnipotẽs sermo penetrabilior omni gladio ancipiti! Barbarus ille erit, hæreticus, diuinæ artis penitus expers, qui medijs his natalitij apparentibus infirmitatibus diuinam effulgere virtutem non cerneret. Saxeo præsepio impactus flecteris, reclinaris, flexilesque conuoluuntur artus, lacrymantur oculi, ageris dormiturus. Verùm hi motus sub humanæ infirmitatis indicijs calybem diuinum præseferunt, maximéque admirandam diuinam potentiam reddunt. *Nam si veniisset*, vt loquitur Cæsarius dial. 3. *visurus potestate naturali nil admiratione dignum facere visus esset, si aduersus Angelum desertorem decertasset Deus, imò in arrogantiam extulisset Diabolum, quasi Deo par fuisset aduersarius.* Venit ergo omnipotens sermo, gladius acutus flexilis, ductilis, humilis, & infirma amplectens, vt sic victricem Diaboli potestarem redderet admirandam, adeoque honoraret diuinitatẽ, vt vel ex infirmitatibus ipsis Deus conclametur ipse infantulus. Quò spectat illud Procli de Christ. Dom. Nat. vbi sic fatur. *O mysterij magnitudinem! Miracula video, & diuinitatem prædico: cerno passiones, & humanitatem non nẽgo.* Expende duo illa, ex miraculis diuinitatem prædico, ex pasionibus humanitatem non nego. Cur non dixit etiam humanitatem prædico? An pasiones humanitatem non reddebant prædicabilem? Imò adeò diuinitatem ipsam exornabant pasiones, adeò illam commendabant, vt maximũ duxerit Proclus, si inter miracula, visis pasionibus, & infirmitatibus humanitatem non negaret, præsepe, fascias, pannos, paleas, & omnia vilia, & abiecta diuinitatis vnguento madere conspicatus. *Video passiones, & humanitatem non nego.*

## §. VI.

### *Reclinatio pueruli in præsepio Dei ad hominum amorem, inclinationem præsagit.*

ABSCISSVS sine manibus diuinus lapis, præsepio reclinatus, imò allisus quid faceret, nisi splendentes amoris flammas iacularet? Etenim dicit, reclinauit eum in præsepio, sanè vt totus esset pascua amatorijs flãmis. De illo Filij hominis spectro Ezechieli obiecto ait Propheta 2. cap. *Alumbis deorsum vidi speciem ignis, & arcum.* Quæ verba acutè ruminatus Rupertus, in arcu quandam inclinationem, & reflexionem Dei amantis notans sic fatur. *Ante carnis assumptionem, quæ per lumbos significatur, Deus generi humano iratus tantummodo ignis consumens erat; postquam autem carnem assumpsit, iam non solummodo ignis, sed & inclinatio nobis est propitiationis.* Ecce quid paruulus natus, præsepioque reclinatus protendat, sese ab ira in iridem effingit, dimissa vindicante sagitta, sese inclinat in arcum plenitudinem effuturus miserationis, & charitatis. Sub Iordanis aquis apparuit quandoque vir factus hic diuinus, & cœlestis arcus, nec diffugiunt Iordanis aquæ, vt quondam fugerunt ad præsentiam arcæ. *Ezech. 2* *Rupert.*

Id quod expendit Chrysol. homil. 5. de Epiphan. *Quid est, quod Iordanis qui fugit ad præsentiam arcæ legalis, ad totius Trinitatis præsentiã non refugit? His Trinitas exercet gratiam totam, totam secum loquitur charitatem, ibi elementa corripit, vt seruulos instituat ad timorem.* Quasi dicat, quod sub arca legali Deus seueri Numinis personã agens, & timebatur, & fugiebatur, erat ignis solum consumens, solum deuastans, fugam cunctis indicens mundialibus. Verùm postquam se in arcum inclinauit, & ad præsepe vsque reclinauit, iam non fugat, sed trahit; non terret, sed amat, totusque loquitur charitatem. Ignis est non consumens; sed adeo fœderis arcui conformatus, vt nec nocere sciat ipsis præsepij paleis. *Chrysol.*

Quam Dei recens nati inclinationem ex igne rubum non comburente eleganter expendit Theodotus Ancyrãn. hom. 2. de Christi natiu. dum ait. *Nonne illius, qui ad nos descendit, charitatem, humanitatemque in igne animaduertitis? Iudex inter iudicio obnoxio versatur, neque tamen iudicium exercetur? Iudex inter reos demoratur, neque vlli tamen pœna irrogatur, iudex præsto est non iudicaturus, sed iustificaturus; non condemnationem illaturus, sed medicinam adhibitur.* Vt hinc pateat ille ignis consumens, & deuastans quàm sit in indulgentiam, & amorem inclinatus, ex eo quod in præsepio fuerit reclinatus. Id quod eleganter expendit D. P. Chrysol. ser. 29. cum Iesum peccatorum mensis recumbentem mirans ait. *Iesus epulabatur, nõ cibis, sed reditu peccatoris, vt reuocaret conuiuio, humanitatis affectu dulcissima sui confabulatione discumbentes, quos sciebat posse iudicis agnita potestate dissolui, percelli terrore* *Theodot.* *Chrysol.*

*rore maiestatis suæ, denuda mox præsentia posse præstari: velatus humano corpore qui homini voluit subuenire. Occultauit Dominum, qui seruis dignatus est fiduciam non negare, maiestatem texuit, qui fragilem studuit parentis amore complecti.* Hæc ille, & pulchra, & melle plena.

## §. VII.

### *Infans in præsepio ardua euangelicæ doctrinæ consilia efficaciter persuadebat.*

ADMIRANDAM reddidit Deitatis fortitudinem omnipotens infantia, vt in præcedentibus explicuimus: nunc pergit Isaias Vates eiusdem infantiæ gloriam magnis nominibus propalare, sic cap. 9. fatus: *Isai. 9.* *Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis, cuius principatus super humerum eius: & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Infans ne consiliarius? An ab infantili ore consilia euangelica mundialibus legibus opposita persuadentur homini cordato? Sanè infans consiliarius optimus, & mundi leges damnat, & illis aduersantia consilia mentibus ingerit humanis. D. Bernard ser. de Nat. *Bern.* *Nondum lingua loquitur, & quæcumque de eo sunt, clamant, ipsa quoque infantilia membra non silent. In omnibus mundi iudicium arguitur, confunditur, confutatur.* Quis hæc posset; nisi paruulus? nisi infans?

Exorsus Titius, V. g. litem, iuris luminibus consuluit, & simul omnes legum periti in eadem consilia conspirarunt, quibus si Titius paruerit, affirmant minimè fieri posse, quod sua causa cadat. Sic rebus compositis, si quis natus tus vir Titio suggesserit omnia iuris lumina ceeutire, prudentum consilia eunctorum esse falsa, peritorum vniuersorum oraculis oppositã terendam viam, quando id Titio homini cordato persuadet? imò potius ab illo meritó irridebitur, spueretur vt vanus. At si puerulus aliquis planè infans è genitricis gremio clara voce intonuerit, casta, & vana litteratorum consilia prædicans, proculdubio is nemini non probabitur, cuius etiam consilium auidè arripietur, vnus, & verus habebitur paruulus consiliarius. Id quod eleganter expendit D. *Ambr.* Ambros. in Virgunculà Agnete, cuius verba de excelsissimo Deitatis mysterio eò plausibiliora, & vendibiliora extiterunt, quo à tenerrima infantula proferebantur. *Obstupuêre vniuersi,* ait, *quod iam diuinitatis testis existeret, quæ adhuc arbitra sui per ætatẽ esse non posset. Effecit denique, vt ei de Deo crederetur, qui quod vltra naturam est, de authore naturæ est.* Vnus ergo paruulus nobis datus & natus optimus factus est consiliarius, qui solus efficeres, vt ei crederetur de his rebus consulenti, quæ omnium mundialium legum prudentibus aduersabantur. Vnus paruulus diuitias fallaces, voluptates mortiferas, ambitionem euanidam ostẽdens; paupertatem, humilitatem, abiectionem consulens, probatur, veritatisque testis exstitit, qui adhuc arbiter sui per ætatem esse non posse videbatur, quia quod vltra naturam est, de authore naturę est. Hinc censet D. Maxim hom. 1. de Christo a- *Max.* pud Pilatum, innocentissimè Susannæ felicitatem, quod iudicem puerum fuerit nacta: sic enim ait: *Condemnatur Susanna, condemnatur & Dominus, similis erat in vtroque causa iudicij, nisi quod meliore vsa est iudice Susanna, quàm Dominus. Hunc audit vir, qui Pharisæorum seditionibus terrebatur; hunc audit puer, qui sancto Spiritu replebatur.* Et ideo innocentiam Domini prædicans vir Pilatus, non persuadet; innocentiam Susannę commendans puer Daniel, maximè persuadet, quia quod vltra naturam est, de authore naturæ est.

## §. VIII.

### *Media in vilitate præsepij maximè Deus innotescit creatis oculis.*

EXPVNGEBANT Hebræi à verbis Isaiæ relatis, verbum illud, *Deus*, fastiditi, vt ait Procopius, quod puer Deus dicatur, imò nullibi Deus magis innotuit, quàm dum infans inter duo animalia præsepio reclinatur. Huc crediderim spectasse illud Ioan. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Ecce tibi quando vnigeniti Dei gloria oculis intuentium pareat, cum caro factus nostris incubat incunabulis. Extat penè huius loci commentator D Cyril. lib. 1 de *Cyril.* recta in Christum Dominum fide, his verbis. *Illud verbum, quod inexplicabili modo supra omnẽ humanæ mentis captum eluxit, ex Deo Patre in humanam naturam descẽdens, & in id quod non erat se demittens, ex muliere quoque nasci dignatum est. Non quò in ea exinanitione vsque perseueret, sed vt Deũ se esse ostendat, atque in naturæ nostræ forma in terris appareat.* Vbi maximè ponderandũ est, quod ideo verbum Patris exinania-

tur ex muliere naſcens, vt Deum ſe eſſe oſtendat, appareatque Deus. Etenim fere nullibi Deus magis innoteſcit, nullibi clariores ſuę Deitatis fulgurat radios, quàm media in exinanitione natalis. Nemo putet, ſe Deum vidiſſe (de viſione loquor quæ ſit per exteriores effectus) qui eum præſepio accubantem non vidit. *Sinait.* Quærit meritò Anaſta. Sinaita lib. 4. in Geneſim, cur Deus primas in poſuit perficiędæ terræ manus, deinde cœlo? ait enim. *In Geneſ. 1.* *principio creauit Deus cœlum, & terram: terra autem erat inanis & vacua*: quam ante omnia viridantibus herbis honeſtauit, floribus conueſtiuit, plantis ditauit, chryſtalinis rigauit fluentibus, varijs repleuit animalibus. Tribuſque in eo opere diebus primis conſumtis, comturus radijs cœlum acceſsit diuinus artifex. Cur hoc ita præpoſterè, vt videtur, ordinatum eſt? *Propterea*, ait Sinaita, *ante cœlum terra ornatur, quaniam ante Angelos terra, & terra geniti homines Deum per carnem vidimus.* Etenim licèt ab orbe condito Angeli Dei fruerentur viſione; tamen quaſi Deum non viderint, reputantur, dum eum non viderint vagientem in cunabilis. Tunc primo Deus viſitur, tunc eius Deitas maximè claret, quùm præſepij obducitur paleis. Vnde *Athan.* Magnus Athanaſ. celſiſsimam Dei maieſtatę humanis obductam vilitatibus ſic mirabundus ait. *Qui in cœlis liber eſt, in terris deſcribitur. Illic Dei filius; hic ſeruus: illic Rex, hic ſubditus: in cœlis diues, in terris pauper: illis diuino ſedet in ſolio, hic in agreſti naſcitur ſpelunca: illic in paterno eſt ſinu; hic in paruo reclinatur præſepio. Quis non admiretur ſuperna, & ſublimia illa cum humilibus & paruis collata?* Rectè quidem admiranda Dei tatis decora non à fulgenti prædicat ſolio; ſed â præſepis, & ærumnarum collatione nititur indigitare. Etenim hominis Regis virtus non tam claret in regio throno, quam in arena, & ſanè is eſt Deus noſter, cuius Deitatis gloria tunc euidentiſsimè patet, cùm puluerulentus medijs pauperrimi natalitij ærumnis verſatur. *Dan. 3.* Babylonius ille tyrannus apud Danielem, vt diuinitatem oſtentaret, auream effingit imaginem, ſimiliter & fornacem accendit, cuius flammis immiſit tres ſanctiſsimos puĕros ligatos, quibus ſtatim quartus alius Dei filio ſimillimus apparuit, vel ipſo tyranno teſtante: *ſpecies quarti ſimilis filio Dei.* Ad hæc Chryſoſ. *Chryſoſ.* *Quid tale potuit imago inanis moſtrare? Ecce Dominus in auro non lucet; ſed in flammis oſtenditur.* Et ſanè tunc elucet Deus, tum viſitur clarè, cùm flammis dant materiam præſepij paleæ, non etenim aurum, non cœleſtes gazæ; ſed infantilia membra; ſed faſciæ, ſed vagitus faciunt Deum conſpicabilem. Hinc dulcedine manat Gilliberti lingua, dum ſerm. 21. in Cant. Sic Angelicos Spiritus euocat ad ſtabulum. *Vos verò & plenę filiæ Sion, quæ ſemper intuemini faciem Patris, egredimini, & videte, egredimini de recondito illo ſinu in timæ viſionis, de ſecreto lucis innaceſſibilis. Nouum vobis terra noſtra præſtat ſpectaculum. Nouum enim facit Dominus ſuper terram ab æternis ad terrena vos prouoco. Mira hæc inuitatio; ſed neſcio quo pacto æterna illa, quæ in ſe ipſis ſemper noua & miranda ſunt in eo quod factum eſt in terra nouum, noua magis & miranda refulgent. O beata hæc in terris nouitas temporalis, quæ antiquã illam & æternam nouitatem Angelicis in aſpectibus ampliùs innouauit!* Etenim diuinitas incarnata ea immiſit decora aſpectibus Angelis, vt quaſi nunquam viderint, ſic nouã pulchritudinem mirabantur. *Gillib.*

## §. IX.

### *Infans recens natus ſeſe hominum declarauit patrem.*

FVTVRI ſæculi pater vocatur ab Iſaia recens natus paruulus, paruulus, inquam ille cuius vt in carne aduentum contenderet, aiebat illa Cant. 1. *obſculetur me oſculo oris ſui*, idem reputans & Deum repuerascere, & oſculum in figere naturæ humanæ. Ecquis eſt animus, qui naſcentis paruuli oſculum eflagitat? *Intellige mihi*, ait Ambro. *carnem illam, quæ madefacta fuerat in Adam ſerpentis veneno, quæ criminum marcebant fœtore, eandem plurimis edoctam oraculis quod venturus eſſet Deus, qui ſerpentis illecebris excuſſis ſancti Spiritus effunderet gratiam, in habitu ornato cum verecundia orare dicentem oſculetur me oſculo oris ſui.* Itaque à ſerpentis reguli interfectore, exterminatore, ſerpentinis ſibilis madidia caro oſculũ expectauit? Cur non potiùs mortẽ timebit & flammas? Cur veneno oppoſitum auſterum aliquod remediũ non expoſtulauit? Sanè Patris eſt, oſculo filiũ reddere ſanitati: prodigũ filium recipiens pater Luc. 15. *oſculatus eſt eum.* Idquod elegantèr & acurè expendit Chryſol ſerm. 4. *Sic pater emendat, ſic peccanti filio dat oſcula, non flagella; delicta non vide: vis amoris, & ideo pater peccata filij redimit oſculo.* Hunc agebat filius Dei patrẽ, cùm ſeſe iunxit ſimillimę carni peccati. pater, inquam, erat, dum per intimam ſui vnionem & coniunctionem ad carnem, carnem redimere parabat. Sic pater viſitur, dũ infantili carni adnatus, intimè in fixus quaſi *Cant. 1.* *Serm. 1. in Pſ. 118* *Luc. 15. Chryſol.*

quasi osculo redimit peccatricem carnem. Sic nascentis Dei redemptionem, quæ postulabat, non aliam credens quam redemptionē à dulcissimo parente peractam petit osculetur me osculo oris sui. Accinit Chrysost. hom. de turture, vbi sic inducit Ecclesiam gementem & suspirantem. *Ego Ecclesia ex gentibus non iā volo per Moysen, & Isaiam, aut Hieremiā, & alios vates; sed ipse veniat, cum ipso volo ore ad os loqui, ipse veniat, & osculetur me osculo oris sui. Audio Hieremiam dicentem de ipso, graue cor eius præ omnibus, & homo est, & quis cognoscet eum? Ipsum desidero, veniat & osculetur me osculo oris sui? Audio Amos dicentem de eo. Ecce homo stans super murum adamantinum, & adamas in manu eius: ipsum quæro, veniat, & osculetur me osculo oris sui.* Proh amoris audatia! Intonante Deo apud Sina perterritus populus electus dicebat, non loquatur nobis Dominus; sed Moyses, & Ecclesia ex gentibus ait, non loquatur Moyses, nec Prophetæ; sed mihi Dominus ipse loquatur? Illi verba ab ore Dei venientia cauebāt? hæc labra labris infigire ex optabat. Deterrebant Prophetæ Dei grauissimum, seuerissimum aduentum adamantinum pectus, effigiantem, & illa adhuc clamabat, veniat & osculetur me osculo oris sui. Vnde hoc mulier? à graui Deo, ab adamantino cur osculum expectas? Sanè pater est, nescit peccatricem prolem nisi per intimam coniunctionem; nisi per osculum redimere, si veniat osculabitur, si apparet in Bethlem non alio modo, quam osculatus hominem, & sic vt pater redimens apparet.

Chrysost.

## §. X.

### *Fructus pacis à præsepis fœno cæpit matureſcere.*

QVI Dominus exercituum in arena, in castris per tot sæcula degit, dum electū populum ditaret bonis terrenis, iam meliora testans, abdicatis sæculi diuitijs, paupertatis assertor nascitur in præsepio, & princeps pacis à Propheta asseritur. *Vbi enim meum & tuum*, ait Chrysost. *ibi omne litium genus & contentionis ocassio: vbi autem hæc non sunt, ibi secura versatur pax & concordia.* Igitur vbi in vili præsepio omnimodam paupertatē seuit nudus puerulus, statim pacis fœcundissimas segetes maturas ostendit. Dauid Psal. 71. dicebat iuxta vulgata: *descendit sicut pluuia in vellus.* Verùm multis viris doctis Hebraicè eadem verba de filij Dei, in carnem, aduentu sic sonant: *descendet sicut pluuia in herbā resecatam & sicut stillicidia stillantia super terram. Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis* Etenim cùm primū resecata herba præsepis, fœnum rore diuino maduit, copiosissimas & abundantissimas pacis segetes nobis metendas dedit. Quod ex Angelico ad Christi Domini puerperium cantico auspicatus est D. Greg. Nissen. orat. in Nat. dum ait. Qui nam plaudentium sonus? gloriam clamant in altissimis Deo. Cur diuino numini, quod in altissimis cernitur, gloriam tribuunt? Quoniam, inquiunt, & in terra pax. Ob hoc spectaculum gaudio perfusi sunt Angeli. *Et in terra pax. Quæ prius detestabilis erat, spinis, ac tribulis plena solitudo, quæ damnatorum exilium, quæ belli regio, hæc pacem suscepit. Quem admirabilem veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit! Talem dedit homini terra fructum suum.* Sanè pax fructus ortus á terra; sed à qua terra? à terra fœno, & paleis Deum hallantibus plena Hæc nasci pacem fecerunt, & matureſcere, vt inde elegantèr dicat Isaias, cap. 52. iuxta Tertul. *quā maturi sunt pedes euangelizantium pacem.* Omnia Israelitica scatebant bellis, vix post mille certamina pax erumpebat, & vel in ipso exortu interibat, nullus tunc pacis fructus tempestiuus. Tandem terra fœno, paleisq; diuini roris madidis sese operuit, & fructum pacis, & tempestiuū, & maturum hominibus porrexit.

Psal. 71

Lorin.

Niss.

Lib. 5. contra Marc. c. 5.

Igitur nascenti Deo factus est in pace locus eius, præsepis requietissimæ pacis, Deo eligitur, auspicium. In extremæ pacis commendationem aiebat ille, gladios conuertendos fore in vomeres, multiplicantur modo pacis, & requiei signa, cùm papiliones, cùm tentoria, sub quibus Deus militans per tot sæcula degit, mutantur in præsepia. Vnde eleganter Esichius hom. 2. de Virg. Maria his loquitur Deum verbis allectorijs. *Surge Domine in requiem tuā quam super terram præscripsisti, & in Bethlehem constituisti, vt pote stabulum, præsepe, & fascias.* Iam bella omnia abierunt, iam nō amplius præcinctus sub papilionibus ages. Ecce gladij conflantur in vomeres, turres in stabulum tentorium in præsepe, baltheus in fascias, hinc tua pullulat requies, hinc pax alma Hinc etiam Nazianz. orat. de Nat. nos iubet exultare, dum inquit. *Nunc autem Domini Natiuitatem accipe, & præsulta; si minus, vt Ioannes ab vtero; at certe, vt Dauid ob requiem arcæ.* Vbi pondero quàm bene Theologus, & quàm acutè vtatur similitudine arcæ, cuius requiei anxius Dauid, post finita bella, dum templum construeretur, locum domi excogitauit, vbi locaturus arcam portitores præcedebat præsultans, & psalens. Sic

Esich.

Naz.

modò

modò fideles Dominum exercituum pacificũ natum, dimissis tentorijs, sub quibus prælia turus stabat, in præsepio reclinatum ibiq; quiescentem æternum duratura pace, miraremur prægaudio præsultantes.

## §. XI.

### *Fragilis, & infirma Deifici pueri caro efficaciam* Deitatis *acuit.*

QVID efficacius igne? Quid fragilius vitro? tamen per vitrum igniti radij exiliẽ tes accuũtur maximè, miramque inde capiunt efficatiam, siue ad comburendum, siue ad illuminandum. Ita, crediderim, diuinitatem per fragilissima vagientis pueruli membra nouo inductam fuisse robore, vt vniuersum mundũ illuminaret. Id quod pulcherrimè attigit D. Basil. hom. Natiui. *pellucebat diuinitas per humanum corpus, perinde, ac lux quædam per vitream capsulam, eos illuminans, qui cordis oculos mundos habebant.* Expende similitudinem, perinde ac lux per vitream capsulã, semper vitrum exceptam lucem acuit, & non rarò lux, siue crystallo, siue vitro accedẽs fulgurat igneos radios. Cùm fragilia, & infirma infantis Dei membra cernis, cùm lachrymulas vagiẽtis miraris, puta vitrea quædam, & quasi bucellas crystalli, medijs quibus lux increata eos fulgurat radios, qui illuminent orbem terrarum. Ita D. Cyrill. Hierof. de occursu Domini *Idẽ vagit in cunis, & mundo vitam gaudiumque impertijt.* Antea vix paruum populum Deitas illuminarat; sed modò per vitrea membra, per crystallinas lachrymas infantis, transuerberata, totum vniuersum mundum replebit flammis. Abner mortuo 2. Reg. cap. 3. Dauid plorauit, & maximè sibi animos deuinxit populares. Sic Theodoretus quæst. 13. *Rex quidem dolore motus luxit, & est lamentatus; lamentatio autem auxit populi beneuolẽtiã.* Ita nouus Dauid in Bethlehem natus dum infans vagit in cunis, inter lachrymas illum emittit amoris ignẽ, quo ardeat orbis terrarũ, puer vagit, & vagitus orbis beneuolentiam adauget. Prædictæ excogitationi vim addit, Rup. lib. 2. de Dũ. offic. c. 5. vbi diuinam virtutem in Eucharistia maximam sic probat. *Horum omnium forma faciesq; vera ita secretò repræsentatur in canone; eorumq; procursu, & veré viuo flumine veram super panem, & vinum confluente, tam diuinitatem veramque humanitatem Christi in cœlo sedentis excipimus; quàm veram substantiam ignis à sole supposita chrystali, sphæra exigua quotidie mutuare possumus.* Perpende quæso exempli elegantiam, quippe sol altrinsecus lucem solùm emittit, cui si paruulam chrystalli sphærã supponamus, ignescentes radios ab illo facimus fulgurari. Sic diuinitas ab alto sedis solio virtutes emittit, & gratias, verùm receptа, siue in carne siue in speciebus panis tanquam in chrystallo ardentes eiaculat virtutis suæ radios, quos miretur, & paueat aduersarius. Ita D. Gregor. lib. 2. Moral. c. 17. *Venit humilis, quem, & superbus hostis admiretur, quatenus qui fortia diuinitatis eius despexerat, etiam humanitatis eius infirma pertimescat.* Vt hinc pateat quàm efficacior diuinitas appareret ex carnis infirmitate, quandoquidem quæ nuda ab Angelis reprobis despicitur, incarnata pauorem incutit illis, & timorem maximũ, vt dicat D. Greg Niss. orat 5. de Resur. Dom. *Vbi nam tuus est, ó mors, aculeus? vbi tua est, inferne, victoria? decorem induit, induit Dominus potentiam & accinxit se. Potentiam dicit salutis dispensationem per carnem factam. Quandoquidem nihil illa potentius.* Sic vbi Deum potentia carnis indutum vidit, fortissimos quosque hostes irridet Niss. imò nil magis graue extitisse putat hostibus quàm passibilis hoc indumentum carnis, quod videtes illi Luc. 23. c. amabant, *Tolle crucifige eum.* De quo Niss. vbi supra. *Etenim meritò clamabant Tolle tolle crucifige eum, grauis enim ipsis erat diuinitatis, cum carne conuersatio.* Sic ille.

*Baſ.*

*Cyrill. Hier.*

*Rupert.*

*Greg.*

*Niſſen.*

*Luc. 23.*

## §. XII.

### *Pueri vagientis lachrymæ paradisum homini propinabant.*

OLIM *fons ascendebat de medio paradisi*, vt audio, quo vitales fructus nutriebantur; sed modò qui fontes è pueri deifici oculis scaturiunt mille paradisi ostendunt aditus, mille recreant hortos voluptatis. Plurimi, vt paradisum inuenirent, longissima fluuiorũ mensi sunt stadia. Alius Nilum pene totum tranauit: alius, ilq; Lusitanus, exarauit Gangẽ. Proh Deus immortalis quam certò paradisũ inueniret, qui se committeret his deificis fluuijs lachrymarum. De cuiuscunque sanctè dolentis lachrymis dixit acutè Abbas Cellensis lib. de pambus. c. 12. quod in deifici infantis lachrymis certam omnino habet veritatem, nimirum, *aqua hæc aut facit, aut inuenit paradisum, cum enim profusione lachrymarum tota irrigatur conscientia, ligna producuntur fructus vitæ facientia.* Quid verius? Quid elegantius? Sanè dum pueruli madere gennas, dum

oculos

oculos manare lachrymas, dumq; illis arentia præsepis ligna doles irrigari: hoc maximo perpende animo, quod fontes hi è medio paradisi ascendunt, vt rigent orbem terrarum, quòd aqua hæc, aut faciat, aut inueniat paradisum. Id quod voluit post modum significare ipse Saluator, quum hora diei sexta fontem adit piscaturus mulierem Samaritanam Ioann. 6. c. Cur hora sexta? Chryso. *Venit hora sexta, quandoquidem, & cùm Eua mandatum in paradiso transgressa est, hora erat quasi sexta, ideoque Samaritana seruata est in fonte eadem hora:* vt nimirum fons contraponeretur arbori, & dulci cibo panis lachrymarum, & quando Diabolus per arborem fugiferam mulierem paradiso priuauerat, videretur Christus per vagitus, per lachrymas eandem mulierem iterũ paradiso donasse: aqua enim his diuinis occellis manans, aut inuenit paradisum, aut facit. Vnde eleganter Chrysost. sui memor hom de Ioann. Nat. sic exhortatur vagientis pueri efficaciam. *Illic probro affectus fuerat paradisus; hic spelunca affecta est gloriosa, illic duo Adã, & Eua expulsi sunt à peccato hic fines orbis terræ deducti à gratia. Nõ habemus amplius suspectam exilij ex probrationem, non extimescimus amplius claustra portarum paradisi.* Ignea romphea extinguitur tanti lachrymulis infantis, aditus paradisi patet, inquo æternandus homo his potus lachrymis.

*Hom. de Samarit.*

## §. XIII.

### *Verbum diuinum hominem induit, vt diuinas virtutes hominibus persuaderet.*

IDEO, crediderim, paruulus datus est nobis, vt efficiamur sicut paruulus iste, vt nostræ paruitatis forma stimulati diuina etiam nitamur operari. Quod attigit Amb. Psal. 36. *Ex illo puero, qui antequam sciret vocare patrem, & matrem, cepit spolia Damasci, sancti vocati sunt pueri.* Etenim pueri ad arenam vocamur, sed pueri de genere illius, qui nęnias puerilis diuinis operationibus condiuit, vt hunc nostri generis puerum spectantes diuinas virtutes ebibamus. Huc spectant Drogonis illa ingenio plena verba. *Feci sti ergo mihi, Domine, de corpore tuo speculum animæ meæ.* Sanè Domini cum corpus mihi speculũ obiectum est, speculum inquam, inquo caro similis carni peccati elucet, vt nos in diuina opera trahat. Cuius rei rationem, vt perpiciatis accipite ex D. Nazia. elegãtissimam artem, qua quis auem ad verba traxerit humana.

*Amb.*

*Lib. 1. de Sacram. Domini. Passi.*

*Naz.*

*Quam visa in speculo sturni depicta figura.*
*Edocuit virque ingenio præclarus, & arte*
*Stans retro; sturnique in imagine fallens.*
*Dum sua furtiua modulatur carmine voce.*

Itaque ingeniosus artifex obijcit psyttaco, vel sturno speculum, & ipse stans retro quoad potest ad auium sonum deflectens vocem humana verba facit quæ, vt percipit sturnus aspicit speculum vnde exilisse credit, & sui imaginem in speculo cernens machinatur verba illa ab altero sui simili esse profecta, in quæ, & ipse audet, & sic fatur. Ecce modò Drogonis acumen, dum inquit, *fecisti Domine de corpore tuo speculum animæ meæ.* Speculum, nimirum corpus Christi obijcitur, & stans retro verbum latens diuina loquitur, diuina patrat, virtutes agit, vt homines intuiti speculum imaginemque suæ carnis, suæ paruitatis, & infirmitatis ibi conspicatis in diuina facinora quasi à sui simili profecta audeant, sicque bono dolo decepti imagine peccatricis carnis, filiorum Dei operationes peragant sui similẽ hominem imitantes. Crediderim, hoc etiam subolusse Athanas. ora. de Incarn. verbi dum ait: *Subiecit se ipsum verbum Dei, vt per corpus appareret, quo vt homo iam factus homines in se traduceret, eorumque sensus ad se reflecteret, vt illis velati hominem conspirantibus ex opere designatione persuaderent sibi, &c.* Expende qualiter conspicantes hominem latentis verbi facinora sibi homines persuadent, adeò, vt inde colligat D. Cyrill. rationem, qua non Angelos, sed semen Abrahæ verbum apprehendit. *Debuit*, inquit, *per omnia fratribus assimilari, fratribus per omnia similis, & verè homo factus, vt per paupertatem suam nos ditaret, qui similitudinẽ illius ad præcipuum bonum sui m conscendimus Dij, ac Dei filij per omnia constituti.* Ecce tibi dum nostri similis apparet, humilis puer, nos similitudine illius tracti in Deificas nitimur virtutes filij Dei per omnia constituti, & effecti sicut ille diuinus paruulus.

*Athan.*

*Cyril.*

## §. XIIII.

### *Filius Dei fit etiam filius hominis, vt hominem à perditione tutaretur.*

NON solùm paruulus datus est nobis Deus, vt effecti sicut ille paruulus, eius ebiberemus diuinitatem. Sed insuper filius nobis nascitur, filius hominis, vt parentem perditum

perditum labefactatum posit in pristinum statum redintegrare. Vnus Ricard. de sancto Victore in Psalm. 8. sufficiat tanti filij hominum præcellentias decantare. *Felix*, inquit, *homo est, cui præstò est cùm voluerit habere filium non qualemcumque, sed Deum. O quanta dignitas hominis filium habere Dominum maiestatis! Audi homo, ausculta homo, tandem erige spem exhilara faciem. Si confunderis de Patre tuo, confide tamen de filio tuo: si erubescis in Parente, exulta in prole. Maior hic ad erigendum, quam ille ad deijciendum, per illum eiectus à paradiso; per istum glorificandus in cœlo res mira, & admiratione digna vt vnus idemque sit filius Dei viui, & filius hominis morituri: dicam an mortui? Sed fortè tunc incipit viuere, cum incipit talem filium habere. O quanta humilitas omnipotentis! O quanta sublimitas hominis! Deum habere hominem patrem humilitas incomparabilis; hominem habere filium Deum, sublimitas inæstimabilis.* Adeò lacte & melle maduit lingua illius. Filius datus est nobis Deus, filius hodie nobis nascetur, & filius, cui perditissimorum parentum sit cura. Memini apud legis peritos non semel filium parentum curam & tutelam subire. Sic cauetur L. *His qui in ea. D. de tutoribus & curatoo dand. ab his*, vbi inquiunt, *etiam filium, si sobrie viuat, patri curatorem dandum.* Et ideo crediderim natum siue datum hominibus tantum filium, quem hominum cura sollicitet, penas quem sit hominum parentum tutela & reparatio. Hanc iuris legem in hominis obseruatam cũ pondero, visus est mihi maximè suffragari ille vates qui aiebat *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ.* Ecce filius nobis promittitur oriundus Sol iustitiæ, cur iustitię? An quia filius subscribens iuri Romano, sub quo nascitur; tutor & curator perditissimis parentibus datur? Sanè id insinuat Amb. lib. 1. offic. *Magnus iustitiæ splendor, qui alijs potius nascitur quam sibi; opem alijs ferat, pericula suscipiat aliena.* Et quidem is solum adimplet filius iustitiam, qui sub tutoris lege aliena pericula subit, suique immemor attendit parentum perditioni & damnis. His lucem capiat pulcherrima D. Cæsarij Nazian. fratris excogitatio. Is enim meditatus Ioannem Iesu pectori inhærentem, sic patris hominis ius in filium æstimat Dial. 3. *Neque alius quisquã incarnati Dei, & verbi ausus fuit attingere illud formidabile pectus, super quo hic Ioannes velut pater super filium diffusus recubuit inde de verbo verbum hausit, &c.* Equidem audet Ioannes pectori Iesu inhærere, sed qua id fiducia facit? Sanè qua pater super filium Æstimat Iesum filium hominis & ipse, vt homo & pater, nigro in peccati obstrictus carcere, de filij pectore sum mit remedium salutare. Reuocat in memoriam illud â Val. Max. de cantatissimum facinus lib. 5. quo fœmina Cimonis patrem suum custodiæ & vinculis tradi tum vt inedia consumeretur, ipsa clam velut infantem pectori suo admotum sustentauit. Igitur de paternæ necessitatis iure, Ioannes in Iesu pectus audet, vt pater, qui inediam verbi coactus pati, de filij pectore quærit saturitatem, & verbum de verbi pectore haurit. Hinc adeò perditissimorum parentum cura tutelaque se obstrictum filius hominis duxit, adeò sibi filio hominis ad natum putauit, quòd homines tutaretur, vt nemini cognomen filij hominis concesserit, qui hominibus tutandis curandisque operam non nauauerit. Id quod in Daniele, & Ezechiele acutè D. Hieron. perpendit. *Crebrò*, inquit, *ad Ezechiel dicitur fili hominis, & ad Daniel rarò* (ad alios nunquam.) *Quorum vterque in persona eius qui audierat, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet, captiuũ populum consolabatur.* Eece è Prophetis solum Danieli, & Ezechieli concessit Deus, vt filij hominis decorarentur vocabulo, vt potè qui veri filij hominis vices gerentes perdito generi opitulabantur. Vnce eleganter Irenæus lib. 3. cap. 32. confundit Valentinum negantem verbum diuinum verè filium hominis extitisse, imò extitit, & *se*, ait, *filium hominis confitetur, & beatificat mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram.* Hæc Irenæus filij hominis veritatem in Christo educens ex eo quòd homines beat, terrenæque, restituit hæreditati iam olim amissæ perprimi parentis peccatum.

Rich.

Zach. 2.

Amb.

In Dan. 8.

Iren.

## §. XV.

### *Filius Dei in præsepio apparet, vt fœnè mundialis gloriæ brutescentes homines ad rationalem vitam alimonia salutis inescaret.*

POST perditorum hominum curã susceptam diuinissimus tutor salutis alimoniam, vt pupillis pararet, sese præsepio dedit. Etenim carnalium hominum gloria quasi flos fœni meritò ab Isaia decantatur, quo fœno homines pasti adeò in brutorum naturam abierunt, vt nihil, præter ventrem, diuinum reputarent. Hinc eleganter psaltes, *comederunt, & biberunt; surrexerunt ludere.* Quod expendens Clem. Alex. 1. Pædag. c. 9. ait, *saturati surrexerunt ludere; saturati autem græcè est lex.* Clem. A-

quasi

*quasi dicat fœno repleti, nempe qui à ratione alienam alimenti plenitudinem, hoc est fœni repletionem, non cibum dixerit. Quoniam absque ratione saturati, absque ratione ludebant.* A præsepio, à fœno, à mundanis gloriolis, & voluptatibus saturi quid ructarent nisi diuinitatis lusus & illusus? Modo verbum ingreditur præsepium, vt fœnum exsufflet, & inebriatos homines cibo salutis ad vitam rationis participẽ trahat. *In præsepe namque Dei proponitur verbum*, ait Theodotus, *vt licentiam habeat rationalis, & irrationalis participari cibo salutis.* Iam non fœno pascãtur homines, quo vana eructent simulacra, quo instar brutorũ saturati, instar brutorum colant muta animalia, ventremque Deum habeant. Sed cibo salutis vitæ pane refecti diuinissimum Deum hallant, veræque diuinitati quicquid extiterit animale faciant. Vnde verbi diuini œconomiam commendans D. Greg. Nyss. hom. 6. in Cant. ait. *Hic est Pastor bonus, qui non fœno pascit gregem; sed puro lilio pascit oues.* Igitur flos campi, & lilium conuallium Christus pasturus homines præsepio iacet, vt exsufflet fœnum voluptatum carnalium, vt iam homines rationis cibo floridissimo pasti, non absque ratione ludant; sed rationis participes facti rationalis vitæ, veræque religionis ludum aperiant. Et bene ludant, quales post sobrium pastum ludebant sancti illi coniuges Rebecca, & Isaac Genes. 26. cap. *Isaac* (inquit Clem. Alexã. vbi supra cap. 5.) *risus, Rebecca tolerentia. O præclarum ludum ac disciplinam! Risus à tolerantia adiuuatur, & Rex qui ea attendit, stupet & admiratur spiritum eorum qui sunt puelli in Christo, qui in tolerantia vitam agunt. Et hic est diuinus ludus ac disciplina. Quid enim aliud viro sapienti & perfecto magis conueniat quàm & ludere & collætari? Per honestarum rerum tolerantiam, & bonorum administrationem dies festos cum Deo celebrantem.* Sic Abimelech Rex post cibum vidit Isaacum ludentem cum vxore, ritum cum tolerantia, quibus præfigurabatur, qualiter homines, fœno iumentorum exclusa florido verbi illi pasti tolerantiam edocti dies festos agant. Sanè vix vitalis cibus in præsepio apparuit laborum omnium suggerens tolerãtiam, & statim magnum gaudium canentibus Angelis, Pastoribus annunciatur. Etenim qui verbo pastus; eius enutriatur tolerantia ad risum ludumque resurgere necesse habet.

*Hom. de nat. Saluabetur in appendice sexti tomi Concil. Ephe.*

*Nissen.*

## §. XVI.

### *Filius Dei non nascitur in frequentia creaturarum.*

AVDIO recens natum puerum præsepio reclinatum, quia *Non erat locus in diuersorio*, & meritò vbi tanta hominum multitudo hospitabatur, non erat locus nascituro Domino, qui consortium fastidit creaturarum, qui solus amat recipi & adorari. Transfigurati Domini gloria captus Princeps Apostolorum clamabat; bonum est nos hic esse, Domine, faciamus tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, Eliæ vnum. Respuit quàm primum Dominus Petri conamina; sed præstat repulsam Petri pulcherrimis Timothei Antiocheni verbi præliatoris, qui ita depingit Dominum rationantem. *Quid ais, Petre, simul me & Dominum, & similem seruis facis? Occasionem blasphemiæ Arrio præbes? cũ creaturis mihi habitationem vis assignare?* His perculsus Petrus memor, quod Deus Abraham tabernaculum quondam intrasset, id forsan tacitus in sui excusationem obiecit. Cui Dominus statim. *Ità est, Petre, ingressus sum in tabernaculum Abrahæ, & ingressus mansi. Scienim aduerte fidem & scientiam, & victoriam Abrahæ. Tertium me agnouit cum duobus Angelis, vnum adorauit. Num tria tabernacula fabricatus est? Num me eum seruis comparauit? Imitare Abraham, & fac tabernaculum.* Fastidit sanè Deus cum creaturis sibi hospitium parari, inscitur, si simul, & illius & creaturarum curam habeas. Vnus vult adorari, vnus sufficit humanas cupiditates exsatiare. Hinc Clem. Alex. 2. Strom. *Seruator noster humanam omnem naturam superat. Pulcher quidem, vt à nobis solus ametur qui veram desideramus pulchritudinem.* Quod adeò tenuit illa felix amatrix Magdalena, vt apud sepulchrũ Domini, pulcherrimos conspicata Angelos, illos quasi nihil viderit, prætereat. Cur mulier præteris Angelos? Pulchrè Origines eius ab ore. *Quæro creatorem, & ideo grauis est mihi creatura ad videndũ.* Igitur in diuersorio, vbi tot hominum frequẽtia, nullus nascituro Dño locus poterat aptari.

## *CAPVT III.*

## De Angelis, & Pastoribus Dei natalem celebrantibus. Ab illo Luc 2 *Et pastores erant, vsque ad reuersi sunt pastores, &c.*

NATO Domino Angeli, vt celebraret eius natalẽ, pastores conuocant vigilantes. Nox mira irradiat claritate, & Bethlehemitica arua nouis Angelorum personant cantibus. Gabriel in primis

primis velociſsimus paſtoribus aſtat, manifeſtat miraculum; ſigna præbet vagientis in præſepio infantis, accurrunt ſtatim cœleſtium militum ſpiſſæ alæ. Roboant omnia cantu gloriam pacemque halante. Interea paſtores tres ſpeluncam adeunt, & infantilibus artubus adorant latentem diuinitatem. Adſtupet virgo mater, & arcanum myſteriorum filij, ſimplici paſtorum fide in primis ditat theſaurum.

*Text.* Paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes noctis vigilias ſuper gregem ſuum. Ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos.

## §. I.

*Felix ille eſt qui Deo appropinquat; lucem in ſe accipiet inexplicabilem.*

ARDEBAT olim rubus diuinis correptus flammis, & viridantibus folijs media pellucebat á flamma. Sed, & omnes vicinæ plantæ, vt mauult Comeſtor, parili virore vernabant. In Bethlehem iterum repueraſcit miraculum, dum virgineus rubus ſub ardenti diuinitatis partu viret, floret: & vicini arbuſti, paſtores qui in eadem regione vigilabant lucem ebibunt immortalem, Cant. 1. *Ecce tu pulchra es propinqua mea.* Quæ verba vt exponat Niſſ. pellucido ſpeculo comparat iuſti animam. Etenim ſpeculum eam imbibit in ſe formam, cui appropinquat, ſi ſtercori adſit, immunditia plenus apparet, ſi florenti nemori, ſi refulgenti ſoli appropiet, totus floridus, & lucens apparet. *Ita expurgata à verbo anima ſolis circulum in ſe ſuſcepit, & ſimul reluxit cum luce, quæ in ipſa apparuit: propterea dicit ei Verbum, pulchra facta es, quæ meæ luci appropinquaſti, per appropinquationem trahens diſpenſantionem pulchritudinis, ecce es,* inquit, *pulchra propinqua mea.* Hæc Niſ. pulchra ſimilitudine maximũ vicinitatis ad Deũ & appropinquationis emolumentum explanans. Acutior adhuc Rup. hæret in eadem ſimilitudine, vt reddat rationem, cur Matthæus olim publicanus, poſtea & Euangeliſta fiat, & facie hominis exprimatur, cùm alij tres leonis ſiue vituli ſiue Aquilæ dicantur facie. *Erat ipſe Matthæus,* ait, *tanquã ſpeculum pellucidũ; ſed in tenebris reconditum, & ſub tecto latens curarum nimis ſæcularium. Vbi ergo vidit eum Ieſus, vbi vidit eũ ſolus, & ſol verus reſplenduit ex aſpectu eius, & quia vidit eũ talis filius hominis reddidit imaginẽ eius, & formata eſt in ipſo facies hominis.* Quid elegãtius? Sic iſti paſtores pellucida erant ſpecula, ſed in tenebris recondita ſub cura vilium gregum per noctãtes, illis vicinus, & propinquus oritur ſol verus, & claritate Dei circumfuſi increatæ lucis ebiberunt radios; *cuſtodientes,* ait, *vigilias noctis; & claritas Dei circumfulſit illos.*

## §. II.

*Poſt Deum incarnatũ Angeli hominibus placidi, & humani aſtant.*

ET paſtores Angelus iuxta ſe parili conſortio admittit, & placido fulgore illuminat, ſtetit iuxta illos Angelus, & claritate circũfulſit illos. Vnde hæc in Angelo humanitas? Angelo, inquam, de quo Pſal. 103. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus & miniſtros ſuos ignẽ vrẽtem,* nimirũ facit Angelos ſpiritus á carne omnino ſeparatos, facit rurſus eos ignem non lucentẽ; non illuminantem; ſed vrentem. Hinc Strommatæus, 5 *Vrentes igniti Angelos ſignificant, qui aſſumtos iniuſtos puniunt. Qui facit,* inquit, *miniſtros ignem vrentem.* Hoc inſitũ Angelis, vt peccatores, vt rebelles exurant, vlciſcantur. Adeò, vt etiã Deo miſerenti populi ſui apud Babylonios captiui reſtiterit fortiter Angelus. Sic Hiero. Dan. 10. *Reſtitit Princeps perſarum, id eſt, Angelus facians pro ea dita ſibi prouintia, ne captiuorũ populus dimitteretur, enumerãs peccata populi Hebræorũ quòd iuſte tenerentur captiui, nec dimitti deberent.* Vnde ergo tam ſæueri hominũ vltores, modò blandi? Vnde qui ſolũ exurere norant, iã ſciunt illuminare? Nõ ſanè á natura Angelica in homines proficiſceretur iſta benigna claritas; ſed ab illo igne diuino, qui rubo inlidens rubum integrum ſeruans illuminauit. Hoc mihi ſuggeſsit Euangeliſta dum ait, quod accedente Angelo ad paſtores, *claritas Dei circũfulſit illos.* Notãter dixit, claritas Dei, ne Angelo tribueretur; ſed Deo in rubo ſedenti, hoc eſt, in carne apparenti, quod Angeli hominibus ſocij humaniſsimi adſtarent.

Angelorum illud ternariũ Abrahamo obiectum, quàm ſæuerum? quanto ſupercilio apparuit? Vidit Abraham, & pronus in terra adorauit, nec prohibitus eſt. Aliter Ioannes apud Pathmos adoraturus Angelũ ab illo ſtatim verbis

Pſa. 103.

Dan. 10.

bisamicitiæ plenis prohibetur. Quæ nuncrā tio diſcriminis? Illam accipite ex Ildefonſo,
Ildefonſ. lib.de virgin.capit. 11. ſic fante. *Hæc natura,in qua Abraham Angelum adorauit, & tamen adorare prohibita non eſt: in Ioanne adorare volens ſit prohibita adorare. Quoniam in Abraham nondum in Chriſto erat aſſumpta; in Ioanne autem ideo hanc naturam ſe adorare Angeli prohibent, quia hanc ſuperſe in ſede maieſtatis adorant. Ideo hanc in ſubditis non contemnunt, quia ea ſupra ſe in ſede gloriæ contemplantur.* Vide vndenaſcatur Angelorum erga homines ſocietas, & humanitas; non equidem ex ipſa natura Angeli; ſed ex humanitate aſſumpta à verbo patris. Ex eo quòd diuinitatis ignis rubo inſedit humanæ carnis, nec combuſit; ſed illuſtrauit; igniti Angeli ſimiliter amant hominiActor.10 bus ſociari. Hinc Actor 10. Angelus Cornelium ad Petrum remiſit: de quo Auguſtin. Pſalm. 96.fatur. *Numquid non illum poterat docere Angelus? Miſit illum ad Petrum, vt magis per hominem illi fides fieret, quia homines non dedignatus erat Dominus viſitare.* Sunt equidem in pretio homines apud Angelos ex verbi diuini aſſumpta humanitate. Hanc Verbi diuini humanitatem crediderim ſuboluiſſe illis Cherubinis, qui ignea romphæa hominem arcebant à paradiſi aditu. De quibus Chryſoſtom.ſermon.de
Chryſoſt. Aſcenſ. *Dolebant Cherubim honorem cuſtodiæ.* Maximus alioquin erat illis præſtitus honor, quòd fierent cuſtodes tanti horti à Deo deſignati; verùm, quia is honor erat homini probroſus, homini, inquam, cuius Verbum diuinum erat induendum carne, dolebant, & acriter dolebant ipſi Cherubim honorem cuſtodiæ, iam inde hominum conſortium, & ſocietatem amantes. Quod à nobis deberi Verbo incarnato, protulit idem Chryſoſtom. dum ponderat Angelorum ad homines acceſſum in Chriſti Domini natiuitate. *Aſpice, inquit, mirandum proceſſum, Angelos ad nos deduxit priùs, ac deinde deduxit hominem ad ſuperna.* Acceſsit equidem Angelus ad paſtores: illis ſtetit amicus, & affabilis; ſed ab humano Deo tractus. Hæc fuit prima Dei hominis demonſtratio, quòd Angelos ad homines inclinaret, vt poſtmodum homines Angelorum ſedibus ingereret, & ſublimaGeneſ.28 ret. Iacob Geneſ. 28. poſt viſionem ſcalæ: *Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam.* Id quod acutè obſeruans D.Bernard. ſerm.
Bernard. 6. in dedic. Eccleſ. ſic loquitur. *Quomodo tantus patriarcha neſcire potuerat, quod non eſſet locus vbi non eſſet Deus? Sed fortè aliud eſſe miratus eſt, vbi ait: Verè Dominus eſt in loco iſto. Ibi verè Dominus eſt, vbi in eius nomine Angeli ſimul, & homines congregantur.* Præclarè enim Iacob præſentiam Domini præſagijt, ex eo quòd ſe videat à deſcendentibus per ſcalam Angelis humaniter tractari. O vos felices homines, qui tanta Angelorum gaudetis cuſtodia! Sanè Geneſ. 19. Geneſ.19. vbi Loth Angelos hoſpicio recepit, nil habuit quod à furente timeret ciuitate. Furit laſciuus populus, domum impetit; nullo tamen Lothi damno. Id miratus Chryſo- Chryſoſt. ſtom.orat.in SS.Bernice, & Proſdoce, ait. *In medijs Sodomis obſidebatur quidem Loth domus, at nihil mali patiebatur, quippè quia Angelos intus haberet.*

## §. III.

### *Ex Dei hominis conſpectu Angeli mira exultatione hominum procurant ſanitatem.*

ANnùò his Doctoribus, qui ſapientiam incarnatam putant faciem Patris diuini, vtpotè, qua Pater creatis mentibus innotuit. Hac in facie abſcondi dicuntur iuſti, quatenus in Chriſto mirificè proteguntur, iuxta illud Pſalm. 30. *Abſcondes eos in abſcondito* Pſalm. 30. *faciei tuæ.* Quid plura? Vix ab Angelis cernitur hæc pulchritudinum abyſſus, cura hominum tangi, ſub huius diuinæ faciei inſomnijs genus humanum ſeruari, & ſtatim proſiliunt anxij de hominibus iuuandis. Pulcerrimus ille adoleſcens Iacob domo paterna egreſſus peruenit tandem in vaſtiſsimum Bethelis campum; vbi plurimos conueniſſe paſtores vidit, vt pecudes adaquarent. Qui omnes expectabant, vt per grandis lapis ab ore fontis remoueretur, quo remoto, arida ouium ora irrigarent. Nouit Iacob, & ſitim pecudum, & longæ expectationis moram, nec ideo adductus fuit, vt obſequium ignotis, & ruſticis viris præſtaret. Interea ecce tibi ſitientis etiam gregis ductrix Rachel apparuit, puella decora nimis, cuius pulchritudo eo ſpectabat, vt oues rigarentur aqua: nam vt ait nō tāter text. cap. 19. *Gregem ipſa paſcebat.* Hinc Parahraſtes Kald. *cū vidiſſet Iacob Rachel filiā* Par. Cal. *Labam fratris matris ſuæ, & oues Labam: acceſsit Iacob: rebolnit lapidem ab ore putei, & adaquauit oues.* Non ſe potuit continere Iacob, quin obſequium præſtaret ouibus, quarum cura, & cuſtodia tantam pulchritudinem ſollicitabat: ſic alacer, & velox currit ad fontes,

pecùdes à Rachele cùstoditas adaquauit. *Non tam*, ait Iosephus, *cognatione, aut huius affectu, quam insigni puellæ forma captus.* Iam non miraberis, quod Angeli tam auidè exiliant, vt genus hominum tutentur, illisque faueant. Sanè cernunt centesimam hanc diuini gregis ouem diuinis humeris reportari, in hanc tutándam custodiendamque, totam Dei pulchritudinem spectare, imò, & occupari manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia, ac ipsa in primis affectione. Quid mirum, si & ipsi currant, vt eidem humani generis oui medeantur? mirabilius, si non aduolent. Moyses commisso gregi prospicere cupiens, orabat: *Ostende mihi faciem tuam, vt sciam te, respice populum tuum, gentem hanc.* Vtilissimum putabat futurum populo, si ipse faciem Dei videret, quasi diceret: cupio faciem tuam videre, vt prosim populo, cuius curam habeo, ideo si vis fauere genti huic, si eorum optas consulere vtilitati, mihi tuam faciem ostende, faciem, qui viderit tuam, ardenter populorum saluti inhiabit. Ita Augustin. lib. 2. de Trinitat. cap. 17. *Ostende mihi faciem tuam, ait, continuò propter dilectionem, etiam proximi subiecit, vt sciam, quia populus tuus est gens hæc.* Sanè interest populi, vt Verbum incarnatum, facies Patris videatur: qui hanc vident faciem, homines sint sine Angeli, O quam exiliunt in custodiam hominum! O quali punguntur cura, ne gens hominum lædatur! O quam scandescunt in eorum aduersarios! Ægyptius quadringentis annis populum Israelis misera seruitute captiuum tenuit; sed vna nox Ægyptiorum domos cædit, luctuique dedit, & Israelitas libertati. A quo igitur hæc rerum mutatio? Hector Pintus illam assignat, ex Isaia 63. dicens. *Angelus faciei eius saluauit eos.* Etenim is solum in Ægyptios tam seuerè vindicaret, qui faciem Patris viderat, qui Verbum diuinum sub Hebræa carne olfecerat latitans, hincque durus debellator in terrã prosiluit, vt, exterminatis Ægyptijs, populum Israelitam restitueret saluti.

*Text.* Et timuerunt timore magno: Et dixit eis Angelus: Nolite timere. Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.

## §. *1111.*

### *Ille præ omnibus virtutibus habendus timor, qui alis euolat charitatis.*

Sicut ijs, qui vel prærupta montium, vel altissima turrium cacumina inambulant, officere solet timor, imo & illos in præcipitium dare: ita qui ad virtutum euocantur fastigia, si nimis seruiliter meticulosi sint; præ sepè labant, & periclitantur. Hinc à Maria Virgine in Dei matrem assumenda, in primis seruilis arcetur timor voce Angeli: *Ne timeas Maria*: quod acutè expendit Chrysol. serm. 142. *Audistis, fragilem nostræ carnis naturam ad portandum totam Deitatis gloriam, Angelica exhortatione roborari. Denique ne tanto ponderi cœlestis fabricæ in Maria subtilis nostri corporis arena succumberet, & in Virgine totius generis humani portatura fructum virga tenuis frangeretur, fugatura metum vox Angeli præcessit: ne timeas Maria.* Vnum seruilem timorem à Maria nitebatur Angelus exsuffla re, ne sub altitudine matris Dei, pes eius labaret, sed securius præcellentis vitæ cacumina pertingeret. Huc spectauit illud Dei cum Adamo timente, & tremente, post peccatum colloquium, nimirum: *Adam vbi es? quis tibi dixit, quod nudus esses? Idcirco* (inquit Theodotus) *Deus longo sermone alloquitur, vt & timorem soluat; & ad confidentiam illos erigat.* Arcẽdus omnino timor ab ijs, qui altas virtutum semitas terere concupiscunt: ast omnis timor arcendus? Minimè: timor etiam est, *qui se super omnia superposuit.* Eccles. 25. sed is timor est, qui alis se ingerit charitatis, qui filialis est, is, inquam, super omnia superpositus, cacumina virtutum inambulat. Parcite mihi priscum Apologum in memoriam vocanti, vt rem timoris penitus declarem. Ferunt, concilio inito de Rege sibi perficiendo, statutum ab auibus, eam pro Regina fore, quæ celsius subuolaret, ibi passerculis dictus Regulus suæ timens pusillitati, & infirmitati, ignaræ Aquilæ inter scapulas resedit. Euolat Ardea, & cæterarum, non Aquilæ, oculos fugit: hæc longè sublimiore volatu æthera findit, & cum cerneret nullam auium audere virium periculum amplius subire, iam defatigata incipit descendere, sed ecce tibi regulum ab Aquilę gestatricis scapulis subuolantem, & hoc astu sibi Basilicum nomen acquirentem. Is est timor pusillus licet, & infirmus, qui sæpe pusillanimitatem, imò & casum pa-

sum pariat, tamen si Reginæ virtutum, si Aquilinæ charitatis inter scapulas residеat, se super omnia superponet, & altissima virtutum cacumina detriumpauit. Id quod in vno latronum licet aspicere: de quo Chrysostom. in Psalm. 127. *Quis latrone miserius? Sed repente euasit omnium beatissimus, nam & erat crucis supplicio damnatus, & ad mortem ducebatur, omnes eum accusabant, totum tempus erat consumptum, & vita transacta fuerat in scelere. Sed quoniam exiguo tempore Christum, vt oportuit, timuit, beatus factus est.* Ecce exiguus, & breuis timor, quàm super omnia valuit euolare. Huc accedat D. Zeno, serm. de timori filiali, cuius fic finit immensam efficaciam. *O necessarius timor: qui nihil aliud agit; nisi vt beatos efficiat: qui timet arte, non casu, religione, non culpa, qui Deum metuit non naturam. Vultis scire, cuius proprietatis sit? Omnes timores quoscumque inuaserint incremento conficiunt: hic solus ad hoc crescit, vt immortalem quem possederit, faciat.* Hæc ille.

Chrysost.

D. Zen.

## §. V.

### *Nullum magnum regulariter gaudium paratur à Deo alicui particulari; sed omnibus communiter.*

EXcluso à pastoribus timore, illis magnũ annũtiatur gaudium, magnum, inquam, sed quod non illis solis; sed erit omni populo. Etenim nunquam Deus consueuit suæ gloriæ magnalia vni, & si maximè amato; sed omnibus attribuere. Quando in singularibus cuiusque cœlestes sedes promiserat Dominus ijs, qui labore improbo illas sibi acquisierãt, ait enim, *vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, sedebitis, & vos super duodecim sedes.* Hoc duo audientes fratres de fauore securi primas à dextris, & sinistris sedes petunt; verum qui omnibus promiserat, *nõ est meum, ait, dare vobis.* Quid ais ò veritas Dei? Paulo ante omnibus offers, nũc Ioanni, & Iacobo dicis non est meum dare vobis? Sanè nõ erat illius cœlestia cõmunicare nisi omnibus, hæc erat Dei consuetudo, hic vsus cœlestiũ bonorum, nulli in particulari, sed cõmuniter offerri omni populo. Ita D. Cyrill. Alexãd. lib. 10. Thesaur. cap. 5. *Potestatẽ nonnegat Dominus, sed dispensationẽ ostendit. Quomodo ipse non potest dare quibus velit, cum inueniatur omnibus discipulis id esse largitus? Amẽ dico vobis sedebitis, & vos.* Expendè illud, *dispẽsationẽ ostendit*: hoc enim erat Deo in more, cœlestia bona, ingẽtia gaudia non vni cõmunicãre; sed omnibus. De Simeone sene dicitur Luc. 2. quod ipse, *expecta bat consolationem Israel*: sed cum ipse ingens Christi bonũ perciperet oculis, ait, *quod parasti ante faciẽ omnium populorum.* Hinc Nyss. orat. de occursu Domini, & Simeonis. *Quomodo superius testatũ est, illũ expectare consolationem Israel; nunc antẽ conspicitur dicere Dei salutare in cõspectu omniũ populorum? Quoniam tunc futuram Israelis consolationem nouit spiritu, quando omnibus quoque populis fuit paratum salutare.* Etenim fuerit licet Israel populus à Deo electus, separatus, mille bonis ditatus, terrenis possessionibus ampliatus, eidẽ tamẽ integra consolatio, perfectum gaudiũ minimè obtingit; nisi cum cõcessum fuerit omni populo. Sanctissimi quique Israelitarũ in Domino defuncti in gaudia Domini nõ intrabant, donec aperta fuit cœlestis ianua omni populo. Vt Paul. ad Hebr. 11. loquitur. *Et hi omnes testimonio fidei probati nõ acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consumarentur.* Adeò illis damnosa extitit separatio à gentibus! vt nos timeamus à fratribus separari scientes illi seruire Deo qui nullũ grãde bonum sciuit largiri; nisi omni profuturum populo. Vndè D. Irenæus lib. 4. c. 22. notans legis gratiæ præcellẽtias, quibus superauit legem Mosaycã, ait. *Maior est legislatio, quæ in libertatem, quam quæ data est in seruitutẽ: & ideo non in vnã gentem, sed in totũ mundum diffusa est.* Ecce magnũ gaudiũ quod erit omni populo: etenim nulli particulari soli datur videre Christi magnalia. Iã gloriosum Dominum viderant omnes Apostoli præter Thomã; vnus, & solus Thomas non aderat, vt Dominum videret. Quod ipse vehementer anxius summo desiderio flagrabat tãtũ participare gaudiũ. Quid plura? ait Ioann. cap. 20. *Et post dies octo iterũ erant discipuli eius intus, & Thomas cũ eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio.* Sanè sufficeret quod Thomæ appareret soli; sed nescit gaudia sua nisi cõmunitati exhibere. Vnde eleganter D. Gaudent. oratione in 40 Martyr. *Satiauit ergo Dominus Thomã, cuius manet illa promissio: Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniã saturabuntur. Apparuit secundo Apostolis, vt Thomæ desideriũ ad implerẽt, pro fuit cupiditas eius, & cæteris.* Tunc enim largitur Deus vni, quãdo scit munera pro futura communitati.

Luc. 2.

Nyssen.

Iren.

Ioann. 20

Cyrill.

*Text.* Quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.

## §. VI.

### *Deus fragilitate indiguit humana vt præcellenti saluantis gloria fulgeret.*

QVi prodigus ad cœlestium creationem accessit, vt diuitiarum suarum thesauros apperiret immortales, indigus homini condendo astat, ne qui omnia implet, ipse quodammodo maneret vacuus, & inanis. *Irenæus.* Vnus id Irenæus caluit lib. 3. aduersus hære. cap. 34. hæc fatus, *à Paulo typus futuri dictus est ipse Adam, quoniam futuram circa filium Dei humani generis dispensationem fabricator omnium verbum præformarat, prædestinante Deo primum animalem hominem videlicet, vt ab spirituali saluaretur. Cùm præexisteret saluans, oportebat, & quod saluaretur, fieri, vti non vacuum esse saluans.* Hoc vno saluantis titulo se maximè diuinitas iactabat; sed quis saluans, vbi non erat natura labilis? Etenim existeret Saluantis vocabulum, titulus sine re, res inanis & vacua. Inde ad hominis creationem accessit præcauens Deus glorioso ioris tituli præcellentiam, & quasi timens eius vacuitati, factus indigus exceptoris sanitatis, vt oriens nobis iustitiæ Sol, salutis madidas fulgentissimas pennas explicaret. Hinc habes, quo impium Marcionis obstruatur os, qui apud *Tertull.* Tertulian. lib. 5. sic in Pauli præpostera electione cæcutijsse Christum Dominum blasphemabat. *In prouidentiam existimo, si non antea scisset illum sibi necessarium Christus; sed iam ordinato officio Apostolatus, & in sua opera dimisso, ex incursu, non ex prospectu adjciendum existimauit, necessitate, vt ita dixerim, non voluntate.* Imò & voluntate & necessitate Christus adlegit Paulum non antea, quam illum vidit furentem in Christianos. Sed iam gestit animus scire, qua necessitate laboraret dies in misericordia Christus. Multos ad se venientes sanauerat: postulantem latronem exaudierat, neminem reluctantem fugientem, calcitrantem, minarum spirantem & in Christum, & eius discipulos ita sequentem vt Paulum traxerat. poterat hoc Saluatoris diuinitas & humanitas; inde oportebat persecutorem fieri, vti non vacuum esset persecutorem, talem etiam saluans. Hinc Paulum prostratum sic Bernardi dulcidine alloquitur diuinus triumphator. *Ego sum Saluator, quem tu persequendo petis*, quasi dicat, iam te persecutore de triumphato perfectus saluans appareo: hodie Saluatoris gloriam ad impleo, vt merito post modum de se dicat ipse Paulus: *Adimpleo ea quæ desunt passioni Christi*, nimirum mea adlectione ostendi saluantis cognomẽ omni suo splendore præclarum. Quo circa San. Pacianus in Parænesi, ait. *Nec quisquam adeò peccatricis animæ vilitate desperet, vt se iam non necessarium Deo credat.* Imò tunc maximè necessarius Deo Saluatori, qui vt condonando peccata clarescit, sic esse saluandos gaudet. Etenim aiebat Dominus in principio Geneseos: *non est bonum hominem esse solum.* Quid ais Domine? Si das homini sociam mulierem, ambo incident in peccatum, & omnes peccabimus; si solus sit homo, innocens & iustus erit. Cur ergo dicis, non est bonum hominem esse solum? D. Ambros. libr. de Parad. capit. 10. *Quia ex viro solo non poterat esse humani generis propagatio, pronuntiauit Dominus, non esse bonum solum hominem. Maluit enim Deus plures esse quos saluos facere posset & quibus donaret peccatum, quam vnum solum Adam, qui liber esset à culpa.*

*Bernard.*

*S. Pacian.*

*D. Amb.*

## §. VII.

### *Caro assumpta Christi dominationem non obscurauit: imò illustrauit.*

MAximo sapientiæ pondere ab Angelo nuntiatus est Christus Dominus, vt hæreticorum obstrueret ora, qui humanæ carnis vincula expauentes, diuinam mentem sub dura corporis seruitute teneri respuebant. Quid plura? Humanus animus ægrè & difficulter corporis substinet incarcerationẽ, in diesque querib undus clamat cupiens dimitti & dissolui; & Deus hunc in carcerem agendus? obscurandus? Absit, inquit Angelus, etenim natus est Christus, qui non captiuus gemat in domo carceris; sed qui ibi diademate inauguratus declaretur Dominus. Dixerat in Concil Ephes. Theodotus de Christo, *quod subiectus factus est regnum non deponet: factus est homo quod erat manens*: Imò tunc cùm carnem accepit; Regni & Principatus accepit coronam. *Egredimini filiæ Ierusalem, videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua.* Quæ verba & pulcherrimè, & eleganter in rem præsententem expendit Gil-

libert.

libert. serm. 21. in Cant. *Fœlix caro, quam sibi Christus non quasi carcerem; sed quasi coronam assumpsit, quæ fuit ornamento, non oneri. Nos omnes in carne quasi in domibus carcerum absconditi sumus, compediti & seruientes legi peccati. Infœlix, ego homo quis me liberauit de corpore mortis huius?* Verum Christo non carcer; sed corona extitit humana caro, non vincula deturpantia; sed regia ornamenta altum diuinitatis dominium & principatum illucidantia.

Hunc Christiferæ carnis regium splendorē libet elucidare exemplo à Romanorum historijs capto; sed verbis Dionysij Carthus. qui in lib. 4. Reg. articul. 12. sic fatur. *In gestis legitur Romanorum, quia dum Longobardi quadam vice obtinuissent, intrassentque Romam, ac passim Romanos occidere nt, ipsi Senatores, se omni suo decore & gloria ve stierunt; seditque vnusquisque eorum in sede sua in propria domo. Ad quos Longobardi ingressi reuerebantur eos, nec audebant occidere, imo ad orabant eos, vt Deos. Attamen, cùm vnus Longobardorum manu sua attrectaret barbam vltimi Senatoris ille non ferens hoc, baculo suo impegit in illum: quo facto indignati Barbari primum interfecerunt illum, inde per ordinem alios.* Ecce tibi, vt in tolerantia, & impaciens animus Senatores mortales homines ostendit, sic habitus compositi viri minimeque in tumultu bellico, in ruina & cæde turbati eosdem, & diuinos, & Barbaris trucibus reddidit venerabiles. Dum iratus Senator percussit militem omnes Senatores, tanquam oues occisionis sunt habiti. Dum inter arma, inter volantes gladios togati sedent, & paccati ab ipsis hostibus Dij existimati adorantur. Hec cine erat Christifera caro oleo dilibuta diuinitatis docta pati; & dum pateretur non comminabatur, cedens iniurijs, æquali omnia perferens animo. O fœlis caro, imò purpura, imò corona clarissimum insigne diuinitatis! Clem. Alexand. infragmentis suæ expositionis in primam Epistol. Ioan. sic de Christi Domini carne scribit. *Fertur ergo in traditionibus, quoniam Ioannes ipsum corpus, quod erat extrinsecus tangens, manum suam in profunda miserit, & ei duritiam carnis, nullo modo reluctatam esse, sed locum manui præbuisse discipuli.* Sane habitus hic, caro hæc non carceris; sed imperij, sed diuinitatis erat indicium. Barbarissimi quique, imò truculentissimi personam tam decora veste præcinctam hac facili, & pone in ipsis passionibus doloribusque impassibili, minimèque reluctante carne, conuestitam adorarent proclines.

*Text.* Et hoc vobis signum inuenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio.

## §. VIII.

### *Angelus prædictione fidem astruens, innati, & naturalis imperij Christi proposuit signa, nimirum, præsepis & fasciarum vilitatem.*

SApientissimè Angelus, vt fidem sibi conciliet, prædicit pastoribus, quid illis introeuntibus Bethlehemiticum pagum obveniet; sola enim virtute diuina comparari potest præscientia futuri. Quam virtutem, vt manifestaret Christus Dominus mittens discipulos, vt parárent Pascha, ait illis, *introeuntibus vobis ciuitatem, occurret homo lagenam aquæ portans.* Sic modò Angelus pastoribus, inquit, natus est vobis Saluator, qui est Christus Dominus, Dominus, inquam, non quales mundiales Domini; sed innata, & diuina dominatione insignis. Cuius rei ecce duo testimonia clarissima, in primis hæc mea prædictio, qua quid vobis accedentibus erit futurum annuntio, imò & circunstantias singulas minutissimas edico; *inuenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio.* Et quidem D. Petrus Actor. 2. tanquam ad inconfusibile testimonium ad Prophetiam recurrit, dicens. *Dictum est per Prophetam Ioel. Et erit in nouissimis diebus, &c.* Vbi D. Chrysost. hom. 5. sic ratiocinatur. *Neque interpretatus est ea quæ Propheta dixit, sed solum Prophetiam attulit per se ipsam certantem: sciens nil fortius his Propheticis potuisse obyci. Ea enim etiam operibus validiora sunt. Signa enim facienti Christo sæpius contradixerunt. Quando autem Christus Prophetam illis opposuit dicentem: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, ita siluerunt, vt nec verbum quidem vltra quisquam respondere ei auderet.* Adeò valida est per se ipsam Prophetia! Hincq; rursus illius naturale, & innatum imperium Angelus contendit, non enim sic auderet nasci Imperator ascititius. Qui naturà ingenui sunt, vt commitantem seruent, nil sibi timent in ipsis seruilibus officijs: atqui à seruitute in ciuilem nobilitatem obrepunt, quicquid non ambitione scatet

Actor. 2.

Chrysost.

tet maximè pertimeſcũt. Accipite modò ſæpiùs in hoc opere adductum Theodorum eleganter de hoc innato Chriſti Imperio ratiocinantem ex illo D. Paul. *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens. Ecquid eſt, quod hoc loco dici ur? Sanè, qui per rapinam libertate potitur, nihil ſeruile pati ſuſtinet, ne vſurpatæ libertati aliquid præiudicium generet. Ecquid ergo ille? quoniam naturà Dominus erat, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, diſſenſationis enim myſterium diuinitatem non læſit.* Etenim in Chriſto Domino faſciæ, panni, præſepe, ſtabulum, & ſi quid aliud vile, non ſeruitutis ſtimma; ſed ingenuitatis innatæ, ſed naturalis imperij, & dominationis erant ſigna conſpicua. De quo *Athan.* etiam ſtat D. Athanaſ. ſuffragium, hom. de ſemente vbi ſic. *Seruator Rex genitus ante ſæcula, nec temporarium regnum poſſidens; ſed ante ſæcula Rex ex Rege Deo genitus, & ipſe quoque ſeruire ſuſtinuit. Non enim rapiam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Et pulchrè ideo ſeruire ſuſtinuit, ideo ſernilia officia non horruit, quia non rapina; ſed natura *Cyrill.* erat Dominus. Rem conficit D. Cyrill. Ieroſ. Catech. 10. in hæc verba. *Saluator manens idem, & vèrè immutabilem filij dignitatem habens, tanquam optimus Medicus, & Doctor compatiens accomadat ſe ad infirmitates noſtras, Dominus verè exiſtens, non ſucceſſione aliqua, vel proſperitate dominationem accipiens; ſed naturà dominationis habens dignitatem.* Hæc ille. Et quidem non ſubeſt caſibus, quod innatum eſt, nobilitas enim naturalis in nulla abiectione timet ſui ruinam. *Pſalm. 46* Aiebat Pſalmus 46. *Omnes gentes plaudite manibus; iubilate Deo in voce exultationis. Quoniam Dominus excelſus.* Quomo excelſus, qui vagiens propter nos humi repit? Qui vſque ad inferiima deſcendit? Excelſus erat natura, & ideo in nulla abiectione, & de- *Chryſoſt.* iectione timetur eius celſitudini. Chryſoſt. ibi: *Quando ergo audieris crucifixum eſſe Dominum, fuiſſe ſepultum, ad inferiores terræ partes deſcendiſſe, ne labaris, ne angaris: eſt enim altiſſimus, & natura altiſſimus. Quod eſt autem altum natura, ab altitudine minime vnquam receſſerit, nec ſi humile quidem fuerit: ſed etiam in eius humilitate, eius altitudo manet, & oſtenditur.*

*Text.* Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum.

## §. IX.

### *Angeli militiæ nomen dederunt, vt Chriſti hominis ſtabilirent imperium, & principatum.*

ANgelis albenti gratiæ toga conueſtitis in primo ſuę conditionis articulo obiectis eſt hic diuinus infans, quem Regem, & Principem ſuum procidentes adorarent. Reſpuunt rebelles infantem, conſpuunt: quid tunc? Dimiſsis togis factum eſt in cœlo prælium magnum, ſignum eleuat Michael: dant militæ nomen Angelorum myriades, omnes fortitudinem, & diuinitatem agno precantes. *Apoc. 12.* Hinc poſita toga ſub Dei hominis ſignis cœleſtes acies militant, iam in beata illa Sulamitide non cernitur, niſi caſtorum chorus, quicquid ibi eſt, phalanx eſt, miles eſt. Qui bellicus ardor toties acuitur, toties militia, & pugna Angelica inſtaratur, quoties de Regno Dei hominis res agitur. Proh dolor! rebelles ſpiritus facto impetu primo hominum parentes poſtruauerunt, vaſtauerunt quo pene humanum principatũ occuparunt; ſed ecce tibi Angelorum cohortes proſiliunt in certamen, antiquum prælium inſtaurant, inſtant aduerſarijs, & primo illorum præſidio, nempe muliere, occupato, fugam illos compelluut meditari. Quod Irenæus libr. 5. capit. 19. inſinuauit *Iren.* ſic factus: *Quemadmodum Eua per Angelicum ſermonem ſeducta eſt, vt effugeret Deum; ita, & hæc, nempe Beata Maria per Angelicum ſermonem euangelizata eſt, vt portaret Deum, obediens verbo eius.* Hoc totum cœleſte prælium erat inter Angelos rebelles: Deum ab homine nitebantur ſeparare; fideles Dei hominis defendebant principatum. Illi vt conſilium ſtabilirent ſuum, occupata muliere totum infecerunt genus humanum. Hi rebellium retundentes conatus, mulierem adeunt, illamque ſibi aſſociantes omnia rident machinamenta Diaboli. Ideo, vt ait Epiphan. ſermo. de Laudibus Virgin. Mar. *Angeli accuſabant Euam: nunc verò Mariam gloria proſequuntur.* Etenim in illa exultarat aduerſarius; per hanc homo *Ephi.*

aſſeritur

aſſeritur in principatum diuinum, qui fuit vnicus ſcopus Angelicæ militiæ. Vndè cùm primùm homo Deus mundo apparuit, militares acclamationes profundunt cœleſtes miniſtri, & quaſi victoria potiti ſe ſe Angelorum agmina fundunt in cantilenas, gloriamque Deo, pacemque terris æternant, perſonantibus hymnis.

## §. X.

### *Angeli mille formas ſubeunt, mille induunt figuras, vt hominibus proſint.*

AVdis Angelicos ſpiritus fieri milites: & quid non fient Angeli, vt pro ſint hominibus? Nonne Angelus columna nibis, & columna ignis factus eſt Iſraelitis? Nonne Tobiæ aſtitit Angelus factus pediſequa? Proſequitur Nyſſen. de vitâ Moyſis, & in arca teſtamenti hinc inde annullos ſpeculatus, medijs quibus arca efferebatur, de Angelis inquit, quod, *ſicut quidam annuli in animos ſaluandorum immittuntur, vt ad ſublima eleuentur.* Pergit adhuc Theodotus orat. de Chriſt. Natiuitat. & de ſtella, quæ magos adduxit ita loquitur. *In præſepi poſitus Dominus, & à ſtella denuntiatus; non à ſtella deſcendente ad Magos, neque enim ſtellæ loca permuttant. Sed quoniam Caldæorum terra plurimos habet ſtellarum motus inſpicientes, virtus ſuperna (nimirum Angelica) deducens Magos, aſſumpſit ſtellæ ſpeciem, & ea doctrina ſua Caldæi, quod neſciebant agnoſcunt vt cùm aſtronomiam reſpiciunt ab aſtris Chriſti myſteria docerentur.* Ecce Angeli, & fiunt annuli, quibus efferaris, & fiunt ſtellæ, quæ te ducant ad Chriſtum, & milites, qui pro te pugnent aduerſus tenebrarum poteſtates, fiunt. Hinc crediderim Manna vocari Sap. 16. panem Angelorum, nempe Angelorum naturam referentem, quatenus varias ſaporum formas induebat, vt fidelium indulgeret voluntati. Sic enim ait. *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & deſeruiens vnius cuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat conuertebatur.* Vel in hoc ſe oſtendens Angelicum panem, quorum conuertibilem propietatem imitabatur.

Niſſ.

Theodo.

Sap. 16.

## §. II.

### *Non ſolum Angeli; ſed etiam vniuerſæ creaturæ etiam ſibi formas contrarias ſubeunt, vt Dei famulis ſeruiant.*

OCcaſione Angelorum ſeſe tranſfigurantium in hominum gratiam, animaduerti idem eſſe vniuerſis creaturis familiariſſimum. Id quod hauſi ex 16. Sap. Vbi de vniuerſa creatura dicitur. *Propter hoc, & tunc in omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ deſeruiebat, ad voluntatem eorum, qui à te deſiderabant.* Quam rerum tranſfigurationem pulchrè expendit Theodotus vbi ſuprà, plurimis exemplis adductis. *Aqua,* inquit, *vtebantur Hebræi; ſanguis autem Ægyptijs: Nilus factus: Dies Iſraelitis erat; & clarum eos circumfulgebat lumen; Ægyptijs autem hoc lumen factæ ſunt tenebræ. Babyloniæ quoque flamma ros tribus facta eſt pueris. Nam flamma ros facta eſt, & ambo hæc ipſo oſtendunt effectu. Quia quidem ros erat, tres edocent pueri per hanc refrigerati. Quia vero etiam, & flamma fuit, quia per hanc exuſti ſunt, nuntiant Babylonij.* Hæc ille: quibus claret quàm famulentur omnia Deo in hominibus puniendis ſiue ditandis. Etenim ipſa lux ſciet tenebrarum indui faciem, & ignis fiet aqua, & quælibet creatura cuiuſcumque formam, & perſonam aget. Omnium accuratiſsimè id ponderauit D. Chryſoſtom. in Pſalm. 7. vbi rebellem Abſalonem mulo per quærcetum raptum, & crine à ramo ſuſpenſum miratus hæc ait. *Vt ſcias quod factum eſt totum fuiſſe diuini iudicij, pro funè quidem coma, pro ligno arbor extitit, pro milite autem eum adduxit mulus.* Ecce in ſolitudine, vt quaſi ex præſcripto iuris rebellem turpi ſupplicio mulctarent, vbi omnia inſtrumenta deſſent, omnia famulantur, & arbor ſe ſe in furcam egit, aureaque coma in pulchritudinem enutrita formam aſſumſit laquei, & ne carnifex, ne miles deficeret, qui reum traduceret, mulus, cui inſidebat, miles fuit factus. Quòd ſi creatura irrationalis miles fit, vt offenſo patri ſatisfaciat, nil mirum quo rationis compotes Angeli ſe ſe militiæ dedant, vt de rebellibus Deum vlciſcantur. Hoc omnium creaturarum obſequium habuit etiam Deus, quando fugitiuum Ionam voluit

Sap. 16.

Theodo.

comprehendere. Id quòd sic expendit Nazianzen. Apologet. 1. *Fugiebat quoque Ionas â facie Domini, vel potiùs fugere se putabat: verum amari, & tempestate, & sorte, cetique ventre, necnon triduanæ sepulturæ comprehensus, atque abreptus est.* Ecce tibi maris fluctus, tempestas, sors, facti sunt lictores, & ceti venter factus est carcer, vt fugitiuum Prophetam Deoseruarent. Nazian.

## §. XII.

### *Hic Angelorum habitus, quo omnibus omnia fiunt, maximè etiam elucet in viris è Societate Iesu.*

PArcite mihi minimo è Societate Iesu filio, si hanc Angelicam consuetudinem & hominibus amicam prouidentiam putem nostro ordini esse insitam ab incunabulis. Etenim de Angelis Theodor. ait, Zachar. 1. *Cœlestes spiritus omnis formæ expertes â Deo formantur: vt vsus hominum postulat.* Tales Angelici viri Societatis creantur omnis formæ, omnis habitus expertes, vt illum induant habitum, illam formam, quam vsus hominum postulat. Viros Apostolicos alloquens Christus Dominus tantum ait. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Ad hæc eleganter Chrysolog. sermon. 23. *Nouus ordo vigiliarum, nouus habitus imperatur; sint lumbi vestri præcincti, nihil de vestitu, nihil de ipsius occursus apparatu serui vigiles admonentur, sed tota in præstringendis lumbis cura mandatur.* Et subdens, quid procinctu isto insinuari vellet, ait. *Cingulum quidem est indicium seruitutis, quod & discursus expeditos habeat, & faciat obsequentes.* Sanè veteres omnes ordines militantis Ecclesiæ veterones præscriptum ab incunabilis habent habitum: similiter præscriptum est singulis, an cum calceamentis, vel sine calceamentis gradiendum? an pedites, an equites, an cum sacci, & peræ apparatu, an sine pera, & sine sacculo, an cantibus hymnisve personantes, an vel sancto murmure psallentes, vel alta contemplatione taciti? Vnus nouus hic ordo vigiliarum, nempe ordo Societatis, nouus est ordo, nouusque illis habitus mandatur, vt careant omni habitu certo, & regulari, nihil de vestitu, nihil de calceamẽtis, nihil de ipsius occursus apparatu, vna illis cura sit, vt expediti, vt obsequentes, vt in procinctu sint ad seruiẽdũ humanis necessitatibus, ea forma, & habitu, quem vsus hominum postulauerit. Zach. 1. Chrysol.

Hũc habitũ ab Angelis in viros societatis dilapsum in primis probat Raphael ille, de quo Tob. 5. dicitur inuenit Tobias, *iuuenem splendidum stantem præcinctum, & quasi paratum.* Nihil de illius vestitu, nil de occursus apparatu, hoc vnum de illo animaduertitur, quod in procinctu esset, & quasi ad omnia paratus. Sic Iesuitis viris, nulla certa præscribitur semita, nil de calceis mandatur, vt quando res tulerit etiam sine calceis egrediantur; vel sacco amicti, vel militum sericis, vel sapientum togis personas effingentes, vt omnia omnibus fiant, sint parati. Porro D. Bernard. serm. de tribus ordinib. tres hominum meditatur classes, qui vitæ pelagus humanæ tranant. Alij vada sectantur, amarulentisque saltim ad talos vsque fluctibus superatis arenarum fugunt thesauros; alij lapidibus constructum pontem læti fœliciter transcurrunt. *Alij sunt qui descendunt mare in nauibus faciẽtes operationes in aquis multis. Neque enim certa pontis aliquâ, seu vadi semita coarctantur, vt libere possint vndequaque discurrere, ac occurrere singulis, vt oportet, ac dirigere pontis semitam seu vadi, ordinare gradientes, pericula inuestigare, ac declinare excitare tepidos, pusillanimos sustentare.* Ideò nulla certa habitus seu muneris lege tenentur viri societatis, vt libere possint, & debeant vndequaque discurrere, siue põtem percurrendo, siue medios fluctus tranando, omnibus omnia fieri. Sed mihi instar omnium è societate vnus Beatissimus Xauerius affulget maximus, qui sanè descendit mare in nauibus, faciens operationes in aquis multis, nec inuenientur maria, quamuis penè immensa sint, quæ Xauerij non viderint faciem non obstupuerint sanctitatem, non inuiderint magnalia. Aliquando vnus cùm esset duobus simul nauigijs longe distantibus apparuit & est conuersatus, factus duo, factus omnia omnibus. Adeò expeditus, adeò in præcinctu ad subueniendum omnibus, vt vel solius nautæ lucrandi spe vastissima maris spatia, prope ad mille leucas, tranauerit. Vestitus calceorum, victus, pene immemor vna illi cura, vt nulli etsi abiectissimo homuncioni se negaret. Hic vir an Angelus? Imò supra Angelorum celsissimos te, ò nostræ societatis lumen, contemplor absque dubio radiare. Expugnaturus Ionathas Ammonitarum Principem Naas. 1. Reg. 14. manibus pedibusque reptans ascendebat. Quod ita expendit D. Nilus, in Ascetico: *Ionathas cum Naas pugnans super quatuor incedens vicit illum. Oportebat enim, vt qui cum serpente, qui supra vectus graditur, id enim Naas significat, decertabat, paulisper speciem ipsius assumeret, atque ita super quatuor incedens, & mox in propriam sese formam erigens eum* Bernar. D. Nil.

*gens eum magna facilitate superaret.* O quoties Xauierus, vt serpentinos peccatorum mores eliminaret, cum reptantibus quasi ipse reptabat, se se effingens ad eam formam, qua placidus esset, pellices ipsas laudabat, vt sic gratus semel facilius turpitudinum radices euelleret.

## §. XIII.

### *Sapientissimi quique eadem quæ ipsi sciunt maximo ab alijs fructu audiunt præcipuè diuina.*

PRimo Christum annuntianti Angelo, statim Angelorum accesserunt myriades nouis gaudijs gestientes, & exultantes, nouo modulo in laudes insurgunt diuinas. Voi nota quanto fructu sapientes ab alijs possunt audire, eadem quæ ipsi de Deo nouerant, & præsciuerant. Id in præsenti acutè animadnertit Gillibert. serm. 12. in Cant. dum inquit. *Natum Pastoribus Angelus nuntiat, imò & ipsis Angelis non tantum pastoribus videtur Angelus nuntiare. Vnus prædicat alij applaudũt. Facta est*, inquit, *cum Angelo multitudo cœlestis exercitus laudantium, & dicentium: Gloria in altissimis Deo. Vnus annuntiat, quod alij æque norant, & tamen quasi nouum, & recens audiunt quod illis ignotum esse non poterat. O beata hæc nouitas, quæ Angelico gaudium præstat auditui, & delectat illos ab alio audire, & quasi discere, quod eos ab initio ipsa veritas edocuit!* Sane nil fructuosius homini, quam verba salutis ab alio audire, sapiens licet sis, omnia diuina mysteria quantumvis mente cordeque geras, maximam fuges vtilitatem si eadem ab alio audias. Probaticæ piscinæ, quæ salubres erãt, in se cõtinebant sanitatem; sed nõ elucebat earum sanitas, donec exterius ab Angelo reuoluebantur. Silices ignei sunt, intrinsecusque conceptum ignem habent nunquam tamen splendenti suffunduntur radio, quin ab extrinseco feriantur. Quod exemplum in rem præsentem, pulchrè adduxit Naz. Car. 2. de Virginitate.

*Gillib.*

*Nazian.*

*Pietatis namque sepulta.*
*In nobis scintilla latet, velut igneus ardor.*
*Inclusus saxis; vt porro sæpe torrendo.*
*Ferrum de rigido solet ignem extundere saxo*
*Haud aliter pietas latitans, sermone salutis.*
*Attrita in medium prodit, clareque refulget.*

Totam Dei sapientiam habere, ignea viuidaque mente gaudeas, recondita mente te conserues, & euolũas mysteria sacra; si tamen alterius sermone tangaris, ò quam fulgurabis! ò quã splendesces! ò quantas inde capies vtilitates, lætus, & delectatus audire, & ab alijs discere eadẽ, quæ tu ex proprio fonte potaras!

*Textus.* Et dicentium gloria in altissimis Deo, & in terra, pax hominibus bonæ voluntatis.

## §. XIIII.

### *Nato Christo Domino præstantissima Deitatis gloria, nempe personarum Trias in altissimis vsque modo repressa innotuit, & apparuit.*

CVm audio gloriam Dei ab Angelis euulgari, & celebrari, pro summa illius laude non me possum continere, quin credam non quancumque Dei gloriam perhiberi; sed maximam illam, quæ remotissimis, & celsissimis cœlorum penetralibus cœlestes spiritus pascit, nempe reuelatione arcanissimi mysterij Trinitatis. Quam mentem debeo sapientissimo viro præceptori meo Patri Michaeli Vaz quez quondam Salmanticensi Theologiæ cultori & altori. Is in concione, quam habuit de Trinitate, tanto mysterio tribuit illud Pauli 1. ad Timoth. 3. quod cæteri omnes expositores tribuunt Deo incarnato. *Manifestè magnũ est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatũ est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatũ est gentibus, creditũ est in mundo, assumptũ est in gloria.* Si arcanũ quid, si mysteriũ, si sacramentũ manifestè magnũ, & celsissimũ, est secretũ reconditũque illud Triadis diuinæ Sacramentum; Sacramentũ, inquã totũ pietate in homines plenũ. Etenim de Trinitatis decreto cõditus homo est, insuper, vt ait Rup. *Humana creatura illud potissimũ opus est, quod eadẽ beata Trinitas magna sibi dignatione diuisit, vt Pater conderet, Filius redimeret, Spiritus sanctus igniret.* Hoc igitur arcanũ adeò magnum, adeò excellẽs tãta in homines pietate manãs primò innotuit, cũ apparuit in carne. Tũc in Dei & hominis cõiũctione eluxit magnũ Deificæ Trinitatis arcanũ tũc quã si oculis demõstratum patuit. Vndè pulchrè Gillibert. serm. 21. in Cantic. *Quid iam in vnitate diuinæ essentiæ, tres esse miramur personas?*

*1. Tim. 3.*

*Rupert.*

*Gillib.*

*nas? Plures iam ex integro in vna persona naturas mirare.* Vbi duæ naturæ sub vna verbi persona cernuntur, familiaris fit, & perspicua in vna natura Trinitas personarum. Ab incarnatione Verbi prorsus manifestatum claruit mysterium Trinitatis Sanctissimæ: *Iustificatum est in spiritu*, quandoquidem aduenientе Spiritu eiusdem mysterij Sanctitas maximè enituit. *Apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo*, nempe Angelicos obtutus nouo per carnem eiaculato fulgore perstrinxit, illosque noua admiratione afficiens humanos etiam oculos peruasit, animaliumque ab ore sanctum quid tiniens; assumptum est gloria, in genti gloria, cœlestia cumulauit sedilia. Qui gloriæ cumulus cœlitibus accrescens ex magnæ Trinitatis per carnem, reuelatione, hodie ab Angelis summitur pro summa omnium laudum, quæ de diuinitate possent dici. Etenim tunc maxime laudamus virum, quando præstantissimi sui decoris acceptionem celibritatemque edicimus. Sic modo Angeli pro vltima Dei Opt. & Max. laude gloriam illam concinunt, qua in cœlorum arcanis præstantissimum Deitatis decus effulget, nimirum personarum triplicitas.

Sed quis dicit in Deo præstantissimum, & excellentissimum esse Trinitatis Sacramentum? Hoc ego â principio in finem huius paragraphi distuli, vt tibi ex Theologorum fontibus duo pocula, pro Trinitatis gloriæ magnitudine, propinem. Primus Areopagita cap. 1. de Mystica Theologia, sic inquit. *Trinitas super substantialis, Deitate, ac bonitate superior, ac præstantior*: Quid inde? Sed luculentior, & ingeniosior Cyrill. lib. 1. Thesaur. cap. 6. præscellentissimum Patris nomen in Deitate, sic deducit. *Si Patris nomen non esset dignius in Deo, quam ipsum nomen Deus; cur cum discipulos Saluator ad prædicandum mitteret, non iussit, vt in nomine Dei baptizarentur? Sed quasi maiorem diuinæ naturæ ostendens dignitatem, in nomine Patris, inquit, & Filij, & Spiritus sancti? Philippus verò cùm diuinam curiosè scrutari naturam vellet: ostende nobis Patrem dicebat, non, ostende nobis Deum.* Ecce tibi quam diuini Angeli in Dei natali non gloriam, qua Deus apud omnes creaturas innotescit prædicant; sed notanter gloriam illam dicunt, quæ in altissimis, & arcanis sedibus perhibetur, gloriam, inquam, ex eo quod est Deitate ipsa præstantius, & excellentius, nimirum, in vnitate naturæ personarum triplicitas. Hæc est gloria Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quæ à Verbo incarnato manifestissimè sui copiam fecit, pro quo Angelici spiritus hymnis perstrepentibus resonant exultantes, quod præstantissimum Deitatis decus vsque modo reconditum iam inde clareat, & innotescat.

Thesau.

## §. XV.

## *Quod salus homini maximè sit voluntaria Saluatoris acinit potentia.*

AD Secundam Angelici cantus partem accedo, vbi dicitur, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quasi dicant iuxta receptissimam Doctorum expositionem. In terra, vbi iurgia, vbi lites, vbi bella, vbi frequens rebellio, iam pax alma nascitur, pax, in quâ, fungēda ab hominibus bonæ volūtatis, hoc est voluntariè, & auidè pax, & salus ab hominibus capessetur. Hoc vltimum, si nō perspicuis verbis traditum inuenio; tamen id puto intelligi ab omnibus ijs, qui bonam voluntatem ad homines asserunt pertinere: qui plures sunt, vt dixi, & poteris videre apum Barradam, Salmeronem, & Cardinalem Toletum. Impulit me in hanc explicationē scopus Angelici cantus, qui quidem gestiebat id laudare, quod maximè Saluatoris nati potentiam in saluandis hominibus ostendebat. Et quid magis Medici potentiam, & industriam commendat, quàm quod sciat infirmos deiectosque homines ita persuadere, vt ipsi alacri animo, & magno ex voluntatis affectu amaram sed salutarem potionem ebibant? Hoc sanè præstitit Saluator noster, & vel in eo maximè seductorem deiecit, quod ille dolis suis aliquo modo inuoluntario homini propinauit venenum; verum Christus Dominus remedium & si austerum, & si naturæ infirmæ horrendum, ab hominibus volūtarie omnino & auide fecit ebibi. Nolo amplius debere pulcherrima Gilliberti verba serm. 21. in Cant. quæ sic personant. *Si abundabit delictum, super abūdabit & gratia, vbi delictū; ibi seductio & fallacia intercessit, & ideo non ex omni parte voluntarium videtur. In gratia vero nihil non ex proposito, nihil non ad libitum. Quomodo ergo non efficatiora sunt voluntaria bona, quā vel aliqua ex parte coacta mala? Et verè efficax gratia & artificiosa.* Magna equidem gratiosi Saluatoris efficatia, artificium maximum quod crux, quod nuditas, quod abiectio, quod mors ab hominibus carneis auidè, & voluntariè, sumatur. Serpens ille & si callidissimus non adeò efficax qui posset detecta veritate male hominum de triumphare voluntates.

Gillibert.

tates. Pomum obiecit, & dolis traxit homines ad laqueum. Præstantior Saluatoris gloria, qui ad salutem traxit homines voluntarios, cui nisi à voluntate auida profecta vota non placent. Minerua apud Homerum 2. Odis. sic Telemacum alloquitur. *Tu nunc para Viaticum, vasibus omnia congere necessaria: ego interim in populo socios voluntarios colligam.* Is solum decebat triumphus sapientiam incarnatam, vt sponte & voluntarie venientibus exultaret in fratribus. Vt templum Hierosolymis ædificaretur prouidit Deus, ne vi, & ferro celarentur lapides. Sic Theodoretus in 3. Regum. quæstion 21. *Theodor.* *Ipsum quidem templum ædificauit ex lapidibus minime cæsis securibus; cum diuina voluisset prouidentia, vt inuenirentur eiusmodi sua sponte nati lapides adeò, vt ad eos compingendos nullo ferro opus fuerit.* Hinc queriam claruit qui lapides Christi fundamento erant superædificandi, nempe illi, qui nulla vi, nulla coactione; sed prorsus spontaneo & voluntario animo in Christi corpus coaptantur. *Quomodo ergo non efficaciora sunt voluntaria bona, quam vel aliqua ex parte coacta mala?* Efficaciora sanè debent esse voluntaria: id quod crediderim indicari à Chrysostom. hom. de cæco nato nuper translata. *Chrys.* Vbi sic Adami peccatum cum latronis merito componit. *Primum hominem Adamum non ob multa peccata, sed ob vnam inobedientiam è paradiso eiecit: ita iustitiæ statera latroni primum in paradisum ingressurum eum promisit, non cum multa quidem confessus est? verum cum vnam fidei confessionem obtulisset.* Equidem, quia vnica inobedientia eaque extorta dolis paradisum homine viduauit; sic iustitia protulit, vt vnica voluntaria confessio hominem Deo in paradiso sociaret, vt clareat quam efficaciora sint voluntaria bona ipsis malis. Quod inde magis ponderabis, quia ad dejciendum hominem à paradiso, peccauit Eua, peccauit Adamus; verum ad hominem paradiso ditandum sola vnius latronis, & vnica confessio conflatur.

## §. XVI.

### *Voluntarij homines ad Dei obsequium sunt viri è Societate Iesu.*

HOc omnibus fidelibus commune bonum, crediderim, illis, qui è Societate Iesu viri sunt, maxime singulare: & quos socios sibi Iesus eligeret; nisi socios voluntarios? Huc spectat tam longæuum tyrocinium in Societate, vt socij noui voluntas per biennium sui experimentum faciat. Huc tendunt simplicia vota, quæ facultate Apostolica, rescindi & eximi queat, si promptus, spontaneus, & voluntarius obsequendi animus non adsit. Primo Machabæor. libr. capit 2. erant res Ierosolymitanæ in nouacula acie. Vni Machabæi viriliter resistebant aduersarijs. *1. Mach. 2.* *Tunc*, ait textus, *congregata est ad eos Synagoga Assidæorum omnis voluntarius in lege, & facti sunt illis ad firmamentum.* Sic periclitanti Ecclesiæ acriter ab hæreticis vndique impugnatæ congregata est hæc è viris Societatis Iesu amica phalanx, omnis voluntarius in lege, quorum quilibet voluntariè, & auidè in præstando obsequio desudat, & facti sunt Ecclesiasticis rebus ad firmamentum. Et quis neget quantum roboris, quantum firmitatis accipiat Ecclesia contra hæreses ab istis socijs adeò voluntarijs? Sed accipite vnum Chrysom. hom. 2. in capit. 1. Matth. qui sic & virum voluntarium & filios Societatis Iesu eleganter designat: *Id ipsum est voluntarium esse populum, & esse gentem desideratam. Qui enim voluntarius est Deo, & dicit voluntarie sacrificabo tibi, ipse est desiderabilis. Et vsque nunc qui desiderabiles sunt, & voluntarij Deo, illi sunt Zelabiles, & irritant ad inuidiam sui tenebrarum viros.* Quid viris Societatis Iesu peculiarius? Quid proprius? Hi simul omnes desiderio sui afficiunt, à cunctis expectuntur ciuitatibus, & simul vulgo maledictis petuntur. Diceres prope esse ad miraculum & gentem simul exosam esse, & maximè amatam, communiter spui, & expeti, æstimari & corrodi. Sed est miraculum hominis in lege Dei spontanei, hominis voluntarij.

*Text.* Et factum est, vt discesserunt ab eis Angeli in cœlum, pastores loquebantur ad inuicem transeamus vsque Bethlem, & videamus hoc Verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerũt festinantes.

§. XVII.

## §. XVII.

### *Pastorum fides, robur maximum, eo quod relicto illo, & ouibus, venerint Bethlehem. Vbi de B. Franc. Xauerio illustria.*

MAximum sanè fuit fidei argumentum, deseri à pastoribus locum, vbi summis vigilijs oues custodiebant vbi cœlestes fulgores, Angelorum voces, gloriæ ciues exceperant. Nescio, an tantum fuerit quod Petrus in Thabor speculatus est, & egrè diuellebatur à loco illo, ait enim. *Domine, bonum est nos hic esse, faciamus tria tabernacula.* De quo eleganter D. Basil. sermon. de Transfigurat. ait. *Petrus etiam si hæc viderit, nondum docetur, vt cuius esset ratio obstupefacta magnitudine miraculorum. Nam propter spectaculi desiderium, omnium obliuiscitur, & loco alligatur superatus à nimio gaudio: faciamus, inquit, hic tria tabercula.* Expendo illud; & loco alligatur superatus à nimio gaudio. Etenim imperfectus adhuc, non plenè edoctus coruscantis gloriolæ speciem miratus præ gaudio hæret, illo cupiens alligari loco. Robustiores inde extiterunt pastores, quos nec gaudium magnum, nec fulgentia Angelorum lumina, nec resonans melodia, nec oues, nec aptus pascuæ locus valuit alligare, quominus relictis omnibus, ad paruulum recens natum euolarent. O quàm cito pastorum in pectore amoris coaluit efficacia: extrinsecus illos circumfulsit lux, verum intimè vis amoris peruasit, & omnium oblitos in altiora coegit conamina. *Sancta quadam*, ait Gillibertus, *semper eget amor auaritia: semper ad secretiora exæstuat, & quæ tenet non reputans, volubili se raptat in anteriora rotatu, & vitalis instar rotæ spirituali leuitate ad superiora toto conatu attollitur, de terra vix paululum aliquid attingens.* Sic isti recentes Dei amasij Angelorum hausta lætitia; sancta inde correpti auaritia maioribus inhiant gaudijs, nihilique possessa reputantes volubili rotatu ferebantur, & veluti vitales rotæ vix terrena pertingentes loca in Dei naticubile, quo gradiebatur spiritus, ferebatur.

*Matt. 17.*

*Apud Metaph.*

*Ser. 2. in Cant.*

Hæc mihi cogitanti B. Francisci Xauerij siue in Deum amor, siue prenicitas in proximis inuãdis accidit admiraculum. Et quidem cum fulgentis Christi Domini ex conspectu Petrum gaudio superatum, loco illigari video, & pastores laudo, quod nullo gaudio alligentur, quominus Christum Bethlehem degentem adeant. Adstupeo Xauerium, qui madidus diuinis gaudijs, vsque (si fas est dici) ad facietatem totum pene orbem proximorum causa peragrarit. Is est qui cõtẽplationi deditus eo diuinæ gratiæ impetu rigabatur, cuius impotens clamabat sat est Domine; sat est. Et medio hoc dulcedinũ immersus salo dixit ne aliquando bonum est nos hic esse? sub hoc tabernaculo, hoc in nidulo moriamur mundo, & Deo viuamus? Imò à nimio gaudio superatus nullo alligatur loco, sed immensa dimensus maria barbarissimas nationes lustrãs illustrauit. Vnius mi selli nautæ confessionem sperans bis quingenas tumentis maris Leucas tranat: Italiam, Lusitaniam, Indiam, Iapponiam, Chinam spè repetit, & cum pedes deficerent, equorum caudis religatus raptatur. Ecce D. Ambros. Epist. 60. de sancto Viro Acholio hæc fatus. *Vidi fateor virum, vidi illum esse in corpore vt extra corpus putarem. Vidi imaginem illius, qui se siue extra corpus siue in corpore nesciens raptum ad paradisum viderat. Ita enim percurrebat omnia ex cursu frequenti Constantinopolim, Achaiam, Epirum, Italiam, vt iuniores eum non possent consequi. Cedebant fortiores corpore, quia eum sine impedimento esse corporis nouerant, vt eo tantum pro velamine vteretur, non pro officio, certè ad seruitium; non ad subsidium.* Tolle Constantinopolim, Achaiam, Epirum, pone Romam, Vlisipponem, Goam, Malachiam, Iapponiam, Chinam, & sub eisdem verbis B. Xauerius erit effigiatus. Etenim ea facilitate, & pernicitate excurrebat omnia excursu frequenti, vt posset addubitari, an corpore, siue extra corpus; & verè sine impedimento corporis erat, qui eo pro velamine vteretur, non pro officio, ad seruitium: non ad subsidium. Vide modò quàm imperfectus Petrus in Thabor; quam perfectus Xauerius in transcursibus: ille Christiferæ claritatis contemplatione hæret, & loco alligatur; hic summi Dei contemplatione captus, quo è portũ non soluit, vt maria, vt terrarum occulta peragraret? Ille sibi nesciens consulebat; hic sapientissimè Deum amabat. Hunc respicere videtur Gilibert. sermon. 2. in Cant. dum ponderans illud, *in lectulo per noctes quæsiui*. ita fatur. *Non illum mordaces curæ circumuolant inquietudinum, non exasperant iniuriæ; sed totum lectulus, & nox, totum pax, & quies, & latebræ* (Hæccine est Xauerij contemplatio?) *Numquid satis est? Fortasis*

*Ambr.*

*tasis satis, sed laboranti, non satis amanti. Dulcis enim laboranti somnus. Amantis anxietas illum dormire vetat, somnolentiam excutit, vigilias inducit. Amor de quiete inquietior red ditur.* O magna vis amoris Xauerij animum depascens! Quid Xauerio in oratione magis quietum? Quid in salute animarum procuranda magis inquietum? In oratione totum lectulus, totum pax, totum quies, totum dulcedo, totum gaudium, Petrus id sibi satis putaret, ibi hæreret, inibi religatus tentoriam figeret, & tabernaculum. Id satis laboranti, non satis amanti, non satis Xauerio, qui de quiete illa inquietior, & totus in quærendis dilectis animis versabatur. Quæ tenebat reputans sancta auaritia, volubili se raptat semper in alia rotatu, & instar vitalis rotæ de terra vix paululum attingens ad superiora toto se protendebat conatu.

## §. XVIII.

### *Pastores hi vulgus Iudæorum ignobile, gratius, & acceptius reddiderunt Deo.*

*Ioann. 7.* HOC valde mirandum cuiuis existit, quod Ioann. cap. 7. iactitabant de Christo Domino Iudæi, nimirum. *Numquid ex principalibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis?* Et quidem, vt ille cœcus ho-
*Ioann. 10* muncio aiebat Ioann. 10. *In hoc mirabile est, quia vos nescitis vnde sit, & aperuit oculos meos.* Quasi dicat hoc valde mirandum, quod reiectis vobis Principibus me, & ignobilem turbam misellos quosque homunciones miris beneficijs cumulet. Etenim à Iudæis turbas trahebat Iesus, à gentibus Dy-
*Isai. 60.* nastas, & Principes iunxit Isai. 60. *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.* Ex Iudæis plebeculi, ex gentibus Centuriones, Duces, Proconsules, Reges sequebantur Christum. Quæ huius rei ratio? Illam insinuat Tertullian. lib. de
*Tertull.* Idololatria, hæc de Magis Christum adorantibus edicens. *Primi stellarum interpretes natum Christum annuntiauerunt, primi munerauerunt. Hoc nomine Christum, opinor, sibi obligauerunt.* Quid plura? ex Iudæis ignobiles pastores, ex gentibus Reges primi astiterunt incunabilis Christi Domini, primi adorauerunt membra infantilia, & inde Deus manfit deuotus, & procliuis in nobilissimos Gentilium, in Iudæorum vulgus. O fœlices vos, qui primi ad Deum aduolatis, hoc quidem nomine illum maximè obligatis, arctè obstringitis. Huc referebat Guarricus Abbas illud Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur. Plenè, inquit, vim facit, qui intonate tuba præcepti nescit parcere sibi.* Qui primam ad præcepti vocem, qui primo clangore buccinæ primi assurgunt Deo obsecuturi, hi obligant, obstringunt Deum, vim inferunt. Hac aliquando efflorebat virtute Iudaica nobilitas, de qua Numer. 11. *Si semel clanguerit, venient ad te Principes, & capita multitudinum Israel.* Quæ verba expendens Procopius, ait. *Vnius tubæ sonitu conuocabantur Principes acutiùs cernentes, & citiùs obedientes. At verò plebs conuocabatur ad tabernaculum Domini sæpius à Moyse repetito clangore.* Vtinam ab hac prompta obedientia non excidissent Israelitici Principes, in recipiendo Christo promptiores illis extiterunt pastores, qui primo intonante pueri crepitacillo aduolant adoraturi, & inde sibi & vniuersæ Iudæorum plebi Deum obligatum obstringunt. Hinc etiam elucet ratio, qua Christus Dominus post resurrectionem in sæuissimos peccatores fuit procliuis, Paulum lupum rapacem elegit, Clementem âschola Simonis Magi eduxit post Petrum in Pontificum culmen. Quas peccatorum electiones meruit ille peccator, & latro, qui primus Christo crucifixo accessit veniam deprecaturus. De illo sic Abbas Guarri-
*Guarr.* cus. *Iste est, qui velut Dauid alter Princeps latronum, piorumque ductor prædonum victoriosum illum exercitum publicanorum, & peccatorum per illam laudabilem violentiam, & religiosam post se induxit in regnum cœlorum.* Ecce tibi quàm obligetur Deus ab ijs, qui primi propriæ inhiant saluti.

*In serm Ioa. t. Bap.*

*Nmu. 11*

*Textus.* Et inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc, &c.

## §. XIX.

### *Deus facilè inuenitur ab ijs, qui operi incumbunt, dum alij somno, & voluptati indulgent.*

ABeuntes Bethlehem pastores omnia sibi iuxta Angeli prædictionem occurrentia mirati sunt, puerumque inueniunt in præsepio medium inter Mariam & Ioseph. Sanè thesaurum non cubantibus custoditum Draconibus; sed florenti sanctissimorum parentum lilio circumseptum. Rustici in fœno iacentem recognoscunt agnum illum, qui pascitur inter lilia. Sed cur non inuenerint Dominum serui vigiles? & illi serui, qui dum cuncti somno sepulti oscitant, & languent, illi pascendis gregibus dant operam? Fœlix illa mulier Samaritana dum hora sexta pergit ad fontem, gratiarum omnium mare Christum inuenit, *Ioan. 4.* & vndè inuenit? An quia hora sexta aquam *Chrys.* hauriebat? Quid magnum hoc? D. Chrysol. hom. de Samaritana nuper latinis data. *Hora sexta quo tempore quieti à labore vacabant omnes, tunc illa hydriam arripiens aquam aduehebat. Nouerat ergo Dominus, quam horam cæteri captandæ quieti dabant, illa solere istam aduehendæ aquæ vacare, propterea sexta hora Dominus abijt.* Propterea inter omnes hi pastores Christũ Dominũ inuenerũt, quia cum dormiebant cæteri, ipsi vigilias agebant, propterea Samaritana scaturientẽ vitæ fontẽ offendit, quia quando cæteri ocio, & epulis indulgebant, ipsa seruilibus adhuc offitijs insudabat. Sed omnibus his præstantior Magdalena, & ipsa Christum sibi Pharisæis *Luc. 7.* præripuit, & cur præripuit? Sanè dum Pharisæus dapiferis accumbit mensis, dum captandæ populorum voluptati studet, omni alia debita obsequij cura feriatus; ipsa cibi obliti, potus immemor, tota in Dei seruitium effunditur. Hinc pulchrè D. Paulinus epist. 4. Pharisæi casum, & peccatricis *Paulin.* gloriam expendit in hæc verba. *Quo te miser Iudæe iactabis? In domo tua te peccatrix nostra præuenit. ingressa in labores tuos. Tu enim epulabaris, vt superbires, illa ieiunabat, vt seruiret.* Ecce tibi dum alij epulis incumbunt & quieti, peccatrix mulier immemor quietis, & cibi vnum hoc agit, vt seruiat, vt suum obsequium præstet Deo: quid mirum, si inueniat, si cæteris omnibus sibi *Genes. 18.* præripiat Christum? Genes. 18. dicitur Abraham stetisse in ostio tabernaculi sui, ipso feruore diei, nempe in meridie. *Cùmque aperuisset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum.* Ad hæc D. Ambros. lib. 1. cap. *Ambr.* 5. ait. *Ante ostium sedebat Abraham, sedebat meridie. Quando alij requiescebant, iste hospitum explorabat aduentum. Merito illi Deus apparuit.* Sic qui dum alij quiete soluuntur, ipsi adhuc laborant, dum alij dormiunt; ipsi in vigilant, sperent sibi obuiandum Christum, qui eorũm mũneret labores, & curas. Rem finiat D. Chrysostom. obseruatio in Anna Samuelis matre, de qua dicitur 1. Reg. 1. *Surrexit Anna post quam illi comederant, & biberant in Silo, constitit in conspectu Domini.* Nimirum illa sterilitatis ignominia grauis eo spectabat; vt tantum à se malum depelleret, inter prandium adhæc suspirabat, & à mensa ad Dominum oratura euolat. Vndè Chrysostom. *Quod omnes faciunt tempus relaxationis; illa fecit tempus deprecationis: post conuiuium accurrens ad supplicationem, ac post epulas adeò intentè orauit, vt donum acciperet supra naturam solueretque sterilitatem.* Sic Deum obligant, qui quando alij otio vacant, suæ incumbunt acquirendæ saluti. Vndè Dauid aiebat Psalm. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum.* De quo Nyssenus orat. ad eos, qui durius alios iudicant, fatur. *Sibi noctes ad ingendum præscribit, quod quidem tempus communi laborantium quieti datum est.* 1. *Reg.* 1. *Chrysost.*

## CAPVT IIII.

### De pueri diuini Circumcisione.

INstabat iam dies octauus à Natiuitate, quo puer iuxta legem Moysi circuncidendus erat, & licet, nec legis obligatione, nec alia necessitate puero diuino subeunda circuncisio, tamen, vt duram emolliret legem suscepit circumcisionem. Circumciditur ergo puer, siue à matre Virginea, siue à Ioseph, siue ab alio quopiam viro pio, & qui pro mundi pretio erat effundendus in cruce, modo sanguis humanæ redemptionis exhibetur, vt pignus.

*Textus* Postquam consumati sunt dies octo, vt circumcideretur puer. *Luc.* 2.

§. I.

*Sanguis Deificus occisimè funditur, ne insaluandis hominibus primas cedat alicui.*

Optimè

OPtimè nouerat Isaiás nascentes Dei curas, quando cap. 10. vocauit illum, *aeccleræ festina.* Etenim vehementer festinabat sanguine suo nos redimere: hoc erat illi inoptatis, hoc ardebat desiderio, eo illius sanguis pungebatur aculeo, vt quàm occisimè funderetur, vt nulli cederet primas. Hinc meritò sanguis diuinus post Deum primus omnium in salutem humanam prosiliisse notatur à Ruperto. Qui de operibus Spiritus Sancti, lib. 4. cap. 11. dum illud epist. Ioann. 3. perlegit, nimirum, tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, sic ipse meditatur. *Hic quidem, ait, tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. At in Euangelio post emissionem spiritus, non dictum est exiuit aqua, & sanguis: sed exiuit sanguis, & aqua.* In Euangelio vbi Euangelista testimonium veritati perhibebat, circũstantias, & ordinem rerum explanans notanter dixit, quòd exiuit sanguis, & aqua, non aqua priùs, ne sanguini pigritiæ notam impingeret; sed vix pretij pro homine soluendi sagulus cœpit aperiri, & continuò omnium primus sanguis exiuit. Enim verò in effundendo sanguine, cœteri omnes cedunt primas Christo. Elegan ter Clem. Alexandrin. primo Pædag. cap. 9. componit Isacum, & Christum, vmbram, & corpus, figuram, & veritatem. Ambo erant parentis vnicum pignus, ambo sacrificandi montem scandunt, ambo portant humeris sacrificij lignum, & ligno iam superponuntur ambo. Quid plura? *Solummodo*, ait, *iure Isaac non passus est, qui primas passionis partes verbo cesserit.* Nec solùm Isaac primas cessit sanguini diuino; sed & cuncti Patres, vt Clementi subscribens addit Cyrill. Alexandrin. lib. 1. in Ioann. cap. 21. Cùm, inquit, *non ignoret Moyses primas eidem partes concessisse.* Moyses, inquam, ille adeò suorum amator, adeò pro suis afflictus, vt dicatur à Paulo portasse improperium Christi, quasi non tam similis, quàm idem apparuerit cum Christo. Is tamen cessit verbo primas, vt pulchrè Bernard. insinuat, dum inquit, *Moyses quidem in aqua venit, à qua, & nomen accepit, vt Moyses vocaretur: manifestè autem plusquam Moyses Christus, vtpote qui non venerit in aqua tantum, sed in sanguine.* Sanè Moyses prima limina vitæ ingressus aquas arauit, super aquas ferebatur materna in cymba. Verum puer diuinus in sanguine incæpit viuere: cum limina Mosaicæ vitæ aqua rigabantur, limina Christi vitæ sanguine immaculati agni conspergũtur. Illum aqua in Pharaonis filiæ vlnas effudit, huius sanguis à gremio matris vniuersos iam homines perfudit. Hanc citissimam, & celerrimam sanguinis effusionem, vt præstaret Christus semen Abrahæ præ alijs, crediderim apprehendisse.

*Isai. 10.*

*Ruperti*

*Clem. Al.*

*Idem.*

*Bernard.*

Cuius rei zelotypia inflammatus Imperator Apostata nõ ferebat, quod Deus diceretur Abrahamides. *Quare*, inquit, *non magis gentibus misit eum Saluatorem, & Redemptorem; concessit autem Israel: secundum carnem?* Illi Doctor gentium satisfecerat, dum ad Rom. 15. sic loquitur: *Dico enim Christum ministrum fuisse circumcisionis.* Notanter enim dixit venisse Christum ad populum non Israelis, nec Hebræorum, sed circumcisionis, quasi circumcisio fuisset ratio, ob quam Deus Abrahamides sumpserit. Cum Pauli mente accedat modò optimus Apostatæ expugnator D. Cyrill. Alexandrin. lib. 3. prope finem. Vbi ex Osea reddens rationem, cur genus Abrahæ præ alijs Deus elegerit, vt homo fieret, hæc inquit. *Tale quidam per vnum sanctorum Prophetarum dixit, quasi botrum in deserto inueni Israel, & quasi futurum in ficu præcocem vidi Patres eorum. In ficubus autem dulcissimũ, quod præ alijs maturescit, hoc est, præcox, & præcurrens. Vnde vt dixi, quasi præcox fructus in ficu diuinus Abraham decerpebatur.* Sanè genus Abrahamidum præ alijs nationibus fructum maturabat, præcurrens ætatis moras à primis incunabulis per sanguinis effusionem Deo fructificabat. Ideò Deus hominem per sanguinem redemturus se se Abrahamo ingessit, vt præcox, vt præcurrens sanguinis effusio citissimam solutionem pararet. Si de gentibus parentes delegisset, morosus esset in exhibitione sui sanguinis, virilem primò atigisset ætatem, quàm dandi sanguinem se offerret occasio. Ideò, relictis gentibus, elegit Israelem, quo nasceretur, vt circumciderẽtur puer, vt quàm occisimè in mei remedium prosiliret sanguis.

*Rom. 15.*

*Cyr. Ale.*

## §. II.

### *Eo ardebat Dominus desiderio effundendi sanguinem, vt in se vulnerando gladij præuenerit ictum.*

FEstinus satis præcurrit circũcisionis gladius, vt puerum percuteret recẽs natum; sed

ſed feſtinior ipſe puer octiduanum vulnus nō expectauit; ſed à primo ortus momento amore vulneratus præcucurrit, vt poſtea lancea, claui, circumciſionis gladius nō tam vulnerarent, quàm aperirent vulnera iam facta. Sanè claui, & lancea denuo ruperūt Saluatoris carnem; ſed vulnera hæc licet vocare apertiones, ſiue oſtenſiones vulneris ab amore facti. Ecce tibi quid dicat Paul. ad Hebr. cap. 10. *Ideo ingrediens mundum dicit hoſtiam, & oblationem noluiſti; corpus autem aptaſti mihi.* Cùm primū verbū diuinum induit humanam carnem, vetera ſacrificia omnia Patri exoſa notauit, pecudum ſpirantes fibras faſtidio eſſe, agnorum ſanguinem abominabilem animaduertit. Vndè intra ſe aliud ſacrificium excogitauit, alium ſanguinem, alia vulnera, quæ Deū placarent meditatus ſeſe in id aptum natum gratulatur. Ait enim, corpus autem aptaſti mihi, ſiue vt ex Hebræis D. Cyril. Alexandrin. & Arnobius, *corpus confodiſti, perforaſti mihi*, quaſi ſe iā ex tunc confoſſum, manus, pedeſque perforatum ſacrauerit.

*Ad Heb. 10.*

*Cyrill.*

Sed age quando cōfoſſus, quando perforatus manibus Dominus apparuit? Ingrediens mundum, nimirum, vt placet viris doctis in primo aſſumptæ carnis inſtanti. Itaque etſi lancea, & ſi circumciſionis gladius occiſsimè currerent, vt vulnera infigerēt Dominicæ carni; occior præcucurrit amor, deditque cultro non infligenda vulnera, ſed aparienda tātum. Huc ſpectat Zachar. cap. 3. cuius ab ore loquens diuinus Pater de lapide angulari Chriſto, ſic fatur. *Ecce ego cælabo ſculpturam eius*, & quo inſtrumento cœlabit? S. Hieronym. Rupert. aiunt, lapidem iſtum clauis crucis, & lancea militis faciam vulnerari. Hæ cœlaturæ viuentis lapidis? cœlaturæ, inquam, lancea, clauis, cultro comparandæ. Sed pulchriùs originalis pagina, ait, *ecce ego aperiā, apertionē eius*, vt innuat, quòd lancea, quod claui, quod cultro non nouas inferent plagas; ſed apertionem aperient, effoſſum iam, & perforatum amore pandet. Moroſior cultro quàm Chriſtiferus mei amor, præcucurrit hic, & effoſſa Dei carne pigritantem reddit cultrum octiduanum. Quandoquidem cum infirmus vehementer lateris dolore angitur, a ſapiente Medico illius venæ cùm primum rumpuntur, nec curantur, vt citiùs poſtea cùm res tulerit, apertæ ſolum primæ ſciſſuræ effundant ſanguinem. Sic Dominus aſſumta humana infirmitate ardebatur, ſic æſtuanti amoris flamma exurebatur, vt cùm primùm licuit ſe ſe mille ſciſſuris confoderit adeò, vt poſtea accedens lancea, claus, cultro iam non percuterent; ſed inflictū vulnus aperirēt, vt efflueret ſanguis. Vndè D. Bernard. cap. 3. de vite, fatur. *Foderunt, & perfoderunt Iudæi non ſolùm manus; ſed & pedes, & latus quoque, & ſanctiſsimi cordis intima furoris lancea perforauerunt, quod iam dudū amoris lancea fuerat vulneratum. Vulneraſti*, inquit, *ſponſus, cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum. Quid neceſſarium fuit illud ab inimicis vltra vulnerari? Si vulneratum eſt, imò quia vulneratum eſt, quid ſecundum vulnus apponis?* Vbi amor mei in Chriſti corde coaluit, quæcūmque extrinſecus veniant vulnera, ſecunda erunt, non prima, nulli accedent membro, quod non inueniant primis amoris vulneribus transfoſſum, & præoccupatum.

*Zach. 3.*

*Hieron. Rupert.*

*Bernard.*

Hinc notanter Euangeliſta cùm de transfoſſo Chriſti pectore a milite loqueretur, ait miles, *lancea latus eius aperuit.* Ad hæc Auguſtin. *vigilanti verbo vſus eſt, vt non diceret, latus eius percuſsit, aut vulnerauit, ſed aperuit.* Etenim nimis ſera acceſsit lancea, vt vulnus infligeret, ſatis eſt, ſi inflictum ab amore demonſtrauit. Id quod eleganti metaphora edocuit Chryſoſtom, in Pſalm. 14. dum ait, *lancea tanquam claue in arcā iniecta prodidiſti pretium ex paterno theſauro.* Quaſi diceret, quod lancea non lanceæ munus peregerit confodiēndo, vulnerando; ſed potius munus adimpleuit clauis, dum per foramen factum iniecta non rupit, ſed aperuit cœleſtem theſaurum, vt pretium meæ redemtionis dimanaret.

*Auguſt.*

*Pſalm. 14*

Accipite modò quàm aptè Metaphraſtes dixerit verba alioquin obſcura de Dominica circumciſione. *Circūciditur*, inquit, *puer ex lege, quam tulerat, vt veteris circumciſionis euelleret anticipationem.* Expendo illud. *Circumciſionis euelleret anticipationem.* Enim verò quantumcumque culter percurreret, quantumcūque vulnus maturaret; occior diuinus amor in vulnerando Chriſtum omnem celeritatē, & anticipationem ſuperauit, obſcurauit. Vndè D. Bern. hæc aurea infert. *Vide quantum ad ſuſcipiendos dolores feſtinauit, quā promptus ſanguinem effundere, circūciſus pro nobis die natiuitatis ſuæ octauo Chriſtus octauam diē à natiuitate ſua vix expectat, vt ſuū tibi impendere ſanguinē incipiat, tu poſt non dico octo dies, ſed nec poſt octoginta menſes, imò, & octoginta annos ſolam non rependis voluntatem.* Hæc ille. Et meritò pungit noſtram in ſeruiendo Domino tarditatem, quando Dominus adeò feſtinus eſt, & celer in nobis ditandis, liberandis.

*Bernard.*

## §. III.

### *Circumciditur puer, vt eiusdem ostendatur esse patriæ cum hominibus.*

NE deinceps obloquatur Valentinus negans, Christum è terra corpus sumsisse, sed è cœlo, ideo terreni generis signum circumcisionem puer suscipit. Quod D. Epiph. maximè arridet, & insinuatur Cant. 2. *Surge propera amica mea veni, hiems transijt, imber abijt, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra.* Enim verò transacto legis frigore, imbribusque lauacrorum in tẽplo, flos Christus è Iessea virgo efloruit; iam vitis illa à cœlesti agricola virginea in terra deffosa floridas prolaturá corollas erupit, cultroque circumcisionis exposita tempus putationis impleuit, iam plorat putata vitis, & vox illius gemebunda exauditur in terra nostra.

*Epiph.*

Id in hoc loco notatum velim, quòd penè vno in verbulo bis repetatur illud *in terra nostra*, flores apparuerunt in terra nostra, & post putationem post vulneris gemitus, statim subditur rursus, *in terra nostra*. Hoc vnum per caluit Bernard. acumen sermon. 59. in Cant. vbi sic: *Aduerte quanta suauitatis sit, Deum dicere in terra nostra. Quique terrigenæ, & filij hominum audite, magnificauit Dominus nobiscum, multum illi cũ terra nostra. Quid miraris? Hoc ipse factus est tanquam vnus, è nobis: minus dixi tanquam vnus, parum est esse parem hominibus, homo est, inde terram nostram vindicat sibi, sed quasi patriam, non quasi possessionem.* Quid dulcius? quid nobis felicius? Vitis diuina cùm putatur, cum pudicâ Christi caro circumciditur, tunc iam terram nostram clamat non quasi possessionem, sed quasi patriam, tegens Dominum; & se manifestans vicinum.

*Bernard.*

## §. IIII.

### *Christus Dominus circumciditur, vt regiam fidelium ostendat originem à cruce.*

MEritò Ioannes Apocalyps. 1. Deifico sanguini regnum fidelium adiungit, ait enim. *Princeps Regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum.* Quid ne aliud sanguis Deificus potuit prætendere suis, quàm purpuram? quàm regnum? Iam non comæ capitis sponsi; sed etiam sanguinis guttæ purpura Regum sunt. Natus olim fuit vitulus purpurascentibus maculis distinctus, qui, vt meminit Vopiscus, Imperij omen Aurealiano detulit. Ecce modo natus puer Christus, vitulus nouellus, vitulus saginatus, cuius & saginabimur carnibus, qui primo natiuitatis ortu iam purpureis illustris maculis rubet Imperium nobis protendens felicissimum. *Deus Abrahæ*, ait Sanct. Theodorus, *ad hoc quod egrederentur Reges ex lumbis eius, signum circumcisionis iussit.* Circumcisionis signum accepit Christus; vt Regales fidelium purpuras intingeret, vt a sanguine & cruce, Regia diademata præsagiret. Hinc Isaias Regni inaugurationem, quàm ab incunabulis accepit Christus, circumcisionis excruciationi attribuens, sic est loquutus. *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius Imperium super humerum eius.* Ecce Imperium, sub quo gemebundus recens natus inducitur puerulus diuinus: is sanè octiduanus circumcisus Imperium suum à sanguine prætendit, & cruce. Quam Isaiæ explicationem debeo Bernard. qui serm. de Vite, cap. 36. primam sanguinis Deifici effusionem in circumcisione dum expendit, sic ad locum Isaiæ dicit. *Crucem, quam Imperij nomine significauit, natiuitati statim adiungit, quia profecto à natiuitatis exordio* (dum circumciditur) *passio crucis exorta est. O quanta charitas! Vix natus est Iesus, & ecce recenti ortui crucis ignominia, crucis dolor, copulatur; sed redemit miseriam crucis, Imperij nomen verum.* Madent equidem sanguine pueruli fasciæ; sed inde incepit diuinus artifex fidelium ordiri purpuras. Quid tristius, quam fascininæ sanguineæ? Quid durius, quàm quòd tenellus excrucietur infans? Sed nõ aliter potuisset nobis præbere Regni auspiciũ: infantilia mẽbra circumcisionis acies pũgit, excruciat: sed dolorem redimunt inde tingendæ purpuræ, futuri â cruce Regni clarissimum augurium. Hinc maximè commendatur Mariana sapiẽtia, quod immerentem puerum circũcideret: ait enim Cant. 7. *Caput tuũ vt Carmellus, comæ capitis purpura Regis vincta canalibus.* Carmelus, idest scientia circuncisionis, vt videri potest apud Delrium, ne ergo insciticæ tribueretur matri, quod talem circumcideret filium: *id circo*, ait Guillielmus, *à filio specialiter dicitur caput tuum, vt Carmellus, ac si aperte diceretur. Bene sciebas, ô pia mater, cur populo*

*Apoc. 1.*

*Orat. in Ioan. Bap.*

*Isai. 9.*

*Bernard.*

*Cant. 7.*

*Guill.*

*Dei datum esset remedium circunciſionis, & tamen me, quem ſine concupiſcentia; ac per hoc non in peccatis concepiſti carnali circumciſioni ſubdiſti: neque hoc inſipienter faciebas.* Et cur caput Virgineum circumciſionis ſcientia pollebat, dum immerentem filium circumcidit? Vndè hoc caput ſapiens? Quid ſapientis capitis meditabatur? Quid? Ecce ſubdit, *coma capitis tui purpura Regis, vincta canalibus.* Sanè cogitationes tuæ purpuram meditabantur, & regnum; tibi Regiæ propagines in mente erant, cum filium circumcidis. O merito circumciſionis ſcientiæ plenum caput Virgineum! Vbi Mariæ cogitationes tincturam purpuream meditantur, vbi de purpura cogitat, vbi de parando filiorum Imperio agit, nil ſapientius præſtare potuit, quam filium circumcidere, vt purpuraſcenti Dei cruore Regias fidelium veſtes intingat, Regnumque à ſanguine, & cruce præſagiat.

## §. V.

### *Chriſti Domini ſanguis veterem circumciſionem fecit inutilem dum efficacius nos in mortem tolerandam impellit.*

DAta eſt circũciſio Iſraelitis tamquã ſtimulus, quo ad laborioſam vitã ſuſtinendam agerentur, imò dedicarentur homines. Sic D. Ambroſ. Epiſt. 77. *Circumciſionem dari definitvt ab ipſis incunabulis inſigne religionis adoleſceret, & puderet vnum quemque ætatis proiectioris, vel labori vel dolori cedere, quorum vtrumque tenera infantia viciſſet.* Hoc maximum, & vtiliſsimum circumciſionis munus erat, grandæ uos meticuloſos pudefacere; imò in contemptum doloris, & laboris trahere, in ſanguinis effuſionem armare. At vbi diuini infantis ſanguis effunditur, vbi Chriſti Domini manauit in terris cruor, quicumque alius ſtimulus ad agendos homines habes extitit, & quaſi inutilis ad Chriſti ſanguinem comparatus. *Sed iam leui circumciſionis dolore non opus eſt Chriſtiano, qui mortem Domini circumferens per momenta ſingula fronti propriæ mortis contentum inſcribit. Quis enim acu vtatur ad prælidãdum cũ telis inſtructus ſit validioribus?* Vnus ſanguis Chriſtiferus, ſic puſilanimos homines ſtimulat, ſic tepidos pungit, ſic debiles in mortem armat, vt vel rubenti Deifici cruoris gutta viſa, turmatim homines in tyrannorum acies defigendi proſiliant. Quid ageret leuis circumciſionis culter, ſiue acus, vbi tot ſunt pugentia ſpicula, quot Deifici cruoris guttæ effuſæ? Tot in mortem trahentes teſtes, quod laquei iniecti Chriſto tot arietes impellentes in labores, quot fruſta ligneæ crucis? Ecce tibi qua elegantia D. Laurentius Iuſtin. de Triumphali Chriſti agone, cap. 17. inquit. *Tunc vere æterni Regis vexillum erectum eſt, tum in crucis ſtipite confixus eſt Chriſtus, atque in monte Caluariæ eleuatus. Tunc ad pugnam animata ſunt corda fidelium: tunc ad debellandas contrarias poteſtates atque ipſum capeſſendum cœlum ſuſcenſæ ſunt fidelium mentes. Quis pugnare refugiat? Quis pati recuſet cum Angelorum Regem, & hominum in crucis agnouerit pendere ſupplicio?* In veteri circumciſione ſdiuinitatis flammis, angi, & igniri videris rubum plebeculam, humileſque myricas. Aſt vbi ad Deificum ſanguinem ventum eſt, vox Domini confringit altiſsimas quaſque cedros, nimirũ potẽtes viros, ſuperbos Dynaſtas, & Principes. Vndè hoc? Sanè *comminuit eas tamquam vitulum Libani*, hoc eſt, ait, Ricard. de Sancto Victor. *ad ſimilitudinem vituli Libani, ad imaginem humilitatis Chriſti, qui tradidit ſemetipſum pro nobis factus obediens Patri vſque ad mortem, mortẽ autem crucis.* Vnus hic diuinus vitulus Chriſtus ſanguine manans menti obiectus ſuperbiſsima, & molliſsima potentium hominum corda ad mortis contemtum impellit, & ad effuſionem ſanguinis. Vndè egregiè Theophylactus dum expendit illa Chriſti Domini verba apud Ioan. 12. *Nunc anima mea turbata eſt, & quid dicam?* Hanc ponderationem facit, *qui ſuperius videtur admonere, vt paratiſsimus ad mortem, hic nunc turbatur moriturus: quod non eſt exhortantis ad mortem, ſed auertentis: at ſi recte conſideraueris inuenies, quod turbari ipſum adhortatio ſit ad contemtum mortis.* Non ſui diſsimilis Chriſtus, cum mortem tibi animoſe ſubeundam incidit, & cum ipſe ſub morte turbatur; Dei enim turbatio, Dei imbecillitas nobis maximos ad contemnendam mortem indit animos. Id quod pulchrè notauit Athanaſ. de Incarn. Verbi eiuſque corp. ad nos aduẽt. dũ inquit. *Homo naturaliter mortem expaueſcit. Is tamen (quod ſummopere admirandum eſt) vbi indutus eſt fidem crucis, res naturales viliperdit, & mortem non exhorreſcit.* Circumcidantur ergo Iudæorum infantes, vt dolorum & mortis ediſcant tolerantiam; fidelibus enim vnus ſufficit Chriſti ſanguis, nec ſi monoceros agitur rubenti pila in certamen, vt cõmouetur huma-

*Ambr.* *Theoph.* *Ioann. 12.* *Athan.* *Lau. Iuſt.* *Pſal. 28.* *Ric. Vict.*

humanus animus, vel visa puelluli diuini effusa gutta sanguinis.

## §. VI.

### *Matutina laborum tolerantia maximè humanum animum in mortem armat.*

CIrcumcidatur Christus puer, atrociter occidendus vir, nec ad strenue subeundã mortem in humanis potuisset edocere remedium efficacius, quam istam matutinam, & præproperam vulneris tolerantiam. Eleganti verbo vsus est Stephanus mortem Delboræ allegorice tractans Genes. 35. vt laborum vtilitatem commendaret, ait enim. *Tribulatio carnem pungit, animum vngit.* Expendo illud: animum vngit. Qui bis visus est mihi inuisse vnctionem illam, qua fideles inungimur, vt mortis luctam animose subeamus. Quam inunctionem sub hac forma verborum tradit D. Ambros. *Vngo te oleo sanctificante, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt more militis vncti præparatus ad certamen aereas possis superare potestates.* Inungimur salutis oleo moribundi, vt fortiter extremum absoluamus certamen ne læthales expaueamus luctas; sed tenebrosis obsistamus potestatibus. Sic matutina tribulatio; sic dolor adnatus pungit quidem carnem; sed animam vngit, culeus est: sed oleum est, quo more militis vncti præparamur ad extremum certamen, vt aereas possimus superare potestates. Hinc Ieremias, ait. *Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua: ponet in puluere os suum, si forte sit spes.* Enim verò vel ex hoc felicissimus habetur ille, qui sub iugo adolescit, quod ad puluerem intrepidus aduolauit. Luculentius adhuc D. Ambros. hæc verba latinis tradit, nimirũ, *dabit in sepulturæ sossurã os suũ, si forte sit spes patientiæ*, quasi dicat, vtinam quis sub iugo sit innutritus, patientiæque & tolerantiæ aluo educatus, eo ipso alacer intrepidus, fortis dabit in sepulturæ fossuram os suum, mortem aspernabitur, tenebrarum potestates inuadet spe, ac fide armatus. A vena scissa profluentem sanguinem ne videant, infirmorum velatur facies: verum qui robustus est, qui vel sanguinem doctus sudare, qui inter arma natus, & proscindendæ venæ facem præfert, & scissuram, & sanguinem gaudet contemplari. Sic qui tolerantiæ, qui patientiæ à primis studet vnguiculis dabit sanè grandis in sepulturæ fossuram os suum, funereas tædeas, strictos vibratosque in ceruicem gladios intrepidus, & alacer speculabitur. Serm. 1. de Circumcis. dicit D. Bernard. *Quid ni obmutesceret coram circumcidente, qui coram tondente obmutuit, coram crucifigente siluit?* Imò naturalius dixerim, quid ni coram tondente, coram crucifigente obmutuit, qui coram circumcidente siluit? Sanè, quò à circumcidente tribulata infantilis caro eo inuncta, vt strenue subiret postrema certamina, *vt spolians principatus, & potestates traduceret confidenter palàm triumphans illos in semetipso.* Ita Paul. ad Colossens. 2.

Steph. Genes. 35

Ambr.

Trenor. 3

Ambr.

Bernard.

Ad Col. 2.

## §. VII.

### *Dolores circumcisionis Deifico natali auspicium, & quasi fatum extiterunt.*

NIl humanius, quam natis infantulis ab stellis, & planetarum aspectibus eorum indagari fortunam. Quibus etiam diuinum infantem subiectum, male voluit Petrus de Aliaco, quæst. 30. in Genes. adeo, vt ex astris doceat Christum Magis adorandum innotuisse. Vana hæc sapienti viro, incarnatæ sapientiæ vanissima, vt rectè Chrysolog. qui habet stellam, non habetur à stella, nec ipse agitur cursu stellæ. Præ omnibus stellis natalem Domini dolores circumcisionis reddiderunt auspicatissimum. Notanter D. Pacianus in Paranæsi ad pœnitentiam, de quavis tribulatione dixit. *Tribulatio repertorium est diuinorum.* Expende illud repertorium, nimirum, prognosticum, quo scintillantibus astris, notantur fœcundæ imbres, abundantia frugum aurę salubres. Sit dolor, sic tribulatio in natalijs repertorium est, prognosticum est diuinorum, vt inde clarius, quã ab stellis diuina omnia possit hominibus præsagire. De captiuitate Hebræorum facienda Moysi prognosticum exhibiturus Dominus ostendit ei rubum flammis ardentem diuinis. Vndè pulcherrime D. Gregor. Nyssen. inquit: *Deus veritas est, quæ quidem veritas non de cœlo illucescit, ve à stellis defluxa lux videatur; sed è rubo, eoque spinoso.* Quibus Nysseni verbis, vt præferas lucem puta iuxta Theodoretum, & alios rubum illum prænotasse populum Israelitam illo in tempore afflictum, nihilque protendentem, nisi spinas, hoc est, afflictiones dolorum cuspides, tribulationũ spicula. Hinc Nyss. quasi Astro-

Pacian.

Exod. 1.

Nyssen.

logorum vanâ auſpicia ſugillans inquit. Ecce vobis vaniſsimi ſtellarum obſeruatores, vndè Deus protendit populo felicitatem ſuo. Non ab ſtellis, ne videatur mendacia promittere; ſed quia veritas eſt, à rubo, eoque ſpinoſo, ab afflictione, à dolore veram ſolidamque felicitatem indicit. Breuiſsimè, & acutiſsimè, vt adſolet Philo Iudæus futuræ felicitatis auſpicium in rubo ardenti concipiens, ſimulque addubitans, quæ vocaretur imago, ait. *Vocemus eam Angelum quandoquidem futura pronũciauit, tanto clarius, quanto magnificentior erat viſio. Significabat porrò ardens rubus appreſſos iniuria Iudæos.* Sic Philo Iudæorum afflictionem; & illorum feliciſsimi ſtatus recuperationem prænuntiari clariſsimè, & veriſsimè ab ardentis rubi figura exiſtimat. Quam ergo felicitatem puerulus hic diuinus ſub circumciſionis cuſpide non inſinuat? Sanè non ſtelliferis rutilans radijs; ſed ſub gladio tremens infans, non ſub ſolis elevatione, non ab aſcendenti ſydere; ſed proſtratus ſolo à deſcẽdenti ſanguine veras hominum felicitates, ſolidas glorias incipit præſagire. Hinc vbi Matthæus cap. 5. refert illud. *Beati pauperes ſpiritu*: elegãter Guarricus Abb. ſermon. in feſto omnium Sanctorum, pergit. *Agnoſco notum illud, ac nobile prognoſticum, quod in teſtimonium ſui, nec dũ natus in carne Dei filius protulit: iam vero natus; ſed nondum notus ſibi competere docuit.* Expende quod paupertatis, & ærumnarum tolerantia à Prophetis decantata; & à filio Dei tãdem aſſumta dicitur, & agnoſcitur à Guarrico, vt nobile prognoſticum, ex quo nati pueruli præcellentias inueſtigari oporteat.

*Lib. 1. de vit. Mon.*

*Matth. 5. Guarr.*

## CAPVT V.

## De Auguſtiſsimo nomine Ieſu in Circumciſione exhibito.

INFANTI Deo circùmciſo imponitur de more nomen, quod ab Angelo pronunciatum fuerat, antequam conciperetur in vtero. Etenim non adiuentione humana, imò nec Angelico conſilio, ſed arcano Trinitatis decreto vocatur Ieſus puerulus diuinus.

### §. I.

### *Rigor Moſaycæ circumciſionis emollitus fuit in nomine Ieſu.*

QVi Hebræorum pueruloſ ſudantes ſanguine ſub circumciſionis cultro conſpexiſſet, probaſſet equidem illud ab Hieronymo de gente hac decantatum. Nimirum, *accepit præcepta non bona, & iuſtificationes peſsimas, in quibus non viueret, ſed puniretur.* Quid acerbius, quam circumciſio? Quid magis ferreũ, quam ſanguinolenta incunabula? Hæc autem vbi à Chriſto Ieſu impleta; cerea facta ſunt, & ſuauia. Accipe dialogum inter Cyrill. & Pall. lib. de Adoratione in ſpiritu. Vbi ſic addubitat Palladius, circumciſione ſpirituali allata, & ſacrificijs legalibus ſubuerſis, Iudaicoque ritu nullum apud nos locum habente: nonne quodammodo parum veriſimile, quod Chriſtus dicit non veni, vt deſtruam, ſed vt impleam? Cui pulchra, & eleganti ſimilitudine reſpondet Cyrill. dicens. *Porrò fabri ærarij ſtatuam ſolidaturi primum obſcuram ſpeciem in cera faciunt, deinde illi igne liquefactæ æs infundũt; & ſic opus ſuum producunt, vt nouam ſpeciem, & pulchritudinem habeat adiectis ad vmbras varijs colorum ſpeciebus. Et apparent quidem, dum æs ceram liquefacit, aboleri prima lineamina; res autem ipſa non ſic habet. Verè enim dicere poſſunt, & faber, & pictor, non deſtruximus vmbras, nec omnino inutiles figuras fecimus; ſed impleuimus potius.* Finge tibi modo iuxta Cyrill. duriſsimam illam legem, quaſi ceram affabre elaboratã Chriſtiferæ humanitatis ſiue æri, ſiue electro candenti adiunctam, cur non molleſcat? Cur non liquefiat? Et quidem rigor ille legalis, etſi durus, etſi ferreus, etſi adamantinus, vt obiectus eſt candenti Ieſu electro, cereus apparuit, & ipſa cera mollior, & delibutior. Electrum auro, & argento conflatur, Ieſu nomen aurum eſt, argentum eſt, electrũ eſt omnis æris pretioſiſsimum. Sic D. Chryſoſt. in Actis loquentem D. Petrum inducit. *Mihi Chriſtus in ſuo nomine aurum, & argentũ reliquit ſuum.* Huic ergo electro diuini nominis durities legalis adiuncta, cerea facta eſt, & in ſuauitatem abiuit.

*Epiſt. 9. ad Saluian.*

*Cyrill.*

*Chryſoſt.*

Rurſus, vt hunc legalem rigorem molleſcẽtem à Ieſu noſtro ſponſa oſtenderet, crediderim dixiſſe illud, Cant. 1. *Oleum effuſum nomẽ tuum.* Vbi enim acceſsit Ieſu nomen rigidæ circumciſioni, effecit, quod oleum vbi accedit rebus duris; cedit durities oleo, illoque delibuta paulatim emolleſcit, ſic legalis circũciſio-

*Cant. 1.*

cisionis durities vbi Iesu nominis persensit vires, vbi huius salutiferi olei excepit mensuram, tota se in suauitatem diffudit. Id quod pulchrè animaduertit D. Gregor. PP. in 1. Reg. cap. 16. vbi iubetur Elisæus pleno cornu olei conuenire Saulem. *Sed quid*, ait, *est quod implere cornu oleo iubetur? Quidnam fuit austeritas legis, nisi cornu acuitas? quasi enim cornu percussit, dum peccata nō per misericordiam indulsit; sed pœnam infligendo vindicauit. Cornu ergo oleo impletur, quia talis Rex vngitur, qui peccata hominum per misericordiam dimittat; non per legis austeritatem puniat.* Nunquam legale cornu magis acutum, magis durum inuenitur, quàm cùm inter alios infantes diuini sanguinis effusionem sustinuit. Ibi durissima lex sese prodidit, ibi cornu acuitas apparuit sed ibi cornu accepto oleo nominis Iesu emollescere incipit, quia Rex inungitur, qui misericordiæ habendæ maximè incumbat. 1 Reg. 16 Gregor.

Ecce tibi diuinum Iesu nomen, & electrinum, & oliferum circumciso Domino inditum quid efficiat: qua electrinum est, durissimam legem, ceream imaginem reddit, & totam liquefactam diluit. Qua oleum est, duro & præacuto legis cornu suffusum rigorē tollit: suauitatem inducit, totumque in misericordiam emollescit iudicium. Quandoque tres præstantissimi viri Abrahamum conuenere, quos ille animo libenti excipiens vnum illorum adorauit. Hinc Sodoma versus ex illis duo abiere; sed cur tertius adoratus, etiam Sodomam non iuit? S. Ambros. *Vbi gratia largienda est Christus adest; vbi seueritas exercenda est, sedi adsunt ministri, deest Iesus.* Totus Iesus suauitas, totum oleum, quod etsi medio fundatur in cornu, hoc est, si seueritati, si stricto iudicio Iesus adsit, in suauitatem, & misericordiam conuertet ipsum iudicium. Amir.

## §. II.

### *Medio circumcisionis sanguine maximè Iesu nomenclatura enituit.*

QVot pulchritudines meditatur ambitio humana, vt nomini suo æternitatem, & pulchritudinem adscribat? Quot erecti marmores, quibus nomen insculpant? Quot congestę gazæ, margaritæ, lapides pretiosi, aurei fulgores, quibus circumcinctum nomen effulgeat? Præstantior omnibus artifex diuinus, qui, vt creatam ambitionem euinceret, Iesu nomen rubenti sanguine, gemētique subcultro filio imponi iussit. Nouit D. Hieronym. apud veteres ineffabile Dei nomen aureæ laminæ insculptum effulsisse in capite sacerdotis summi, vidit postmodum sub titulo sanguineæ crucis fulgere Iesu nomen diuinissimum; & sic ad Fabiolam miratus dicit. O tempora! ô mores! *Quod olim monstrabatur in lamina, nunc in signo ostenditur crucis, auro legis sanguis pretiosior est.* Non inter sanguineos riuulos, non inter ictus, & vulnera indicitur Iesu nomen, vt sine ornatu appareat, & vilis fiat. Imò nunquam ornatius, nunquam ditius, quam inter sanguinem. Lapillis, margaritis, auro, gazis omnibus sanguis diuinus pretiosior est, nullumque ornatum diuinius excogitari possit; quo effulgeat Iesu nomen, quàm sanguis, quàm ictus, quàm vulnus. Hieron.

Doctori gentium dictum Act. 9. *Vas electionis est mihi iste: vt portet nomen meum.* Vas Paulus efficitur, vt Iesu nomen sustineat, quo igitur opere fiet vas istud? Quot quantisque margaritis radiauit? Illi attribuit D. Thomas, verba Ecclesiast. 50. *Vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso.* Itane effingendum erat vas in quo Iesu nomen portaretur? Minimè, imò statim subdens tanti vasis opus addit. *Ego ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Non margaritis, sed vulneribus, non auro; sed sanguine conficitur vas, cui Iesu nomen traditur portandum. *Portauit Paulus Iesu nomen*, inquit D. Thom. *in corpore conuersationem, & passionem eius imitando.* Non aurum, non gemma, non splendentes gazæ; sed sanguis auro pretiosior Iesu nomen exornat, & facit berillare. Genus est Berillorum, de quo Plinius lib. 37. cap. 5. hæc verba facit. *Crystallis ferè similes, capillamenta habent, sordesque; alioquin euanidi. Inde solos gemmarum esse prædicant, qui auro carere malunt; ob id perforatos elephantorum setis religant.* Quis huic crystallino, & pretioso lapidi non videat Iesu nomen insculpi? Sanè Apocalyps. 2. dicitur. *Vincenti dabo calculū cādidum, & in calculo nomen nouum scriptum.* Nulli melius inscriberetur Iesu nomē, quàm calculo, qui inter sordes effulgeat, qui auro cārere malit, qui foraminibus gaudeat. O quam inter sordes, inter vulnerum foramina reiecto auro, diuinū hoc nomen scriptum berillabit! Sic Isai. 62. iuxta sonum Hebraicum. *Vocabitur tibi nomen, quod os Domini perforauit.* Nullum fiet vas aptius ad portandum Iesu nomen, quàm qui abiecto auro, exclusis abdicatisque sæculi diuitijs, & pāupertate sordeat, & scalpellum ferrumque patiatur. Ecce modo lapis ipse angularis Christus, lapis, inquam, pretiosus, abscissus sine manibus vbi Act. 9. D. Thom. Plin. Apoc. 2. Isai. 62.

Iesu nomen recipit, quàs sustinet sanguinolentas manus. In stabuli sordibus nascitur, ditior paupertate, octiduanus subijcitur gladio, percutitur, perforatur, & intereà salutiferum Iesu nomen berillat radiat.

## §. III.

### *Iesu nomen salutare alas indidit Deo, vt in nostram medelam ad volaret.*

ORrientem Deum speculati Theodoretus & Cyrill. Alexand. illi aptant illud
*Malac. 4.* à Malachia, cap. 4. prafatum. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, sanitas in pennis eius.* Quibus meritò Arias Montanus miratur, nouum orientis solis ornamentum, nempe velocitatem alarum. Solis currus, solis equi decantissimi fuerunt apud Prophanos, imò Zacharias ait: *Quadrigæ tuæ saluatio.* Quis ergo orienti iustitiæ Soli admittit currus, quis notos equos excluſit, & indidit Soli alas? Id minimè obscure à Malachia insignuatur, ait enim: *Sanitas in pennis eius.* Et quidem salutis nomen asportatum curruũ moras fastidiens alas excogitauit, cursum respuens, volatum adamauit, vt quam occisime hominibus inderetur salus. *Fallax equus ad*
*Psal. 32.* *salutem*, ait Psalm. 32. & ideo, *anima nostra sustinet Dominum, & in nomine sancto eius sperabimus.* Nomen, in quo omnes salui fimus, Iesus est, salus est, Iesus & salus, quæ non equo nec curru vehitur, sed fit ales, vt concito volatu nostris medeatur animis. Hinc pulchrè D. Macharius homil. 44. inquit. *Nequit*
*Machar.* *anima per se ipsam transmittere acerbum mare peccati, & difficilem abyssum caliginis affectionum, nisi susceperit subtilem cœlestem, & volatilem spiritum Christi.* Expende illud, volatilem spiritum Christi, etenim nisi salutiferum Iesu nomen volaret, nisi Iesus, nisi salus inderet Domino alas, sanitasque in pennis oriretur, omnino periret genus humanum. Sed cum nomine Iesus, cum salutis & sanitatis appellatione accepit Dominus, & nos omnes accepimus spiritum volatilem, quo occisimè à malis liberamur.

Volatilem hunc spiritum â Iesu nomine ortum præsenserunt rebelles illi Angeli, qui
*Luc. 4.* Luc. 4. clamabant. *Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti ante tempus perdere nos.* Volatilem, & occisimum à Iesu spiritum prædicant, & dum sibi deflent exitialem, inuidi re-



ticent hominibus salutarem. Vndè meritò Tertullian. lib. 4. in Marc. cap. 7. fatur. *Increpuit illum Iesus planè vt inuidiosum; & in ipsa cõfessione petulantem, & male adulantem, quasi hæc esset summa gloria Christi, si ad perditionem dæmonum veniſſet, & non potius ad hominum salutem.* Et quidem, quòd Dominus festinauerit, quòd præcurrerit, quod euolarit non ab alio, quam à nomine salutari accepit. Nomen Iesu salus cõmunicandũ hominibus, nõ ruina dæmonum fecit Dominum tempora præcurrere, & ad humana euolare. Quod antiquitus inuiderat nobis Angelus ante casum: etenim meditatus Bernard. historiam illam Euangelicam Magdalenæ, cuius olei ad caput Christi Domini effusionem expauens, & indignãs Iudas murmurabat, dicens: *Vt quid perditio hæc?* Sic fatur serm. 17. in Cant. *Putas ne lucifer ille, qui mane orieb atur, antequam verteretur in tenebras, generi nostro inuiderit, & ipse olei effusionem, vt per se ipsum iam tunc musitaret dicens, indignabundus intra se, vt quid perditio hæc? Verùm quid illi profuit? Nihilominus tamen tu in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos, & dicit populus acquisitionis oleum effusum nomen tuum.* Ecce tibi quam festinauerit inuidia diaboli, vt nomen nobis eriperet salutare; sed plus festinauerat nomen salutiferum se effundere in homines. Etenim salutem euolantem, Iesum effusum hominibus animaduertens diabolus continere festinauit: verùm sanitas in pennis festinior ad nos accedit, & inuocatum est nomen salutis super nos, & dicit populus acquisitionis oleũ effusum nomen tuum.

*Terius.*

## §. IIII.

### *Nomen Iesu omnibus linguis apparet celebrandum, omnibus gentibus proficuum.*

NON solum affirmat Paulus Augustissimum Iesu nomen orbi exhibendum, vt in nomine Iesu omne genuflectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Sed insuper addit, *& omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus in gloria est Dei Patris.* Nimirum, quod omnium ora, & linguæ per vniuersum orbem intonent hoc Iesu celeberrimum nomen. Non insilentio placet laus

tanti

tanti nominis; sed Hymnis, & Canticis nouisque laudum præconijs extollendum Iesu nomen. Id quod notauit D. Zeno, serm. 4. de Natiuitat. de Iesu dicens. *Hic sol noster, sit verus, qui clarissimos ignes mundi geminos astrorum, candentiumque polorum claritatis suæ de plenitudine accendit. Hic est, quem per ambitum totius orbis non muta quatuor animalia; sed salutiferis prædicationibus quatuor circumferunt Euangelia.*

*D. Zeno.*

Metuebant nationes euulgationem Dei tutelaris nominis, vt Plutarchus refert lib. Problematum, & Plinius reddit rationem, lib. 28. cap. 2. Imò quòd diuinissimum est, sanctissimum Dei nomen Iudæis ineffabile erat, nec apud illos nominari, aut explicari licuit. Sed ecce tibi vocalissimum Dei nomen Iesus per omnium ora volitat venerandum, non occultò; sed marte, vt aiunt, aperto mala cuncta detriumphans. Huc retulerim, quod acutè notauit Hieronym. Psalm. 75. accidisse Elisæo 4. Reg. 6. Orauit enim Propheta, vt pueri aperirentur oculi, quibus videret Deum pro se pugnantem, *& apertis oculis vidit currus, & equos.* Tunc Hieronym. *Videte quid dicat; currus, & equos. Nemo hominum erat super ipsos; sed erant soli currus, & equi.* Et cur soli currus? cur sine sessore equus? *Ascensor autem erat Dominus.* Erat quippe Dominus ascensor equorum, vt auxilium præberet, ideo occultus; ideo minimè apparet Hebræo, ideo nec videri, nec nominari permittit, solos currus, solos obijcit equos, animalia muta præmittit. Verum modò postquam Dominus Iesu nomen accepit, ipse adest omnibus patentissimus, videri amat, prædicari cupit, & per ambitum totius orbis, non à mutis animalibus: sed Euangelicis vocibus explicari, & prætendi procurat. Vt verè D. Cyprian. orat. Nat. dicat. *Consilium antiquum prodijt palàm, nec tam secretum est; sed innotuit publicè in conspectu gentium reuelata Christi bonignitas.* Iam Malachiæ perspicuum est illud celebre præconium, *orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, sanitas in pennis eius.* Adeò à nomine salutifero patet manifesta omnibus salus, vtpotè quæ effulgeat de subsolis radijs. Hinc paralyticum illum Euangelij à turbata aqua Piscinæ salutem expectantem alloquitur. Bernard. sermon. de diuite. *Stulte ecce oleum salutiferum Iesu, cuius nomen est oleum effusum,* non aqua in paruum locum coarctata vni tantum homini salutaris, & primo: *Quid tibi cum aqua? si vis recipere sanitatem, ecce fons olei misericordiæ, in quo te nullus prohibet baptizari, cuius nomen est effusum oleum, id est, omnibus gentibus manifestum.* Non iam vni populo, non vni nationi sed omnibus generaliter primis, & nouissimis prædicandum patet.

*4. Reg. 6.*

*Ioann. 5.*

*Bernad.*

Fallor si huc non spectat illud Leuitic. 26. *Ponam tabernaculum meum in vobis, & non vos abominabitur anima mea.* Vbi se se publicandum; & euulgandum mortalibus promittit Dominus, ne deinceps abominetur nationes: Sed expende illud, & non vos abominabitur anima mea. De quo pulchrè D. Cyrill. lib. 16. inquit: *Numquid putamus, quòd Deus habet animam, sicut homo? Absurdum est hoc sentire de Deo: ego autem audio, & dico, quia anima Dei Christus Iesus est: sicut enim verbum Dei est Christus Iesus, & sapientia Dei, ita & anima Dei.* Sanè fœtus dum in animis est, occultissimus manet in vtero, nec sentitur, nisi forsan in grauedine, vel alio molesto affectu: cum verò animatur statim vitalibus motibus se se prodit, nec quiescit donec in lucem prodeat manifesta. Sic Deus antiquitus occultissimus erat, vix in paruo Iudææ populo notus, quasi exanimis fœtus: verùm, vt viuificum Iesu nomen accepit, quasi acciperet animam, sic se se omnibus manifestat, & videri, & euulgari amat. Vndè illud est eleganter notatum à D. Bernard. serm. 1. in Epiph. vbi expendens, quod Angelus aliqua docuerit de Christo Domino, & alia reliquerit, quæ postea publicauit Paulus, sic finit. *Vnum est in quo conueniunt Apostolus, & Angeli, qui de Christi natiuitate loquuntur, id est, in nomine Saluatoris. Ad Mariã quidem tanquam plenius edoctam Gabriel loquẽs indicat nomen solum. Et vocabis, inquit, nomen eius Iesum. Ad Ioseph veniens Angelus, non solum nomen protulit, sed & causam eius interpretatus est, dicens: Et vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum. Pastoribus quoque annuntiatur magnum gaudium, natum illis Saluatorem Christum Dominum. Simile aliquid Paulus loquitur ad Titum 3. apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri. Bene dulce nomen nullus ex ipsis tacuit, quia hoc mihi maximè necessarium fuit.* Sic ille ponderat quam conuenerint omnes in Iesu nomine euulgando.

*Leu. 26.*

*Cyrill.*

## §. V.

### *Augustissimo Iesu nomini vniuersæ creaturæ honorem habent, quòd vniuersa bona dicantur Iesus.*

OMne genù flectitur Iesu nomine inuocato; insensibilia etiam tanti nominis virtu-

*Iosue 13.*

virtutem venerantur: Iesus Naue diuino actus spiritu iussit solem stare, & stetit sol quasi cursus ignarus. Quem sic stantem alloquitur D.
*Basil.* Basil. serm. de transfig. *Constitisti sol aliquando victoriam Hebræam spectans, reuersus est Iesum ducem, qui imperauerat, in conseruo honorans Domini appellationem.* Rursus dimissa arca fœderis à Philistæis constitit in viri cuiusdam area, qui strenui huius ducis nomini communicabat. Constitit, in-
*Iust. Mar.* quit Iustinus Martyr, ibi, *virtute nominis.* Et sanè hoc vno inuocato Iesu nomine omnia bona tibi consistere facies, tibi sol, tibi fœlicitas, tibi arca cœlestium thesaurorum stabit, & quouis pernici volatu bonæ gratiæ pertranseant, Iesu audito consistent Quid mirum? Quid etsi præceps currat, audito proprio nomine non consistat? quamuis occior curras ventis, si compelleris, si vel ab incerto nomen tuum compellari audies, naturaliter tangeris corde, & stabis. Iesu nomen, nomen proprium est omnium fœlicitatum, omnium bonorum, omnium gratiarum, sic Iesu audito, cuncta bona consistent, & sistent gradum. Quod Isaias dixit, nimirum, virum vnum apprehendendum à septem mulieribus dicentibus. *Tantummodo inuocetur nomen tuum super nos.* Sic
*Origen.* Origen. expendit homil. 4. in Isaiam. *Quid est inuocetur nomen tuum super nos? Ego sum sapientia volo tuo nomine vocari, vt ego Sapientia dicar Iesus, vt intellectus, & consilium magnum, & fortitudo, & scientia, & pietas, & timor Dei nominetur Iesus vt omnia in ombus nomen tuum fiat.* Sic ille. Vniuersa Spiritu sancti dona credens nuncupari Iesus, vt audito hoc nomine omnium bonorum proprio quodlibet bonum tibi consistat.
*Arn. Car.* Hinc Arnold. Carnot. tractat. vltim. de septem Verbis Domini in Cruce, rationem reddit, cur ineffabile Dei nomen in lamina auri super sacerdotis caput gestaretur, ait: *In superioribus quidem hoc nomen ponitur, vt quicquid vndique est, quantumcùmque sit se cognoscat inferius, se fateatur indignius, & si quid habet candidum, si quid conspicuum ad illud nomen referat vnde accepit, illique excellentiæ deuotus adscribat.* Quippe nulla habet homo bona quæ non debeat accepta referre nomini salutifero.

## §. VI.

### *Nomen salutiferum Iesus non cohiberi potest à salute causanda.*

PVlchrè à sponsa dulcissimum Iesu nomen oleum dicitur effusum. Etenim oleum difficillimè præ omnibus terminatur. Diffusa aqua, vel à puluere conglobata sistitur; verùm oleum effusum cuncta penetrat, omnia peruadit, suoque succo diffundit. Sic Iesu nomen Augustissimum nulla vi, nullius arte cohibetur, quin omnibus exhibeat salutarem suam virtutem. Queribundos Iudæos, iratosque, quòd Paralyticus in Sabbato sanitatem accepisset, argute pungit ipse dicens. *Iesus est qui fecit me sanum.* Ad hæc D.
Gaud. Gaud. tract. 2. de Paral. *Sciebat*, ait, *vtpotè Hebræus nomen Iesu ex virtute descendere sanitatis. Ille ergo, inquit, fecit me sanum, cuius & nomen salus est, & quomodo potest salus per perscriptam legem prohiberi ne sanet?* Non lex aliqua, non vis, non potestas, non industria poterit salutem à Iesu dimanantem impedire. Adsit Iesus, & quantumuis natura, quantumuis lex reclamet, erit salus. Norant sanè hanc virtutem, & efficacitatem septem illæ mulieres, quæ apud Isaiam apprehenso viro clamabant. *Tantummodo inuocetur nomen tuum super nos.* Interlinealis super illud *nomen*, assingit Iesus, & S. Gregor. ho-
*Gregor.* mil. 25. docet, *quod per septem mulieres vniuersitas meretricum ad Dominum reuertentium designatur.* Omnes ergo hæ languidæ, luridæ infirmæ, apprehenso Christo id vnum postulabant quod super illas nomen Iesus inuocaretur; quo solum inuocato salutem in se ipsas proficiscendam sperabant. Non enim inuocatur Iesus, & non sanat, si salutiferum nomen adsit nulla vi prohiberi poterit, quin solitam profundat sanitatem.

## §. VII.

### *Iesu salutiferi bona non habentur, nisi per luctam, per sanguinis effusionem per crucem.*

CVm audis salutiferi nominis bona, & maxima, & præstantissima, ne putes illa otian-

là otiántibus præparári; sed ijs, qui dura pro virtute subeunt certamina. Non enim inter Ambrosias, inter nectareos calices Iesu nomen radiat; sed inter sanguinis effusiones, non à floridis sertis; sed à cruce splendorem eiaculat. Dum pace gaudebant Dei serui, nunquam Iesu nomen inter illos audiebatur, vbi ineundum certamen, vbi con-
*Exod. 17.* fligendæ cum hoste manus Exod. 17. statim dixit Moyses ad Iesum. *Elige tibi viros, & pugna contra Amalech.* Inter arma, inter pugnas, inter ipsos bellicos tumultus incipit Iesu nomen in primis eiulgari. Id quod notat Origen. homil. 11. inquiens, *vsque ad hunc locum beati nominis Iesu nusquam facta est mentio. Hic primum vocabuli huius splendor effulsit. Hic primum vocabit Moyses Iesum.* Odit Iesus eos, qui nesciunt pro virtute pugnare, qui inhonoram pacem cum vitijs, habent, in his non spectabitur Iesu radius. Tunc primò Iesu nominis potieris claritate, cùm primùm ob virtutes tutandas sanguine madeas, cùm te mille pugnis macerés, cùm in vita tua, & sudor, & crux appareat. Ecce dum Iesus Naue Amalecitas hostiliter sequebatur, Moyses de victoria sollicitus in monte orabat expansis in cœlum manibus. Sed cur expansis in cœlum orat manibus? Nonne deuotius oraret humi prostratus manibus pectus contundens? Sic orauit Anna Samuelis mater, sic Publicanus ille Deo gratissimus. Cur non sic Moyses oras? Cur manus expandis? eleganter, &
*Tertull.* verè in rem præsentem id attigit Tert. lib. 3. aduers. Mar. *Iam verò Moysis, quid vtique tunc tantum cum Iesus aduersus Amalech præliabatur, expansis manibus orat residens, quando in rebus tam attonitis magis vtique genibus depositis, & manibus cædentibus pectus, & humi facie voluntate orationem commendare debuisset? Nisi quia illic vbi nomen Domini dimicabat, dimicaturi quoque aduersus diabolum, crucis erat habitus necessarius, per quam Iesus victoriam esset relaturus.* Et quidem non Iesus vinceret hostes; nisi in expansione manuum Moyses crucem adumbraret; nihil enim boni à Iesu habetur nisi per crucem, per mortificationem, per dolorum tolerantiam. Te in crucis modum conformà quicumque velis salutiferis nominis Iesu victorijs, & fœlicitatibus illustrari. Hinc Malachias cap.
*Malach. 4* 4. notanter ait. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ sanitas in pennis eius,* quasi nominis Iesu splendores, & salutes nullum afficiant, quem iustitia non commendauerit. Non enim sine puluere obtinenda est Iesu salus.

## §. VIII.

### *Iesus plenè, & perfectè claruit per apertos cælorum muros hominibus introductis in vitam.*

IAm cùpit animus totum quod Iesus est aliquo modo enucleare: ter enim præcipuè assumitur hoc Augustissimum nomen, vt eius plenè, & perfectè virtus clareat. In circumcisione primo solemniter vocatum est nomen Iesus, in cruce deinde incisum, postremo in Ascensione manifestatum. Dicit namque Actor. 1. *Hic Iesus qui* *Act. 1.*
*assumtus est à vobis*, quasi à puluere, & sanguine passionis ænea cœlorum mœnia prostrata saluato repleat homine, & Iesus maximè appareat. Hinc acutissimè Anasthasius Sinaitá Angelorum præfata verba, quibus stupentes Apostolos de Saluatoris ascensu solantur, ita notanter legit. *Sic Iesus, qui assumtus est à vobis*, quasi innuerent tunc maximè Iesu compellationem plenam, & perfectam radiare. Aspicitis, inquam, ascendẽtem Magistrum à puluere in gloriam, & per patientia æthera genus introducere humanum. Quid mirabile? Sic Iesus, sic salutiferi nominis adimplet vocubulum, cœcos quandoque illuminauit, sic lux; mortuos euocauit, sic vita; hominem sibi vniuit, sic Emanuel. Modo prostratum hominem superato prælio per patentia mœnia salutis ingerit ciuitati, sic Iesus.

Iudæos de Saluatore suo Paralyticus homo commonefaciens cœlesti iam madidus spiritu, ait: *Iesus est qui me fecit sanum.* Iesu verè plenum, & perfectum vocabulum miseris prænuntians animis. Hoc mysterium ab *Ioann. 5.*
istis verbis elicit D. Gaud. tract. 2. de Paral. sic fatus. *Iesus filius Naue, iuuente Domino, circuiuit ciuitatem Ierichò, & cadunt hostiles muri nutu diuino, vt animæ Iudæorum de belli discrimine saluarentur. Itaque cum dicitur, Iesus est, qui fecit me sanum, admonentur Iudæi ex nominis communione opera non condemnare similia.* Quasi Paralyticus ex vmbra veri Iesu horam prænuntians diceret, quid receptam salutem respuitis? Iesus adest, cadentibus muris Ierichuntinis cum superato prælio salui Iudæi introducerentur Iesu Naue strenui ducis veneramini gloriam immortalem. Ecce Iesus Iudæos saluans, ecce qui de belli discrimine educit genus humanum,

num, & ſic Ieſus, ecce qui æternum clauſos cœlorum muros proſternit, perque apertos cœlos ſaluandorum agmina agit, omnimodę ſalutis aſſertor, & cauſa. Sic Ieſus, ſic cum illo Ieſu comparata gloria veri, & perfecti Ieſus magis claret. Si illum vtique Ieſum nouiſtis per deiectos muros Iudæos introducentem ſaluos veneramini, & hunc, qui per patentia cœlorum mœnia introducit totum genus humanum; & ſic veri Ieſu perficit, & adimplet vocabulum. Hinc finiat Epiphanius ſerm. de Aſcenſ. dicens. *Hic eſt Ieſus, quãdoquidem is ille eſt, qui hominem terrenum ſibi conſociauit, conſociatumque cœli ciuem adſcripſit cœlorũque incolam conſtituit.* Hæc ille, vt Ieſu nominis exponeret efficaciam.

*Epiphan.*

## §. IX.

### *Ieſus eſt tunc maximè, quum præliorum ſe oſtendit domitorem, & triumphatorem.*

RVrſus, aſcendente Domino à paſsionis puluere in cœleſtem gloriam conſopitis præliorum tumultibus, merito ex Sinaitę ſententia ingeminãt Angeli illud, *ſic Ieſus.* Quippe Ieſus Martiali à decore licuit illuſtrari. Ita D. Dionyſ. Areopag. cap. 2. de Eccleſ. Hierarch. de noſtri Ieſu gloria verba facit. *Vt optimus in militibus effectus eſt, qui pro eorum libertate decertans decertantibus quidem tamquam perfectus Deus aſcendit gaudens.* Ecce totum aſcenſionis Chriſtiferæ gaudium militare non aliter aſcendẽs quam optimus in militibus, quã pro hominibus liberandis hoſtes deuaſtans, prælia mille ſuperans. *Sic eſt Ieſus.*

*Dionyſ.*

Id quod in nomine Ieſu notauit Origen. hom. 1. in Ioſue. Vbi expendens, quod tunc vocatur Ioſue Ieſus à Moyſe, cum iubetur ducere exercitum ſic ait. *Hic ergo vbi primum diſcis nomen Ieſu, ibi continuo etiam myſterij video ſacramentum. Ducit enim exercitum Ieſus.* Cum prælio, cum hoſtium expugnatione indita Ieſus primum cognominatur, & quidem Dominus cum aereas poteſtates deuaſtans, cum hoſtium expugnator aſcẽdit, cum militarem triumphum pro hominibus liberandis agit, ſic eſt Ieſus. Accinit illa D. Auguſtin. ponderatio, qui Pſalm. 46. verba ab Angelis facta vt de aſcendente Domino obſtupefactos edocerent, ſic explanat. *Hic eſt Ieſus, qui aſſumtus eſt à vobis. Hic*, inquit, *eſt Ieſus, quaſi illi non ſcirent, quia ipſe erat Ieſus: paulò ante eum non viderant? Secum loquentem non audierant? Ipſi ergo neſciebant, quod ipſe eſſet Ieſus?* Ieſum viderant, ſæpius Ieſum audierãt ſed qui eſſet Ieſus numquam illis innotuit, vſque dum excuſſo ſtadij puluere expugnatis hoſtibus victor aſcendit ad Patrem. Qui inter victricia agmina, qui captiuitate ipſa præmiſſa, qui cinctus vndique ſpolijs, qui medijs triumphalibus choris cœleſtem ædificat ciuitatem. *Hic eſt Ieſus, & ſic eſt Ieſus minimè aliter*, qui victoriam ſine puluere, qui ſine agone brauium meditabantur, Ieſum prorſus ignorabant. Vnde merito edocentur, quod hic eſt Ieſus, qui à puluere, & agone tenebrarum detriumphat poteſtates.

*Origen.*

*Auguſt.*

## §. X.

### *Ieſus eſt, qui proprium figmentum ſuum in æternam fælicitatem reſtaurat.*

NOn ab alio factũm; ſed à ſe conditum hominem Chriſtus reſtaurat, é ſuarum creaturarum grege raptam ouem repetit, & inuenit pallentem, & humeris reducit ad caules, & ſic Ieſus apertè monſtratur. Hinc acriter pungit Tertullian. lib. de Trinitat. neſcio quem effictum ab hæreticis Saluatorem, qui minimè ſuis figmentis ſalutem dabat. Ait enim. *Si ſaluare vis feciſſes hominem cui ſalutem dares.* Et paulò ante. *Quid tibi cum mundo creatoris? Quid tibi cum homine conditoris?* Is vnus Saluator, qui condidit, qui creauit, primum, creator, & conditam creaturam reficiens propriam ouem reducens in caulem, ſic Saluator, ſic Ieſus.

*Tertull.*

Vt Ieſu nomen Angelus explicaret Luc. 2. ait, *ipſe enim ſaluabit populum ſuum*, non alterius conditoris populum: ſic expendit Cyrill. Alexandrin. de Incarnat. Vnigen. cap. 3. *Chriſtus porrò quia factus homo, vnctus dicitur, iuxta nos humanitate etiam Ieſus quod ſaluabit nos, ideſt ſuum populum, quod maximè cum demonſtrat Deum vere, & natura omnium Dominum. Neque enim hominis communis creatura eſſe dicatur, deceat magis omnia dici eſſe vnigeniti.* Quia vnctus, ſic Chriſtus, quia populum ſuum cuius Dominus, & Deus, & creator erat, ſaluauit ſic Ieſus: non in alienam meſſem intrauit, non alteri creatori miniſterium præbuit, id Antichriſti, & inanes Ieſuitæ præſtarent. Hinc Hugo Victor. lib. 1. Miſcell. tit. 87. *Deus homo factus eſt, vt idem eſſet Redemptor, qui creator, vt de ſuo liberaretur homo.* Qui verus Ieſus, & Saluatorà ſe conditum hominem reſumit, & in cęleſtem paradiſum nititur complantare. *Vbi*

*Luc. 2.*

*Cyaill.*

*Hug. Vict.*

*nunc*

Epiph. *nunc sunt*, ait Epiphan. serm. de Ascens. *Qui Circensibus Ludis, equorumque cursationibus capiuntur, vbi, qui insigni aurigarum celeritate oblectantur? Age dum venite, aurigamque per cœlorum spatia admirabiliter currentem cernite. Adeste, quaeso, nouumque, & stupendum agitatorem spectate, nempe creaturæ opificem, humana creatura quasi vehiculo vtentem. Eia aurigam, non qui currum incompositè in terra regat conspicite; sed qui nouo modo moreque cursum per cœlos tenet.* Hæc ille. Vbi expendè illud creaturæ opificem humana creatura quasi vehiculo vtentem. Quando quidem dum opus suum reficit, dum à se conditum figmētum redintegrat, dum propriam creaturam saluat: sic Saluatoris agit triumphum, sic vere Saluator, sic Iesus in tota sui nominis claritate conspicitur. Hinc Anastasius Sinaita lib. 3. de rectis fidei dogm. inquit: Synait. *Oportebat eum, qui vere, & secundum naturam Rex noster erat. Nos qui Tyrānico Imperio premebamur illegitimi planè Domini non de ferere improuisos; sed insignia nostræ captiuitatis sibi inducere, ac nobiscum familiariter congredi, vt disrupto pariete ante nos ingressus ad se traheret sibi congeneres.* Et sic omnino vere apparet Iesus.

## CAPVT VI.

## De Iesuitis, siue de Societatis Iesu viris.

SALVTIFERO Iesu nomini vix separare potui Iesuitarum, siue virorum è Societate Iesu ordinem magno mundi bono hoc nostro sæculo adolescentem. Non tamen est animus magna, & glorioſa huius ordinis facinora percensere; magna enim relinquo magnis tractanda. Pusillus ego in parentem id solum laudis decantabo, quod á tanti nominis appellatione receptum habet.

### §. I.

### *Nomen Iesu Societatis viros obedientia præcellere facit.*

QVam sit obedientiæ ad natum Iesu nomen, ille ignorabit, qui Paulum ignorat ad Philipp. cap. 2. dicentem de Christo Philipp. 2. Domino, quod sit: *factus obediens vsque ad mortem, mortē autem crucis, propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur.* A summa Christi Domino obedientia inuentum Iesu nomen, vbi nisi in obedientissimis viris requieſceret? Quid aliud quam obedientiam Iesuitarum inspiraret? eamque obedientiam, quam B. Ignatius Societatis collector sub figura nauis sine arbore & acu filijs persuasit. Ecce, aiebat ille, nauis sine arbore, & sine acu medio fluctuans in mari, hac obedientiæ ductu tranarem maria, huic Iesuitæ veri suam debent obedientiam conformare. Et cuius nauis in medio mari viam stupebat, siue ignorabat sapiens? Respondeat Cathusianus. *Per viam nauis designatur conuersatio Ecclesiæ, quæ in hoc sæculo nequam tamquam in procellosissimo Occeano, directionibus Prælatorum, & processu virtutum inenarrabiliter alteratur.* Cath. Ecce tibi Iesuitarū æconomia perspicue designata, qui eo intendunt, vt Prælatorum aspirentur auris, vt inenarrabiles vias capiant. Medio in vitæ salo constituti, nulla subnixi arbore, & pupes despicientes, & clauos, Prælatorum vel tenui sibilo vndique terrarū exsibilantur. Duas naues vidit Christus Dominus Luc. cap. 5. Alteram Petrus gubernabat, qui iussus á Domino retia mittere in eam multitudinem piscium cœpit trahere, quam vix vna caperet nauis. Porrò, ne prædam amitterent, *annuerunt socijs*, illi protinus ad nutum parent, & acurrūt. Qui erant hi Apostolorum socij, qui vel nutui accurrentes parent? *hi sunt*, inquit Theophylactus, *qui interpretantur scripturas, & docent Apostolica, simulque cum Apostolis trahunt & piscantur homines.* Dixisset penè hi sunt Iesuitæ; qui magis Apostolorum socij, quam viri è Iesu Societate, habitu, & professione inuenti Apostoli? *Nauis obedientis*, vocatur ab Hug. Cardin. hæc Petri socia nauis; nauis inquam, Iesuitarum, qui nutui obedientes Prælatorum sine fine currunt, & discurrunt quoquo versus homines capiendi demonstrantur. Luc. 5. Theoph.

### §. II.

### *Iesu nomen Iesuitis præcipuum votum Ecclesiæ capiti exhibitum maximè demonstrat, & eorum in hostes efficaciam.*

Dul-

DVlciſsimi Ieſu vox eſt illa ad ſponſam in Cant. *Poneme vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* E pulchermis ſponſæ partibus vni brachio inhærere malens. Hinc D. Bernard. ſerm. 15. in Cantic. *Habes iam vndè brachio medearis, habes, inquam, in nomine Ieſu.* O fœlix Eccleſiæ brachium, quod nomine Ieſu præfixo illuſtraris! Quod Ieſu nomen tenes! Aſt; ſcire cupis qua pulchritudine Eccleſiæ barchia Ieſu nomen trahant? Id vt explicem, nota pulchram allegoriam, qua Eccleſiæ caput, & membra dum nititur delineare ex capite, & membris corporis humani, hæc D. Ambroſ. lib. de arca Noe cap. 7. verba facit. *Capiti autem noſtro proxima dextra lauaque brachia ſunt, qua arcem Imperialem tanquam firma tuentur cuſtodia, & hæc in nobis validiora, quo propinquiora capiti.* Hoc brachiorum munus, nempe capitis arcem tueri, caput defendere, capiti coniungi propinquius. Hoc brachiorum munus ſingulariter exprimit Ieſuitarum obſequium Eccleſiæ capiti exhibitum. Qui quidem ex particulari, & proprio ſui inſtitutivoto, Romani Pontificis obedientia obſtringuntur, tantumque caput firmiſsima tuentur cuſtodia. Ideoque (putarim) hæc Ieſuitarum brachia orta in Eccleſia ſunt, quando Lutherus abortus, cum enim hic primus in Pontificem Romanum deſæuiret, brachiorum erat ictum in caput contortum retundere, & caput integrum cuſtodire. Quo brachiorum obſequio captus Dominus his optat teneri brachijs, pone me vt ſignaculum ſuper brachium tuum, vt Ieſu nomine roborata, & in ſignita brachia capitis cuſtodiam, & obſequium æternare nitantur. Habuit etiam Roma ethnica ſua brachia, & validiſsima, & robuſtiſsima, quibus Romani Imperij caput cuſtodiebatur. Etenim qui ab Imperatoris cuſtodia erant milites brachiati cognominantur, quibus inſigne fuit Mercurij virga, nempe Caducæus paciſer. Sic Chriſtiana Roma Ieſuitarum Phalangem habet brachiatam, qui arcem Imperialem, nempe Eccleſiæ caput firmiſsima tuentur cuſtodia, qui pacificam Euangelij virgam vbique gentiũ efferũt ad miraculũ. Hos brachiatos Eccleſiæ milites dum prænouit Iſaias illud fuit effatus. *Erit tranſitus virgæ fundatus.* Tranſibat ſanè, & pertranſibat nationes virgà pacifici Euangelij à ſapientiſsimis religioſiſsimiſque viris aſportata. Verum hic virgæ tranſitus non erat ſic firmiter, & ſtabiliter fundatus, donec Ieſuitarum brachia ſpeciali voto ſe deuouerunt Pontifici Romano per vniuerſum orbem terrarum contemto etiam ſanguine ſeminanda. Etenim quodlibet opus pium quàmuis fiat, non cenſetur fundatum, donec aliqua Reſpublica ſeu familia ſe ſuaque obſtringat ad tale opus per agendum quotannis. Ita modo probato Ieſuitarum inſtituto ſe deuouentium voto, vt ſine ſpe, & metu terrenorum quolibet mittantur, iam tranſitus virgæ erit fundatus, hiſque Eccleſiæ brachijs Ieſum prætendentes barbariſsimorum hominum nationes pertranſiuit. Nec non virga Euangelica fœlici dextra eiaculabitur, vt certo certius proſternat hoſtiles gigantes. Percuſſurus Dauid gigantem Philiſtheum 1. Reg. 17. *Miſit manum ſuam in peram tulit lapidem, & funda iecit, & percuſsit Philiſthæum in fronte, &c.* Vndè puero tanta dexteritas? Quæ pueri virtus ſic certum lapidem direxit, vt non aberraret à ſcopo, vt hoſtem proſterneret. Accipite Chryſoſt. hom. de Dauid, & Saule ſic diſſerentem. *Neque enim vel garì more poiecit lapidem; ſed prius dixerat. Tu venis ad me in Dijs tuis; ego autem venio ad te in nomine Domini Sabbaoth. Atque hæc locutus emiſit lapidem, atque hæc vox lapidem velut manu direxit in Goliath, hæc pauorem incuſsit barbaro, hæc hoſtis confidentiam fregit.* Et ſanè non aberraret manus à voce nomen Domini annuntiante directa, & confirmata. Non equidem Ieſuitæ vulgari modo pro religione ineunt certamina; ſed in nomine Domini; ſed Ieſum corde, & voce, & brachio præferentes. Vndè huius nominis vox iactus velut manu diliget, & tela eorum fert in hoſtiles phalanges, ne vacuæ reuertantur, hæc pauorem incutit hæreticis, hæc hoſtium confidentiam frangit.

Cant. 5.

Bernard.

Ambr.

Chryſoſt.

Iſai. 30.

## §. III.

### *Ieſu nomen inditum B. Ignatij filijs, maximis illos bonis cumulauit.*

ECcleſiæ Chriſtianæ bona Dei nomini deberi prædicit Iſaias cap. 33. cum ex verſione 70. fatur. *Oculi tui videbunt Ieruſalem ciuitatem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poteſt, nec auferentur claui eius, nec funiculi eius diſrumpentur, quia nomen Domini magnum vobis.* Dixiſſet penè: videbunt oculi tui Societatem Ieſu ciuitatem opulentam: ſed vnde opulentam? Vndè primis vnguiculis tam magna tam gloriosa cœli bona tenuit? Vndè tam citò de re-

Iſai. 33.

re cœ-

re cœli, à summo benedictionem accepit? Vndè ingentem magnam facta est? Vndè litteras didicit Cantabri filia? Sanè, *Quia nomen Domini magnum illi.* Pondera nomen Domini magnum, ideſt, iuxta Cyrill. in tota ſua magnitudine, & amplitudine nominis Dei. Vbi Deus Abrahamo ingentes glorias promiſit. Geneſ. 17. vt promiſsiones fœdere ſempiterno firmaret litteram, *He*, nominis diuini, Abrahami nomini addit, vt deinceps vocaretur Abrahamus. Id quod animaduertens Hieron. ait. *Quam literam de ſuo nomine communicari voluit Deus cum nomine Abraham vt oſtenderet non modò ſe bona ſua impertiturum ei; verum etiam ſe ipſum.* Quæ igitur bona communicaret illis, quibus non vnam nominis ſui literam, non mutilum nomen ſed integrum Ieſus nomen in tota ſua magnitudine, & amplitudine communicauit? Quam non induerent diuitatem, qui ampliſsimum Dei nomen induunt? De aduentu filij ſui in mundum locutus Deus Exod. 23. dixit, *Ecce ego mitto Angelum meum: Et eſt nomen meum in illo.* Eleganter cauit D. Ildefons. ne offenderemur nomine Angeli, & putaremus filium diuinitatis expertem, aiens: *An quia Angelum audis, non putas eſſe factorem Deum? Abſit. Magna certè dementia agitaris, ſi credis Deum cuiquam Angelo, & poteſtatem, & nomen proprium contuliſſe.* Sanè minimè crediderim, puſillos quoque homunciones à Deo nomine ſuo proprio donatos. Pluſquam homines, pluſquam Angeli debent eſſe, qui magno, & ampliſsimo nomine Dei gaudeant. Magna dementia agitatur, qui credit, Deum cuiquam homini nomen ſuum proprium cõtuliſſe; ſed contulit illud viris maximis, viris virtute, & religione florentibus, viris ſpectatiſsimis conuerſatione, & moribus diuinitatem halantibus.

Geneſ. 17

Hiero.

Exod. 23.

Leb. de Virgin. c. 5.

## §. IIII.

### Non inutilis debuit eſſet Ieſu nominis ferendi conditio.

ETſi vniuerſi Dei filij multa in ſe à Deo beneficia profecta congerant, tamen Ieſuitæ præcipuum, & ſingulare ius habent, ex eo quod Ieſu nomen ferant, ad omnia diuina dona. Sic in humanis diſponunt Cæſarum iura: etenim, l. dum filius, §. Pater. D. de legat. 2. Sempronius quidam ait. *Sempronio nepoti meo plus tribuas in honorem mei nominis:* Item Lycon. Aſtyanax teſtamentum in hæc verba condidit. *Quæ in vrbe, & Ægina habeo Lyconi fratri præcipua do, quod is nomen ferat noſtrum.* Ex hac obligatione ferendi nominis Auguſtus Cæſar, vt refert Suetonius, ingentem pecuniam Tyberio, & Libiæ legauit. Hinc in l. facta. §. ſi in danda. D. ad Trebellia. dicitur, quòd *non inutilis eſt nominis ferendi conditio* & l. hoc iure §. vlt. D. de Donat. iubentur dari ducenti aurei illi, qui ſpopondiſſet ſimo iuraſſet alterius ferrè cognomen. Iure ergo Ieſuitæ maxima à Deo beneficia ſperabunt, vt pote qui Ieſu ferunt diuiniſsimum nomen: dixiſſent, credo, illud Pſalm. *deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ propter nomen ſuum.* Vel vt explicatius tradunt Eutymius, & Nizephorus. *Propter hoc quod nomine Dei vocor, tot videlicet in me Deus beneficia congeſſit.* Quicquid decoris, quicquid virtutis, quicquid expectationis, & gratiæ habent, nomini Ieſu reddunt acceptum filij Societatis. Nomini, inquam, quod magni Dei familiæ decus eſt ſingulare. Enim verò Hugo Card. c. 2. Apocalypſ. ex ſententia Iandulphi Carthuſ. aſſerit, *quòd in gloria cœleſti ab ipſo Ieſu dicemur Ieſuitæ.* Ecce tibi in ſæculo viri Societatis eodem cum cœli habitatoribus nomine condecorati, maximis inde indultis nobilitati. Iam liceat nobis de cantare illud Iſai. 63. nimirum. *Abinitio nomen tuum ſuper nos.* Vbi Procopius explicatius addit. *Noſtri igitur miſerere; quos nomen tuum exornat. Hæreditas enim tua nuncupamur. Id ergo nomini tuo largire, vt apud gentes non blaſphemetur.*

Pſalm. 22

Eut. Niz.

Hugo.

## §. V.

### A nomine Ieſu humilitatem, & toterantiam, & augmentum maximum habent filij Societatis

ACceperunt à nomine Dei ſingularis litteras ſinguli, Abrahamus, & Sara, & qui pater excelſus nominabatur, iam littera addita multarum gentium pater nominatur. Sara autem, quæ & princeps mea, accepta nominis Dei littera fit Sarai, nimirum, iuxta D. Auguſt. *virtus.* Hæc mutatio dexteræ excelſi, etenim à nomine Ieſu ſeculo, tituliſque honorificis renuntiantes Ieſuitæ fiunt patres multarum gentium, & ſummis virtutibus clarent. Vt ſemel Ieſu nomen ſplenduit noſtra in Societate, non in ea honorum celſitudo, non

Auguſt.

non dignitates ſed virtus, ſed paternus affectus, quo nutriti facti dant operam, vt teneros infantes pene ab vtero excluſos iterum Chriſto pariant. Quibus laboribus, quibus iniurijs, & calumnijs emunt, vt omnes in vitam reformentur Chriſtianam? iniurijs læti in laboribus augmentati, & ditati.

Cùm Ieſus crucis aratro incumbens, & gloriam, & magnificationem inſeminaret, putantur à D. Athanaſ. Apoſtolici viri dixiſſe
*Pſal. 19.* id Pſalm. 19. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis, & protegat te nomen Dei Iacob*, tunc ſeſe hortantes. *Lætabimur in ſalutari tuo, & in nomine Dei noſtri magnificabimur.* Quaſi dicerent, à page hinc lætitia mundialis abeſto magnificatio hominum, nos nec lætitiam, nec magnificationem accipimus, quàm Ieſus non pariat. Lætabimur, inquàm, in ſalutari tuo, vera mundi ſalus in Cruce, in humilitate, in calumnijs lætata; ſic & nos lætabimur, ſic Ieſuitæ lætantur in Ieſu nomine ſalutari, in cruce, in calumnijs, in humilitate. Facti nutritij, facti prædagogi infantiũ facti peripſema, mille petiti iniurijs ipſi lætantur. Orig.
*Iob. 1.* expendens illud Iob c. 1. *Sic faciebat Iob cunctis diebus*, ſubdit in eius laudem, *in virtutum ſtudijs omnia, quæ fecerunt ſancti, fecit etiam Iob; quod autem ſuſtinuit cum gratiarum actionibus hoc nihilominus nullus alius ſuſtinuit.* Liceat hoc Societati Ieſu aptari, qui
*Origen.* ordo omnia quę fecerunt alij fecit, & quotidie facit in virtutum ſtudijs in parturiendis ſanctis, in ſanguineis Martyrum ſudoribus: quod autem iniurias, contumelias ſuſtineat cum gratiarum actionibus, hoc adnatum eſt ſocietati. Maledicimur, & non comminamur, corrodimur, & nihilominus in ſalutem animarum volamus lætantes in Dei ſalutari.

*Pacian.* Sanè D. Pacianus ſic eos qui in Patres ſpirituales inſurgunt depingit in Paræneſi ad Pœnitentiam. *Vt cœnum ſolet maximè fœtere ſi moueas, & incendium tunc maximè ſæuire, ſi prouoces, ita illi, &c.* Expendo illud, vt cœnum ſolet fœtere, ſi moueas; & quis fœtorem commoti cœni ſuſtinebit, niſi qui ſalutifero Ieſu
*Nazianz.* madet vnguento? Ecce D. Greg. Nazianz. orat. de moderat. in diſputationibus quaſi Ieſuitas alloqueretur. *Tu qui ſpirituali illo vnguento arte vnguentaria confecto delibutus es, fraterni fœtoris non nihil præfer, ſiue verus ſit fœtor ille, ſiue ita tibi videatur, vt ipſi viciſſim boni tui odoris aliquid impertias.* Et quidem Ieſuitæ graues excipiunt fœtores à proximis; ſed quid mirum, ſi perferant madentes odo-
*Ioann.* rifero nominis Ieſu vnguento? A corrupto fratris cadauere arcebat Martha Ieſum di-
*Chryſol.* cens, *iam fœtet, quatriduanus eſt.* Pulchrè Chryſolog. ſerm. 65. *Quod perditori fœtet, non fœtet creatori.* Nec illi, qui Saluatoris nomine madent vnguento, vllis fœtoribus arcentur, quo minus fratrum inſiſtant ſaluti, & nitantur afferre medellam intrepidi in odore nominis, & in Dei ſalutari. Hic vacat ſubijcere verba, quibus S. Optatus Meliuit. lib. 7. aduerſus Parmenianum, obtrectatores ſuos hęticos pũgebat. Ait enim. *Aliqui veſtrũ volentes nos populis ſuis contemnendos oſtendere, illud miſcent tractatibus ſuis, quod à Salomone dictum eſt, Eccleſ. 10. muſcæ morituræ exterminant olei ſuauitatem, & quaſi muſcas morituras nos appellant: Sed dum vos imbidiæ tempeſtatibus impulſi, quaſi in oleum caditis, vox exterminatis ſuauitatem illius olei, quod in nomine Chriſti confectum eſt, vnde condirentur mores: vnde incenderetur lumen mentis ad ſalutarem, & veram intelligentiam. Vos exterminatis rem vbi oleum fuit, & ſuauitas.* Quæ verba tantum proferant aduerſus noſtri temporis hæreticos accerrimos calumniatores Societatis Ieſu, in qua oleum effuſum eſt in Ieſu nomine, vndè condiuntur populares mores; vndè lumina incenſa ſunt ad ſcientiarum intelligentias præſtandas.

Et in nomine Dei noſtri magnificabimur medijs iniurijs, medijs tempeſtatibus, plures efficimur quoties metimur, ſemen eſt Ieſuitarum tolerantia. Qui ſciſſi rami iterum plantantur ſolent triticeis granis adiungi, vt radices agant; ſic Ieſuitæ viuenti frumenti grano, nimirum, Ieſu nomini coniuncti equales radices agunt in toto pene orbe terrarum! Hieron. ſic præfata verba transfert. *In nomine* *Hieron.*
*Dei noſtri ducemus choros*, quaſi inuerent mili *Pſalm. 19*
tarem morem dicentes ſub vexillo, nomine Dei notato, ducemus militares phalanges. Vnde Arias dixit, *in nomine Dei noſtri vexilla explicabimus.* Nos ſigniferi exercitus Chriſtiani nobis ſignum diuino præfulgens nomine tradidit Summus Imperator, nulla erit natio, nullus terræ angulus, qui Ieſu nomine non fulgeat illuſtratus. O quantùm nouis ſudandum eſt, quibus ictibus emendum ne diuini nominis ſignum inglorium maneat noſtris manibus? ſicut illi, qui Regale ſignum qui labarum in exercitu portant, vitam contemnere debent, vt explicatum, & glorioſum conſeruent labarum. Ita ait Chryſoſt. 1. ad Timoth. 1. *Et ij, qui Chriſti nomen portant, non in bello ſolũ, ſed in pace ſummis viribus indigent, ne id maledictis linguis exponant.*

## CAPVT VII.

## De collectore, & fundatore Iesuitarum B. Ignatio.

PArentis mei Ignatij, à quo familia Iesuitarum, laus me summo desiderio afficit, parcite mihi filio, si quacumque occasione accepta non me tempero, quin nonnullas eius virtutes nitar explicare.

### §. I.

### *Beati Ignatij Iesuitarum parentis facinora, & laudes Nazianzeni verbis perstringuntur.*

CVm me in B. Ignatij virtutes expendendas accingo, sese mihi offerunt verba illa, quibus D. Gregor. Naz. laudes magni Athanasij decantauit. Ea sunt. *Nobis iacentibus cornu salutis erectum est, lapisque angularis nos, & sibi & inter nos cõstringes opportunè iniectus est, aut ignis malæ, & vitiosæ materiæ purgator, aut ventilabrum rusticum, quo à granibus dogmatis leuia discernuntur, aut gladius vitij radices excidens, Deique filius belli socium nanciscitur, spiritusque homine, qui pro ipso spiret inuenit.* Hæc de magno Athanasio Nazianzen. profatur, hæc eadem B. spirant Ignatium, cuius laudes ex illis haud difficile erit expiscari.

Nazianz.

### *Ad illud.* Nobis iacentibus cornu salutis erectum est.

### §. II.

### *B. Ignatius, & vinculis in medijs liber, & in persecutionibus persecutoribus verendus exitit.*

COrnu salutis toties in sacra pagina repetitum merito assumsit Theologus, vt hominis mille agitati persecutionibus laudes dedicaret. Etenim in verbo cornu, non iam metaphora, & allegoria; sed summa verbi proprietas indagãda est. Quò refert Theodorus Antiochenus pulchram similitudinem cornuti tauri. Is cum primùm in arenam prosilit, & omnium in se oculos statim conuertit, & manus armat, hinc inde vociferationes exurgunt plebeculæ viso tauro hinc illum contorquentur iacula, alter conuocando sibilando ad se allicit: ferro exterret alius; omnes lacessunt, & nituntur vulnerare. Medius ipse furit, & tela deridens eos emittit saltus, quibus omnes tremebundos fugat, & media arena tutissimus deambulat. Ita Ignatius cornu salutis erectum est, nimirum cornuti instar tauri, mundiali vix apparuit in stadio, & in se omnium oculos, ora, manusque conuertit. Mille circumcingitur carceribus, vinculis premitur, persecutionibus exagitatur. O quàm feræ in illum declamationes, Salmanticæ, Compluti, Parisijs, Romæ! O quàm duræ in illum tela vndique iaculantur! Ipse vnus medijs vinculis, conclusus carceribus, miserè exagitatus, tamen tutissimus salit, sibi salutẽ, & terrorem parturiẽs aduersarijs. Pulchrè alebat D. Ambros. *Nunc quid in seruitute accersitur pietas. Plerique emtores leonum sunt, & tamen non dominantur leonibus; sed ita vice versa subijciuntur, vt si exasperatos eos excutere cerui ce toros videant, fugiant, & delitescant.* Manifestè vanus est, qui viros pios nititur opprimere, vinculisque, & carceribus implicare, perinde namque est ac si leonem implecaret. Sanè plerique hominum gaudent leonis in lacum agere, ibique illos carceribus vallatos irritare, & angere; sed quo id metu perficiunt? Si vel leo intra carceres, intra vincula excutiatur si vel manum protendat, fugiunt pauidi. Is eras, o B. Ignati, duris vallatus carceribus; sed ibi leo, sed ibi taurus, qui media in arena securus pauorem incutis aduersarijs. Is eras, cùm Parisijs ageris in gymnasia, gymnasioque conclusus, clauduntur fuffugij fores, conueniunt vniuersi scholastici, apparet seuerus Rector Achademiæ explicantur virgæ flagellorum, & voce, & virgis petitur Ignatius. Quid plura? Fortissimus leo, generosus taurus nesciens timere media in arena prosilijt deridens virgas vel oris halitu Rectorem tremebundum strauit, omnesque securus fugauit contrarios Quid aliud faceret magnus ille gentium Doctor Paulus? De hoc, quod in carceribus triũphet. Ita D. Chrysostom. fatur. *Vides vinculorum fortitudinem magis quàm resurrectionem mortuorum esse gloriosam vinctus est Paulus Romæ, & plerosque attraxit, vinctus est Ierosolymis atque ligatus Regem exterruit, Præsidi timorem incussit.*

Lib. 1. ep. 7.

Chryssost.

*incuſsit.* Haud aliter Ignatius, vinctus Romæ, vinctus Salmanticæ, & Compluti, vinctus Pariſijs, pleroſque attraxit, poteſtates exterruit, Rectori timorem incuſsit, expectatiſsimos iuuenes in cœlum vſque ventilauit, doctiſsimos allexit Magiſtros, & inita Societate totam iacentem mundi machinam reſtituit ſanitati. Etenim iacentibus nobis ſalutis cornu erectum eſt, nimirum in interitum vergente mundiali machina carceribus vndique concluſus apparuit Ignatius, qui pernici ſaltu ſe expedit, & inſtar tãti timore, & reuerentia replens perſecutores, & ſibi, & mundo glorioſas victorias reportauit. Quid ſimile in Apoſtolis Eccleſiæ columnis licet excogitari, qui diuino correpti igne cùm in ſtadium proſiliunt, inferorum phalanges in ſe armant. Ad mortem expetuntur à Iudæis, tenentur tandem, conijciuntur nigro in carcere, tunc concilio coacto, ſic aiũt Act. 4. Sacerdotum Principes Act. 4. *Quid faciemus hominibus iſtis?* Quòd eleganter expendit D. Chryſoſtom. ſerm. 15. in epiſt. ad Chryſoſt. Rom. cap. 8. dicens. *Vide quomodo Iudæi cùm Apoſtolos in medio poſitos haberent, & ſtupuerint, & dixerint. Quid facimus hominibus iſtis? Admirandum quippe fuerat, quòd cum illos iam captos ſibi, & omnoxios habent, ligatoſque cæcidiſſent, adhuc tamen hæſitauerint, conſilijque inopia laborauerint per ea ipſi ſuperati, per quæ victoriam ſperauerant. Atque ita neque tyrannus, neque populi, neque dæmonum phalanges neque diabolus ipſe poterat eos vincere, ſed longè ſuperabantur vniuerſi.* Sic Apoſtolis haud multùm impar Ignatius, & captus, & ligatus, & exagitatus, omnium victor omnes glorioſe detriumphauit cornu ſalutis adamuſim factus.

*Ad illud.* Lapis angularis nos ſibi, & inter nos connectens.

## §. III.

### *B. Ignatius haud inferior vetuſtiſsimis religionum Patriarchis, & fundatoribus.*

PRoprium eſt angularis lapidis, & fundamentum ædificio præbere, & ædificij machinam ſuſtentare: vndé paſsim à Doctoribus vocantur lapides angulares præter Chriſtum Apoſtoli, qui prima Eccleſiæ poſuerunt fundamina. Deinde eodem vocabulo illuſtrantur Patriarchæ omnes, ſiue Religionum fundatores, inter quos æquali gloria fulget hic pretioſiſsimus lapis Ignatius. Sanè Zachar. 4. vt placet Riberæ, comparans vltimi ſeculi ſanctos cum primis, & vetuſtiſsimis Patribus ait. *Educet ſapidem primarium, & exæquauit gratiam gratiæ eius.* Ecce tibi diuinus artifex Deus vltimis Eccleſiæ temporibus educet lapidem primarium angularem, nimirum noui ordinis, & inſtituti fundatorem, & ſuſtentatorem B. Ignat. & exæquauit gratiæ eius, & fecit illum ſanctiſsimis illis primis fundatoribus omnino æqualem. *Zach.* 4.

In Baſilij panegyrico probat D. Gregor. Nyſſen. poſterioris ſæculi ſanctos nõ inferiores eſſe primis Patribus, & vt concluderet D. Paulum non eſſe inferiorem Abrahamo, Moyſi, Elia, Baptiſta, licet poſtremos his venerit, ſic inquit. *Nonne poſt quam ſordes, quas Paulus ex ignorantia contraxerat, depoſuit, protinus ad anguſtiorem conditionem natura transformatus eſt? & velut exuto hoc carneo amictu in ipſis cœlorum aditis verſabatur? Et nihil corporei impedimenti pondere tardatus etiam intra diuinam paradiſi conſitionem perueniebat?* Hæc ille, ex primo Paulianæ Aquilæ volatu eius cũ priſcis omnibus æqualitatẽ cõijciens. Enim verò, qui tali ſui trãſformatione, qui tali raptu, qui tam pernici volatu ſuã dedicauit conuerſionem, cur altiſsimis, & primis ſpiritibus non æquabitur? Ecce modo Ignatius, cùm primùm licuit, cùm primùm lecto languidus animi languores præuidit, & luce cœleſti illuſtratus vitiorum ſordes aſpexit, continuò ipſo incubiculo lecto ſurgit, humi proſtatur, caſtitatis perpetuæ voto ſe obſtringit, *& in anguſtiorem conditionem natura transformatus eſt:* Angelicæ puritatis maximè æmulator. Ab Apoſtolorum Principe inuiſitur, & ſanatur, & ſanus factus relictis omnibus, ſacco induitur, ſe mille doloribus macerat, & tandem primo in Agonis ingreſſu apud Manreſam octo dierum raptum ſuſtinuit, *nihil impedimenti corporei tardatus pondere in diuinam paradiſi conſitionem perueniebat.* *Act. 9.* Sanè Doctoris gentium raptum ad ſolos tres dies Angelicus Doctor extendit, quibus vt Act. 9. dicitur, *non manducauit, neque bibit,* ſed viſæ rei magnitudine iuxta Lyram, ſuſtentabatur, ne fame poſſet perire. At Ignatius per octo dies integros rapitur in paradiſum, nec manducauit, neque bibit: tanta enim rei viſæ erat magnitudo, qua per octo dies ſuſtentaretur ieiunus terreno cibo. Cur ergo primis, & ſuperioribus Patribus, non æquemus eum, qui primo volatu, nec etiam Pau-

Paulo concedit in raptu primas?

3.*Reg.* 6. 3.Reg.6.de magnificâ Dei domo dicitur,*quod lapidibus perfectis ædificata est.* Id quod expendens Iosephus docet, lapidum tanti ædificij perfectionem eam fuisse, quâ qui postremi ponebantur nullo discernerẽ tur à primis;*sed connata potius omnia, quàm arte congesta viderentur.* Hoc maximè cauit diuinus artifex in primarijs lapidibus, nempe in fundatoribus spiritualis alicuius ædificij,ne quid discriminis, & inæqualitatis cerneretur in illis, imò illorum omniũ illuceret perfecta,& vterina germanitas, & æqualitas,qua postremi non tam congesti quam connati viderentur primis.

## §. IIII.

### B. Ignatij mira aduersus ambitionis,& vanagloriæ tela securitas.

IAm in hoc firmissimo parentis mei lapide,non possum non mirari illam protẽti initar animi humilis securitatem, qua in summis virtutum, facinorumque verticibus nulla irruentium flaborum vi pes eius labauit.Sic exemplo apum aduersus pro-

*Ambr.* phanæ gloriolæ ventus D. Ambros.adolescentulas armat lib.1.de Virginit. *Apes illâ sapiens cùm aeris motus suspectos habet,lapillis sæpe sublatis,per inania se librat nubila, ne leue alarum remigium præcipitent flabra ventorum:& tu caue illius apiculæ modo, ne alarum tuarum volatum aura mundi huius extollat.* Sapientior apibus Ignatius, non lapillos sustulit,quibus præcipites ventus euaderet;sed totus factus est lapis, & quasi lapis factus,sic vanissimos contempsit ven

*Theod.* tos,vt nihil minus in hac vita sibi timendũ prædicaret. Miratur Theodotus sæpius à nobis allatus,cur Deus perfectissimã sublunarium creaturam hominem ex terrena condiderit molle?cur non pectus ex subtilissimo cœlorum splendore? *Cur hominem,* ait,*quem tanto ornatu erat decoraturus ex substantia adeò abiectâ composuit? Cur materia ex solis splendore sumpta hominem non cõdidit? Sed ex terræ puluere,elemẽto vtique infimo illũ effinxit? Vis scire,quam ob causam? quandoquidem hominem sua imagine honoraturus erat,ipsum ex vili natura formauit: nè fortè honoris abundantia insolesceret.* Ecce tibi terrenus puluis inditur homini à Deo, ne ad imaginis diuiniæ altitudinem euectus ventorum incursibus rueret, nec tanta terræ moles illum conseruare sufficeret à lapsu. Euanuit homo solo puluere grauis, ideo sapiens artifex pondus addidit, & cõditurus Ignatium illum à petra deserti, à cãtabrorum syrtibus,& rupibus excidit, qui veluti è lapidea,marmoreaque natura effictus Dei imagine,& nomine,& virtute,& passione,& prole clarus,præcipites mundi auras,sic risit, vt saxea molles ridere solet rapidissimos quosque ventos maris. Dum B.Maximum commendat Ennodius,orat. 8.dicit.*Te olim sæcularibus inhærentem titulis,castrensis sudor excoluit,& ad Ecclesiæ gubernacula pars aduersa solidauit. Christus milites suos,quos in personam ducis attollat, inter acies quærit hostiles.* Quid aptius nostro Ignatio? Qui de castrensi sudore solidatus, in lapideam aduersus ventos soliditatem obriguit.Qui inter hostiles acies quæsitus à Deo in familiæ amplissimæ ducem fuit sublatus.Sed cur milles quæritur à Deo? Sanè idest militibus singulare, quod victoriæ à particulari milite partæ Imperatori tribuantur;milites quidem pugna laborẽ subeant, qui triumphos Imperatori suo, non sibi nouerint applicare. Hæc Ioabi erat vox ad Dauidem 2. Regum 12. *Dimicauit aduersus Rabbath, & capienda est vrbs aquarum.Nunc ergo congrega reliquam partem populi,& obside ciuitatem,& cape eã, ne cum à me vastata fuerit vrbs, nomini meo ascribatur victoria.* Quod ponderans Pet. Damian. Epistol.97. fatur. *Militaris homo ad regalis famam gaudet sui laboris transferre victoriam.* Hoc militari splendore insignitus Ignatius sui laboris victorias, sic gaudet transferre semper ad maiorem gloriam Dei,vt nil minus timeat, quam ventos vanitatis. 2.*Reg.*12

Dauid ille vir, iuxtà cor Dei effectus, post mille exanthlatos labores,post hostes prostratos in summum regni fastigium sublatus de subditorum numero insolescit. Ait enim 2.Reg.23. *Perambula omnes Tribus Israel à Dan vsque ad Bersabee,& numera populum,vt sciam numerum eius.* Id quod eleganti sententia ponderat D. Ambros. in *Ambr.* Apolog.lib.2.cap. 1.inquiens *Non miraris hominem, & Angelis æquandum putas plurimum vitæ suæ,imò à pueritia in diuitijs,honoribus,Imperijs demoratẽ,in multis tẽtationibus positũ semel tãtũ errori locũ dedisse, & ei errori,quo etiam Angeli de sua virtute, & gratia detecti sunt?* Sanè mirabilius hoc in B.Ignatio qui nobili,& parẽtibus satus, diuitijs, & honoribus innutritus plurimũ vi- 2.*Reg.*23

tæ ſuæ mundialibus vanitatibus dedit, gloriæque militari inſumpſit, & poſtmodum in eum perfectionis gradum euectus, quo diuina pateretur, quo inter candidatorum cœleſtium vitam ageret, quo terribilis aereis poteſtatibus exiſteret, quo ſub Ieſu nomine, & vexillo innumeras ab omni orbis plaga gentes iungeret, & bellum indiceret peccato medio in mundiali ſtadio. Et tamē poſt hæc, nec ſemel errori, locum dedit, & ei errori, quo etiam Angeli ſuæ virtute, & gratia deiecti ſunt, imo Dauid, & Angelis firmior ſæpius dixit nihil ſibi á vanagloria, & ambitione timuiſſe.

*Geneſ. 5.* Chriſtus Dominus, Matth. 5. Eccleſiæ Principibus edixit *Sic luceat lux veſtra coram hominibus.* Quid tunc rei? Quod præcauetur periculum, vt luceant coram hominibus? *Bernad.* Pulchrè D. Bernard, ſermon. in Nat. Ioann. vt luceant, *nimirum, tanquam accenſi & vehementer accenſi, & quibus non timeatur à flatu quolibet, aut impulſione ventorũ.* O qualem in ſe fornacem accēderat Ignatius, quando à nullo flatu ventorum timet. Ardebat lapis iſte diuinus, & vehementer ardebat, quem in ſummo facinorum vertice nulla ventorum rabies extinguit, nulla tempeſtas turbat, nec illa, quę Angelica lumina æternum duraturis tenebris ſuffudit.

## *Ad illud.* Aut ignis malæ, & vitioſæ materiæ purgator.

### §. V.

### *Inſeruiendo aduerſarijs Ignatius occiſimè totum pene occupat mundum, & ſibi martyrij laureolam acquirit.*

IGnatij nomen ſicut ignem ſpirat, ita Ignatij militia tota inferendo lumine conſiſtit iuxta Euangelij præſcriptum: *Luc. 12.* *Lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Vt de Gedæonis aſtu, oſtenſo igne, ab infeſtiſſimis hoſtibus victoriam acquirant. Sed quo igne inſignitur Ignatius? Is inſinuatur, Pro- *Prou. 5.* uerb. 25. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illũ, ſi ſitit, potum da illi, ſic enim carbones congeres ſuper caput eius.* Hęccine arma ſunt, quibus Ignatius totum pene orbem allexit, de triumphauit. Hoc erat illius ſtudium ſingulare, vt rabidiſſimis hoſtibus beneface-ret pro viribus, vt in omnium ſalutem, etiã barbarorum vehementer inſudaret. Sapientiſſimè mirabar ego id, quod in vno Ignatio extitit valde mirandum, vnus homo vilis, & abiectus, odioſus mundo, ab innumeris contrarijs circumactus, ad carcerem, & ad mortem ſæpe petitus, & tamen breuiſſimo tempore, ſic omnes pene regiones nomen eius peruaſit, vt vndique vitæ ſocij ad uolarent ad eius virtutes euulgandas, & imitandas. Id mihi cogitanti occurrerunt illa ex Lxx. Cant. 8. *Alæ eius, alæ ignis*, ſiue *Cantt. 8.* vt accommodatius, & expreſsius S. Philo *Phil.* Carpat. *Alæ ignis carbones ignis*, quaſi innuat id, quo homo ad mortem petitus breui interuallo fuerit rerum potitus; nimirũ, ignita beneficiorum iacula, quibus terribilium etiam hoſtium corda detriumphantur. Etenim, ſi inimicis beneſeceris carbones congeres, & carbones tui, carbones alati perniciſſimi, qui occiſimè vniuerſum terrarum orbem percurrãt, nomenque tuũ vndequaque diffundant, *euolare poſſumus*, ait Philo, *alis ignis duabus diligendo Deum, & proximum, ſicut noſmetipſos.* Quid ſi perniciſſimus euolet Ignatius, qui in ſuos perſecutores perpetua exardeſcebat charitate? Quid ſi breui tempore Ignatij nomen orbẽ peruadat? Qui omnibus omnia factus, alatis carbonibus beneficiorum hoſtium etiam animos expugnabat. Accipite, quod Ezechiel vidit in animalibus illis alatis, qui currui gloriæ Dei ſubijciebantur, ait enim cap. 1. *Similitudo animalium, & aſpectus eo-* *Ezech. 1.* *rum, quaſi carbonum ignis ardentiũ, & quaſi aſpectus lampadarum. Hæc erat viſio diſcurrens in medio animalium, ſplendor ignis, & de igne fulgur egrediens.* Ex quibus verbis D. Gregor. PP. rimatur. *Splendor ergo ignis, &* *Gregor.* *de igne fulgur egrediens inter pennata animalia diſcurrit, quia Spiritus ſanctus ſimul ſingulis, atque omnibus præſto ſit.* Hinc meritò effingitur Dei ſpiritus pennatis animalibus innixus omnia velut fulgur pernadens, quia omnibus prodeſt, quia in omnes beneficentiſſimus eſt, quia indigentibus præſtò adeſt. Hunc totum ſpiritum ebibit Ignatius, omnibus omnia factus, nulli etſi barbaro, etſi abiectiſsimo, etſi inimico, etſi hoſti nõ præſtò non ſeruire paratus. Quo igneas nactus alas velut fulgur ab oriente ſulgurans pene in ictu oculi ad omnes mundiales plagas apparuit.

Sed iam expendo, quòd non minus glorioſum eſt Ignatio, nimirũ, quòd illo igneſcat igne, qui *malæ vitioſæq; materiæ ſit purga-* *tor.* Ignitus ille rub⁹, Exod. 3. fuit Theodo-

reto

reto Israeliticus populus sub crudeli Ægyptiorum persecutione, igne baptizatus.

*Chrysost.* Imò D. Chrysostom. ad cap. 7. Matth. martyrium est baptismus ignis, quo puriores auro sanctissimi viri ad cœlestes choreas transportantur. Vndè Ioann. Apocalyps. 15. *Vidi tanquam mare vitreum mistum igne, & eos, qui vicerunt bestiam, & imaginem eius. Stantes supra mare vitreum habentes cytharas Dei, & cantantes canticum Moysi.* Vbi nobiles tormentorum triumphatores, sic à ferreis machinis exurgunt quasi à baptismi vnda, quam vitreum mare significat. Ignis verò intermistus vim repræsentat purificatoriam, qua probati martyres glorioſi euadunt, ac supra cœlestia littora cytharas laudum, & gratiarum Dei pulsant. Quorsum hæc? Anne Ignatius purificatorio hoc ignis baptismate probatus, cœlestes prosiliuit ad cytharas? Eo ne exarsit igne, quo purificatus ad palmam peruenit martyrij? Sanè eo exarsit igne, non quia sub gladio occubuit, sed quia aduersarios suos continuis prosecutus fuerit beneficijs. Vnus mihi hanc cogitationem iniecit Eusebius *Euseb.* Emissenus, serm. de Sanct. Stephan. Vbi inquit. *Notum per ista sit, quia partem, & opera martyris suscipit, qui odium malis debitum generosi cordis benignitate calcauerit.* O quàm iustè B. Ignatius ignescere dicitur purificatorio hoc martyrij igne, cui nil magis cordi fuit, quam omnium mundialium odium generosi cordis benignitate calcare. Hostes, aduersarios sustinuit innumeros, adamauit omnes, omnibus præstò accurrit, sic ignis factus vitiosæ materiæ purgator supra cœli littora cythyras pulsat laudis, & gratiarum Dei pro felici laborum decursu. An licebit B. Ignatio illa dicere, quæ Dauidi abspelunca egredienti, vbi in festissimo pepercerat hosti, dixit D. Chrysostom. homil. de Dau. & Saul? Etenim, sic ait: *Non egressus est gestans Saulis diadema, sed egressus est gestans coronam iustitiæ. Non egressus est gestans regis purpuram, sed egressus est humanitate amictus, naturam humanam superante, quod pallium est quavis stolla magnificentius. Egressus est è spelunca, tanta cum gloria, cum quanta tres pueri egressi sunt è camino ardenti. Illis quidē foris, nihil ignis in quo versabantur nocuit, hic verò cum intus haberet carbones accensos, tamen non exarsit.* Hæc ille.

## §. VI.

### *Ignatius validus peccatorum ab hominum visceribus expugnator.*

CVm ignis malæ materiæ purgator dicitur Ignatius, necessū adhuc est eius in extergēdis proximorum peccatis expēdere, & vim, & dexteritatem. Et igne purificatorio malæ materiæ totam tibi conflatorij speciem propone ob oculos, in quo vt ignis purget, & purificet vitiosam materiā crebris iunatur, & acuitur aspersionibus aquæ. Hinc sese maximè pandit B. Ignat. glorioſissimum facinus, qui hominem venereo infectum veneno, vt ad salutem reuocaret, nullum non mouit lapidem, omnia infructuosè. Tandem nocturnis tenebris media hyemali bruma euntem ad lasciuiæ barathrum cùm vidisset hominem, ablatis confestim vestibus nudus in gelidum lacū prosiliuit, à quo miserum peccatorem, & manu, & voce conuocans, ecce ait, quanto gelu igneas turpitudinis tuæ tedas in me castigo. Quo stupefactus homo mortiferū oculis sudat venenum, & integræ sanitati restituitur, puramque omni labe vitam instituit. O Ignati vere ignis conflans, & purgans proximorum peccata! Et arca testamenti, & Christus Dominus intrauerunt aquas Iordanis, & visa arca, aquę ipsę conuersæ sunt retrorsum: sed cùm in se suscipiunt Christum, non retrocedunt aquæ, retrocedit tamen & perit mundi peccatum. Id quod eleganter ponderat D. Ambros. *Ambr.* sermon. 11. de Epiph. *Ante*, inquit, *retrorsum aquæ conuersæ fuerunt, modo retrorsum peccata conuersa sunt, & sicut tunc impetus fluminis albeum sui cursus perdidit, ita & nunc impetus peccatorum dominium sui erroris amisit.* Liceat eisdem verbis Ignatij à gelidis aquis facinus publicare, quando sicut arca in flumine retrorsum fugauit aquas; sic Ignatius in lacu fugauit à corde perditissimi hominis peccata. Ibi ad præsentiam arcæ steterūt; aquæ hîc viso Ignatio in aquis degente, præcipites peccatoris appetitus se se frænarunt. Sed non cum lignea arca, verùm cum igneo Elia Ignatium cōponamus: etenim, ait Ambros. suprà: *Elias etiam in Iordane fecit diuisionem aquarum; ita & Spiritus Domini separationem operatus est peccatorum, ille stare fluenta præcepit, hic crimina.* Sanè Igneus Elias, igneus Ignatius, in flumine Elias, in lacu Ignatius,

tius, tamen Elias áquis, Ignatius imperat peccatis, ille circa aquas totam virtutem suã exercet, hic ab aquis vires resumit, vt crimina expungat à cordibus humanis. Vt impleatur illud, Sapient. 16. *Quodam tempore in aqua supra virtutem ignis exardescebat vndique, vt iniquæ terræ nationem exterminaret.* Modo propter nimiam virtutem ignitus vir Ignatius exardescit in aquis, vt iniquæ terræ nationem exterminet, vt hominem purget, & mundet à peccatis. Huc expectabat Psaltes, quãdo cecinit: *facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.* Quod expendens Nazianz. Theologus, orat. 34. ait: *Spiritus, atque ignis Angelus appellatur, illud, quia intellectili natura est præditus, hoc, quia purgãdis animis nostris adhibetur.* Quid plura? Ignatius totus spiritus est, & quia spiritus fertur super aquas, imò incubat aquis, vt à cœno vitiorum volantes animas reparturiat; totus ignis est, quia purgandis nostris animis adhibetur, & adhibitus squalentia corda auro, crystalloque nitidiora reddit.

Sap. 16. Psal. 103. Naz. Genes. 1.

## §. VII.

### *Ignatij splendor, vt fulgentissimus, sic & abditissimus.*

ADstupeo totum ignescentem Ignatiũ, totum effulgentem, & miror nihilominus tantum ignem posse latere. Vt illuxit, latuit, lampadá manibus portauit iuxtá Euangelij vocem; sed de Gedæonis astu occulta lagenis, vt tenebrarum Principes deuastaret. Sic maximus ducũ Christus suos informat milites, *lucernæ ardentes in manibus vestris.* Quæ acutè, & eleganter explicat D. Petrus Chrysol. dicens: *verè portant lucernas suas, qui cum loco, proposito studio latitant, opere, virtute, meritis coruscant, ac splẽdent toto orbe terrarum.* Vnus ille lucernas Euangelij nouit portare, qui nouit simul latere, & coruscare; occultari, & fulgentissimos in terrarum orbem radios emittere. Is est Ignatius occultissimus, & lucidissimus, lucerna ardens, sed occultá lagenis. Quæcũque à manibus Ignatij prodeunt, lucernæ sunt, lampades sunt orbem illuminantes. Quòd illuminat Indos, quod tenebras hæreticorum expellit, quod barbarissimos quosque docet, quôd squalentem Apollinẽ in scholis detergit, & illustrat, opus Ignatij est. Quæ terra, quæ plagá, quę insula, quod lambulum Ignatij non excepit clarissimũ splendorem, & radios? Sanè Ignatius opere, virtute, & meritis coruscat, ac splendet toto orbe terrarum. Idem & loco, & proposito, & studio latitat, quatenus media hac in luce hoc vehementer curauit, ne ipse clarus appareret, ne quid sui nominis clareret. Hinc singulare suum opus, & lucidissimum, & clarissimum sui indicium Iesu nomine insigniuit, vt magna Iesuitarum facinora Augustissimo Iesu nomini ascripta in nullo referrent Ignatium. Liceat huc conuertere currum illum Ezechielis, quo crediderim expressam fuisse, & adumbratam hanc singularem Ignatij magnitudinem animi, qua & latuit, & simul terras illustrauit. Etenim dicit. *Vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone: & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius, & de medio ignis quasi species electri.* Hebraicè dicitur, *quasi species Chasmal.* Quam dictionem nihil significare apud omnes compertum est, imò & significari & delitescere in illa aliquid cabalisticum pluresvolũt. Quandoquidem si legas Hebræum natiuo, & proprio more, vt legendum erat, à dextra in sinistram inuenies nomẽ, quod nihil significat, si inuerso ordine à sinistrá in destram legas inuenies *Christum.* Quid plura? Hæc ignita species, nescio, an alij iustius quadret, quam ignito Ignatio, qui sic delituit in maximo opere suo, nimirum, in Iesuitarum collectione, vt si opus hoc videas de communi aliorum ordinum more, inuenies opus quod nullum fundatorem significat. Cæteri namque ordines quocumque pergunt nomen fundatoris præseferũt: statim siue à Benedicto, à Francisco, à Dominico, ab Augustino dicuntur. Iesuitarũ ordo, & vniuersas terras illustrãs peruadit, non tamen præsefert fundatoris nomen, totus in illo delitescit, & occultatur Ignatius, & nouo, & inusitato more vndique Christus, vndique Iesus manifestus apparet. Pius ille Booz apud Ruth, cap. 4. Sic propinquã monebat. *Ruth Mohabitidem, quæ vxor defuncti fuit, debes accipere; vt suscites nomen propinqui tui in hæreditate sua. Qui respondit; cedo iuri propinquitatis: neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo.* Etenim noluit legis more, sic de alieno nomine filios suos nobilitare, vt propriũ suum nomen celaret. Quod fecit Booz nubẽs Ruthæ ad nomẽ propinqui suscitandũ proprio obnubilato. De quo sic eleganter Petr. Damian. Epist. 97. fatur. *Ille gloriæ cupidus proprio nomine posteritatem familiæ conabatur ostendere,*

Luc. 12. Chrysol. Pet. Dam.

Booz

*Booz autem iustus famam proprij nominis parui pendens, diuinæ legis contentus est mandata seruare. Sed ecce illius qui suam post se memoriam anhelabat relinquere, ne nomen quidem agnoscitur: hic autem non solum in Patrum, sed & Patriarcharum cathalogo cum gloria numeratur. Ille nescitur parens esse saltem quorumlibet hominum; iste præpotentium pater factus est regum. Ille dum posteritatis memoriam concupiscit, de memoria corruit; iste qui propagando, sub nomine suo generi non consuluit, per Daurdicæ stirpis traducem, totius mundi genuit Saluatorem.* Sic Ignatius in Patriarcharum cathalogo numeratur, & illustrium virorum pater effectus quot Iesuitas dedit orbi tot genuit Saluatores, ex quo sub Iesu nomine, proprio occultato, familiam suã fecit radiare. Hæc occulti Ignatij pulchritudo, sic diuini sponsi affectum rapuit, vt in Ecclesiæ amasiæ pulchritudinibus quæcumque videretur laudatior, nunquam ab illo sine hac exceptione extollebatur, ni mirum, *absque eo quod intrinsecus latet*, quasi latentis alicuius pulchritudo iam inde existeret gratior.

*Ad illud.* Ventilabrum rusticũ, quo à grauibus dogmatis leuia discernuntur.

## §. VIII.

### *B. Ignatius rerum diuinarum, spirituumque optimus trutinator primis conuersionis suæ cunabulis.*

MAgnũm illum Athanasium, cuius trutina, abditissima grauissimaque Triados mysteria ponderabãtur, cuius labore Ecclesiastica area à prope infinitis errorum paleis purgabatur, vocat Theologus ventilabrum: an rusticus, qui disciplinis Theologicis innutritus? qui omnigena scientia madidus? qui Imperatorum Aulæ assiduus? qui Episcoporum concilijs extitit oraculum? Sanè non tam Athanasio, quam Ignatio verba aptabo. Quis rusticior quam miles, quam Cantaber plurimum vitæ suæ spatium consumens in armis? Ecce ergo tibi rusticum Ignatium triginta vitæ annos insumentem sub gladio militari gloriæ penitum, rusticum, inquã; sed tamen ventilabrum, quòd errorũm ventilat paleas, & metit granum.

Vix confracto crure nomen Christo dedit, & miles veteranus, & Cantaber nuperus Christi agonista factus eam rerum diuinarum adeptus est notitiam, qua libellum implerit regulis ad discernendum spirituũ motus, ad veritates catholicas trutinandas peraptis. Considerauit D. Hilar. Iacobum integra nocte cum Angelo luctantem, tandem fœmore percussum, & victoriam, & nominis claritatem fuisse adeptũ, adeò, vt qui luctator dicebatur, iam Israel, hoc est, videns Deum vocaretur. Hinc totius mundi mutationem præsagiens, sic fatur. *Iam vbique irreligiosum ante os eius religionem docet, iam pollutum stupris corpus, continentia purum est iam cœca quondam à cogitatione Dei mens, Israel facta est.* Non aliter ego celebrauerim Iacobæi luctaminis æmulatorem Ignatium, qui bellis, luctaminibusque insudans tandem percussus crure sic mutatur, vt qui ante prophanus, & irreligiosus, iam vbique religionem docet, religiosorũ agminum factus Doctor, & Pater: iam qui delicias, & voluptates colebat, continentiæ purus est, corpusque suum Deiparæ litando æternat voto animi puritatem, reluctante immunditiæ spiritu, imò per vitream fenestram fugiente tãti aromaticis suffitum. Qui rusticus, & barbarus Cantaber, totus Iacob; totus luctator Israel factus est, eas patitur cœlestes visiones, sic diuina rimatur, trutinat, vt quasi Deum viderit. Augustissimæ Triados difficilla scriptis enodauerit, spirituum motus trutinauerit, Catholicæ veritatis indicia dederit. Verè Iacob percussus crure, verè Israel videns Deum, verè rusticus luctator, & miles, verè ventilabrum à grauioribus dogmatis leuia discernens, à paleis grana, à fallacijs veritatem, à Satana Angelum, adeò, vt licet dæmonis fallacijs appetitus fuerit, numquam captus, & antequam Catholica censura obliterasset Erasmum, iam ipse illius opera à Societate iusserat exulare.

Hac in cautela, & spirituum discretione Israel factus est, & prorsus similis, *hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs, vt cum venerit, & pulsauerit confestim aperiant ei?* Quibus verbis, vt B. Ignatij spirituum discretionem illustrem, non grauabor huc referre illa, quæ lib. 1. cap. 7. §. 19. exarata sunt. Etenim dum dictã D. Lucæ parabolam examino, nõ facilè reperio in mundo homines adeò desides, qui reuertentẽ à nuptijs Dominũ expectent ianuis clausis, ne antequã ipse pulset,

Hilar.

Luc. 12.

& clamet, aperiant. Imò nuptiarum tempore reuertenti ſponſo cum carisſima ſodali, patent ianuæ, nemini obcluditur aditus. ſerui eo incumbunt: vt aduentanti ſponſo parata domus effulgeat, ardeant facibus balbæ, ſeſeque ardentibus facibus dent obuios famuli, ne Dominus neceſſe habeat expectare ad ianuam, multo minus pulſare, & conclamare, & pati domeſticorum illud tritum examen, quis es? Non ergo deſidioſis hominibus illis iubemur aſsimilari in hoc nuptiarum temporis examine, qui nullum habent, ſed ecceſtibus Angelis videntibus Dei faciem. Ita Nyſſen. homil. 15. in Cant. *Comparat nos Dominus cum Angelis, ſiquidem vigilanter Deo pareamus, & vos, ait, ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs, & in thalamum myſteriorum admiſſa iam ſponſa expectabant Angeli reditum Regis ad naturalem beatitudinem, & gloriam.* Sed quomodo expectabant? Sanè ianuis clauſis, vt cum venerit prius ipſe pulſauerit, & clamauerit. *Aperite portas principes veſtras, & introibit Rex gloriæ.* Ad quæ ipſi ſemel, & bis reclament examinando. *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* nec aperiant aliter. His iubemur omnes aſsimilari in recipiendo Deum, ſumma præmiſſa diſcretione, & examine: quod prænotans Dauid Pſalm. 23. incipit. *Hæc eſt generatio quærentium Deum, quærentium faciem Dei Iacob:* & ſtatim ſubdit dialogum illum, ſiue examen, nimirum, *attollite portas, & introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ?* qua ſi diceret, hic mos eſt, hæc naturalis conditio illorum, qui faciem Dei intuentur, vt intuitus eſt poſt certamen Iacob, nec ipſum Deum recipere ſine longo examine, & diſcretione maxima.

Nyſſen. Pſal. 23.

Hanc Iacobeæ prolis naturam perfectiſsimè retulit Ignatius, qui Iacob in luctis, & in confractione cruris in Iſraelem mutatus eam ex alta Dei cõtemplatione didicit cautelam, & diſcretionem ſpirituum, qua ſuos & omnes viros ſpirituales edocuit, ne parerent corde cuiuis ſpiritus motui; ſed examinarent, ſed recognoſcerent impulſum, ſed quærerent, quis eſt iſte Rex gloriæ? Sapienti, & amanti illi peccatrici ad monumẽtum apparuit ipſe Rex gloriæ Chriſtus. Tunc illa. *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum?* de quo eleganter cauit Orig. ibi: *Si forte apparuerit tibi, & deſiderio tuo ſe repreſentauerit tibi, noli à te præſumere tanquam eum cognoſcas, ſed interroga illum, & ora, vt indicet ſe tibi.* Hęc cauit Orig. hæc cauit Ignatius factus verũ ventilabrum, quod à fallacijs & ſcrupulis, & erroribus animos purificat humanos.

Ioann. 20. Origen.

## §. IX.

### *B. Ignatius opera ſua omnia ſingulis horis, imò ſingulis momentis vocat in iudicium, & examen.*

CVm Theologus Athanaſium vocauit ventilabrum, crediderim reſpexiſſe ad illud Matth. 3. de Baptiſta dictum, *cuius ventilabrum in manu eius.* Vbi communiter Doctores recognoſcunt exactum, & ſeuerum iudicium de ſingulis operibus faciẽdum: quapropter interlinealis ſuperpoſuit ventilabrum diſcretio indicij. Siquidem Ignatij opera toties examinata, tot iudicijs trutinata fuere, non absre ſanctiſsimus vir pro ſanctitatis inſigni donabitur ventilabro. Sicut enim Laurentius ferreum lectũ, Paulus gladium, & alij alia, poſſet iuſtè Ignatius ventilabrum manibus oſtentare, vt innuerẽtur crebra illa, & ſeuera iudicia de eius operibus facta. Imò verò pateret omnibus ſeuerum illud iudicium, quo ipſe ſingulis horis, ſingulis momentis ſua opera ruminabat, defectus caſtigabat, quocumque negotio eſſet intentus, quacumque ocupatione præpeditus, ea erat animi attentione in ſuos actus, vt quemuis linguæ lapſum, quemuis minutiſsimum etiam defectum perpetratum ſtatim videret, & in corde caſtigaret, & nodo in corrigia ad id deſtinata notaret, ne memoria caderet. Matth. 3.

Duplo maiorem ſpiritum, quàm Eliæ fuerit ſpiritus, concupierat ardenter Eliſæus 4. Reg. 2. & duplo maiorem ſpiritum dicitur obtenturus hac ſola conditione. *Si videris me quando tollar à te, erit quod petiſti; ſi autem non videris, non erit.* Ex quo D. Bernard. ſerm. 17. in Cant. Sic nos omnes informat. *Numquam ſine noſtra conſcientia magiſtra vnctio tollatur à nobis ſi duplicato munere volumus non fraudari.* Quaſi in hoc ſit duplicatum augmentum humanæ perfectionis, quod nullus nos defectus lateat, quod nulla à nobis perfectio abſit, quin & videamus, & ſentiamus eius abſentiã. Qui ſic ſibi attendit, & ſuis intendit actibus, vt nihil ſpiritualis perfectionis excidat ſine conſcientia, ille duplicato munere donatur. 4. Reg. 2. Bernard.

Sed quid magnum erat, quod Eliſeus videret diſcedentem Eliam, vt ideò duplicibus debuerit donari? Erat quidẽ illi ſumma cura neceſſaria qua ſingulis mon entis

debe-

debebat attendere, an Elias aduolaret. Erat
*Carthus.* illi necessaria, ait Carthus. *Incessabilis, & deligentissima directio oculorum ad Eliam,* quibus nil mirum, si accederet spiritus duplicatus. *Tales denique quærit*, pergit Bernard. *Spiritus similes hominibus expectantibus Dominum suum*, ne inscijs ipsis absit, aut trã seat. Talis erat Ignatius oculatissimus inspector suorum actuum; eo intentus, ne momento aliquo accideret perfectionis lapsus quem ipse non viderit, non fleuerit, non non tauerit; incessabili, & diligentissima directione oculorũ positus in suã perfectionem, ne vel minima abesset, sine examine, quo singulas operationes singulis momentis ventilabat. Ecce tibi quam apte ventilabrum possuimus insigne multiplicis Ignatij sanctitatis.

## *Ad illud.* Gladius vitij radices excidens.

### §. X.

### *Appetitus iugulatione perfectam animi tranquillitatem, & quietudinem obtinuit.*

QVid propriùs Agonistæ Christiano; quam gladius? Is nunquam excedit Ignatio è manibus, quo sese aduersus latro
*Cant. 3.* num insidias communiuit. Qui lectulum Salomonis cingebant: omnes tenentes gladios, & vnius cuiusque gladius super fęmur
*Nyssen.* suum, quia vt loquitur Nyssen, homil. 6. in Cant. Sordida corporum cupiditas, veluti quædam prædonum turmę menti insidiatur. Vndè necessum est, vt strenui milites sint parati pugnare, *quorum bellica peritia eo quod super fœmur paratum ensem habeant, terrorem affert; & stuporem ijs, qui noctu insidiantur.* Quo gladio perfectè se se armauit Ignatius carni, & sanguini crudele bellum indicens. Cilicium pro thorace induit, & sacco amictus aperto capite, nudis pedibus Christi ingreditur militiam: lectus erat illi dura tellus, esca ieiuniũ quotidianũ, & ter in die sese flagris crudelibus in cõflictus maiores exercebat. Hunc in dies versabat gladiũ, illoque viuidũ spiritus paradisum inaccessum latronibus reddebat.

O vos fœlices, qui tali gladio armamini, quo Cherubim à paradiso latrones arcuit, quem Abraham in proprium filium adegit. Cherubim vitæ arborem gladio igneo integram custodiuit: Abraham iusus litare Deo filium surgit à lecto, montem scandit afferens ipse gladium, & ignem. *Genes. 22.*
Quibus pulchrè Philo libr. de Cherub. *Phil.*
*An non vides; quid & sapiens ille Abraham quando incepit iuxta Deum metiri omnia nihil creaturæ tribuens, aceepit ad ignei gladij similitudinem ignem, & gladium, resecare cupiens quicquid mortale habebat, vt expedita cogitatione sublimis ad Deum euolaret.* Hoc valde etiam mirandum in Ignatio, cum primum à Deo vocatus, in arenam prosiliuit, vix insita vitæ arbor menti eius cœpit adolescere, & alter Cherub. alter Abraham nihil creaturæ tribuens omnia humana conculcans igneum gladium arripiens sic carnales omnes cupiditates ferit, sic apetitus trucidat, sic se ipsum nuditate, fame, doloribus enecat, vt inaccessus vitijs sublimis ad Deum euolet. Ad eam etiam animi tranquillitatem, & pacem peruenit, qua nullũ rebellem motum in concupiscentia experitur.

Clemens Alexandrin. in exhortatoria ad gentes, sic vniuersos Christianos *Cle. Alex.*
commonefecit. *Planta, vt cœlestis cum sit homo, vt cœlestes virtutum fructus ferat inutiles vitiorum stollones pœnitentiæ ferro circũcidat.* Tot in dies pullulant vitiorũ stollones mẽtibus nostris; vt pijssimi quique egeant quotidiano cultro, vt resecent, vt excidant. Cautior Ignatius, qui non gladium pœnitentię ad stolones misit; sed hoc gladio omnis vitij radices excidit, sicque omnem animalem vitam in se mactauit, vt puerilem innocentiam, & impatibilitatem fuerit nactus.

Reuoca in memoriam custodes illos lectuli diuinissimi Salomonis, & animaduerte, quam validi pugnatores sint effigiati; omnes gladios tenentes, vniuscuiusque ensis super fęmur suũ. Deinde apud Luc. 11. *Luc. 11.*
audi Deum, sic loquentem de illis, *pueri mei mecum sunt incubili.* Ecce tibi, & arma & acres, gladiatores, & simul pueri, infantes vocitãtur, quid tũc rei. Id eleganter in-
nuit D. Nyss. hom. 6. in Cãt. dũ fatur. *Quãdo* *Nyssen.*
*qui cingũt ensem attẽdẽdo vitæ ex virtute agẽdæ expellũt animi perturbationes, tũc infantes ætate sũt expertes eiusmodi perturbationis. Hi vero ad hũc statũ se redegerũt cõuersi, & impatibilitate effecti pueri, adeo, vt beatus in his inueniatur vel infans, vel armatus, vt armatus quidem in puritate impatibilitatis Regis*

*lectum, id est, cor suum custodiens, vt infans autem in beato lecto quiescens.* Proh Ignatius sanctissimus is es, qui accinctus pœnitentiæ glodio prosilis in arenam, tibi bellum indicis, pugnas, mactas te ipsum armatus hinc existis, sed & infans es post iugulatam animalem animam factus expers omnis perturbationis. Armatus cor tuum in accessum custodis versato igneſcente gladio puer nullos rebelles motus experiens beatissimo requiescis in lecto; Abrahamo præstantior non ad similitudinem Cherubim gladium exeris; sed Cherub. alter factus iuxta nominis huius binas ethimologias, & quasi pugnans in te bello furis, & quasi puer immensa pace, & tranquillitate frueris.

## §. XI.

### *Pœnitentia Ignatij tandem occultatur, vt abiecta specie hypochresiæ pluribus possit proficere.*

MIror in Ignatij pœnitentia id quod omnes mirari cuperem, nimirum, quòd is gladius, qui tam immaniter versatus fuit à primo conuersionis die, tandem cùm ad societatem instituendam accedit, occultatur, & quasi cooperitur, vt plures metat in aream Christi. Qui silicio opertus, & sacco, qui nudis plantis, & capite nudo incedit á principio, societatem fundaturus laneo pallio tegitur, calceos sumit, caput operit. Quid plura? Silicium mordax circa pellem manet, & desuper pallio laneo amicitur, planta pedis nuda reseruatur, quod extimum pedis est calceo cooperitur. Apage qui hypocrysis notam Ignatio, & proli inuris, quod mordax es qui gladius est, latet, occulitur, quod tuis oculis obijcimus, linum est laneum pānum est; hypocrisis linum absconderet, & saccum præseferret; verùm Ignatius sub lino, & lana gladium abscondit, vt plures venetur Christo.

*Sap.* 18. De Angelo illo in Ægyptios primo genitos fero dicitur Sap. 18. *Gladius acutus insimulatum Imperium tuum portans, & stans repleuit omnia morte.* Expende illud in simulatum Imperium, pro quo Græcè sonat, non fictũ non hypochritũ. Et sanè si Angelus reuelatũ gladium hinc inde ageret, versanſque illũ in omniũ oculis ferociret, nullus tamen Ægyptiorũ subgladio caderet notã fictionis alicuius, siue simulatio, siue hypocrisis non effugeret. Verum omnia in contrarium accidunt, quia gladius minimè apparebat, nullus mucro visebatur, & passim hinc, illinc cadebãt occisi, sanè gladius iste non hypocritù, non fictum Imperium portat, si quidem occultus, & tectus omnia mortibus replet.

Si Ignatius collecturus Societatem gladium exacutum relinqueret, saccum, silicũ nuditatem, famem ostentaret, quoties hypocrisis notã incurreret? Quoties spueretur? Quam paucos socios ascisceret? Verum sapientior ipse gladius acutus non hypocritum imperium portãs, pallio, & calceis obtegit gladij duritiem, *& stans repleuit omnia morte*, eius exemplo innumeri primogeniti, adolescentes nouiles, dibites, magnæ expectationis homines pristinam fastidientes vitam immoriuntur Christo. Hucretulerim illud Ezechiel. 21. *Dedi conturbationem gladij acuti, & limati ad fulgendum, amicti ad necem.* Cùm gladius hic pœnitentiæ splendescebat, cum saccus, cum ferrea catena, cum continua flagra, cum ieiunia, cum vigiliæ, cum nuditates: cum assidua mortificatio vissebatur, ò quam lucebat ignatij pœnitentia! O quales sanctitatis radios emittebat! Gladius limatus ad fulgendum; sed amictus ad necem, sed cùm amicitur, cum tegitur, cum linum, & lana ostenditur, & silicium, & gladius occulitur, ô quot iuuenes, quot magistros, quot viros nobiles Deo Opt. Maxim. mactat, litat! *Ezech.* 21

### *Ad illud.* Dei filius belli socium nanciscitur.

## §. XII.

### *B. Ignatius altiori, & perfectissimo modo filij Dei comes, & socius dicitur.*

DE prima, & suprema Angelorum hierarchia locutus D. Dionys. Areopag. cap. 7. hæc iuxta Ambros. Calmadulensem loquitur. *Eadem quoque ratione Iesu fælicissima Societate dignitas intelligendum, non quòd ex fictis imaginibus aut formis illa Deificam similitudinẽ nitantur exprimere; sed quod ipsis diuina imitatio excellentiori modo donata sit,* *Dionys. Ambr.*

*ta sit, communicantque quantum par est Deificis ipsius benignissimisque virtutibus.* Itaque hoc in primis pro certo habendum est, nimirum suprema spirituum agmina Iesu Societate gaudere, idque habent non quòd in se corpoream aliquam effingant figuram Christo similem; sed quòd illum altiori modo imitentur. Quam imitationem expressius posuit Ioannes Scotus sic vertēs, *quia Deo simile ipsis subiectiuè donatū est*, quasi tota similitudo, ex qua nascitur intima primæ Hierarchiæ, cum Iesu Societas consistat in similitudine subiectionis, & obedientiæ ipsus. Quæ virtus sic fuit ab Ignatio culta, vt vna illa, & se, & suos ab alijs sacris ordinibus distingui voluerit: sic enim ait epist. quam de obedientia scripsit. *Ab alijs religiosis ordinibus facilius patiamur superari nos ieiuniis, vigilijs, & cætera victus, cultusque asperitate. Vera quidem ac perfecta obedientia, abdicationeque voluntatis ac iudicij, maximè velim esse conspicuos quicumque in hac societate Deo Domino nostro deseruiūt, eiusdemque. Societatis veram germanamque sobolē hac quasi nota distingui.* Adeò obedientiæ deditus, vt si mutilla naui immensum tranare mare iuberetur, dixerit se dubio procul eam expeditionem aggressurum. Quis neget iam Dei Filij socium B. Ignatium inventum fuisse, & meritò Iesu Societate donatum? Vt potè cui diuina imitatio donata sit excellentiori modo, quatenus obedientia Christo Domino apparuit simillimus. *Ignat.*

Rursus, eamdem similitudinem exaggerant illa verba, communicantque quantum par est Deificis benissimisque virtutibus, vel vt gratius reddit præfatus Scotus: *communicant in præoperatrice virtute Deificis ipsius, & benignissimis virtutibus.* Primò Ignatius verbo similibus in præoperatrici virtute; ea enim peregit opera, quibus mille alij virtute insignes non sufficerent. Quot vias agressus est? Quot peregrinationes suscepit? Quot ciuitates adijt? Quot regiones lustrauit? Fundaturus societatem non magno hoc opere contentus, simul septem monesteria siue xenodochia, & seminaria intra vrbem ędificare nititur, & ędificat. Nec ideò se à proximorum salute procuranda alienat; imò nihil aliud agere videbatur. Rursus, simillimus filio Dei in Deificis, & benignissimis virtutibus, non ferro; sed oleo medellam afferens proximorum plagis, vt luxuriosum curet, remedium; & durum, & austerum id se suscipiens gelida immersus aqua vt Sacerdotem Deo acquirat ludibundus accedit, & ludum (qui totus serius erat) instituit, sicque, & obedientia, & præoperatrice virtute, & benignissimis virtutibus Dei filio socius apparuit, & simillimus, vt ideò, vt de alijs plurimis distinctionis signis taceamus, videretur crure vulnus accepisse, vt naturæ humanæ superatæ à Dei filio signa gestaret. Hoc dixerim, quia de lucta illa Iacobi cum filio Dei, à quo in fœmore vulneratus est, sermonem faciens Nazianzen. ait, quod illa lucta, *erat hun ani moduli cum diuina sublimitate comparatio, & contentio.* Vndè, & humanæ naturę superatę signa gestat. *Nam natura nostra si cū diuina comparetur*) ait Scholiastes) *huiusmodi collatione quasi graui dolore oppressa subclaudicat.* Igitur crure percutitur Ignatius, vt claudicatione naturæ suæ comparatione ad Dei filium oppressæ, signum gestet, quod licet Dei filio maximè appropiet, Iesuque Societate dignetur, tamen longè inferior illo est. *Genes.* *Naz.*

*Ad illud.* Spiritus hominem, qui pro ipso spiret, inuenit.

## §. XIII.

### *B. Ignatius diuino spiritu plenus in trahendis, conuertendisque hominibus Spiritus sancti munus exercebat.*

HAud facile erit perspicere quot homines Ignatij halitu, & spiratione correpti mundo renuntiarint, quippe, sic hominum corda penetrabat, sic omnium ad Deum trahebat voluntates, vt vererentur Spiritui sancto resistere, si restitissent Ignatio. Parisijs accusatus fuit, quòd Achademiam viduaret, translatis in Dei quærendi studium scholasticis; nec vllam ingressus fuit ciuitatem, quam non ignaret ab inhabitante sibi Spiritu Sancto. De Præcursore dicebatur: *& erat lucerna ardens, & lucens*, ex quo in illo adesse Spiritum sanctum arguit eleganter Cyrill. lib. 3. in Ioann. cap. 1. *Non enim*, inquit, *aliunde vim illuminandi habuit, quàm ab intellectuali hoc oleo, quo huius illuminationis ignis in nobis accenditur.* Nec Ignatius ig- *Cyrill.*

nea verbâ, quibus, & incendebat, & illuminabat omnes, haberet, niſi à ſuſcepto in ſe intellectuali oleo diuini ſpiritus.

Accipite pulchrum indicium inhabitantis ſpiritus in Ignatio. Romam ipſe petebat iam iam erecturus Societatem Ieſu, & mille difficultates rei animo verſans incidit in mentis exceſſum, & ecce tibi ſeſe illi dant obuios Pater æternus, filiuſque diuinus cruce inſignitus, qui ſuſceptum à Patre Ignatiũ ſic alloquitur. *Ego vobis Romæ propitius ero.* O maximus Patris, & Filij in Ignatium, & fauor, & amor! Sed numquid Spiritus ſanctus minus illi propitius? Cur ergo ad illum nõ venit? An, quia iam in illo, & intra illum morabatur? Simile meditatur Paſchaſius Abbas lib. de Sacra
Paſchaſ. mẽt. c. 12. Vbi expendens illa Ioann. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meũ ſeruabit, & Patermeus diligit eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Sic continuo connectit, *non quaſi prætermiſſo Spiritu ſancto; ſed ſignanter oſtendit, quod ad eos tantum Pater, & ipſe veniat, quos idem ſua præuentu aſpirationis ſanctificauerit ſpiritus.* Itaque cum Pater, & Filius cuique accedit, ideo accedit, quia priùs in illo inhabitauerat, & præparauerat Spiritus ſanctus, qui quoniam præuenerat, non apparet venire, cum Filio, & Patre. Vndè ex Patris & Filij aduentu ad Ignatium rectè elicimus, quàm ipſe poſſideret Spiritum Sanctum, quàm redundaret illius virtute, & efficacitate.

Hinc iam non miraberis, quòd ad Ignatij vocem inferorũ Imperium caderet, & Regnum peccati, imò, vt ait Ribadeneira,
Ribaden. lib. 5. cap. 6. non raro ad ſe venientium paucis verbis non ſolùm præſentem morbum depelleret, ſed ſanaret in poſterum; neque tantùm ægritudinem animi; ſed ęgritudinis quaſi radices euelleret. Sidonius Apollinar cùm aduertiſſet Gedæonis illud celeberrimum conflictum, quando ruptis lagenis, præcinentibus tubis hoſtium mille phalanges proſtrauit, ſic in diuini ſpiritus laudes ipſe cecinit.

*Firmaſti Gedæona tubis inſerte canoris,*
*Spiritus, & ſolo venit victoria cantu.*

Voce reſonante tubæ Gedæon hoſtes euertit, victoriam reportauit. Quid mirũ? Diuinus Dei halitus tubis inſertus erat, diuinus ſpiritus mediis fiſtulis perſonabat, quo inimici facilè expugnabãtur. Id quod maximè extollit Ignatium; etenim, cùm te video, ò ſanctiſsimè parens, tot hoſtes ſuperare, tot victorias acquirere, tot ægritudines depellere, totum orbem terrarũm inuadere, & expugnare, peccatorum immenſum pondus exſufflare, & vel voce, vel verbulo tanta perpetrare, non me contineo, quin in ſpiritum inhabitantem exclamem, firmaſti Ignatium, ſpiritus voci eius inſerte, & inde ſolo venit victoria cantu. Sola voce euertit regna peccati, ſolo halitu hominum animos rapit, trahit, ſolo verbo mille victorias mille triumphos à validiſsimis hoſtibus reportans cœleſti regi, cui ſemper militauit, ſummis gloriæ ſplendoribus aſsidet.

## §. XIIII.

### *Ignatij magnitudo ex Xauerio.*

SIc Apoſtolicos viros monebat Dominus apud Luc. cap. 12. nimirum, quod ſint: *Lucernæ ardentes in manibus veſtris,* Luc. 12. nil enim ſic extollit Sanctos, eorumque magnitudinem exaltat, quam plena lucernis manus. Hinc ego dum in D. Ignatij manibus lucernas quæro à quibus eius ingens ſanctitas pandatur, è multis vna, & clariſsima, & ardentiſsima lucerna, ſcilicet, ſanctiſsimus Franc. Xauier ſeſe mihi obiecit, lucidiſsimum Ignatij opus, eiuſdemque ſanctitatis teſtimonium ſingulare. Sed timebis ne Xauier in manibus Ignatij, ſit potius nubes, quæ obtegat, & obſcuret, quam lucerna, quæ apparere faciat tanti parentis virtutes maximas? Xauier ille miraculorum patrator, ille mortuorum ſuſcitator, qui ſeptem ſupra vigeſima ſepulchra vacuauit, quid cum Ignatio, cuius meritis vnus deſperatus ad hanc reductus fuit vitã mortalem? Vt hoc me expediam nodo, confidero à Chriſti Domini voce, & tactu tres, aut quatuor mortuos fuiſſe excitatos; verùm â D. Petri vel vmbrâ innumeros, ad ſalutem, & vitam fuiſſe reuocatos. Quod perpendens D. Auguſtin. in Pſalmo. 103. inquit. *Maiora videntur feciſſe Apoſtoli,* Auguſt. *quam ipſe Dominus. Sed vnde fieri poteſt, vt plus valeant ſarmenta, quam radix? Quomodo autem quaſi maiora videntur feciſſe illi, quàm ille? Ad vocem Domini ſurrexerũt mortui, ad vmbram tranſeuntis Petri ſurrexit mortuus. Maius hoc videtur quam illud. Sed Chriſtus facere ſine Petro poterat, Petrus niſi in Chriſto non poterat.* Id quod in præſenti de Ignatij & Xauerij facinoribus dixiſſem, quia Ignatius ſine Xauerio, omnia potuit, at Xauier

uier nil sine Ignatio potuit, quando ab illo virtutem hibit, & disciplinam vitæ spiritualis accepit. Quo liquet quàm superiora sint Ignatij magnalia Xauierij facinoribus. Matth. 10. dum numerantur Apostoli dicitur: *Primus Simon Petrus*, vbi dubitari posset, an Petrus dicatur primus meritis; an solum censu, quod vt scias, ait Dominus ad Petrum Luc. 22. *Ego prote rogaui Luc. 22.*
*Petre, ne deficiat fides tua, tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Vbi enim iubetur Petrus cæteros Apostolos confirmare, quam superior illis existat manifeste monstratur. Ita S. Paschas. lib. 6. in Matth. *Paschas.*
*In re igitur in meritis primus æstimatur, per quem, & in quo ad alios dona transmittuntur.* Quidquid virtutis habuit Xauier: nonne id acceptum Ignatio, & parenti, & statori referebat? Sanè B. Ennodius orat. 4. sic D. Hieronymum extollebat fatus. *Hieronymus noster, nisi præceptorem suum Gregorium B. Ennod. Hieron.*
*diceret, illo melior censeretur.* Quo ego sic adstupeo Xauerij nostri facinora, vt nisi parentem, & magistrum eius scirē Ignatium, illo meliorem Xauerium crederem. At is est Ignatius, vt ab illo nobis illuxerint Xauerij faces. Audiui Verbum diuinum dicentem de se, *quia pater maior me est*, quæ verba sæpius de doctorum calculo ruminatus, semper mirabar, cur non potius æqualitatem, & consubstantialitatem, cum patre nobis ostendebat Verbum diuinum, eamque parilem virtutem in patre, & filio prædicabat. Admirationem sublstulit Tertullianus lib. de Trinitat. fatus. *Quamuis se Tertull.*
*ex Deo patre Deum esse meminisset, numquam se Deo Patri comparauit, aut contulit memor se esse ex suo Patre, & hoc ipsum, quod est, habere, quia Pater dedisset.* Quis nesciat Verbum diuinum Patri esse omnino æquale? Tamen quia hoc ipsum, quod est filius à patre accepit, de patre quasi de superiore loquitur, vt iam nemo audeat filios cum parentibus conferre, aut comparare. Magnus equidem Xauier, sed maior Ignatius, à quo ille accepit tanquam à magistro, & parente quidquid magnum in via salutis habet.

## §. XV.

### *Ignatij, & Xauerij gloria ex Iesu.*

NE mireris cum ingentem Ignatij, & Xauerij gloriam exaggerare audias; illis viuidum Iesu nomen considera attributum, quod ferant totum per orbem terrarum. Quis non maximus Iesum circumferre posset? Num. 13. vbi de Exploratoribus mentio fit, dicitur, *abscideruni palmitem, cum vua sua, quem portauerunt in vecte duo viri.* Virile robur, & hoc duplicatum opus fuit, vt tantum botrū portarent. Hinc Matthæus cap. 10. Apostolorum memorans illos duos, & duos percensetaiens: *Simon Petrus, & Andreas, Iacobus, & Ioannes, &c.* Cuius rei hanc subijcit rationem D. Paschas. lib. 6. in Matth. nimirum. *Qui bini, ac bini quam bene iunguntur, vt botrum quo gentes inebrientur, duo, ac duo suos deferant humeris.* Hūc botrum portabat solus Xauier, quando impar oneri pene succumbens clamabat: *Sat est Domine, Sat est.* Equidem, vt botrus Iesu, quò gentes inebrientur, deferatur, non Ignatius, non Xauier, sed vterque iungitur, & hij duo tantum circunferentes botrum, & gētes spectati Regni amore trahunt, & se ingenti gloriarum mole super exaltant. Vbi Moyses in monte cum Deo erat dicitur Exodi 24. quod, *facies eius glorificata est*, at vbi inter Moysen, & Eliam Iesus in Tabor apparuit, Matth. 17. ait Textus: *Et ecce apparuerunt Moyses, & Elias in gloria colloquentes cum eo.* Quod eleganter ponderans Origen. hom. 13. in Exod. fatur. *Nihil in lege glorioſum habet Moyses, nisi solam faciem. In Euangelijs autem totus glorificatur ex integro. Audi ergo quid dicatur in Euangelio: Cum ascendisset Iesus in montem excelsum, assumens secum Petrum, & Ioannem, & Iacobum transformatus est ibi coram ipsis: & ecce apparuerunt Moysis, & Elias in gloria colloquentes cum eo. Hic non refertur, quia glorificatus est vultus eius, sed quia totus apparuit in gloria colloquens cum Iesu.* Ergo Ignatij, & Xauierij glorijs, nil amplius addendum, quando inter illos Iesus est, quando illis datur totus Iesus, vt circumferatur per vniuersum orbem terrarum. *Num. 13. Matt. 10. Paschas. Exod. 24. Matt. 17. Origen.*

## CAPVT VIII.

### De Magorum adoratione.

QVA hora Sol Iustitiæ Christus terris apparuit, præfugiens cometa, siue Angelus in modum stellæ efformatus medio in æthere Persarum regionem nouæ splendore lucis irradiat. Cuius occasione tres sapientissimi Persarum Principes Ba-

pes Balami imbuti halitu magno Iudæorum, & mundi bono Regem natum præsagiunt. Et intrinsecùs à Deo illustrati simul & impulsi reces nuatum adoraturi, potestate Regia pernicissimos camelos parant, quibus intra nouem, aut decem dies stellę cursum sequẽtes Ierosolymorum terunt arua. Ibi duos plus minus ve dies commorantes dum Regem Herodem adeunt, dum sapientes Hebræos consulunt, tandem Ierosolymis egressi, ecce quæ se illis regiam vrbem in trãtibus stella substraxerat, iterum anteambula claruit, cuius luce decimotertio profectionis suæ die solẽ Christum ingremio Mariæ matris inueniũt, adorant, munerant apertis thesauris. Hæc ex Maldonato, & alijs.

*Matth. 2. Test.* Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum.

## §. I.

### *Qui Deum confitentes quærunt medijs periculis securi existunt, imò pericula detriumphant.*

VIdeo Magos Ierosolymis, audiente Tyranno, recens natum Iudæorum Regem impune prædicere, sed & cognito Herode tunc regnante, Regia alienigenarum plena visa, nihilominus perseuerare, & venturum Regem perquirere. Cur hoc impunè? Cur tamquam auctores rebellionis, non puniuntur? Cur vel illis silentium non præcipitur? Cur non à ciuitate, vt pacis perturbatores exulant? Sanè quia confitentes Deum quæritabant. Vbi est qui natus est Rex Iudæorum. O si hæc nos vrgeret cura, vt in omnibus Deum quæreremus! Vt â singulis creaturis de Deo sciscitaremur, qua securitate, quo triũpho per media mala incidere possemus!

Bis diuina Spõsa è domo exiuit, vt absentem amorem perquireret, & primò custodum phalanges offendit: ait enim, *inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem.* Meritô sibi virgũcula timuisset nocte intempesta à tot militibus pręuenta, verùm Sponsa nil timens ex illis quærit. *Num quid quem diligit anima mea vidistis?* Et eo solum in offenso pede militum phalanges pertransit. Molestius secundo exiuit namque domo egressa ait. *Quæsiui, & non inueni illum, inuenerunt me custodes percuserunt me, tulerunt pallium meum.* Cur ita? D. Ambros. in Psal. 118. serm. 7. vers. 7. *Qua ratione supra non tulerint hæreo reperire; nisi fortè, quia ibi interrogasse se dixit, nunquid quem diligit anima mea videtis.* Hoc vno liberabimur, hoc vno medijs periculis versabimur, securi, si à singulis creaturis de Deo interrogauerimus, si nunquam ab ore excidat nomen diuinum. Hac sancta Dei inuocatione obiecta furentes sedabimus tempestates. Ecce tibi Dan. 3. missis tribus pueris in fornacẽ, furens fornacis flamma, & egrediens quoscumque accederant Kaldæorum vorabat, *erupit, & incendit quos reperit ixta fornacem de Caldæis.* Tũc Rex Nabuchodonosor perculsus miraculo benedicens puerorum Deo accessit, & ipse ad fornacem, neque illum ausa est contingere flamma. Etenim confitentes Deum ipsa verentur pericula. Sic eleganter dedit nobis notatum D. Chrysostom. hom. de tribus pueris nuper traducta. *Tunc exijt Rex ad ostiũ fornacis ignis ardentis, nec cum prope fuerit positus flamma contingitur. Necessario enim ab ipso igne cognoscitur qui Dominum cœperit confiteri, per hoc, & dixit: benedictus Deus Sidrach, Missach, & Abdenago qui liberauit pueros suos.* Si Deum confitearis, si eius nomine tua lingua personuerit, furentibus flammis, immergentibus malis, tumentibus fluctibus, notus pericula omnia diffugies. Sic Caldæus Cant. 8. ex Israelitarum sententia pronuntiat. *Omni illo tempore quo vagus eram, & extorris à mea patria. Dum recordabar nominis Dei magni: populi exteri non me contemnebant.* Imò populorum existet triũphator, qui Deum quæritando confitetur. Id quod breui, & eleganti sermone innuit Chrysolog. serm. 1. Epiphan. Vbi audiens Magos Ierosolymis quæritantes, *non interrogant; sed insultant.* Sanè interrogatio hæc in hostes vniuersos censetur insultatio, non tam inquisitio quã victoriæ, qum triumphi proclamatio. Et quis non vinceretur, non prosterneretur ab his, qui sic Deum natum quærebant, prædicabant?

*Ambr.*

*Chrysost.*

*Chrysol.*

§. II.

## §. II.

### *Qui virtuti, & pietati obsequitur nil, quod timeat, habet, mala omnia propellit.*

TImuissent (putaueris) Magi natum Regem annuntiare, si noscerent Ierosolymis rerum potitum esse Herodem Tyrannum. Porro id citò nouerunt simulque dynastarum turbationem prænotantes, nec referunt gradū, nec à recens nati inquisitione vacant. Timere nunquam sciuit, qui Deo incipit anxiè famulari, qui suum præstat obsequium pietati, & veritati. Ecce tibi Iordanis qui pernix in mare ferebatur, visa fœderis arca stetit aquis, imò retrorsum viam, & fugam arripit: is idem cum aluei sui ripas occupari à Baptista cerneret, simulque filio Dei baptizando seruire aquas, & cœlū insonare voce Patris, nec stupēs mysterijs tātis stat, nec retrorsū refugit aquis. *Chrysol.* Cur ita? Pulchrè ostendit causam Chrysol. serm. 5. de Epiphan. *Quid est*, ait, *quod Iordanis qui fugit ad præsentis amarca legalis, ad totius Trinitatis præsentiam non refugit? Quid est? quia pietati obsequitur incipit non esse timori.* Quid timerent qui nato Deo prædicando inseruiebant? Qui pietati, & virtuti in quærendo Deo obsequebantur? Ij timeant qui Deo resistunt, quamuis sibi tutissimi, & securissimi videantur: qui Deo obsequitur nil quod timeat, habet, etiam positus in nouaculæ acie. Quod acutissima obseruatione ostendit magnus Athanas. serm. de Pass. componens velum templi scissum cū tunica inconsutili Christi integra conseruata. Etenim cruci affixus Dominus. *Athan.* *Carnifices deterrebat, ne tunicam scinderent, vt ea manente, maneret Iudæorum opprobrium, quod non multo post accidit, nimirum, cum velo scisso, tunica Christi, ne à carnificibus quidem diuisa est; sed integra mansit.* Quid sanctius Iudæorum velo in templo? Quid maiori custodia, & cura asseruatum? Vigilantibus hinc inde Leuitis, custodienti turba sacerdotali; tamen nihil profuerunt vigiliæ, nihil locus munitissimus tēpli, quo minus velum scissum rueret, quando quæ inseruierat Christo Domino tunica incarnificum manibus non timet scissuram, inter spicula, inter furētes gladios triumphat conseruata. O quam impauici hostium phalanges transiremus, dum Christo Domino, dum virtuti obsequium exhibeamus.

## §. III.

### *Sic Deum quæramus quasi non soli nos simus; sed omnes idem studium habere existimantes.*

SIc Magi videntur locuti, dum quærunt: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Quasi omnes natum esse scirent. Et vero quis crederet Iudæorum natum Regem innotuisse Persis, latuisse Iudæos? Nil magis vulgo notum existimant, nil magis tritum ideo tanquam de re notissima sic medijs triuijs quærunt. Vbi est qui natus est? Felix illa sponsa, Cant. 1. diuino madida nectare *Cant. 1.* clamabat. *Osculetur me osculo oris sui.* Hinc Bernard. serm. 7. in Cant. inquit. *Gestit in osculo, petit quod cupit, non tamen nominat quem amat, quia illos nosse nondubitat. Sic, & Maria Magdalena non exprimebat ex nomine quem quæreret; sed tantum aiebat ei, quem putabat hortulanum. Domine, si tu sustulisti eū? Quem eum? Non aperit, quia planum omnibus esse credit, quod à suo cor de nec ad momentum recedere potest.* O amor humilis sanctarum animarum, quo ideo notum, & manifestū cœteris Deum putabant, quia, & sibi notū, & manifestum erat! Quod ipsæ de Deo sciuerant, quod ipsæ amabant, cur non crederēt ab omnibus alijs scitum, & amatum longe præstantius? Minimè placuit Elias orans cum dicit, *relictus ego solus*, imò fugillans illi Deus hanc persuasionem myriades ostendit sanctorum, à quibus perfectissimè colebatur. Ait enim Elias 4. Reg. 17. *4. Reg. 7.* *Ego relictus sum solus, & quærunt animam meam.* Ad hæc Eucherius. *Hæc cogitatio,* *Eucher.* *quæ tantum Prophetam de ipso deiecit fastigio meritorum, & communem hominem demonstrauit. Deinde mox eum corripit sermo diuinus. Nec enim tu es tantum, qui non adoraueris Baal: sunt mihi fideles famuli, & septē millia virorum electissima virtus, quam nec error humanus inclinare, nec innanis gloriæ cogitatio potuit eleuare.* Discant modo fideles Dei amatores, non sibi solis Deum attribuere; sed eo ipso, quod se in Dei amatorem currere vident, credant cœteros omnes præcurrisse, & Deo frui, sicque Deum

quæ

quęrant quasi bonũm notissimum cunctis. Hunc in suis affectum requiri à Deo pulchre insinuat ex Hier. 31. Diu. Athanas. serm. de Pass. & cruce, his verbis. *Et nõ docebit quisquam fratrem suum dicens, cognosce Deum, qui omnes me cognoscent à minimo vsque ad maximũ, quod misericors sim in causis eorum.* Quasi diceret hoc sibi persuadeãt mei amatores, quod omnibus est notissima mea misericordia, quod nullus se abscõdit à calore meo, fons sum patentissimus, non domui Dauid solum, sed vniuersis creaturis, sic me quærant quasi existiment me omnibus adesse patentissimum. Nec sibi soli quis putet natum Christum, sed nouerit etiam in Christiana sanctitate socios quærere, & admittere. De illis ardentissimis Seraphinis dicitur, Isaiæ 6. *Clamabantque alter, ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Ita que vnusquisque alteri dabat locum diuinã acclamandi maiestatem. Cur non potius quique incessabiliter clamabat? Id explicat D. Cyrill. Alexandrin. lib. 1. dicens. *Os eorum plenum est faustis ominationibus, ac laudibus, gloriam enim decantant, idque alternis vicibus, non quia defatigantur; sed honore sibi mutuo cedunt.* Sciunt etiam in Deo laudandõ, honoris admittere socios, ne sibi soli quique videatur cupere sanctitatem.

Hier. 31. Athan. Isai. 6. Cyrill.

## §. IIII.

### *Erubescendum fidelibus quod primum meminerint Dei nocentissimi quique.*

QVis crederet toties expectati Regis Iudæos adeò oblitos, vt primum idôlolatræ, & dæmoniorum mancipia illum adorare meminerint? Ecce tibi Iudęa Regem habet tot Prophetis decantatum, tot sæculis annuntiatum, expectatum, toties in figuris adoratũ, & alto obliuionis somno consepulta vix vocibus Magorũ, Ethnicorum præmonita puluerulentos excutit scripturæ libros, vt discat vbi Christus nasceretur. Et Magi, & Ethnici Christum iam natum intonant. Quid fideli genti verecũdius? Quærit D. Athanas. de interpretation. parab. quæst. 120. *Quis primus nominauit Deum in terra?* Et quis nominaret primus nisi Adamus, qui tot à Deo acceperat beneficia, nobilitatus cũctorũm animalium dominio ditatus fructifero paradiso? Vel saltem Eua nacta prædiuitem, & pulcherrimum maritum? Sanè post tot beneficia nec Adamus, nec Eua meminerunt nominis diuini. Qui ergo meminit primus *Diabolus cùm ad Euam diceret, quid est quod interdixit vos Deus ne comederetis de hoc ligno?* Quid Adamo, aut Euæ verecũdius, quã quod post tot beneficia Dei nominis obliuiscentes ipsi, Deum primo ab ore serpentis intonari videãt? Quam quod priores pessimi spiritus nomen Dei offensuri eius meminerint, quam nos eidẽ seruituri? O quoties vincimur in diuino obsequio à nequioribus spiritibus! O quoties præueniunt nos nocentissimi ipsi in prædicando, & laudando Deum! Tacente Iudæa dæmoniacus ille sæuissimus Matth. 8. Christum exorabat dicens. *Quid nobis, & tibi Iesu fili Dei.* Quod magno verborũ pondere sic notat Tert. aduersus Marcion. lib. 4. inquiens. *At nunc discepto, quomodo eum vocari dæmon cognouerit, nulla vnquam retro emissa prædicatione in illum.* A nullo alio didicit, à nemine Iesum filium Dei expressè adorari audiuit, ipse primus obsequium illud laudis, & prædicationis Christo exibuit, & ni dæmoniorum ora obstrueret ipse Dominus, suo obtumescente populo, passim decantaretur vocibus dæmoniacis. Aliquid tamẽ illis permisit; vt fideles suffunderemur verecũdia, muti in diuinis laudibus, Dei obliti illius, quem nequissimi, quem Ethnici de prædicant laude dignum.

Matth. 8. Tertull.

Imò ex hoc maximam filij Dei laudem prædicat Rupert. lib. 6. de Victoria Verbi Dei capit. 22. Vbi egregiè põderat, quòd impius, & superbissimus Nabuchodonosor fuerit primus, qui filium Dei celebrauerit. Ait enim Dan. 3. *Et species quarti similis filio Dei.* Ad hæc Rupert. *Speciosa victoriæ pars filij Dei, quòd illum manifesta cõfessione, prius confessus est inimicus, quã amicus. Quis enim saltẽ ex omnibus Prophetis tã apertè nomẽ istud expressit, filiũ Dei? Mundus eum non cognouit, nec solum eũ non cognouit, verum etiã annuntiationẽ de eo nec saltem Iudæus ferre potuit. Quia ergo non possent portare saltem cultores Dei, nec paterentur audire vllam esse generationẽ Dei, vllũ esse filiũ Dei. Per hunc summum ex principibus suis, quem Iudæus aut Gentilis arguere non posset, cuius opprimere os non auderet mũdus, hoc nomen primitus audiuit filium Dei.* Hæc ille; quibus vide, quam in filium Dei se inclinent Ethnici principes.

Rupert. Dan. 3.

Athan.

*Text.* Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.

## §. V.

### *Christi doctrina vna, & eadem per omnes mundi Ecclesias diuisionem maximè fugiens.*

VNus est sol, cuius vnico lumine vniuersæ fulgent cœlorum stellæ, tã quæ orientales, quã quæ occidentales illuminãt astra, vnius solis splendore candidant. Sic diuinę Iustitiæ Solis eadem lux eadem doctrina vniuersas mundi plagas peruasit, nõ alia quæ Iudæos, alia quæ Persas, alia quæ Romanos trahit; sed quæ modò Christianam Ecclesiam irradiat, & quæ Hebræos in columna ignis perduxit, & quæ in stella apparuit Persicis Magis eadem est, vnius Iustitiæ Solis fulgurat radijs. Etenim aiebant Magi. *Vidimus stellam eius in Oriente.* Non indignati Iudaici solis radijs fulgurari, imò eodem cũ Iudæis lumine ab Oriente circumfundi testantur.

Vbi diuisiones, vbi pluralitates, lex integra, & incorrupta cõseruari minimè potest, Gen. 1. Septuagint. sic fantur. *Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autẽ sciẽtiæ, ne comedatis.* Malũ prę sagiuit Ambr. à pluralitate illius verbi, *comedatis*, qui lib. de Parad. c. 5 ait. *Sciebat enim præuaricaturã mulierem, & ideo per pluralitatẽ nõ seruaturos ostẽdit, quia plurium discreta sententia est.* Damnosa legi sententiarũ pluralitas, nil perniciosius, quã arbor scientiæ, si à pluribus diuisim fructus eius gustatur, ò quot errores pullulabunt! Matth. 19. à dscipulis quærit Dominus: *Vos autem quem me esse dicitis?* Pro omnibus statim vnus Petrus respondit; *Tu es Christus filius Dei viui.* Cur id vnus Petrus? Cur nõ omnes respondet? Sanè erat pluralitas affectuum inter illos, inter quos erat Iudas & à tali multitudine nõ veritas, sed error exisseret. Id insinuabat D. Gaudent. in serm. p. ordinationis suę, dum inquit. *Dicat fortasse aliquis: sicut illos tres in camino fideles pueros ita in hoc examine omnes Apostolos consona voce, debuisse eadem profiteri. Sed considerandum, quia Iudas ille Iscariotes, quod corde non crediderat, ore confiteri non poterat.* Et vix vbi est pluralitas deficit Iudas, qui errores parturiat. Hinc Seraphini illi, qui apud Isaiam c. 6. mysterium attingebant Trinitatis: *clamabant alter ad alterum.* Vbi Origen. homil. 5. notat, *non alter ad plures, sed alter ad alterum.* Suspecta enim est pluralitas sanæ doctrinę. Hac solicitudine tactus Apostolus 1. ad Corinth. cap 11. ait. *Volo autem vos omnes vnius viri virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, corrumpantur sensus vestri à simplicitate, quæ in Christo est.* Vtinã Eua, quæ vna caro cum Adamo erat esset etiam vna mens, vna volũtas cum Adamo, nec ab illo diuideretur loco, nec diuisa suo proprio iudicio fidens hæreret scientiæ arbori. At astutissimus ille serpens timens sibi ab Euæ, & Adami vnitate diuisit illos, & seorsim Euæ obtulit scientiæ arborẽ, deinde Adamo; & cùm non vnum; sed plures facti gustum scientiæ percipiunt, ò quales mundo errores propinarunt! Noscite ergo serpentis astum, ait Paulus, pluralitatem fugite, & omnes vos per modum vnius incorruptam, & synceram Christi fidem seruate. Etenim, vt Cyril. ait in Leu. lib. 12. *Vult Paulus omnes Corinthios virginem castam exhibere Christo.* Imò omnes fideles hanc sibi maximè amandam credant vnitatem. Qua licet loco dissiti, licet moribus linguisque diuersi vnica tamen eadẽque luce gaudeant illustrari. Nec orientales splendidius, & differentius lumen sibi ad nasci putent, quam occidentalibus, sed omniũ Doctorum vna lux, vna doctrina, ab vno omniũ Sole Christo profecta noscatur.

Huc crediderim spectasse illud Psalm. 67. *Iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* Hic perstrepebãt cantibus triumphales phalanges dum Solem iustitiæ Christum versus occiduam plagam, vbi Roma sita erat Apostolorũ curru vidẽt asportari. Quod placet illustrare vnico Clemen. Alexandrin. in exhortat. ad gentes, cõmentario, ait enim. *Fiunt omnia, lux, quæ sopiri non potest, & occasus credit orienti æquè illustratus luce fidei, ac ipse oriens. Hoc noua voluit creatura: hanc lucis perpetuitatem noua creatura, hoc est, fidelis, qui filius lucis est suo quasi iure exigit. Qui enim omnia obequitat Sol iustitiæ, obijt humanitatẽ, imitans Patrem, qui æquè facit oriri Solem suum super omnes, & rorem instillat veritatis.* Ecce tibi penè innumeræ creaturæ cœlestes aliæ, terrenæ aliæ, insensibilia, & sensibilia, rationis expertes, & rationales, barbaræ, politicæ, oriẽtales, occidentales sub vna Solis luce lætantur.

*Genes. 1.* *Ambr.* *Matt. 19.* *Gaud.* *Isai. 6.* *1. Cor. 11.* *Cyrill.* *Psal. 67.* *Cle. Alex.*

tantur. Sic etiam diuini Solis lumen idem vniuersum orbem terrarũ irradiat, Iudæus & Græcus, Barbarus, & Ciuilis, Orientalis, & Occidentalis eisdem illuminantur radijs: solis lux semper eadem omnibus antiquis, & recentibus; ita prorsus iustitiæ Sol omnia obequitat imitans Patrem, qui solẽ suum facit oriri super omnes, & rorem instillat veritatis. Eius ortus apud Hiraelitas orientales ibi præfulgens in Prophetis, & Patriarchis, illuminans primò per stellam Magos, inde ad perfectum diem exsurgẽs versus occiduam regionem, nimirum, Romam iter agit, ibique exaltationem, & potestatem maximam explicauit. Et fiũt omnia lux, quæ sopiri non potest, & occasus credit orienti æquè illustratus luce fidei ac ipse oriens. Non alia lux lunæ in Synagoga, alia stellarum Persis, alia Planetarum Christianitatis; sed occidens, & oriens; sed Iudaica luna, & Christiani planetæ, & Magorũ stella vnius, & eiusdem solis luce perfunduntur omnes.

## §. VI.

### *Pudeat Doctores Euangelicos seruiliter adesse dynastis, & principibus sæculi.*

NOta diuini œconomiam pueruli vt Persarum principes traheret, non seruiliter eorum ingressus domos, vt seruilia obsequia exhibens illos affectu & officijs præhenderet; sed immissa stella eos è sublimi radiante luce pellexit. Hanc etiam mentem vt suis inijceret aiebat Matth. 5. *Vos estis lux mundi.* De quo elegauter. D. Hilarius prædicat. *Natura luminis est vt lucem quocumque circumferatur emittat, illatumque ædibus tenebras interimat luce dominante.* Expendè Hilarij singulare acumen in illis, illatumque ædibus tenebras interimat dominante lumine. Cur ergo tot Ecclesiæ lumina, tot Doctores virtute, & doctrina insignes Principum domos frequentantes illorum non interimunt tenebras? Sanè non ingrediuntur luce dominante; sed luce seruiente, & inseruiente Principum affectibus nõ ex alto libertatis Christianæ dominio fulgẽt, sed ad vilia lucra deiecti erga se affectũ obsequijs seruilibus venantur, non erga Deum pelliciunt affectum. O quam id lachrymabatur S. Nilus in ascerico. *Ad diuites accurrimus; eosque vt quod cupimus impetremus, benè meritos, & Christianorum patronos appellamus, omnesque illis virtutes inesse dicimus, quamuis in summa vitiorum fœditate volutentur. More canum, qui caudæ motu blandiore ossa, eaque etiam sine carne, aut panis micas proiectitijs adulantur.* Quam aliter antiqua fidelium lumina, Patres illi, qui tanquam stellæ fulgent in firmamento! Quàm dominante luce radiabant! Quã contemnebant omnia humana decora præter animas fidelium! *Venit quidem ad Eliseũ,* pergit Nilus, *dux Naaman Syrus, multaque munera secum attulit. Quid igitur? Propheta num illi processit obuiam? Statim ne illi occurrit? At per puerum causam, per quam venerat, aperuit, nec ad præsentiam quidem suam illum admisit, ne muneribus, quæ attulerat, eũ curasse videretur.* O quàm à sublimi illuxit stella hæc, & sic luce dominante Principem virũ restituit sanitati eripuit tenebris, summamque apud illum æstimationem accepit. Hinc Christus Dominus, qui vt pauperes piscatores eligeret, frequenter illos conueniebat sermonesque per longos cum illis habebat. Electurus prædiuitem Matthæũ non illum conuenit; *sed cum transiret Iesus,* &c. Vbi pulchrè Chrysolog. *non dixit cum staret ibi, transiuit, & pertransiuit.* Etenim non pecuniam, non diuitis fauorem, sed diuitis animam requirebat, & ideò quasi despiciens sua, neque limini diuitis hæsit, sed pertransiens, dominante luce, & minimè seruiente illũ ad se pellexit. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ,* prædicebat Malachias, quæ verba prudens Ambros. lib. 1. officior. ait. *Magnus iustitiæ splendor, quæ alijs potius nascitur, quàm sibi, excelsitatem tenet, vt sub iudicio omnia subiecta habeat, opem alijs ferat, pericula suscipiat aliena.* Expendè illud excelsitatem teneat, vt discas quàm superioribus à sedibus Ecclesiæ lumina hominibus iuuandis incũbant. Sed væ vobis qui stellarum munus in Ecclesia Dei agitis si ab alta sede vos demittatis, vt principibus præstetis seruitia. Verè vos monebat Petr. Damian. epist. 38. inquiens. *Errat, Pater, errat, qui confidit se simul, & monachum esse, & curiæ deseruire. Vndis erutus sanus est piscis, non vt sibi viuat, sed vt alios pascat. Vocamur, attrahimur; sed vt alijs viuamus, moriamur nobis: amat venator ceruum, sed vt sibi faciat cibum. Amant, & homines nos, sed non nobis, sibimet diligunt, in suas nos vertere delicias concupiscunt.* Væ qui de cœlo radiare sinit, vt torpe dedat periculis, qui Christianum dominatũ oblitus, prin-

Matth. 5. Hilar.

Nil.

Nil.

Matth. 9. Chrysol.

Malac. 4. Ambr.

Pet. Dam.

tus, principibus impendit seruitium. Sed obijcis Danielem, & Iosephum viros clarissimos, qui mundialibus regibus enixe seruierunt quidem, vt qui ex lege viuentes habebant spiritum seruitutis. Ita elegantissime Tertullian. lib. de Idôlol. inquiens. *Iam nunc, quid de Daniele, & Ioseph argumentaris? Scito non semper comparanda esse vetera, & noua, rudia, & polita; seruilia, & liberalia. Nam illi etiã serui conditione erant; tu vero nullius seruus in quantum filius Christi, qui te etiam captiuitate seculi liberauit, & forma dominica agere debebis.*

## §. VII.

### *Vera Horoscopi vis à Iesu.*

ABeste hinc ò vos nimij stellarum cultores, qui tantum stellis attribuitis, vt illarum vi etiam humanas voluntates putetis rapi. Non ea est stellarum potestas, sed Iesu virtus, qui vnus perficit, quod vulgo de stellis fabulantur. An id præcaluerunt Magi quando dicunt: *Vidimus stellam eius, & venimus?* Qua si in Christi virtute, qua sese trahi experiuntur id vere inueniant, quod in stellarum aspectibus inuenire astrologi gloriantur. Ecce ait
*Pasc.* D. Pasch. Ps. 44. *Dicitur Iesus quiddã habuisse in vultu, & in oculis sydereum, quo diuinitus per mulceret pios, & terreret reprobos. Alias enim nequaquam cum statim secuti essent Apostoli ad vnius iussionem. Nec qui ad comprehendendum eum venerãt postrati mox sola voce corruissent.* Siderea illa vis circa humanas voluntates mouendas, circa orbem terrarum fructibus fecundandum, nimis ab Astrologis decantata, verè, & cum omni effectu suo in Christo Ie-
*Amb.* su inueniebatur. Quò aptissimè D. Ambros. epist. 39. dixit. *Quid igitur opus est, vt explorem ortus signorum absque obitus, quorum ad exortũ duris inarrata vomeribus findantur noualia, vel ad occasum læta messis recumbat. Vna mihi stella abundat pro omnibus: stella splendida, & matutina, cuius ad exortum seminata est non frugum, sed martyrum seges: quando Rachel plorabat filios suos, vt lacrymis ablutos suis pro Christo offerret infantulos. Cuius stellæ obitus non cremiorum insensibilium, sed spirantium defunctorum triumphales manipulos resuscitauit.* O diuinæ stellæ vim maximam! sanè stellarum potestas quamuis ingens, tamen non dubitari licet quin repelli posset ab humana libertate, scitũ est enim illud, sapiens dominabitur astris. At Iacobeæ stellæ Iesu, quis resistere poterit? Vni illi refero verba, quæ dedit B. Ennodius in panegyr. Theodorici, fatus. *Congressui tuo nullus hostium, nisi qui laudibus adderetur, occurrit. Militauit trophais, qui restitit voluntati. Qui te in acie conspexit, superatus est, qui in pace nihil timuit.* Non reges, non tyranni Iesu resistunt voluntati, puer incunis vagit, & fortitudo Damasci ab illo, superata est, & ad se durissimos quosque trahit, tractosque custodit ne videant malum.
*Enno.*

*Textus.* Audiens autem Herodes Rex, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo.

## §. VIII.

### *Grandioris ætatis triumphos præmonstrat Dominus, cum infans adhuc tyrannos perterret, & Reges allicit.*

OMagna vis recens nati infantis, vix eius natalibus, natalitij crepitacillũ insonuit, & tota tyrãni Herodis Regia turbatur? Hinc
*Hil.* Hilar. hom. 1. de Epiphan. *Ecce iacentem in præsepio pertimescit armatus, contremescit humilem Rex superbus, & abiectam infantiam, ac vagientem expauescit ætatem.* Porrò Galenus libro, cui titulus est, an animal sit, id quod in vtero; heroum proprium affirmat à primis vnguiculis virtutem grandioris ætatis præmonstrare. Etenim ait. *Nondum natus erat Pericles Olimpius, & iam Græcos omnes ob insomnium deterrebat. Alexander nondum natus ab omnibus iã Ammonij filius dicebatur, & Regni princeps.* Ec-
*Gil.* ce tibi omnium Heroum Princips Christus recens natus non ob insonium, sed verè vigilantes tyrannos deterrebat, tenebrarum potestates debellabat, princeps Regum terræ, à tribus Regibus adoratus, inauguratus. Accinit
*Aug.* August. serm. 1. de Nat. *Hæc sunt testimonia Natiuitatis tuæ, Domine Iesu, antequam tibi fluctus substernerentur calcanti, cederent imperanti, antequam ventus, te iubente, sileret, mortuus, te vocante, viueret, Sol, te moriente, palluisset, terra, te resurgente, tremuisset, cælum, te ascendente, patuisset: antequam ista, & alia mirabilia inuenilis tui corporis ætate fecisses. Adhuc in manibus matris portabaris, & iam Dominus orbis agnoscebaris.* Iam te Dominum suum orbis terrarum verebatur, iam Reges gentium tibi famulabantur, iam tenebrosæ ingemescebant

poteſtates. Quis non lætetur, ait Euſeb. Emiſſen. dum puer noſter adhuc incunabulis vagit & Rex terræ cum omni Regno ſuo timore diſſoluitur.

*Apoc. 17.* Ecce tibi Apocalypſ. 17. mundiales phalanges claſsicum canunt. Hinc Romanorum aduolant Aquilæ, illinc Ægyptius Taurus inſultat, concurrunt Caldæi Dracones, & Tygrides Perſarum. Quos omnes vidit Ioannes, & miratus, ait. *Hi cum agno pugnabunt, & agnus vincet eos.* Ad hæc Rupert. *pulcrè cum dicere poſſet, hi cum Chriſto pugnabunt, maluit dicere, hi cum agno pugnabunt. Hoc mirabile, & laudabile eſt. Vnde ſatis eleganter in Propheta iubetur vocari nomen eius velociter ſpolia, citò prædare, quia antequam ſciat puer vocare patrem, aut matrem, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ.* Nō robuſtioris ætatis expectat annos, vix natus, & primis vnguiculis dilacerat tyrannos: ante tela contorquet in hoſtes, quam lac â matris mammillis extorquet. O belle puer, ſi ab incunabulis deterres tyrannos, proſternis Reges, mundi robur deuaſtas, quid cum adoleſcēs media in arena exerto crucis gladio inimicos prouoces in certamen? Si cum lacrymulas fundis puer, timore reples mundiales poteſtates, quid cum ſanguineos globos effundas, cùm pectora intrepidus offeras lanceæ? O quam miſerè omnes hoſtes tui cadent! O quam feliciter tui ſeruuli liberabimur.

*Rupert.*

## §. IX.

### *Hominibus, qui ſeruiunt, continuis ſubiacent calamitatibus.*

OMnis Ieroſolyma turbata dicitur; cur non turbabitur ciuitas homini ſubdita? Quis hominibus ſeruit, & non mille calamitatibus ſubiacet? Comes ille Centurio, Matth. 8. dominantium Dominum, ſupremumque, & vnicum creaturārum Monarcham, adiens, ait: *Domine, puer meus iacet in domo paralytus:* adſtupet hominis ruſticitatem Chryſolog. ſer mon. 15. *E: quomodo hic Centurio, qui ſic cognoſcit Dominum, puerum ſuum auſus eſt profiteri, quaſi neſciens ſerui peculium ad Dominum pertinere?* Gratius dixiſſet, Domine, ſeruus tuus, id enim poſtularet, & diuinus dominatus, & Centurionis comes humilitas; cur ergo ruſticitatis inuri nota voluit, dicens, *ſeruus meus?* an quia iacebat? Sanè non te offendat dixiſſe ſeruum meum, *meum dico, quia iacet, ſi tuus eſſet, Domine non iaceret.* Rectè hominis ſeruus notatur ille, qui iacet, qui infirmitatum ponderè preſſus ſolo proſternitur. Heu quantis vexātur calamitatibus, qui homini nomen dederunt, illique famulantur. Circumſpice totum hunc exercitum creaturarum terreſtrium, cœleſtium etiam, & incorruptibilium, imò, & Angelorum, eò quòd in ſeruitium, & miniſterium homini, à Deo data ſint omnia, quas præſuras, quas calamitates, quos luctus non ſuſtineat terra, non patiatur cœlum, non portent Angeli? Paul. ad Roman. cap. 8. *Vanitati creatura ſubiecta eſt, ſcimus enim, quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc.* Sanè, qui creaturam dixit non excepit cœlos, non excepit Angelos, vt rectè Cyrill. lib. 5. theſaur. cap. 7. & Theodoretus adnotarunt. Imò omnium pulcherrimè, ait Nazianzen. Theologus, oration. 1. in Iul. *Creatura omnis, & cœleſtes copiæ huiuſmodi rerum ſenſu afficientur. Nec enim ſemel tantum ingemiſcit, & parturit corruptioni ſeruiens, hoc eſt iis, qui in terra naſcuntur, & intereunt homines.* Quandoquidem omnia creata etiam cœleſtia, & Angelica homini in miniſterium, & ſeruitium ſunt data, neceſſum eſt, vt & turbationibus, gemitibus, & doloribus partuum ſubiaceant. Id quod explicatiſsimè proponit Theophylactus, ſic faſſus: *Vanitati, hoc eſt, corruptioni ſubiecta eſt creatura propter hominem. Simulatque enim corpus accepiſti mortale, & afflictioni obnoxium, eam ob rem terra etiam ſpinos, ac tribulos protulit, cœlumque vetuſtate ſqualidum, & antiquatum renouatione indiget. Ecquæ propter aliū corruptibilis facta eſt creatura, adeòque vniuerſi creatio? eo, quod hominis cauſa prorſum ſubſiſtit.* Hoc ſtipendium eſt illorum quæ hominibus inſeruiunt, quod mutationibus, quod doloribus, quòd luctibus agantur.

*Matth. 8.*

*Chryſoſt.*

*Ad Rom. 8*

*Cyrill.*

*Theod.*

*Nazian.*

*Theoph.*

*Textus.* Et congregans omnes Principes ſacerdotum, & ſcribas populi ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iuda: Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam: & tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda: Ex te enim exiet dux, qui regat populum meū Iſrael.

§. X.

## §. X.

### *Iudæis datum erat noſſe viam, & locum Domini; Chriſtianis verò, & noſſe, & quærere, & inuenire.*

SIc Michææ locum, propria, & ſine tropo interpretatione donantes Scribæ populi, locum Dominicæ natiuitatis futuram Bethleem oſtendunt; non tamen Dominum perquirunt. Data illis fuit naſcituri notitia, nati inquiſitio gentibus fuit impertita, quod in Magis ab ſtella tractis notauit Magnus Leo, ſerm. 1. dicens. *Dedit aſpicientibus intellectum, qui præſtitit ſignum, & quod fecit intelligi, fecit inquiri, & ſe inueniri dedit requiſitus.* Principi bus quidem Iudæorum dedit intellectum, qui dedit, & ſignum, verùm ibi illi conſtiterunt malitia ſua, prophetias, & ſigna videntes intellexerunt hoc ſolùm contenti. A gentibus autem, quod Deus fecit intelligi, fecit inquiri, & ſe inueniri dedit requiſitus. Diſcrimen hoc clariſsimè inuenio deſcriptum, ſi vel duo Moyſis, & Ezechielis loca componamus. Enim verò Moyſes Deuteronom. 32. exitum Iſrael ab Ægypto decantans, ſic Deũ populi ſui ducem depingit. *Sicut aquila prouocans aduolandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans expandit alas ſuas.* Ecce tibi Deum viam populo exhibentem, alaſque deſuper expandentẽ nõ quæ ferrent; ſed quæ prouocarent, quæ allicerent, quæ oſtenderent, quá, & quò illis erat conuolándum. At quî obiectus Ezechieli Cherub, nempe quadriformia animalia Chriſto Saluatori famulantia alata erant, & bobis, & leonis, & hominis, & aquilæ facies comitabantur volitantes alæ; *ſed & manus hominis ſub pennis eorum.* Aquilinas protendebant alas, & ſimul nobis porrigebant manus, quibus raperemur aduolandũ. Ita Rupert. in præſenti, lib. 1. cap. 4. *Manus*, inquit, *per familiaritatem charitatis contingimus, quibus trahimur vti per fidem, & ſpem eadem charitate optifice poſt facies, & pennas curramus.* Illis ſolæ alæ viam oſtendentes prouocabant, & ideo viam, & locum ſcientes ſiſtunt gradum; nobis alæ viam, & locum ſalutis oſtendunt. ſimulque nos prehendunt manus, & quod fecit ala intelligi, facit manus inquiri, vt ſe inueniri præbeat Dominus requiſitus. Huc forſan ſpectat illud Tertullian. *Chriſtianis ante patet cælum, quam via*, quia, nimirum, Saluatoris manibus rapti non in via deficimus, imò labores viæ neſcimus, cùm ſalutis locum potiamur.

*D. Leo.*

*Deut. 32.*

*Rupert.*

*Tertull. Aduerſus Gnoſt.*

*Text.* Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis: & mittens illos in Bethlehem dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero: & cùm inueneritis renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum.

## §. XI.

### *Nulla re efficacius ineſcarentur Magi, vt poſt adoratum Chriſtum redirent, imò volarent ad Herodem, quàm ſi ſperarent illum ad Chriſtum adducturos.*

EN dolus, & aſtutia tyranni, en quo ineſcat hamum, vt ſanctos trahat, *renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eũ.* Quid magis poſt Chriſtum cognitum, poſt Saluatorem adorãtum traheret ſanctiſsimos Reges quàm Regis præſumpta ſalus? Miror, quòd viſo Domino non ante ad Herodem, quam ad ſomnum euolarent. Stupeo, quòd relicto ſomno, imò Deo ipſo, non Regi ſaluando accurrerint? Vix latroni Deus in cruce innotuerat, & latro breuiſsimum vitæ tempus conſumpturus ſui oblitus, relinquens Deum ſocio latroni accurrit, vt reſipiſcat. *Neque tu times Deum*, inquit. Cur ô latro ſocium latronem loqueris ea in hora, quâ de tua ſalute debebas eſſe ſollicitus? Cur pretioſiſsimum vitæ tempus conſumis cum ſocio peccatore, & rebelli? propẽ te habes Deum tuum, Saluatorem tuum, alloquere illum, cur vicinum Deum pertranſiens feſtinas ad remotum ſocium latrocinij? Eleganter D. Aug. ſerm. 130. *Quis nõ admiretur, & compungatur? Nõ ſolùm enim, quod in ipſo erat; ſed & ea quæ circa ipſum erãt relinquẽs de altero curãgerebat, in cruce Doctor effectus, & corri-*

*Luc. 23.*

*Auguſt.*

*& corripiens dizens, non times Dominum tuum?* Hoc est, inuenientium Deum ingenium, vt etiam à Christo anathema fiant pro fratribus suis, vt à Deo ipso abstineant, vt proximos asferant ad salutem. Hic ardor viscera diligentium Deum potitur, hoc statim stimulantur aculeo quicumque sustinent oculos diuinos.

Cant. 2. Aiebat sponsa Cant. 2. *En ipse stat, post parietem nostrum respiciens perfenestras, prospiciens per cancellos, & dilectus meus loquitur mihi, surge propera amica mea.* Apparuit Deus mea carne indutus, me ad suum attraxit conspectum, & vix sub illius veni oculis, & loquitur mihi, vt surgam, vt properem. Quid plura? Bernard. serm. 17. in Cant. *Post hunc tantæ dignationis, & miserationis respectum sequitur vox blandè, & leniter insinuans voluntatem, quæ non est aliud, quam ipse amor, qui otiosus esse non potest, de ijs, quæ Dei sunt solicitans, & suadens. Et audit sponsa, vt surgat, & properet, haud dubium quin ad animarum salutem.* Nil à Deo reuelato, & cognito citiùs discitur, quam ad proximorũ euolare salutẽ. Ea inditur statim diligenti animo cura, vt fratri accurrat, is pũgit stimulus, vt inuentum thesaurum alijs cõmunicet. Isaias vidit Dominum, & illum anxium audiuit demittendo nuncio, dicebat enim *quem mittam, & quis ibit nobis.* Tunc Propheta præpurgatus ipse carbone ignito se se offert occisimé iturus. *Ecce ego, mitte me.* De quo Nazianzeni scholiastes Nizetas, ait. *Isaias cum remisis sibi peccatis, audisset. Quis profisceretur ad populum hũc? atq; existimaret eã ob causam nuntiũ quæri, vt pari beneficio fruerẽtur illi ad quos mitteretur præ animi lætitia se ipsũ offert, vt illis quoq; peccata remitterẽtur.* Nil magis in optatis habẽt Saluatoris amasij, quã omniũ languoribus mederi, nesciunt moras, beneficum sibi Deum experiuntur, & statim prosiliũt, vt proximos ad Deum trahant. O quam inescabantur sanctissimi illi Reges â Rege vafro! *renunciate, inquit, mihi, vt ego veniens adorem eum.* Quid hac spe efficatius ad trahendum? Qui promptiores, vt traherentur, quam illi, qui verbum patris ouiculam quærens viderant in stabulo? Putò, quôd à Dei conspectu in Herodis regiam aduolarent: nisi diuinitus impediti coacti fuissent viam mutarent.

Bernard.

Nazianz.

*Textus.* Qui cum audissent Regem abierunt; & ecce stella, quam viderant in Oriente antecedebat eos, vsque dum veniens staret vbi erat puer.

## §. XII.

### *Hominem frequentiam, & multitudinem fugientes lux cœlestis statim in rectam deducit viam.*

QVi media Ierosolymorum vrbe hausserant Magi Herodis fallacias Phariſæorum, Scribarumque vmbras cum primum vrbe excedunt, à cœlesti lumine, quo in rectam dirigantur viam, suscipiuntur. Hoc fugientium multitudinem stipendium est, vt diuino ductu agantur in rectam viam. O quam scandescebat Imperator apostata audiens Abrahamo extra hominum frequentias ducto diuinum, & solum verum numen apparuisse! Homuncionem, ait, huncque solitarium, & extra hominum cõmercia factum in sui cognitionem Deus verus vocaret: Cur non magis omnes mundi nationes? Ciuitates gentiũ populosas? Cæsarum nobilissimorum exercitus? Eleganter os perfidum obstruxit Cyrill. Alexandrin. lib. 3. pulchra, & accommodatissima vtens similitudine. *Quomodo equorum domitores non dignè illud dicerent? Si multi essent ipsis equi, quos ad cursus assuefaciant, num gregatim, aut seorsum ferrent iugum? Hoc opinor manifestum esse, quod non gregatim, sed seorsum melius cursum suum perficere docerentur.* Non turbas, neque equorum turmas gregatim sumtas ignarus domitor exercet in cursum, non omnes simul; sed singulos agit, versat, gyrat, vnum à turma seligit, & post hunc alium, sicque singulos seorsim edomat, vt singuli perfectissimè cõficiant cursum. Hic idem mos, hoc ingenium est diuinæ sapientiæ in deducendis hominibus ad rectè perficiendum cursum; nõ turmatim omnes; sed seorsim à turbis, separatim à multitudine singulos perficit, & deducit. Id quod animaduertit Tertullian. vbi ad scapul. Christianorum mores exponens inquit. *Tanta hominum multitudo pars pene maior ciuitatis cuiusque in silentio, & modestia agimus, singuli forte noti magis; quam omnes.* Expẽde illud, *singuli fortè noti magis quam omnes*; quasi id esset Christianorum insigne, quod non in multitudine, non in turbis agerent; sed seorsim, & separatim singuli disciplinam exciperent diuinam, qua fœliciter consumarent cursum. Ideo anxia illa sponsa dicebat, Cantic. 1. *Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges.* Quippe caluerat non gregatim; sed

Cyr. Ale.

Tertull.

Cant. 1.

sed seorsum equorum more perficiendum cursum. Sic magi Pharisæorum greges, Principum Ierosolymorum frequentias fugientes, stellarum agitati stimulis in rectum cursum, quo recens natum videant, diriguntur. Quo illustratur illa ponderatio D. Isidori Pelus. lib. 1. epistol. 77. scilicet. *Vsque adeò ad salutem conducit secessus ab vrbibus, vrbanisque tu multibus, vt etiam Dei filius, relictis vrbibus, eos, qui cum puritate viuunt, in montis cacumine beatos prædicarit.* *Isidor.*

*Textus.* Videntes autem stellam gauisi sunt gaudio magno: & intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum.

## §. XIII.

### *Is agnoscitur Deus, qui contraria carneæ voluntati suggerit, & persuadet.*

ECce vobis lucidissima sydera sedes habitantia crystallinas, & puer pauperculus obscuro vix egressus à stabulo, paupereque subtecto pauperis matris innitens brachijs contendunt de diuinitate. Spectat superne Angelicus exercitus, inferne totus orbis terrarum, iudicaturi astant Magi stellarum deuoti admiratores, & iudice Mago, stellæ priuantur diuinitate, & diuina agnoscitur paupertas infantis, qui adoratur. Acutissime Chrysologus sermon. 165. Magorum iudicium hoc extollit, sic fatus. *Ambulante Mago, stella ambulabat, sedente Mago, stat stella, Mago dormiente, excubat stella, sic sentit Magus, vt quia viandi par conditio est, par sit necessitas seruiendi, & stellam iam non Deum credit, sed iudicat esse conseruam, quam cernit taliter suis obsequijs mancipatam.* Non equidem Deus est, qui hominum obtemperat voluntati, qui humano nutu omnia sua metiri obligatur. Creatura est conserua, quæ sublimes occupans sedes, vt regnet, hominum cogitur inseruire palatis. At ille vnus Deus est summa potens diuinitate, qui sub seruili forma contraria suggerens voluntati hominum, nimirum, abiectionem, humiliationem, paupertatem, tollerantiam, in hæc contraria hominum animos inclinat, & trahit. Quis non Deus elatas hominum rationes, regias rationis sedes, vt greges tonsarum cogeret in stabulum? Deus ille merito adoratur à Magis, qui inusitata, imò contraria homini docet, vt homines trahat. Hinc ille huius diuini pueri minister, & Præcursor Ioannes cœpit etiam suspitionem præbere diuinitatis. Hinc an expectatissimus Messias esset quærebatur, si vel dixisset, à Principibus adorandus. Id quod egregiè expendit Eusebius, lib. 9. de demonstrat. Euangel. cap. 5. vbi ait. *Dum mecum tacitus quaro, oborta est mihi dubitatio quid tandem illud esset in Ioanne, quo capta multitudo illa admiraretur hominem, & prædicanti baptisma pœnitentiæ fidem haberet? Quidque illud, quo ducti homines vndique rebus proprijs relictis, confluerent in desertum? Quid igitur illud erat, quod admirabundos homines redderet? Num forsitam nouum vitæ? procedebat enim ex deserto inusitatum intus habitum omnem communem hominum consuetudinem declinans.* Sanè hoc vitæ genus hominum oppositum consuetudini, humanis moribus contrarium, hominibus nihilominus persuasum, & prædicatum à Ioanne, illum diuinitate vnctum commendabat, adducens Synagogæ Principes, vt illi assererent expectati Christi diuinitatem. Etenim nihil magis Deo adnatum, vt ait Cyrill. lib. 2. in Iulia. quam curam habere ne videatur hominibus gloria minor, hominum deseruiens voluntati, desiderans nobis cum momentaneas has gloriolas, & parce dimensas prosperitates. Caluit hoc felix illa Samaritana, quæ à cognito Christo hoc solum existimauit quæritandum, nimirum. *Patres nostri adorauerunt in monte hoc, & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus vbi adorare oportet?* Quod expendens Chrysostom. in nuper edita, hom. dicit. *Dominum Prophetam esse arbitrata nihil seculare postulauit, Dominum confessa est, & pecuniarum copiam non requisiuit.* O mulieris acumen, & perspicacia! simul & nouit Deum, & discit omnia contemnere sæcularia. Nec aliter Deus animis innotescit humanis, quam omnium mundialium bonorum obliuionem suggerens, & carnalibus desiderijs contraria suadens. *Euseb.* *Chrysost.*

## §. XIIII.

### *Maximum virtutis argumentum, quod Magi summis immersi gaudijs, subiectionis meminissent, & humilitatis, qua illuminantur.*

QVod inter gaudia, eaque magna non euanescat humanus animus adeo maximum est, vt hinc summa virtus commendetur Abrahami. Qui sibi prolem futuram ab ore Dei accipiens Genes. 17. *Cecidit in faciem suam, & risit*: quod meritò extollit Rupert. sic fatus. *O virum æterno risu verè dignum, & sempiternæ iucunditati bene præparatum, qui ita cecidit in faciem, vt rideret, & ita risit, vt in faciē caderet illius adorans omnipotentiam, cuius in promissione audierat singularem gratiam!* Id liceat pientissimis Magis veri Dei adoratoribus decantare, viris equidem dignis, qui sempiterna gaudia potiantur, immortalibus lætitijs bene præparati, qui ita gauisi sunt gaudio magno valde, vt procidentes in faciem caderent illius omnipotentiam adorantes, cuius in seruili forma nouerant principatum. Nec eo gaudio magno correpti humiliari, prosternique fastidiunt, nec humi prostrati ad genua que infantis prouoluti lætitiam, & gaudium amittunt; sed (vt imperfectus loquitur) nihil glorioſum videntes in puero gauisi sunt, & sic repleti gaudio cadentes in faciem ineffabilem pueri mentis oculis intuentur diuinitatem. Huc videtur spectare illud Numer. 24. *Dixit auditor sermonum Dei, qui visionis omnipotentis intuitus est, qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius.* Quorum verborum Cellensis Abbas, lib. de Panibus, cap. 13. egregius existit commentator, dum fatur. *Visum non recipit, qui non cadit, humilitas in casu, in visu intelligentia: eius nempe, qui ita cadit, aperiuntur oculi, non quomodo primis hominibus per præuaricationem; sed quomodo cæco nato per Christi illuminationem. Serpens oculos aperit ad concupiscendum; Christus ad cognoscendum, & glorificandum Deum. Serpens aperit, vt rapiat; Christus, vt eripiat. Procidens itaque ad virtutum vestigia recepit lumen oculorum.* O vos felices sanctissimi Magi, qui gaudio ingenti perfusi, sic prociditis, sic caditis ad diuini genua infantis, vt oculi vestri sub seruili forma Deum contemplari aperiantur. Prouerb. 24. dicitur. *Septies in die cadit iustus.* Cadit, inquam, non ex infirmitate, sed ex arte, vt hostem supplantet, & coronas potiatur. Hanc explicationem dedit D. Isidor. Pelus. lib. 4. epist. 158. his verbis. *Non simpliciter & absolutè dictum est, sed ideo, quia qui legitimè certat, necessario etiam athletice cadit.* Ita iustissimi Magi, dum puero prosternuntur, athleticè cadunt, vt hostem supplantent.

Genes. 17
Rupert.
Num. 24.
Cellens.
Isid. Pel.
Prou. 24.

## §. XV.

### *Magorum humilitati, qua procidentes adorant, diuinus infans, & Maria mater datur.*

NOtanter singula profert Euangelista, quæ inuenerunt Magi, quibus tam longi itineris fastidia recrearunt: inuenerunt, ait, puerum, nempe illum, quem anxie per tot rerum discrimina quæritabant; sed & aliud inueniunt, de quo ipsi vix curarant, nimirum, Mariam diuini matrem infantis. Et dum prolem vnice quærunt humi prostrati, prole, & eiusdem matre ditantur. O quam antiquitus Deum quærentium humilitas duplicia nouit præmia reportare! Ægrotanti Achaz salutis signum obtulit Isaias vates 7. cap. *Pete tibi signum in profundum inferni, siue in excelsum supra. Non petam, & non tentabo Dominum*, respondit humilis Rex, & pius. Tunc vates eleuata voce, *ecce*, ait. *Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*: qui vnum promisserat signum, post humiliatum Regem multiplicat signa nõ iam disiunctione vtens; sed & ab excelso, & à profundo humanæ salutis auctorem prænuntiat. Accipite Epiphan. in Ancorato sic fantem. *Quod Achaz per humilitatem respondit, non petam; hanc Regis humilitatem duobus signis remunerat Dominus, qui prius vnum tantũ erat pollicitus: largitur enim Dominus duo, ab excelso verbum suum, quod misit, à profundo carnẽ, quam propria voluntate verbum assumsit.* Sic Regia humilitas duplicauit salutis lucra, sic Magorum humilitas Dei verbum, & Mariam matrem inueniens duplicatas, etiam percipit laborum vsuras.

Isai. 7.
Apud Le.

*Text.* Et apertis thesaurisuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.

§. XVI.

## §. XVI.

### *Diuinum puerum subeundæ mortis fiexuris hi nuperi adoratores, maximè illustrant.*

NIl in Ecclesia magis tritum, quàm Regalium hotum munerum significationes. Etenim Regia Christi potestas auro insignitur, Deitas thure, myrrha mortalitas hominis. Quę neſcio quo sale inter alios D. Hilar. exprimit. *Oblatio*, ait, *munerum intelligentiam in eo totius qualitatis expresſit, in auro Regem, in thure Deum, in myrrha hominẽ confitendo: atq; ita per veneration em eorum ſacramenti omnis eſt conſumata cognitio, in homine mortis, in Deo reſurrectionis, in Rege iudicij.* Cur in homine meminit mortis, & in Deo reſurrectionis? Sanè infantium cunabula plauſibus omnigeniſque lætitijs cuncti mortales cõdecorant; ibi gazæ prædiuites, ibi æpul, ęibi cantus. Sic naſcente Domino. Angeli etiam tripudiant: ſoli Magi funeſta referentes munera quaſi totum diuinum natalitium deturpant. Cur cum vitę largitorem, & reparatorem adorant, ſepulchralem inſerunt puluerem? Cur Dei venerantes ortum in homine mortis conditionem fugillant? Hæccinè natalitia munera? Hæccinè diuini infantis decora? Ita prorſus: totam infantis pulchritudinem mortis vmbris, & diuinitatis ſplendoribus compoſitam veri rerum æſtimatores pronuntiant.

Veritatem mortis à Chriſto Domino depellit Marcion reputans Deo mortem indignam; quem ſic meritò Tert. pungit lib. de Car. Chr. *Sceleſtiſsimè hominum, interemtores excuſas Dei. Nihil enim ab eis paſſus eſt Chriſtus ſi nihil vitæ paſſus eſt, parce vnicæ ſpei totius orbis, qui deſtruis neceſſarium decus fidei.* Etenim nil Magis Deo decorum, quam halantia diuinitatem vulnera, nullo gratior, & formoſior Chriſtus apparuit, quàm ſub radiantis diuinitatis ſtemmate, mortalis corporis exhibitis flexuris. Quis eſt iſte formoſus in ſtola ſua? aiebant Angeli; quorum vt admirationem excutias, ait Nazianen. Theologus. *Stola corporis paſſi pulchritudinem ex aduerſo profer, quod per paſſionem exornatum, & per diuinitatem, qua nihil pulchrius illuſtratum eſt.* Vna hęc ſtola digna Chriſti diuinitate, & morte conteſta, qua nihil pulchrius, nihil glorioſus, nihil Deo elegantius confingi poteſt. *Formoſa eſt ipſius ſtola*, ait Nizetas, *hoc eſt, perpeſſum ipſius corpus, partim ob paſſionem, per quam glorificata eſt, partim ob diuinitatem, per quam illuſtrata eſt.* Hanc prædiuitem, & glorioſam Chriſti ſtolam Magi primi explicant, & vulgant, dum eorum muneribus Sacramenti omnis conſummata eſt cognitio, in homine mortis, in Deo reſurrectionis. Ecce ex myrrha, & thure, ex Deo, & homine, ex diuinitate, & morte pulcherrima pueri ſtola à Magis euulgata prælucet. Qui tunc naſcentem Deum maximè illuſtrant, cùm ſub eiuſdem diuinitate mortis poculum etiam propinant.

Hilar.

Tertull.

Nazianz.

Nizet.

## §. XVII.

### *Iudicis rigorem ſibi emolliunt, dum ſub miti ſpecie puerulum vident.*

AVreis ſopiebat vannis ſuos infantes ăntiquitas, vt inde maximarum felicitatum omen acciperent. Sic inſinuat Callimacus in Iouis hymno.

*Nemeſis ſopiuit in aureo*
*Tę vanno.*

In auro Magi dum munerant infantem diuinum conſopiti iudicij ſibi quaſi præſagire videntur. In auro, aiebat Hilarius, oſtendum Regẽ, in Rege cognitio iudicij prælucet. Sed ò vos fœlices, qui iudicem puerum obtinuiſtis, qui iudicij formam ſubmiti ſpecie potimini. Cùm Chriſtus Dominus apud Thabor lucis fulgurantis amictus induit, putat D. Baſil. tunc fulgurante Chriſti facie extremi iudicij monſtratam aliqualẽ figuram fuiſſe. *Spectaculum*, inquit, *ſplendore eorum, quæ videbantur, fulguris inſtar præſtringens oculos ſignificauit orbis terræ futurum iudicem.* Quid inde? Pergit Baſil. *O beata lumina, quæ terribilem diem iudicij in miti cernunt ſpecie! Quæ enim cernent trementes Angeli, ea læti viderunt homines.* Hinc etiam præeminet Magorum ſumma fœlicitas, qui terribilem iudicis rigorem confitentes, in munere guadere iubentur, quòd illum ſubmiti infantis ſpecie videbant. Indè beati quòd poſsint cernere eum lætitia, quem Angeli trementes vident. Quam Magorum felicitatem D. Chryſoſtom. in Cat. inſinuat, ſic inquiens. *Gaudebant oculi eorum contemptibilem puerum aſpicere, quia Spiritus in cordè eorum terribilem eum monſtrabat.* Quanto enim terribiliorem præſentiebant iudicem futurum, tantò lætiores puerum, & contemptibilem nitebantur aſpicere diſcentes non timere, quem lenem, quem blandum, quem mi-

Hilar.

Baſil.

sericordia noũerãt delinitum. O beata Christianorum lumina, quibus etiam conceditur terribilem iudicem quotidie sub miti specie conspicere!

## §. XVIII.

### *Temporalia bona maximè grauant possessores suos.*

DEI recens nati muneratores Magos sic D. Petr. Chrysol. effingit serm. 103. *Indenotus satis est vacuus adorator. Probat hoc Magus, qui onustus auro, succensus thure, sacratus myrrha Christi cunabulis inclinatur.* Sed iam expendo singula.

Onustus auro, quid aliud aurum, quàm onus? Sanè omnes mundiales diuitiæ, & deliciæ, & pulcritudines onus sunt, quo miseri possessores deprimuntur. Quid Absalonis crine pulchrius? Quid ditius? Quid pretiosius? Sed ecce 1. Reg. 14 quid sacra historia dicat. *Tondebat caput suum, quia grabaretur, cũ autem detonsus esset, ponderabat capillos capitis sui.* Expendit acutè verbum illud, *ponderabat.* D. Paul. Epist. 4. dicens. *In impij capite non aliquam virtutem, sed tantum sarcinam capillorum scriptura designat, Ponderabat*, inquit, *capillos capitis sui.* Hæ sunt mundiales diuitię, & pulcritudines, onera in comportabilia, quæ grauent, quæ deprimant possessores suos. De magno Abrahamo dicitur in Genes. *Erat autem Abraham diues valde in pecore, & argento & auro.* Vbi D. Hier. lib. 5. in Gen. *Hebræo scribitur Abraham grauis vehementer; AEgypti enim pondere grauabatur, & licet videantur diuitiæ esse pecoris, auri, & argenti tamen si AEgyptiæ sunt, viro sancto graues sunt.* Etenim mundana hæc bona siue in impij, siue in pij capite nil nisi sarcinam, nil nisi onus addent, quo deprimantur. Quam hoc D. Hieron. insederat animo, conijcere licet eiusdem epist. 34. ad Iulianum. Vbi adolescentem illum Euangelij, qui se omnia feciſſe iactabat, vehementer contristatum videns ex Domini consilio, quo omnia vendere, & pauperibus dare iubebatur sic ait. *Qui omnia se fecisse dicebat, in primo certamine diuitias vincere non potest. Vnde difficilè intrant diuites in Regna cœlorum, quæ expeditos, & alarum leuitate subnixos habitatores desiderant.* Nulli homines magis ab alarũ leuitate distant quàm qui caducis bonis, qui aûro incunbunt, vbi cœlestis habitatio non nisi alis leuitantes, & expeditos capit viros; ne cessum penè est diuites auro à celestibus sedibus exulare, ægrè, & difficulter onusti auro cœlum scandent, quando alis, & expeditione opus habent, qui illuc ascendere nitũntur. Nõ longè ab est Homerica illa ex cogitatio. Illi ad 15. Vbi Iunonem mille supplicijs ereptam, operaque Deorum cælestibus sedibus restitutam, tandem Iupiter iratus ponderosis ex auro factis catenis illam extra cœlum constringit; quo solo gloriatur omnem spem ad cœlum reuolandi succindi, etiam procurantibus Diuis; *iniecit*, ait, *manibusque canteras.*

*Ex auro solido, tibi sic per nubila cœli.*
*Suspensæ, potuere Dij haud succurrere quicquã.*

Vę qui aurô constringuntur! qui vel sanctorum iuuamine ægrè, & difficulter cœlum intrabunt. Quid plura? Elias igneo raptus curru vnico grauatur pallio, nec antea cælum scandit, quàm in terram dimittat pallium. Sic Hier. vbi suprà. *Elias ad cœlorum Regna festinans, non potest ire cum pallios; sed mundi in mundo vestimenta dimittit.* Et quem tota ignei currus pernicitas leuabat, vnum pallium grauat, deprimitque ne scandat. Quam grauedinem vt Magi diffugiant, aurum à se abdicare festinant, & apertis thesauris suis, quòd primô offerunt, quod primò, & festiniùs dant conculcandum Christo aurum est, ait enim, *obtulerum ei aurum, tus, & myrrham.* Sed age, proferam D. Isid. Pelus. acumen, qui libr. 2. Epist. 234. pulchre depingit, discrimen inter amorem voluptalis, & amorem pecuniæ. Ait enim, *corporum amorem ob eam causam pictores cum facibus, & pennis depingunt, quia nunc libidinem inflammat, nunc rursus ob saturitatem auolat. Tantum verò à pecuniæ amore abest vt pennas habeat, vt pedes quidem illi vllus vir cordatus tribuere queat. Neq; enim ingredi, atq; ab eo, qui captus est se cedere potest; verũ manus, in omnes immittens, ferro quovis, ac plumbo grauior insidet.* Ad hæc memento statuam illam regi Babilonio obiectam apud Danielem c. 2. Eius caput aureum, pectus argenteum erat, sed post, ferreas tibias digitorum partem testeam, & partem ferream habebat. Sed cur pedes cruraque ferrea? Sane vbi cor, caputque auro, & argento immersum est, non alas expectes, nec leues pedes, vt ad æternum currant, brauium, sed ferro plumboque grauiores. Do Richar. Victorin. lib. 1. de Erud. int. hom. p. c. 33. vbi sic. *Nonne tibi videtur incedere ferrea planta, qui cunctis diebus vitæ suæ commedit in tenebris? Vere Auaro nil est scelestius, qui nec proximo compatitur, nec sui miseretur. Quid tam miramur huiusmodi hominem habere tibias ferreas, cum habeat ferreas plantas?*

1. Reg. 14. Paulin.

Genes.

Hier.

Hier.

Eom.

2. Reg. 2.

Hier.

Ric. Vict.

## §. XIX.

### *Oratio Deo grata à corde vnum Deum suspirante debet prodire.*

MErito à Chrysologo introducitur Magus succensus thure, quasi inde orantis habitum iam designet, qui holocausti victima effectus terrena omnia per amoris ardorem consumat, & vnum Deum spiret. Hoc se à Pharisæo discernebat, discrimine Publicanus ille apud Luc. 18. dum orans percutit pectus pugno. Vbi Theophi. ait: *Docuit Pharisæum percutiendo pectus, quid in actu orandi præcipuè curandum, nimirum cordis contritionem, & affectum: percutit ergo pectus, quasi manu designans vnde oratio germana procedat, & vt cor ipsum, quod obdormierat, excitet Deo.* Enim verò contritio, omnibus pessundatis, in solum Deum aspirat, quare opus est, quòd pessundatis omnibus carnalibus desiderijs ardeat cor inflamatum amore diuino, vt grata Deo oratio sumet. Sic equidem orabat illa Cant. 3. quæ per desertum ascendebat: *tanquam virgula fumi ex aromatibus.* Vbi Hier. *Bene quasi virgula fumi, quia diuinis extenuata disciplinis, & concremata intus in holocaustum incendio pij amoris, & desiderio charitatis.* O quàm gratè ab hoc charitatis incendio, vbi terrena omnia concremantur, & sola diuina requiruntur fumant in Dei olfactum orationis thura! Non nisi ab incendio thus exprimit suas vires, neque oratio valet, quæ non ab animo igne purificato diuino consurgit. Hinc D. Bernard. orationis insinuans ruinam, sic inquit. *Indignus cœlesti benedictione conuincitur, qui dubio quærit affectu, qui duplici intentione petit, aliud sibi refugium parans, si fortè ea obtinere non contingat.* Ecce tibi quàm orationi suę officiant, qui non à concrematis terrenis omnibus coram Deo fumigant; sed terrenis contenti, & consolati ad Deum clamant corde diuiso. Peccator ille fratricida Cain aiebat. *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Quid ergo? renuat consolari anima tua. Hoc plora solùm aliud ne cogites quidem; sed nunc, inquit, omnis qui inuenerit me occidet me, tanquã pro magno beneficio habiturus, si prohibetur occidi.* Sic scelestus iste Deum alloquens cor terrenis desiderijs conseruabat imbutum, nullo amoris Dei ignæ calidus eructabat vana, & iniqua suspiria. Secundus ille Saul. 1. Regum 5. compunctus dixit, *Peccaui; ora Dominũ pro me.* Vtinam ibi sisteret, vtinam solum Deum placabilem requiriret, verùm continuò, subdit; *Sed nunc honera me coram populo. Ad quid tibi hæc honoratio, miser? Hæccine est illa supplicatio: peccaui, ora Dominum pro me? Sic vsque hodie, dilectissimi, cuius ad alias consolationes mens inhiat, & penitus in caducis, & transitorijs non renuit consolari, ipse sibi profectò cœlestis subtrahit gratiam consolationis.*

Huc respexisse crediderim D. Paul. 1. ad Thimot. 2. inquiens; *volo vitos orare omni loco leuantes puras manus.* Expendo illud: *leuantes puras manus:* enim verò purus non tam immunditijs, quam mistionibus opponi dicitur. Vinum purum, puram creaturam vocat, cui nihil aliud inuenitur per mistum, nimirum vino nil alterius liquoris, creaturæ nil entis increati. Sic monemus leuare in oratione à Deum puras manus, qui enim diuiso corde, & desiderijs carnalibus incumbunt, & Deo inhiant non puras leuant manus, sed fictione permistas. Explico rem exemplo triti, & famosi latrocinij, quippe fur quidam insignis manum sibi ex ligno efformarat egregiè pictam, magnitudine, & colore suis manibus per quam similem, qua manu iunctim cum vera alia manu eleuata, dum videbatur in templum leuatis manibus orare, simul astantium crumenas soluta altera vera manu perquirit, & emungit. Sic plurimi, qui externè videntur orare non leuant manus puras; sed manui-manum affictam leuantes simul ad Deum orant, & simul tacita manu, terrenis desiderijs adimplendis maximè incumbunt. Quò spectabat Isaiasc. 1. ex Dei sententia ad male orantes aiens: *Cum extenderitis manus auertam oculos meos à vobis.* Vbi D. Basil. fatur. *Obserua non esse dictum cum eleuaueritis manus vestras, sed cum extenderitis; siquidem eleuat, qui cœlestia quærit: extendit autem qui indiget corporalis subsidij.* Eia age tu qui verè oras, ligneam concrema manum, affectum carnalem adure, & combustis omnino desiderijs mundialium rerum, puras manus leuans, vnũ tibi Dei auxilium procura. Et vt eleganter concinit Naz. in Car. 3. de Virgin.

*Nec velut in lepide fieri solet orbe choreæ.*
*Hunc dextra, hunc læua tenens, quantumque propinqua.*
*Tantum etiam à Christo sis omnipotente remota.*
*Et simul addicas animum carnique, Deoq;.*

Soli Deo leuentur, denturque manus puræ, omni fictione, omni carnali desiderio consumto, cor in Deum inflammatum orationem fumiget, quæ Deo velut thuris concremati suffitus gratissima existat.

## §. XX.

### *Tribulationes, & dolores consecrant hominem.*

TAndem à Chrysolog. effertur Magus myrrha consecratus, quando quidem tribulationum myrrheus succus, laborum, & dolorum tolerantia homines in Dei obsequium & ministerium reddit consecratos. Id alibi citatus Stephanus insinuauit illis verbis, nimirum: *Tribulatio carnem pungit; sed animam vngit*, ideſt, sacro chrismate reddit cõsecratam. Alioquin non auderet sanctissimus Dauid, etsi fame pene enectus, in propositionis panes, quibus vesci solos sacerdotes consecratos decebat. Sed Dauid laicus, profugus, ad mortem petitus peruenit aliquando in sanctos hos panes, quos accipit deuorandos. Vndè pijssimus Dauid in tale sacinus audet? Cur se tali constringit piaculo, quod panes deuoret solis sacerdotibus reseruatos? Pulchrè D. Hieronym. cap. 2. in Sophon. *Dauid non erat de Sacerdotibus, nec licebat ei comedere panes propositionis: Sed quia persecutio Saul virtutum illius profectus erat, propterea infuga sua dum nescit, subitò Antistes efficitur, & accipit panes propositionis, & non violat mandatum Dei.* Qui laicus erat, & prophanus, à persecutione Saul, à tolerantia tribulationũ myrrheo chrismate inungitur, & Antistes consecratur. Sic Mater illa Machabæorum, cùm primum charissimos sibi filios immanissime cernit excruciari, cũ carnificum manibus decerpi videt, cùm ardẽti torreri sartagine, cùm à crudeli rota conspicit volutari, eos apud Nazianzen. fatur. *Euge fily mei, euge legis, canaque senectutis meæ, atque ciuitatis Antistites.* Ab vna quidẽ laborũ, & tormentorum cõsecrati tolerantia; adeò labores, tribulationes, amaritudines inungunt & consecrant humanos animos. Nescio, an hæc tribulationum virtus suboluerit etiam Paganismo. Etenim audio Mithræ sacerdotes non nisi conuitijs, & iniurijs initiatos. Sic Georg. Giral. syntagmate 7. *Neque quisquam Mithræ sacris initiari potest; nisi per quosdã gradus conuitij, quibus ostendat se sanctum.* Quem consecrationis ritum objicit Apostat. Iuliano Nazianz. orat. 1. sic dicẽs. *Mithra, ideſt sol, cui celebritates fiũt, & in primis à Chaldæis, cui Deo qui volunt initiari, duodecim contumelijs afficiũtur; & per verbera, calorem, frigus, & alia huiusmodi.* Tam verum est myrrheis tribulationum succis homines consecrari, vt id pateret ignorantijs Gentilium: Sic Magi vero iustitiæ soli ministratur myrrhâ accedunt consecrati, nimirum, per lõgi itineris incommoda, & labores nascentis numinis initiati Antistites.

*Stephan.*

*Hieron.*

*Nazianz.*

*Giral.*

*Nazianz.*

*Text.* Et responso accepto ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.

## §. XXI.

### *A Deo quodammodo recedendum est ijs, qui aliorum curam habent, vt sibi commissos tueantur.*

PRæ nimia Dei charitate optabat Paulus à Christo anathema esse pro fratribus suis; sed, & Regales Magi à Christo separantur, vt suis medelam afferant. Etenim dicitur reuersi sunt in regionem suam: cur potius, vt Christũ potirentur, regionem, & domum, & familiã, & regnum non obliuiscuntur? Enim verò si Deum sapiunt, miror quod non adhæreant, illi, quod ab illo possint separari: imò quia Deum sapiunt citissimè conuolant etiã Christo relicto, vt muneris sui in subditos officio fungantur. Id quod elegãter Imperfectus insinuans ait. *Si quasi terrenum Regem eum quæsissent, inuenientes eum, apud ipsum remansissent. Nunc autem, & hunc adorauerunt, & ad suum reuersi sunt.* Hoc maximè à terreno Rege differt Rex diuinus: terreno Regi Principes illi placent, qui propria obliti Regiæ adhærentes astant, verũ Regi diuino minimè hi principes placent; sed qui Deum adorantes in sua remeant, suisque frequentissimi adsunt. Hinc Ecclesiastici Principis reiectus fuit à Domino affectus, quo gloria Thaboris madidus aiebat. *Bonum est nos hic esse.* Cui Dominus apud Timotheum Antioch. *Quid tibi in mentem venit, Petre? tui ne solius curam geris, an non totius mundi?* Cui mundus creditus est, cui prouintia, cui Regnum, malè apud Deum audiret, si nimium deuotus, etiam vt Deo adhæreat, suorum obliuiscatur. Respuet sanè hanc nimiam erga se deuotionem ille Deus, qui pessimum Euæ à Deo recessum haberet excusatum, si illa, ne subditum sibi tristaretur, arbori appropinquaret. Sic de serpentis astu conquerenti Deus apud D. Chrysostom. respon- *Chrysost.*

dit. *Ser-*

dit. *Serpens decepit me, inquis, & comedi, ò Eua essloue viro tradidi, num & serpentem tibi tradidi?* Quasi Deus excusationem Euæ recepisset si prætextu alicuius sibi subditi esset lapsa. Excusabilis est, imò gratus est qui diuinis se negat cõspectibus vt suorũ occurrat necessitatibus, qui â Deo ad suos aduolat, qui vt sua curet, & agat, â quieta Dei contemplatione separatur. Nullaque dignus iudicabitur venia ille Pastor, qui prætextu fruendi Deum cõmissas sibi oues lupis, hisque serissimis relinquit deuorandas. Quo circa minimè prætermitenda est illa de ouibus insignis cura in Martino tantum non ad superos euolãte. Et enim ait. *Si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Quod ingenti admiratione
Bernard. prosequitur D. Bernard. in serm. satus. *O inestimabilem charitatem! O obedientiam singularem! Immolasti singulare gaudium tuum, paratus redire iterum in pericula, & à Christo tuo peregrinari diutius, si modo ipse voluisset. Magna quidẽ obedientia vestra. Angeli sancti, sed quod dicere audeam pace vestra, nescio an inueniatur in vobis quisquam paratus in tale ministerium mitti, in quo necesse habeat, non videre faciem Patris. Magnum est, Petre, quod Dominum secuturus, omnia reliquisti; sed audiui te in monte dicentem vbi transfiguratus est coram vobis, bonum est nos hic esse. Non est hoc; si adhuc populo tuo sum necessarius non recuso laborem.* Sic boni pastores à Christo etiã separari amant, vt ouibus Christi inuigilent.

## CAPVT IX.

### De occursu Domini, & Simeonis, ab illo Luc. 2. Et ecce homo erat, &c.

CVM Deiparæ pũrificationem legalem late lib. 1. cap. 11. per totum explicaueri mus, in hunc locum seruauimus qualiter Deifico infanti senes occurrerint, eiusque laudes celebrauerint. Etenim cum maternis brachijs quadragesimum diem agens templo inferretur paruulus, ecce tibi ad resignatum misericordiæ fontem candidissimi olores aduolant. Hinc senex Simeon huius horæ spe diu sustentatus vlnis excepit puerum; cuius gloriasdum canit, breuem matri dolorem, æternum Iudæorum excidium lamentatur. Illinc senex item Anna totam se fundit in pueruli laudes, miranturque vniuersi, cum audiunt Dei magnalia, redemptionemque Israelitici populi contemplantur.

*Text.* Et ecce erat homo in Hierusalem; cui nomen erat Simeon, & homo iste iustus, & timoratus expectans consolationem Israel.

### §. I.

### *Nulla consolatio bonorum expectanda homini; nisi ea, quam secum infert Christus Dominus.*

LOngæuitas iusti Simeonis hunc in illius animo inseuerat affectum, quo sibi omnibus mundialibus caueret bonis, quo splendidissima quæq; timeret bona, & sub pecta fallaciæ, & infirmitatis haberet. Vanas ergo gloriolas relinquẽs vanis eã vnã expectabat gloriã, & consolationem, quæ desiderio sui miro sanctissimos Israelitas iam diu affecit. Ea erat, quam omnes Christo introducente potirentur, hæc vna expectari postulat non timeri; hanc vnam non timebat; sed expectabat timoratus senex. Ita D. Gregor. Nyssen. *Greg.* orat. de occursu Domini, fatur. *Non ergo ad mundanam gloriam Israelis consolationem sapiẽs expectabat Simeon; sed eam, quæ est vere traductio ad veritatis pulchritudinem. Nam cum ei datum fuisset responsum fore, vt antequam è vita excederet, videret Christum Domini, expectabat fore vt spiritualiter cum eo appareret populi consolatio.* Id maximè ponderandum, nimirum, *expectabat fore, vt cum Christo appareret populi consolatio*; quasi omnes consolationes, omnes delitias & respueret, & timeret, quę sine Christo essent. Etenim præ oculis habebat populorum gloriolas halantes interitum, astabant illi consolationes toties allatæ populo suo à Moyse, à Iosue, à Mardocheo, à reliquis Saluatoribus, quam labiles fuisent, quam cito euanescebant, & quantas inde calamitates pariebant. Hinc cautus, & timoratus has mundanas glorias, & consolationes fastidiens, illã vnam gloriam, & cõsolationem in optatis habebat, quæ cum Christo Domino populo Israelitico promissa appareret. Huius spe vel solũ paradisi nomine perterritũ latronẽ ditabat Dominus â cruce, & deliniebat; dixerat enim: *hodie mecum eris in paradiso*, & dixisset plane quòd ibi D. Augustin. serm. 119. fuit com- *August.* mentus, nempe, *intra paradisum nequaquam*

*vltra*

*vltra cum Adam viſurus inferñ. Nullum illic cibum lethalem, nullam iam legem, nullam arborem pertimeſcas. Et ne forte vere aris, ne tibi aliquis hoſtis, ne antiquus ille latro inſidietur poſſeſſio tibi illic, me intro ducente, firmabitur.* Et ſanè nulla firma poſſeſsio, nulla ſtabilis conſolatio, nullum bonum ſine timore habendum eſt; niſi quod introcudente Chriſto amplectemur. Non eſt in terra paradiſus, non eſt conſolatio ſine lege, ſine lethali ſucco, ſine exercitu hoſtium inuadentium, vnus ille paradiſus, & conſolatio nobis eſt expetenda, quæ cum Chriſto nobis apparet, hæc nobis firma erit: reliquæ omnes maximè expauendæ, & exuſlandæ. Hinc gaudio plenus perſonabat Pſaltes 67. *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium, Dominus in eis.* Iam populorum vera gaudia, & ſolidam, firmamque cõſolationem præſagiẽs, eo quod Chriſtus Dominus gaudio, & conſolationibus aderat. Vt ibi Auguſt. fatur. *Mirifice, cũ dixiſſet millia lætantium, continuo ſubiecit Dominus in illis, ne miremur quod lætentur, Dominus in illis*: cum quo vno vera omnibus aduenier conſolatio:

Pſal. 67.

Auguſt.

*Textus.* Et Spiritus ſanctus erat in eo, & reſponſum acceperat à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini.

## §. II.

### *Seruorum Dei miniſterium ab ipſius præmij aliqualis largitione ſolet præueniri.*

OQuoties qui Deo ſeruiunt, antequam operis ſeu laboris conſument horam, ſe largitione præmij præuentos vident! Apoſtolica audiui lege cautum, non coronabitur niſi, qui legitime certauerit, vt ab eo expectaretur corona, qui certaminis victor arenam reliquerit. Et ecce tibi primus ille Chriſtianus athleta, qui in arenam deſcendit, medio in puluere clamat. *Video cælos apertos, & Ieſum ſtantem â dextris virtutis Dei*, quod poſt mille certamina, poſt mille mortes ſi videret, eſſet fœliciſsimus, non dum certamen definiens, & præmium iam gaudens potitur. Meritò Euſebius Emiſſen. inquit. *Vide quantum agat in pectoribus ſeruorum ſuorum diuinæ charitatis ardor, quod ſperabatur deſiderijs, oculis demonſtratur. Nec dum explet famulus miniſterium ſuum, & iam Dominus aperit regnum ſuum.* Non dũ curſum cõſumauit famulus, & coronã nõ in reliquo repoſitã appoſitã cõtẽplatur. Præ oculis habet, quod ſi tantum haberet in optatis, feliciſsimus exultaret. Sic præueniuntur iuſti præmio certaminis; ſic ante Stephanum Simeon priùs præmio dicitur donandus, quam curriculum vitæ conſumaret eiuſque oculi videbunt quod multi alij, quia deſiderarunt, in eternum beantur. Quàm verè, tam fœliciter Paulus dixit ad Philippenſ. 1. *Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Vnus mihi Chriſtus, & vitæ ratio, & mortis præmium; *quaſi diceret*, ait, Guarricus, *vt Chriſtum magnificem viuere volo tantũ, & Chriſtus eſt præmium mortis meæ.* Vide modo quid agat cum ſeruis ſuis diuina charitas Chriſtus, qui præmium eſt morientium Apoſtolorum, qui à Paulo ſperabatur, vt ſuæ mortis corona. Ante quam Simeon vita fungatur, antequam mortis vmbram videat, iam illi datur, & quod ſperabatur deſiderijs, oculis demonſtratur. Etenim Simeon accepit reſponſum, non viſurum ſe mortem; niſi priùs videret Chriſtum Domini. Itaque qui poſt mille mortes erat ſperandus, vt præmium illarum, Simeonis præuenit mortem, & ſe illi videndum exhibet. Quã diuinæ charitatis in ſuos feſtinationem. S. Ambroſ. verbis ſerm. 6. in Pſal. 118. ſpõſa diuina, ſic exprimit. *Ecce hic aduenit ſaliens ſuper montes, adhuc ego cum quæro, & illi iam venit, adhuc ego ſuffragia capto, & ipſe iam proximus eſt: Ego ſuſcitari mihi charitatem cupio, & ad me plus charitas ipſa feſtinat.* Dixiſſet ferè Simeon, ſic præuentus, ſic à Domino præoccupatus vt medijs ipſis votis, medio in puluere ante occurſus, & certaminis conſumationem iam deſiderati Chriſti oſcula præguſtaret. Hinc infamat Tertullian. Marcionis Chriſtum, qui nulla ſuorum â primordio habita ratione, tandem extremis temporibus venit opem ex tunc ſolum laturus. Etenim ait lib. 1. *Quid de tali medico iudicabis qui nutriat morbũ mora præſidij, & periculum extendat dilatione remedij, quo pretioſius, aut famoſius curet? Talis, & in Deum Marcionis dicenda ſententia eſt, mali permiſſorem, benignitatis præuaricatorem, quam monſtratim cauſæ ſuæ exhibuit.* Quaſi præuaricator eſſet bonitatis, qui retarderet auxilium.

Euſeb.

Ad Phil. 1

In Purif. ſerm. 1.

Ambr.

Tertull.

Act. 7.

Text.

*Textus.* Et venit in Spiritu in templum, & cum inducerent puerum Ieſum parentes eius, vt facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo. Et ipſe accepit eum in vlnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit.

## §. III.

### *Diuturnis virtutibus maturata expectatio in primis Deo gratiſsima, & homini vtiliſsima eſt.*

*Iſai. 28.* Qui crediderit non feſtinet, dicebat quondam Iſaias cap. 28. quippe primum, & excellentiſsimum fidei ornamentum longæua, & matura expectatio apparet. *Geneſ.* Celebres illi credentium Patres Abrahamus, & Sara qua expectatione fidem ſuam excolerent, tunc maximè declararunt, quando ſenectus ipſa, & longitudo temporis, & mortua pene membra expectationi prolis intercludebant aditum, fideles tamen viri gaudebant adhuc filium expectantes. Accipite D. *D. Zeno.* Zenon. lib. 2. ſerm. 5. hæc verba dantem. *Ecce prima deuotio libenter excipere quod ſero datur: nam & riſit Sara munus iuuentutis ſubiens in ſenecta.* Non is erat Iudæorum animus neſciens expectare, morę cuiuſcumque impatiēs vel ad tridui expectationem furens contriſtatus. *Tertull.* Id notatum reliquit Tertullian. lib. de patient. *Poſt mannæ æſcatilem pluuiam, poſt petræ aquatilem ſequelam deſperant de domino tridui ſitim non ſuſtinendo.* O gentem deſperatricem! Attendite ad petram vnde exciſi eſtis, ad Saram, quæ dilatā prolem in efœta ſenectute expectabat, & gaudens nimis ſeram, & tardam accepit. Generis ſui fœliciſsimus Simeon fœliciter paſtriſſat lætans, & exultans accepit, quod illi valde ſero dabatur, accepit, inquam in vlnis mundi theſaurum, qui longa ſæcula tardatus longiſsima expectatione viri iuſti animum ſtimularat. Vis noſcere expectantis animi conſtantiam, & meritum? Audi *Euſeb.* Euſebium Emiſſen. *Quem iam ætas de hoc ſæculo exire cogebat, Dei reſponſio retinebat, mori non poterat, dicens, ſcio quia veniet, ſcio quia videbo eū.* Ecce tibi hinc longiſsima tranſeuntia ſæcula, ætas languens, deficientes vires, tedium viuendi pulſabant iuſti Viri animum, illinc reſponſio vna diuina illum confirmabat, & hac nutritus victor temporis, ætatis, moleſtæ ſenectutis quo ſerius venit, eo gratius accepit infantem. Hæc eſt fidelis animi prima deuotio, libenter excipere, quod ſero datur: hac placuit maxime Deo feruidus ille Chriſti amator Petrus, qui nimia feſtinatione offenderat. Sic D. Auguſt. tract. in Ioann. *Auguſt.* 123. Petrum ætate iam, & puluere canum cruci religatum contemplans ait. *Hunc inuenit exitum ille negator, & amator, negando proſtratus, flendo purgatus, patiendo coronatus. Hūc inuenit exitum, vt pro eius nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo ſe moriturum peruerſa feſtinatione promiſerat.* Etenim iuuenili ardore correptus moriente Chriſto, vitam non ſuſtinebat, ſe ſe impatiens morti dabat, paratus, ait, ſum in carcerem, & in mortem ire. Qui amantis animi affectus vt nimis feſtini, & properi, ſic noctis illius duriſsimæ gelu penitus aruerunt. Sed lacrymis rediui vſque in ſenectam dilati longæui laboris continuatione maturi tandem, quod male feſtinantes amiſerant mortis præmium patienter expectantes obtinuerunt. Nec miror ſic fideles expectatores afficere Deum illum, qui amatrici matri, & immaculatiſsimę ſponſę ſe extraneū præbuit, vt ſeram expectationem, & moroſam omnibus Dei fidelibus innueret. Huc refero illud Irenæi lib. 3. cap. 18. alias obſcurum, *Iren.* nimirum: *Propter hoc properante Maria ad mirabile vini ſignum, Dominus repellens intempeſtiuam feſtinationem dixit:* quid mihi, & tibi eſt mulier? Vbi velim expendere quod præproperam feſtinationem premens etiam à matre ſibi chariſsima, & in ſcia offendere ſeſe alienat, illique ſe prærripit iturus ad eos, qui longiſsimam expectationem ſuſtentant. Hinc argutiſsimè Euſeb. Emiſſen. expectantis Simeonis glorias exemit. *Cum parentes Chriſti,* *Habentur* ait, *puerum Ieſum in templum inducerent, vt* *in homilia* *ſecundum conſuetudinem legis pro eo facerent,* *rio.* *occurrit ſenex: brachia extendit, & parentibus ait. Mihi eum date, mihi debetur.* Cur tibi â ſuis parentibus dandus puer, ò bone ſenex? Cur virgineis brachis theſaurum eripis, vt tuis ſenio confectis vlnis ſuſtentes? Cur tibi debēdus Dei, & Virginis filius vnigenitus? Sanè quia in eius expectatione arent membra, mihi debetur meritò, qui expectans conſenui, ærumnoſamque, & longiſsimam vitam eius deſiderio ſuſtento: ſcio, ſcio ingenium pueri, qui vt longæuos expectatores recreet ſe amā tiſsimis parentibus eripit, mihi eum date, mihi de-

hi debetur. At nimis feſtinantium pericula maximè cauebit, qui immaturam Aſaelis
2. Reg. 2. mortem 2. Reg. 2. meditabitur. Is dum nimis currit in victoria, occiſus eſt: de quo D. Paſ-
Paſchaſ. chaſ. lib. 5. in Thren. ait. *Aſael curſor erat velociſſimus tanquam vnus ex capreis, quæ morantur in ſyluis; neſciens veloces animi motus patiẽtia, & grauitate temperare. Vnde dum velocius ſequitur hoſtem, ictus vulnere deperiit.*

*Textus.* Et dixit, nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.

## §. IIII.

### *Chriſti Domini aduentu tempeſtiua, & matura mors fidelibus apparuit.*

CYgneum Simeonis cantum in tem-
in Cat. plo intrantis D. Gregor. Niſſen. examinans hæc fatur. *Quàm beatus ille ſacer ad ſacra introitus, per quem ad vitæ terminum maturauit!* Et pulchrè dixit: *maturauit*, vt maturum, & tempeſtiuum moriendi tẽpus à Chriſti Domini aduentu præſagiret. Enim verò ligni exciſionem naturam prædocens Caten.
Cat. cap. 31. ait. *Hanc, atque aliam materiam omnẽ cùm effodies, luna decreſcente eximito poſt meridiem ſine vento auſtro, tunc erit tempeſtatiua.* Quod etiam cauit Cic. lib. 2. de Diuinat. in hæc verba, *arbores, vt hiemali tempore cum luna ſimul ſeneſcentes, quia tunc exſiccatæ ſunt tẽpeſtiuè cædi putentur.* Sic vbi Synagogæ luna conſenuit, vbi obſcurum lumen ſuum minui cœpit, ortò Chriſto Domino, maturior, & tempeſtiuior hominum ſectio cœpit appărere. Quando ſua excellebat Synagoga accretione, ò quam acerba mors, quam dura, carcer pro carcere erat, infernus pios viros etiam ad tempus non torquebat, ſed captiuos tenebat efflorescebat adhuc lignum illud generis humani peſtis. At decreſcente Synagoga vitę arbor apparuit hominibus edenda, continuòque mortales cuncti ad ſectionem, ad placidiſsima m mortem maturuerũt. Eòque mors gratiſsima iuſtis veniet, quò tempeſtiuior, quò ruptis corporis huius carceribus in libertatem filiorum Dei eũocandum erit. Hinc eleganter Thymoth. Ieroſolym. Chriſto tem- *Tim. Ier.*
plum ingreſſo Sanctum, ſic facit ad Simeonem loquentem. *Surge ſenex, quid dormis, matura citò, præſto eſt, quite abſoluit: exeunte ne cro taphia, funeraſque ſindones, præpara ſepulchrũ, adeſt, qui te miſſum faciet: venit Emmanuel.* Et vix poſt natum Chriſtum, poſt Synagogam ſeneſcentem potuerit pius homo meliori exhilarari nuntio, quàm eo, qui funeras illi faces præferret. Cur non obiret lætans maturã, & tempeſtiuam mortem, qua ſucciſus æternę ciuitati erat addendus? Qua cun. luna, ſeneſcens ſucci venati arboris exſiccatus, tempeſtiuè ſuccidebatur, ædificio diuino reponendus? Planè Cyrill. Ieroſolym. medio è mortis *Cyrill.*
puluere ſic per Simeonis ora effingit ſibi mortalem hominem loquentem. *Exultat Adamus Chriſtum per Simeonem eiuſmodi oratione alloquens: nunc dimittis ſeruum tuum, Domine, nũc ab æternis illis vinculis me abſoluis, nunc à corruptione me eripis, nunc ab omni mœrore me expedis.* Quæ luna creſcente exciduntur arbores, corruptæ ſœtent, & à vermibus corroſæ perſtrepent; ſicque Synagoga vigente, & corruptio, & vermis vigebat, & carcer erat, & horror habitabatur inferni, & gemebũdi Sancti longa ſuſpicia edebant. Modò decreſcente Luna, Synagoga ſeneſcente, tu Domine, dum appares, dum Synagogam minuis, exſiccas viridantis arboris venenum, acerbitatem, corruptionem, vincula, ſuſpiria mortis tollis, vt tempeſtiuè, & maturè ſciſsi homines per mortem, non ad carcerem, & corruptionem; ſed ad gloriam, & immmortalitatem euolemus. Aiebat olim Plinius, lib. 28. cap. 1. Ex *Plin.*
*omnibus bonis, quæ homini tribuit natura, nullũ melius eſt, quam tempeſtiua mors.* Hæc ſolùm accidit hominibus poſt Chriſtum, cuius gratia maturi iam, & tempeſtiui excidimur aptandi in tabernacula æterna. Iam meritò dicat Beda. *Multum fœlix videbit mortem carnis qui-* *Bedą*
*cunque Chriſtum Domini prius oculis cordis videre ſatagerit.* Qui maturè, & tempeſtiuè mortem obire cupis, lunares tumores excute, te bonis temporalibus eripe, Chriſtum intuere, quo vno lætans poteris mortẽ oppetere. Heu quam acerba mors erat ante aduentum Chriſti! Geneſis 12. Abraham totus pauidus di- *Geneſ. 12.*
cebat vxori ſuæ apud Ægyptum. *Scio quòd formoſa ſis mulier, futurum itaque, vt cum te viderint Ægyptij, dicant, iſta eſt vxor eius, & occident me: dic igitur, ſoror eius ſum.* Quid ais ò bone ſenex, ſi ſoror tua dicatur Sara, rapietur in fœdum Ægyptiorum coniugium Rapietur forſan, ait ille, ſed ego viuam adeò mortem expauescebat, vt præ illa contemneret pudicitiã vxoris. Vbi pulchrè Chriſoſtom. hom. 32.

Quia

Chrysost. *Quia nondum mortis erat soluta tyrannis, propterea in adulterium consentit iustus, & quasi seruit adulterio in mulieris contumeliam, vt mortem effugiat. Erat adhuc terribilis facies mortis, nondũ erant æreæ portæ confractæ, nondumerat aculeus eius hebetatus.* Quæ omnia effecit Christus, ex quo mors apparuit facilis, & dulcis. Quod si tibi scrupulus est; quod dicatur Abraham, vt mortem fugeret, pudicitiam vxoris contempsisse, pulchre se expedit ab hoc nodo Chrysostom. orat. de S. Bernice, & Prosdoco, vbi Abraham sapientiam ex hoc facto commendat. Quia cũm pudicitiæ periculum semper instaret, & cũm haberetur Sara vxor, siue soror; & insuper adderetur periculum vitæ, si vxor putaretur, ê duobus malis euenturis, alterum sapiẽtia sua impediuit, nimirum, cẽdẽ, quod hanc æstimauerit maius esse peccatum. Et quidem cum monebat; dic quod soror mea es, potius diminutionem procurabat peccati, quod grauius esset in adulterio, & homicidio perpetrato, insuper ostẽdebat quam metuenda esset tunc mors; at post Christum nihil est

Ad Phil. 2 morte suauius. Paulus ad Philipp. 2. *Sed, & sic immolor supra sacrificium, & obsequium fidei vestræ, gaudeo, & congratulor vobis, id ipsum autem, & vos gaudete, & congratulamini.* De quo D. Chrysostom. modò citatus ait. *Quid ais? moreris, ò Paule, & ad societatem voluptatis homines aduocas. Non equidem morior, inquit, sed ad meliorem vitam ascendo. Vt igitur homines magistratum ineuntes plurimos lætitiæ sibi socios, ac participes sibi futuros accersunt, sic & Paulus ad mortem pergens, gaudij sui consortes futuros vocabat.*

*Textus.* Quod parasti ante faciem omnium populorum lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.

## §. V.

### *Christus Dominus vniuersitati hominum proficuus nascitur, non vni tantum populo.*

SImeonis in vlnis Christus Dominus appáret, qualis à Malachia olim decantabatur dum ait: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Sol, inquã, iustitiæ, nimirum, non personarum acceptor sed qui in omni gente quæ timet Deum, & operatur, iustitiam, acceptus est illi. Quam explanationem vtà D. Petro insinuatam accepit Ambros. verbis non semel allatis lib. 1. offic. *Magnus*, inquiens, *iustitiæ splendor, quæ alijs potius nascitur, quam sibi, communitatem, & societatem nostram adiuuat.* Non iam lucerna in templo Christus Iudæis illuxit; sed Sol in medio cœlo communitatem hominum indifferẽter illumina uit, paternum ingenium imitans, qui solem suum facit oriri super iustos, & iniustos. Sic lætabundus Simeon exultat, quòd de sub modio Sinagogæ exeat fulgentissima Saluatoris lux ante omnium populorum faciem micatura. Id quod eleganter expendit D. Hilar. dum explicabat illud Mat. 5. *Nemo accendit lucernam, & ponit eum sub modio, & non potest ciuitas abscondi supra montem posita*, quasi ibi innueretur, quod lumen hoc diuinum non vni Synagogæ dandum, vt paruis illius terminis maneret conclusum, quod vniuersitati hominum sufficeret. *Synagogam*, ait, *dignè Dominus modio comparat, quæ susceptos fructus intra se tãtùm receptos certum modũ dimensæ obseruantiæ continebat. Ciuitatem, carnem quam assumpserat, nuncupat; quia vt ciuitas ex varietate, ac multitudine ciuium consistit cohabitantium, ita in eo per naturam suscepti corporis quædam vniuersi generis humani congregatio continetur.* Non Synagogæ modio includẽdum nascitur salutare lumen, imô angustias dimensæ obseruantiæ fugiens, se se in ciuitatem efformat carnem subiens, vt vniuersi generis humani congregationem contineat, vt vniuersitati populorum suo proficiat lumine.

Sic Deus vniuersitatem amat, sic pluribus optat esse communis, vt nec cibum, vt aiunt, sibi gratum fumat; nisi fuerit hominum multitudini proficuus. Rectè id notauerat, quæ dixit Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Ad hæc Bernard. serm. in Nat. Virg. *Etsi iustus germinat sicut lilium; sed ad lilium sponsus pascitur, ne in singularitate complaceat sibi.* Quãtumuis sit lilium, iustus, quãtumuis floridus, si vnus est, si solus est, diuinæ non ita placebit voluntati, quæ vnum, & inuictissimum, & omnibus floridum virtutibus despexit Adamum, vt vniuersitati consuleret, etsi peccatorum tenebris inuolutæ. Ait enim: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium, &c.* Mulier ergo pro bono adijcitur Adamo: mulier, inquam, quæ peccati labe affecit mundum. Quomodo pro bono additur ista mulier? Pulchrè id dubitat, & ex-

Malach. 4

Act. 10.

Ambros.

Matth. 5.

Hilar.

Cant. 2.

Bernard.

Genes. 2.

& explicãt D. Ambroſ. lib. de Parc. cap. 10.

Ambr. *Si igitur viro culpæ auctor eſt mulier, quemadmodum pro bono videtur adiecta? Verùm ſi conſideres, quia Deo vniuerſitatis eſt cura, inuenies plus placere Domino debuiſſe id in quo erat cauſa vniuerſitatis, quàm cõdemnandum fuiſſe illud, in quo eſſet peccati.* Ecce tibi iuſtus homo virtute floridiſsimus, quia ſolus non probabatur Deo, præ amore vniuerſitatis, & multitudinis.

## §. VI.

### *Antiquos ſeruos quando Deus ob peccata illorum à cæleſti gloria eliminat, aliqua temporali gloria, antiqua illorum ſeruitia munerat.*

NAſcitur Sol iuſtitiæ, vt lumen omnibus inferret nationibus, & gloriam Iſraeli inderet, quando enim Iſrael cæcus in tenebras exteriores ceciderit, non tamen à Deo ſuo omnino inglorius abibit. Etenim is eſt Deus, qui ſeruum aliquando fidelem, poſtea rebellem, & pernicioſum non in glorium relinquat; ſed cum à cœleſti excludat gloria, humana illum & mundiali gloria muneret. Sic populo exoſo, & reprobato hanc in mundo ſingularem gloriam dedit, vt ex illo naſceretur Rex gloriæ Chriſtus, vt ſacerdotio, templo, ciuitate, lege, & fide priuatus immensè gloriari poſſet de carnali cognatione cum Dei filio. Hoc iuſtitiæ diuinæ ingenium præſagierat reprobus ille Saul, cum audita reprobante ſententia ad mundialem hunc honorem confugit.

1. Reg. 15 Ait enim. 1. Reg. cap. 15. *Peccaui; ſed nunc honora me coram ſenioribus populi mei.* Quaſi hoc neceſſum eſſet in quauis reprobatione; manere reprobato qualecumque ſuffugium, nimirum, mundialem honorem, popularemque fauorem, quo munerarentur antiquata ſeruitia. Quod præſtitit Deus etiam Iudæ omnium reproborum nequiſsimo, etenim eo ſpectabat fauor ille tanto proditori exhibitus à Domino menſa vltima. *Cum intinxiſſet panem, dedit Iudæ*: Ioann. 13. Cur Iudæ præ omnibus

Ioan. 13. panis porrigitur Dei manu intinctus? Nil tale Petro, nil tale chariſsimo diſcipulo; ſed hoc fauore, & honore horario miſer ille ab æterno prandio excluditur. Vnde Cyrill. Alexandrin. lib. 11. in Ioann. cap. 16. inquit. *Proditor non erubuit charitatem Chriſti, contempſit honorem, & gratiã eius abiecit.* Sanè maximus erat honor à ſummo creatũrarũm Imperatore exhiberi panẽ illũ diabolici furoris viro; ſed qui aliquãdo fideliter ſeruierat, nõ permittit Deus à ſe ingloriũ omnino abire. Id elegãter expendit D. Bern. in Caino ita poſt reprobationem ſuſpirante. Gen. 4. *Omnis qui inuenerit me, occidet me ſic occidendum ſeſe cauſabatur infœlix tanquam pro magno beneficio habiturus, ſi prohiberetur occidi. Quod, & factũ eſt.* O miſer, qui his gloriolis muneratus ab æterna illa beatitudinis gloria patitur exilium. Planè Deus vt ſummè miſericors neſcit ſeruum in honorum repellere. Quô reſpexit Tert. lib. 4. cõtra Mar. vbi de aſcitis Moyſe, & Helia in Taboris gloriam locutus ait. *Tradidit Deus filio diſcipulos nouos, oſtenſis prius cum illo Moyſi, & Elia inclaritatis prærogatiua: atque ita dimiſsis quaſi iam, & officio, & honore diſiunctis.* Similiter eiecturus primos illos Paradiſi incolas. Gen. 2. *Fecit eis Deus tunicas pelliceas.* Nõ enim cõſueuit Deus à ſe ablegare ſeruos in hac vita omnino in honores, & nudos. A quo non longê abeſt Moyſes Bercepha de Parad. part. 1. cap. 28. inquiens. *Cum itaque nudati iam: tum illi pudore afficerẽtur, non erat conſentaneum diuinæ miſericordiæ, nudos prorſus eliminari â Paradiſo.* Sic ille.

Bern.

*Text.* Et dixit ad Mariam mãtrem eius. Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicetur.

## §. VII.

### *Chriſtus Dominus eos impugnat, & conterit, qui tenebroſis moribus cæcutiunt, filijs autem lucis benedictionem impertitur.*

QVõ noctũis Sol durior exiſtit, eò grãtior linceis apparet oculis; ſic fulgentiſsimus iuſtitiæ Sol Chriſtus tenebricoſos homines valde offendit; filios autẽ lucis maximè illuſtrat. Quod pulchra allegoria expendit D. Cyrill. hom. Epheſi habita, dũ pernoctãti Iacobo Deũ reluctari cõſiderat; illique hæc dicere. *Dimitte me, iã enim aſcendit aurora.* Tũc ſic Cyrill. *Chriſtus luctatur, & pugnat aduerſus eos, qui velut in nocte, & tenebris verſantes caligi noſum*

Tom. 6. Conc. Epheſ. c. 5. Gen. 32.

*nostrum cor possideant. At verò cum illis non pugnat, qui sunt in luce, spiritualemque auroram in mente habent.* Væ illis, quorum oculi obtenebrati sunt, quippe offendent ad lapidem pedem suum viuo, & angulari lapidi Christo incidētes misera contritione peribunt. Infœlix ille proditor Iudas Magistrum, venditurus exiuit, & notanter Ioan. cap. 13. edixit: *Erat autem nox*, vt cœcam eius animi noctem exprimeret, tenebricosumque illius cor induceret. Continuo ad illum Christus Dominus. *Quod facis, fac citius.* Quæ verba vt commina toria, durumque, & crudele duellū halantia egregia explicat similitudine idē Cyrill. lib. 9. in Ioann. c. 17. *Quemadmodum si vir fortis, aduersus quē quispiā feratur; ipse verò viribus suis fretus dicat magna voce, quod facis, fac citius vt mea dextera vires experiaris.* Sic hostes in se armatos exagitare solēt viri fortissimi: eia agite: cōcurrite, meū ferrum expectat mors impatiens, quod ego possim, quàm mea dextra ualeat experiemini. His etiā caliginosa corda Christus Dominus exagitat armatus in viros tenebrosos durus debellator aduersus eos, qui nocturna cœcitate versantur.

Ioan. 13. Cyrill.

Vos Iudæos compello, qui vt tenebrosi, & cœci Christum Domini lapidem angularem incurristis, sic misere lapsi durissimam ab illo contritionem estis passi, at cum primū tenebris exclusis, lux veritatis animos vestros iradiet, erecti in nouam spem, cœlestem benedictionem hæreditabitis. Sit huius veritatis illustrator Tertullian. lib. de Trinit. vbi dictam Iacobi nocturnam luctam sic examinat. Quare Iacob, qui ad tenendum hominē, cum quo luctabatur fortior inueni tur, & benedictionem ab eo, quem detinebat, postulat, quia iam Lucifer oritur? Ideò postulasse reperitur, quoniam præfigurabatur contentio hæc inter Christum, & filios Iacob futura, quæ in Euangelio dicitur perfecta. *Contra hunc enim hominem colluctatus est populus Iacob in qua colluctatione potentior populus est Iacob repertus, quippe cùm aduersus Christum iniquitatis suæ victoriam sit consequutus, quo in tempore propter facinus quod admisit, incessu fidei propriæ, & salutis claudicare grauissimè incertus, & lubricus cœpit, qui quamuis superior damnando Christum repertus; eget tamen ipsius misericordia; eget tamen ipsius benedictione.* Ecce vobis ex quoad hunc lapidem viuum pedem suum Iacobea proles offendit, misere incedere, & in salute claudicare cœpit, & quamtumuis in Christum Domini insultarit, eumque morte damnarit pessima, adhuc exclusis tenebris. cùm primùm Lucifer veritatis eluxerit, benedictionem illius anxiè contendet, & fœliciter obtinebit, vt appareat quàm sit Christus Dominus multorum ruina, & resurrectio.

Tertull. Genes. 32

## *Textus* Et tuam ipsius animam doloris gladius pertransiuit, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

## §. *VIII.*

### *Christus Dominus matrem creaturis omnibus imperaturam gladio subiecit doloris, vt illi humanitatem in subditos homines innueret.*

PEstiferæ Iudæorū cogitationes cùm apparuerūt, palàmque in Christū rebellarūt, apparuit simul doloris acutissimus gladius, qui maternum trāsuerberauit pectus. De quo matris Dei dolore satis diximus lib. 1. cap. 12. per totum. Id modò nouum mihi accidit gladij concepto verbo, quòd orbi imperatura Virgo sub doloris gladio effigietur. Cuius rei dum causam quæro, incido in Tert. verba, quibus Scapulam præsidē humanitatem in Christianos ita perdocet *Potes, & officio iurisdictionis fungi, & humanitatis meminisse, vel quia & vos sub gladio estis.* Et quis se sub gladio videns humanitatē obliuisceretur? Humanitati non insuesceret? Hoc ego consilio crediderim (si fas est dici) omnium creaturarum Reginam Virginem gladio fuisse doloris a Domino subiectam, vt humanitatis meminisset quando à miseris, infirmisque hominibus compellaretur. & ex illis humilis, benigna, gratiosaque appareret. Tertull.

Imperatūrum cœteris animal efficiens Deus, statim de non edendo præcepto subiecit; Cur ita? Sanè vt ciuilem, & humanum, & non supercilio sum faceret in subditos Regem. Sic D. Cyrill. Alexandrin. lib. de adorat. in spiritu. *Etenim*, ait, *nobilitatis immodica amplitudo superciliosam affert affectationem, ea propter data est lex continentiæ, quæ Dominum agnosceret, vt per eam ad memoriam semper vocaretur eius, qui tanta cum potestate imperauerat, & sciret manifestè se imperantis legibus subiugatū.* Porrò nihil efficacius seuerum superciliū depellit, humanitatēque perdocet, Cyrill.

quam eâ consideratio, quâ quis se alterius iugo prospicit subiacere. Quis Centurionem illum Euangelij adeò humanum, & benignum reddidit in infirmantẽ seruulum? Egreditur domo, adijt salutis Auctorem, prosternitur, precatur enixè salutem seruuli, vel vnum verbulum à Domino contendens. *Tãtùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* Vndè tanta humanitas Domino Ethnico? Audi illum quasi rationem reddentem. *Nam, & ego homo sum sub potestate constitutus.* O quàm humanus in suos, qui se alteri meminit subiacere! Si homo es, & te sub gladio constitutum attentè cernis, cur humanitatem non ebibis? Cur infirmanti seruulo non attendis? Sanè Dominus matrem suam omnium creaturarum Reginam sub doloris gladio posuit, vt ex ijs, quæ passa est, disceret infirmantibus mederi seruulis, vt se omnibus dolorum legibus subiugatam experiens, non superciliosa; sed benigna sed grata, sed humana fiat creaturis similia patientibus.

*Matth.* 8.

*Textus* Et erat Anna Prohetissa filia Phanuel de tribu Asser: hæc processerat in diebus multis, &c.

## §. IX.

### *Christus Dominus à senibus viris facilè inuenitur.*

IN Salũatoris expectatione senescentem hãc fœminam, & Simeonem contemplatus D. Bernard. serm. 2. pulchrè dicit. *Hodie placabilis, & Deo placens hostia, virgineis manibus offertur in templo, à parentibus portatur, à senibus expectatur.* A senibus, inquam, expectatur: etenim maturi mores Christum Dominum facilè inueniunt: Christum Dominum senes amant, illiusque maximô afficiuntur desiderio. Dicebat Libellus Astronomicus à nescio quo Chaldæ exaratus de turture, si turtur in lapide nigro, de quo parangones fiunt, nimirum in Lidio lapide reperta fuerit, is qui talem effigiem habuerit, *à senibus diligetur.* Ecce tibi Christus Dominus verè Lidius lapis, lapis, inquam, quo aurei hominũ probantur mores, vna cum turture templum ingreditur, inde iam clarissimum omen prætendens, quòd à senibus diligetur, quòd eius in amore senes inardescent.

*Bernard.*

Senectute grauis Iacob Genes. 42. conũcat filios vniuersos penè famè enectos, & ait: *Quare pigri estis? Ecce audiui, quia frumentum est in Ægypto, descendite illò, & emite vobis.* Cur senex penè surdescens primò audiuit de frumẽto, quã iuuenes? Nonne hi priùs audire solent quicquid noui populo aduenit? Cur non magis de frumento? Vnus D. Ambros. id expendit lib. de Ioseph. cap. 8. diuini frumenti, viuique panis Christi præsagiens negotiationem in hæc verba. *Citius vtique iuniores, quàm seniores consueuerunt audire, cùm foris positi cuncta circumeant. Sed hanc negotiationem priùs senex audit, sed ille senex, in quo est fidei longæua canities. Prior senex intelligit, sed ille senex, in quo est venerabilis senectus, & ætas senectutis vita immaculata.* Porrò panis viuus Christus senibus amabilis, à senilibus annis, quàm primum requisitus inuenitur. O te fœlicem, cui fides non emortua longæuam parit virtutum canitiem, quæ non ætas diuturna; sed candida vita reddit canum. Is eris senex, qui iuuenilibus ardoribus, puerilibus moribus occultum Christum inuenias manifestũ, manibusque suscipias. Abrahamus tres Angelos excepit hospitio, vnoque adorato, prandium parat, cui ipse, & Sara ministrat: quod sic Diuus Hilarius, quarto de Trinitate extollit Abraham, tribus visis, vnum adorauit. Quã ta fidei vis, vt in discreta assistentium specie Dominum Christum internouerit. Quis ergo prior Abrahamo Christũ prænouit? quis priùs adorauit? Quibus coniugibus antea Christus innotuit? Sanè his sanctissimis Abrahamo, & Saræ primùm Christus sese obtulit cibandum, excipiendum. Sed, & de illis ait textus: *Erãt ambo senes, prouectæque ætatis*, cap. 18. Ad hæc elegan te monet Philo Iudæus. *Primum omnium Abraham vocant sacræ litteræ seniorẽ, quamuis maiores eius triplo, & amplius longæuiores fuerint, quorum neminem legimus hac fuisse appellatione dignatum. Meritò sanè, nam reuera senectus non ex longæuitate; sed ex multo virtutis studio spectatur.* Quibus maximè ponderandum est, quòd vbi primum Christus hominibus apparuit, illorũque hospitio grauisus est, ibi primo senectutis honore homines nominantur, seneſque dicuntur ob virtutum suarum longæuitatem: à qua canitie antiquus ille dierum Christus amat inueneniri, talibusque senibus gaudet publicari, & manifestari.

*Genes.* 42

*Ambr.*

*Genes.* 18

*Phil.*

CA-

## CAPVT X.

## De Chriſto Domino ad AEgyptum fugiente: deque innocentium puerorum ſtrage.

### *Ex Matth. 2.*

IAM ternio ille diuinus, Ieſus, Maria, & Ioſeph Bethlehem, & Ieroſolymam relinquerant, & Nazareth apud ſuos degebãt, quãdo Herodes, vt diuinũ puerũ caperet, in omnes fuerit Bethlehemiticos infantes. Quorũ ſatellites iam imminent, & Ioſeph de Angeli monitu, de nocte conſurgẽs cũ ſanctis pignoribus vſque in Ægyptũ peregrinatur. Interea Herodiani milui in immerẽtes pullos furioſi aduolant, quicunq; bienniũ non explẽt crudeliſsima morte vitã ingrediũtur immortalem. Sic innumeri agniculi maturant ſequi diuinum agnum, qui poſt puerorum necem, iterum cõſulente Angelo, ab Ægypto reportatus Galilæam adijt, vndè cũ parentibus Nazareth remeauit, & Nazaræus vocatur patrio vocabulo.

*Textus.* Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph dicens, ſurge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in AEgyptum, & eſto ibi vſque dum dicam tibi, futurum eſt enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.

### §. I.

### *Glorioſum eſt quicquid propter delenda peccata ſubitur.*

ECce vobis cœleſtem ducem vix vtero materno ſoluit, & in arena deſcendit, primò vagitu armatos in ſe exercitus prouocat. Quid tunc? Audebit in armatos hoſtes puer tenellus? Furentem Regem medio expectauit in ſtadio? Sed ſunt cœlites qui conſulant fugam. Proh dedecus! Fugiendum eſt ſummo Imperatori? Chriſtiana militia à fuga dedicanda? Dixiſſet Tertullian. lib. de fuga in Perſe. *Cum duces fugiunt, quis de gregario numero ſuſtinebit ad gradum in acie figendum ſuadere? Pulchrior eſt miles in pugna prælio amiſſus, quàm in fuga ſalnus.* Nihilominus Ieſus fugit, & in ipſa fuga ſpecioſior, & pulchrior apparet etenim nil magis decorũ, & pulchrũ, & glorioſum, quã id quod in peccatorũ medicinam ſubitur. *Tertull.*

Is erat pſalmi tertij titulus: *Pſalmus Dauid dum fugeret à facie Abſalom ſilij ſui.* Stupet Chryſoſtom. quod fugienti Imperatori decantentur pſalmi, non enim fugitiuos ſolent cantilenæ celebrare. *Quando laude dignus eſt qui fugit? quãdo dignus eſt habitus exul, cuius nomen inſcriberetur? Fugitiuos ſcriptis litteris perſequuntur, non honorant inſcriptionibus. Sed diſce, ò frater, cauſam inſcriptionis, & animam tuam confirma, in tuto colloca. Fugiebat filium ſuum Dauid, quoniam caſtitatem fugerat, quia è præcepto Domini fugitiuus, exulque fuerat, propterea filium fugiebat.* Quæ glorioſior? quæ honoratior fuga: Sanè pulchrior fuga hæc Dauidi, & glorioſior extitit, quàm omnium inimicorum victoria. Fugæ, qua Dauid à Deo defecit, hæc fuga ſatisfaciebat, inde nimis in fuga decorus, pluſque fugitiuus quam victor decantari debuit. Sanè, quia homo à Dei præcepto fugitiuus, exulq; fuerat, quia fugam meditatus Adã abſcondit ſe, ideò paruulus Ieſus fugit Herodẽ Regẽ, propterea fugitiuus Ægyptum petit. Quæ maior gloria Imperatoris, quàm militum fugis mederi? quod maius decus in Saluatore, quàm ob probroſam hominis fugam ſatisfacere Deo? *Pſalm. 3. Chryſoſt.*

Miratur D. P. Chryſolog. quod Euangeliſta diuini pueri fugam ſcriptis celebret. *Quid ſibi vult, ait, Euangeliſta, quod hæc ſcribit ad memoriam ſempiternam? Deuoti militis eſt Regis ſui tacere fugam referre conſtantiã, virtutes loqui, tacere timores, aperire fortia, infirma reticere, aduerſa delere, prædicare victorias.* Verum ſapientior Euangeliſta timores, fugam æterni ducis decantat, & hominũ cõmendat memorijs; ſed eos timores, & eam fugã qua fugitiuus homo antiquæ ſuæ defectioni remediũ apponit. Ideleganter expendit D. Theodotus Antiſtes Ancyrenſis hom. contra Neſtoriũ, ſic fatus. *Nos à pio Domino aufugimus, ad vſum paradiſi delitias accepera-mus; ſed legẽ violantes, & infeſto hoſti more gerẽtes, ex honore excidimus, & in terreſtrẽ hunc locũ fugitiui illius ſerui vitio depulſi ſumus. Quid ergo nũquid mea tarditas pulcherrimæ huius poſ-* *Chryſolo.* *Theod.*

*ſeſsionis, quæ homo eſt, iactura afficiet? Abſit, nefas enim erat, vt inuidia gratiam Domini ſuperaret. Et quid igitur, Dominus facit? Adiungit ſe fugitiuo.* Et rectè adiungit ſe fugitiuo, vt fuga ſua fugitiui dedecus eliminet, ſic fugæ fugam opponens, & fugitiuos reſtaurat, & gloriæ pondus immenſum ſibi parturit.

Glorioſum equidem eſt, dignumque ſummo Deo quicquid hominum medetur peccatis, quicquid ſeruorum redintegrat contuſiones. Quid vilius, quàm prima illa pellicea Zona, quæ peccatores excepit? Quid hac veſte magis ingloriũ? Magis indecorum? Sed ſub illa protoplaſti caſtigãtes peccata, ſic glorioſi, ſic decori apparuerunt oculis Creatoris, vt inde inter alia, ineſcatum diuinum verbum quaſi ambitioſè decreuerit ſimili pelle indui, qua hominẽ deleret peccata. Ait enim
*Geneſ. 3.* textus ſacer: *Fecitque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & ait, ecce Adam quaſi vnus è nobis factus eſt.* Expẽde verba, vilis, & indecorus ſaccus, ſub quo Adam caſtigabat peccatum, eam reddebat ſpecioſitatem, qua ſeipſa diuinitas iactaret, quam ſibi Deus ipſe aſſumere decreuerit. Sic Tertullian.
*Tertull.* lib. 2. contra Marcion cap. 25. *Spes Adamo ſalua eſt, dicente Domino, ecce Adam quaſi vnus è nobis factus eſt de futura adlectione hominis in diuinitatem.* Et nihil viderat Deus in Adamo, quo alliceretur præter opprobrium ſacci, ſed illud opprobrium, quo peccata ſoluebantur, quo opprobrio, quo ſacco nihil glorioſius, nihil diuinius, nihil Deo dignius. Vndè benè monet citatus Theodotus.
*Theodor.* *Ne igitur curationis modum in contumeliam vertas, neque improperes Medico, ſi in corporis humilitate conſtitutus tuam operatus eſt ſanitatem: Deus enim nihil ignominioſum ducit, quod humanam ſalutem conciliare natum*
*Hom. 2.* *eſt.* Non ignominioſa fuga; ſed glorioſa, quando illa hominum à Deo fugæ, & defectiones curantur, honorificentiſsimum dedecus, quod peccatorum radit dedecora. Quis iam faſtidiat opprobria, quibus improbitati medetur? Quis non amabit ignominiam, qua pulchrior Deo, & ſpecioſior redditur.

*Textus.* Qui conſurgens accepit puerum, & matrem eius nocte.

## §. II.

### *Summus obedientiæ gradus exercitus à Ioſeph: qua obedientia primum incolumitatis omen accepit Chriſtus.*

DEbiliſsimus apparitionis Angelicæ modus, is eſt, qui fit per ſomnium, hoc temen iubentis tenui argumento, nimirum, in ſomnis monitus Ioſeph euigilat pariturus. Et antequam per nocturnas tenebras videre poſſent, capit diligens iter, imparatamque profectionem ingredi minimè timet. Cæca eſt obedientia omnium perfectiſsima, ante obedire tentans, quàm præceptum examinet oculorum tutrina. Aperti ſunt Adamo oculi poſt eſum ligni, o vtinam ſacra illa caligine obtenebrati manerent, quà ante tranſgreſsionem obedientes Deo nec videbant lignum. Et apertio oculorum, & inobedientia apparuerunt ſimul, vt ſuſpecta ſint lumina illi, qui voluerit Deo perfectè obedire. Huius rei gnara aſtantia Deo Seraphin apud Iſaiam cap. 6. alis duabus faciem obnubilabant ante ictum oculi obedire parata. Vndè Ioann. 11. Vix Domini *Ioann. 11.* intonuit vox Lazarum à ſepulchro reuocans, *& ſtatim prodiit qui fuerat mortus, ligatus pedes, & manus inſtatis, & facies illius ſudario erat ligata.* Ad hæc Ambroſ. lib. de fide reſurrect. *Comprehende, ſi potes, quemadmodum clauſis oculis iter carpat, vinctis pedibus gradum dirigat; virtute enim diuinæ præceptionis operante, natura ſuum non requirebat officium non iam ſuo ordini; ſed diuino nutui ſeruiebat: agebatur prius, quàm parabatur inceſſus.* O vos fœlices, qui ſic præceptis paretis diuinis! Fœliciſsimus omnium ternio iſte diuinus, Ieſus, Maria, & Ioſeph, mortis latebat ſub imagine, ſomno ſepultus, hàcque mortali in vmbra Angeli vocem excipiens, nocturnis tenebris, clauſis oculis iter carpit, non ſuo ordini natura, ſed diuino paret nutui, agebatur prius, quam parabatur inceſſus, ante ictũ oculi cõſurgit, vt viã arripiat. *Ambr.*

Hinc pueri diuini iter auſpicatiſsimũ, hinc incolumitatis ſuæ omẽ euidentiſsimũ accipitur. Recogitare licet duo obediẽtię lumina Abraham, & Ieptè, qui proprijs nõ pepercerũt filijs, verũ filia Ieptè ſub obediẽtis patris gladio vitam amiſit; at Iſaac Abrahamides de ſub gladio patris nouæ fœlicitatis, & incolumitatis acquiſiuit auſpicium. Cur id? Sanè Abraham Geneſ. 22. *De nocte conſurgit,* *Geneſ. 22.*

filium

filium ligaturus; Ieptè triginta dierum inducias remisit filiæ, quibus meditetur sortē acerbissimam. Viuat ergo Isaac, & moriatur Ieptea proles *quod*, ait Anasthasius Nicæn. quest. 36. *permisit Deus, eos, qui tunc erant, & qui postea futuri erant erudiens, tutò quidem Deo vouere, & vt conuenit, citra moram autem, & cum fide, & gaudio implere promissum.* Igitur non moratus Ioseph, non post triginta dies, non post diem; sed media noctis caligine dans pignora vitæ, diuini pueri incolumitati fœlicissimo consuluit auspicio, illūque morti quam primûm eripuit.

Nicæn.

*Textus.* Et secessit in Ægyptum, & erat ibi vsque ad obitum, Herodis, vt impleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: ex Ægypto vocaui filium meum.

## §. III.

### *Occulti hostes palàm trahendi sunt ab ijs, qui vincere cupiunt.*

LAtent sæpissimè hostes, nigrisque inclusi latibulis ruinam minitātur, & excidium, hinc mille à calidis militibus stratagemmata fiunt, vt hostilia omnia patescant, lucemque videant. Huc spectant quandoque simulatæ fugæ, qua simulatione decepti egrediūtur occulti, & qui latendo fortes, in luce pigrescunt, & miserè succumbunt. Pulchrè D. Bernard. serm. 17. in Cant. in iustorum victorijs ponderat illud, *speties in die cadit iustus, & septies resurgit, inquit, resurgit; si tamen cadat in die, vt se cadere videat, & cecidisse sciat.* Quasi dicat, in eo sita est iustorum victoria, quod à latebris eruant inimicos in lucem: non patiuntur ocultos hostes, tela occultè latentia perquirunt, faciuntque vt clarescant die, vt palàm fiant, sicque victorias mille reportant ab inimico. Quod militare stratagemma, vt doceret dux Christus secessit fugiens in Ægyptum, vt simulata fuga patere faceret inimicum. Ita acutè notauit D. Chrysolog. serm. 150. *Bellicosus quando in bello fugit, artis est, nō timoris; Deus quando fugit hominem Sacramenti est, non pauoris; potens quando se subducit infirmo, insequentem non pauet; sed foris producit, vult enim in aperto vincere, occultum se non patitur inire conflictum qui mandare sæculis vult triumphum.* Eu quoties clamabat ille liberari ab occultis; nec clamaret, si latente sub hoste non pertimesceret conflictum: eò quidem timendus magis hostis occultus, quo minus latentia tela retundere quimus. Qui triumphum amat, si sapit occultum non patiatur certamen, hoc anxiè procuret, vt tela noscat, vt hostes videat, vt aperto Marte, media in luce certamē ineat. Induamur arma lucis, iuxta Aposto. monitum, vt palàm traductis hostibus nulla timeamus latibula. Sic dux ille fortissimus Iesu Naue triumphum sine sole suspectū habēs, nō prius confecit hostes, quā longiorem certaminis à Deo, stante sole obtineret diē. Quod animaduertens Petrus Commest. c. 9. dixit. *Videns Iosue solem descendentem, timens ne beneficio noctis euaderet hostes clamauit ad Dominum; Sol ne mouearis.* Timeamus, & nos latentes inimicos, & clamemus ad Dominum, vt concessa luce, patentibus latebris, non ab occultis feriamur; sed apertum agamus de hostibus triumphum.

Bernard.

Chrysol.

Ad Ro. 15

## §. IIII.

### *Nili inundatio verbi orbis conditoris aduentum in Ægyptum, & in mundum repræsentans.*

TAndem aliquando in Ægyptum descendit Verbum patris, Verbum, inquam, illud, à quo omnia, & in quo omnia, & per quem omnia. Cuius opera ab initio cœli, & terra condita sunt, & aquæ in maria fuerūt coarctatæ, vt terrena decora pullularent. Id quod Ægyptus celebri sui Nili inundatione quotannis repræsentabat; sed præstat id ex Anasthas. Sinaitę verbis lib. 3. Examer. hic trāscribere, quod haud ingratum, & in iucundū lectori crediderim futurum. *Illud*, ait, *est admirabile in ascensu aquarum in Ægypto, quibus est operta obscuratione, & infertilitate, & suffocatione ipsius terræ: quod non in mense, aut diebus ortus in carne in Bethlehem, & apparitionis Christi; sed post dies natales, & apparitionis, ac illuminationis operitur, & obtenebratur aquis & caligine terræ Ægypti. Quando autem Christus Deus lux mūdi natus est, & ex præsepi Bethlehem in Ægyptum cum sua matre fugiente ab Herode, versatus est: statim terra Ægypti detegitur, deponit tenebras, exuit caliginem erroris, Solis iustitiæ lumen induit. Recedit autem, & recurrit*

Synait.

*Nilus in Aegyto in diebus mensium Decembris, & Ianuarij: incipit fluere mense Iunio, & per eum totum, & post ipsum crescit, nempe Iulio, in Augusto autem & toto Septembre instar maris inundans Aegytum facit inuigabilem, quæ erat arabilis. Incipit autem desecrecere in Octobri, & Nouembri, in mense autem Decembri & toto Ianuario redditur priori albeo. Quando ergo ante Christi ortum eam viderimus tristem & caliginosam, & infertilem, & in profundo submersam: deinde post Christi ortum, & eius præsentiã in omni loco Ægypti, statim fieri recessum, & terrã ornari, gestire regiones, densari palludes agros germinare, & vicos tanquam ex profundo aquarum detectos, & in altum elatos, & aquas congragatas in suis congregationibus, earumque fossas, & fluuios. Plane intelligamus, quando hæc fieri viderimus in AEgypto, quod verbum Dei incarnatum ipsum erat, quod in principio est architectatum creaturam cœli & terræ, ipsum in AEgypto versatum esse in carne, & cum eam vidisset tenebrosam, & à maligno suffocatam clamauit ex potestate tanquam Deus sicut aquis mũdanis, sic AEgyptijs aquis dicens quotannis vsque ad consummationem post Nili ascensum, congregetur aqua, quæ est super faciem vniuersæ terræ AEgypti in congregationes suas, rursum appareat terra, vt qui iam spiritus erroris increparit, & eos ex AEgypto expulerit, nunc autem in tempore eius aquas fecerit restagnare, vt & ei, & nobis reuocet in memoriam, quod ipse est mundi conditor, qui eum à tenebris, & errore liberabit.* Sic Anastasius pulchre & luculenter?

## §. V.

## *Laboribus, & ærumnis Christiana infantia alitur, & nutritur.*

VIde qualia cunabula excipiant pũerum diuinum; molestia itineris, peregrinatio apud extraneos, indiga paupertas, Ægyptus Hebræorum mastix recens natum Deum affligũt. Talibus incunabulis necessum est adolescat infantia Christi, de quo D. Leo. serm. 3. de Epiphan. ait, *Fugit in AEgyptum Dominus vbi Hebreæ gentis antiqua fuere cunabula.* Et quidem paruulus Israelitarum populus Ægypto exceptus misera seruitute, ærumnis, fameque ita adoleuit, vt adolescere solent pueri delitiosis agitati cunabulis, dulcique pasti lacte nutricũ. Sunt sunt viro iusto & Christiano ærumnæ, fames pericula, labores, optima omnium cunabula, optatissimæ nutrices, quibus aluntur, & maximè adolescunt in vitam.

Leo.

Non longe abest ab hac excogitatione D. Basil. à quo monetur, vt ieiunia quadragesimalia, *tanquam veteres nutrices libenti animo omnes excipiamus.* Ecce tibi ieiunij fames, qua affligimur, à Basilio nutrix habetur, cuiũs sinu excepti ab inflãtia coalescimus in perfectos viros in mensurã ætatis plenitudinis Christi. Sed cur dicitur vetus & antiqua nutrix? Id ex Chrysost. hom. 1. de Pœnit. placet haurire, qui hominem primum à Deo creatum in paradiso constitutum considerans ait. *Illi coDeus frænum ei ieiunij manibus imposuit, velut piæ amabilique matri commitens.* Nil magis parenti optimo præ oculis, quam recens natum filium optimæ nutrici alendum committere. Sic Deus, qui recenter â se conditi hominis curam habebat, optimam illi nutricem procurans ieiuniũm ab esu arboris indixit, velut pię amabilique matri natum committens. In fame, & labore meliora cunabula demonstrans fore adultis filijs. Hinc Basil. monet, vt ieiunia tanquam, *veteres nutrices excipiamus*, & adeò vetus, & antiqua nutrix ieiunium, vt illud fuerit inuentum adenutriendum, & alendum primum hominem, qui natus est iustus in mundo.

Basil. Chrysost.

Nulla incunabula, nulla nutrix robustiores, & grandiores reddunt homines iustos, quam fames, quam dolores, quam molestiæ, quam persecutio. Et sane hinc Tert. lib. aduers. Gnost. innocentes pueros demiratus inquit. *Infantes testimonium in Christi sanguine literauerunt, pueros vocem, qui crucem clamani?* Nil puerile, nil paruulum in eis, qui persecutionem pàtiuntur, hoc præcæteris habent molestiarum cunabula, dolorum nutrices, passionem quamcumque excipiant, statim reddũt perfectissimum virum. Quæ Christianorum cunabula præsagiebat Moyles Deut. 33. dum inquit. *Lætare Zabulon in exitu tuo, inundationem maris quasi lac suges, & thesauros absconditos arenarum.* Sic amari sæculi fluctus, persecutionum tempestates lactabunt Christianos, vt illis adolescant in vitam, quemadmodum tenelli infantes adolescere solent nutricum lacte.

Deut. 33.

De Phœnice alite, quæ sese in sæcula accensis renouat flammis, ait D. Zeno serm. de resur. *Sepulchrum nidus est illi, familiæ nutrices, cinis propagandi corporis semen.* Quid mirum, si Christiani in cinere, & silicio, in ieiunijs, & mortificatione nutriamur, alamur, educemur.

Zeno.

*Text.* Tunc Herodes : mittens occidit omnis pueros, quierāt in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, ab imatu & infrà secundum tempus, quod exquisierat à Magis.

## §. VI.

*Nulla ætas, nulla fragilitas à cœlesti excluditur brauio, postquam Deus infantili se aptauit ætati.*

QVis cùm cœlestem gloriam audit brauium, speret à lactentibus obtentum iri? Si â violentis rapitur cœlum, quomodo ab his rapietur, qui â primis non excedūt vnguiculis? Sanè quamuis arduum sit cœlum, quā vis violentiam patiatur, nulla est ætas, nulla infirmitas, quę æterno gloriæ brauio obtinē do non sit apta Elisæus 4. Reg. 4. puellulum viuificaturus se supra illum arctauit; *posuitque os suum super os eius, & manus suas super manus eius.* Quid hoc? Acute D. Cyprian. epist. 59. *Illic æqualitas*, ait, *diuina, & spiritualis exprimitur, quòd pares & æquales sint omnes homines, quando à Deo semel facti sunt; & possit ætas nostra in incrementis corporum non secundum Deum habere discrimen.* Hæc ille vt conuinceret in quauis infantia reperiri manus, quæ æquè prærripiant brauium beatitatis. Sed postquam Verbum Dei membris se infantilibus aptauit, osque ori imposuit, manusque implicuit manibus, iam ipsi tenelli infantes non tam currunt, quàm pręcurrunt, vt brauium capiant. Ita D. Leo. serm. 2. de Epiphan. *Christus Dominus ante vsum linguæ potestatem verbi tacitus exercebat, & quasi dicebat; sinite paruulos venire ad me, vt disceretur, neminem hominum diuini non esse capacem Sacramenti, quando & illa ætas apta est martyrio.* Infans verbum impedimenta tollebat, vt possint illi appropinquare infirmi etiam infantuli, efficiebat verbum, vt infantile caput, & infantilia membra paria, & æqualia ipsi verbo viderentur, vt æque in stadium descenderent, & inde exirent purpurascentibus corollis ditati.

Sed expendo illud, *sinite paruulos venire ad me*, ad summum sperabatur ab infantibus, vt ad verbum rude iam donatum venirent, verùm ipsi ardentiores prosiliunt in scamma, & verbi diuini præcurrunt certamen. Veniebat aliquando verbum *saliens in montibus trasiliens colles*: quem sic salientem, & transilientem mirata sponsa ait apud Amb. serm. 6. in Psalm. 118. *Ego dixi veni, ille salit, & transilit*, festinior, & properantior accedit, quam sperabatur. Ecce vobis illi parem modo referunt gratiam tenelli infantes, ille dicit, sinite paruulos venire ad me, hi transilientes ętatem currunt, & præcurrunt Deum infantem. Accipite in præsenti Petri Cellensis sales libr. de Panibus c. 8. vbi hęc fatur. *Quodammodo præcurrunt primitias tuas, Christe, primitiæ nostræ. Præcurrunt re vera moriendo ante te; sed non præcurrunt veniendo ad regnum sine te. Ad portā te sustinebunt, quia custodes nisi te viderint, ianuas cœlestes non reserabunt. In passione igitur sanguinis, non in possessione beatitudinis agniculi pastorem suum præcedunt. Si autem præcedunt, quomodo verum est secuntur agnum quocumque, ierit? Vtrumq; tamen verum est, quòd & præcedunt, & sequuntur, præcedunt in morte; sed sequuntur in resurrectione. Prius currere cœperunt, sed incursu substituere.* O vos felices infantes, qui antequā noueritis patrem aut matrem, & spolia cepistis Damasci, & tyranorū exercitus superastis! O summi ducis tyrones ipsum ducem ante ire ausi extra puerilem chorum saltastis, vt in Angelorū choros excipiamini! Vt veniretis ad ipsum, verbum latens clamabat; vos præcucurristis, & prærripuistis arma, & hostem eliminastis. Quid plura? efficiebat hoc diuinitatis manus supposita infirmis, & infantilibus manibus.

Isaias dicit, *filius datus est nobis, paruulus natus est nobis: & vocabitur nomen eius admirabilis, Consiliarius, Deus fortis.* Pulchre Cyprian. serm. de Nat. expendit illam nominum coniunctionem, nimirum Consiliarius Deus. *Quod si diuinis consilijs obuiauerint tentamenta, & liberas mentes ad carnales reuocauerint appetitus, ad est Deus fortis, nec spem ponat homo in homine, nec in brachio carnis suæ confidat, quia qui vicit mundum victoriam suis militibus promittit.* Vbi Deus consulit paruulos & infirmos, vt veniant, vbi paruulus in præsepio reclinatus cōsulit nuditatem, abiectionem, pugnam cum modo, prosiliamus in arenam paruuli, & infirmi lacertis infirmitatis nostræ nō fidentes, sed diuinis suppositis manibus; ipse qui consulit Deus est, fortis est, qui infantilibus infirmis inditus manibus pares Deo in fortitudine reddit infantes, vt queant victoriam ab hostibus reportare. Os ori infantili, & manus manibus infantilibus imponit Deus, vt constet eiusdem Dei esse, nobis dicere, & in nobis idem facere. Quod acutè notat

Cant. Amb. Cell. Isai.

Tertull. Tertullian.lib.2.contrà Marcion.cap.4. *Et dixit Deus: fiat, & factum eſt, vt tibi totus Deus cõmendaretur, & dicere, & facere.* Quaſi dicat, Deus in Geneſ. dicebat, & omnia fiebant: Dixit Deus: Fiat lux, & facta eſt lux, germinet terra, veſtiatur plantis, ditetur theſauris: *Et factum eſt ita,* vt iam inde ſciremus ipſius eſſe, & dicere, & facere, & vocare ad brabium, & noſtrum brabium facere. Nemo quidem, nec infans vnius horæ ineptus eſt ad cœleſtia decora reportanda, poſtquam Deus impoſuit os ori, & manus infantilibus manibus.

*Textus.* Tunc adimpletum eſt, quod dictum eſt per Ieremiã Prophetam dicentem. Vox in Roma audita eſt, ploratus, & volutatus multus. Rachel plorãs filios ſuos, & noluit cõſolari, quia non ſunt.

## §. VII.

### *Martyres non habent patrem ſuper terram; ſed cœleſtis patris cenſentur filij.*

FLeuiſſet Iacob tot filiorũm ſanguinem, qui cum vnam videret filij polimitam tunicam ſanguine conſperſam, Geneſ. 37. *Sciſſis veſtibus indutus eſt cilicio, lugens filiũ ſuum multo tempore noluit conſolationem accipere.* Cur ergo innocentium puerorum cædes à luctu tanti patris non commendatur? Cur Iacobi luctu, & lacrymis dimiſsis, Rachelis apud Bethlehem defunctæ Bethlehemiticos pueros parentantes exponuntur lacrymæ? Nõ patrem in terris habent Chriſti Domini martyres, eo ipſo quo pro Chriſti nomine decumbunt, nõ terreni; ſed cœleſtis filij cenſentur patris. Accipite pulchrum in Machabæis exemplum, qui vnius matris voce in generoſam ob fidem patriam mortem occubuerunt armati. Tunc Cyprian. ſic D. Cyprian. lib. de exhort. ad mart. *Nec vacat myſterio quod in paſſionibus ſola cum liberis mater eſt. Martyres enim, qui ſe Dei filios in paſſione teſtantur, iam non niſi Deo patre cenſentur, ſicut in Euangelio docet, nec vocaueritis patrem interra, vnus enim eſt pater veſter, &c.* Quid illuſtrius ad rem præſentem? etenim ſola Rachel mater incæde infantium illorum ſanguinem rigat lacrymis, vt iam inde notãrentur Chriſti martyres, qui vnius cœleſtis patris, & nomen habent, & hæreditatem. Deuteron. 32 dicit Moyſes: *Exultate gentes cum populo eius, & adorent eum omnes filij Dei, quoniam ſanguinem filiorum ſuorum vlciſcetur.* De quo D. Chryſoſtom. in Pſalm. 95. ait. *Eos, qui traditi ſunt vt viles, & abiecti, filios appellat Deus, & tamquam filios vlciſcitur.* Dixiſſet etiam, & vt filios in paternum euocat regnum. Hinc D. Irenæus, lib. 3. cap. 18. dum Deum operantẽ Iren. omnia commemorat, ſic ait. *Occultè quidem, ſed potenter omnia manifeſtat, quoniam occulta manu expugnabat Amalech, propter hoc, & pueros eripiebat, qui erant in domo Dauid, vt eos præmitteret in ſuum regnum.* O Dei ingenium; & efficaciam, metebantur quidem pueruli Herodis falce; ſed non tam erat meſsis tyranni, quàm ſummi Dei liberalitas, & magnificentia, qua infantes patri Dauid eripiebat terrenæque hæreditati, vt abiecto terreno patre filij Dei naſcerentur, cœleſteque regnum hæreditarent. Vndè D. Chryſoſtom. apud Lippomanum meritò, ait: *Chryſoſt. Trãſmittit infantes infans Chriſtus ad cœlum, nouigenia patri, primitias fructuũ exhibet genitori.* Quaſi iã nouis his pignoribus inciperet apparere cœleſtis pater. Sanè modo mirabili, & inuſitata ratione diuinus infans: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, qui ſimul ex ſanguinibus, & ex Deo nati ſunt.* Etenim pro Chriſti nomine effuſus ſanguis ſemen eſt Tertulliano, quo Deo patri filij chariſsimi generamur. *Tert. lib. de fuga in perſ.*

## §. VIII.

### *Lamentabile maximè eſt, quod quis in tenebris degat eo tempore, quo alij luce fruũtur.*

CVr Rachel Bethlemiticos pueros filios ſuos nuncupet? difficilis quæſtio viſa eſt multis, non illis, qui metonymiam dedicerũt, qua Bethlehem tantæ fœminæ celebrata cineribus Rachel ambitioſe dicitur. Inſuper in Romanorum ſtrage non immeritò, ibi tumulatus D. Petrus induceretur lugens filios ſuos. Neutrum placet Origen. qui in Bethlehemiticos infantes à Lia ſatos animaduertens eò refert Rachelis luctus, quod conſobrinis pro Chriſto occiſis, filij maneant hac miſera vita. Et ſanè nihil lacrymis, altiſque ſuſpirijs dignius, quàm vbi tot adepti ſunt lucis, & ſalutis vſuram, quòd te manente in tenebris tua ſalus ma-

maneat sublite. Hoc amare flebat Rachel plorans filios suos; quia non sunt, nimirum, occisi, quando consobrini occisione corporis mercantur cœlestem vitam. Sic Origen. *Quomodo Rachel plorat filios non suos? Imò adeò plorat, quia filij sui digni non sunt habiti, qui pro Domino morerentur.* Res sanè lacrymanda Racheli, & cæteris vniuersis contribulibus, quòd sub vmbra legis premantur eorum filij, quando Bethlehemitici infantes sempiterna suffunduntur luce, quod his ad salutem ereptis, illi maneant sub infirmitate gemebundi.

*Origen.*

*Matth. 9.* *Matth. 9.* Vt Christus Dominus curaret paralyticum, ait. *Remittuntur tibi peccata tua*, & statim, vt inimicorum ora concluderet, *ait paralytico: surge, tolle grauatum tuum.* Quid hoc miraculo diuinius? Quid lætius & peccatoribus, & infirmis? Nihilominus notat Euangelista: *Videntes autem turbæ timuerunt.* Peccatorum remissio, sanitatis restitutio, res erat non timoris; sed gaudij, sed lætitiæ; & turbæ timent, & meritò timent. Rem explicat D. Hilar. *Domini virtutem turbæ timent; magni enim timoris est res, non dimissis à Christo peccatis in mortem resolui.* Etenim paralytico animæ, & corporis à Christo Domino obtinente salutem, magni timoris res est, quod cæteri peccatorum vinculis adhuc manerent obstricti. Meritò, inquam, timent turbę, dum sub peccati infirmitate morti appropinquant, eo præcipuè tempore, quo vident tantam à paralytico obtineri salutem. Magni insuper timoris res est, si tu maneas in peccatis illis præcipuè temporibus, quando alij innumeri Sacramentorum beneficio spem salutis æternæ potiuntur. Hinc ego crediderim, reprobos à filijs Dei maximè distingui, quod aliquando notauit Genes. cap. 4. Vbi filiorum Dei genealogiam illustrans, dicit: *Seth natus est filius quem vocauit Enos, iste cœpit inuocare nomen Domini*, quæ verba hac periphrasi Caldæus eludit contrario prorsus sensu: *tunc in diebus eius incœperunt filij hominum, vt non orarent in nomine Domini.* Ecce tibi filius Seth, qui fuit Dei, dum Dominum inuocare incipit, filij hominum, hi sunt filij Cain reprobi ab oratione, Deique inuocatione desistunt. O clarissimum (si quod est) reprobationis insigne! si quando alij cœlestibus inhiant, Deique beneficijs fruuntur, tu peccatis incumbas, nilque aliud quęras, quam tuorum desideriorum carnalium pabula vilia.

*Hilar.* *Genes. 4.* *In edit. Cõplu. apud Pereiram.*

Sanè Domino discumbente Bethaniæ, accessit Magdalena vnguentum afferens, Domique liniuit caput Matth. 26. *Tunc abyit vnus ex duodecim Iudas Iscariotes ad Principes, & Sacerdotes.* Pulchrè hinc D. Chrysost. de prod. Iud. illius totam causam proditionis auspicatur, his verbis. *Tunc, inquit, abyit. Quid igitur tunc est? Ante proditionem tempus accessit meretrix vas alabastrum manibus portans, & vnguentum Domini supra caput effudit. Grãdem fidem, multam reuerentiam, mirãdam correptionem ostendit. Paulò ante meretrix, subitò pudica processit, & profundis obruta peccatis portum serenitatis agnouit; & quando lupanar exiuit, discipulus gehennam intrauit; quando illa mercedem sui corporis abdicabat; tunc iste pretium magistri sanguinis postulabat; quando illa osculabatur pedes, vt susciperetur; tunc iste Domini labia osculabatur, vt proderet.* Hæc ille.

*Matth. 26.* *Chrysost.*

*Textus.* Defuncto autem Herode: ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israel.

## §. IX.

### *Christus Dominus in Ægyptum fugiens infantum sanguinem iaculatus est, quo Herodem hostem interimeret.*

TRitissimum illud Parthorum ingenium, qui fugientes miro modo inimicos expugnabant, de quibus Ouidius 1. de Arte.

*Tergaq; Parthorum, Romanaq; pectora dicam.*
*Telaque ab aduerso, quæ cauit hostis equo.*
*Quid fugis, vt vincas?*

*Ouid.*

Iam nunc Christus Dominus, vt Tyrannum deuastet fugam parat, & fugitiuus, ò quam in hostem pernitiosa contorquet iacula? Quæ iacula? Puerorum innocentium sanguinem, quo nihil perniciosius, vt prorsus destruatur tyrannus. Nullus in orbem terrarum nocentior, quàm Antichristus, nullus in Deum magis temerarius, totius religionis excidium, & pietatis. Contra crudelissimum hostem hunc, quæ putatis à verbo Dei tela parari? quæ iacula acui? Sanè duorum sanctorum sanguinem. Sic Tertull. lib. de Anima, cap. 78. Enoch, & Elias, *moritu-*

*Tertull.*

*ri re-*

*ri reſeruantur, vt ſanguine ſuo Antichriſtum extinguant.* Sagittis quidem venenatior,& velociorſanguis innocens euolat in tyrannorum perniciem,ardentes globi ab æneis machinis fulgurati,etſi exitiales;etſi murorum contritores,tamen plumbei ſunt,& nimis tardi præ innocentium effuſo ſanguine. Nonne è decem illis plagis, quæ Ægyptum vexauerunt, primus omnium apparuit Nili ſanguis? Et quis ſanguis? Auguſtin.in decem præcept.Decal. ſic fatur. *Iuſto Dei iudicio factum eſt, vt de illo fluuio ſanguinem biberent, in quo infantium Hebræorum ſanguinem fuderant.* Itaque ſanguis infantiũ ab Ægyptijs in Nilo effuſus, primus, in tyranorum perniciem euolauit. Nec occior inueniri potuerat ſagitta infantium innocentium ſanguine, quam Chriſtus Dominus in crudeliſsimum hoſtem contorquent. Quippe,vt author eſt Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib. 1.cap.8.Herodes antea feliciſsimus fortunatiſsimuſque Rex ſtatim ab innocentium ſanguine eas excepit plagas,quibus miſerrimè viuens æternæ mortis duriſsimos cruciatus præguſtaret. Vt iam Parthice pugnanti Chriſto merito concinamus,quod D.Laurentio Prudentius vates pulchrè concinnauit.

*Aug.to.2.*

*Prud.*

*Sic dimicans Laurentius*
*Non enſe præcinxit latus,*
*Hoſtile; ſed ferrum retrò*
*Torquens in authorem tulit.*
*Dum dæmon inuictum Dei*
*Teſtem laceſsit prælio*
*Perfoſsus ipſe concidit,*
*Et ſtratus æternum iacet.*

Etenim infans Chriſtus dum fugit innocentium ſanguine madidum hoſtile ferrum retrô in tyrānum torquet, quo miſerè confoſſus ipſe,qui laceſsiuerat,æternum excruciandus iacet. Sic ſæpe tela tyrannorum in auctores ſuos ſolent retundi,quorum miſeram conditionem exprimit Iſaias,cap.47.dum inquit. *Impy quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt,& redundans fluctus eius in conculcationẽ, & lutum.* Ad hæc Procopius ſingulariter ponderat impiorum ſibi ipſis pernicioſa conſilia. *Fluctuationem patiuntur maris inſtar ſe ipſos vlciſcentes, quod quos fluctus ad littora trudit, aſſiduè parit quidem, ſed eorumdem reflexionem rurſum pati cogitur, non aliter ac iſte.* Vidi ego ſæpiſsimè furentis maris fluctus rapidiſsimo curſu ferri,quaſi iam iam terram eſſent voraturi;ſed tunc indita vi in mari reflectentes crebro verbere,ſaxiſque abruptis illud cõcutere. Sic impij nihil niſi tempeſtates vomunt,rapidiſsimos commouent aduerſus innocentes fluctus, qui in actorẽs ſuos retũſsi miſera illos labefactant ruina.

*Iſai.47.*

*Procop.*

*Textus.* Defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri.

## §. X.

### *Ira Dei quando in vnum peccatorem deſæuit, omnes illi propinquos aliquando pertranſit.*

SEra diuini nũminis vindicta, diu colligit iras peccatorum correctionem expetans: at quãdo puniturus Deus in mediam profilit exterminij terram,omnia morte replet, non ſibi in vnius morte videtur ſatisfacere. Sic Abac.2.impium alloquitur. *Circumdabit te calix iræ Domini*: quæ verba exponens Theophyl.pulchram ſimilitudinem addit aiens. *Gyrum duxit ſuper te poculum dexteræ. Quid vero eſt gyrum duxit? hoc eſt, circumtulit, quod æquè atque cyatus in ſimphoſio ad omnes compotatores tranſit,ſic diuina ſeſe vltio gerat.* Etenim in plebeis conuentibus,nunquam honoratiori poculum miniſtratur,quin ſimul per circunſtantes omnes,& cyatus, & poculum ſuperducatur. Sic calix iræ diuinæ,ita ſuper vnum effunditur peccatorem,vt aliquoties ad omnes ſimiles pertranſeat indignatio. Id nouerat Moyſes, Exod.32. quando iraſcenti in populum Deo ſibi iam præcauens aiebat. *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ.* Ecce tibi ſi Deus populum delet, ſe etiam delendum meditatur, ait Rupert. *Quare? videlicet, quia ego homo peccator ſum; ſi enim non eſt apud te propitiatio, ſi iudicium apud te eſt ſine miſericordia conſequitur, vt me de libro tuo deleas.* Nouerat Moyſes irati Dei ingenium, cuius vltio non ad vnum; ſed ſicut cyatus in ſymphoſio, ſiue in conuiuio ab honoratiore ad omnes comparatores tranſit; ſic â nequiore, vt aſſolet ad omnes ſimiles diuina pertranſit indignatio. Cauendum ergo maximè tibi eſt, ne impio à Deo puniendo appropinques, ſi eodem verbere refugis vapulare. Theodoretus,quæſt.50.in Geneſ.miratur,quod omnes homines etiam pijſsimi filij Seth perierint diluuio generali. Quæ tanti rigoris cauſa? Cur non magis dedit pœnas ſolus peccator? Sanè.

*Abac. 2. Theoph.*

*Exod. 23.*

*Rupert.*

De-

*Delere ſobolem Cain voluit Deus, & quia piorũ tribus illi permiſſa erat, obit; ſupplicij fuit particeps.* Longiſsimis loris à Deo peccator vapulat, & fieri poterit, vt propinqui omnes vel vitio, vel loco, eodem verbere feriantur. Caue tibi ab impiorum conſortio, & præcipuè caue cum impium calice iræ Dei noueris inebriari: tunc enim circumducitur calix, & forſan tibi appropinquabit. Meritô impius Herodes diris contuſſus verberibus malitiæ ſuæ pœnas luit; ſed Herode defuncto, vide quid Angelus inferat, *defuncti ſunt enim qui quærebãt animam pueri*, quaſi neceſſum foret, quòd Dei verber præter tyrannum multos alios, & ſocios, & propinquos ſimul affligeret.

*Textus.* Qui conſurgens accepit puerum, & matrem eius, & venit in terram Iſrael.

## §. XI.

*Chriſtus Dominus etiam gloriatur, quod Ægyptijs conuerſatus liber, & immaculatus ab Ægypto exierit: adeò damnoſum eſt religioſis viris cum ſæcularibus commercium familiare.*

OQuàm exitialis eſſe ſolet viris pijs cùm impijs, & peccatoribus quantumcũque honeſta familiaritas, & conuerſatio! Inde apud D. Ambroſ. Pſalm. 40 pater æternus vni genitum ſuum extollit, quod inter peccatores conuerſatus à peccatoribus exierit ſine macula. *Vnde dicit ei pater: filius meus es tu, ego hodie genui te, hoc eſt, generationis meæ in te priuilegium recognoſco, quem nulla macula potuit inquinare peccati: inter peccatores verſatus es, peccatum pro omnibus factus es; ſed nullus vſus potuit ad te tranſire peccati; ita inter peccatores verſatus es, quaſi inter Angelos verſareris.* Quis ergo ſibi blandietur, quod acquiret id, in quo Dei filius ſe maximè iactat, & de quo pater in filio gloriatur? Dignum ponderatione, & prædicatione patris, quod Verbum diuinũ inter peccatores verſetur quaſi inter Angelos, Ægyptijs familiaris ab Ægypto exeat liber, & immaculatus, eodemque innocentiæ candore, quo introiuit. Nullus ergo homo præſumat hanc ſibi Dei verbo dignam laudem: ſi enim mundanis ſit familiaris hominibus, ſi Ægyptios prophanos adeat ſancta licet, & inſtiſsima cauſa, haud facilè ſe expedit illorum laqueis, imò, ni ſibi caueat, miſere ſe in ruinam obligari ſentiet.

Id quod ſub eleganti Iſraelis ad Ægyptũ deſcendentis exemplo edocet D. Cyrill. lib. de adorat. in ſpiritu. Etenim Meſopotamiam dura inuadente fame, Geneſ. 42. *Viſum eſt filijs Iacob vtile, vt proficiſcerentur ad Ægyptios. Profectionis cauſa erat emere alimenta, & nulla alia erat.* Quæ iuſtior? quæ honeſtior cauſa poſſet excogitari? Sed ò vices humanæ conditionis! Ægyptum ingreſsi Proregem adeũt, noſcunt fratrem, perfunduntur gaudio, à Rege tractantur humane, alliciuntur, vt famelicã relicta terra, etſi à Deo promiſſa illic velint diuites, & ſaturi commorari. *Itaque Ægyptiorum dux quietem, & delitias illis promiſsit, & currus inſuperaddit, vt demulceret eos opinor, quibus deſcendere graue erat. At illi deſcenderunt cum tota domo ſua, & vbi in Ægyptum venerunt ſperabant poſt hac euaſuros ſe laborem, quem domi pertulerant, præſentiumque voluptatum ſenſus eis dulcis erat. Verum tempore procedente ignominioſum ſeruitutis iugum ſubyit illa olim à patribus generoſa, & libera multitudo.* Ecce tibi qualem mercedem, & lucrum ex Ægyptiorũ familiaritate ſanctorum filij reportarint. Quis iam non ſibi à prophanarum familiaritate cauit? Coguntur ſanè filij Dei, vel penuria rerum familiarium, vel quauis alia iuſta cauſa mundanos, & peccatores adire, à quibus humaniſsimè excepti, & munerati ſenſim alliciũtur, & obligantur. Et quibus graue erat ad mũdana negotia, & otia deſcendere, iam non tam deſcenſum, quam condeſcenſum putantes, & condeſcendunt, & deſcendunt, & gaudent muneribus, & obſequijs peccatorum à laboribus, & penurijs, quas domi pertulerunt, liberari. Sed proh dolor! Tempore procedenti miſerè AEgyptiorum irretiti laqueis, captiua gemit vitiorum verbere effecta anima, quæ in libertatem filiorum Dei fuerat creata. Vnus filius Dei naturalis AEgyptum ingreditur, & ab AEgypto cùm velit, exiet liber, & immaculatus, & vtinam ex hoc ſuſpectæ nobis eſſent omnes peccatorum familiaritates.

*Ambr.* Geneſ. 42 *Cyrill.*

Tex-

*Textus.* Audiens autem, quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo timuit illo ire.

## §. XII.

### *Timendum maximè, & fugiendum viro iusto quicquid pristini pericula speciem affert.*

AVdierat Ioseph, defunctos esse omnes diuini pueri hostes; nihilominus cùm audit, Archelaum filium Herodis regnare illum fugit saluti consulens diuini infantis. Non secure habetur Deus vbi adhuc perseuerat filius quicuumque sit pristini inimici. Enim verò qui lethalem peccati hostem fugisti, quem vt fugeres, multa pœnarum subsistinuisti certamina, caue tibi à quouis pristini inimici filio, si vis in anima Deum seruare. Dauid 2. Reg. cap. 11. sitiens concupiuit Bethlehemiticæ cisternæ aquam, illamque sibi à militibus allatam statim à se proiecit, & effudit, *& libauit eam Domino.* Ad hæc Eucherius. *In sacrificio quippe Domini aqua effusa conuersa est, qui culpam concupiscentiæ mactauit per pœnitentiam reprehensionis suæ. Qui ergo quòdam concupiscere alienam coniugem nequaquam timuit, postea etiam, quia aquam concupisset, expauit.* Sic sancti ex pristinis periculis fiũt cauti, vt quicquid illius speciem refert, fugiant, & expaueant. Concupiscentiæ suæ lethalis expertus Dauid mala sic laborauit, sic fleuit, sic se castigauit, vt postea etiam aquam, quia ex cõcupiscentia fuerat, fugerit & expauerit. O si hostilia animæ tela dolore, & labore repulissemus, quàm maneremus cauti, vt ab omnieo quod illorum præferat damnum, effugiamus. Susanna pudicissima fœmina, vt balneo lauaretur ingressa pomarium. O quantã nuditate sua comparauit infamiam, in sui cõcupiscentiam, & amorem populi iudices traxit. A quibus in iudicium vocata, marito, & pronpinquis circumcincta, cooperta velo tribunal intrauit. Cur modò, marito, & propinquis presentibus, vxorata velatur? Pulchrè Tertullian. lib. de Corona militis. *Meritò abscondens decorem vel quia timens iam placere.* Experiebatur damna quia semel placuit, & ideò modò cauta etiam mariti, & propinquorum fugit publicum conspectum, timens iam vel præsente marito placere.

1. *Reg.* 11

*Euch.*

*Dan.* 13.

*Tertull.*

Hinc claret quàm digná viro iusto fuerit illa quæ videbatur Mardochæi rusticitas erga Aman, quem Principem magnique Regis patrem vnus Mardochæus captiuus minimè debitis obsequijs colebat, nec illi regiam intranti assurgebat. De quo ipse Mardocheus sese excusans Esther. 13. ait. *Scis Deus, quia non pro superbia, & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman superbissimum (libenter enim pro salute Israel vestigia pedum eius de osculari paratus essem) sed timui, ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & nequemquam adorem excepto Deo meo.* Sed vnde hic timor ortus est in Mardochæo? Respondit Carthus. quòd Aman circa pectus gerebat aureum idolum, cui Medi omnes adorationem exhibebant. Inde Mardochæus Israelis captiuitatem ab idolatria profectam expertus eam didicit cautelam, qua nec principi idolum præferenti assurrexerit, ne idolo simul aliquem honorem exhiberet. *Timui ne quemquam adorem, excepto Deo meo.* Sic idolatriæ pœna afflictus idolatriam incurrere metuit, vt ab honore exhibendo principibus abstineret, nec patrij Regis obsequij ergo assurgere vellet. Sic præcauẽt viri pij pericula, sic pristini damni vel vmbram metuunt.

*Esther* 13.

*Text.* Et admonitus in somnis secessit in partes Galilææ; & veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam quoniam Nazaræus vocabitur.

## §. XIII.

### *Deus amat esse, vbi alicuius patientiæ occasio inuenitur.*

IVdæam fugit Ioseph Archelaũm Herodis filium natu maximum metuens, & admonitus ab Angelo in Galilæam secessit, vbi minor Herodis filius tenebat imperium. Cur etiam ab isto non abstinuit? Cur alio non secessit vbi nullus regnaret Herodis filius? Non ne securior esset & quietior, vbi nulla crudelis hostis proles vigeret? Esset quidem; sed respuit

respuit Christus Dominus illam vitam, quæ nullo affligitur metu, amat esse, vbi patientiæ aliqualis occasio fertur. Iudic 1. dicitur de fortissimo Israelitarum Saluatore: *Fuit Dominus cum Iuda, & montana possedit, nec potuit delere habitatores vallis.* Etenim, cui Dominus aderat â vallium habitatoribus fortiter resistebatur, quod ponderans Augustin. quæst. 5. ait, *quis non intelligat etiam hoc ipsum ad id pertinuisse quod erat Dominus cum Iuda?* Ex eo quod Dominus illi astaret, nascebatur aduersitas, qua exerceretur, amat Deus esse vbi vlla afflictio, vbi vlla exercetur patientia. Inde patientissimus Iob ab stercore in pristinas diuitias restitutus, functos vita filios non iterũ recepit, imò nec petijt sibi dari â Deo. Cur ita? Pulchrè Tertullian. lib. de Patient. *Si filios quoque restitui voluisset, pater iterum vocaretur; sed maluit in illum diem reddi sibi tantum gaudij, securus sic de Domino distulit. Sustinuit tã voluntariam orbitatem, ne sine aliqua patientia viueret.* Adeò exosa est viris spiritum Dei habentibus vita illa, quæ nullo timore vexatur, quæ nulla pœna affligitur, eaque est semper inoptatis vitã, quæ timoris, & spei vicibus sub est, quæ præmanibus habet quid sustineat, vt potè, quæ est omnium quæstuosissima. Id quod optimè nouerat sanctus Iacob, quando iam moriturus magis cadauer, quâm corpus filio aiebat, Genes. 43. *Facies mihi misericordiam, vt non sepelias me in Ægypto; sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac.* Ad hæc D. Ambros. orat. de fide resurrect. *Sanctus Patriarcha profugus patria, fratre, parentibus fluprum filiæ generi necem fleuit, famem pertulit, sepulturam defunctus amisit, transferri enim ossa sua, ne vel mortuus quiesceret, obsecrauit.* Qui vitam tantis ærumnis præssam egit, moriturus modum inuenit, quo ossa nõ quieta sederent, hoc maximum sibi lucrum reputans, si in hac valle lacrymarum nullum quiete, & securè locum haberet; sed vbicũque fuerit communibus mortalis vitæ iniurijs lassaretur. Hãc vitam exoptabat caro illa, qua post modum vestitus Dei filius nequit etiam in loco esse, vbi sine crebra patientiæ occasione vita omnino quieta degeretur. Quapropter Nazareth Galileæ gubernante Herode vitam degit.

Iudic. 1.

Augustin.

Tertull.

Genes. 43

Ambr.

## CAPVT XI.

## De puero Iesu Ierosolymis manente, in scijs parentibus, àquibus quæsitus, & inuentus est.

### Ex Luc. 2.

IAM duodecimũ annũ attigerat puer Iesus, & sui in mundum aduentus volens aliquam Synagogæ principibus suggerere notitiam, quo festo omnes Iudæi Ierosolymam conuenerant, venit, & ipse de more cum parentibus suis. Cùm autem ritè omnibus peractis reuersuri cuncti essent, ipse, inscijs parentibus, Ierosolymis remansit: deflent amantissimi coniuges absentiam filij, & summo illius desiderio capti qua possunt diligentia pertránsitis cognatis per vicos, & plateas quærunt, quem diligit anima sua. Post triduum templum ingrediuntur, & ecce tibi diuinus puer apparet medio in Doctorum cum eo, iam illorum Magister, iam discipulus factus. Et qua potestate Doctores illuminabat parentum amore plenis quærelis satisfacit, illisque deinde subditus vitam agit.

*Textus:* Cùm factus esset Iesu annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consumatisque diebus cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius.

### §. I.

*Iesus dum puer est non secus è haberur, frequentibus se se animis subducit, & subtrahit.*

QVicunque puerum Iesum mente habes, hac pungere cura, ne te deserat, ne

inſcio te diffugiat; ſolet enim paruulus hic occaſione accepta amantiſsimos etiam fugere. Enim verò dum Ieſus per paruam gratiam, paruus eſt in hominis anima frequentiores peccati permiſsiones facit, quibus ſe ſubtrahit. Nouit in primis Iſaias cap. 16. dum inquit. *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ de petra deſerti ad montem filiæ Sion, & erit ſicut auis fugiens.* Expende illarum auium, quæ ſuauiſsimè canere ſolent, ingenium fugax. Erit tibi v.g. in caua Philomena vel Carduelis, cuius delitias maxima vigilantia procures, aprica illi loca quæras, eleas pares dulciſsimas, nouas indies aquas propines. Interea paſſerculus haud ingratus tibi mille cantilenas effingit, lætus in caua ſalit, & ſaltat, & exultat, verùm ſi vel rimulam caueæ videat, ſi apertum oſtiolum, nullis detentus delitijs ſubitò euolans fugit. Quid mirum quod à caua fugiat, qua tenebatur captiuus? Eſto, non captiuus in caua; ſed in amœnis floridiſque hortis liber ramo arboris inſidet; ibi in primis excuſsis alis, compoſitis plumis os pectori applicat, vt extergat, & ſtatim gratioſè erecto gutture quàm ſecurè canit! Quam quietè modulatur! Quos non efficit modulos! Et quando ſecurius dabat ſonos dulciſsimos, ſubitò interrupta muſica fugit. Is eſt puer Ieſus, ſicut auis fugiens ſicut Carduelis fugax, tibi dulciſsimus placidiſsimus aderit, ſed hoc ingenio, vt quàm primum libuerit fugiat.

*Iſai. 16.*

O quàm diuini pueri ingenium hoc fugax nouerat illa eius amaſia, quæ Cãt. 8. dicebat illi, *qui habitas in hortis amici auſcultant, fac me audire vocem tuam.* Explicatiùs forſan Sept. *qui ſedes in hortis*, quaſi diuinum paſſerculum hunc in floridis meditata hortis diceret. Eia age pulchro in nemore ſumus. Hinc Mariana platanus extendit ramos, illinc velut cedrus incorruptus Ioſeph aſſurgit; horũ inſide brachijs, cane paſſer dulciſsime, ecce quicunque auſcultant, amici ſunt amatores ſunt: ò qualẽ vocẽ iam audimus! O quàm ex tuo ore melodiã percipimus? Optimè modularis: & ſtatim ſubdit. *Fuge fuge dilecte mi.* Proh Deus immortalis, quid iubes, vt fugiat? ſi dulce canit, cur illius expoſtulas fugam? Beda omnium acutiſsimè dicat. *Non optando loquitur; ſed eius potiùs voluntati ſe conformãdo, memor, videlicet, cõſuetudinis ipſius.* Nouerat ſponſa paſſerculi fugaciſsimã naturã, ſciuerat quã ad fugiendũ erat procliuis, & ſic quaſi illius ingeniũ depingẽs quãdo placide canẽtẽ audit, quãdo ſibi applaudẽtẽ cernit, vel ſubridẽs ait fuge fuge dilecte mi, hoc tuũ ingeniũ eſt, hic tuus mos, vt ſucciſſo cantus filo diffugias, vt eos deſeras, quandoq; qui te amant, quos, & tu vehementer amas. Quàm amabant illi felices ſenes Simeon, & Anna, quamque exultabant viſo hoc puero, qui medius inter paſſeres templum Deo offerendus intrauit! Et ecce Matth. 2. Angelus apparet Ioſeph, & ait, *accipe puerum, & fuge in Ægyptum*, à quò fugiet? Chryſ. id notauit, *fuge à tuis, fuge à ſanctis è regione ſanctorũ.* O fugax pueri Ieſu ingeniũ! Sanè puer diuinus quaſi neſcit obligari, nullis officijs ſecure tenetur, nunquam canorus hic paſſerculus cicuratur, domeſticos etiam amicos familiares fugit. Sed cur fugit? Pulchrè D. Fulg. ſerm. in Epiphan. *Fugit non neceſsitate; ſed poteſtate.* Expende illud ſed poteſtate, hoc eſt ſolum quia poteſt. Etenim vt indebitũ neget ſauorẽ nullo alio eget fine quã vt abſolutã ſuã exerceat poteſtatẽ. Carduelis qui in caua delitijs affluebat cũ primũ potuit fugit ea ſola ratione, quia potuit. Sic puer Ieſus nulla neceſsitate impulſus; ſed cũ primũ poteſt fugit, & deliteſcit inuius etiã amantibus.

*Matth. 2. Chryſol.*

*Fulgent.*

Hinc magnus Athan. orat. 1. contra Arianos curat Ægyptijs perſuadere quod huius diuini pueri fide præ manibus habeant. *Quia*, inquit, *apud nos ſeruatur puerulus ille, quem Herodes interficere ſatagebat; ideo auctor hortatorque ſum, vt geſtantes in manibus veſtris fidem Nicæa à patribus traditam ſpecimen exemplarque vos omnibus præbeatis.* Quaſi dixerit: omnes ſumma diligentia filij Dei fidem amplecti, & teneri debent; ſed vos qui hunc filium Dei puerum accepiſtis, vigilantiores omnibus eſſe debetis in eo tenendo, illum manibus geſtantes, ne dimittatis, quia puer eſt, & erit ſicut auis fugiens.

*Athan.*

Quare ergo etiam omnium hominum adhortator ſum vt geſtantes in manibus filium Dei, eum toto mentis conatu teneamus, quia apud nos ſeruatur paruulus, & paruulus cum ſit in nobis, ſi te pide tenetur, accepta occaſione, etiam ſine neceſsitate, pro poteſtate ſolum euolauit. Sic amantiſsimos parentes de filij fuga queribundos ipſe filius apud Timoth. Ieroſolym. reſpondit, *& vos me vt puerum quæritis?* Quid me fugitiuum vocatis? Quid de mea fuga querimini? Sũ vobis puer, vt puer requiror, & habeor, & ideo manibus excuſſus veſtris pro poteſtate euolaui, fugi non vt affligerẽ; ſed vt potui. Apud quos ergo puerulus hic habetur, moneo vt teneãt manu, nec dimittãt, quia cũ potuerit abibit ſtatim. Sic ſinẽ ponit Drogo lib. de ſacr. Paſs. *Dñe Ieſu, ſeneſtrã habes, per quã dilectus mittit manũ ſuã, & colũbã ſuã excitat ſurge, inquiẽs colũba mea, & amica mea & veni: & cùm euolat poſt te, vt apprehendat, te effugis, & aſcendis ſuper Cherubim, & volas ſuper pennas ventorum.*

*Tim. Iero.*

*Beda.*

*Drog.*

Tex-

*Text.* Existimantes autem illum esse in comitatu venerunt iter diei.

§. *II.*

*Non adeò auarus existat quis, vt Deũ vni sibi proficuum velit, & non alijs.*

MIraberis, sanctissimos Dei parentes integrum diem à filij abstinuisse, complexu, & velim in hoc mirere parentum diuinorum virtutem maximam, qui solem suum Christum faciunt oriri super omnes indiscriminatim. Sanè puerulus diuinus ab omnibus amabatur, & sic sæpissimè à comitibus euocatus & tractus, relinquebat in via parentes. Qui vt minimè inuidebant aliorum bonis, sic permittebant ab alijs filium teneri, adamari, & munerari, scientes quantùm boni ex illius præsentia possent vniuersi capere. Quã longè ab his parentibus illa filiorum Zebedæi mater, quæ auara nimis suis solis integrũ Saluatorem curabat reseruari. *Dic vt sedeant duo filij mei, vnus ad dexteram, alius ad sinistram.* Matth. 20. sic quod omnibus sanctis propositum erat, duobus tantùm filijs procurabat. Vnde Amb. lib. 5. de fide cap. 2. *meritò*, ait, *reprehenditur hæc mulier, quæ speciali quodã priuilegio ab eo Domino postulauit ea, quæ sanctis indicauit esse donanda, non duobus Apostolis; sed omnibus discipulis.* Suis vnis cœleste munus optat, reliquos minimè curat, dũ sui requiem habeant, cœlestemque possideant hæreditatem, cæterorum omnium nulla solli citudine angitur. Quo laboraui vitio Apostolorum primus, cùm Thaboris gloriam speculatus aiebat, *bonum est nos hîc esse*, illum sic castigat Marcus cap. 5. *non sciebat quid diceret.* Ad hæc D. Bernard. serm. de vita solit. *nescions quid diceret, ait, quia visa Dei maiestate commune bonum intra priuatum suum visus est contulisse, & quo omnes frui debebant, ipse solus frui curabat.* Meliores his Christi Domini parentes, quando filium suum, in quo omnes diuinitatis thesauri habitabant, omnibus concedebant, vt omnibus ipse suorum bonorum copiam faceret. Quippe sui immemores integri diei absentiam à filio faciebantur, vt alij summo eius bono communicarent. Hinc aliquando D. Augustin. serm. 113. sepulchrum Domini extulit, liberaliusque commendauit esse, quàm Dei matrem. *Illa enim*, (aiebat) *cunctorum spem tardiùs protulit; hoc cunctorum salutem citiùs suscitauit. Illa totius mundi Dominum nouem mensibus in vtero clausum tenuit; hoc autem triduo tantum tumuli gremio custodiuit.* Inde liberalius, quia commune bonum citissimè omnibus propalauit. Hinc meritò Rup. in Ioan. lib. 11. in ludam scandet, his verbis. *O magnifica supplantatoris peruersitas, qui vniuersalem nostræ salutis hostiam faciens suã, sic quasi suum peculium possessorem mundi venalẽ proposuit.* Hæc ille: vt reprobi Iudę auarissimam mentem damnaret, qui totius mundi pretium sibi vni vsurpabat. Vndè eleganter succenset Abbas Cellens. de Panib. cap. 24. Principem reproborum Luciferum, sic aiens. *Si portionem, quæ sibi competebat, Lucifer moderatè exposceret, & non totam vnguenti substantiam, tãquam musca moriens rapina vsurparet, fortè adhuc in odore eius cum sodalibus sponsi viueret.* Eu quàm sibi nocet qui totum cupit vni sibi.

Matth. 20.

Ambr.

Mar. 5.

Bern.

Augus.

Rup.

Cell.

*Text.* Et requirebant eum inter cognatos & notos.

§. *III.*

*Christus Dominus nulla magis re filius Dei apparuit, quàm multitudine cognatorum & fratrum.*

GEnerationem temporalem Christi Domini speculatus diuinus pater bis in illa singulare notione gloriatur in Psalmis. Primò Psalm. 2. dicens: *filius meus es tu, ego hodie genui te.* Rursus Psalm. 109. dũ ait, *ex vtero ante lucem genui te.* Hunc posteriorem locũ quando enucleare cupio, adest mihi receptissima illa omnium ferè Hebræorum lectio, quæ sic se habet. *Ex vtero ab aurora tibi ros pueritiæ tuæ, siue adolescentiæ tuæ*, quæ vt Rabbi Salomoni significat innumeram prolis multitudinem roris guttis æquándam, sic Christianæ natiuitati explicandæ omnibus est luculentior & aptior. Planè vnus vterus virgineæ auroræ roris multitudini similem prolem partùriuit, dum cum Christo Christianos omnes effudit. Id quod D. Cyrill. libr. 10. thesaur. capit. 3. notauit his verbis. *Quando natura ipse Deus, homine*

Psalm. 2.

Cyrill.

*assumto, frater factus est noster, tum etiam primogenitus in multis fratribus factus est, quia multos filios Dei per gratiam effecit.* Nascitur Christus, & cum illo totus Christianorum populus renascitur, nascitur tot cinctus fratribus, quot sunt roris guttæ viridantia fœcundantes prata. Et quo densior est fratrum renascentium aggeneratio, eò Christi gloria clariùs apparet, gloria quasi vnigeniti à Patre, vt dicat ipse Pater, *filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ambr. Quo hodie? Eleganter Amb. lib. 3. de Sacram. cap. 1. *Hoc est, quando redemisti mundum, quando ad cœli regnum vocasti, quando implesti voluntatem meam, probasti meum te esse filium.* Dixisset adhuc, quãdo Deus de Deo prodisti tunc solus, tunc sine fratre mihi soli tua generatio claruit, nec illam dignatus sum euulgare; sed quando caro factus tecum mundum facis renasci, quando fratrum cuneis nasceris stipatus, non me contineo, quin te publicem meum natum, quin me de tãta prole iactem, ego hodie genui te.

Latuit quidem Dei filius, dum fratres non habuit, nec vllus se in filium Dei glorietur adoptatũ, qui solus & singularis absque aliquo Eccles. 4. fratre. Eccles. cap. 4. dicebat Salomon, *considerans reperi aliam vanitatem sub sole, vnus est & secundum non habet, nõ filium, nõ fratrem.* Quæ Græc. verba expendens author Catenæ Græcæ, ait, *si quis fratrem non habet, hic spiritum adoptionis filiorum non accepit.* Is filius Dei erit & vocabitur, qui fraterno affectu gaudet, tunc filiorum Dei adoptio, & natura maximè explicatur, quando natura stimulante fraterno amore agimur, & in flammamur. Nullus in filij Dei corpus transijcitur qui solus sit & singularis. Etenim is est filius Dei, qui *pascitur inter lilia.* Hoc est, vt eleganter notat Bern. serm. in Bernard. Nat. Virg. quod *et si iustus germinet sicut lilium; sed non ad lilium sponsus pascitur, neque in singularitate complacet sibi.* Eos in suum corpus traijcere, aut qui fraterno amore copulantur, qui sunt verè fratres & cognati, in quo filiorum Dei adoptio manifestatur.

## §. IIII.

### Naturæ cognatio filium Vnigenitum Dei ad pauperculorum hominum consortium traxit, & illis reddidit salutarem.

MIraris aliquando naturalem filium Dei Christum creaturarum omnium moderatorem pauperi homuncioni inhærere, eiusque saluti incumbere, & vigilare. Equidem homo est, & carnem suam non despicit. Huc refert D. Athanas. quodcumque bonum in nos à Christo Domino dilapsum vidimus. *Nos cognata cum Domino corpora sortiti, incrementum ex eius plenitudine accipimus.* O magna vis cognationis, & fraternitatis, qua sum- *Dionysi.* mus Deus pauperum cognatorum meminisse dignatur! Id explicet illustri exemplo D. Chrysost. hom. de terræmotu, sic aiens. *Vt si calcaneo spina sit infixa, deorsum oculus se inclinat, quod membrum sit corporis, nec dixi, quando in altis sedeo, membrum quod deorsum est nihil facio; sed inclinat se suamque deserit altitudinẽ, tametsi quicquid calcaneo vilius? quid oculo nobilius? sed inæqualitatẽ cognatio naturæ correxit.* Despiceret altissimi filius homines humi prostratos, sperneret à Satana deiectos, fastidiret à regalibus sedibus in ima descendere, vt lux cœcos illuminet, vt salus infirmis medeatur, vt oculus sanando incumbat calcaneo; sed inæqualitatem cognatio naturæ correxit, & vt cognatos nouit, non dedignatur subuenire prostratis. Iam non te moueat homo quòd vilis sis, quod humi repas, vt altissimũ Deũ suspicias, eiusq; fauore nitaris, inæqualitatẽ naturę cognatio correxit, & nil est quod timeas vbi Deus tibi adest cognatus. Hinc Theodot. Ancyrę Episc. hom. de Nat. Christ. *Theodot.* *Cùm Deus esset, voluit homo fieri propter suam in nos clementiam, quò nos creatorem, & iudicem perinde, ac cognatum deinceps complecteremur. Et qui propriarum actionũ laude destituebamur, per ipsum fiduciam conciperemus. Et tamen cùm ad tribunal abstrahuntur, qui propriarum virtutum præsidijs confidenter niti non possunt fit interdum, vt cognatorum suorum meritis qualemcumque confidentiam sibi aucupentur.* Porrò, quis iudex adeò seuerus non suffragatur etiã criminosis cognatis? quam non conciliat clementiam cognatio? Cuius non allicit, & delinit animum? deserit altitudinem suam oculus, & se inclinãs maximam præbet spem calcaneo sanitatis, deserit etiam omnium altissimus Dominus, & creator suam altitudinem, vt spem salutis & confidentiam inferat, vel minimis suis cognatis. O vos fœlices homines, qui hanc diuini iudicis cognationem æstimatis, qui dum Deum cognatum cernitis, discitis Deum nõ timere, imo omnium rerum na, curatorem habebitis, & præsentem cognatum, qui nullibi citiùs inuenitur, quàm vbi eius adsunt cognati.

*Text.* Et non inuenientes reuersi sunt in Ierusalem requirentes eum.

## §. V.

### *Quicumque Deum amittunt nec gradum vlterius faciant; ibi sistant, ne & ipsi perdantur.*

VTinam quod Iesu parentes faciunt; omnes nos niteremur imitari; illi vbi Iesum à se abesse norunt, ibi sistunt, nec sine illo vlteriùs gradum faciũt. Et nos Deũ peccantes dũ amittimus, ne vlterius progrediamur. ibi sistamus, & facili negotio ad Deũ reuertemus. Sic peccatorum primogenito con-
*Genes. 4.* sulebat Deus Gen. 4. iuxta Sept. *Dixit Dominus ad Cain: quare concidit vultus tuus? Peccasti? quiesce: ad te cõuersio eius, & tu dominaberis illius*, quasi dicat: dum lapsus semel quiescas, sistas, ad te conuersio eius, & tu dominaberis illius, facilè effrænem appetitum cohibebis vel minimo lori signo, seu blando poppysmate tui compos exurges, in Deumque conuerteris. Hùc spectat illa D. Ambros. excogi-
*Ambr.* tatio de generoso elabenti equo, in apol. Dauid cap. 9. *Plerique equorum cùm ceciderint, se iactare consueuerunt, & quos casus non læserit, iactando se debilitant, & frangunt. Alij, qualis Græcorum equorum fertur natura, cum vel in certamine curuli elisi fuerint, vel fortuitò ceciderint; nequaquã se mouere consueuerunt, & quandam tenent quietis, & patientiæ disciplinam. His si casus nõ nocuit, quies prodest, certe non exarcebatur offensio.* Imò, sic quieti in lapsu à quouis lori signo euocati, vel blando sibili iuuamine alacres, & expediti assurgunt, vt fœliciter cursum conficiant. Ea erit humanæ mentis fœlicitas in peccati ruina, si semel lapsa non se iactet, non præceps vlteriùs rotetur; sed immobilissima stet; sed parcens sibi quiescat. Etenim tunc ad te conuersio eius, & tu dominaberis illius, ea facilitate conuersio appetitus fiet, quã generosus equus quiescens in ruina, vt vel sibilo, vel minimo poppysmate euocatus, & re uocatus, brauium desperatum pertingat.
*Chrysost.* Accedit iam D. Chrysost. explicatio, quæ sic se habet. *Peccasti, & grauiter peccasti; sed non punio propter delictum; misericors enim sum, & nolo mortem peccatoris; sed vt magis conuertatur, & viuat. Igitur, quia peccasti, quiesce, tranquillitatem facito, cohibe tumultus illos tuos, ne addas priori peccato grauius aliud, ne consilium arripias, vt medicina posthac nil prosit. Peccasti? quiesce.* O fœlices illos, qui animalium infirmitatem appetitum experti, generosi etiam animalis æmuli non se iactant in lapsu, non præscripti rotatu voluuntur; sed ea quiete subsistunt, qua vel leuiori compressione conuertuntur, & in brauium destinatum prosiliunt. O quàm expauit diabolus hanc quietem in Iuda, & ideò, sic illum impellebat post acceptam buccellam, vt continuo in venditionem Magistri compule-
rit exire. Ait enim. Ioann. 13. *Cùm accepisset ille buccellam, exiuit continuò.* Ad hæc D. *Ioann. 13.*
Cyrill. lib. 9. c. 19. *Timet, vt credo; Diabolus ne morando locus pœnitentiæ detur, & quasi â temulentia mentem suam homo rectius cogitans eripiat, hac de causa festinat ac impellit.* O quoties post lapsum quies, & mora homines à præcipitio liberauit! Timet, timet sanè diabolus paruam quietem, expauet moram, in qua facili negotio effrænes etiam appetitus conuertuntur, & ideo, impellere festinat, vt lapsos sine mora, sine quiete, in alia, & alia ferãtur præcipites. Gnarus quã facili impulsu, qui post lapsum quiescit, ad meliorem conuertatur frugem. *Cyrill.*

## §. VI.

### *Deus quærendus omnibus modis, & vijs, quibus posset inueniri.*

VIde quàm sollicita Maria in quærendo filio existat, nullum lapidem non mouet, nullam viam non arripit, vt in ueniat amissum, cognatos adit, notos interrogat; denique Ierosolymam redit, omnia lustratura, donec inueniat filiũ. Sic eos, qui Deum quærunt, vigiliarum vox apud Isaiam cõmone-
facit. *Si quæritis, quærite, conuertimini, & venite:* hoc est, ne vobis certas, & determinatas vias quærẽdi præfiniatis, ne in quærẽdo Deũ finem faciatis; sed quærite, & amplius quærite sine termino, & fine. Explicatissimè Richardus de Sancto Victore, lib. 2. de Em-
manuele cap. 16. *Si quæritis, quærite, & inquirendo perseuerate, imò & multipliciter quæratur, qui nunquam ad plenum inuenitur.* Non semel quæ fisse satis, iterùm atque iterũ requirendum, perquirendum, hac illac eundum, &
*Isai. 21.* *Ric. Vict.*

bis, & ter, & millies eadem repetenda, reuisenda, lustranda. Liceat ex prophani Lucretij penu ea describere, quibus amissum vitulum à matre requiri depingit. Sic lib. 2.

Lucret.

*Aut mater virides saltus orbata peragrans*
*Linquit humi pedibus vestigia pressa bisulcis,*
*Omnia conuisens oculis loca, si queat vsquam*
*Conspicere amissum fœtũ, completq; querellis.*
*Frondiferũ nemus assistens, & crebra reuisit.*

Hoc amore, hac cura querebatur filius Iesus à parentibus, eisdem petit quæri ab homine quocumque, vt omnia conuisat loca, vt creber eadem repetat, & reuisat, nullum imponens finem, nulla inquisitione contentus, donec inueniat amissum. Hinc notat D. Hilar. Synagogæ repudium, dum explicat illud Matth. 5. Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio. Vbi ait: *Synagogam dignè Dominus comparat modio, quæ susceptos fructus intra se tantùm receptos certum modum dimensæ obseruantiæ continebat.* Pondero illud, certum modum dimensę obseruantiæ, & cur placeret Deo, quæ non nisi cum mensura seruiebat? quæ præfinitis obseruantiæ regulis, quę definitis, & determinatis vijs Deum quærebat? Absit ab eo, qui repudiari timeat, hoc mensuratum, & determinatum obsequium, multipliciter Deus quæratur, omnimodè laboremus, vt inueniamus, omnia lustrantes opera virtutum, vniuersa exercicia peragrantes, & crebri eadem reuisentes. Is sit nobis finis in quęrendo, qui nos faciat inuenire quæsitum. Pulchrè Origen. Magdalenæ exemplo proposito docet qualiter Iesum debemus inquirere. *Disce à Maria quærere Iesum in monumento cordis tui, reuolue lapidem ab ostio monumenti Dei, amoue omnem duritiem: tolle omnem concupiscentiam tuam à corde tuo, & diligenter perscrutare, si sit Iesus in eo. Si autem non inueneris in eo Iesum, sta foris, & plora, permane in fide, & respice foris ad alios, si forte in aliquo videris eum, & plorando ora Iesum, vt dignetur intrare ad te. Et iterum respice monumetum Dei quod est in te, & si videris ibi Angelos, hoc est, cœlestia desideria, per quæ tamen adhuc non possis videre Iesum, noli his contentus esse, noli ad huc deficiendo quiescere, sed plora, & quære Iesum donec inuenias.* Hæc ille: Quibus rectè explicat, quam multipliciter quęrendus sit Iesus, donec ipse dignetur inueniri.

Matth. Hilar.

Orig.

*Textus.* Et factum est post triduum, inuenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum audientem illos, & interrogãtem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentia, & responsis eius.

## §. VII.

### *Christus Dominus in templo à crudelissimis inimicis, aut honorem, aut offensam nullam accepit.*

SAlutem ab inimicis reportandam dedicat puer Iesus duodecimo ætatis anno honorificè inter Doctores sedens in templo. Enimverò nunquam percussus in templo, imò ibi sæpè honoratus consedit, magister docuit, Dominus peccatores accepto verbere perterrefecit. Matth. 28. *Quotidie sedebam in templo docens, & non me tenuistis.* Quo circa D. Chrysostom. *Eum in templo non tenuerunt, propter quod Dominus foras exiuit, vt ex loco, & tempore daret eis aptitudinem se capiendi.* Dum templo assidet, impiorum rabiem non sentit; sed & proprium, & paternum honorem integrũ intuetur, in quem munitum templo non audet impietas. Ierem. Thren. 4. *Filia populi mei crudelis sicut strutio in deserto.* Strutio omniũ animantium crudelissimè duratur in filios, quos vel perdit; sic populus Iudæorum sicut strutio crudelissimus in filium Iesum; imò, vt addit Rup. strutione crudelior, qui non deseruit, *sed insuper occidit dicendo, sanguis eius super nos, & super filios nostros*, vt in vno Christo omnes filios interimeret, & perderet. Sed expende istius crudelissimi facinoris locũ, crudelis, ait, sicut strutio in deserto, non audet in templo eorum et si rabidissima crudelitas; sed extra templum in deserto desæuit. Meritò D. Augustin. serm. 2. in Dom. 23. post Trinitat. huc reuocat Christianos omnes adolescentes, vt vel discant à Iudæis qualiter se erga Deum in templo habere debeant. *Certè, ait, Iudæi, qui Dominum crucifixerunt, quod cùm audimus horrescimus, & ingenti execratione pro-*

Matt. 28. Chrysost.

Thren. 4.

Rupert.

*ne prosequimur: illi cùm de sua luxuria cogitarent, delitiosorum agrorum solicitudines meditabãtur dicentes, nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra. Quomodo ergo parceret Christo, si eum inuenisset in terra, qui non solitaria prata irritandis libidinibus suis; sed frequentissimas elegit Ecclesias regnantis in cœlum?* Iam nocentiores in Christum iuuenes Christiani videntur, quàm impijssimi Iudæi: illi vt Christum inuaderent, Deumque suis flagitijs offenderent, agros, deserta meditabantur imô sibi maximè exosum, & inuidiosum Iesum in templo verentur, in templo honorant, quem crucifigunt in deserto. Et Christianorum multi templa quærunt, vt Christum libidinibus suis lacessant. Quid iam Iudæos Deicidas obstupescitis? Quid crucifixores exprobratis? Maiora vos auderetis in Christum, si in terra haberetis, quem regnantem in cœlo, in templo, in paterna domo inuaditis.

*Plat. 7. li.* Sanè Platonica lege sic olim cautum erat: *Piscator nec in portubus, nec in sacris fluuijs, paludibus, stagnisque venetur, in alijs liceat.* Expendo illud, neque in portubus. Etenim inhumanum est in portu, vbi toties receptus à furenti liberaris mari, à fluctibus inuadentibus defenderis, & ab hostili telo fugium recipis, quo dibi vel piscem offendas? quod ibi humanissimè non habeas etiam pisciculos quosque debiles. Legales illi Iudæi in templo furentis sæculi maris portum meditantes, vbi quacumque tempestate iactati tutissimum confugium inueniebant, crebraque naufragia deuitabant, & portum verebantur, & pisciculo ibi nostro Christo parcebãt. Exleges Christiani, prorsusque efferati dũ portus etiam infestant, dum templa quærunt, vbi mundo naufrago portus offertur, vt ibi miserè inescatos pisciculos peccati hamo in mortem expiscentur. Proh dolor! aiebat Ambros. *Ambr.* lib. 3. de virgin. *Quid prius horrescam nescio, tolerabiliora periuria, quàm sacramenta sunt tyrannorum.* Periurijs quidem forum, forensesque tumultus infestant, sibi nocent, Deum existentem in cœlo lacessunt, cùm sacrum audiunt, cûm diuinis intersunt mysterijs. O crũdele nefas, in portu Tertulliani pisciculum *Lib. de baptism.* Christum enecant: fidelium pisciculorum examina, suarum libidinum laqueis mortiferè irretiunt. Hos acutè perstringebat Athanas. Synait. de sancta Synaxi, dum ait. *Anignoras Ecclesiam Dei officinam medicam esse, & portum? Si in portu fluctibus agiteris, vbi postea quiesces?* Hæc ille.

## §. VIII.

### *Nullo magis Christum Saluatorem trahimus, quam colloquijs de rebus spiritualibus.*

CHristũm Saluatorem Iudæorum inditurus mentibus ipse puer Iesus hoc vtitur efficacissimo medio. Doctorum choro insertus verba miscet de optatissimo Christi aduentu, de durissima hominum seruitute, de Saluatoris indigentia. Hæc agit Iesus inter Doctores; his præparat illorum mentes, vt ad salutem recipiendam disponerentur. Israelitarum ereptionem à seruitute extimuit Pharao, cum eos confabulantes excepit de libertate amissa, de captiuitatis ærumnis, & tunc Saluatori aditum intercluſum putauit, si hæc colloquia multiplicatis laboribus ab Israelitis exulare fecerit. *Exod. 20.* Quod elegãter in rem præsentem obseruauit D. Cyrill. Alexandrin. *Cyrill.* lib. 9. in Ioann. cap. 19. sub his verbis. *Pharao iussit, vt graviora illic opera Iudæis afferrẽt, ne sermonibus vanis dare operam possent. Appellabant sermones vanos eos, qui de libertate haberentur, & ad meliora inflammarent, quibus, & seruiendi conditionem deplorarent, & à Deo poscerent meliora, quibus omnibus nonnihil illis affuturum putabat.* Et meritò tyrannus pertimuit hos Iudæorum sermones, vt Saluatori obuios; nulla enim re magis disponebantur captiui saluti excipiendæ, quàm dum collatis ærumnis de asserendo libertatis bono miscerent sermones. O quàm cito adest Saluator his, qui se se inflammant mutuis sermonibus ad eum excipiendum! Pascitur inter lilia spõsus, aiebat illa, quæ bene illius mores & ingenium percaluerat, & quid est quod pascitur inter lilia? Lilia ne totus pastus eius? Pulchrè D. Bernard. ferm. de Natiuitat. Virgin. *Bernard.* *Forte non cibo; sed consortio pascitur liliorum, nec lilijs vescitur; sed versatur:* Planè non sunt, quæ Deum inescant muta lilia, etsi florida, etsi suauè olentia, consortium amat, non olores: in cœlesti thuribulo Apocalyps. non olentia aromata; sed sanctorum ponuntur orationes, quæ Deum trahant ad homines. Colloquentium sanctorum consortia, & Deo præbent pascua suauiora, & ad se se quàm occisimè conuocant, vt hinc puer Iesus Doctores paratissimos Saluatori excipiendo dedicasset, si de illius aduentus bono,

& salùte popùlis noceſſaria miſceret ſermones. Apud Thabor medius apparuit Saluator, inter Moyſem, & Eliam; ſed cur medius inter Moyſem, & Eliam? Rem attigit Tertullian. lib. 4. in Marcion. dum ait. *Quid tam Chriſtus creatoris, quam ſecum oſtendere prædicatores ſuos? Cum illis videri, quibus in reuelationibus erat viſus? Cum illis loqui, qui eum fuerant locuti?* Ex eo quod de Ieſu locuti fuerint, quaſi inſeparabiles laterones apparent Ieſu. Iam non mirabor Theophilum Alexandrin. qui epiſtol. Paſc. 3. virtutis ſummam in diuino fidelium conſtituit colloquio: ſic enim inquit. *Cùm mens ſemel virtuti ſe tradiderit, quicquid aduerſi euenerit, calcat, & deſpicit. Qualis fuit Paulus ſcribens, in his omnibus ſuperamus per eum, qui dilexit nos. Quod enim ſuſtinere non poteſt carnis fragilitas, naturali infirmitate ſuperata, vincit animus fide colloquens Deo.* Ecce virtutis robur, & fortitudo iuxta illum ex fidelium cum Deo colloquijs naſcitur.

*Tertull.*

*Theophyl. Alex.*

*Textus* Et dixit Mater eius ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.

## §. IX.

### *Certiſsimè, & citiſsimè Deum inuenit, qui dolens, & lugens quærit.*

LOnga terenda via eſt ijs, qui in aquoſa obambulant, vt Deum inueniant; ſed qui crucis carnali inhærent, hoc eſt, qui dolori, & lacrymis incumbunt, quàm citiſsimè diuinum paradiſum attingunt. Chryſoſtom. hom. de diuite id prædixerat. *Nonne nobis dixit, quòd regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud? Qui in cruce eſt, non vim facit, nihil medium eſt, & crux, & ſtatim paradiſus.* Altiſsima ſunt paradiſi mœnia ſuperanda, per abrupta montium cacumina eundum his, qui ad paradiſum feſtinant, quadraginta dierum iter terendum Prophetis ipſis, vt Dei viſionem obtineant. Non tamen ſi à cruce incipiunt carpere viam, ſi in cruce ſunt, ſi dolentes, & flentes quærunt, nullum eſt medium, nullus expugnandus murus, nulla ſuperanda cacumina, & crux eſt, & ſtatim paradiſus. Profectò lacrymarum vis nota erat Abbati Cellenſi, qui lib. de panib. cap. 12. ſic lacrymarum ad Deum compendia diffinit. *Lacryma filium Dei ad nos inclinat, & ad veram Trinitatem, interueniente ſpiritu, nos eleuat.* Etenim, vt ad Trinitatem aſcendamus, ille ſpiritus, qui antiquitùs ſuper aquas incubabat, vt inde pennata animalia partutiret, nos etiam ex lacrymis pennatos educit. Verum filius Dei poſt lacrymas, nec pennarum expectat velocitatem; ſed cuiuſcunque moræ impatiens ad nos ipſe inclinari, & deſcendere feſtinat. Fleuiſti, ecce antequam aſcendas tibi adeſt inclinatus Dei filius, qui his in aquis nauigat velociſſimus. Huc retulerim illud à Tertulliano notatum, libro de Baptiſmo, vbi inquit. *Nunquam ſine aqua Chriſtus. Prima rudimenta poteſtatis ſuæ vocatus ad nuptias aqua auſpicatur. Cùm ſermonem facit, ſitientes ad aquam ſuam inuitat ſempiternam. Cùm de agape docet, aquæ calicem Patri oblatum inter opera dilectionis probat. Apud puteum vires reſumit, ſuper aquam ineedit libenter, & transfretat.* Quid dulcius flenti? Quid ſuauius dolenti? Quæ ſcire Chriſtum medijs in aquis reperiri. Non ſic palæſtina columba aquas amat, quibus reſidet, vt diuinus hic, & amator palumbus lacrymis oblectatur, & inſidet. Fœlix ille, qui naui gio crucis per lacrymarum maria dolens, & lugens quærat Chriſtum, inueniet proculdubio, non fieri poteſt, vt patiatur repulſam. Enim vero, vt ait Cellenſis vbi ſupra. *Aqua hæc, aut facit, aut inuenit paradiſum.* Tam certa Dei inueſtigatrix lacrymarum gutta, tam efficax inuentrix, vt ſi ſemel ab oculis profluat, quantumuis latentem inueniat Chriſtum, vt fluuius deliteſcens mare inuenit, vel producat denuò ipſum. Vt enim nocturnæ roris lacrymæ margaritam in cochilio producunt; ſic hominum Deum quærentium lacrymæ incomparabilem margaritam Chriſtum, aut inueniunt, aut reproducunt: Quid ni? lacrymæ parturiere Chriſtum. Sic Ambroſ. de pœnit. lib. 2. cap. 8. *Dauid dicebat: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo: & ideò meruit, vt ex eius familia virgo eligeretur, quæ nobis partu proprio Chriſtum ederet.* Itaque ea eſt vis lacrymarum, vt inueniat, aut producat Chriſtum. Accinit Bachiar. epiſt. de recip. Lap. ponderans, cur ex ea quę fuit Vrię naſci voluerit Ieſus. Aitenim: *Talis filius naſcitur ex pœnitentia, talem parturiunt gemitus, & lamenta.*

*Chryſoſt.*

*Cellenſ.*

*Tertull.*

*Cellenſ.*

*Ambr.*

*Bach.*

*Matth.* 1.

*Text.*

*Text.* Et ait ad illos; Quid est quod me quærebatis? nescie batis quòd in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

## §. X.

### *Christus Dominus, vt humanæ procurandæ saluti incumbat, parentes nil curat terrenos.*

VNum à Patre commendatum salutis humanæ negotium Christus Dominus habebat, cui sic incumbebat, vt præ animarum amore cætera omnia nihili haberet. Ardentissimè matrem qui amaret, salutem humanam eò amabat ardentius, vt à Patre imperatam, quo sibi animas in sponsas datas cognoscebat, quo easdem ad Dei bona viderat pertinere.

*Bernard.* Hinc D. Bernard. Canticorum dramma sub sponsi, & sponsæ vocabulis confectum, pulchrè exaggerat his verbis, serm. 7. *Nō sunt inuēta æquè dulcia nomina, quibus verbi, animæque dulces ad inuicem exprimentur sermones, quemadmodum sponsus, & sponsa. Vna vtriusque hæreditas, vna domus, vna mensa. Denique, & propter hanc relinquet ille patrem, & matrē, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Cui adesset sponsus, nisi sponsæ? Cur patrem Ioseph, & amantissimam sibi matrem relinqueret; nisi vt vxori adhæreret, vt paternum negotium de adquirenda sibi vxore perficeret? Nulla alia re à tam dilectis parentibus vellet diuelli; nisi vt animabus proficeret, nec nisi hæc paterna negotia illum parētibus possent eripere. Quos tandem queribūdus solatur eò quod non reliquerit; nisi vt de cœlestis Patris mandato, sponsis acquirendis incumbe

*Mat.* ret. Sic apud Matth. cap. 12. cùm mater expectans illum proponeretur, ait: *Quæ est mater mea?* Non sanè matrem confundens; sed matrem relinquendam esse docens, vbi acquirendis Deo animabus inhæserit. Quod egregiè ponderans Tertul. lib. de carn. Christ. in-

*Tertull.* quit. *Quale ergo erat, si docens non tanti facere matrem, aut fratres, quanti Dei verbum, ipse Dei verbum nuntiata matre desereret? Negauit itaque parentes, quomodo docuit negandos pro Dei opere.* Vt hinc iam discas, quò te amore Christus diligat, qui non solùm eandem hæreditatem, eandem domum, eandem mensam in cœlesti regno tibi communicat, verùm & propter te, vt tuæ incūbat saluti, patrē, & matrē relinquit, à quibus vna animarū salus tam diuinū amatorem, & filium separare sufficit. Et quis pro anima sua patrem & matrem non relinquat?

*Text.* Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.

## §. XI.

### *Nulla vilitas deprimit illum, qui obedientiæ virtute extollitur.*

NOn te moueat, quòd Iesus Ierosolymis relictis, ad paruum, & humile Nazareth se recipiat oppidum. Etenim non obscuratur loco, qui ibi obedientiam colit. Accipite D. *Chrysost.* Chrysost. hom. de Cæco nato nuper edita. *Nec paradisus, ait, in pretio habendus est, nisi Dei mandatum in eo seruetur, neque vilia loca sunt ignominiosa, si in eis sit lex Dei regnantis. Vtrùm melius? vtrum potius? Paradisus an sterquiliniū? Veruntamen Adamo propter transgressionem paradisus nil profuit; Iob verò sterquilinium propter patientiam nil nocuit.* Imò paradisus ipse vbi inobedientia fœdatur, non paradisus; sed desertus, & inuius fit locus, sola obediētia extollit, & illustrat loca. Omnia nobilitat, omnia amplificat, omnia magnificat obedientia, vilitatem non nouit, paruitatem ignorat, nescit

*Isai. 6.* non ascendere & extolli. Qui apud Isai. in Dei obsequium præcincti stabāt spiritus, simul alis efferebantur senis: quomodo ergo circa Domini thronum stantes pariter & volare dicuntur. An, quia prompta obedientia nescit non ascendere? Planè ait Eucherius: *Euch.* *Quia Deo stare idem est quod volare, & in sublime exaltari.* O tu felix, qui Deo stas in procinctu eius vel nutum expectans, nullis loci angustijs teneberis, nulla paruitate obscurabe ris, eo ipso quòd stas paratus, efferris pernici, & exaltaris volatū in amplissimos, & altissimos cœlos. Numquam non in cacumina, in cœlorum summitatem nititur obedientia; vt benediceret segniori filio Esaū Isaac aiebat.

*Genes. 27.* Gen. 27. *In pingue dine terræ, & in rore cœli desuper.*

*ſuper erit benedictio tua, fratri tuo ſeruies.* Acutè notauit Ambroſ. libr. 5. epiſt. 20. ad Horontianum illa verba: *in rore cœli deſuper, & fratri ſeruies*: quæ ſic expendit. *Pro benedictione igitur huiuſmodi eſt ſeruitus, denique inter bona annumeratur, inter collatam terræ vbertatem, & rorem cœli à ſummo.* Non quidem poſſet obedientia inter minora annumerari bona, quàm inter rorem cœli deſuper, ſiue à ſummo. Etenim cœleſtium ſummitas debito iure obtingit obedienti. Cùm paulò ante Iacob benediceretur, ea eius benedictio erat. *Det tibi Deus de rore cœli; eſto Dominus fratrum tuorum.* Ecce tibi imperium & dominium de quibus ditetur, nimirum, de rore cœli. Verùm obedientis ſeruitus, & ſubiectio ampliora requirit, non quouis cœli rore ſubſiſtit; ſed rore cœli deſuper à ſummo, cœlorũ ſummitatem amplectitur, qua ſeſe dilatat, & extollit vir obediens.

Ambr.

*Text.* Et mater eius conſeruabat omnia verba hęc in corde ſuo. Et Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deũ, & homines.

## §. XII.

### *Ex obedientia omnes dedicantur profectus Chriſti Domini, vtpote à qua ſunt omnes profectus humanæ ſalutis.*

POſita obedientia Ieſu Saluatoris parentibus exhibita, rectè adiecit Euangeliſta eiuſdem in ſapientia, ætate, & gratia profectus; & cur non proficerent opera ſalutis, vbi Saluator oſtenditur obedientiſsimus? In primis proficiebat ſapientia, ſapientia, inquam, de qua Iſaias. *In ſapientia ſua iuſtificauit ipſe iuſtos ſeruos meos multos.* Ad hæc oculatiſsimus Rupert. in Iſai. lib. 2. cap. 19. *Quæ eſt ſcientia eius, niſi obedientia eius? ergo in ſcientia ſua, id eſt, in obedientia ſua iuſtificauit ipſe, inquit Deus Pater, ſeruos meos multos.* O Saluatoris ſapientia excellentiſsima, quæ obedientia fœcunda mille peperit ſalutares fructus, mille dedit homines ſaluti!

Iſai. 53.

Rupert.

Probro Chriſto Domino tribuebat hæreticus, quòd ſubijceretur, & obediret, quaſi obediens ſubiectio inæqualitatis cũ patre ſtimmatã inureret. Quem eleganter repellens D. Cyrill. Alexandrin. lib. 5. de Dial. de Trinit. filiorum omnium in parentes obedientiæ elucidat pulchritudinem. Non enim naturæ ſeruilis notã incurrit filius, qui pulchrũ obedientiæ munus Patri voluntarius offert, non Iſaac alterius inferioris naturæ ab Abrahamo diuerſæ arguitur, quod vſque ad mortem obediret, non filius Dei, quòd voluntariè obediat ideò inferior, & natura infimus. *Poſſeſsio naturæ factæ quodammodo ad Deũ eſt, opertere ſubdi. Verum tamen non in eo, quod ſubduntur res habent eſſe; ſed exiſtunt, & ſubſiſtunt ſecundum propriam rationem, & quaſi vnicuique præmium dederit natura, voluntariè accipit obedientiam, & fit ea fructus mentis.* Sic ille: vt obedientiæ Dominicæ excellentiam exprimeret, quibus pondero illud, & quaſi vnicuique præmium dederit natura volũtariè accipit obedientiam, & fit ea fructus mentis. Etenim obedientia nõ ſeruilis naturæ nota, ſed ingenuæ naturæ præmium exiſtit, qua mens fœcundata optimos, & ſuauiſsimos parturit, & colligit fructus. Sanè incarnatæ ſapientiæ præmium fuit voluntariam obedientiam exhibere potuiſſe, qua ſalutis fructus valuit immenſum parturire, *quia in ſcientia ſua, ideſt, in obedientia ſua iuſtificauit ſeruos multos.*

Cyrill. Alex.

Rurſus Ieſus proficiebat ætate, etenim ſuos etiam præſtat ætati obedientia profectus. Ioſue 10. cùm Sol, & Luna ad hominis imperiũ ſtetiſſent, pergit textus. *Non fuit antea, & poſtea tam longa dies, obediente Deo voce hominis.* Et cur tempora, & dies non augeret diuina obedientia præſtita homini, quando quidem homo cũ obedit Deo, ſe, ſuoſque quaſi æternare ſentit? Iugulandus Iſaac victimam requirebat ex parente, cui ille: *Dominus prouidebit, fili.* Geneſ. 22. Ad hæc Ambroſ. primo de Abraham, cap. 8. *Vocare filium frequenter non timet, ita erat intentionis ſoliditate fundatus, & hoc ſe meliorem patrem putabat, hoc ſibi in perenne mãſurum iudicauit filium, ſi eum immolaret Deo.* Ecce tibi ex obedientia vſque ad mortem exhibita, filij perennitatem, multiplicesque vitæ annos augurabatur.

Ioſue 10.

Geneſ. 22

Ambr.

Tertio proficiebat Ieſus in exhibendis operibus gratiæ, & ſanè gratiæ apud Deum vnica eſt obedientia, & auctrix, & conſeruatrix. Id quod oſtẽdit Rup. lib. 2. in Gen. c. 30. Vbi ſic ait. *Nõne melius fuiſſet nullũ dediſſe præceptũ, quàm poſitione præcepti facere præuaricationi locũ? Ad hæc, inquã, vndè ergo copularetur homo Deo, ſi nõ illi ſubiugaretur obedientiæ iugo?* Quaſi nullum efficacius aliud poſsit excogitari mediũ, quo homo Deo per gratiæ opera copulareturpræter obedientiam: hæc vnica conciliatrix, & conſeruatrix gratiæ inueniebatur. Deuter. 26. aiebat Moyſes, *& nunc Iſrael quid*

Rupert.

Deut. 22.

*Do-*

*Dominus Deus tuus poſtulat à te ni timere Dominum Deum tuum, & ambulare in omnibus vijs eius?* Quod ſic in rem preſentem expēdit aliàs adductus Iræneus lib. 4. ca. 31. *Hæc quidem glorioſum faciebant hominē id quod deerat implentia, id eſt, amicitiam Dei; Deo autem præſtabat nihil, neque enim indigebat Deus dilectione hominis. Deerat autem homini gloria Dei, quam nullo modo poterat percipere, niſi per obedientiā quæ eſt erga Deum.* Obedientia ergo præſtat homini, & amicitiam, & gratiam apud Deū, ab hacque nobiliſsima virtute proſiliunt, & proficiūt quęcumque opera gratioſa Deo ab hominibus poſſunt exhiberi.

*Iren.*

LIBER



# LIBER TERTIVS.

## DE CHRISTI DOMINI APVD HOMINES CONVERSATIONE.



SALVATORIS Cunabulis & pueritiæ annis egressos nos iam vocat eiusdem apud homines conuersatio, ea nimirum quam â Baptismate Ioannis vsque ad passionem suæ carnis instituit. Vbi in longiores & iustiores tractatus, relictis miraculis, sermonibus, conuersionibus à Saluatore peractis, hic ea expendere conabimur, quæ à D. Thoma, & alijs Christi Domini vitam conscribentibus exarata sunt.

### CAPVT. I.

*Matth. 3.*

### De Christo Domino â Ioanne Baptizato.

*Text.* Tunc venit Iesus â Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo.



ANTE Christum semper præmittitur Ioannes, vt qui viã Christianismo præpararet, & præcurreret ipse saliens in vtero, ad Eremum festinans, baptismum initians; quæ via currẽda est omnibus Christianis. Huic baptizanti accessit inter alios Christus Dominus, sed longe alia ratione, quam alij, vt pote qui omni mundicie purior, vt omnes à vitijs lauaret, venerat: venientem ad se miratur Ioannes, expauet, prohibere tentat: tandem persuasus Dominum suum baptizat, vt inde in Christianũ baptismum sanctificaret aquas.

### §. I.

*Ioannes Christum sentiens in mundo impatiens moræ festinauit præcurrere, & Christo famulari.*

SEmper Christus ad Ioannem: semper Ioannes in arena conspicitur expectans Christum, hoc illi maximè in optatis erat, vt excussa omni mora præcurrat Christum. Hinc cùm primum Christum sentit exultauit in vtero, quasi vi, calcibusque viscerum vincula rupturus aduolaret vt famularetur Christo. Sic D. Chrysost. apud Metaphrastem hos Ioannis saltus explicuit. *Chrysost.*

*Non fert Ioannes præsente Domino contine-*

*ri, non fert naturæ expectare terminos, sed contendit rumpere carcerem ventris, & studet præsignificare Saluatorem. Accesit, inquit, qui soluit vincula, & quid ego sedeo vinctus? Venit Verbum vt omnia constituat, & ego adhuc manco detentus, exibo.* Adeo Præcursoris munus implebat, vt nil timeret; nisi non præcurrere, & currere ad Christum, vt vel naturæ tarditatem & moram accusaret & expaueſceret, ne vel tantisper detineretur, & serus Christo iam in mundo existenti appropinquaret. Materna exhorreſcebat viscera, & rumpere satagebat, vt noto Domino sine mora suum exhiberet seruitium. Non Ioanni absimilis adoleſcens ille, qui patris funera reliquit, vt ad Iesum quàm ociſsimè iret: sic enim à Saluatore apud Lucam cap. 9. postulabat. *Permitte mihi priùs ire & sepelire patrem meum.* Ad hæc eleganter & dulcè D. Amb. serm. 79. *Mortuum illum reliquerat, què vt reuertens sepeliret exorat. Non eum dolor retinuerat, non mors retardauerat quia festinabat ad vitam. Nec dum morientis clauserat oculos, nec dum rigentia membra condiderat: statim, vt comperit aduenisse Dominum oblitus paternæ pietatis affectum, maiorem pietatem credit plus Christum diligere, quam parentem. Ita cùm Tobias iustificetur, cum sepulturæ causa prandium reliquerit, hic probatur cum causa Christi patris reliquerit sepulturam. Ille enim non veretur, ne interuèniente opere terreni prandij epulas prætermitteret: hic metuit, ne interueniente mora refetionem panis cœlestis amittat. Vnde cum contemplatione Christi sepulturam omnibus debeamus, hic amore Christi, patris deseruit sepulturam.* Timui aliquid sub trahere Ambrosiano acumini, quo videtis extolli iuuenem, qui vt comperit aduenisse Dominum paternæ pietatis oblitus, ne interueniente mora obsequium Christo exhibendum differret, & patres inhumatos reliquit, vt ipse viueret Christo. Hoc sane agebatur aculeo Ioannes, non adultus; sed puer, sed infans, sed in vtero adhuc existens ibi vt comperit aduentum Christi materna viscera fastidit, naturæque iuri derogans vincula ventris rumpere nititur, quia festinabat ad Christum, veritus, ne mora interueniente occasionem amittat.

Luc. 9.

Ambr.

Sed esto, quod iuxta Chrysostomi excogitatum Ioannes in vtero ad Christum properaturus, *contendit rumpere carcerem ventris.* Cur sui oblitus Herodis carcerem postea quietus sustinet? Sane ventris carcere qúum premebatur naturæ indulgebat, & non dum natus erat Christus; verum sub Herodis carcere, & affligebatur, & tribulabatur, & detinebatur, quominus iret ad iam prædicantem Christum. Cur ergo impatiens matræ ventris carcerem nititur rumpere, & tribulationis patiens Herodis carcerem tam quietus sustinet? Equidem sub Herodis carcere tribulatus non detinebatur, quominus tunc ociſsimè iret secuturus Christum. Enim vero qui in tribulatione sunt etiam cum mille rudentibus, seu catenis manus pedesque alligari, & detineri videntur; perniciſsimo tamen motu in Deũ ferunt ir. Tribus affixas Domini manus clauis, pedesque viderat latro, & clamauat de cruce Luc. 23. *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* Vbi pulchrè Bern. serm. in Ramis Palmarum, inquit. *Euntem in regnum vidit, quò cùm perueniſset sui memorem esse rogabat.* Videbant alij suffixos clauo pedes in ligno; ad latro oculatiſsimus, quando suffixos pedes detineri vidit ociſsimum, & sine mora cursum fuit speculatus. Quando Ioannes catenis præpeditus erat Herodis carcere innigro, ò quàm currebat! ò quam pernici Christo adhæreſcebat volatu! Pulchrè Prou. 4. dicitur, *Iustorum semita quasi lux splendens:* Etenim velociſsimo cœleſtia lumina motu raptantur, quæ tamen nobis videntur, aut plane stare, aut pedetentim viam, & cursum agere. Quis non putet solem medio in cœlo confixum immotum penè stare, aut plumbeo passu moueri, cuius lux per feneſtram ingreſſa per plures horas tenetur cubiculo clausa? Sed tunc quum cubiculo clauditur, immensa simul cœlorum spatia pertransire noſcitur perniciſsimo volatu. Sic iusti, sic Ioannes non vt lux, sed lucerna ipse ardens cum in carcere Herodis videbatur immorari, omnis moræ expers vero soli inhærens cœleſtia omnia quam ociſsime per luſtrabat, nunquam inquietior, nunquam velocior, nunquam magis sine mora agebatur. De hac tribulationis via, Nicobulus apud Nazianzen. fatur. *Altera via aspera, ardua, arida, angusta, atque obliqua est, omnique ex parte præceps, & abrupta eò hominem virtute præstantem sub vehens, vt non ante ascendendi finem faciat quam ad summum illud præstantiſsimumque lumen peruenerit.* Dum in asperitatibus & tribulationibus sis, nunquam non volabis, nunquam non ascendens, donec iustitiæ Soli inhæreas, cui hac via quam citiſsimè astabis.

Luc. 23.

Bernar.

Prou. 4.

Nicob.

Chryſoſt.

§. II.

## §. II.

### *Ioannes Christum Dominum præcurrens, vt ei viam pararet in Eremum festinauit.*

SOlicitus de Præcursoris officio ea nascitur cura Ioannes, vt arduas Euagelij vias percurrat & quasi Chrstum in deserto Euangelium dedicantem sensisset, sic
*Luc.2.* vt præcurrat Christum ad Eremum festinat. Id diuino halitu præsagiens Zacharias pater eius sic recens natum puerum dicitur alloquutus. *Et tu puer Propheta altissimi vocaberis.* Ad hæc Orig. hom. 10. in
*Orig.* Lucam: *Ideò, ait, reor Zachariam festinasse, vt loqueretur ad paruulum, quia sciebat, eum post paululum in Eremo moraturum, nec se eius posse præsentiam habere.* Vix materno aluo emissus erat, & iam Eremum suspirabat, quem sciebat honorandum à Domino suo, eoque in illum ferebatur affectu, vt fuerit patri festinandum, ne eius priuaretur colloquio. Præscius puer Christiani Eremi veretur, ne dum ipse in paterna domo agit, medijsque domesticis nutritur, per transeat in sibilo auræ tenuis Christus. Ideò ad deserti petram festinat, ex qua in omnium redemptionem agnus sperabatur ab Isaia.

Rectè D. Chrysost. hom. 1. in Marc.
*Chrysost.* Ioannis in desertum fugam commendans, ait: *Qui sciebat, Christum venturum, & Christum non quærebat in templo, sed in deserto separauerat se à multitudine. Oculis expectantibus Christum nihil aliud dignatus est aspicere, nisi Christum.* Et quam aliam pararet viam Domino; nisi illam, per quam Dominus erat venturus? Et quomodo non respueret creaturas, qui omnium creatorem expectabat videre? Veniendum Christo erat per tolerantiam per inuia, & in aquosa, per abiectionem, per asperitates, per paupertatem, per omnium voluptatum mundialium ex habilationem. Huc ergo præcurrendum erat illi, qui viam erat Domino paraturus: hac item eundum est illis, qui à via Domini non longè abesse cupiunt, qui veniente volunt gaudere cum Christo. Plane Christum spirabat il-
*Exod.* 33. le qui aiebat Exõd. 33. *Ostende mihi faciẽ tuam.* Sed ecce tibi diuidum responsum: *Cum per transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & videbis posteriora mea.*

Ad hæc Cyrill. Hierosolym. Cath. 10. *Cyril. Al.* expendens illud: *Ponam te in foramine petræ*, inquit: *Ecce ponam te in foramine petræ, cum enim exiguus sis, in parno circunscriptus eris.* Quasi non alioquin transeuntem Dominum videre posset; nisi mundi magnalia relinqueret nisi quod magnũ est, quod splendidum est, quod blandum & suaue est deponens se per desertum eurrenti conformauerit petræ Christo.

Igitur Ioannes in Eremum festinans in foramine petræ omnibus abdicatis amplitudinibus de petra deserti aduenturũ præstolabatur Christum. Et oculis spectantibus Christum nihil aliud dignatus est aspicere; nisi Christum. Pusillus ille homo Zachæus apud Lucam 19. *Præcurrens ascendit arborem Sycomorum, vt videret Ie-* *Luc.19.*
*sum, quia inde erat transiturus.* Quid plura? domi Christum excipiens lætans aiebat: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & siquid aliquem defraudaui, reddo quadrupulum.* Ad hæc D. Gregor. Nazian. orat. in sanctum Baptisma: *Zachæum imitare, facultates omnes tuas ingredienti Christo in munus offer, vt licèt corporea ætate paruus; animo tamen euharis Christum egregiè conspicatus.* O quã egregiè conspicatus fuit Christum, qui aduenienti illi omnes post posuit mundiales facultates, & in paruitate corporea, spiritus attigit sublimitatem Zacheo multò fœlicior Ioanes, & ætate corporis pusillus præcurrens ascendit condensa arborum, vastissimam rupium, lignorumque eremũ, vt videret Iesum, quia inde erat transiturus. Et Christum non conspicatus; sed egregiè conspicaturus, Christianos omnes labores exantlauit. Sic Nazianz. adductum explicat Nicetas eius scoliastes. *Nicet.*
Quemadmodum Zachæus posteaquam Christum in domo sua excepit, dimidiã quidem facultatum suarum partem pauperibus erogauit, reliquam autem retinuit, non vt ipse ea frueretur; sed vt eam quadrupli fœnore restitueret, quæ in iustis rationibus, ac fraude, & per calumniã collegerat: *Sic tu quoque magnanimus esto, hoc est, pecuniarum contemptor, ac supra res terrenas assurge, vt magnus secundum spiritualem ætatem, quæ in virtutis incremento sita est, apareas, atque Christiana theoremata plenè, & exactè intelligas.* Sic Ioannes in minima corporis ætate pecuniarũ contemptor, ac supra omnes terrenas facultates eleuatus adeò magnus apparuit, vt nullus illo maior inter natos mulierum adeò magnus, vt ad egregiè conspicandum Chri-

ſtum omnia Chriſtiana theoremeta de voluptatum contemptu & perficeret, & perdoceret. Hinc vel maximè oſtendens, quàm veniret in virtute & ſpiritu Eliæ. Etenim Elias tranſeuntem viſurus Dominum 3. Reg. 19. Greg. 3. Reg. 19. *Operuit vultum ſuum pallio.* Quod expendens D. Greg. hom. 13. in Ezechiel. ait: *Aurem intendere, & faciem operi, eſt vocem interioris ſubſtantiæ audire per mentem, & tandem ab omni ſpecie corporeo oculos cordis auertere, ne quid ſibi in illa corporale animus effingat.* Solet mens noſtra inſtar rerum corporaliũ ſub oculis cadentium, res etiam ſubtiliſsimas, ſpirituales effingere, quod ne ſibi videnti Deum accideret, operit Elias pallio vultum. Et Ioannes alter Elias mundiales omnes debitans delicias eremum petit Chriſtum conſpicaturus, & oculis ſpectantibus Chriſtũ, nil aliud dignatus eſt aſpicere ne quid ſibi in Chriſto mundiale fingeret.

O quàm ſuperior Ioannis in eremo fides, Principis Apoſtolorum in Thabor fide! Petrus ſplendentem aſpiciens Saluatorem aiebat: *Faciamus hic tria tabernacula: tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.* Matt. 17. Quod ſic exprobrat Dominus apud Timoth. Antioch. ho. de cruc. & transfig. *Quid ais, Petre? tria tabernacula conſtruere cogis? ſimul me, & Dominum, & ſimilem ſeruis facis?* Timot. Ant. Quaſi probro duceret Chriſtus Dominus, quod ſibi aliquid atribueretur creatis ſplendoribus ſimile. Meliori conſilio Ioannes in ſpiritu Eliæ oculis ſpectantibus Chriſtum, nil aliud dignatus eſt aſpicere id meritò præcauens, ne quid ſibi in Chriſto Domino fingeret rebus ſpectabilibus ſimile.

## §. III.

### *Ioannes Verbo Dei armatus in Eremi difficultates proſiluit.*

CVR puer vaſtiſsimi deſerti ſolitudinem non extimeſceret? Curte nella infantis membra aſperimum amictum non paurent? Cur inter ſyrtes, in hoſpitaleſque cauernas non ſibi à feris, à ſerpentibus, à præcipitijs caueret homo? Facilè D. Lucas reſpondit, dùm ait capit. 3. Luc. 3. *Factum eſt Verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto.* O quàm ſecurum medijs periculis reddit hominem verbum, Domini! Sonet in te Domini verbum, & facili negotio ab omni iniuria liber conſeruaberis. Rubus ille à Moyſe conſpectus flammis vndique ardentibus cingebatur, & liber vireſcebat medijs flãmis, eo ſolùm quia diuinum Verbũ eructabat. Audi S. Hieronym. de manſionibus ad Fabiolam manſ. 8. *Videbimus ardere rubum, & non comburi: inflammari & Eccleſiam perſecutionibus, & eam, loquente in illa Domino, non perire.* Hieron. O fœlix ſuper quem Domini Verbum fiat in illo, loquente Domino, procul dubio non peribit; imò impauidus & audacter pericula ipſa ſubibit. Id quod eleganti ſimilitudine demonſtrat Ruper. de Vict. Verb. Dei, lib. 1. cap. 4. *Fœlix qui taliter meruit guſtare verbum illum eruditit Dominus, & eruditus eſt; docuit eum, & doctus eſt, doctus ad militiam, eruditus ad pugnam. Ille homo per ſimilitudinem equus eſt, qui tanto ſeſſore confiſus exultat audacter, & contemnit pauorem, neque gladio cedit; imò in occurſum pergit armatis.* Ruper. Quid rudi equo timidius? à paſcuis puerili virgæ ictu fugabitur, & concludetur in caules. Virum is poſtquam diſciplinam nactus optimo ſeſſore potitus eſt, vel ſedentis ad ſibilum ſic audet, vt in medios confertiſsimos hoſtes ſeſe non dubitet dare. Ita ille, ſuper quem Verbum Domini inſonuerit, tanto ſeſſore confiſus neſcit timere contemnit pauorem, in quæuis pericula intrepidus proſilire audet. Quam vim diuini verbi inſinuat Ioannes, dum de Verbo incarnato ait: *Hæc verba locutus eſt Ieſus in Gazophilatio docens in templo Salomonis, & nemo apprehendit eum.* Ioan. 8. Orig. Quæ eleganter ponderans Orig. in Ioan. tom. 18. inquit. *Eius enim verba valentiora erant ijs, qui eum volebant comprehendere. Et quandiu dicit, nemo eum comprehendit eorum, qui ei inſidiabantur: ſed ſi taceat, tum deniq; tenetur. Itaq; dum in eum Pilatus inquirit, eumque flagris cædit, tacet; ſi enim locutus eſſet, in crucem ex infirmitate ſublatus non eſſet, quandoquidem infirmitas non ineſt in eis, in quibus verbum loquitur.* Sic Origen.

## §. IIII.

### *Viam Domini paraturus, illã vt mundet, meridianoque æſtu liberet, rigat Baptiſmi aquis Ioannes.*

VIam vniuerſæ carnis corruptam nil aliud quam cineres, & aridorum ſerpentium proferentem latebras, totum non

potuit

potuit aquarum diluuium expiare, mundare. Post diluuium adhuc apparuit via hominum arida, puluerulenta, latebrosa, ab incursu, & Dæmonio meridiano infestata, Christiani baptismatis expectabat fontem, quo possit lauari, & ablato puluere antiquæ pulchritudinis recipere nobilitatem. Hunc allaturus fontem Deus verbum instabat, sed qua ipse Deus ingrederetur
*Matth.* mũdum, accurrit *Ioannes prædicans baptismum pœnitentiæ*, vt lacrymarum fonte rigata tellus arida diuinis possit patere iam
*Ambr.* plantis. Vnde eleganter D. Ambros. considerans peccatricem Mariam, pedes Domini lauare lacrymis, sic ait: *Bonæ lacrymæ in quibus non solùm redemptio peccatorum est; non solùm nostrum possunt lauare delictum; sed etiam verbi cœlestis rigare vestigium, vt gressus in nobis eius exuberent.* Sanè puluereę peccatorum nubes repentium aridorum latebrę maximè impediunt, quo minùs verbum ad nos ingrediatur. imò illi penitus aditum intercludunt. Quòd si lacrymis vias tuas rigaueris, ò quot in te Dei vestigia experieris infigi! O quàm crebri illius in nobis gressus exuberabunt! Hinc diuinus Ioannes verbo, paraturus viã, cucurrit ad baptismum pœnitentiæ, quo lacrymarum aquis humani pectoris puluerulentam terram doceret rigari, & antiqui serpentis latebras emundari. Vnde pulchrè notat
*Chrysol.* Chrysol. serm. 137. de baptism. Ioan. *Erat penes Ioannem venia; sed non sine pœnitentia, erat remissio, sed luctibus comparata.* Etenim luctibus perdocebat conscientias emundari, lacrymis rigabat vias omnes humanas, quibus Dei gressus exuberarent, puluere excusso, impuriſque spiritibus exhibilatis. Etenim immundus spi
*Nazian.* ritus, vt ait Nazian orat. in S. Bapt. *ambulat per loca inaquosa, diuinaque influxione minimè perfusa, illic commorari gestit, vagatur, quærens requiem non inuenit; aquis, non secus ac legio æquoreis fluctibus suffocatur.* Hunc eliminaturus è conuictu hominum præcursor Christi baptizans homines abarenti corde lacrymarum fontes educit, quibus excutitur omnis immunditia, & orieti purissimo iustitiæ Soli aperitur via. Audebo ex prophano authore huius rei clarissimum exemplum propinare. Is est Ci-
*Cicer.* cero lib. 1. de diuin. vbi aquilæ de serpente victoriam sic decantat.

*Hic Iouis altisoni subitò pennata satelles*
*Arboris è trunco, serpentis saucia morsu*
*Ipsa feris subigit transfigens vnguib⁹ anguẽ,*
*Quem se intorquentem lanians, rostroq; cruentans.*
*Iam satiata animos, iam sæuos vlta dolores*
*Abijcit efflantem, & laceratum affligit in vnda.*
*Seque obitu à solis nitidos conuertit ad ortus.*

Sustinuit aliquando Ioannes serpentis morsus; sed tunc solum quùm serpens callidus generationis arbore illapsus cunctos mordet infantes. Sed Proh Deus immortalis! qualis diuinissimus hic ales in serpentem escanduit! Ira percitus ardet, & mille ictibus lacerum tandem baptismum pœnitentiæ prædicans serpentem affligit in vnda. Vis videre quam affligatur serpens in vnda? Sic ait Abbas Cellens. lib. de Pani-
*Cellens.* bus, cap. 12. *Satham tolerabilius sustinet flammam suam, quam lachrymam nostram, acriusque contriti cordis lachryma, quam flamma infernalis incendij torquetur.* Bene igitur diuininus ales serpentem in vnda affligit, & lachrymis docens suffocare peccatum, aridam nostræ mentis emundat terram, rigatque, vt Verbi diuini gressus in nobis appareant, seque à lucifugæ Synagogæ occasu Christi Domini veri solis nitidos conuertit ad ortus. Vbi enim rigatæ hominum viæ a fœce serpentisque halitu mundatæ sunt, nil est quod orientem Christum impediat, & retardet.

*Text.* Ioannes autem prohibebat eum dicens. Ego à te habeo baptizari, & tu venis ad me?

## §. V.

### *Regis amicus, & priuatus Regiæ opinioni promouendæ, vt studere debet.*

MErito Ioannes eam sibi gloriam obtinuit qua diceretur amicus sponsi, vt qui regum amicis, & priuatis, pulchrum vel hoc facto, dedit exemplum: quando vt Iesu authoritati prospiceret, eum à baptismo à se exibendo prohibebat. Et quidem maximus erat Ioannis honor, quod ipse Dominum baptizaret, sed verus amicus regis non propriæ vtilitati, sed regiæ famæ prospiciebat, ne vel ignorantibus maleoleret, sed omnibus maximè probaretur. Vt se totum suis seruaret maximus imperator Iesus mulierem Chananæam repellebat Matth. 15. nollens dare canibus, panem filiorum. Quid tunc filij? Quid

tunc viri regis amici Apoſtoli? An gauderent quod ſibi ſolis diuinus fauor reſeruaretur? *Imo rogabant eum dicentes: dimitte eam quia clamat poſt nos.* Sane ſic amabant Dominum ſic eius bono nomini propagando ſtudebant, vt metuentes ne male audirent apud gentes, quod durus illis, bonus ſolum ſuis eſſet, illum anxie precabantur, vt faueret exteræ fœminæ. Sic Paſcaſ. lib.7. in Matth. *Pro amore piiſſimi magiſtri, ne quaſi cuipiam durus videretur, imo vt miſericors fieret, exorabant.* Hi veri amici Regis ſunt, qui non ſibi, ſed illius bono nomini in omnibus proſpiciunt. Adeo vt vbi opus fuerit, nouerint Regem ipſum prohibere ab illis factis, quæ infamiæ notam incurſura pertimeant. Vnus D. Chryſoſt. in Pſalm. 48. boni priuati indolem apprime depingit, dum veram hominis libertatem oſtendere nititur: Ait enim. *Sit Rex malus & priuatus bonus, videamus quis ſit Dominus alterius, & vbinam reſplendet dominatus, quis eſt qui imperat, & qui paret alterius imperio. Quomodo ſciemus? Rex rem malam, & ſcelere plenam priuato imperet, cui bonus priuatus non modo, non acquieſcit nec obedit, ſed cum etiam qui imperat, conabitur abducere ab inſtituto, licet mori oporteat.* Pergit Chryſoſt. iuxta intentum ſuum, at nobis id ſatis eſt, quod de bono priuato docet, nimirum cui ea ſit cura, id ſtudium vt etiam cum diſpendio vitæ Regijs malis actionibus obſiſtat. Et væ qui Regi charus eſt, regemque à malis actis non prohibet. Quo refert D. Iſidorus Peluſ. præproperam Ionathæ ruinam. Ionathas, inquam, ille qui adeo Dabidi fauerat, qui prælia Domini imperterritus dimicarat, qui multa bona egerat, is primus è tota Saulis familia mortuus occubuit. Sed cur adeo bonus, primus occubuit? Iam loquitur Iſidorus libr. 1. Epiſt. 37. inquiens. *Angorem mihi affert Ionathæ pœna, qui patrem Phytoniſſam quærentem minime prohibuerat, ob idque ante eum qui ſcelus admiſſerat, is qui prohibere poterat in bello interijt.* Nota eſt hiſtoria 1. Reg. 28. vbi Saul præliaturus aduerſum Philiſtiin conſuluit Phytoniſſam, aquo qui chariſſimus Regi erat Ionathas, minimè Regem prohibuit, & ideo ante Regem, qui flagitium commiſit, ipſe pœnas luit. Vt iam inde ſcias, cur rari ſint Regis priuati, qui ante Regis fatum non decidant à culmine regiæ amicitiæ. Sanè proprijs ſtudentes lucris, non curant regiam ſalutem. Vnius in orbe terrarum priuati, qui etiam poſt trium Regum fatum, in regia durauit amicitia, nimirùm Danielis hæc vox eſt, pca. 5. *Munera tua ſint tibi, & dona domus tuæ alteri da, ſcripturam autem legam tibi, Rex, & interpretationem eius oſtendam tibi.* Non muneribus, ſed veritati ſtudebat bonus Regis amicus, quo fulcro etiam cadentibus Regibus, ipſe in regali ſplendore ſuſtentabatur, cuius rei pulchram ponderationem Theodoretus facit. *Regum ſucceſſiones nihil de eius honore immutarunt; ſed illis morte extinctis ſunt, at Daniel æqualem illis omnibus regnantibus ſplendorem obtinuit.*

Matth. 5.

Paſc.

Dan. 5.

Theod.

## §. VI.

### *Ioannis mors expenditur, quòd in illa Chriſtum præuerit Saluatorem.*

OCciſsimus venit Sol iuſtitiæ Chriſtus ad mortis occaſum; ſed etiam illum in morte Ioannes præuenit, ex quo & maximam gloriam, & dolorem ſummũ ipſe Ioãnes moribundus excepit. Cur non ſummum excepiſſet dolorem, ſeſe cogens in vmbram, & caliginem mortis deſcendere, cùm Sol iuſtitiæ clariſsimus in mundo pellucebat? Reuoco in memoriam Iſraeliticos illos Dynaſtas, qui neſcio quo furore correpti. Num. 25. de Moabitarum cultu ad idolorum cultum ruerunt. Miſeri idola coluerunt, & ea idola, quorum dolens meminit D. Stephanus. Actorum 7. *Suſcepiſtis tabernaculum Moloch, & ſydus Dei veſtri Remphem.* Itaque Soli, & ſyderibus flexerunt genua. Quod ſcelus vt puniret verus Deus Moyſi iubet: *Suſpende eos contra Solem in patibulis.* Sed cur contra Solem iuuentur ſuſpendi Principes Iſraelitæ? Sanè ad eorum multiplicandum cruciatum, qui cùm omnium primi Soli, & aſtris adorationem exhibuiſſent, non poterant non vehementer torqueri, cùm ſe ad mortalem caliginem deſcendere viderent eo tẽpore, quo Sol clariſsimos in mundo manebat diffundens radios. Proh dolor illuminantia terras apparent ſydera ab illis in primis adorata, cùm ipſi coguntur mortis tenebras intrare? Hic illos maximè dolor excruciaret, hic nullius criminis reum excruciaret Ioannem, nimirùm quòd in mortis vmbras ire cogeretur eo tempore quo explicabat lucis ſuæ radios Sol ille diuinus, quem ab vtero matris omnium primus adorauerat. Ioannes fuit qui gaudio exultans ſub

Actor. 7.

Num. 25.

sub virginea nube latentem fulgentissimum iustitiæ Solem adorauit; ad fluv. ipse natus, *Vt omnes crederent per illum.* Et is manente in terris Sole, nitidissimoque explicante radios, obscura morte opprimitur? Sepulchri descendit caliginem? O dolorum maximus? O vis & violentia summa? Merito violentorum primas tulit Ioānes quum dicitur: *A diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*

*Augusti.* Rursus expendo allata verba: *Suspende eos contra Solem,* siue vt Vaticana lectio habet, *ostenta eos Domino contra Solem,* quasi diceret, vt ex D. Augustin. quæst. 52. videtur posuisse interlinealis, *ostenta eos palàm, vt sint in exemplum.* Sic efferentur in cruces, vt eorum mors sit ob oculos omnium, quam vel metuant nocentes, vel innoxij pro Dei amore subeant. Ea fuit mors Ioannis, quem Domino ostentatum contra Solem, hoc est, occisum in veri solis præsentia, cùm Sol Christus illuminabat orbem, anxij sequerentur viri innoxij. Quasi clamaret cœlum ostenta Ioannem contra Solem, ita moriatur præcursor Domini, vt morientis virtutes clareant, & demonstrentur à iustitiæ Sole, vt illum morientem auidè sequantur omnes, imò ipse habeat sequentem Dominum. Id quod optimè notat Nazianz. orat. in sancta lumina, explicans illa verba Ioannis, quibus prohibebat humilis Dominum, dicens: *Ego à te habeo baptizari, & tu venis ad me?* Ad hæc Nazianz. *Futurum,* ait, *norat, vt quemadmodum post Herodem Pilatus fureret, ita cum quoque prius vita functum Christus sequeretur.* Ecce vobis de Maria ad summā eius cōmendationem canit Ecclesia, quòd nec similem habere visa est, nec habere sequentē. Sed quæ est Ioannis gloria, qui ea occumbit morte, in qua habeat Christum sequentem. Hanc gloriam ipse humillimus à se repellebat, & obstupescebat dicens: *Tu venis ad me?* Tu me sequeris, qui omnium es viuendi & moriendi exemplar, & me morientem sequeris? Christus ergo habuit pro exemplari motiuo moriendi Ioānem? Absit, sed eò solùm dicitur secutus Ioannem, quia eius mortē prosigno suæ mortis præmisit. Et Ioannes obstupet se & vita, & morte præcursorem esse tanti numinis. Iam non miror, quòd Tertulian. inde extollat gloriā Doctoris gentiū, quòd Ioanni in morte assimilatus fuerit. Hic enim lib. de præscript. aduersus Hæretic. *Fœlix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, vbi Petrus Passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur.* Quasi nulla pretiosior tanto Apostolo seruaretur corona, quàm illa quæ similis morti Ioannis exhiberetur. Etenim post crucem Christi, quæ honorauit Petrū, immediatè vnus gladius Ioannis restat, qui fulgentissimū gentium iubat æternitati dederet.

*Matth. 14. Nazian.*

*Tertul.*

*Text.* Respondens autem Iesus dixit ei: Sine modò, sic enim decet nos implere omnen iustitiam.

## §. VII.

### *Qui ad perfectionem vocati sunt minutissima quoque obseruent, peragantque.*

QVisque perfectionis culmini destinatus es, cura in minimis etiam inueniri fidelis; qui enim lapis in caput anguli destinatur, non solùm malleo, cœlo subijcitur, sed & alijs minutissimis instrumentis, quibus cælaturarum pulchritudines acuuntur, & expoliuntur. Hinc Hieremias exaggerat suæ perfectionis à Deo exoperatæ laborem, dùm ait: *Tantùm in me vertit, & conuertit manū suam tota die.* Etenim lapidum alij sunt collocandi cementis, alij ædificiorum frontibus & coronis, quorū vt variæ sunt sedes, ita quoque dispar eorum lautiria. Quam rudes iaciuntur in cementa? Vix opifex acuminato malleo abrumpit extantia, cùm ad illa saxum deuoluitur: At vero frontibus & coronis qua poliuntur industria? quoties percutit, antequam eos velit constitutos in mole? quoties manum imponit, vertit & conuertit, operi instat? Sæpiùs centoculus ad circinum, & canon explorat, ne vel desit linea: tuberculos radit, acuit angulos, planiciem leuigat, cœlo posito & ascia, sumit stylum, scalprum, vt in minimis operis perfectionem adimpleat. Hoc opus, hic labor erat in perficiendo Hieremia, qui vt cœlestis ædificij frontibus & coronis cælabatur, sic limatissimas opificis manus experitur: *Tantùm* ait, *in me vertit & conuertit manum suam tota die*, nimirum me bis, & ter percurrebat, centoculus cœlo posito ad circinum & canon explorabat, ne vel minu-

*Tren. 3.*

tissimum quid deficeret. Hoc ab ædificio Salomonis de sumpto exemplo explicat Hieremiæ verba B. Paschas. Abbas. lib. 3. in Threnos in littera Aleph, sic inquiens: *De templo Salomonis dicitur, quùm ædificaretur: non est auditus in eo malleus nec securis, quia omnia sic parata sunt exterius, & compaginata suis persecutionibus, vt singula dolata suis bene coaptentur iunctvrarum locis. Et hoc est dicere, vertit manũ suam omnia limando, cædendo, ac feriendo, vt possint instructura conuenire.* Expende Salomonici opificij curas & labores, quibus lapides parabatur exteriùs suis percussionibus, vt singuli dolati suis benè coaptentur locis. Quibus etiã lapides viui cœlestis ædificij parandi sunt, & explorandi ad circinum, & colimandi, & expoliendi, & cædendi in minimis, vt possint cœlestis corollæ instructura apprimè conuenire.

Pasc. 3. Reg. 9.

Hinc facilè constat, quàm deceat eos, qui ad perfectionem vocati sunt omnem adimplere iustitiam, hoc est, nullam quãtumuis minutissimam obseruantiam prætermittere. Etenim, vt frontibus & coronis cœlestis ædificij effulgeant constituti, & securi, & ascia, & cœlo, necnon & terebello, & limulæ, & stylulo, & scalpro, & minutissimis alijs, quibus poliantur debẽt submitti. Sanè fastidiebat Marcion tot minutias Mosaicæ obseruantiæ, vbi minutissima quæque lege cauebantur, tot immundæ escæ, tot lotiones manuum, tot de texendis vestibus obseruationes, de bobus in tritura cibandis. Quid plura? Leuiticum consule, & inuenies à Leuitis cauenda & obseruãda millia minutiarum. Cauetur lege locus cinerum holocaustorum; materies forcipum, quibus lucernæ emungebantur, & alia eiusmodi. O sanctissima religio (irridebat sic Marcion) de cineribus! de emunctorijs! de ablutione manuum! de ore boum in tritura aptando! Hæ obseruantiolæ decent Sacerdotes sanctos? Hæ pertinere possunt ad hominum perfectionem & sanctitatem? Et quidem pertinent maximè; oportet enim eos, qui æterni ædificij coronis aptantur, non solùm securi & ascia cedi, hoc est, grauioribus præceptis obstringi, sed etiam leuissimis & minutissimis instrumentis cælari, læuigari, expoliri. Sic Marcionis ora contudit Tertul. lib. 2. *Illam*, aiens, *legem non duritiæ authoris promulgauit; sed ratio summæ benignitatis populi potiùs duritiem edomantis, & rudem obsequio fidem operosis officijs de dolantis.* Expende illud, rudem fidem operosis officijs de dolantis. Enim vero vbi rudis lapis de dolandus est, expoliendus est, pulchrisque flexuris cælandus, qualis in ædificij frontibus constitutus appareat, minutissimorum indiget instrumentorum, quibus taberculi radantur, anguli acuantur, planicies læuigentur.

Tertul.

## §. VIII.

### *Qui ad perfectionem vocati sunt minutissimas obseruantias sine periculo, & metu non prætermittunt.*

ADeò docet perfectos viros omnem iustitiam adimplere, vt quauis obseruantia relicta, suæ saluti debeant vehemẽter timere. Is erat metus Apostolicus, Matth. 19. quando totus pauidus Petrus aiebat: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* Audierat Petrus Dominum dicentem adolescenti: *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & sequere me.* Et statim omnium Apostolorum animos subijt timor, quod etsi illi omnia reliquerint secutique fuerint Dominum, tamen nihil vendiderant, nil pauperibus erogauerãt, & hinc de sua salute pauidi solicitè quærunt. Quid ergo erit nobis? hoc est, actum ne erit de nobis, qui non omnia perfectionis impleuimus? Sic Eutymius ait. *Timuit Petrus sibi, & condiscipulis, quasi ipsi minùs fecissent, quia non vendiderant quæ habebant, nec dederant pauperibus, ideò etiã ait: ecce nos non vendidimus, nec pauperibus dedimus, sed simpliciter omnia reliquimus, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* actum ne de nobis erit? peribimus?

Matth. 19.

Euth.

Et sanè multùm timère debent qui vocati sunt, vt strenuè sequantur Christum, si quid obsequij, & spiritualis lucri prætermittant, si omnia perfectissimæ obseruantiæ decora non adimpleant. Id quod pulchrè meditatur D. Hieronym. ad Fabiolam tom. 3. in adolescente illo, qui apud Ioannem post comprehensum à Iudæis Christum ibat sindone opertus super nudo: *Sindone*, ait, *opertus adolescens vinctum Dominum sequebatur; incurrisset laqueos; nisi expeditus & nudus persequentium impetum declinasset.* Nihil sibi reseruarat præter sindonem, qua super nudo opertus sequebatur Dominum, & quia

Ioan.

Hieron.

vna

vna sindone reseruata non omnia reliquerat, sub tantæ perfectionis via cœpit periclitari; imò inimicorum laqueos incurrisset, si omnino nudus manens sindonem à se non ablegaret. O quã periculosè viuunt qui similem viam perfectionis terunt, non tamen penitùs sese nudant, reseruata vel sindone ad sepulturam, relictis alijs quantumuis minutissimis obseruantijs. Sed vide qua è fonte manarit electissimi Saulis perditio, de qua eleganter D. Greg. Nazian. orat. 7. *Quid de Saule existimamus?* *Quoniam autem se totum spiritui vtendum non præbuit, nec purè ac integrè, vt oraculum ferebat, in alium virum mutatus est; sed pristini improbitatis fomitis, praui que seminis nõ nihil supererat. Quid omnes illius calamitates tragica oratione commemorare necessum est?* Itaque quia non se totũ vtendum spiritui credidit, quia integrè in alium virum non mutatus est, quia non nihil prauí seminis supererat, miserè perijt. Væ nobis qui perfectioni incumbimus; sed minimè nos totos vtendos tradimus spiritui, nec integrè mutamur multa quotidie prætermittentes quę ad perfectionem conducunt. Hinc Paulus Thessalonicenses viros monet 1. cap. 5. *Ipse Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.* Dum enim integras perfectionis mensuras non adimpleuerimus, malè in aduentu Domini audiemus.

Nazian.

1. Tes. 5.

## §. IX.

### *Bonum exemplum à prælato, seu Principe exhibitum, & sanctissimum, & efficacissimum.*

DEcet quidem Prælatos, & Principes adimplere omnem iustitiam, quam tunc solùm verè adimplebunt, cùm verba nouerint operibus verificare. Sic in præsenti Chromatius fatur. *Non ergo sui causa baptizari Dominus venit, sed causa nostri, vt impleret omnem iustitiam. Iustum est enim vt quod quis docet alterum facere, prior incipiat, ostendens hoc esse omnem iustitiam.* Quàm longissimè à iustitia aberrat Princeps, qui vitæ suæ operibus, leges minimè fulcit, qui à se non incipit ostendere leges & præcepta custoditas. Quisquis is est, metuat ne gladio perimatur diuinæ iustitiæ. Moyses Princeps Israëlitici populi designatus in Madiam apud socerũ agebat, & vt erat inter Gentiles, circuncisionis ritus circa filios suos minimè obserbat. Pergit ergo Moyses ad Madiam administrationem Principatus Israelitici subiturus: & ecce tibi Angelus gladio stricto, media apparet via Principem mactaturus, qui leges patrias à domo sua non ostendit custoditas. Ita August. ex vet. test. quæst. 16. inquit. *Pergebat itaque ad filios Israel missus à Deo Abrahæ, & signum iustitiæ non ferebat, in quo gloriari sciebat Iudæos. In Madiam enim habitans filios suos non circuncidit. Idcirco sic infestum Angelum in se vidit Moyses, & paratum ad vindictam.* Ea est in Prælato, & Principe iustitia, qua exhibendo exemplo in legum obseruantia studeant, & sanè si exemplo doceant, effrenissimos subditorum mores facili negotio trahent in bonam frugem. Quis in deborando effrenior, quàm flãma ignea? Et hæc vbi gubernatorẽ nacta est ieiunantem, statim ipsa nouit permanere ieiuna. Ecce vobis EAlias rapitur curru igneo, ignearum flãmarum fit moderator & auriga, & flãma vorax habens in se pabulum, nempe AElãã, ieiuna est, nec vel modicum nocere sciuit. Cur flamma præsente pabulo ieiunas? Vnde tibi ieiuniũ impressum est? Equidem ex eo quod facta currus dedit habens EAliæ, & aurigam ieiunatorem vidit. Huc spectat Di. Ambros. lib. de EAlia cap. 2. dicens: *Quis humana virtute equos igneos, currus igneos potuisset ascendere, regere currus aereos, nisi qui naturam humani corporis, incorruptibilis ieiuni virtute mutasset?* Non equidem vorantia flãmarum ora fugisset gubernator, & rector currus ignei, nisi ipse ieiunio viueret. At vbi ieiunator habenas currus ignis accepit, nota flãmarum voracitas euanuit, & sciuit ignis manere ieiunus. Vt hinc pateat quanta Principes & Prelati iustitia teneantur subidtis exhibendo exemplo prospicere, præcipuè cũ de illorum exemplo subditorum facta honestatem accipiant. Matth. 12. Discipulos suos vt defendat Dominus à calũniantibus, quòd spicas Sabbatho vellerent, Dauidis meminit, quando lege vetitos panes propositionis absumpsit, & Sacerdotis qui eos tribuit. Cur id? Eleganter Augustin. quæst. 8. in Matth. dicit: *Notandum de eo, quod illicitè factum videretur Iudæis, quòd Discipuli Sabbatho spicas euulsissent, vnum exemplum datum Regiæ potestatis de Dauid, alterum Sacerdotalis de his*

August.

Ambr.

August.

*bis qui per miſterium templi Sabbatha violant, vt multò minùs ad ipſum euulſarum Sabbatho ſpicarum crimen pertineat.* Vbi enim regium, & ſacerdotale exemplum præit, id ſibi ſanctum & iuſtum reputant ſubditi.

## §. X.

### *Decet ſapientiſſimos quoſque piorum hominum pijs viuendi regulis ſubſcribere.*

ODI ſupercilioſos homines, qui dum ſibi ſapientes videntur, traditiones piorum hominum, & deuotionis acquirendæ obſeruatiunculas & regulas faſtidiunt. Ego ſapientiorem illum iudicarim, qui pijs moribus, & regulis, a pijs hominibus, traditis prorſus ſubſcribit. Quæ enim minoris momenti obſeruantia, quàm à Ioanne Baptiſmus inſtitutus? Et tamen Dei filius ad illum venit, prædicans decere ſe implere omnem iuſtitiam, hoc eſt, nullam piã obſeruantiam à pio viro traditam reſpuere. Quis obſeruantias Iudæorum circa funera numeret? ibi inſtituta erat cadaueris vnctio pretioſa, & aliæ plurimæ obſeruatiunculæ. Et tamen vbi ad Chriſti Domini ſepulturam ventum eſt, dicitur. Ioan. 19. quòd ſepelierunt eum: *Sicut eſt mos Iudæis ſepelire.* Quod expendens Petr. Damian. epiſtol. 106. inquit. *Cùm ergo is qui eſt ſumma ſapientia, per quam cuncta ſunt condita, in is etiam rebus quæ nullius penè videntur eſſe momenti, traditionem hominum ſeruare non reſpuit: quantæ præſumptionis eſt, ſi diſciplinæ quis regulam frangat, quam à ſanctis Patribus traditam non ignorat?* Chriſtianiſsimum equidem eſt, cuiuſque momenti pias obſeruatiunculas piè à ſancti viris traditas adamare & cuſtodire. D. Patianus reprehenſus ab Hæretico quod Virgilianis verſibus vſus fuerit, in primis pro ſe oſtendit D. Paulum, qui in Actis, prophanis Poëtis vtitur, & tunc inquit epiſt. 2. ad Simproſ. *Sic peccamus exemplo, nec Rhetores ſumus, ſed quamcumque vocem, copiam Dei credimus.* Hæc ſit Chriſtianorum mens, quæ non ſupercilioſam ſapientiam, ſed humilem pietatem colat, & quamcumque vocem pietati ſeruientem, copiam Dei putet, & ſibi procuret arripere.

(.?.)

*Text.* Baptizatus autem Ieſus confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cœli, & vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſupra ſe. Et ecce vox de cœlo dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.

## §. XI.

### *Qui ab aquis Baptiſmi aſcendimus reptilium exuentes naturam, diuinorum alitum mentem ebibamus.*

ECce vbi primùm voce Patris Filius Dei Chriſtus declaratur, nimirùm vbi ab aquis aſcendens, alitem ſpiritum ſupra ſeſe ipſe declarat. Hæc prorſus omnium renatorum ex aqua conditio poſtulatur, ſi diuino Patri cupiunt renaſci: quod reptilis naturę mores, quibus humi reptant, exuentes, alites facti cœleſtia ſolùm tranent ſpatia. Id quod animaduertit D. Anaſt. Sinait. lib. 7. Exam. in eo quod Deus ab aquis in primordio fecit oriri aues, quaſi innuens volatilem ſpiritum eorum, qui baptizãtur in aquis: & in confirmationem ſic loquitur. *Volucres deſiderabat fieri qui dicebat: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, quæ deſcendit in Iordanem, & volabo, & requieſcam in illa requie cœleſtium volucrum ſex alas habentium?* Hæc ſit vnica renatorum omnium cura, vt à baptiſmi aquis volucres renaſcantur, volucriſq; ſpiritus mores ebibant, quibus inter cœleſtes alites queant reuolare. Quò ſpectauit D. Paul. ad Coloſ. 2. vbi de renouatione baptizatorum agens hæc ſatur. *In quo circunciſi eſtis circumciſione non manufacta, in ſpoliatione corporis carnis, in circunciſione Chriſti conſepulti ei in baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidem.* Expende illud, conſepulti ei in baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis, nimirùm qui baptizantur, ita æmulari Chriſtum Dominum debent, vt ſicut ille depoſito priùs terreno corpore in ſepulchro, ſtatim ſurrexit cœleſtis, ſpiritualis, & immortalis; ſic ipſi in baptiſmi aquis ſepulchrum agnoſcant, vbi depoſito, deifico cadauere, deponãt & ipſi quicquid terrenum & reptile habeant, fiantque noui alites

Ioan. 19.

Sina.

Ad Coloſ.

alites per cœlestes regiones volitãtes. Sed proh dolor! quã aliter fieri dolet D. Atha. orat. in Parasceue his verbis. *Occisa est hostia propter te; & tu deseris illam ipsam immolatam aspiciens, vbi cadauer, inquit, ibi & aquilæ; sed vt canes accedimus: tanta nostra est impudentia!* Compone illud Paulianum, *consepulti ei in baptismo*, cum hoc Athanasij, *vbi cadauer, ibi & aquilæ*. Etenim eo ipso quod deifico cadaueri per baptismum consepelimur deponentes terrena, alites facti cœlestia debebamus scandere. At nos miseri quando vt aquilæ ascenderemus, ascendimus, vt canes. *Athan.*

Nec oscitanter, sed pulchra similitudine renatorum impudientiam comparat canibus, quando quidem hi rabie perciti, cùm in aquis medellam furoris habeant, horrent aquas, ab illarumque vel odore vehementer diffugiunt, vt meminit D. Gregor. Nissæn. tracta. 2. in psal. cap. 13. *Sic impudẽtes baptizati, nescio quibus agitati furijs salutem à baptismi aquis scaturientẽ perdunt, excutiunt facti rabidi canes, quando Christi cadaueri consepulti aquilinas induentes alas poterant ad cœlestium spirituum volucres reuolare?* Quid plura? Nocentissimus latro deifico astans cadaueri scaturientis à latere baptismi significationem excepit, & statim reptilium mores depellens, eas sumpsit alas, quibus ad cœlestes alites euolauit. *Niss.*

Sic Anast. Sinait. vbi suprà. *Ad has volucres euolauit ex vinifica aqua, quæ fluxit ex latere Domini, prima omnium volucris sanctus latro cum Rege volucrum Christo magna aquila per aerem volans in paradisum.* Vt hinc renati discamus non ad reptilium; sed ad volucrum mores nos conformare, non per terrena; sed per cœlestia incessanter volantes. *Sinait.*

## §. XII.

### *Christus Dominus nulli creaturæ vim facit, sed sese omnibus comunicat, vltrò sibi apertis ianuis.*

Ascendenti de aqua Saluatori, *ecce*, ait textus, *aperti sunt cœli*. Etenim nõ eget Dominus securi, aut vipenni ad confringendas creaturarum valbas, vt ingrediatur. Omnia illi patent, & statim aperiuntur despontanea. Id in præsenti meditatus est Nazianz. orat. in sancta lumina, sic fatus. *Ascendit Iesus de aqua secum quodammodo mersum educens, & eleuans mundum, & videt non diuidi cœlum, sed aperiri, quod sibi ac nobis post se aliquando Adam ille concluserat.* Expende, non diuidi cœlum; sed aperiri: etenim sic Adamus cœlum conclusit, sic valbas eius obfirmauit, vt penitùs videretur inaccessibile, nisi prius ferro scinderentur ianuæ; verùm ascendenti de aqua Saluatori non opus est ferro, vt cœlestes diuidat & confringat ianuas, ipsæ sese sponpontaneæ & gratiosæ aperiunt, & propalant. Et quæ creatura non se aperit Saluatori? accipite Ioannem Xiphilinum Antistitem Constantinop. orat. de cruce hæc verba dantem. *Diabolus, quia nihil veri habet, ostia eorum, à quibus non recipitur, securi & ferro perfringit. At Saluator adeò mitis est, vt doceat, si quis vult venire post me: ad vnũquemque venit, nec cogit; sed potiùs pulsat, ac dicit, aperi mihi soror mea.* Non ferro, non securi, non ariete vtitur, aperienda sibi spontanee omnia expectans creata, quæ vt Dominus omnium peruadat, lustret. Hinc D. Athanas. orat. de Incarnat. Verbi ponderat illud in Christi Domini persona à Dauide decantatum. Attollite portas, Principes vestras, & eleuamini portæ æternales. *Planè*, ait Athanas. *nihil ille qui hæc verba vsurpat opus habuit reseratione portarum (quippe omnium Dominus) neque quicquam erat clausum creatori ex rebus creatis; sed nos eramus, quibus ea reseratio necessaria fuit.* Enim verò Christo Domino omnia aperta sunt, omnia patent creata. *Xiphil.* *Athan.*

## *CAPVT.* II.

### De Christo Domino in Eremo à Sathana tentato.

A Iordanis alueo vicinum desertum, quem Ioannes incoluerat, ingreditur IESVS, vt Principem dæmoniorum ad singulare certamen prouocaret. Et quidem prouocauit post ieiuniorum quadragenam ostensa fame, lapidibus inflat tentator, quibus in panes mutatis famelicum Dominum quatiat. Petra autem erat Christus, & qui petra lapidibus petita, nisi ignem eructaret, qui absumeret aduersariũ? Bis, & ter instauratur certamen: tandem hoste fugato, Imperatori Maximo Iesu cœlestes militiæ Peana canunt, dulcesque cibos incipiunt ministrare,

(.?.) *Matth.*

*Matth. 4.*

Ductus est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à Diabolo.

## §. I.

*Tunc securior quis hostem aggreditur, quando omnem creati auxilij spem à se depellit.*

QVa hostiles euadat securus ictus solitudine sese armat Christus Dominus: creaturarum auxilia defugit, ne incõflictu quod timeat, habeat. Sanè veteran⁹ ille Iob solus in sterquilinio mille confecit certamina: hostem contemsit acrem. Tunc hic solum pertimescens, omnes eius conuocat amicos & charos, vt solùm comitentur in certamine. Quid agis Sathana? hostis es, & amicos Iobi conuocas? Si ipsi veniant amicum suum iuuabunt? Te amicorum turba munitus facili negotio Iobus superabit. O quàm vafer, quàm astutus diabolus, Iobi amicos auxiliatores conuocat, sciens nihil magis detrimento sum esse hominibus, quàm auxilium creatum & inuamẽ! Tunc infirmiorẽ iustum putabat Diabolus: tunc iustus se in hostis manus datum lacrymatur. Ita D. Ambr. lib. de interpellat. cap. 2. *Cùm Iob videret amicos suos, aduertit à Domino datam in se aduersario tentandi sui potestatem.* Cùm bonis omnibus nudatus, filijs orbus, pelle exutus in sterquilinio solus agitur, hostilia contemnebat conamina. Cùm autem se nõ solum; sed amicis cinctum cognouit, certamen cum hoste expauit, & in se aduersario à Deo datam potestatem totus pauidus præsagijt. Euertit sanè homines à creaturis auxilium expectatũ. De Israelitico exercitu 1. Regu. 4. dicitur. *Egressus est Israel obuiam Philisthijm in prælium, & castra metatus est iuxta lapidem adiutorij.* O quam infausto omine incunt certamen! Sic D. Gregor. *Quia alium Christum expectare non desinunt, iuxta adiutorij lapidem castra ponunt.* Non Deum Christum, sed purum hominem, eumque Imperatorem Maximum expectant, dumque sub hoc auxilio creaturæ castrametantur, miserè intereunt. Sic enim ait. *Inito autem certamine terga vertit Israel; & cæsa sunt in illo certamine passim per agros quatuor millia virorum.* Sic pereunt qui auxilium creaturarum auspicantur, ne miremur, quòd Iob amicis auxiliatoribus cinctus timeat certamen, quod solus in sterquilinio pro nihilo æstimaret, eò securior, quò magis omni auxiliatore erat viduatus. Id quod pulchrè adeò ostendit Abrahamus, qui cùm à Deo vehementer tentaretur iugulaturus filium, qui impedire possent dimisit famulos, & solus cum solo exemit gladium. Quo in actu depingitur à D. Zenone serm. 2. his verbis. *Intrepidus ad ministerium immolationis armatur, rimatur ad ictum vulneris securus animus; sed securior manus.* Et cur securior manus? Sanè Abraham cùm famulos omnes adiecit, soluque in tentatione manens vni Deo credens securus erat de victoria, securus de filij vita; verùm eò eius securior manus, quò ensem ipsa portabat iugulaturum omnes spes humanas. Etenim vbi maior repugnantia adiutorij creati expectandi, ibi maior securitas elucet, in Abrahami pectore omnis spes creati auxilij euanuerat, sicque eius securus erat animus de promissa posteritate: at in manu erat ipse gladius, qui spem ipsam patris, nempe Isaac, iugularet, è viuis tolleret, ideò securior manus securiùs & certiùs fœlicitatem promittebat Abrahamo. Vide quàm securè Christianorum intentatione victorias Dominus paret, vbi docet, omni creato depositio fauore in deserto & solitudine cum hoste nocentissimo pugnandum. Vt enim ait Abbas Alois. *Nisi dixerit homo in corde suo: Ego solus, & Deus sumus in mundo, requiem non habebit.* Sic sese homo debet armare aduersus hostes, vt in primis creatum omne adiutorium excludat, & solus, & nudus cum nudiori serpente confligat. O vtinam primus homo huius solitudinis arma sumpsisset! De quo rectè Ambrosi. epist. 41. ad Sabinum. *Solus erat Adam; & non est prævaricatus.* Sed cùm primùm adiutricem accepit, statim miserè, & se, & omnes posteros occidit. Sic libr. de Parad. cap. 4. *Quia adiutorium vxoris habiturum se esse credebat, lapsus est propter vxorem.* Igitur abeste hinc omnia creata auxilia, ab omnibus desertus, in deserto cum hoste confligo, vt victoriam securus obtineam.

(.?.)

§. II.

## §. II.

### *Qui in solitudine priùs se exercet certando cum hoste, posteà media in arena palàm triumphat de inimico.*

SOlus in desertum abijt Iesus luctaturus cum hoste. Quid sibi vult, ò bone Iesu, hæc lucta solitaria? Si luctas quæris; si pugnas appetis, ecce Hierosolymis te mille prælia expectant, Pharisæorum rabidæ phalanges te appetunt, iam flagra personant in Prætorio Pilati, strident lora, perstrepunt Romanorum buccinæ, potestates acuuntur tenebrarum apud Annam, & Caypham. Cur solitudines meditaris vt pugnes, quandoquidem tàm acriter est tibi in omnium conspectu pugnandum? Equidem, quia Hierosolymis manus cum hostibus conflicturus erat, priùs solus solitudinem meditatur, exercendus in lucta, & in certamine. Mater illa Samuelis in templo à Sacerdote contempta forti & insuperabili animo tulit contumeliam tantam 1. Reg. 1. Et vnde fœmina publicè lacessita se cohibere valuit? Vnde sexus adeò fragilis tam insignem victoriam reportauit? Id attigit vnus D. Chrysost. sic fatus. *Domi Annam exprobat æmula: venit in templum; & Sacerdos eam contumelia afficit, effugerat domesticam tempestatem: venit in portum, & rursus inuenit vndas. Verè impatientia exercitata, domi præparata, ad perferenda maledicta, æmulaque conuitijs exercitata, & in templum multam præstitit humanitatem viriliter ac magno animo scommata ferens.* Itaquè in domi solitudine, iniurijs & conuitijs exercitabatur, quo media in ciuitate summa in templi frequentia conuitiatores fortiter & viriliter de triumphabat. Risit Saul 1. Reg. 17. 1. Reg. 17. cùm vidit puerum Dauid inermem aduersus Goliath prosilientem in scamma: & ait; *Non vales resistere Philistæo huic, quia puer es, & hic vir bellator ab adolescentia sua.* Cui Dauid vnico argumento & suam fortitudinem & obtinendæ victoriæ certitudinem persuadet hæc dicens. *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, & vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam & illi insurgebant aduersus me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos.* Et enim qui talibus victorijs in solitudine armatur, nescit in palæstra acies pertimescere armatas. Qui solus leonem vrsumquè inuadit, ferarumquè conflictus minimè expauet in agro, in superabilis descendet in arenam aduersus tenebrarum potestates. O quam securus in mundi palæstram ibis luctaturus cum carne, & palàm triumphaturus de hostibus, si in deserto, in solitudine, in secreto priùs cum vitijs conseruisti manus! Pulchrè Oseas cap. 12. de Iacob, *in vtero supplantauit fratrem, & in fortitudine directus est cum Angelo: & inualuit aduersus Angelum.* Non primum in arena sese ad pugnandum parauit: nullus in palæstra excepit conflictus imparatus, iam priùs medijs vteri tenebris pugnas, certamina, conflictus cum fratre fuerat meditatus; sic inuincibilis in arena cum Angelis conseruit manus. Oseas. 12.

Insuper, cùm ipse Iacob fratris manum armatam expauesceret, antequam illi approximaret Genes. 32. præmissis omnibus, *mansit solus, & ecce vir luctabatur cum eo.* Quæ hæc lucta Iacobi? Eleganter Clemens Alex. 1. Pædag. cap. 17. eam declarat, *Remansit*, ait, *Iacob solus, & luctabatur cum eo homo, nempe pædagogus vsque ad matutinum: hic erat homo qui agebat, & ferebat, qui vnà exercebatur, & exercitatorem Iacob aduersus malignum inungebat.* Sanè pædagogus solitariè pupillum docet, vt in publico vincat certamine. Sic quos Deus amat priùs vt pedagogus in secreto exercet, & quicumque vincere cupis in stadio, priùs in solitudine fis tibi pædagogus docens te ipsum vincere certamina. Gene. 32. Clem. Alex.

*Text.* Et cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurijt.

## §. III.

### *Inpugna & certamine cum vitijs multum diuque hærendum, & incumbendum.*

HAud bene dicebat ille Horatij mercator, nimium. Hor.

*Militia est potior, concurritur, horæ*
*Momento, aut cita mors venit, aut victoria læta.*

Sic qui militiæ spiritualis tyrocinijs fatigatur, exiſtimarant; sic innumeri horæ vigilias

gilias faſtidientes vellent vt mundo renuntiantes Chriſtoq; duci nomẽ dantes quàm primùm bellis confectis arma ponerent, & triumphantium penetralia ſubirent. Verùm non horæ momento victoria venit læta; ſe poſt longos exanthlatos labores, poſt crebras vigilias, poſt fames mille. Sanè Iſraeliticus exercitus vnius noctis ſpatio ægyptiorum excuſsit iugum, ſeque in deſertũ dedit: at in deſerto quot dies, quot annos conſumit? Id ad humanos mores tra
*Ricar. Vic.* hit Ricardus de ſancto Victore de exterminatione mali tract. 1. *cap.* 12. *Proculdubio non eſt eiuſdem facultatis, & facilitatis Ægypto exire, & Eremum pertranſire, mundum relinquere & ſe ipſum vincere. Illud vnius diei opus eſt, hoc vix poſt multa tempora explemus. Durum difficile grande ſe ipſum bene inſpicere, & plenè deſpicere, perfectè probare, & penitùs improbare. Hic labor, hic gemitus.* Hoc legiſſe cuperem quicumque ſuffocato pœnitẽtiæ aquis A Egypto, eremi tentationes, & bella cũ Chriſto ingreditur. Sanè ſuffocare peccata vnius diei, imò vnius horæ opus eſt: aſt eremũ pertranſire, hoc eſt, triumphantiũ requiem acquirere, hic labor, hic gemitus, hic mille fames, hic prælia mille. Sodomis egreſſus Loth longam confecerat viam laborioſo itineri pedes infudauerat, & poſt hæc paruam ciuitatem attingens, ait Textus
*Gen. 19.* Geneſ. 19. *Sol egreſſus eſt ſuper terram: & Loth ingreſſus eſt Segor.* Id quod eleganter notans Hieronym. epiſt. 46. ad Ruſti-
*Hieron.* cum inquit. *Neque enim Gomorrhæ & erroris habitator ſtatim ad meridiem potcrat pervenire, in qua Abraham amicus Domini cum Angelis ſuſcepit Deum, & Ioſeph fratres paſcit, in Ægypto, ſponſuſque audit à ſponſa vbi cubas? Vbi paſcis in meridie?* O quam fallun tur qui cum ſe à peccatis facilè expediri videant primo volatu inter Angelicos ſpiritus euolare præſumunt, à Deoque cœleſti pabulo ſuſtentari. Non enim à tenebris noctis ad meridianam lucẽ peruenitur, niſi lõgiſsimis auroræ ſuperatis crepuſculis; antequam cœleſti menſe recumbas, diu tibi in Eremi via morandum, multorum dierum ſubſtinendæ ſunt fames, mille ineunda, & vincẽda certamina. Etenim dux noſter Chriſtus Dominus non horæ momento; ſed multis diebus ieiunus, & vigilans laboribus, & tentationibus in eremo patuit, antequam Angelorum exciperet comitatem. In quo maximè ſe filium Dauidis declarauit, qui ad Regni clauum repentè vocatus, antequã clauum Regni teneret mille pertulit configi tribulationũ clauis, in deſertis cãuernis exultãs, ſpeluncis latitans, ſiti fameque afflictus crebro appetitus certamine. Vnde ſcripturus Matthæus ærumnas, labores, tentationes, ieiunia Chriſti Domini pulchrè exordi- *Matth. 1.*
tur, *liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid*, vt innueret quàm Chriſtus Dominus in deſertis, in cauernarum habitatione, in ſiti, in fame, intentationibus patriſſaret. Id quod eleganter attigit D. Athanaſius *Athan.*
hom. de ſemente. *Fuit igitur apud Priſcos Rex quidam Dauid, principiò quidem Paſtor, poſtmodum Rex à Samuele ad regnum inunctus, verùm qui non ſtatim ad Regnum peruenerit, vt qui multis interim annis ſeruierit Sauli. Paticbaturque ille inſidias Sauli: congruum ſi quidem erat proauum ſi nepotis aliquas ſimilitudines in ſe præferre, atque hinc eſt illud liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid.* Hæc itaque eſt Chriſtiadum omnium generatio, vt vocatus quis ad coronam & requiem non ſtatim geſtiat illam præripere; ſed in deſerto & ſolitudine diù oberrãs ſeſe ieiunijs, laboribus, & vigilijs exerceat, milleque aduerſùs infeſtiſsimos hoſtes ineat certamina.

## §. IIII.

### *Vt probantur Deo quicumque arduã & anguſtam, deſertamque cœli viã ingrediuntur ieiuni, ſic qui in ieiunio minimè durant reprobantur.*

QVis deſertam paradiſi viam non ieiunus ingreditur, cum cœleſtis Adam Chriſtus Dominus quadraginta dies in deſerto ieiunauerit? Planè, qui deſertam cœli viam terunt, hoc maxime Deo probati concupitæ paradiſi quieti appropinquabunt, ſi ab eſca abſtineant, & ieiunijs vacent. Hinc pulchrè Ambroſ. de Elia, & ieiunio cap. 4. *Gula de paradiſo regnantem ex* *Ambroſ.*
*pulit; abſtinentia ad paradiſum reuocauit errantem.* Ideo Iſraeliticus populus per deſertum gradiens nil magis ob oculos habuit quam ieiunium, erraturus à via, ſi ſe gulæ traderet. Hoc ſibi facile perſuadebit ille qui notauerit ligneam Moyſis virgam, & æneum ſerpentem fuiſſe inſtrumenta omnium miraculorum, ſignorum vè in deſerto. Cur enim Deus deſerti habitatoribus ſigna & miracula dedit per vnam ligni virgam, & per ſerpentem? Ele

gans

ganter ad rem præsentem respondit D. Anastasius Sinaita in Exameron. lib. 10. *Ea de causa ad eos admonendos, & ad reuocandum eis in memoriam ea quæ facta sunt in paradiso, eis diuersa exhibuit prodigia per serpentem, & lignum.* Quando quidem serpens, lignum obiecta homini esca, paradisum desertam facerent, nosque in terram desertam inuiam & inaquosam ablegauerant, ideo desertum iter colentibus, crebro repetitis miraculis & ligaum & serpens obijcitur, vt cùm cibi recolerent damnum, ieiunijs nitantur ad paradisi requiem cõmigrare. Prodigus ille iuuenis apud Luc. 15. diu oberrans per montes tandem fame stimulatus hæc ait: *Ego hic fame pereo, surgam; & ibo ad patrem meum.* Vna illum fames potuisset errantem in domum patris reuocare. Sic Petrus Chrysol. serm. 2. *Fames reuocat, quem saturitas extulerat; fames illi patrem dedit sapere & si tantùm præstitit vel inuita fames, probate quid voluntarium posset præstare ieiunium?* Equidem ieiunium desertam cœli viam repleret hominibus, quos certo & securè transmitteret in terrã desideratã.

*Luc. 15.*

*Chrys.*

O vtinam Israel in deserto ieiunasset! Vtinam ligni, & serpentis memoria præcipitium gulę cauerent, sed gulę impatientes sui salutem fecerunt desperatam. Sic Tertul. lib. de pat. Israelitis gulositatem in eremo taxat: *Post mannæ ecatilem pluuiam, post petræ aquatilem sequelam desperant de Domino tridui sitim non sustinentes.* Desperata res est, vbi ieiunij nequit inueniri tolerantia; frustra operationem diuinam expectat, qui cibi, & potus penuriam sustinere non valet. Hinc Ambros. vbi suprà ponderans; quòd sexto conditi orbis die requiesceret Deus ab omni opere eam istius rei suggerit causam, nimirùm quod tunc primum animal condiderit manducaturum. *Sexto die inquit, bestiæ sunt creatæ, cum bestijs orta eden di potestas est, & vsus escarum. Vbi cibus cœpit, ibi factus est finis mundi. Ibi cœpit sua incrementa nescire, ibi cœperunt diuina circa eum opera feriari. Quo indicio declaratum est quòd per cibos mundus haberent imminui, per quos desijt augeri.* Non enim operatio Dei adest, vbi ieiunij intolerãtia, vbi fames, sitisue non sustinetur. Quid plura? Ipsa Dei mater non probatur filio, dũ apud Canàm festinat sitim præuenire nuptiarũ, ne sentiatur. Accipite Irenæum cum grano salis. *Properante* inquit, *Maria ad admirabile vini signum Dominus repellens festinationem dixit, quid mihi, & tibi mulier, nondum venit hora mea?* Quasi in sanctissima, & innocentissima matre cœlestis Adam antiquæ mulieris præcaueret hortatus, quid mihi, & tibi mulier? Quid accelerare potum persuades, cui ieiunio placet? Festinatam escam potum ve fastidio, esuriant sitiant homines, famem sitimque discant tolerare, tunc tempus, & occasio aderit, qua à me possint bonis optatis cumulari.

*Tertul.*

*Ambros.*

*Iren.*

*Text.* Et accedens tentator dixit ei. Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.

## §. V.

### *Dæmon plus timet Christum ieiunatorem, quàm Deum glorificatorem.*

NON irruit, & insultat in Iesum aduersarius; sed pedetentim accedit quasi timidus & cautus. Quid times Sathana? An non ille venis, qui temerarius in sedem diuinitatis audes, ais enim: *Ponam in nubibus soliũ meum, similis ero altissimo?* An non ille esqui sub vituli forma Israeliticum populum ad traxisti, eo ipso in monte, vbi Deus Opt. & Maxi. suam illi gloriam & omnipotentiam manifestarat? Sic mirabundus ait Psaltes 105. *Fecerunt vitulum in Oreb: & adorauerunt sculptile. Mutarunt gloriam suam in similitudinem vituli cõmedentis fœnum.* In Oreb. in quam ait Theodoretus: *Vt impietatis hyperbolem doceret, quandoquidem Dominus vniuersitatis in monte illo apparuit.* Etenim. Oreb Deus suam gloriam & omnipotentiam Israelis genti manifestauit, ibi tonante cœlo legem dedit, ibi glorioſam reddidit Moysi faciem, & summis bonis vniuersum populum dirauit. Et ibi illi cõtempto glorificatore Deo adorauerunt vitulum cõmedentem eorum carnes. Quid igitur, ò vitule Satan, times ieiunum in deserto & plenum macie, quem glorioſum & omnipotentem & fulgurantem in Oreb audes spernere? An qui post fulgura, post signa post Angelorum buccinas personantes, non tibi eruit Israelem, eripiet post ieiunia, post Eremi fames? Et quidẽ eam in Domino virtutem præsagit Iacob dum Deut. 33. sic Christum adumbrat in Ioseph

*Isai.*

*Psal. 105.*

*Theod.*

Deut. 33. Ioseph cap. *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius.* Sic bellicosam virtutem, vt ait Glosa, & Hugo, insinuat instar primogeniti tauri. Quid plura? accipite fortissimi semel in certamine victi astutiam tauri virgiliano plectro dulciter decantatam, 3. Georg.

Virg. *Victus abijt, longeque ignotis exulat oris,*
*Multa gemens ignominiam plasgasque superbi.*
*Victoris: tum quos amisit inultus amores:*
*Et stabula aspectans regnis excesit auitis,*
*Ergo omni cura vires exercet, & inter*
*Dura iacet pernox instrato saxa cubili*
*Frondibus hirsutis, & carice pastus acuta.*
*Et tentat sese atque irasci in cornua discit*
*Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit.*
*Ictibus, & sparsa ad pugnam prolludit arena.*
*Post vbi collectum robur, viresque receptæ.*
*Signa monet, præcepsque oblitum fertur in hostem.*

Quæ horum non exercebat Christus à regnis auitis exulans apud desertum? Ibi longè ab oculis remotus multa gemit ignominiam, stragemque superbissimi victoris, sese omni cura exercet, pernox agit dura cubans in humo, laboribus, fame, sitique vires quoad nos tentat. Hos ergo labores, has fames suspectas vehementer habet antiquus ille vitulus & timens cum tãto ieiunatore conflictus, totus tremens accedit, & hæsitabundus quærit, si filius Dei es? Ad quæ D. Hilarius: *Anceps sermo est, si filius Dei es? licet esurientem videret; quadraginta tamen in eo dierum ieiunium pertimescebat.* Quid mirum? Putabat esse primogenitum tauri, & quem in Horeb tonantem & gloriosum sponsa viduare fuit ausus, modo in deserto ieiunantem laborantem meritò pertimescit. Vnde prudenter D. Athana. lib. de Virgin. suggerebat virginibus ieiunium, dicens: *Quisquis ab immundo spiritu vexatur, si hoc animaduertat, & hoc pharmaco vtatur, ieiunio inquam, statim spiritus malus oppressus abscedet, vim ieiunij metuens.* Sed non mirabor quod diabolus ieiunatorem expaueat, cum inde ipsa deitatis potentia cõmendetur, quod à ieiunatoribus colatur. Sic D. Pantaleon orat. de luminibus sacris expendit reuerentiam exhibitam à Ioanne, Christo domino illis verbis: *Ego à te habeo baptizari?* Ecce quem sibi diuina potentia subdat: *Qui Pharisæos baptizabat, ab eo rogat baptizari, qui Saducæos terrat formidabilis, ad illius aspectum assurgit, flectit genua: ieiunio clarus ab eo qui non ieiunauit, benedictionem quærit.* O ingens ieiunij excellentia quando diuina exaltatur virtus quod à viris ieiunio clarisco latur.

Hilar.

## §. VI.

### *Deus iustos homines accessu faciles reddit tentationi ærumnis.*

QVàm faciliter tentator acedit! Non ariete opus habet, aditum sibi per muros æneos paret: sed simplici gressu omnia aperta habet, dũmodo accedat iustorum probaturus fidem & gratiam. Semel Deum cunctantem de Iob, an illum sui hostis per mitteret manibus tentandũ, mirabundus obloquitur aduersarius: *Pellem pro pelle, & vniuersa quæ habet dabit homo pro anima sua.* Quasi diceret ait B. Paschas. *Quid istum passionibus ac tentationibus dare retrahis, cùm vniuersos sanctos tuos quasi pellem pro pelle quandoque daturus es in passionem, & vniuersa quæ habent pro animabus eorum?* Meritò alienum putat à Deo, quòd alinquẽ iustum non permittat tentari, quòd cunctetur & difficilis sit in dimitendis iustis, & pijs hominibus in tentatione. Nam is est Deus, qui antè tentationes parauit, quàm homines condiderit, ne vel ad horam essent sine illis. Quod pulchris verbis D. Ambros. notat lib. 5. Exam. cap. 1. vbi maris, terræque fructus & diuitias conditas ante hominem sic luget. *Væ mihi ante hominem cœpit illecebra, abundantia copiarum, nostræ matris luxuriæ, ante hominem delicia. Prior ergo hominum tentatio, quàm natura.* Quomodo ergo negaret hominem tentatori, qui antè tentationes parauerat, tentatoris arcus tetenderat, quàm homines efficeret? Imò nil magis cordi est Deo, quã tentationum formidini locum dare, aditum aperire. Matth. 4. Discipulos recepit Dominus in nauicula, & vix lintea expandit: *Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat.* Quid est quod Dominus dormit, cũ venti exsurgũt, nauiculamque fluctus sorbere incipiunt? Recte Chrysost. in Catenã: *Erat autem hæc turbatio typus futurarum tentationum: vt ergo daret locum formidini,*

Iob. 2.

In Thre. lib. 33.

Ambro.

Matth. 4.

Chrysost.

ipse

*ipse verò dormiebat*: & se somno, & discipulos dabat tentationum fluctibus; dormiebat Dominus, vt liberum locum tentationi relinqueret, ne quod impedimentum tentatio inueniret, quo minus sanctissimos inuaderet & circumageret discipulos. Habes iuxta hoc quid mireris in filiorum Iob præpropera ruina: intra maioris domum coegerat omnes germanitatis conuiuium. *Et repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos; & mortui sunt.* Iob. 1. Proh dolor! Vnus & solus ventus à deserto prosiliens domus quatuor angulos quatit? Sane Ezechiel. cap. 37. vt ex arentibus ossis viuidos homines efficiat, sic iubet, *à quatuor ventis veni spiritus, & exsuffla super interfectos istos, & reuiuiscant.* Cur per quatuor mundi angulos venti quatuor iubentur venire? Non ne vnus sufficeret quatuor angulos afflare? Quandoquidem apud Iob vnus ventus quatuor domus angulos contriuit? Planè iustorum domus difficiles aditus & obtrusos prætendunt saluti, incolumitati, & vix à quatuor ventis ægrè & difficulter illam recipiet. Verùm morti, contritioni, ærumnis adeò faciles & præuiæ sunt, vt ab vno vento accedente possint omni ex parte redigi in cineres. Habent iusti in ærumnis, in morte Deum gaudentem, in incolumitate & salute lachrymantem ipsum: sic ab ærumnis facilè inueniuntur; à salute difficilè. Etenim de defuncto Lazaro aiebat Dominus Ioann. 11. *Lazarus amicus noster dormit: & gaudeo propter vos*, quem postmodum ad vita reuocaturus infremuit spiritu; & lachrymatus est. Quo circa D. P. Chrysol. serm. 64. *Qui dixerat Lazarus mortuus est, & gaudeo, de quo gaudet mortuo, ipsum cùm resuscitat, tunc lamentatur?* Ne mireris, si mors, si ærumna, si tentator accessum facilem ad viros iustos habeant. Vbi Deus gaudio plenus liberam illis accedendi relinquit potestatem.

Iob. 1.

Ezech. 37.

Ioan. 11.

Chrysol.

## §. VII.

### *Deus viros iustos duriter excipit, vt quamcumque duritiem sine culpa illatam ament.*

QVis non in tentatorem durum & crudelem scandescerit, quando famescenti viro lapides prætendit deuorandos? *Dic*, ait, *vt lapides isti panes fiant*, ad lapides eosque durissimos famescentem virum remittis? ò pessime tentator? Sed & Deus lassum iustum in deserto excepit duro lapide. Enim verò Iacob Dei causa piegrè profectus Gen. 28. non inuenit vbi quiescere posset præter lapidem, quem capiti suppositi. Id quod notàs D. Hieronym. in consolatione ad Iulianum, valde mirabundus ait, *Cur Deus ad se primò venientem ita duriter excepit?* Lasso viro iusto lapidem Deus porrigit, vt famescenti tentator, vt hinc omnes & duritiem & asperitatem oblatam amemus, quandoquidem nulla tanta erit, quæ nobis à Deo non possit eadem propinari. Cùm Iacob post mille exanthlatos labores apud socerum rediret in domum patris sui. Ecce tibi in medio nocturno timore Dominus *luctabatur cum eo*. Proh Deus immortalis! Sic hominem iustũ affligis: sic tuos seruos mactas? Hiccine tuus est amor in homines? Cur, ita durè eos impugnas? Pulchrè D. P. Chrysol. serm. 147. *Iacob fugientem solatur Deus in somnis, redeuntem pio certamine prouocat; luctatoris constringit amplexu, vt amaret partem certaminis, non timeret.* Quis non amet certamina à Deo illata? Quis non diligat duritiem, asperitatem, quam Deus etiam propinet & commendat? Ne timeas, homo, lapides in tentatoris manu, ne hostiũ tela expaueas, imò ama illa, Deus tibi amantissimus hæc infligit. Sic Iræneus lib. 3. cap. 22. *occultè quidem; sed potenter omnia manifestans, quoniam occulta manu expugnabat Amalech, propter hoc & pueros eripiebat, qui erant in domo Dauid, vt eos præmitteret in suum regnum.* Quod semel palàm fecit Deus pugnans cum Iacob, vt illum in luctarum & tentationum amorem traheret, hoc occultè in dies facit se se certaminibus, luctis, laboribus, ærumnis, vulneribus immiscet, & quæ tutela ab hostili manu contorta putas, non nisi à Deo amantissimo proficiscuntur. Sic Hærodis, & Iudæorum ferocientium putares manus, quæ innocentes pueros dilacerabat: at erat manus amatoris diuini, quæ puerulos hos seligebat in Regnum. 1. Reg. 4. percussis & interfectis à Philisthijm Israelis copijs: *dixerunt maiores natu Israel, quare percussit nos hodie Deus coram Philistijm?* Sanctè & prudenter spicula & tela, quibus affligebantur à Dei occulta manu contorta & iaculata auspicãtur. O si nos in ærumnis, in persecutionibus, in tentationibus Dei manum perspiceremus, quam intrepidi hostiles incursus sustineremus, quam auidè suggeremus mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Deut. 32.

Chryst.

Iren.

1. Reg. 4.

## §. VIII.

### *Diabolus diuinitati inuidens cibos Chriſto porrexit lapides in panem, non in hominem cõmutandos.*

LIcet modò expẽdere tentatoris aſtum, qui exploraturus Dei potentiam ait, *dic, vt lapides iſti panes fiant.* Sed vana & ſtulta iſta exploratio. Quid magnũ, quòd panes ex lapidibus fiant? Facerent id Magi, qui veros ſerpentes & verum ſanguinem fecerunt in Ægypto, vt multorum fert opinio, vel faceret Angelus, non ergo ex hoc præciſè inſinuaretur virtus & efficacia diuina. *Chryſol.* Vnde acutè D.P. Chryſol. ſer. 3. hic in quæſtionem vocat tentatorem ſic inquiens. *Quare non dixit dic vt homines fiant; ſed dic, vt lapides iſti panes fiant?* Sanè hoc diuinam petentiam vnicè commendat quòd *potens ſit ex lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ* Matt. 3. ex hoc euidẽter colligere poſſet tentator, an Deus eſſet homo ille. Cur ergo non dixit, dic vt lapides iſti homines fiant? An hunc cibum diuinitati diabolus inuidit? Planè, inquit P. Chryſol. ſer. 2. *ſic dicendo diabolus hominem vult monſtrare, non Deum, non cibum parare vult.* Quaſi diceret faciẽdo pane hominem inescabat ad laqueum; Deo autem proprium cibum, nempe homines inuidus non parat imò nec audet nominare. Hùc illud ſpectat *Tertul.* Tertul. aduerſus Gnoſticos. *Quis non beatum amplius reputaſſet, quem Deus comediſſet?* Quandoquidem caluerat ſciolus ille beatos tunc fore homines, cùm adeò comeſti è lapidibus in filios Abrahæ erant immutandi, aſtutè cauet, ne eſurienti Deo homines fiant. Hominem enim monſtrare vult, non Deum, non cibum parare vult inuidens Deo, quod homo illi fiat cibus.

Sibi lectiſsimum cibum diabolus parat ex ſaxeis hominum cordibus. Id quod *Paulin.* D. Paulinus epiſtol. 4. ad Seuer. lachrymatur, ad Sanſonis exemplum hominem quẽlibet peccatorem figurans. *Iud. 4.* *In ſemetipſo, ait, priſtini ergaſtulum patitur, ſaxum cordis ſui pertinacia iniquitatis induratum quaſi molam verſat, farinam hoſtibus ſuis de corrupta animæ ſuæ fruge conficiens.* Ecce à ſaxeo hominum corde qualem cibum, qualem farinam, nimirum hominis animas ſibi conficiat noſter aduerſarius, quarum ſapore inescatus, inuidens Deo animarum cibum, dum lapides profert, nullum de hominibus verbum facit. Et quidem dum filius Dei eſurit, quid aliud hac eſuritione protenderet; niſi vt D. Hilarius ait *eſuritionem ſe habiturum humanæ ſalutis?* Me me eſuris ò bone Deus, meum lapideum cor aues deglutire, vt in tuæ carnis mollitudinem transmutes, ex ſaxoque duriſsimo filium Abrahami conſtituas. Rectè D. Bern. ſerm. *Bern.* 71. in Cant. *Cibus eius pœnitentia mea, & cibus eius ipſe. An non cinerem tanquam panem manducat? Ego autem, quia peccator ſum cinis ſum, vt manducer ab eo. Mandor cùm arguor: glutior, cũ inſtituor, decoquor, cũ immutor.* Et quã immutor? Saxeus ſum, durus ſum, amarus ſum, mandor à Deo, & fio humanus, blandus, ſuauis, dulcis. Huc ſpectat illud Iudic. cap. 14. ænigma, *de comedente* *Iud. 14.* *exiuit mel, de forte dulcedo.* Quod ſic D. Paulin. vbi ſupra ediſſerit, vt totam noſtram fœlicitatem præſagiat inde. *Paul.* *De edente, aiteſca ſic exit, quia leo de Tribu Iuda ex ore nos aduerſi leonis eripiens ideo venatur vt ſeruet, mandit, vt integret, hoc in nobis edens quod corrumpitur. Quamobrem optemus huius leonis præda fieri, ne ſimus præda leonis inimici. Edente enim Chriſto in nobis abſumitur quod conſumitur: Chriſtus etenim vita eſt, & mortale hoc non poterimus deponere, niſi abſorbeamur, quia mortem noſtram deuorat Chriſtus. Sic ergo depotente exiuit dulce, cum amaritudine malitiæ noſtræ per ipſum in dulcedinem commutata, dulcis à verbo ius eſca procedimus qui nos edendo, conſumpto peccato, reparaut ad vitam.* O quàm exitiale erat diabolo quod ſatiaretur fames diuina! quare non petit homines fieri, quia eſurienti Deo cibum parare formidat.

## §. IX.

### *Sic peccato caſtigare debemus, vt poſt modum quamlibet minimam remotiſſimam vmbram ſuſpectam & inuiſam habeamus eamque effugiamus.*

OQuoties in præſenti ſermonales exclamationes audiui, quibus tentatoris ſiue penuria, ſiue auaritia notabatur, quod etiam ad gulam in eſcãdam nil aliud præter lapides porrigeret, Papæ dives iſte & largus in tentationibus, optaſſet ipſe, vt poſſet condita vina, dulciſsimos dapes, odoros.

odoros, pulchrosque fructus proponere, quibus vel saturum alliceret. Non tamen substinuit cœlestis Adam eremi cultor, quod sibi ab oculos proponerentur à tentatore cibi. Ecce tota reparandi à Christo hominis ruina vnde habet originem Gen. 3. *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis, aspectuque delectabile; & tulit de fructu illius, & comedit.* Vt vidit, vt perijt: quam gulam sic secundus homo Christus castigat lachrymis, ærumnis, ieiunijs, vt quia visus pomi fuit causa ruinæ, cuiuscumque cibi etiam panis visum suspectum habeas & inuisum. O si nos castigaremus concupiscentias antiquas, quam horreremus concupiscere etiam minima. Sanè Dauid post concupitam Bersabe, post adulterium in se acriter punitum concupiuit aquam de cisterna Bethelehem. 2. Reg. 23. Ergo adducitur aqua illi, quam profundens, *libauit eam Domino.* Cur hoc? eleganter & prudenter Eucherius, vt aliàs dixi, ait. *Insa rificium quippe Domini aqua effusa conuersa est, quia culpam concupiscentiæ macta uit per pœnitentiam reprehensionis suæ. Qui ergo quondam concupiscere alienam coniugem nequaquam timuit, postea etiam quia aquam concupisset expauit.* O quam facit peccati pœna homines cautos, & in minimis etiam timidos; qui grauis concupiscentiæ pœnam experitur, meritò cauet sibi à cõcupiscenda aqua, illamque Domino libat. Lot etsi Sodomiticam luem exhorruerat, pessimamque egressus erat ciuitatem; tamen in confinio regionis, in paruo opido licere sibi manere à Domino deprecatur. Ait inim Genes. 19. *Numquid non modica est ciuitas hæc & saluabor in ea?* licuit igitur Lot per Dominum ibi manere, & tutò commorari. Verùm cùm incendium vidit ciuitatum, cùm iustum & terribile Dei iudicium supra Sodomam aduertit. *Ascendit Lot de Segor, & mansit in monte (timuerat enim manere in Segor.)* Quid modo times Lot in Segor inhabitare, & fugis ad montem? Non ne fortè in monte *apprehendet te aliquod malum?* Nõne hæc ciuitas parua & modica est & viuet in ea anima tua? Hoc dixerat Lot ante expertum terribile Dei iudicium; sed post visum ignem complutum, post vxorem factam salem, etiam paruam & modicam expauet ciuitatem, nullamque nec in paruis credit inesse posse securitatem. O quàm cautos viros faciunt monumenta pœnarũ! quàm timidos etiam in paruis! etiam in securis! etiam in remotis! Aquam Bethlehemiticæ cisternæ per tres fortissimos milites allatam cum expauerit Dauid aiebat. 1. Paralyp. 11. *Num sanguinem istorum hominum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* Vbi eleganter D. Greg. Mag. in Regist. lib. 9. in dict. 4. cap. 39. *Qui prius pro culpa sua morientium militum sanguinem fundi non timuit, postmodum si aquam bibisset, etiam viuentium militum sanguinem se fudisse iudicauit.* Sic militis sanguinem effusum pertimescebat ebibere, vt etiam se arceret à bibenda militum aqua, & quicquid militum esset concupiscere formidaret; etiam aquam. Quibus facilè intelliges illud diuina cautum lege Genes. 9. *Carnem cum sanguine non comedetis; sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, & de manu viri, de manu fratris eius requiram animam hominis.* Quasi dicat ecce me vltorem sanguinis humani cõstituo: væ illi qui sanguinolentas homini manus intulerit, non liber euadet, mihi dabit pœnas, peribit pro culdubio. Quorsum hæc? vt homines ab esu cuiuscumque sanguinis abstineant, Etenim qui humani sanguinis effusi pœnas & supplicia videt, manantem sanguine ex paueſcet palumbum, sanguineamque escam repellet fastidiens. Hæc vtinam obseruassent Israëlitæ illi, quos vel ciborum memoria redegit in cineres, quandoquidem, vt notauit Tertull. aduersus Psychicos, *manent adhuc monumenta concupiscentiæ, vbi sepultus est populus carnis auidissimus.* Non in mortem iuit populus quod carnibus vesceretur, quod auide carnes voraret; sed quod concupiscceret, quod sibi carnes meditaretur, cibisque inhiaret Ægypti. Id eleganter in rem præsentem põderat D. Ambros. lib. de Elia & ieiunio, cap. 8. fatus. *Omnes illæ tribus Patrum cùm de petra biberent aquam, manna manducarent, gentes validissimas vicerunt, & non erat illis vllus infirmus; vbi verò carnes desiderare cœperunt, & desiderijs in Ægyptum conuertebantur, nequaquam ex tot milibus hominum in terram promissionis præter duos peruenire potuerunt.* Ecce tibi homines hominum stultissimos, quandoquidem experti ægyptiam captiuitatem & afflictionem, ab illaque liberi ad cibos eius & ollas respicere non dubitabant, quibus vel ipse Ægypti fumus debuisset esse pauor. Sed ò quam vnius peponis Ægypti memoria omnes vapularunt ad sepulchrum, imò ad barathrum concupiscentiæ rapti. Melius pro illis diuina prouidentia dispoſuit, quando Ægypti escis eliminatis scaturiẽtem petrã obtulit, ex qua sibi potum dulcissimũ cape

Gen. 3.

2. Reg. 23.

Euch.

Gen. 19.

Tertul.

Ambr.

1. Par. 11.

Gregor.

Gen. 9.

re,quamque cum alterius potus immemores lambunt, O quam validi hoſtium victores! ò quam inſignes victorias reportarunt! Hoc vincendi ingenium omnibus vtiliſsimum,vt ſuggereret diuinus athleta Chriſtus antiquam hominum gulam dura inedia caſtigans,nullum ſibi cibum à tentatore oferri patitur; ſed tantum lapidem, vt iam inde veri Iſraelis victoriæ daret auſpicium.

*Text.* Qui reſpondens dixit, ſcriptum eſt, non in ſolo pane vivit homo; ſed de omni verbo,quod procedit ex ore Dei.

## §. X.

### *Dum iſtat hoſtis,hoc vnum cura, vt expugnes illum,cæteris alijs lucris ſiue temporalibus,ſiue ſpiritualibus poſt habitis.*

NOn antea predicat Propheta conflandas lanceas in vomeres,quam poſt bellum finitum,quando pax alma prælucet. Dum hoſtis eſt,ſuſpectus tibi ſit agrorum cultus, imò & Dei cultus; niſi priùs hoſtē expunas. Sic diuinè perdocet Chriſtus Dominus, dum eſuriens nec pani conficiendo dat operam, nec de parando cibo curat,vnum agit,vt hoſtem exſuflet. Id ele-
*Nilus.* ganter tractans S. Nilus in Aſcetico hæc inquit. *Quæ vtilitas agriculturæ,cùm bellum ingruit, agroſque deuaſtat, & fructum copiam non ipſis cultoribus; ſed hoſtibus exponit? Propterea Deus fortaſſe vetuit Iſraelitis,ne agriculturam exercerent quandiu erant in ſolitudine,& cum diuerſis gentibus pugnabant, ne bellicas exercitationes intermitterent.* Sanè, ſi dum terrenis lucris inhias, dum cibo acquirendo ſtudes, te hoſtilia tela circunſtant, aduerſariæ poteſtates te infeſtant. Quæ vtilitas laboris tui? & hæc, præparaſti, cuius erunt? Elaborati fructus copia non tibi ſed hoſtibus exſurgit. Quare lucris poſthabitis etiam pane relicto in hoc maximè incumbito, vt hoſtes in primis elimines. Phariſæus ille apud Lucam cap. 7. immemor hoſtilium telorum quibus erat confoſſus, multus eſt in parandis optimis cibis, vt cum Chriſto Domino manducet; ſapientior peccatrix fœmina, quæ vt ſe hoſtium in poteſtate vidit, omnium rerum immemor, etiam cibo oblita vnum curat, vt hoſtium vulnera effugiat, viuidamque ſalutem recuperet. Accipite D. Paulinum epiſt. 4. ſic cum Phariſæo Magdalenam componentem. *Paulin.* *Meritò prælata eſt Phariſæo licèt paſcenti Dominum, quæ ieiuna, non cibi, ſed ſalutis auida ſeruiebat.* Enim verò dum ſe ſe ſentit hoſtilibus configi ſpiculis,& ſi ieiuna eſſet non cibo inhiat;ſed tota eſt in depellendis ſpiculis, in acquirenda ſalute. Abeſto hinc eſcarum cultus, quandoquidem hoſtium phalanges inſultant. Quid plura? Ipſius Dei cultus relinquendus eſt, vt inſultantes hoſtes elimines. Etenim inclyti illi Machabæi, 1. Machab. 2. Deum in Sab- *1. Mach. 2.* bati obſeruatione adeò colebant, vt tunc temporis nefas iudicarint etiam ſe ab inimicorum armis protegere. Proh dolor! Scioli hoſtes noſcentes hominum religio nem *intulerunt illis bellum Sabbatis,& mortui ſunt ipſi & vxores,& filij eorum,& pecora eorum vſque ad mille animas hominum.* Quid tunc? animaduertunt pij viri ſtragem ſe ſe quam primum ab hoſtibus conficiendos vident, & exſurgens Matathias ait, *omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die Sabbatorum, pugnemus aduerſus eum: & non moriemur omnes, ſicut mortui ſunt fratres noſtri in occultis.* Qualis religio Sabbati, qualis cultus ſi interficiantur penitus cultores? Vbi ergo fuerit hoſtis cedat cultus bello, & priùs viriliter aſſumpto gladio expugna hoſtes, quibus interfectis ſecuriùs & fructuoſiùs,tàm ſpiritualibus, quàm temporalibus lucris dabis operam.

## §. II.

### *Chriſto Domino non placet donum, quod vel ex floridо Dei ore, vel puris manibus non offertur.*

MEritò Dominus cibum à tentatore oblatum repellit; is enim eſt qui nō tam donum,quàm manus,quam os, ex quibus procedit, reſpectat, accepturus illud, quod ex puriſsimo Dei halitu, ex limpidiſsimis manibus deuenit. Nouit quæ dicebat Cant. 2. Dilectus meus mihi, & ego illi,qui paſcitur inter lilia. Quibus componit D. Bern. 17. in Cant. illud Ioann. 4. *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem patris mei:* tunc ſic ait, *verbum verbi eſt indicantis eſſe*

*esse suum cibum factum bonum, si tamen inuenerit illud inter lilia: si extra reperit, etsi bonus (quod in se est) videtur cibus, non tangit illum qui pascitur inter lilia.* Priùs respicit Dominus offerentis manus, quàm donum, priùs Abel, quàm munera eius, nec vbi flores desunt virtutum, expectat collecturus fructus diuinus agricola. Sanè Cain voluntaria & plena offerebat munera Deo, at Deus *ad Cain non respexit*: hoc est non sibi accepta habuit munera eius, vt pote quæ ab sceleratis manibus offerebantur. Ita D. Isid. Pel epist. 230. lib. 1. latus. *Deus animi Caini improbitatem respiciens ad eum oculos minime coniecit, nec ipsius munera suscepit quamuis etiam alioqui ex voluntate atque animi instituto oblata.* Non ab vrticis sed à roscidis floribus cibum exigit apis Christus: aut à Pharisæo, & infideli & leproso, & vitiorum spurcitijs squalenti cibum aliquando sumpsit. Vbi flores in Pharisæi domo? Vbi ibi lilia, inter quæ posset pascua Christus sibi inuenire? Sanè, quos non habuit Pharisæus flores, intulit peccatrix Maria, ideoque Dominus fœcentem à Pharisæo cibum repellens; redolentem accepit à peccatrice: ait enim *oleo caput meum non vnxisti; hæc autem vnguento vnxit pedes meos.* Vbi D. Ambros. pulchrè concludit. *Beatus qui potest oleo vngere pedes Christi; sed beatior, qui vngit vnguento; multorum enim florum in vnum collecta spargit.* Floridum ergo Mariæ vnguentum epulas Christo Domino condiuit, qui ab effusis Magdalenæ floribus probans escas, Pharisæum conuiuatorem reprobat vt sibi iniurium. Etenim maximam Deo facit iniuriam, qui spurcissimus cum sit, peccatisque squalore fœtidus audet floridum sponsum inuitare ad conuiuium. Scelectissimus ille Iulianus simul & Gallo augustissimum templum, partitis interse expensis, erigebant sanctis quibusdam martyribus. Quiddamque accidit, dum templum constructur admiratione dignum, nimirum, quæ templi pars Iuliani expensis erigebatur, tota singulis noctibus vertebatur in ruinam. Quæ tunc rei causa? Prudenter excogitauit illam D. Gregor. Nazianz. orat. 3. in Iulianum sic inquiens. *Non tulerunt martyres se solos ex omnibus martyribus contumelia affici, vt templum haberent impijs manibus fabricatum.* Verè imitatores Christi quandoquidem sibi contumeliosum fore putarunt, ab impijs manibus etiam templum acquirere. Quid mirum si Christus sibi iniuriam inferri putet, quando tentator impudicus porrigit esurienti cibos, soloscque illos spectat, qui à florido Dei halitu prosiliant.

*Matth.* 8.

*Ambr.*

*Nazian.*

*Text.* Tunc assumit eum diabolus in sanctam ciuitatem & statuit eum super pinaculum tẽpli, & dixit ei, si filius Dei es mitte te deorsum. Scriptum est enim quia Angelis suis mãdauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

## §. XII

### *Vbi pernicies, ruinaque hominis suggeritur, manifestè proditur diabolus esse consiliarius & instigator.*

QVi dictus fuerat prima in tentatione tentator, iam hic manifestè dicitur diabolus: etenim cur non se se diabolus prodet, quando homini casum & ruinam persuadet? *mitte te, ait deorsum,* quomodo is non diabolus? Apud Lucam cap. 12. dives ille sic secum colloquebatur. *Quid faciam? Quod non habeo quo congregem, &c.* Quis est iste, ò dives, à quo sciscitaris? Vbi habitat quem consulis? Pulchrè D. Chrysol. serm. 104. *Audiamus quid responderit consiliarius interni. Destruam horrea mea. Euidenter apparuit qui latebat: qui à destructione incipit inimicus. Agit agit vt quæ habes, destruas, & quæ concupieris, non reformes.* Quicquid molitur diabolus; quicquid consulit, ruina hominis est, pernicies est, casus est, hæc nunquam non intendit, nunquam non procurat. Id rectè caluerant illi Israelitæ idolatræ, qui Babyloniorum armis præoccupati Oseas capit. 10. dicebant *montibus cadite super nos, & collibus operite nos.* Etenim visis crudelibus hostibus petebant enixè à montibus, quod ipsi crudelitatem Babyloniorum præcurrerent aduersus Israelem. Et à quibus mõtibus id petebant? Pulchrè explicat D. Cyr. dicens *montibus illis & collibus, in quibus*

*Luc.* 12.

*Chrys.*

*Oseas.* 10.

*Cyril.*

*idola colebant; cadite super nos, anticipate crudelitatem Babyloniorum, & captiuitatis extremam miseriam.* Ecce tibi deuotissimi Dæmonum cultores, quid ex diabolo petant & sperent, non incolumitatem, non auxilium; sed præproperam & anticipatam necem. Quid petijssent miseri & afflicti homines in discrimine vitæ constituti ab amico de se benemerito, nisi auxilium, nisi fauorem? At isti Dæmonum amicitiam nosc unt suorum, qui amicissimo cuique nihil nisi mortem nisi perniciem machinantur & consulunt. Accipite deuotissimum Dæmoniorum cultorem Senacheribis, 4. Reg. 19. Hierosolymam expugnaturus multo milite cingebat, in Deum verum, & in Regem Ezechiam blasphemus. Sed vltor Dei Angelus nocturno silentio octoginta millia militum interemit, à qua strage vix vnus Senacherib fugit in patriam, confugiturus ad Deorum suorum templum. Et cur Angelus fugienti illi non intercluſit aditum? is erat blasphemus, is erat, cuius causa milites interemerat, cur ipsum primum non interemit? cur reliquit ad Dæmones confugientem? Sanè qui ad Demones confugiebat, certam ab illis necem & perniciem habebat, & ideò abstinuit Angelus à nece eius, vt potè qui dubio procul esset à Dæmonibus occidendus. Enimuerò *cùm adoraret Deum suum Adramelech, & Sarasar filij eius percusserunt eum gladio.* De quo eleganter Eucherius, *contemptor veri Dei in fano falsi numinis trucidatur, nec Angeli perijt gladio, quod erat commune cum pluribus, sed parricidio filiorum.* Non egent Deo vltore & interfectore qui Dæmonibus, & vitijs seruiunt, diabolus ipse, vitium ipsum carnifices sunt suorum mancipiorum, indigneque ferunt, quod sui communi clade concidant, quos ipsi omnium crudelissimè ad casum & perniciem impellunt. Porrò vnius est Dei illa vox, quam Psalmus 57. in titulo ostendit, nempe *ne disperdas.* De qua Niss. in Psalm. cap. 15. dicit. *Ne disperdas dixit. Deo digna vox, hominis interitum vetans.* Adeo vt non prius Sathan, in homines desæuiat, quam à facie Dei egrediatur. Sic percussurus Iob cap. 2. dicitur *egressus est diabolus à facie domini.* Vbi Olimpiodorus ait, *Rursus docemur, eum qui ad hominem adoriendum, mentem conuertit, à facie domini exire.*

(.?.)

## §. XIII.

*Is est Christus, qui nequissimos saepius & obduratissimos peccatores in bonum facit grauitare, si vel iniurijs illorum manibus suscipiatur.*

QVI nocentum manibus Christus Dominus non dubitauit tradi, similiter nunc vt Cypriano, & Gregorio Magno placet se se manibus diabolicis volens tradit. Quem accipiens diabolus pergit in sanctam ciuitatem, & in templi pinaculum. Quorsum sanctitatis & religionis osor in ciuitatem sanctam, & in templum? An præcipitia de erant in deserto? erant omnia Iudeæ excelsa ablata? Cur non potius ad idolorum excelsa, ad Babylonicas turres euolauit, vt præcipitium persuaderet? Sane non ase, sed deifico pondere pressus in templum Dei, in ciuitatem sanctam grauitauit. Sicut qui saxeam molem suscipit asportandam in centrum saxi grauitat, & sæpe renitens licet ad ima fertur pondere superatus: sic aliquando qui Christum Dominum vel per iniuriam in se suscipit, non potest non grauitare in centrum sanctitatis, in sanctorum ciuitatem, & quantumuis renitens deifico põdere pressus necessum est, quod feratur in loca sancta. Sacrilegus ille proditor Matth. 26. exitiali pœnitentia raptus, *projectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit.* Nota vbi argenteos refudit, in templo, nimirum: quis te in sanctissimum templum egit ò Iuda? Cur non potius in domum Cayphæ festinas? Cur quo accepisti loco non restituis pecunias? Cur non sterquilinio, cur non ventis tam exosos committis nummos? At onustus pecunia curris in templum, in temploque licet sceleratus illam refundis. Pulchre hic D. Maximus notans in templum Iudam euocari à pecunijs, ait, *Videte quanta vis Dominicæ sit pecuniæ.* Nòn Iudæ operatio fuit, quod templum adeat recessurus ad laqueum: Dominica pecunia id egit: quæ leuitantem ad suspendiũ, adeo in bonum faciebat grauitare, vt tandẽ illum in tẽplũ coegerit, vbi sceleris veniam posset impetrare. Hæc quidem est Dominicæ pecuniæ, Dominici sanguinis,

hæc

4. *Reg.* 19.

*Euch.*

*Matth.* 27.

*Max.*

hæc vis ipsius Christi salutaris, quod assumtus, quod tactus nocentissimus, & leuissimos quosque in bonum grauet.

Quid arundine leuius? Quid humanà natura serpentino veneno madida fragilius? Ecce tibi Christum Dominum in domo Pilati fragilis arundo naturæ humanæ imago verberat, & affligit. Quid inde? Id
*Ambr.* eleganter D. Ambr. inuens inquit. *Arundine secundum Marcum caput eius percutitur, vt solidata diuinitatis attactu nostra conditio nutare non possit.* Itaque quando nostra fragilitas arundine vanior ac fragilior Christum percutit, tunc solidatur, & confirmatur ab ipso. Qui tactus licet à nocentissimis, aliquod illis bonum solet imprimere. Quid plura? à Pilato ipso nocentissimo, & iniquissimo iudice iudicandus
*Athanas.* suscipitur, & tunc, vt ait D. Athanas. de Pass. *Dominus interim dum à Pilato iudicabatur, eius vxori oracula edebat, quo simul Pilatus & silentio eius fortitudinem stuperet, & ex oraculis cognosceret eum non hominem; sed Deum esse.* Scit Christus peruerso à quo quam teneri, quem sicut graue in centrum, sic in sanctitatem facit grauitate, vel sicut lux obiecto corpori instat, si vel rimulam inueniat, quo suæ claritatis fulguret radios. Id quod prænoscens aduersarius, cum vidit Christi corpus Iudæ in Cæna fuisse communicatum, vehementer Domini timens morem, sceleratissimum proditorem omni conamine impellebat in laqueum. Sic sanctus Cyrill. libr.
*Cyril.* 9. in Ioan. cap. 19. dum fatur. *Etiam Iudam cum post panem omninò separauerit tum moram tunc benedictionis virtutem timens, ne scintillam in animo eius accenderit, ac inde illuminauerit, magna præcipitem agit celeritate.* Hæc ille.

## §. XIIII.

### *In perfectionis sublimitate, arduisque virtutibus constitutus homo securiorem, & suauiorem vitam ducit.*

*Rab.* PRudenter Rabanus in Catena videns Christum Dominum à Diabolo in pinaculum templi assumtum, id notat, *vt quisquis imperauerit viam veritatis arctam nos ascendere, obtemperemus.* Etiam Diabolo suggerente, perfectionis culmen ascende, sublimia virtutum cacumina tene hoc pro certo habens, nullibi fruiturum fore vita dulciori hostiumque incursibus securiori. Huc spectabat illa gratia in Amassiæ crinibus ab sponso Cant. 4. decantata. *Capilli tui sicut greges caprearũ.* Cuius explicationem affert D. Ambros. in psalm. 118. serm. 16. vers. 3. *Vides quòd in altis grexistepascitur? audisti in montem? Itaque vbi alijs præcipitia, ibi capreis nullum periculum, ibi gregis huius alimentum, ibi cibus dulcior, ibi fructus electior, spectantur à pastoribus suis dumosa de rupe pendentes, vbi luporum incursus esse non possunt, ibi fœcundæ arbores fructum integrum submini-*
*Cant. 4.* *Amb.* *strant. Ideò elegit eas spiritus, quibus cætum venerabilis Ecclesiæ comparet.* Etenim vbi quis capreæ instar altissima virtutum cacumina scandit, & in arduis euangelicæ perfectionis culminibus ponit nidum. O quàm securus à luporum incursibus dulcissimam & quietissimam vitam transigit! Rudiores, & imperfectiores, qui toti ad humi iacentes herbas feruntur, sublimia euangelij consiliã sibi æstimant præcipitia, & dum ardua virtutum fugientes per mediocria & plana iter instituunt, mille sustinent fames, mille sites, mille hostium incursus, & sæpissimè, *sicut oues positos in infernis*, id est, in imis virtutum, *mors depascit eos.* O vtinam non sicut oues in cãpis; sed sicut capreæ in montium cacuminibus, in altissimis rupibus gradum figerent, ibi nullum periculum, ibi cibus dulcior, ibi luporum incursus esse non possunt, ibi fœcundiores vitæ arbores fructum integrum subministrant. Sanè apud Ægyptum manducaturi agnum Israelitæ iubentur, cum calceatis pedibus baculos in manibus tenere, vt sic in profectionem se se accingerent. Verùm postea missurus Christus Dominus Apostolos in vniuersum mundum. Matth. 10. cauet, *ne calceamenta, nec virgam ferant.* Enim verò vbi Ægyptiorum aruaterimus, vbi virtutum primordijs insistimus, opus est nobis calceis, quibus à spinis, reptiliumque serpentium morsibus euadamus liberi. Opus itẽ baculo est, quo nos protegamus à crebris inimicorum incursibus. Ast cum semel Apostolicum culmen attingimus, nempè cùm euangelicæ perfectionis altissima cacumina subimus, vix est quod timeamus periculum, vix ex luporum accessus, quare nobis virgæ minimè necessarius est vsus. Sic D. Gaudentius tract. 5. in Exod. *Opus est mihi*, ait, *& baculo, Pascha adhuc in Ægypto celebranti, vt me ab interitu liberem, percusso Ægyptio; si quis verò est Apostolicus, & per Iesum prostrato Ægyptio magnus*
*Psal. 48.* *Matt. 10.* *Gaud.*

*factus ac potens est, nõ iam propter se baculum portat.* Nil in Apostolicæ perfectionis culmine quod timeat, habet, ibi luporum incursus esse non possunt, nullus aditus hosti, qui insigni virtute munitum expauet hominem. Lumen huic excogitationi
4. *Reg.* 3. præbet singularis historia ex lib. 4. Reg. cap. 3. ibi enim fortissimorum Israelitarum exercitus Regem Mohab acriter impugnat, imò iam iam expugnat: qui frustrà in validissimos hostes omnia mollitus, Marte iam deplorato, *arripiens filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum, & facta est indignatio in Israel, statimque recesserunt ab eo, & reuersi sunt in terram suam.* Quid tunc rei? infensissimi hostes, nimiumque crudeles à Rege, quem impugnabant, recedunt, quando illum vident omni destitutum auxilio? Illum indignantur, & fugiunt, cùm penè in manibus tenent, quem mille pugnis, crebris conflictibus sperabant euersu-
*Caiet.* ri? Rectissimè Caietanus, huius hostilis fugæ causam meditatis inquit. *Intelligere licet Israelitas idolatras, viso illo holocausto magnipendisse illud, & desperasse de victoria aduersus Regem munitum præsidio tanti holocausti.* Et quidem vel vnus virtutis actus insignis reddit hominem insuperabilem inimicis. O vtinam quis eò perfectionis scanderet, vt sui cordis primogenia mactet, Deoque litet! O quàm fugaret hostes! ò quàm securus inde ageret fugatis inimicis! ò quàm longe abijssent contrariorum exercitus desperati de victoria aduersus hominem munitum virtutis tantæ cacu-
*Zeno.* mine. Ecce de Iob excellentissimis virtutibus quid D. Zeno dicat libr. 2. serm. 16. *Tantus autem paritatis, & fidei erat muro munitus, vt non auderet eum attentare Diabolus; nisi à Deo iussus.* Etenim qui perfectionis teret cacumina, arduisque euangelij semitis figit vestigia, omnia habet in tuto, illi fœcundæ vitæ arbores integrum fructum subministrant, nec feros expauet hostium conflictus.

## §. XV.

### *Qui in virtutis cacumine versatur, hostibus malignis insuperabilis est, à se tamen sui ruinam timeat.*

POsitum in pinaculo templi Dominum non audet, imò nec potest impellere in praecipitium inimicus, id solum spectat, vt ipse sese agat in ruinam. Ideò ait, *mitte te deorsum.* Etenim perfectissimi viri hostibus inaccelsi, & terribiles suo quandoque casu miserè disoluuntur. De Behemot dicebat sanctissimus Iob, cap. 4. *Corpus illius quasi scuta fusilia.* Vbi B. Paschas. lib. 3. in Threnos littera Tau expendit illud, *scuta fusilia*, ita edisserens. *Scuta ergo si sunt fusilia in suscipiendo sagittas, robusta sunt; sed casu fragilia. Ictu quidem ferientium minimè penetrantur; sed suo lapsu per fracmenta dissoluuntur.* Siccine perfectissimorum virorũ describitur robur & fortitudo, scuta quidem fusilia optimo temperamento elaborata, quæ inimicorum tela rideant, ferientiumque ictus, igneas etiam glandes facilè inuicta repellant; verùm si elapsa è manibus, si proprio pondere grauitantia decidant, proh dolor, in quam, minutissima fracmenta conteruntur! Timeat ego perfectissimus quisque, cum à Deo in arduis virtutum cacuminibus fertur sublimis, ne dum hostibus inuincibilis graditur, suo se lapsu miserè comminuat. Hoc pungebantur timore egregij illi serui, de quibus Iob. cap. 29. dicit. *Si quando ridebam ad eos, non credebant.* Quidni? Laudari potest seruus, qui fauoribus domini sui, qui ridenti domino minimè credit. Vnde ista laus peti potest? Prudentissimè illam expendit D. Gregor. in hæc verba: *Redemptori nostro quasi non credimus arridenti, dum multis iam eius donis testantibus & gratiam fauoris eius accipimus, & tamen adhuc sub eius iudicio de nostra infirmitate titubamus.* Protecti à Dei gratijs, nimijsque eius fauoribus exaltati, non de hostium conflictu, non de venenatis iaculis; sed de nostra infirmitate semper timeamus, quem forti retorta manu tela non feriunt, sæpissimè conterit proprius casus. *Iam Paulo è cœlo Dominus loquens, eiusque oculos interiùs aperiens, exteriùs claudens potentiam suæ maiestatis ostenderat. Iam de eo Ananiæ dixerat, vas electionis est mihi iste, iam ad tertium cœlum super se raptus fuerat, iam in paradisum ductus, arcana verba quæ dicere non posset, audierat: & tamen adhuc timidus dicit, castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne ipse reprobus efficiar.* Ipsi altitudo electionis, & virtutis hostiũ eripuit metũ; sed de se ipso multò maiorẽ timorem incussit, vt semper de sua titubaret infirmitudine. Apud Lucam meminit Christum Dominum Apostolis dixisse, cap. 12. *Nolite timere, pusillus grex, quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Ecce tibi cùm regnum seruis promit-

tit

tit Christus, illosque quasi cœlestis regni candidatos insignit, simul metũ illorũ expellit. Sed quid tunc illi timerent? Se in Reges cooptatos vident cur timeant? Acutè D. P. Chrysol. ferm. 23. in quit. *Promissionem regni sine timore seruilis status audire non sufficit, quia qui libertate vix dignus est, capere non valet insulas: principatus regnum velle seruum crimen est, audire periculum, temeritas non timere.* Temerarius ergo est ille seruus, qui cùm in sublimi perfectionis se videat gradu, vbi penè manu coronam pertingit, vbi crebrò se ad regnum euocari auscultatur, non vehementer timet de sua infirmitate, ne qui ab hostili incursu liber triumphale diadema sperat, proprio casu decidat reprobandus. Hinc ille credentium maximus parens Abraham Genes. 15. cùm se à Deo mille promissionibus audit munerari, cũ se in culmine diuinæ amicitiæ nouit exaltatum, ait: *Domine Deus quid dabis mihi?* Quæ verba Philo Iudæus lib. quis rerum diuinarum sit hæres, sic in primis legit: *Here Domine, quid dabis mihi.* Deinde notat illud: *Here*, Greco vocabulo sonare vinculum timorem. Vnde quòd Abrahamus in sumã Dei familiaritatem elatus dicat Here Domine, *perinde est*, ait Philo: *Ac si dicat, non ignoro tuam ingentem potentiam, scio & potestatem tuam terribilem, & idcirco timens; trementsque te apello.* Quanto enim diuinæ sublimitatis vicinior, tãto de nostra infirmitate timidior, ne proprio casu amittat, quod ab hostilibus incursibus eripuit liberum.

Chrysol. Gen. 15. Phil.

## §. XVI.

### *Christus filius Dei maximè innotuit à summo cœlo vsque ad mortem diuissus.*

PArum petis ò Diabole, à filio Dei, vt sese à pina templi dimittat: etenim ille est, qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit à cœlis, crucifixus, & mortuus, & sepultus est. Non à pina templi; sed à summis cœli verticibus dimissus in mortem vsque Dei filius manifestè perlucet. Sic D. Petrus Chrysologus tentatorem irridet. Quid descensum à templi pina expectas, vt filium Dei videas? Eccetibi, *se Dominum, se vtique Deum intelligi voluit, qui non de pina templi tantùm se dedit ad terram; sed è cœlis se ad inferos vsque iactauit.* Hiccine filij Dei descensus, hæc demissio, qua innascibilis Patris proles probat, & manifestat diuinitatis suæ originem. Aquilarum pulli maternis scapulis sublati, an de generes sint, nitidissimã probantur ad Solis lucem. Verùm proles diuina vnigenitus Dei filius à sinu Patris emissus in terram vsque, tunc claret, tunc apparet manifestissimus, quũ & ipse, & vniuersus orbis operitur mortis caligine. De illo Beatus Athanasius in rescripto ad Liber. Papam: *Ipse est Dei virtus hoc est Deus, qui infernum expugnauit, & imperium diaboli demolitus est, qui Deus in descendendo corpus suum à mortuis excitatum Patri repræsentauit.* Expendo illud, *Qui Deus in descendendo*, quasi tunc maximè Deus innotesceret, cum ad vsque puluerem mortis descendit. Id quod eleganter ponderauit Drogo, libro de Sacramentis Passionis, vbi iuxta Luc. cap. 24. proponitur Christus in Castello AEmaus discumbens cũ duobus Discipulis suis: *Et accepit panem, & fregit & porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eũm.* Et quidem in fratione panis cognouerunt Dei verbum Discipuli. Quid plura? *Panis caro tua est*, ait Drogo, *Fregisti manibus tuis corpus tuum, quia potestatem habebas ponendi animam tuam, fregisti corpus, quod foris apparebat, & ostendisti medullam, quæ intus latebat; nisi enim patiaris, non cognosceris.* Cùm lucem verbum habitabat inaccessibilem, non cognoscebatur, vix in vmbris, obscurisque imaginibus sese pandebat propheticis viris; panis erat, sed integer; à prælucenti solio descendit in mortuorũ caliginem, & tunc doloribus mortis confractus, æternam, diuinamque patefecit originẽ. Vnde D. Athanasius oratione de Verbi Incarnatione, eius descensus eam causam adducit: *Ea igitur de causa Verbum homo genitus est, homo apparuit, mortuus est, & resurrexit, vt præstingeret, obscuraretque rebus suis gestis quicquid vnquam ab hominibus gestum est. Vt vbicumque homines sensibus suis ad credendum numen præoccupati essent, inde eos abduceret, & de Patre suo illos certiores redderet.* Ecce quò se dimisit Christus, vt Patrem suum Deum ostenderet, vt se vnicum filium Dei insinuaret, dũ ipso in descensu sublimis, in suplicio innocens, in morte diuinus, in inferno Deus omnibus innotescit. Sanè quidam

Chrisol. Athan. Luc. 24. Athan.

ſuperiorem omnibus habuit interitum, præ omnibus ſigularem ortum à Deo Patre habeat, fuerit neceſſum.

## §. VII.

### *Hoc valde calamitoſum hominibus, quòd in neceſſitatibus ſuis Deum obliuiſcentes, creaturas reſpiciant.*

ECce tibi Dæmonem Chriſto Dominò præcipitium ſuadentem, & ſimul offerentem Angelos auxiliatores, ait enim, *Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus portabunt te.* Cur Angelorum auxiliũ promittis? An non magis ipſe pater adſtaret filio? An non filius ſibi ſufficeret? Cur relicto Deo auxiliatore, Angelicas manus opitulatrices proponis? Papæ hoc ſolum putabat perſuaſum præcipitium, ſi illius oculi velad creaturam relicto Deo reſpicerent. Nonne Petrus Chriſto imperterritus adhærebat? Quis Petrum deturbauit à petra Chriſto? Vide quid de illius ruinæ cauſa dicat Luc. capit. 22. *Et poſt puſillum alius videns eum dixit, & tu de illis es, Petrus verò ait, ò homo non ſum.* Ibi eleganter Drogo lib. de Sacrament. Paſſ. expendit illud, ò homo non ſum, nimirũ inquit, *hominem attendit, non Deum.* Et quidem tota eſt humani caſus & præcipitij cauſa, quòd immemores Dei, reſpiciamus creaturas. Hoc in primis oſtendit ſuperbiſsimus ille diues, dum etiam in ſuo præcipitio medijs tormentorum ignibus id de conſuetudine eructat. *Pater Abraham miſerere mei.* Quem ſic meritò Chryſoſt. in Catena pungit: *Creator creaturæ miſeretur ſuæ, vnus venit Medicus qui ſanat morbos, alij ſanare non poſſunt, erras miſer.* Heu quot hic error egit præcipitia! quot in neceſsitatibus ſuis, in periculis, expectantes creaturas ad miſeriarum ima ſunt deuoluti! Nunquam aduerſarius de ruina hominũ ſecurior, quàm dum illis perſuadet quòd reſpiciant creaturas. Cauit hoc periculum prudentiſsimus Moyſes, Exod. 33. Qui niſi Deo comite exire in terram promiſsionis noluit, Angelicum etiam ducatum repellens. De quo D. Athanaſ. ad Serapion. ſic fatur: *Moyſes recuſauit ducatum Angeli. Niſi, inquit, ipſe Deus nobiſcum proficiſceris, ne me hinc abducas, nolebat enim creaturam ducem populi eſſe, ne omiſſo creatore creaturæ inciperent inſeruire.* Quaſi cõſequens foret, ſi à creatura expectarent duci, à creatore deficere, & penitùs interire. Id quod ſibi etiam cauerunt Iſraelitæ populares in ſumma ſua ſtultitia, quando abſentis Moyſis moram non ſubſtinentes ab Aarone poſtulãt: *Fac nobis Deos qui nos præcedant.* Sanè abſentiam hominis homines ſupplere poterant: at ſcioli hi in ignorãtia ſua ducatum hominis ſuſpectum habentes, ſolum ſibi Deum præfici expoſcunt. Quos ideò cõmendat Clemen. Rom. conſt. 6. cap. 20. fatus: *Hac vna in re ſapiunt, quòd ſe ſine Deo nihil fatentur poſſe;* imò niſi ducente Deo progredi nolunt. Vtinam hac ſemper vigerent cautela, & creaturarum omnium ducatum haberent ſuſpectum, ſed tandẽ relicto Deo ad creaturam confugiunt, quando Hieroſolymis clamant: *Nos non habemus Regem niſi Cæſarem*, à quo æternò duraturam calamitatem acceperunt. Sic Theodoret. in Hierem. cap. 2. *Negantes Deum dixerunt ſe non habere Regem niſi Cæſarem, hac de cauſa Cæſari tradidit illos.* Et ſub Cæſare, ad quem confugerunt, periere illius gladio enecti.

Luc. 22.
Drog.
Luc. 15.
Exod. 33.
Athanaſ.
Exod. 32.
Clemen.
Ioan. 16.
Theodor.

*Text.* Ait illi Ieſus rurſum. Scriptum eſt, non tentabis Dominum Deum tuum.

## §. XVIII.

### *Quando quis viam habet, qua ipſe ſeſe facile difficultatibus expediet, Dei auxiliatoris auxilio fixus, non miracula vanè ſperet.*

DEVS Optimus, & Maximus, vt amat inuocari ad extraordinaria ab ijs qui omni creaturarũ ope deſtituti ſunt, ſic vbi creaturarum operatio poteſt intercedere, amat ipſe quieſcere ab extraordinarijs. Id quod maximè claruit in incarnatione Verbi, in qua poſtquam diuina virtus efficacitatem ſuam oſtendit in efformãda deifici pueri carne ſine virili ſemine, in educendo maturo fœtu ſine matris corruptione. Vbi ad impoſitionem nominis ventum eſt, quæ creaturarum poteſtatem non excedebat, additur ſtatim Ioſeph, cui

Matth. 1. cui ab Angelo dicitur. Matth. 1. *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est, pariet tamen filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Etenim cū Ioseph audisset Marianum fœtum superna Dei virtute paturiri, ne ipse à cura illius abstineret, soli virtuti diuinæ illum cōmittens, præuenitur, quod nomen implorat, quòd quicquid in se fuerit, id ipse efficiat. Qua si diceret, ait Theophilactus: *Non suspiceris, quòd quia à Spiritu sancto est conceptio,* Theoph. *Virginem ideò dimittere debeas adiutorio destitutam: sed ministrabis ei in omnibus.* Sic laborare debes in puero nutriendo, & matre fouenda, vt nil quod tu præstare possis, Deo relinquendum putes. Vt arcam Domini in plaustro labentē teneret Oza. 2. Reg. 6. extendit manum suam ad arcam, 2. Reg. 6. & statim à Domino percussus interijt, ea sanè ratione, quia qui humeros adhibere poterat, & debebat, extremum solum adhibuit manuum. Ita Theodoretus quæst. 20. Theod. *Delicti luit pœnas, nam cùm Deus iussset vt Sacerdotes ferrent arcum suis humeris, præter legem eam tulit in plaustro.* Nihil tam Deo exosum, quàm qui diligentiam adhibere possunt, & tenentur, otio torpeant aliorum labori fidentes. Is Deo placet, qui vbi impositis humeris, manibusq; adhitis necessitati occurrenti satisfacere potest, omnipotentis solius auxilium non exercet. Hinc Abrahamus, Genesis 12. Genes. 12. hęc verba fecit vxore suæ AEgyptum ingrediendi: *Noui quòd pulchra sis mulier: & quòd cùm viderint te Ægyptij, dicturi sunt: vxor illius est, & interficient me, & te reseruabunt. Dic ergo, obsecro te, quòd soror mea sis, vt benè sit mihi propter te.* Ad hæc Faustus Manichæus vehementer condemnat Abrahamum modicæ fiduciæ in Deū. Etenim vbi Deus illum in AEgytum miserat, quid ipse timeret? Cur se totum Dei prouidentiæ non committit? Cur Deum liberatorem in omni periculo non sperat, sed magis propriæ artis nititur prouidentiæ? Fausti autem ignorantiā, & Abrahami prudentiam expendit Diuus Augustinus lib. 22. cap. 26. Augustl. in hæc verba: *Dicet aliquis, cur non potiùs ita de Deo suo præsumit Abraham, vt fateri non timeret vxorem? Nunquid Deus ab illo mortem non poterat repellere, quam timebat: eumque cum cōiuge sua ab omni pernitie tutari, vt nec vxor eius, quamuis pulcherrima, appeteretur ab aliquo? Poterat sanè id efficere Deus, sed si interrogatus Abraham illam fœminam indicasset vxorem suam, duas res tuendas commisisset Deo, & suam vitam, & coniugis pudiciam. Pertinet enim ad sanam doctrinam, vt quando habet homo quod faciat non tentet Dominum Deum suum.* Vnde prudentissimus Abraham qua potuit vitam suam arte, & industria tutatus est, qua non potuisset tutari vxoris pudicitiam, Deo commisit, eiusque virtutem fuit expertus, quia & ipse quod potuit, fecit. Quam quidem Deus nec suæ soli, nec Angelorum virtuti committi gaudet quod homo valet perficere. Raphaeli Angelo mandauit Deus de Tobia, & tamen nunquam video Angelum aplicuisse manum suam, vt Tobiam periculis erueret. Ecce Tob. cap. 6. immanis piscis exiuit ad deuorandum eum. Quem expaueſcens Tobias, clamauit vocem magna, Domine, inuadit me. Quid tunc Raphael? Accurrit ne piscem occisurus? Minimè; sed dixit ei: *Apprehende brachium eius, & trahe eum ad te, exentera hunc piscem.* Non Angelus; sed ipse Tobias piscem aggreditur; piscis præcordia imponit prunis; piscis felle amarissimo linit oculos patris. Vnum in toto itinere petit Tobias ab Angelo, nempe vt ipse solus in Reges ciuitatem proficiscatur, quod Tobias etiam faceret? Nisi manere cogeretur à socero adiuratus: *Cuius vim adiuramenti, inquit, spernere non possum. Tunc Raphael in Reges ciuitatem Mædorum perrexit.* Ecce tibi non aliud efficit Angelus, quàm id quod sibi constat à Tobia non posse peragi: quicquid enim est sub nostra potestate nec Angelis, nec soli virtuti diuinæ est demandandum. Bene monebat Dominus apud Isaiam cap. 1. *Venite, & arguite me.* Vbi Chrysost. sic explanat. *Quid dam ipse facite, & quod reliquum fuerit ipse addijciā Exiguum aliquid mihi date, & soli am rei totius summam vobis impertiar gratuito* Sic Deus vbi Eliam cibo refecturus erat, eum iuxta torrentem aquæ iussit manere 3. Regum 17. Cur iuxta torrentem manaret nisi vt alimoniæ cura inter Deum, & hominem: diuideretur? Quando homo quas facille posset aquas à torrente accipere, & aliter habere non posset cibum ex solo Deo sumeret. Annuit Iosephus libr. 8. cap. 7. aiens: *Ad torrentem quendam degebat, vnde potum haberet, nam cibus ei quotidie per corbos afferebatur.*

Texti

*Text.* Iterùm aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valde: & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei. Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.

## §. XIX.

*Valde tibi ſalubre erit, ſi mundi glorias, irritamenta vitiorum virtutum difficilia in certamen voces, eorumque ementitas vires in ſecreto cordis expugnes.*

OMnia regna mundi eiuſque glorias oſtendit tentator Chriſto. An quia omnia ementitis coloribus ante mortales oculos in aëre confinxit? Non abnuo: ſed eſto, quod manus deſignatione notaret mũdi plagas, quarum imperia gazas, delitias compoſitio ſermone deſcriberet. Planè placuit Domino ſibi omnia hęc ob oculos proponi, effingi, vt qui illa aſpernaturus venerat cum ementitis illorum imaginibus quo ad nos ediſceret confligere, & euincere, Ea enim erant prophanis hominibus meditamenta militaria, vt loquitur Tacitus, quando miles ſolitarius ſe inter confertiſsimos hoſtes animo figurabat, ibique venientes effingebat conflictus, volantia tela, equitum impetus, quos impàr cauebat, vel honore ſtimulatus hinc inde alacer nitebatur de molliri. Sic à natura edoctus Taurus, vt ſe in prælium accingat ſolus in deſerto.

*Et tentat ſeſe, atque iraſci in cornua diſcit.*

*Virg. 3. Gregor.*

*Arboris obnixus trunco, ventoſque laceſsit ictibus.*

Sic etiam Chriſtianus milles hoſtium animæ ſuæ conflictus meditetur, reuocetque in memoriam regna mundi, effingat ſibi ob oculos glorioſas, momentaneas delitias, gulæ irritamenta, iniuriarum felles, tormentorum dolores, & comite Chriſto claſsicum medijs in præcordijs intonet, manum conſerat, impugnet, acriter dimicet, donec victor exiſtat. Vnigenitus Patris ſub effigta humana figura patribus antiquis aparebat, nimirum Abraham, à quo recreatus eſt, Iacob, cum quo tota nocte acri lucta certauit. Id docent Chryſoſtom. Ambroſ. Leon. Thophilat. Clemn. Rom. & Alexand. Cur ergo effigta carne apparebat verbum? Rationem pulcherrimè innuit Tertulian. contra Prax. capit. 16. ſic inquiens: *Ediſcebat ad veritatem carnis aſſumendam quaſi præludens infigta.* O quam rectè figta in carne præludens, veram noſtræ carnis molem geſtare ediſcet! Non quia ipſe opus haberet, ſed quaſi fingit ediſcere, vt nos doceamur, de effigtis certaminibus in verum deſcendere certamen. Ergo quiſquis in arenam venturus, vbi hoſtium conflictus, vbi deliciarum lænocinia, vbi ignea voluptatum tela, vbi honorum fulgura, dignitatum ſpicula. Ediſce prius & exercere in pugnã, prælude infigtis, ementitis prius conflictibus aſſueſco vincere. Hoc faciebat Paulus ad Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an fame? an nuditas? an periculum? an perſequutio? an gladius? Certus ſum, quia neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à Charitate Dei, qui eſt in Chriſto.* Et ſane nulla tunc fames, nulla tribulatio, nullus gladius imminebat non tortor, no perſecutor, imò nunquam Angeli, aut virtutes, aut Principatus Chriſtianum impelerunt in Chriſtum. Cur ergo Paulus tot ſibi diſcrimina effingit? Equidem optimus agoniſta ediſcebat, & ad aduerſos conflictus ſub eundos quaſi prælu- *Ennod.* debat infictis. Hinc B. Ennodius laudat ſanguinolenta gladiatorum certamina à Theodorico Rege prudentiſsime in ludiuundos, & feſtiuos iuuenum conflictus, commutata. Ait enim in eius Panegyr. *Interea illa gladiatorũ congreſsio, (vt docuit exitus) non tam peperit incrementa roboris quam pauoris. Inter ſecundas res didicit imbellium animus quid timeret. Vide ad inuentionum diuerſitates pleno calle diſtantes. Illis vera cruoris effuſsio animos à dimicatione ſubmouit, hic adoleſcentium vigor de imagine mentitæ concertationis incanduit.* Proh militis in genuitas! Qui nouit intra ſe effingere certamina & vincere, vt in veras, & manifeſtas victorias tranſeat. Quod in ternum certamen præferebat illa Dei amaſsia, de qua Cant. 5. *Comæ eius ſicut elatæ palmarum nigræ quaſi coruus.* Et cur nigricarent victorioſę pulcherrimę fœminæ *Cant. 5.*

næ crines, nisi ex interno certamine? Sic D. Paulinus Epistol. 4. *Nigræ vero tũ de non peccato, vt puto; sed de exercitationis æternæ quasi bellicæ puluere, vel pulùerulẽto sudore nigrantes.* Adeò victrix spõsa se exercet interno certamine. Hinc *Tertul.* Tertulian. lib. de cultu fœminarum, sic eas à muliebri mundo deiecto in mundum armat: *Quare benedictæ, meditemur duriora; & non sentiemus.* Hoc vnum in Magnatibus sæculi deplorat merito, D. Chrysostom. homil. 18. ad Pop. quod nunquam tribulationum prælia nisi iam *Chrys.* in ipsa arena subeant, ideoque misere enecti vincuntur: *Ne quippe, ait, mensas eorum respexeris, nec assentatores, & parasitos; sed res ex ipsis orientes, infestationes, calumnias, pericula anxietates, & quod his molestius est, quod impræmeditati ad has deuoluti mutationes, casus generosè ferre nesciunt. Multi namque, cum eos hortaremur, vt generosè grauia ferrent, dicebant, nihil vnquam tale meditati sumus.* O vos fœlices, qui omnes conflictus præ meditati in arenam prosilitis, qui meditatione confligitis cum hostibus, & ad vera certamina euincenda præluditis inflictis, quibus difficilimos incursus superare ediscitis! His præ meditamentis armabantur impugnas illi primi æui *Tertul.* Christiani, de quibus Tertulian. ad Scapul capit. 1. inquit: *Nos quidem neque expauescimus, neque pertimescimus ea, quæ ab ignorantibus patimur, cum ad hanc sectam vtique suscepta conditione pacti eius venerimus, vt etiam animas nostras auctorati in has pugnas accedamus, ea quæ Deus promittit consequi optantes, ea quæ diuersæ vitæ comminantur pati timentes.* Adeo qui præmeditatus accedit, intrepidus in arenam prosilijt.

## §. XX.

### *Non qui remunerationis gratia Deo seruit, sed cui nulla remunerationis memoria est Deo gratior.*

HVNC maximum de hoste suo Deus reportat triumphum, quod Diabolus nisi pacta mercede nullum vnquam sibi seruum acquisiuit. Verum Deus is est cui mille seruiunt de nulla cũ nullo agentes mercede: qui inde summam sibi, & Deo gloriam perpererunt. Reuoca in memoriam operarios illos in vinea Domini laborantes Matth. 20. quorum alij pondus diei, & æstus portant: alij nimis seri accedunt, vix vna hora laborant, & tamen plus in illis pater familias gaudet, quos prius ditat, & maxime laudat. Cur hoc? an gratiores sunt Deo pigritantes? Absit sed vt rectè notat Nazianz. *Nazian.* orat. in sanctum Baptisma: *Illi non prius crediderunt, nec ingressi sunt, quam ipsis ex conuentu merces constituta fuisset, hi nulla condicta mercede ad laborem accesserunt.* Proh Deus immortalis qualis, quanta quæ tua perfectio est, cui non dubitent homines inseruire, nulla condicta mercede! O generosi & verè Dei amatores homines, qui sine lucri spe, sine mercedis prætextu ad labores eosque maximos aduolatis! tandem aliquando prodigus ille filius dissipatorque paternæ substantię ad se reuersus ait Luc. 15. *Surgam & ibo ad patrem meum.* Hunc lautissimo epulo excipit pater, cum magna tamen filij iuniotis inuidia, quem etiam vt placaret inuidentem pater ipse ait illi: *Filij omnia mea tua sunt.* Omnia, inquam mea tibi inuidẽti parantur, ait Chrysolog. sermon. 4. *Neque hic aliud quam patrem quæsiuit, qui veniens non filij, sed loco mercenarij voluit collocari dicens, pater, peccaui in te fac me sicut vnum ex mercenarijs sint tibi omnia, illi sufficit pater: & ne quid tibi de præsentibus, & veteribus existimes imminutum illi noua, & futura perquiram.* Hic sane gratissimi Deo accidunt; qui non ad omnia; imo omnibus relictis ad solum exiliunt patrem, quibus etsi omnia auferãtur, adhuc tamen generosè Deo obsequuntur. Sic in Satanam insultans Dominus de seruo suo Iob gloriatur, cui omnia Sa- *Iob. 2.* tanas abstulerat, & tamen ait Dominus *adhuc retinet innocentiam suam.* Vbi Chry- *Chrysost.* sostomo homil. 1. in Iob. *Tunc obstructum est turpe os Diaboli, nec habuit quod diceret.* Etenim nunquam tales seruos diabolus norat, qui nisi oblatis omnibus mũdi regnis, nec vnum seruum sibi acquisiuit; ideoque adstupet videns adeò generosum Dei seruum, qui etiam ablatis omnibus Deo nitutur in seruire.

(?)

§. XXI.

## §. XXI.

*Diaboli serui summo labore ad terram vsque cadentes emunt temporalia bona, quæ Dei serui gratis, & super omnia terrena exaltati acquiruntur.*

NOn ad terram vsque procidentes; sed terrena omnia calcantes serui Dei temporalia cuncta nanciscuntur & æterna. Illis enim dicitur Deute. 11. *Omnis locus quem calcauerit pes, vester erit.* Vbi Augus. *Ideo vester erit, quia à vestris pedibus calcatur.* Vis omnium dominari nulli subiaceas; vis ad te omnia festinent; nulli te submittas, omnibus te superiorem præbe: omnibus terrenis super positus, terrenorum omnium Dominus eris. Pulchrè Diui Bernardi sermon. 21. in Cantic. *Et ego si exaltatus fuero à terra (audenter dico) omnia traham ad me ipsum. Neque enim temerariè vsurpo mihi fratres mei, vocem cuius me induo similitudinem, quod si ita est ne putent diuites huius sæculi fratres Christi sola possidere cœlestia: possident & terrena, & quidem tanquam nihil habentes; & omnia possidentes.* Et à terra exaltantur, & terram ad se trahunt, & facili negotio trahunt. Non sic diaboli serui, qui vt terrena obtineant prauissimorum hominum misere cadunt, & deuoluuntur ad pedes. *Hæc omnia tibi dabo, si ca ens, &c.* Casu & ruina emenda illis sunt bona terrena. Rectè ibi Amb. *habet hoc ambitio domesticum periculum, vt enim dominetur alijs prius seruit, & curuatur obsequio.* Heu quoties reptandum humo ijs, qui mundiale prætendunt dominium! quibus sordibus comparare debent quod luceant! Ecclesiast. cap. 10. *Vidi Principes ambulantes quasi seruos super terram.* Vbi Gualfridus ait *extolluntur nianiter, & grauiter summittuntur: ascendunt vsque ad cœlos; & descendunt vsque ad abyssum. Proh nefas hodie in cœno aquilæ volutantur: insolenter abijcitur pia seruitus sacræ ministrationis, & imprudenter terenæ cupiditatis seruitus indigna suscipitur.* Ipsi, ipsi Principes, qui aquilæ videbantur, qui sublimia Regum scandunt subsellia, quibus non grauitant sordibus? quas non perferunt curas? quoties sub aquis gemunt? quas rusticorum fores nobiles salutatores non obsidunt? quos superborum iudicum fastus non dissimulant? quot mercatorum arrogantium cuneos reuisunt? quibus oneribus non insudant misera voluptatis mancipia? Quid plura? Nullis terrenis bonis effulgent, quæ non emerint sudore multo, sanguine multo. Accipite Clementem Alexandrinum in adhortatione ad Gentiles, de terrenis bonis ab alijs gratis, ab alijs labore improbo acquisitis pulchrè philosophantis, dum inquit: *Solummodo, ò fili, patrem fictas, Deus tibi gratis ostenditur. Non caupongatur veritas, dat tibi & volucria, & natalitia, & terrestria animantia. Hæc tuis sumendis alimentis pater est fabricatus, quæ pecunia quidem emet qui est adulterinus, & filius perditionis, & cuius institutum seruire mamonnæ: tibi autem tua permittit.* Itaque summus Pater omnia bona condidit legitimis filijs, adeò, vt qui filius est, qui vni cœlesti parenti inhiat, is non à caupone; sed à patre accipit omnia gratis absque sudore vultus; verùm qui adulterinus est, qui non Dei, sed perditionis filius, qui mamonnæ inseruit, is non accipit gratis; sed carissimè emit à cauponante Dæmone quicquid cupit. Vide qualiter Dæmon cauponetur suis perditionis filijs. *Hæc,* ait, *omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me:* Omnia vendit, nihil dat, omnia cauponatur, vt nihil accipiant sui, nisi à caupone sudoris pretio, sanguinis pretio. Id lamentatus est Ethnicus ille in Agamemnone, qui filiam primogenitam Dianæ mactans, vt ventos nauigator acciperet, exclamat, *cruore ventos animus.* Quod hodie lugeant, qui ex cauponante Dæmone bona temporalia gestiunt accipere, procul dubio casu, ruina, sanguine ventos ement, Aut interrogate ex illo, quanti dabit regna mundi, quanti illius vanas & inanes gloriolas, & dicit: *Si cadens adoraueris me.* Pulchrè Diuus Cyprianus. *En præcipitium exigit, qui tanti se facit nundinatorem culminis.* Emite iam vos perditionis filij: emite à caupone, emite præcipitio, sanguine, ruina, qui à Parente Optimo gratis noluistis accipere. Imò, qui laboribus à Dæmone fracti, cœlestia, gratuita bona fastiditis. Numerorum 11. dicebant pessimi illi de cœlesti pane, absque vllo labore acquisito; *Nauseat anima nostra supra cibo isto leuissimo.* Quorum stultitiam impietatis plenam sic ponderat Petrus Damianus epistola decima quinta. *Leuissimum deputant cibum, si pondus atque duritiem contingat deesse laborum.* Sic ærumnis, & laboribus

*Deut.* 11.
*Augusti.*
*Bernar.*
*Eccle.* 10.
*Gualf.*
*Clem.*
*Cypri.*
*Pet. Dam.*

bus innutriti sunt, vt cœlestia bona ideò vili ducant, quod gratis obueniant illis.

## §. XXII.

## *Bona temporalia hominum ruinam, & perditionem (occasionis vi) trahunt: qualiter debeant haberi.*

NIHIL vicinius bonis tēporalibus Dæmon inuenit, quā casum, quā ruinā, ait enim: *Hæc omma tibi dabo, si cadens adoraueris me*, quandoquidem ea bona temporalia sunt, quæ ruinam, & incurabilem casum inferant. Quis non doleat, imò exhorreat epulonis illius diuitis apud Lucam cap. 15. miserum finem? Qui indutus purpura epulabatur quotidie, mirisque affluebat delicijs, tandem mortuus est, descendit ad inferos, medijsque voracibus flammis torquebatur sine fine. Ardet miser, & maximis excruciatur doloribus ad Patrem Abrahamum, mittit crebra suspiria. Cui Abraham: *Recordare fili, quòd recepisti bona in vita tua.* Ad hæc Bernardus. *Hæccine tota causa cruciatuum, quòd in hoc sæculo bona recepit? ipsa planè.* Sanè iudex sententiam laturus reo obijcit crimina, delicta comprobata declarat, ob quæ dignas pœnas recipiat. Et ecce tibi epuloni tota causa cruciatuum, quòd receperit bona in vita sua, vbi sunt crimina illius? vbi scelera? vbi feritas in pauperes? vbi æris alieni tenacitas? Omnia simul obijcit crimina, qui bona illius temporalia enumerat. Vnus id egregiè notauit Tertullianus libro primo ad vxorem. Vbi memorans Sodomorum incendium quando pluit Dominus à Domino ignem, id notat quod Euang. Lucas nullum aliud crimen eorum dicat cap. 17. sed solùm ait: *Emebant, vendebant, plantabant, & ædificabant: & pluit ignis de cœlo, & perdidit omnes.* Quidni? Tota causa perditionis, quòd emerent, quod nuberent, quòd ædificarent? An ne festiuæ nuptiæ, bonorum emptiones, lucra, tantum ignem, tot fulgura meruerunt? Pulchrè Tertullianus. *Quùm dicit, nubebant, & emebant, insigniora carnis vitia designat, quæ à diuinis disciplinis plurimùm auocent. Alterum per lasciuiendi voluptatem: alterum per acquirendi voluntatem.* Non opus est alia explicare facinora, vbi bonorum temporalium negotia exprimuntur, vbi proponuntur emptionum lucra, nubentium delitiæ, bona temporalia, hæc sufficiunt, vt humanas mentes à Deo auocent, ignibusque addicant æternum duraturis. De Paradiso illa omnium deliciarum, & bonorum matre dicitur Geneseos secundo. *Plantauerat Dominus Paradisum voluptatis.* Et meritò Hebræus addit in Eden, quandoquidem Eden, iuxta Beati Anastasij Sinaitæ interpretationem, idem est ac inflammatio carbonum. Equidem ex tunc bonis temporalibus, & delicijs adnata est vicinitas edacium flammarum adeò, vt facetissime simul & grauissimè dicat Diuus Gregorius Nazianzenus in oratione ad patrem suum, quod ipse honoribus, & festis, & dignitatibus sæculi adest, *Eodem modo affectus quo pueri circa fulgetras, ex quarum spectaculo coniunctam cum admiratione ac stupore voluptatem capiunt.* Expendo illud, quo pueri circa fulgetras, quippe solemnissimum est, communes lætitias perstrepentibus fulgetris celebrare. Sed vbi flammi vomens fulgetra perstrepentibus saltibus, solo gyrat, quæ puerorum alacritas? qui simul metus? Stupent scintillatos fulgores, pauent vicinitatem, accedunt allecti luce, fugiunt perstrepentibus flammis, & vix audent extremis digitulis tangere fumigantem. Sic ait Nazianzenus. Ipse aderat honoribus, & sæculi dignitatibus, quasi si inter fulgetras versaretur simul gaudens lucidissimo rerum aspectu, simul pertimescens cremari. Fulgetræ sunt quæcumque mundus habet, plena ignibus, plena flammis, delectant prælucenti aspectu, implent lætitia animos; sed cautè habenda, cùm timore tenenda, facilè enim dum lucem emittunt, exurent animas, & cùm lætitia euoment æternum duraturas flammas. Iam non vos moueat, si diuitiæ à Saluatore spinæ vocentur, equidem spinæ sunt, quæ de rhamni more ignem in suos vomant: spinæ sunt, quæ ita homines trahunt, & prendunt, vt mirum faciat qui se ab illis expedire possit. Mirabundus Diuus Chrysostomus homilia de Saluatoris ad inferos descen. sic exaggerat latronis conuersionem. *Petrus, qui paulò antè in mare intulerat pedem, neganuit illum, quo naturam humidam ingressus erat. At latro, qui non in dorso maris, sed in diuitum ianuis ambulaberat, clamabat: Domine, memento mei.* Expende vnde commendet conuersionis miraculum, non quòd

*Luc. 15.*

*Serm. super Ecce nos.*

*Luc. 17.*

*Tertul.*

*Gen. 2.*

*Sinait.*

*Nazian.*

*Chrysost.*

quòd qui in furtis erat, ſed quod qui in diuitum liminibus ambulabat, ad Deum venit, id oſtendit mirabile. Adeò prendunt vel vmbra ſua, bona temporalia, ne quis ad Deum poſsit euolare.

## §. XXIII.

### *Damon bona temporalia præ ſe fert, vt facile in ſui adorationem corda trahat humana.*

OLVCRVM temporale! O aurum, quo non deducis corda mortalium! Sæpe miratus ſum, quòd Ioſeph ſanctiſsimus tam facili negotio ab Ægyptijs coleretur; vix eductus nigro è carcere puer adhuc, & peregrinus, & ignotus aſſumitur de AEgypto in Saluatorem. Quæ rei cauſa? Eam ipſe per ſomnium fuit auſpicatus. Geneſis 37. ait enim ad ſuos fratres: *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare; veſtros autem manipulos circunſtantes adorare manipulum meum.* Ad hæc Rupertus. *Ecce manipuli fratrum manipulum eius adorant. Non ob aliud, ignotum ſibi Principem Ægypti adorant; niſi quia defecerant manipuli eorum, ipſe autem de manipulis plenum habebat horreum.* Cur non adoraretur captiuus, & peregrinus, quem abundantia bonorum commendabat? Vnum Deum nouit humana auaritia, nempe aurum: qui auro tegitur, qui bonis amicitur temporalibus, etſi mortalis ſit, etſi fera, etſi lignum, etſi Diabolus, ſine dubio adorabitur. Sanè Aaron ſi vellet populum à vituli adoratione arcere, peſsimè egit, quando vitulum ex auro conflauit. Exod. 32. Cur non adoraretur vitulus qui ſplendebat auro? Id quod acutè expendit Chryſologus ſermone 29. ſic fatus. *Aurum Iudaicum populum ſic captiuauit aſpectu, vicit illecebris, ſpecie prædecepit, vt hoc eſſe Deum crederent, & Deum verum, Deum tot beneficijs cognitum denegarent, ſic conuertit homines in iumenta, vt vituli caput ſuum crederent.* Ad quid non cogeret aurum? Quis homines mentis, rationiſve capaces ad vituli pedes proſterneret? Quis caput vituli perſuaderet adorandum? Et hoc perſuaſit aurum, ex quo erat affabrè conflatum. Hinc Nabucdonoſor apud Danielem ſtatuam propoſuit populo adorandam, ideoque illam fecit auream, vt notat Hieronymus in hæc verba. *Quòd autem ſit ſtatua aurea, & infiniti ponderis, illud in cauſa eſt, vt res inanimata adoraretur vt Deus, dum vnuſquiſque ſuam conſecrat auaritiam.* Planè auari homines ſumma religione colunt, & adorant aurum, illudque vnum iudicant dignum altari, & fano. Sic proditor ille Iudas huius idolatriæ caput, quas acceperat à Sacerdotibus pecunias ſacrilega pœnitentia ductus, dum ad laqueum properat, in templo reliquit. Quod acutiſsimè, & eleganter ponderat Drogo libro de Sacramento Paſsionis. *Retulit triginta argenteos, & proiecit in templo. Vide quàm magni faciebat illos, non proiecit eos in ſterquilinio; ſed in templo, nimirum talibus ſemper Dijs templum ſuum deuouerat.* Huc ego reuocarim illos, qui illicitis pleni lucris poſt ſpoliatos paupers, poſt vſuras, bona ſua templis deſtinant ædificandis, vel alijs pijs operibus, vel altaribus. Quo id vnum oſtendunt, nimirum quanti pecunias ſuas faciant, quàm eas adorent, quandoquidem non poſſunt non relinquere eas inter ſacra. Equidem adeò miſeri mortales adorant aurum, vt præmiſsis à Diabolo mundi gazis, præſumeret à quolibet homine adorari.

Gen. 37.

Rupert.

Exod. 32.

Chryſol.

Dan. 3.

Hieron.

Drog.

*Text.* Tunc dicit ei Ieſus, Vade Sathana: Scriptum eſt enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.

## §. XXIIII.

### *Verus Deus qui adorandus, non in auro: ſed in ærumnis, in paupertate, & in laboribus internoſcitur.*

MVLTI Codices, & Græci, & Latini legunt ſupradicta Chriſti verba, ac ſi diceret, vade poſt me Sathana: & quidem pulcherrimè expreſſum eſt illud, poſt me, quaſi Dæmoni oſtenſis mundi gazis ſe

vsque ad deitatem extollenti iuuat Dominus, quo sit pensanda diuinitas; illique dicat. Falleris, ò Sathana, si te Deum adoratione dignum ostentas ex diuitijs, ex superbis gazis, ex mundialibus thesauris; etenim minimè in istis inuenitur diuinitas. Vade post me, vestigia mea meditator in ærumnis, in frigore, in nuditate, in ieiunijs & laboribus multis; ibi tota effulget diuinitas adoranda Lumen huic cogitationi affero ex Daniel. 3. cap. vbi Nabuchodonosor numen diuinum ostensurus ingentem ex auro solido erexit statuam adorandam, & simul vicino in loco incendi iubet fornacem, quibus excruciarētur flammis, qui adorationem statuæ recusarent. Tres igitur strenui iuuenes statuæ adorationem recusant, qui imperio feri Regis vincti tradūtur voracibus flammis. Pueros suscipiunt venerabundæ flammæ, illosque placido rore demulcent, & custodiunt sanos. Stupent vniuersi spectatores, ipseque Rex stupore plenus ait: Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & species quarti similis filio Dei. Acutè notat D. Chrysost. homil. de tribus pueris, à quo numen filij Dei demonstratur, nimirum non ab auro statuæ; sed à flammis fornacis; ait enim: *Nunquid tale potuit inanis imago mostrare? Ecce Dominus non in auro iacet, sed in flammis ostenditur.* Vt numen diuinum ostenderet, ingentem vim auri in statuam conflauit; sed non in auro diuinitas inhabitat, incendit fornacem Sanctis excruciandis, & medijs in flammis filius Dei sese monstrauit, qui in paupertate & egestate, in laboribus, & ærumnis libens inhabitat. Nouit hoc illa quæ dicebat: *Pervicos & plateas quæram quem diligit anima mea.* Sed qui vici, quæ plateæ illæ, vbi inuenīdus quæritur Dominus ab Amasia? An plateæ, vbi ditissimi mercatores suos exponunt thesaurus, vbi ementium & vendētium aperiuntur gazę? Absit. Id vnos pōderat, & exprimit D. Amb. psalm. 118. sermo. 7. versi. 7. inquiēs: *Vbi quæsiuit, inquā? in foro, & post quæsiuit in plateis, de quibus hi qui ad patris familias euangelici prandiū cōuenirent, colligebantur.* Sanè apud Luc. 14. parato prādio, à quo se diuites homines excusabant, ait pater familias seruo suo: *Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* In vicis ergo, vbi pauperes, vbi debiles, vbi afflicti & laborantes degūt, media in paupertate afflictione se inuenire, & videre, & tenere Dominū presumit eius Amasia. Hinc D. Paulin. epist. 12. ad Seuer. tractans illud ad Ephe. 5. *Surge qui dormis, & illuminabit te Christus.* Sic ipse vertit, & expendit locum *Surge qui dormis, & attinges Christum, hoc est, discute carnalis inertiæ somnum à mortuis curis; hoc est, à conuersatione carnali eripe mentem, & attinges Christum operando præceptis eius, videbis eum in omni egeno, & tanges eum in omni paupere.* Vbi enim egestas, vbi paupertas vbi afflictio, tā conspicuus adest Dominus vt & oculis cerni possit, & tangi manibus.

Dan. 3.

Chrys.

Cant. 7.

Amb.

Luc. 14.

Paulin.

Ephes. 5.

## §. XXV.

*Etsi Diabolus veracissimus esset in promissionibus, nobisque daret maiora ijs, quæ á Deo vero speramus adhuc illum respuere, & soli Deo seruire debemus, à quo sumus geniti.*

ECce tibi, mendacem promissorem non refutat Dominus, nec agit, vt eius mēdacium manifestetur. Quod notauit Euthymius his verbis: *Vidit ipsum diuinum expetere honorem, tunc illum increpauit dicens, abi Sathana: neque sustinuit, vt mendacij argueret dicentem omnia sibi tradita esse.* Sanè potuisset mendacissimū promissorem de mendacio conuincere. Vnde ne tua hæc omnia, ò Sathana? à quo mundalia bona accepisti, qui nec in porcos ingrederis sine nutu diuino? Quando dabis omnia, qui nec panē habuisti, quem esurienti porrigeres? Noui falaces tuas promissiones: noui mendacia tua, quibus decipis hominū stultissimos. Verùm neque sustinuit Dominus, vt mendacij argueret dicentem, omnia sibi tradita esse; quando quidem etsi vera diceret, etsi promissa impleturus esset; etsi maiora, & sublimiora, & diuturniora ijs, quæ Deus promittit, donaret ille; nihilominus expuēdus esset, vt vni Deo genitori exhibeatur seruitium. S. Clem. Rom. 2. lib. Recogn. sic à D. Petro interrogantem inducit Aquilam discipulum. *Quid ergo delinquunt homines, si malignus transformans se in Angelū lucis maiora repromittit hominibus quàm ipse conditor Deus?* An ne errauit quis maiora & solidiora lucra secutus? An ne peccauit qui augustiora & celsiora bona complectitur? Cui respondit Petrus Petro digna. *Si filius tuus, qui à te omni diligentia eruditus est, & nutritus, atque ad virilem perductus ætatem, ingratus tibi sit: & relinquens te, ad alium, quem fortè ditiorem viderit, eat, & honorem, quem tibi debebat, illi exhibeat, ac spe maioris lucri naturam*

Euth.

Clem. Rom.

*ram neget, & iura paterna refugiat, rectum tibi videtur, an impium? Omnibus palàm est; quòd impium sit. Si ergo in hominibus hoc impium dicit, quantò magis in Deo. Quod si verè esset aliquis Deus, alienus tamen ab eo, qui nos creauerat, quique nobis pater, & conditor fuerat, rectũ ne erat, relicto proprio, transire ad alienũ? Absit.* Itaq; filio rũ est, relictis alijs ditissimis, & fortunatissimis, vni egenti, & pauperi genitori, & altori prorsus inseruire. Hinc maximè exaltatur Moyses, qui à captiuo & paupere parente ortus est, & postea à filia Pharaonis in filium cooptatus, in totiusque Ægypti imperium euocatus contempsit imperia respuit oblatas delitias, ne à suo
*Ad He. 11.* progenitore discederet. Id quod expendens Diuus Paulus Hebræos cap. 11. ait: *Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem.*
*Phil.* Paulo prior Pphilo Iudæus hæc etiam de Moyse reliqui. lib. 1. *Hic erectus in summum rerum fastigium nepos tanti Regis habitus, nec aliud quàm Rex iunior appellatus, secutus est maiorum suorum instituta gentilia adoptiuorum parentum bona etsi splendida, tamen adulterina iudicans, è diuerso naturalium parentum etsi ad tempus, vera tamen & propria.* Adeò lumine naturæ insitum hominibus, quod progenitorum adhæreant institutis, vt etsi Deus esset alius & ditior & diuinior, & maioribus cumulãs glorijs seruos suos, tamen illius bona vt adulterina relinquenda essent, quantumuis magna & splendida, & ex toto corde & anima accipienda illa, quæ à progenitore nostro Deo
*Athanas.* veniunt vt vera, & magis propria nostræ naturæ. Hinc D. Athana. serm. 3. contra Arrianos concludit hominum Redemptorem non debere esse alium ab eorum progenitore. *Non conueniebat per alium quempiam nostram redemptionem fieri; sed per eum, qui natura à Dominus erat, ne tametsi per filium creati essemus alium tamen Dominum agnosceremus.* Sed illi soli omne obsequium nostrum deberemus exhibere, cui debemus quod facti & conditi sumus.

*Textus.* Tunc reliquit eum Diabolus: & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

## §. XXVI.

### *Fugit Diabolus eos expauens viros, qui viriliter primis eius conaminibus resistunt.*

NIL magis glorioſum homini, quàm prima repellere diabolici furoris conamina, quo Beatus Cyprianus epist. 25. *Cypr.* Christianos athletas maximè commendat in hæc verba. *Vos surgentes belli impetus primos immobili robore, atque inconcussa stabilitate fregistis, inde initia pugnandi orta sunt, inde vincendi auspitia cœperunt.* Nil enim magis hostẽ confringit, nil magis fugat, quàm si primis conflictibus victus eat. Ante quam Iob sanctissimũ aggrederetur, venerunt Angeli Dei, vt assisterent coram Domino, & Diabolus venit cum eis. Sic Iob cap. 1. dicitur, ipse, ipse audet accedere non vocatus, vt nutu Dei cum Iob confligat. Igitur certamen parat, crebroque ictu adamantinũ pectus *Iob.* arietat, sed frustra: optimus enim athleta Iob ea armatur patientia, qua primos, eosque grauissimos hostis impetus facile retudit. Vbi tunc Sathanas? Quò abijt victus? Accipite quid post hæc de illo textus innuat cap. 2. *Venerunt Angeli Dei, vt assisterent coram Domino, & Diabolus venit, vt in medio eorum assisteret coram Domino.* Cur modò Angelorũ cinctus exercitu venit Diabolus? An quia in primis victus toto cœlo aufugisset, ne vel videri posset? Ita planè, ait Iulianus in Cat Græca. *Venit in medium Angelorum quasi captus, nam illum pudebat, fugamque meditabatur.* Illum sanè pudebat ab homine, *Iul.* vel primis conflictibus vinci, sicque illũ expauerat, vt nisi captus & violenter, non ampliùs traheretur ad iudiciũ, imo Angelorum vallatus vndequaque cohorte fugam meditabatur. Hinc pulchrè Na- *Nazian.* zianzenus oratione prima contra Julianũ. *Nihil præclarius, aut præstantius, quã quòd alijs scelerum fines iuxta legem vindicantibus, nos principia ipsa punimus.* Vni enim Christiani arma habent, quibus primos criminum impetus retundunt, hostemque quauis spe victoriæ priuant. Maximè enim confirmatur hostis, si vel fidelis primo in congressu titubet. Quis eo audaciæ crederet Diabolum deueniſſe, vt dicente Domino primis hominum patentibus. *Quacumque die comederitis ex*

*ipso*

*ipso, morte moriemini*, ipse sacrilegiore *dicat, nequaquam moriemini.* Vnde sic audet in creatorem creatura? Optimè Hugo Victorinus libr. 1. Miscel. titul. 89. *Dominus affirmauit, mulier dubitauit dicens, ne fortè moriamur: Dæmon negauit, nequaquam moriemini. Si mulier non dubitasset, fortè Diabolus non negasset, sed dedit audaciam, quæ inchoauit malitiã.* Proh dolor! Non licet titubare in belli initio ijs, qui cum Dæmone pugnant; si vel dubium pedem figas, addis animos, si imperterritus, & strenuè dimices, vehementer exterritum, & pauidum fugas. Sic de Gedeone optimè ponderat Diuus Bernardus sermone de Virginibus, quod *in horã certaminis fractis vasculis demõstrãs repentinam lucem, hostes terruit, & vertit in fugam.* Expendo illud in hora certaminis, nimirùm cùm primùm instauit hora, effulsit luce, quo exterritos fugauit inimicos. Hinc Canticorum 4. *Veni, coronaberis de capite Sarmana, & Seir.* Vbi expendo illud, coronaberis de capite, ac si ille, qui in inito se fortiter gesit, coronæ suæ præbuerit auspicium. Sic Gilibertus sermone 29. *Iure caput ipsum triumphans coronatur de capite, quia & tentationum initium conterit, & tribulationum vehementiæ non cedit.* Hæc ille. Sanè Abrahamus coronam obedientiæ reportat, non in perfecta facinoris perpetratione; sed à prima gladij strictione omnes contrarios affectus in fugam vertit. Id quod meditatus Diuus Isidorus Pelusi. inquit: *Vnde factum est, vt omnes quidem ratiocinationes humanæ obstupefactæ, ad conspectum, congressumque viri starent, ab ipso subactæ, & magis etiam contremiscentes, quam ad conspectum Regis solent eius stipatores.* Initiaturus certamen sic gladium arripit, vt iam tunc rebelles affectus captiui illum de reportata corona vererentur. Sic tres illi pueri conijciendi in fornacem, intrepidè se offerẽtes dicunt. Daniel. 3. *Ecce Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis. Quòd si noluerit, notum sit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus.* Quod intrepidum initium dum considerat Chrysostomus oratione tertia de Precibus, sic fatur: *Hic eis totum trophæum absolutum est, & simul atque in caminum coniecti sunt imposita corona, & ab illis verbis texi cepta etiam ante rerum euentum, quæ ad Regem ducti in medio protulere: Ecce Deus noster, &c.* Et quidem primò in forti conflictu consistit certaminis victoria. De quo diximus libro primo & alibi.

Hugo.

Iud.

Bern.

Cant. 4.

Gillib.

## §. XXVII.

*Virum tentationibus agitatũ humanissime excipiunt vniuersæ creaturæ.*

ECce tibi post nubilum serena iam apparet dies, & post fames, post tentationes, defertus ipse affluit delitijs, iam non duris ieiunijs, acri hoste, sed Angelicis frequens ministris nectara fudans excipit Dominum Christum. O quã humanitatis plenæ obsequuntur affictis Dei durissimæ quæque creaturæ! Quid durius quercu? Sed Abraham patriæ exul, in eremo peregrinus, à Deo probatus, & tentatus, non semel apud quercum Mambre haud ingratum inuenit suffugium. Quod ponderans Diuus Augustinus sermone 68. de tempore, ait: *Excepit tamen Abraham peregrinum quercus arbor humana, quæ æstiuo Sole decoctum amœnitatis suæ vmbraculo refoueret.* Expendo illud, quercus arbor humana: Vnde humanitatem induit quercus? Sanè Zacharias capit. 11. vt inhumanos, & immisericordes homines pungeret, sic ait: *Vlulate quercus Basam*, sed dura & rigida arbos, quercus, inquam, excaptura peregrinum, & exulem Abraham lenteſcit, & humanitem induit, illique humana placidum præparat hospitium. Sed & ignis, & ipse sæuus cuiuscumque materiæ vorator Hebræos pueros post ieiunia, post tentationes acres recepturus, quàm cicur, quàm manſuetus rocida medijs flammis erigit cubicula. Ita Diuus Zeno ſermon. 5. *Qui pueri vbi iactati sunt in fornacem, hos deuotè cupidus ignis excepit: lambit roscidos flãmæ blandientes.* Quid plura? Vos omnes cõpello, ò Hebrei cũ post captiuitatẽ, & longã, & amaritudinibus plenã ad terrã promissionis ascẽdistis, quale vos prepararũt hospitiũ vniuersę creaturę? Cœlũ mãna pluit: aër euomit coturnices: ignis noctu illuminat: saxa dulcissimos latices scaturiunt. Qui primũ vos videre potuit põtus, quia procellosus, quia amarus quã celeriter fugit, qui post modũ vos offendit Iordanis fluuius nõ refugit; sed stat, eiusq; conglomerati fluctus retrò stãtes vsq; ad cœlũ redũdãt. Id Psaltes quã doq; cecinit. *Quid est tibi mare quòd fugisti, & tu Iordanis quòd cõuersus es retrorsum?* Ecce tibi mare ante Hebreos fugiẽs, Iordanẽ stagnatum crescere, & fixo pede vsque ad cœlum exundare. Quod dulci stylo expendit Ricardus de Sancto Victore, opusculo de exterminatione mali, & promotione boni, cap. 1. *Pulchrũ spectaculum, satisque iocundũ videre aquam maris fugientẽ, vi*

Pena.

August.

Zach. 11.

Dan. 3.

Zeno.

Psal. 113.

Ricard.

*dere aquam Iordanis redundantem, amaram recedere, dulcem refluere, amaritudinem deficere, dulcedinem redundare. Quiſquis hæc vides, miror, ſi non exclames, quid eſt tibi mare quòd fugiſti, & tu Iordanis, quòd conuerſus es retrorſum? Nunquam fieri ſolent huiuſmodi miracula, niſi ante veros Hebræos.* Hinc ante verè Dominum Chriſtum, qui verus Hebræus, verus peregrinus, verus exul, & verè tentatus eſt, tentationum amaritudines fugiunt, fugiente Diabolo, dulcedines redundant miniſtrantibus Angelis. O te fœlicem, qui ad tẽpus pro Dei nomine tentaris, tan dẽ ante te fugient mala, & tibi mille bonorum dulcedines vniuerſæ creaturæ pariẽt.

## §. XXVIII.

## *Perfectis viris cuſtodiendis vniuerſi inuigilant Angelici exercitus.*

ACceſſerunt Angeli, poſt fugatum Dæmonem, & miniſtrabant Chriſto: acceſſerunt, inquam, non de nouo venerunt; ſed qui omnes à primo conflictu ſpectatores ſtabant cominus acceſſerunt. Sed cur ſtarent Angeli, pugnante Chriſto? Pulchrè D. Petrus Chryſol. id ediſſerit: *Quamuis enim ſolus poſſit obtinere victoriam, propter nos, & propter noſtram formidinem adeſſe tota iuſſit præſidia de ſupernis.* Etenim commilitones ſuos Chriſtus Dominus non vni Angelorum; ſed vniuerſo committit agmini cœleſtium exercituum. Cant. 3. Septuaginta fortes cingunt Amaſsiæ lectum; ſed poſtquam ipſa à lecto ſurgens mille prælia ſuſtinuit, & pro quærendo ſponſo vulnera paſſa fuit, iam Cant. 8. inducitur à mille & ducentis validiſsimis militibus cuſtodita. Id quod eleganter ponderat D. Ambroſ. lib. 1. de Virginibus in hæc verba: *Ipſe pacis Dominus poſtquam validioribus brachijs commiſſa ſibi vinea complexus, teſtatur dicens: vinea mea in conſpectu meo mille & ducenti qui ſeruant fructus eius. Supra capit. 3. ait ſeptuaginta potentes in circuitu propaginis eius ſtrictis armatos telis, hic mille ducentos. Creuit numerus vbi creuit & fructus, quia quo ſanctior quiſque, eo munitior.* Ab orbe quidem condito, *immiſit Dominus Angelum ſuum in circuitu timentium ſe.* Pſalm. 33. ita vt ſingulis hominibus ſinguli Angeli aſsiſterent, vbi nota verbum illud, immiſsit Dominus, ſignificat enim non integram expeditionem; nec integri exercitus conflictus. Sed vt ſolent duces, ante prælium fixis caſtris adhuc, iam hos iam illos mittere, qui pugnas aliquas cũ hoſte ineant, ſic Deus, Dominuſque exercituum, fixis in cœlo cœleſtium virtutũ caſtris, à mundi principio iam hunc, iã illũ Angelum immittebat, qui hominum proſpicerent. Verùm cum homo eo ſanctitatis deuenit, vt hypoſtaticè vniretur perſonæ diuinæ, creuit cuſtodum numerus vbi creuit & fructus: iam non viritim Angeli mittuntur, ſe leuatis à cœlo caſtris totus cœleſtium virtutum exercitus ſe ſe terris profudit. Id meditatur D. Epiphan. orat. de laudibus Virg. Mar. ſic inquiens: *Deum habitantem in cœlis cõcepit in terra, vt hac ratione exercitus Angelorum traheret ad terram, & verſaretur cũ hominibus.* Non Angelus vnus immittitur; ſed totus exercitus ſigna mouet, vt deificorum hominum ſaluti tutandę fortiter inſideant. Sic de ipſa puriſsima Virgine, cum apud templum Hieroſolymitanum aleretur, innumeriſque Angelis ſtipata à ſacerdotibus crebro videretur, aiebat Georgius Nicomedienſis oratio. allata à Simeone Metaph. *Oportebat non vnum Mariæ ſeruire Angelum; ſed decies mille millia eam ſtipare.* Quandoquidem ingentes virtutum eius fructus omnes cuſtodiarum exercitus ſibi vendicabant. Sic ſponſæ introeunti ciuitatem, ecce qualiter non vnus aut alter accedat cuſtos, ſed plures accurrunt cuſtodum phalanges. Ait enim Cant. 3. *Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem.* Non caſu, ſed maxima conquiſita cura, ab vniuerſis ciuitatis cuſtodibus, tandem inuenitur ab illis, quorum vel multitudinem ſpeculata, & metus ponere poſſet, & ſecure quærendo Deo ſe dare.

*Chryſol.*

*Cãt. 3. iux. Ambroſ.*

*Ambroſ.*

*Epiph.*

*Georg.*

## CAPVT III.

## De modo conuerſationis Chriſti, de eius doctrina, rebus geſtis & miraculis in genere.

ADESERTI ieiunijs Chriſtus Dominus, vt homines inſtrueret cum hominibus cœpit conuerſare. Decet dominũ aliquando proprios inuiſere greges, ne totum illorum negotium videatur comiſiſſe famulis. Nõ inacceſſus ſolitudine, ſed comes, ſed facilis, ſed omnibus fami-

familiaris, non victu vestituque rigidus; sed communi ciuium habitu omnia omnibus factus est. Summi omnium Doctoris ac magistri munus sibi adnatum implet, quando doctrinam suam minimè ab alio acceptam & sapientissimus prædicauit per tres annos è publico Synagogæ suggestu: & innocentissimus & potentissimus eam quibuscumque voluit persuasit, intimisque præcordijs impressit. Diuinis in cõmuni viuendi modo virtutibus coruscauit: discipulorum collegiũ adlegit, verbo potens in peccatorum barathro demersos homines ad meliorẽ frugem, & vita functos ad vitam reuocauit, innumeraque alia miracula in cœlo & in terra & in mari circa infirmos & energumenos peragit, quibus peccati regnum prorsus labefactat. Quæ autem à tanto Doctore in particulari beneficia mundus acceperit in sermonibus. In doctrinis, in miraculis, non hic tomus capit qui Angelici Doctoris stylum secutus de his modo in genere non nulla prælibauit, exactio remque figulorum tractationem longissimis alijs commentarijs, qui post hæc successiue scribentur, missam facit.

## §. I.

## *Christus Dominus circa victum vestitumque, & modum conuersandi non austerus, & rigidus, sed vt summum Magistrum & Dominum decebat comes aparuit & facilis.*

ET Dominum Magistrum decuit ea se exteriùs viuẽdi forma componere, & figurare, qua facilis, & ac cessibilis & ipse & eius disciplina omnibus redderetur. Ille Deus, qui lucem habitat inaccessibilem, vt primum Israeliticæ gẽtis Rectorem & præceptorem agere destinat, quos vultus effingit? Quos induit mores? Id D. P. Chrysol. sermon. 69. examinat fatus: *Ad Moysem igneus Deus glomeratur in rubo, deinde confert faciendacum seruo, exercetur varijs in Ægypto virtutibus, & patefit ad nutum famuli. Ad Abraham velut hospes aduentat, inuitatus tota dignatione succedit, oblata non rẽspuit, apposita velut esuriens & lassus assumit, & diuina collatione velut egens suscipit, & accepit humana.* Nondum hominem agebat Deus, nondum sites, & fames patitur humanas; sed quia hominibus dare iura festinat, quia se Dominum, & præceptorem hominum vult declarare, & hominum mensis accumbit. hospes vrbanus, & inaccessibilem suæ deitatis ignem viridantibus rubi folijs subcingit, vt sic facilè à quouis & vrbano, & rustico possit adiri. Sanè in orbis Imperatore hanc extollit cõmitatem, & facilitatem Pacatus in Panegyrico de sapiente dicto Theodosio: *Creber egressu spectantibus populis te fateris, nec videri modò pateris, sed facilis adiri, è proximo accipis vota tuorum. Et nec magis communem diem atque solem quam nostrum Imperatorem videre licet. At quam alter illorum Principum mos fuit, qui maiestatem regiam imminui, & vulgari putabant, nisi eos intra repositum Palatinæ ædis inclusos tanquam aliquod vestale secretum veneratio occulta consuluisset, & nisi intra domesticam vmbram iacentes solitudo prouisa, & silentia latè conciliata vallassent.* Vituperandi hi solitarij & muti Principes; ille maximè laudandus, qui & videri & adiri patitur, qui è proximo suorum accipit vota. Vt præclare dicat D. Synesius lib. de reg. *Quid indignius eo Imperatore quem propter solos pictores cognitum habent Imperij propugnatores?* Nec magis communem diem ac solem, quam summum omnium Imperatorem Christum videre licuit. Quem non solitudo tenuit: non conciliata eremi silentia vallarunt: non horridæ pelles vt fœderis arcam ab oculis mortalium arcuerunt. Is illius habitus, ea facilitas, vt neminem asperitate fugaret, & omnes sibi comitate & suauitate conciliaret. Sic Ethnicus ille Seneca veræ Philosophiæ, hoc est, honestatis professorem, & præceptorẽ componebat lib. 1. epist. 5. *Asperum cultũ & intonsum caput, & negligentiorẽ barbã, & cubile humi positũ deuita. Satis ipsum nomẽ Philosophiæ, etiã si modestè tractetur, inuidiosum est. Quid sinos hominum consuetudini cœperimus excerpere, intus omnia dissimilia sint: frons nostra populo conueniat. Non splendeat toga, nec sordeat quidẽ. Non habeamus argentũ, sed non putemus frugalitatis indicium auro argentoque caruisse. Id agamus, vt meliorem vitam sequamur, quam vulgus, non vt contrariam: alioqui quos emendare volumus fugamus & à nobis auertimus. Illud quoq; efficimus, vt nihil imitari velint nostri, dũtimẽt ne imitãda sint omnia. Temperetur*

Pacat.

Synes.

Senec.

Chrysol.

*vita inter bonos mores & publicos : ſuſpiciant omnes vitam noſtram ſed & agnoſcant.* Hactenus Gentilis Philoſophus, cuius teſtimonium libens recitaui, vt vel inimicis iudicantibus ſummæ perfectionis Magiſtri habitum & morum facilitatem optimam omnium deliniem. Enim verò adeo ſe omnibus accomodare ſtuduit maximus ſæculorum Dominus & Magiſter; adeò in conuictu in veſte vulgari conſuetudini inſeruiuit, vt etiam quando in ſplendorē omnibus tranſmutatis, conſuetudini veſtium lineamenta reliquit, latentem intus diuinitatis gloriam exteriùs in Thabor profudit. Sic Tertulian. le de Reſurrec. Carn. *Dominus quoque in ſeceſſu montis etiam veſtimenta luce mutauit; ſed lineamenta Petro agnoſcibilia ſeruauerat.* Et quidem curauit, ne cum in tantam elatus eſſet gloriam à populari conſuetudine habitus lineamenta diſcederent, quin potiùs quandoquidem Magiſter orbis tunc à patre declarabatur, frons habitus populo conueniret temperareturque vita inter diuinas virtutes & publicas, & ſuſpiceretur ab omnibus, ſed & agnoſceretur. Hinc iam vita immortali candidatus mortis expergefactus ſopore Magdalenam adoraturam prohibuit dicens Ioann. 20 *Noli me tangere : nondū enim aſcendi ad Patrem meum* Quaſi diceret, ait Bernard. ſermon. 28. in Cantic. *Adhuc quidem tuis ſenſibus gero morem, formam ingerendo ſeruilem, quam de conſuetudine recognoſcas.* Adhuc enim Doctoris munus ſubibat per quadraginta dies apparens eis, & loquens de Regno Dei, Actor. 1. & ita etſi ab hominum conſpectibus fugerat, nondū ſeruilem habitum exuerat, conſuetudini hominū ſeruiens, & conuictu, & facilitate virtutū, quibus ſuſpiceretur, & agnoſceretur à diſcipulis. De Parente ſuo Epiſcopo ſic D. Nazianzen. loquitur oratione funebri : *Non enim illi in veſte ; ſed in animi compoſitione humilitas ſita erat. Nec cerucis de preſſio, aut vox ad exilitatem compoſita, aut faciei nutus, aut promiſſa barba, aut ablonga cæſaries, aut certus incedendi modus humilitatem mentiebantur. Et vita maximè ſublimis & animo per quam humilis erat. Cuiuſque ad virtutem nemo aſpirare poterat : ad eiuſdem congreſſum quiuis facilem aditum habebat. Quique ab alijs, veſtitus ratione non differebat, faſtu ſcilicet ac ſordibus æquè abhorrens, idem interno ſplendore multos antecellebat. Et cum ventris morbum, auiditatemque inexplebilem comprimeret atque donaret, ita tamen in ea re ſe gerebat, vt hoc minimè agere videretur.* Similia tū de Chriſto Domino diuiniori quodāmodo meditare. Qui vt agnoſceretur à ſuis, flammantē diuinitatis iubar humanitatis, facilitatiſque vmbra tēperauit. Quod Chryſoſto. in Pſal. 49. fatur : *Venit vt paſtor qui quærebat ouem, quæ aberrauerat, & qui repugnantem feram venari volebat, ideo ſe ipſum ad vmbrabat.* Vide ſupra lib. 2. cap. 2.

Tertul.

Ioan. 20.

Bernar.

Nazian.

## §. II.

## *Magiſtri ſpirituales vt faciliores, & humaniores, ſic & cautiores ſe debent exhibere.*

ITerūm voco ad doctrinā verba paulo ante exibita, quibus ſummus ſæculorum Magiſter & Dominus Magdalenæ obſequium officiū retudit: *Noli*, ait, *me tangere.* Quid plura? *Adhuc tuis ſenſibus gero morem formam ingerendo ſeruilem.* Ecce vobis, quia doctrinæ cauſa ſeſe Chriſtus faciē præbebat, quia morem gerebat ſenſibus popularibus, qui ſeruilem omnibus habitum præferebat, ideò cautior, ne familiaritas contēptum pareret, ne vel religionis ergo tangeretur fœminea manu. Tanto Magiſtro edoctus D. Petrus addiſcentium corona circunſeptus, nulli non familiaris, nulli non facilis, & humanus: hoc tamen vnū cauebat, ne menſis eorum recumberet: eius rei cauſam ipſe reddit apud Clemen. Rom lib. 2. recogn. in hæc verba : *Non pro ſuperbia, ò Clemens, conuiuium non ago cum his qui nondum purificati ſunt; ſed vereor ne fortè mihi noceam, ipſis non proſim.* Hac Magiſtri omnes ſpirituales agantur cura: his pungantur ſtimulis, ne comitas, ne fatilitas doctrinæ neceſſaria, candori vitæ paret inſidias. Hinc Petrus Damianus in Apolog. de contemtu ſæculi cap. 22. pulchrè monet ſpirituales viros, qua cautela egrediendum illis eſt in exteriora proximorum exercitia : *Si occaſionis articulus accidat, vt egrediendi neceſsitas imminere videatur, non mox ad vagandum ſe leniter prorruat, non ad ſæculi vanitatem affixus mundo animus concaleſcat; ſed moroſè & grauiter intra ſe deliberet dicens ſpoliauit me tunica mea quomodo induar illam? lani pedes meos quomo-*

Ioan. 20.

Clem. Ro.

Damian.

de

*do inquinabo illos?* Hanc à se adamatam nuditatem & affectuum munditiem iuratã Deo præ oculis habeat quisquis cupit condescensus & facilitatis præcauere pericula. Difficile sanè est, quod quis condescendat cum lapsis, & quòd non descendat ad illorum ruinam. Vnus id periculi expendit graphicè Synæsius Episcop. Ptholomaidis epistol. 57. inquiens: *Non condemno Episcopos, qui in rerum negotijs versantur; sed magis miror eos, qui vtrumque possunt: mea facultas non est duobus dominis seruire. Si verò sunt aliqui, qui neque à condescensu læduntur, poterunt sanè & sacerdotio fungi, & ciuitatum præfecti esse. Radius enim solis cum stercore versabitur purus manet, non inquinatur: ego verò cum idem hoc fecero fontibus & mari opus habeo.* Expendo illud, si verò sunt aliqui qui neque à condescensu læduntur, quasi inueret Magistrorum spiritualium periculum eo esse, quòd debeant hæc duo coniungere & condescensum & omnimodã munditiem. Quare dum condescendendum est, dum morem gerere popularibus sensibus quis debet, sibi maxime timeat, mille caueat vigilijs, vbi munda figat vestigia, ne dum facilitati & consuetudini inseruit, sibi noceat; alijs non prosit. Vnus omnium magister vt verus iustitia Sol lucidissimus ipse & candidissimus, cum peccatorum tamen fœcibus versabatur, vt condescensu illos ad se traheret. De quo D. Laur. Nouar. homil. de Pœnit. ait: *Manes cum publicanis, manducas cum peccatoribus, vt hac societate quasi arte eos conuertas ad salutem.*

*Synæs.*

## §. III.

## *Vnus Dominus voce & exẽplo suam doctrinã perfectissime docuit, & sic persuasit.*

TVnc maximè perfecti Magistri munus adimplebis, si non è suggestu; sed in arena simul vocis tuba præceptum intones, & manibus pugnes, vt præcepta facias. Enim vero apud Matt. 23. aiebat Dominus: *Super Moysis cathedrã sederũt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis seruate & facite, secundùm verò opera illorum nolite facere.* Ecce pessimi præceptores super cathedras sedent, nunquã in arena præliantur. Iustior illis Dauid, qui ingressus arenam iam percussurus gigantem, tunc primùm os aperit, vt magnalia Dei sui proclamet dicens Reg. 1. cap. 17. *Dabo cadauera Philistijm hodie volatilibus cœli; & bestijs terræ, vt sciat omnis terra quia est Deus in Israel. Et noverit vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio neque in hasta saluat Dominus. Ipsius est bellum, & tradet vos in manus meas.* O egregium Ecclesiastem, & ipsa arena contionatorem! O efficacissimum concionandi modum! Pulchrè ad hæc Theodoretus quæst. 40 in 1. Reg. *Prophetat autem cùm esset in acie, & prædicit vniuersæ orbis terræ Dei cognitionem. Cognoset enim inquit omnis terra quod est Deus in Israel. Et os quidem fundit oracula, manus autem se fortiter gerit & lapide perimit alienigenam.* Nullus equidem suggestus splendidior, nulla cathedra clarior, neque ad docendum aptior, neque ad persuadendũ efficatior, quã arena est, vbi & ore, & manu, & verbo, & opere præcepta suggerunt salutaria. Hinc 2. Reg. cap. 23. *Dauid dicitur sedens in cathedra sapientissimus.* Vbi Dauid in Cathedra? Vbi Dauid sapientissimus? Nisi quando alioquin tacens in acie constitutus ore quidem oracula fundit, & manu fortiter se gerit. Ibi sanè perfectissimi magistri impleuit munus, ibi doctoris apice inauguratus nomen æternat. Ibi à se nascitur Doctoris maximi, & omniũ mundialium Domini fœliciſsimũ omen protendit. Nec otiosè: *Ecclesiastes filius Dauit Regis*, præfigitur, imò hoc innuitur, quòd Dauidis æmuli sint omnes qui volunt concionari, & quod vnicus verus & perfectissimus Ecclesiastes & concionator Christus Dominus adeò in hac re patrissat, vt nullo magis ostendat se esse illã Dominicã deificamq; prolem Dauidi promissam, quã dum operis exemplo suam doctrinam persuadet. *Enim verò*, ait D. Athanas. de interp. Psaml. ad Marcellinum. *Ethnici legum conditores virtutem suam vsque ad verba dumtaxat prorogarunt, & tantummodo eatenus placent; Dominus autem vt re vera omnium Dominus, curatorque operum suorum non solum leges verbis suis instruxit; sed & se ipsum in exemplar proposuit, vt scire qui vellet se se habere eius, quod in legibus inberetur exequendi potestatem.* Expende illud, vt re vera omnium Dominus, quasi in nullo magis regium eius decus appareat, in nullo magis supremum suum omnium rerũ dominũ incredibilẽque potentiã ostendat, in nullo magis se esse curatorem illum, &

*Matth. 23.*

*1. Reg. 17.*

*Theod.*

*2. Reg. 23.*

*Eccles.*

*Athanas.*

Saluatorem expectatum, & promissum Dauid, & Patribus asserat, quam dumquod lege cauet, ipso confirmat opere & exemplo. Hinc Rup. lib. 2. de Victoria Verbi Dei cap. 13. conficit necessitatem filij Dei aduētus, vt summam creaturarum acciperet potestatem, qui solus verbo & exemplo potis est suam disciplinam tradere. *Necessarium fuit, vt neque Angelus, neque homo quisquam principatus totius creaturæ adispiceretur; sed solus Deus ipse qui veraciter posset dicere. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Planè, & cum Angelum summum in cœlu, & cum Protoplastum collocaret in paradiso, illum super cæteros Angelos, istum vt humani generis esset vnus pro pagator, sciebat apud se neutrum posse in talis disciplinæ magisterio cæteris præsidere: vt diceret, discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Id extra creaturarum erat conditionem, nec poterat expectari à creatura neq; Angelica neque humana, ideo vterque & homo & Angelus à solio & magisterio fuit expulsus. Quem Dei verbum subiuit, vt qui solus potens erat dicere discite à me, quando quidem & verba, & opera hominibus erant conducibilia. Huc spectauit Iesus Sirac apud Nissænum in exhort. ad Ecclesiastem, cùm ait. *Omnes sermones sunt laboriosi, & non poterit vir loqui.* Quasi sermo excederet potestatem & laborem hominis cuiuscumque, quod merito admirabitur Nissenus, vt qui putarat, nullam rem homini magis esse in promptu, quam verba facere. Quid facilius homo peragat quam loqui? quod illi membrum aptius, quàm lingua? Cur ergo sermones laborem & potestatem hominis excedunt? *Sermones ergo sunt qui vere sunt sermones, qui fiunt ad animarum vtilitatem & hominibus sunt conducibiles: hi pleni sunt sudoribus, & multos labores inducunt, vt sint sermones. Vt pote quod oporteat non verbis intelligi sermonem, sed virtute, quæ in operibus posita est.* Sermones, qui non à lingua solum, sed & à manibus sunt laborem, & potestatem hominis superant.

*Ruper.* *Eccles.* *Nissen.*

## §. IIII.

### *Miracula Christi Domini doctrinam confirmãtia â Magorũm prodigijs distant vtilitate, & beneficentia, & antiquitate.*

DOctrinam suam, & diuinitatem suam Christus Dominus verborum efficacia, & sanctissimæ vitæ exemplis & miraculis in numeris confirmat. Sed quæ miracula Christi? Et Magi, & præstigiatores mira etiam prodigia efficiunt: & Simon ille Magus ea faciebat, quæ prorsus excedebant humanas vires. An ideo fidè dignus? An ideò Simonis doctrina ebibenda? Accipite Nicetam apud Clem. Roman. in Recogn. lib. 3. sic ad Petrum loquentem. *Et nunc ergo quid peccant ij, qui Simoni credunt, cum videant eum tanta facere mirabilia? aut non est mirabile per aerem volare? igni admistum vnum corpus effici? facere statuas ingredi? canes æreos latrare? & alia his similia, quæ vtique discretionem nescientibus satis mira sunt; sed & de lapidibus visus est panes facere. Quod si peccat qui signa facientibus credit, quomodo non peccasse videbitur, & is qui Domino nostro prosignis, & virtutibus credit?* Ad hæc diuinissimus Petrus breuissimis verbis longissima interualla inter Simonis, & Christi miracula insinuat. *Ille*, ait, *qui à malo est, signa quæ facit, nulli prosunt: illa vero, quæ facit bonus, hominibus prosunt.* Sane malignus spiritus boni inscius vanissima semper efficit ludibria; nihil hominibus commodum & salutare mollitur, sed ea quæ velut in theatris vulgus stupeat & rideat. Quid volatus per aèra, statuarum gressus, latratus ærei canis, ignita spectra, nisi temporis afferunt iacturam cum in genti admiratione vulgi? Verum bonus Christi Domini spiritus totus vtilis, totus hominibus salutaris, & proficuus, cuius signa super his qui infirmantur apparent, non estatuas ambulare facit; sed claudos homines, non spectra ignea mollitur; sed & cæcos illuminat, & sepultus mortis caligine reuocat ad lucem. Vtmeritò dicat Fulg. ad Trasimundum Regem lib. 3. cap. 15. *Vnus atque idem Christus infirmitate humana passionem pertulit, & miracula beneficiorum omnipotentia diuinæ virtutis perfecit.* Expende illud *miracula beneficiorum*, quippe nullum à Christo Domino miraculum, quod non fuerit maximum in homines beneficium. Vnde sapienter concludit Arnobius lib. 1. aduersus Gent. quòd Christus Dominus *pro multis ac tam liberalibus donis quæ ab eo profecta in nos sunt, Deus dici appellarique deberet.* Etenim solemnissimum erat apud gentes benemeritos de Republica homines Deorum instar coli, vt meminit August. cap. 7. Matern lib. ad Constantem, & pro omnibus Cicero de natura Deorum sic fatur. *Multæ aliæ naturæ*

*Cle. Roma.* *Fulgen.* *Arnob.* *Cicer.*

*turæ Deorum ex magnis beneficijs eorum non sine causa à Græcis sapientibus, & maioribus nostris constitutæ, & nominatæ sunt.* Et post pauca. *Vtilitatum magnitudine constituti sunt ij Dij, qui vtilitates quasque gignebant.* Hæc Cicero: quibus constat quam sapienter conuincat Arnobius gentes de diuinitate Christi, cuius opera & miracula summas pepererant vtilitates hominibus, cuius nulla operatio inutilis, in salubris: huius rei conscientia carnifices ipsi vix Dominum crucifixerunt, & anxij de eius vestibus sortem mittunt. Qui tot carnificibus paucæ, & pauperes vestes, eæque deuisæ? Pulchre Procopius in Genes. cap. 28. *Inter se*, ait, *contendebant milites singuli cupientes, ea diuisa, habere partem quasi vtilis foret non ad induendum; sed quia vis quædam medicata in ea esset.* Sanè sibi persuadebant nihil esse posse à Christo Iesu, quod medellam egentibus non afferret. Et hinc D. Epiphanius libr. 2. aduers. hæres. argumentatur, Dominum minimè posse dici creaturam. *Quid igitur creatura profuerit, aut qualem vtilitatem affert ad nostram salutem? Quid prodest nobis dicere ipsum creaturam?* Itaque hæc erit amussis omnium quæ sunt à Christo, si sint salubria, si vtilia hominibus, opera Christi sunt, & Christo digna; alioquin omnino expungenda ab illo. Ea enim æterna fuit cura Verbo diuino, vt hominibus prospiceret, vnde fideles vocat ad regnum, *præparatum ab Origine mundi*. Quod notans D. Irinæus libr. 4. inquit *Cum sit vnus, & idem Deus Pater, & Verbum eius semper assistens humano generi, varijs quidem dispositionibus, & multa operans, & saluans ab initio eos qui saluantur.* Hæc ille, quibus præter beneficentiam verbi in homines, illud etiam additur singulare: nimirum quod non sit nuperus noster saluator, sed antiquitus ante omnem creaturam studuerit hominibus saluandis. Vnde grauissime Tertul libr. 3. in Marc. Christi Domini signa ab antiquitate confirmans dicens. *Iesus edicens multos venturos, & signa facturos, & virtutes magnas ædituros, aduersionem etiam electorum, nec ideo tamen admittendos; temerariam signorum, & virtutum fidem ostendit, vt etiam apud Pseudo Christianos facilimarum. Aut quale est si inde se voluit probare, & intelligi, & recipi; ex virtutibus dico; vnde cæteris noluit æque? Sed quia prior eis venit, & prior virtutum documenta signauit, id circo quasi locum in balneis ita fidem occupauit, professis quibusque præripuit.*

(?)

Procop.

Epiphan.

## §. V.

## *Christi Domini miracula vt omnibus vtilissima sic diuina Christi stirpis manifestatiua.*

VAlidissima ratione Christus Donus se se Iudæis filium Dei manifestad Ioan. 10. cap. fatus. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis, quia in me est Pater, & ego in Patre.* Et cur Iudæi, non agnituri erant filium Dei, Patris sui opera facientem? An, quia inter homines ipse versabatur? An, quia mirabili dispensatione egentibus & afflictis aderat? Ecce vobis Ethnicus Imperator medijs Babylonicis flammis tribus adstantem pueris filium Dei recognoscit: ait enim Dan. 3. *Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? Ecce ego video quatuor viros solutos & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei.* Ex quibus vehementer obiurgat Iudæos S. Hyppolitus Martyr in hec verba. *Quod Iudæi filium Dei hominem factum non erant agnituri nec recepturi, præmonstrat scriptura gentes eum esse acceptaras, quem iam Rex Babylonis in fornace videns agnouit, & filium Dei confessus est.*

Ioan. 10.

Dan. 3.

Hyp.

Sed adhuc expendenda sunt illa species quarti similis filio Dei: non enim dicit, quod sit filius Dei, sed solum quod filio Dei sit per quam similis. De quo elegans exurgit quæstio pulchre exagitata à Ruperto libr. 6. de Victoria Verbi Dei cap. 21. sub his verbis. *Quis digne sufficit admirari vbi nam viderit Rex ille filium Dei, vt in medio ignis similitudinem eius agnosceret, dixit enim species quarti similis filio Dei?* Sane vt similitudinem vnius ad aliud cognoscas, necessum tibi est & illud aliud cognoscere; quare examinandum est vbi viderit & nouerit filium Dei Nabucdonosor; quem sic etiam vrget Hyppolytus. *Dimihi Nabucdonosor vbi vidisti filium Dei?* Dicis, hunc tribus pueris adstantem esse similem filio Dei, an quia filium Dei aliquando videras, & noueras? Vbi ergo videras? vbi noueras?

Rupert.

Quibus vt satisfaciam non prouo, quod in præsenti respondet Rupertus, nimirum id dictum fuisse à Rege nesciente,

& ignorante quid diceret. Melius & ad rem noſtram aptius reſponderim ego allata eiuſdem Ruperti altera huic ſimillima quæ ſtione. Ea eſt in Tobiam cap. 21. Etenim Tobiam iuniorem apud Reges ciuitatem manentem, cum inſcius hoſpitio ſuſciperet Raguel eius propinquus, adoleſcentis conſpectu delectactus ait vxori ſuæ, *quam ſimilis eſt iuuenis iſte conſobrino meo*. Nec ipſe conſobrinum ſuum aliquando viderat nec nouerat: Vnde ergo ſcit iſtius ſimilitudinem cum conſobrino, ſi nunquam hûc viderat? Sapienter reſpondit Rupert. *Viderat ille patrem, & in filio ſimilem aduertebat ſpeciem*. Recte quidem ex patre ſibi ſatis noto, filij ſimilitudinem animo deliniabat.

Tob. 7.

Rup.

Ex his iam licet ad primam quæſtionem grandum facere; ea erat, vbi nam viderat Rex ille filium Dei, vt in medio ignis ſimilitudinem eius agnoſceret, dicens, ſpecies quarti ſimilis filio Dei? Equidem non viderat filium; ſed multa de patre audierat, & alta mente retinebat, & in filio ſimilem aduertebat ſpeciem. Danielis colloquijs Rex iſte gaudebat, quem intra Palatium omni diſciplina imbutum conſeruabat, à quo ſæpiſsime magnalia Dei ſui libens audiebat, & inter alia celebrem illam viſionem, qua Moyſi primo apparuit Deus medijs ardentiſsimis flammis, medijs quibus viridantem rubum & prorſus indemnem referebat, vt ſe afflictorum, & humilium protectorem, & ſeruatorem aſſereret. Hæc de Hebræorum Deo prænoſcens Rex Babylonius, adoleſcentem tribus pueris media in fornace adſtantem optime, & vere iudicat per quam ſimilem filio illius Dei, qui flammanti rubo aſtat, ne co nburatur; in filio ſimilem aduertens ſpeciem Patris. Quis ergo adeò mentis inops, adeò cæcus non cognoſceret filium Dei facientem opera Patris? Dei optimi & maximi opus fuit afflictis Hebræis adſtare, ne abſumerentur flammis captiuitatis, ab illis in Eremo, morbos omnes depellere, fames, ſiteſque eliminare. Dei op⁹ erat vitam mortalibus indere, quas condiderat creaturas maculis mundare, reſarcire confracta. Ecce tibi Chriſtus Dominus adeo in his patriſſans, vt nullum aliud negotium agat, quam hominibus benefacere, afflictis accurrere, infirmis impertiri ſanitatem, cæcis lumina, & mortuis vitam ſubminiſtrare. Quid plura? Nullum euidentius teſtimonium poſſet ſapientia incarnata præbere ſuæ à beneficentiſsimo Deo originis, quam hæc vtilitatum & beneficiorum plena miracula. Vnde petentibus Iudæis, ſi filius Dei eſt deſcendat de cruce, & credimus ei, meritò abnuit, vt quibus euidentiora iam ſigna demonſtrat. Ibi Athanaſ. homil. de Paſſ. *Dominus non ſe ipſum ſaluauit, ſi quidem nulla ſalute indigebat, cum eſſet ſaluator; ſed ex ſuis in alios beneficijs volnit ſaluator declarari*. Hæc ſane erant euidentiſsima ſigna Saluatoris Dei, vt totus incumberet hominũ ſanitati, vt omnibus proficuus, & beneficus eſſet, vt pote Dei beneficentiſsimi ſimillima imago.

Athan.

Hæc modo in genere dicta ſufficiant de miraculis, de doctrina, & de modo inter homines conuerſandi, quem Chriſtus Dominus habuit, quo volente, de ſingulis in particulari dabimus integra commentaria.

## CAPVT IIII.

## De Chriſti Domini Transfiguratione.

DISCIPVLOS de memoria Dominicæ paſsion's mœrentes cõſolatus Dominus Petrum, Iacobum maiorem, & Ioannem præcæteris in magiſtrum feruentiores ſeligit, & ſtipatus illis altiſsimi Taboris iuga ſuperauit. Ibi oratione facta, cuius prætextu aſcenderant, ne cæteri tenerentur inuidia, noua, & mirabili luce totus Chriſtus radiauit. Illi enim in facie & veſtibus inerat cœleſtis ſplendor, & vitæ æternæ candor, Rediuiuus Moyſes verus, & integer homo conſtans animo, & carne, ſimul & Elias Chriſti Domini laterones apparẽt, ſermones miſcent, de mirabili ſalutis humanæ per paſsionem arcano. Diſcipuli adſtupent tantum gloriæ ſpectaculum, qua ſuperatus Petrus inſcius myſterij præmontis illius habitatione quicquid aliud eſt, miſſum facit. Interea nube ſuffunduntur radiante, à qua paterna vox Chriſtum Dominum, & Filium Altiſsimi declarauit, & orbi Magiſtrum deſignat, dum illud prę Moyſe, & Prophetis audiri mauult. Qua voce conſternati diſcipuli humi iacebant, à Chriſto Domino eriguntur, confirmantur, ſimulque illis ſilentium de tanta viſione indicitur, donec poſt refurrectionem Dominicam omnia eius myſteria liceat vulgari.

*Textus.*

*Textus.* Ex Matth. 17. Et post dies sex assumpsit Iesus Petrum,& Iacobum,& Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem,excelsum seorsum.

## §. I.

## *D. Petri expenduntur magnalia.*

DE Discipulorum corona tres sibi seligit Dominus magis familiares, de quibus etsi aliquoties fit sermo præcipue libr. 4. & 5. tamen honestum duxi, vt qui inter omnes præcipuos à Domino consecuti sunt honores, sic a nostris præcipue celebrentur laudibus. In primis celebrandus adest maximus Ecclesiæ Christianæ apex Diuus Petrus, sic dictus non à communi petra, sed a petra illa, quæ Christus est, vt nihil esset in Petro,quod Christum non halaret. Sic Tertull. libr. 4. aduersus Marcion. Mutat & Petro nomen de Simeone: sed cur & Petrum? si ob vigorem fidei multæ materiæ solidæque nomen de suo accommodarent. An quia & petra & lapis Christus? Siquidem eum positum in lapidem offendiculi, & in petram scandali: *Itaque affectauit charissimo discipulorum de figuris suis peculiariter nomen communicare; puto proprius quam de non suis.* Nihil tantum Principem decebat, quod non esset desumptum de summi Imperatoris Christi magnalijs. Merito Theologus Naz. in cap. 19. Matth. in immensum gloriatur de nomine Christiano aiens, cur Christiani nomen venerabile est? Nonne, quia Christus Deus? At qui Paulum honore prosequor, nec tamen Paulianus nominatus sum; *non fero me ab hominibus nomen ducere, qui à Deo sum creatus.* Sic Petro non tulit Deus à creaturis Christo vacuatis nomen tribuere,vt qui totus Christi diuinitatem halabat. Illud dignum erat, vt Christi Vicarius acciperet nomen, quod Christum sonaret, quo Christi & Petri germanissimam publicaret societatem.

*Tertul.*

*Nazian.*

### *Diui Petri excellentia, quod à Deo ipso commendetur.*

QVIS plus de Christi præcellentijs accepit, quam Petrus? Ecce in Christo Domino solemnissimum fuit, quod vna diuinæ personæ voce posset eius magnitudo euulgari iuxta illud Matth. 11. *Nemo nouit filium nisi pater, nec patrem quis nouit nisi filius,& cui voluerit filius reuelare.* Excedunt magnalia Christi voces creatas, à solo Patre Deo digne publicantur, sic Petri perfectio maior est omni laude, nec pro dignitate exprimitur alio, quam Dei ore. Quando enim Petrus Matt. 26. diuini Verbi à Patre originem fuit attestatus, sic illi Dominus respondit. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi; sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Pro quorum explicatione expendo vim illius conjunctionis, nimirum, *Et ego dico tibi, &c.* quæ similitudinem germanissimam exprimit in prædicando Petro, & in prædicando Christo à Patre orto, quasi dicat, non caro & sanguis; sed Pater reuelauit tibi, ò Petre, meum originem, sic non caro & sanguis; sed ego vnicus patris filius exprimo & declaro tuas præcellentias. Id quod grauiter innuit D. Leo serm. 3. fatus. *Et ego*, inquit, *dico tibi, hoc est, sicut Pater meus tibi manifestauit diuinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuã, quia tu es Petrus, &c.* Vnus Pater diuinus posset filij diuinitatem notam facere, vnus filius diuinus posset Petri excellentiam euulgare, vt in hoc Petrus Christum sapiat, quòd diuino egeat prædicatore, vt propria dignè publicentur magnalia.

*Matth. 11.*

*Matth. 26.*

*Leo.*

### *Petri vmbra salubris quid?*

RVRSVS Christo Domino hoc fuit proprium diuinissimũ facinus, quòd vel eius figuræ, & vmbræ salutem pijs afferant & incolumitatem. Malus ille genius, qui in tempesta nocte AEgyptiorum primogenia deuastabat, vt Israelitarum baluas agniculi sanguine vidi rubricatas, Israelitis incolumitatem conseruabat. Quæ rei causa? Tanta ne vis sanguinis agniculi? quæ arceat mortem, & salutem afferat? Non equidem, qua agni sanguis; sed quia vmbra Christiferi sanguinis eam habebat efficacitatem, vt bene notat Chrysost. aiens. *Ea nocte vmbram sanguinis mors horruit.* O verè Christi Domini singularem potentiam! cuius non solùm præsentia realis, non solùm vox salutaris sit; sed

*Exod. 12.*

*Chrysol.*

ſed etiam vmbræ ſed etiam figuræ placi-
Leo. da ſanitate manent. Præclare D. Leo ſermo. 3. de Nat. priſtinos patres à Chriſto Domino per vmbras & figuras legis ſanatos admirans fatur. *Hoc magnæ pietatis Sacramentum: quo totus iam mundus impletus eſt, tam potens etiam in ſuis ſignificationibus fuit, vt non minus adepti ſint, qui in illum credidere promiſſum, quam qui ſuſcepere donatum.* Itaque adeò potens fuit Chriſtiferæ pietatis Sacramentum, vt ab illo non minus acciperet qui eius vmbras & figuras obſeruarunt, quam qui potiti ſunt, & realem ipſius præſentiam & contactum. Quis huius pientiſsimæ potentiæ æmulus niſi ſolus Petrus? Eius beneficentiæ vis & poteſtas tanta fuit, vt non minus ab illo recipe rent qui vel eius vmbra gaudebant, quàm
Act. 5. qui illius obtinebant contactum. Sic de illo. Acto. 5. *Ita vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grauabatis, vt veniente Petro ſaltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus ſuis.* Verè maximum & potentiſsimum pietatis ſacramentum, & Chriſtianæ omnipotentiæ ſpeculum ſingulare.

## *Petrus in morte vmbra Chriſti Domini fuit.*

TAndem primùm Chriſto Domino crux glorioſa extitit, cuius gloriæ Petrum imaginem dicam an vmbrā? Sanè filius imago, & ſplendor eſt gloriæ patris; at Petrus vmbra gloriæ per crucem.
Exod. 31. Liber Exodi capit. 31. meminit magni
Gloſſ. illius Architecti Beſeleel, vbi Gloſſa fatur. *Beſeleel, qui interpretatur in vmbra Dei ſignificat Petrum.* O quàm bene Petrus
Amb. Dei vmbra eſt! vmbra, imquam, Deifici crucifixi. Accipite D. Ambroſ. in pſalmo 118. Octonar. 21. dicentem. *Non fuit opprobio Petro crux Chriſti, quia tantum eius gloriæ dedit, vt inuerſis Chriſtum honoraret veſtigijs, metuens, ne ſi eaſpetue crucifixus eſſet, qua Dominus, affectaſſe Domini gloriam videretur.* Vbi illud maximè pondero, quòd crux Chriſti tantum gloriæ dederit Petro; vt inuerſis Chriſtum honoraret veſtigijs. Quæ hæc in Petro gloria? & cur hæc gloria refertur accepta cruci Saluatoris? Vtrunque ſciet, qui calluerit id quod dicebamus, nimirum Petrum vmbram eſſe crucifixi glorioſiſsimi. Enim verò quando aliquis in ſublimi vertice conſiſtit, vmbra quæ ab eius corpore fit, cadens per decliue, inuerſam prorſus repræſentat figuram, inuerſiſque veſtigijs exprimit corpus illud, cuius eſt vmbra. Itaque crux vt Petrum accepit, tantam illi gloriam dedit, vt eſſet vmbra expreſiſsima Chriſti Domini, quem in vertice Caluarij crucifixum, neceſſum erat, vt vmbra exprimeret, inuerſis ominno veſtigijs.

## §. II.

## *D. Iacobi excellentiæ perſtringuntur.*

QVID non Martium in Iacobo? Eius nomenclatura ſupplantatorem ſonat, quòd ſi eiuſdem nominis Hebraicæ litteræ ſtudioſe tranſponantur, vt Georg. Venet. in Armon. traſpoſuit, per modum anagranmatis ex Iacob legitur *galeatus*, vt ſic in tanto viro nihil inuenias quod arma & bellum non ſpiret. Eius viuentis expeditio in Hiſpaniam breui tempore finita fuit, nec multum damnoſa idolatriæ, à cuius perſtrigijs perpaucos homines in lucem Euangelij pertraxit; ſed vbi functus vita fuit, gladiumque Herodis paſſus, piſcatorem exutus Imperatorem agit, re meanſque iam mortuus in Hiſpaniam ibi ſepelit piſcatoris cadauer, & à militari ſolo confotus, miles inter milites ſæpè apparet, & quos voce doctrinæ non potuit, vi & armis Chriſti hoſtes profligauit. Hin ſibi cātantiſsimū apud orbem terrarum fecit nomen; niſi enim fallor vix alius in cunctis nationibus Chriſtianorum celebrior ſanctus, quàm hic eſt diuinus patronus Hiſpaniarum. Miraberis in Eccleſia Chriſti, vbi tormenta, vbi paſsio decorat & illuſtrat ſanctos, vbi longi catenatique labores coronas pariunt, Iacobum gladio & armis præcellere, Martijſque tumultibus in immēſum decorari. Quæ rei cauſa? ſanè quæſtionem hoc fecit Ruperto, pene in ſimili cauſa, quan- Rup.
do quidem quærebatur ex illo, cur in Eccleſia Chriſtiana Machabæi celebrabantur, quorum gloria tota à prælijs & bellicis tumultibus clareſcebat. Ad hæc ille lib. 10. de Vict. verbi Dei cap. 25. reſpondet. *Fuerunt iſti Machabæi, qualium prælijs & victorijs nō quærebatur, vt vlla fieret preſſura mundi; ſed vt defenderetur gens, vnde eſſet ventura ſalus mundi.* Equidē prælijs ſuis defendebant Iſraelē, à quo omniū populorum oriunda erat ſalus, ideo ex mi

litarī

litari gloria eâm naſciſcuntur nominis claritatem, quam mille tormentis ſuperatis, mille laboribus exantlatis habent ſanctiſsimi & illuſtriſsimi Chriſti martyres. Sic Iacobus prælijs, & armis clariſſimus factus, quia ideo militarem aſſumpſit baltheum, vt defenderet gentem Hiſpanam, vnde noui orbis parienda erat ſalus. Hiſpanis datum erat, vt totam Americam fidei luce illuſtrarent, ab Hiſpanis pendebat, quod maioris mũdi idololatria exterminaretur, & ibi Chriſtiana religio radices ageret. Vbi autem Iacobus miles factus nititur Hiſpaniam ab hoſtibus liberare, quid mirum, ſi inter celſiſsimos Chriſti martyres ipſe celebrior, & illuſtrior appareat? Hanc Martialem Diui Iacobi gloriam meditabatur Dominus Cant. 8. cùm de ſponſa ſua Eccleſia aſſerit, *ſi murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea*. Nonne ſufficeret in Chriſti Eccleſia murus, hoc eſt, ſancti qui fortiter, & inexpũgnabiliter hoſtium tela exciperent? Quid eſt cur ſuper murum eminere oporteat propugnaculum argenteum? Nonne propugnaculum muro eminet, vt telum iaculet, vt miſsilibus hoſtem offendat? Planè vt argentum propugnaculum ſuper murum, ſic ſanctus ille, qui non ſolum paſsione, ſed & bellis, & victorijs, ferro & armis hoſtem deuaſtat. Huc reſpiciebat D. Gregor. PP. fatus. *Super hunc murum propugnacula ædificantur, quia vt non tantum ſe defendat; ſed vt impugnantes proſternat, miracula ei facere conceditur.* Alij medijs poſiti tormentis, & expoſiti telis miracula patrabant, quibus irritas oſtendebant tortorum machinas, ſeque ab illorum crudelitate defenſabant, veri ex hac parte muri inexpugnabiles. Verùm Iacobus ſuper hos totus argenteus fulgurat, vt ſublime, & conſpicuum propugnaculum miraculoſè inter phalanges apparet, & impugnantes miſere proſternit ac deuaſtat. Quo nationum oculos ad ſe cõuertit, & ad ſe adorandum vniuerſorum animos trahit. Sicut propugnaculum argeteum ſuper murum eminet, ſic Iacobus ſuper inuictiſsimos martyres prælijs & victorijs hoſtes Chriſti deuaſtans claret; propugnaculum, inquam, à quo in dies proſternuntur hoſtiles phalanges, & quo effuſi totius orbis populi ſe ſe recipiunt, vt ſub eius auxilio propugnari valeant. Celebris fuit Plutarco dux Timothæus, cuius facinora vt notarent alij, pingebant hominem dormientem, & ab eius manu dependens rete, in quod properabant ingredi oppida, prouinciæ, regna: hac ipſe vigilans delectatus pictura ait: *Si tanta vel dormiens conficio, quid excitatum me facturum putatis?* Hinc, beatiſsime Hiſpaniarum patrone, ſæpiſsimè tuas glorias ſum meditatus, te enim dormientem Hiſpania tenet, ſinuque ſuo cubantem placidè cuſtodit; ſedneſcio quæ retia ex tanti ducis manu pendent, in quæ effuſas nationes ſingulis diebus video properare. Si tanta vel dormiens conficis, quid mirum quòd vigilans aperto Marte confertiſsimos hoſtium exercitus deuaſtes? Miraris ad Iacobum mundi nationes properare? Igitur accipe quod in eadem re mireris magis, ni mirum, quòd prima omnium, quæ ad Iacobum peregrinationem inſtituit, fuit creaturarum omnium Regina, Dei mater Maria. Hæc cum cæteris Apoſtolis agens Ieroſolymis Dei potentia Iacobum in Hiſpania de gentem apud Syracuſam viſitauit, vt columna templi maximi Syracuſani teſtatur. Ad Salomonem Regina Sabba quondam feſtinauit 3. Reg. cap. 10. cuius mentem inſinuans D. Iſidorus in allegorijs ad 3. Reg. fatur. Venit Regina Sabba *ſui populi oblita, in aperto peregrina; ſed in occulto ſanctorum fieri ciuis exoptabat.* Quid plura? Regina Angelorum Deique mater dum rebellem Iudæorum populum obliuioni tradere decernit, inque Hiſpaniarum populo honorificato radicare, æternumque firmare domicilium, venit Hiſpaniam inuiſura Iacobum, in occulto quidem meditans Hiſpanorum fieri conuiuis; *at aperto peregrina apparet*, vt doceat ſubditum orbem ad tantum Hiſpaniarum propugnatorem peregrinari.

Cant. 8.

Gregor.

Plut.

3. Reg. 10.

## *Iacobus doctrina, & prælijs clarus.*

NEc non in Iacobo accidit mirandum, quod vt prælijs vacet, non obliuiſcitur Apoſtolici magiſterij, imò vtrunque munus & ducis, & magiſtri perfectiſsimè adimpleuit. Cuius rei gratia mihi in mentem veniunt laudes Anonimi ducis 2. Reg. cap. 23. in hæc verba. *Sedens in cathedra ſapientiſsimus Princeps inter tres, ipſe eſt tanquam tenerrimus ligni vermiculus qui octingentos interfecit vno impetu.* Aſſentior in primis Iſidoro Clario, Vatablo, & Gloſſ. interlin. qui minimè putant hæc ad Dauidem referri, ſed ad ducem alium, cuius nomen ibi non exprimitur. Sed duci lancea, telum

telum clypeus detur; cur cathedra paratur? Dicatur fortis, magnanimus, inuincibilis, cur ſapientiſsimus dicendus? Meritò huius ducis ibi nomen ſiletur, quia in Dauidicis ternarijs non inueniebatur qui ſic Martis, & Apollinis claritatem coiungeret. At in ſacro illo ternario à Chriſto Domino ſibi ſelecto inuenitur vnus Iacobus, qui ex cathedra & exercitu nomen ſibi ſempiternum acquirat. Itaque Hiſpaniarum dux ſedens in cathedra ſapientiſsimus & Imperatorem egit & magiſtrum. Quam agat Imperatorem nouerit ille, qui tot hoſtiles exercitus ab Hiſpania prorſus eliminatos videat. Sed age vis nobilem Imperetorem videre magiſtrum? cupis Iacobum non in acie, ſed in cathedra cernere? Ecce tibi cum primum Spiritus ſancti linguis imbutus fuit: ſic explicandis ſcripturis, & tradendo Euangelio incumbit, vt vnus Iudæorum rabiem in ſe conuerterit; & primus pro tradita veritate vitam amiſerit. De magno illo Eleazaro, qui pro legibus patrijs inter Machabæos primus vitam finiuit, ait D. Amb. libr. 2. de Iacob, cap. 10. *In moriendo tormentis factus eſt cæteris magiſterium perſeuerantiæ.* Ambr. Id quod de B. Iacobo dixerim, qui cum Chriſtianam veritatem docens occiditur primus, præclarum cæteris magiſterij tulit inſigne. Et pondero, quòd cum occiditur magiſter efficitur, quando cuncti mortales magiſterio cum vita defunguntur, ipſe magiſterium ſibi acciſcit; adeò enim acerrimus erat veritatis doctor, vt mortuus etiam ſuum pro illa magiſterium confirmet, dum Hiſpaniam allatus cathedram fundat, in qua occupantibus erroribus ſiue Mahomæ, ſiue Arij vniuerſam pene regionem Hiſpanorum, veritas Chriſtiana, & Orthodoxa refulſit. Enimuerò Arianam lucem ſola Iraſſauia D. Iacobi cathedrain Hiſpania non nouit, Mahomæ peſtem vna eiuſdem cathedra vbi corpus iacebat, & repreſsit, & contudit. Vt meritò liceat nobis ad tanti Doctoris templum, & Naz. cathedram dicere quod Naz. ad Maximum Conſtantinopolitanum templum poſt hæreſes purgatas edixit, nimirum. *Tu nobis fidei doctrinam, quæ adhuc contemptui erat, excitaſti. Vale inquam communis victoriæ ſedes, noua Silo, in qua primo arcam fiximus in deſertum circum actam incertiſque ſedibus vagantem, &c.* O egregium Chriſtianæ fidei aſsylum! O templum ſiue Mauſolæum Diui Iacobi cineribus conſpicuum! O Iacobæam cathedram, in qua doctrinæ radius nulla admiſit nubila, in qua ſedes communis victoriæ conſtitit! Te fœlicem compellem Hiſpaniam, quæ noua facta Silo arcam tanti cadaueris theſauro diuitem ab Ieroſolymis errantem incertiſque ſedibus vagantem tandem recepiſti, vt aduerſus hoſtes victoriarum ſedes haberes, & aduerſus errores verum doctorem, & magiſtrum, qui ſedens in cathedra ſapientiſsimus princeps inter tres exultet armis, & rutulit doctrina.

## *Princeps militiæ Domini quid?*

SED cur Princeps inter tres? An Petri, & Ioannis princeps? Non te moueat, quod inter Petrum, & Ioannem dicatur Iacobus facilè princeps, titulus enim 1. Par. 20. eſt militaris, non dominij. Equidem 1. Paralypom. cap. 10. dum expugnatur Iebuſæorum aſsylum, *aſcendit primus Ioab, & factus eſt princeps*, hoc eſt, in Dauidico exercitu militarem clauum obtinuit. Inde D. Chryſoſt. de S. Stephano ſic loquitur. *Habeat in nomine coronam victoriæ Stephanus, Stephanus qui bellum in quo ſe exercuerat nemo, hominum vitæ manifeſtauit: qui pugnam, quam nemo docuerat mundo patefecit.* Eodem modo vbi ſacerdotalem apicem Petrus ex confeſsione habuit, Iacobus, qui primum in arenam proſiliuit, manuſque cum hoſte conflixit Chriſtianæ phalangis principatum ſibi acquiſiuit, ſic inter tres Apoſtolici Senatus apices factus eſt ipſe Princeps. Quò reſpexit D. Chryſoſt. hom. 26. in Act. vt oſtenderet, inquiens, Deus in quàm dura certamina vocaret Apoſtolos; *idcirco occidi permiſit ab Herode etiam principem.* Et ſanè duriſsimum illum bellum eſt, cuius in primo conflictu cadit militiæ princeps. Huic Iacobæo principatui reſpondet glorioſum illud Hiſpanorum decus, quo vbicumque terrarum ſceptrum Hiſpaniarum effulget, ibi ſimul Chriſti exultat vexillum. Enim verò Ioſ. 5. cum Ioſue ad Iericuntinos campos accederet, ait illi Angelus Domini. *Solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Cur terra ſancta dicitur quæ vitiorum omnium erat ſpelunca, quæ idolis plena erat? Pulchrè Orig. homil. 6. *quia quocumque venerit Princeps militiæ Domini ſanctificat locum.* Hoc ſufficiebat, vt terra ſanctitatem parturiret, quod à Principe Dominicæ familiæ tangeretur, neſcit enim

Chryſoſt. Ioſ. Orig.

enim talis Princeps premere solum, vnde sanctitas non efulgeat. Quò iam vides quàm se tollat Hispanorum gloria, vbicumque enim Hispani figunt vestigia statim fidei sanctitas pullulat, quia Hispanorum bellis præest Iacobus Princeps militiæ Domini quocumque venerit locum sanctificat.

## §. III.

## *D. Ioannes Euangelista commendatur.*

IAm ales ille in sublime fertur qui garrulas profanorum voces comprimat, & medullam cedri, nempe Dei verbum plenum gratia & veritate valeat euulgare. Quam varij de Deo apud Philosophos errores? Quam diuersæ sententiæ? tot fera quod capita. Inter hæc euolat occisimus Ioannes, & è sublimi intonuit. *In principio erat Verbum, &c.* qua manifesta veritate siluerunt omnia verba mendacij. Huc spectat D. Bas. cap. 2. Isaiæ fatus. *Vniuersum simul mendacium suppressum silentio est, quemadmmodum aquila aliunde aduolante ac desuper conspecta futili garrulitati loquacium animum quàm occisimè silentium indicitur.* Ecce aquila & quidem velocissima Ioannes, quæ silentium indicit loquacibus auibus, quæ garrulorum hominum mendacia reuelat, & lucis filijs detegit veritatem. Hinc verè aquila est qui alias Ioannes, nimirum gratia, quandoquidem exuperant omnem sensum gratiæ in illo à Domino conglomeratæ Ioanni plus datum est quando in sinu Domini recubuit, quàm si sedes daretur exoptata.

*Ioan. 1.*

Ecce primam à Deo exhibitam Ioanni recolo gratiam quòd nimirum in sinu Domini recubuerit in Cœna: qui ambiuit ali quando sedem regni, modo veri Regis sinum vbi recumbat accipit, & sanè maiori dignatione maiori gratia. Amatrix illa sponsi vt summam eius gloriam videre exoptabat, sic Cant. 1. inquit. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes.* Et quidem sapienter non vbi iurat det, non absoluti in creaturas imperij sedem; sed accubitum sibi mauult reuelari, glorioſius enim est cuique si in sinu Dei accumbat, quam si in throno sedeat imperans orbi terrarum. Nolo vobis in præsenti debere D. Bernard. serm. 5. de verbis Isai. fantem. *Quid autem delectabilius, & quodammodo dulcius est filio quòd cum patre est, an quòd cum patre omnibus præest. Parum videtur sponsæ videre sedentem, cubantem sibi flagitat indicari. Indica mihi, ait, vbi cubes in meridie. Sed & animæ omni, quæ sanum sapit: dulcius sapit per omnem modum, quod Apostolus ait, qui adhæret Deo vnus spiritus est, quam quod Apostolis dicitur, cum sederit Rex in sedem maiestatis suæ, sedebitis, & vos iudicantes, haud minus vtique iucundior sessione cubatio.* Hæc Ber. quibus facilè perspicis Ioannis immensam gratiam, qua à sede malè appetita ad accubitum diuini sinus fuit reuocatus, vt glorioſius, & dulcius quiesceret in sinu, quam regnaret à sede maiestatis. D. Ambr. libr. de Isaac, cap. 5. ait. *Lectulus sanctorum Christus est, in quo vniuersorum fessa sæcularibus prælijs corda requiescunt. In hoc lecto requiescit Isaac, & benedixit filium iuniorem dicens maior seruiet minori. In hoc lecto recumbens Iacob benedixit duodecim Patriarchas. In hoc lecto cubans Archisynagogi filia surrexit à morte. In hoc lecto iacens viduæ defunctus mortis vincula, vocatus Christi voce, dissolut.* Quæ erunt Ioannis magnalia, dum in hoc ipse cubauit lecto?

*Bernar.* *Matt. 19.* *Amb.*

*Ioannis merita ex Deiparæ custodia.*

Non multum reluctabor, si quis non ad gratiam; sed ad ius Ioannis reducat, quod cruci astans sibi acquirat Domini matrem. Nonne Eliseo duplicem magistri spiritum petenti, 4. Reg. 2 respondit Elias. *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petisti?* Perseueranti enim non tam datur, quàm redditur postulatum. Ita Rup. lib. 5. in lib. Reg. cap. 18. fatur. *Velut ex latere meritum attigit Eliseus, videlicet quia perseuerando cum illo quasi hæreditario iure spiritum perciperet magistri.* Expendo illud, *quasi hæreditario iure*, quippe non donum expectat ille, qui ad vitæ extremum cum magistro perseuerat; sed ius hæreditarium acquirit. Hinc patet Ioannis ad crucis stipitem cum Domino perseueranti iure hæreditario Deiparæ custodiam aduenisse. Nec alio Ioannis virtutum capacitas impleri posset nisi de custodia Deiparæ. Ipse de se ait, cap. 19. *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* In quæ sua? In sua sanè, in quibus ius habebat, in sua nimium, quæ eius capacitas postularet, & exquireret: quod videtur attigisse D. Amb. Psal. 118. serm. 15. dum inquit distribuebatur autem vnicuique prout cuique erat opus. *Intelligendum est sic distributum esse huic discipulo quod opus erat, vt illic etiam*

*4. Reg. 2.* *Rupert.* *Ioan. 19.* *Amb.*

etiã Beatæ Mariæ tãquã matris eius portio poneretur. Quasi nõ prouisum esset Ioanni, quod ei erat opus; nisi ei Deipara Maria attribueretur, & sine Maria ieiunus & prorsus vacus maneret. Maria Ioanni opꝰ erat, Maria inter Ioãnis propria versabatur, Mariam toto animo, toto corde Ioânes esurie bat. Pro qua Ioânis excellẽtia liceat adducere, inter Baptistã, & Euãgelistã differentiã notatã à Nazianzeni fratre Cæsario dia- *Cæsar.* logo 3. Vbi hæc verba dedit. *Ille Baptista appropinquãte matri suæ ea quæ gestabat filiũ sine patre, matrẽ reuerens gestiit exiliẽdo, ac velut imminente sibi à prægnante periculo, nõ ferebat eam quæ facẽ gestabat proprius accedere. Hũc autẽ in eodem loco statuit & commendat matri propriæ Dominus cum tẽpore salutiferæ passionis cruci adstantibus, intentis in Ioannem oculis ait: ecce mater tua.* Itaq; iuxta Cæsarium Baptista nõ ferens splẽdorem, exilit in vtero, quasi illius consortium refugiens; verũ Euangelistæ tanta erat capacitas, vt astans cruci filij Dei locum subiret, & gaudens sibi acciperet Mariam. Denique de Ioanne sæpiùs sermo redibit.

## §. IIII.

## *Plus cæteris laborare, & sudare aliquos in sequendo Christum particularis Dei fauor, & gratia est.*

DIligẽtiores, imo & Deo chariores discipuli altissimũ iubẽtur scãdare mõtẽ, cæteris interim plano & amæno loco quiescẽtibꝰ. Hiccine diuinꝰ & maximꝰ fauor est, quãdoquidẽ Deo chariores seligũtur in maiores labores. Id quod in Ioanne Christi Do mini Præcursore celebrat Chrys. serm. 88. *Chrys.* his verbis. *Beatus qui non peruenit ad gratiam per labores, sed ad labores ipsius gratiæ dignatione descẽdit.* Expẽde ex quo hominis beatitudinẽ auspicetur, nimirũ quod gratiæ dignatione ad labores descẽderit, quod gratia Dei sit dignata illũ in labores & ærũnas impellere. An contemnendi labores, quãdo chariores Christo discipuli illis sui amoris mercedem accipiunt? Ita D. Amb. lib. 1. de Iacob, c. 7. *Habet ergo in se remunerationem suam qui sequitur Iesum, & in suo affectu præmium, etiam si dura sustineat, beatus est suis moribus, beatus ipsis periculis.* Gratia quidẽ est, fauor est, præmiũ est, beatitudo est, quòd per abrupta montium cacumina, per aspera iuga, per syrtes, per inhospitalia Iesus ducatum sequaris. Paul. ad Colos. 1. *Nobis*, inquit, *donatũ est à Deo, vt non solũ in eo credamus, sed etiã pro eo patiamur.* De quo D. Chrysost. hom. super orat. Annæ, dicit. *Etenim gratia vere maxima, dignũ censeri propter Christum aliquid pati, & corona vere perfecta, & merces futura retributione non minor. Martyres cum vocamus beatos, ex vulneribus primum beatificamus, & tunc ex præmijs, explagis & mox ex coronis repositis.* Qui pondus diei & æstũ portauerant in Dominica excolenda vinea indignè ferũt, quòd qui vna solùm hora laborauerant par præmiũ à patre familias recipiant. Pro dolor! Quàm mali æstimatores erãt suorũ laborũ isti operarij, quãdoquidẽ ipsi laboribus superiores erant, cur aliam inuiderent mercedẽ? Pulchre D. Gregor. Nazian. oratione in sanctũ Bapt. *Illud dicam hoc ipsum impensiùs laborasse vberioris mercedis loco habendũ esse his certè qui animo sunt non omnino illiberali & sordido.* Quãcunq; aliã mercedẽ vincit qui pro Christi nomine subitur labor: tunc sanè puta maximo fuisse te beneficio affectũ maximis donis, & muneribus à Deo cumulatũ quãdo impensiùs laborasti, quando præ alijs ad labores fuisti vocatus. Quæ mulier vnquã magis laborauit, quã illa inclyta Machabæorum mater, quæ septem adolescẽtes filios, & pucherrimos nouis, & inauditis tormentorũ generibus vidit excruciari? De hac tamen D. *Amb.* Amb. lib. de Iacob 2. c. 11. ait. *Quis hãc beatã neget, quæ quasi septẽ vallata muneribus inter corpora filiorũ nullũ sensit mortis dolorem.* Expende illud septem vallata muneribus, quot filiorũ carnificinas vidit, tot munera, tot beneficia sibi recensuit, quibus beneficijs delinita mortis amplexus intrepida expectauit. Quid plura? Vnum mihi omninò persuadet, quam magni beneficij loco debeã habere, si quãdo ducente Christo ad sudore, & labore plenas vias fuerim vocatꝰ; quòd nimirũ nullã rem aliã nobis inuideãt Angeli nihilque aliud habeant in optatis, quam laborãti Christo assimilari. At enim D. Petrus, c. 1. Can. *in quẽ desiderãt Angeli prospicere*: quippe, vt expẽdit Clem. Alex. *non Angeli apostatæ, sicut quidã suspicantur; sed quod verũ est, & diuinũ Angeli, qui desiderant profectum perfectionis illius adipisci.* Quasi dicat, hoc valde admirabile, & diuinissimũ est, quòd Angeli gloriã Christi in possessione habẽtes, in desidenio habeãt illius gloriæ puluerulẽtas vias, & satiati gloria vnũ sitiant, vnum desiderent Christum exẽplar in laboriosis, & sudore plenis vijs habuisse. *Petri. 1. Can. 1. Clem. Alex.*

habuisse. Hoc sequentium Christum laboris desiderio tenentur medio in voluptatis abyssu; imo ea est laborantium, & sudantium in sequendo Christum fœlicitas, vt meritò putet Bernard. hanc posse desiderari in cœlesti, & gloriosa vita. Etenim ait serm. 68. in Cant. *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, Hoc genus lætitiæ cœli nescierunt, nisi per Ecclesiæ filios, hoc nemo vnquam lætatur, qui nunquam non lætatur. Audeò dicere expertem huius beatitudinis ipsam beatam vitam, nisi se dignetur fateri, quod per charitatem ea in me fruitur, & per me. Aliquid sanè videtur illi accessisse ex me.* Quid Christianorum laboribus, & sudoribus glorioſius, quandoquidem ipsa æterna gaudia incompleta videantur, ni cum laborantibus hominibus communionem habeant? & æternorum præmiorum perfectioni labores exanthlatis pro Christo queant comparari? Meritò ergo Christus Dominus ad crucem suam inuitaturus id solum dicit, *qui vult venire post me tollat crucem suam, & sequatur me.* Et quidem cogendi videbantur homines in crucem laboriosamque vitam subeundam, & Christus solum inuitat. Cur ita? Pulchrè Ioānes Xiphilinus Antistes Constantinopol. orat. de festo crucis apud Costerum. *Ad bona enim voco, non ad mala, nō ad pœnā, vt etiam cogere oporteat, siquidem ipsa rei natura potis est atrahere.* Adeo crucifer labor glorioſus est, vt non solùm ipse hominum trahat animos, sed etiam pro singulari munere, & beneficio habent quicumque ad illum seliguntur, vocantur.

Bernard.

Xiph.

## §. V.

### *Quàm longè à rerum mundialium tumultu extollenti sunt qui Dei magnalibus potiri auent*

CELSISSIMVM montis cacumen scandunt Apostoli, quia Dei magnalia apparent non his, qui reptant humi, qui delitioſissima humanæ vitæ prata transeuntes marce sibili florum gaudent corona; sed his, qui disponunt ascensiones in corde suo, qui iacentibus bonis conculcatis, sublimibus inhiant, & æternis. Scientiam Dei reuelandam hominibus concinuit aliquando Regius Propheta, sed à quo reuelanda erit audite, *Nox nocti indicat scientiam.* Igitur nox est quæ in vmbra mortis sedentes homines omnis boni scientiam reuelare contendit. Et quidem nocturnis tenebris edoctus ait Cyril. in Catena D. Th. ad cap. 9. Luc. *Si cœlum inspiciæs punctatum stellis quasi infinitis luminibus, si consideres, quòd qui per diem saltant, ij tunc nihil à mortuis differunt; de te staberis quemlibet ausum humanum.* Ecce tibi nocturno in silentio terrena omnia quā tumuis splendida horrent tenebrosa induta calligine, nil oculis gratum, nihil auribus dulce, nil regia palatia discrepant a sepulchris, & ferales luci, & delitioſi horti confunduntur. Vnum cœlum splendet, totumque luminibus distinctum oculos cōplet humanos, complendo allicit, & alliciendo delectat. Quisquis ergo magistram noctem auscultas, miror, si terrena respicias, & moritura decora, non detesteris, si totus in cœli bona non feraris sublimia, vt sic magni Dei scientiam imbibas. Ideo oraturis hanc præscripsit Christus Dominus regulam, vt dicant *Pater noster qui es in cœlis.* Enimuerò Deus cùm vbique sit, terrenaque omnia Deo plena sint, tamen à sublimi cœlorum habitatione gaudet dignosci à creaturis. Vt pulchrè meminit Hugo de Sācto Victore, *ne inepta quærendo mēte vagemur, dicit, qui est in cœlis, vt mēte radicata quæ sunt vtilia quæramus.* Ne humi reptemus quin potius ab humi iacentibus expediti, & liberi, vbi Deus se prodit feramur ad sublimia, vt cum Apostolis supra montium cacumina constituti scientia imbuamur diuina.

Psal. 18. Cyril. Hug.

Hos Christi Domini discipulorū nostros ascēsus, vt placet Ariamōtano, explicauit Isaias c. 14. dum proprietati originali insistamus, quæ sic se habet, *ex radice colubri egredietur regulus*, nimirū iuxta Chaldæū, ex radice de filijs filiorū Iesse egredietur Christus, *& fructus eius serpens ignitus volans.* Quid magis reptile quā serpens humi cubās terrenis inhians pabulis? Quid magis sublimius, quàm igneum, & pennatum animal? Ast, vbi Christus Dominus apparuit in mundo, ecce tibi prudentissimi serpentes igniti, & volantes; hoc est, terreni homines, terrenis pabulis, caliginoſis terræ antris dimissis, sublimia scandūt alati, & cœlestib⁹ pabulis inhiāt. Huius loci cōmētator accedat Nazianzenus Theologus oratione de externi hominis vilitate, sic edisserēs: Corp⁹ è terra creatū est, ob id in terrā suapte natura vergit, at anima Dei spiraculū est, eoq; fit, vt perpetua cupiditate ad præstantiorem illam cœlestium bo-

Isa. 14. Nazian.

norum partem aſpiret. Sic nimirum fontis quidem vmbra pronum ac decliuẽ curſum habet; ignis contrà ad ſuperiores dum taxat partes tendit. *Quàm magnus eſt homo, imò Angelus potiùs dicendus quàm homo, ſi ſerpentis in morem exuta ſenectute hinc ſeſe in altum retulerit.* Explicuerat deorſum vergentem terreni corporis molem, ſimulque animi igneum vigorem, quo tendit ad ſublimia, & ſtatim ſubdit fœliciſsimam ſortem, & Angelicam illius hominis, qui ſerpentis de more exuta ſenectute in altum migrat. Et cur ſerpentis de more in altum? Nonne meliùs de aquilæ moræ exuta ſenectute feremur in ſublime? In altum ferri poſt ſenectutem exutam, aquilinum eſt; ſerpens enim ſenectutem exuit, ſed cubat humi; ſed totus reptat. Verùm, meritò à Teologo non homo; ſed Angelus dicitur ille, qui non de more aquilæ; ſed ſerpentis de more ſenectam exuit, & totus igneus, & pennatus ſeſe proripit in ſublimia. Etenim hoc ſingulare habent ſerpentes, quòd noctiunt tenebris de antris exeant, & de petrarum foraminibus exeuntes ſub nuturna caligine vna cœleſti pulchritudine fruantur, cuius recreati fulgoribus, & ſibilos, & volatus exhibeant. Siccine qui magiſtra nocte ad diuinam ſcientiam cupiunt peruenire, quibus ſerebantur, terrenorum pabulis relictis, noui ſerpentes, toti ignei, toti pennati præruptorum montium, petrarum foraminum incolæ, ſola cœleſtia ſpectent lumina, ſoliſque oblectentur diuinis luminibus. Hunc ſerpentis morem docebat Dominus Moyſen
*Exod. 33.* cupientem gloriam Dei videre. Exod. 33. Cui Dominus: *Cùm tranſierit gloria mea, ponam te in foramine petræ.* Ad hæc Cyrilus Hieroſolymitanus. Cathecheſ. 10. *Quaſi dicat, hoc faciam; ſed ita vt tu capere potes, ecce ponam te in foramine petræ.* Renouantis ſeſe aquilæ mos eſt medio in prælucenti aëre libero intuitu Solem cernere, non id poſſunt qui reptant; non id capiunt homines terreni, ſed ſerpentis de more à foramine petræ, à præruptis montibus, nocturnis tenebris, cum nihil aliud præter cœleſtia lumina aſpiciant, tunc toti ignei, & alati ſerpentes ſeſe in altum extollentes diuinæ gloriæ ſcientiam obtinebunt.

## §. VI.

*Prærupti montis ardua, & difficilia cacumina, vt aſcendant Diſcipuli ſpectaturus præit Chriſtus. Nil enim magis facit laborare ſeruum, quàm Domini intuitus.*

NIL magis ſeruum ad labores trahit, quàm ſi laborantem Dominus remuneraturus aſpiciat. Vnde Iacob cùm primùm laborioſam, ærumniſque plenam aggreditur viam, celebri illa præmunitur viſione, qua vidit ſcalam, & arduam, & ſublimem, ſimulque aſcendentes, & deſcendentes per illam, in qua nihil non labore, & difficultate plenum vidit; niſi quòd Dominus ſummitari nitebatur aſcendentes conſpecturus. Ita Diuus Hieronymus ad *Hieron.* Iulianum epiſtola 34. *Qui delicatiſsimè à Rebeca matre fuerat educatus, lapide ad caput pro puluillo vtitur, vidit ſcalam de terra vſque ad cœlum, & aſcendentes, per eam Angelos deſcendentes, & deſuper innitentem Dominum, vt lapſis manum porrigeret, vt aſcendentes ſuo ad laborem prouocaret aſpectu.* Quippe maximè ad laborandum prouocantur, qui ſub remuneratoris Domini aſpectu labori incumbunt. *Euſeb.* Hinc Euſebius Emiſſenus ſummam Diui Stephani in paſsione alacritatem, ſummam, & indefatigabilem tanto in labore *Acto. 7.* fortitudinem educit, quòd ait: *Video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei.* Quidni? *Iuſtè incunctanter offert ſanguinem ſuum, qui præoculis habet Regem ſuum, ſimul, & brabium ſuum, & filium hominis à dextris virtutis Dei. Vides quòd ſpectantis intuitus armat conſtantiam triumphatoris.* Quid mirum, ſi Apoſtoli celſiſsima montis ſcandat cacumina? ſi laborioſo incumbãt itineri? ſi difficiles arduaſque terant ſemitas? ſi ſub nimio labore gemant? Habent præeuntem Dominum, vt aſcendentes ſuo ad laborem prouocaret aſpectu, Dei ſpectantis confirmãtur intuitu. Hinc Diuus Gregorius Ma- *3. Reg. 16.* gnus in 1. Reg. cap. 16. de Chriſto Domino inquit. *Pulcher aſpectu fuit, quia & mortales nos ex magna charitate reſpexit. Quaſi enim aſpectus ſui pulchritudinẽ repromittit Diſcipulis, ait, iterùm videbo vos, & gaudebit cor* *Gregor.*

*bit cor vestrum.* Cur nō gauderent sub Domini aspectu in illius vinea laborantes, pōdus diei portātes, & æstus? O magnū laborantiū solatiū! O vnicum gaudium eorum, qui huius vitæ præmuntur labore, qui ardua euangelij scandūt, & aspera, quòd sub Domini remuneratoris oculis laborant! Sanè nos respicit omnes Deus currētes in stadio: cernimur à Domino laborare: cernimur huius vitæ molestijs insudare: quis animo cadat, cùm à Domino suo cernatur? Sic dux Piria apud D. Ennodiū in Paneg. Theodorici suos hortabatur milites. *Nemo absentes credat Regis nostri oculos, pro cuius fama dimicandum est. Si cœlum lancearū imber obtegeret, qui fortiùs telum iecerit, non latebit.* Adeò putabat Principis oculos conducere ad militum præclarè gesta. Et quidem in Rege nostro Christo hoc verissimum est, quod eius oculi præsentissimi nobis sint, quibus præclarum vllum facinus non latebit

*Ennod.*

## *Textus.* Et transfiguratus est ante eos.

## §. VII.

### *Vnus homo iustus numerosissimæ multitudinis instar est Deo, pro quo Deus omnes vitæ labores non dubitat subire.*

VERBI diuini personam in proprio splendentis suæ gloriæ habitu, vt ageret Dominus. tres solùm Apostolos spectatores elegit: quod Angelici myriades stupescerent spectaculum, tribus solis Discipulis gaudet repræsentare, sed tribus solis, quidum solùm cœlestia appetunt, præ numerosa multitudine Deo æstimantur. Dominij potestate, vt Pharaonem deterreret Dominus. Exod. 3. iubet à Moyse ante Regem vocari Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, & quid inde stupesceret Maximus Imperator? Cur Dominum trium hominum vereretur Rex tot vrbium, tot prouinciarum? Sanè coram præpotenti Rege erubescendum erat Deo, quod trium hominum Deus diceretur. Verùm, vt ait Paulus ad Hebræos, c. 11. de his Patribus: *Nunc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem; ideoque non confunditur Deus vocari Deus eorum:* quandoquidem tres hi homines cœlestia solùm appetentes, & æterna instar numerosæ multitudinis sunt Deo. Id quod expendit Chrysostomus his verbis. *Deus orbis terræ non confunditur vocari trium Deus, & meritò, non enim orbis terræ; sed innumerabilium eiusmodi instar sunt sancti, melior est enim vnus faciens voluntatem Domini, quàm decies mille iniqui.* Tres illi sanctissimi pueri à Rege Babylonio in fornacem immissi, dum flammis medijs exirent, grato modulamine Deum incipiunt concelebrare hymnis. Ibi canunt Deo, vbi solum audiunt tres ipsi; cur non melùs canerent cum audiri possint ab vniuersa multitudine? Sanctus Basilius libro de Spiritu sancto, cap. 30. *Ex incendio medio canebant hymnos Deo, haud reputantes multitudinem aspernantium veritatem, sed sibi ipsi sufficientes cùm essent tres, quare alter alteri multitudinem solus exhibebat innumerabilem, & grauissimam.* Ne miremur, quòd Christus Dominus suæ gloriæ spectaculum manifestet solùm tribus, quādoquidem quilibet eorū grauissimam exhibebat, & innumerabilem multitudinem. Ecce vobis qualem Deus habeat æstimationem iusti, & boni viri. Hæc fatus Ecclesiastes. c. 9. iuxta D. Greg. Taumaturgi periphrasim. *Sapientiam tanti facio, vt paruam ciuitatem à paucis inhabitam ciuibus frequentem existimem, si vel pauperē sapientem habeat ciuem.* Quid plura? Adeò æstimat Deus virum iustum, vt non solùm iudicet suæ gloriæ spectatores tres solùm sufficisse; sed, & pro quolibet eorum sudores, & labores omnes vitæ suæ meritò subire præsumat. Sic Diuus Chrysostomus homilia de terræmotu expendens feminis diuini ruinam in parabola de seminante illo, cuius semē aliud cecidit inter spinas: aliud in petrosa, aliud secus viam. *Exijt,* inquit, *qui seminat ad seminandum, & quædam ceciderunt secus viam, quædam super petram, quædam super spinas, quædam in terram bonam. Tres partes perierunt, & vna seruata est; nec ab agricultura destitit; sed quia vna conseruata est, agrum colere non cessauit.* Tanti æstimat Deus viros iustos, adeò sibi complacet in hominibus studiosis sanctitatis, vt spectantibus solis tribus, omnes gloriæ suæ pandat thesauros, imò vnius gratia manum toties mittat ad aratrum, immēsosque ad labores præparet animum.

*Ad Hebr. 11.*

*Basil.*

*Eccles. 9.*

*Luc. Chrysost.*

(?)

## §. VIII.

### *Mille verbum diuinum formas, subit, vt in hominibus Dei imaginem reformet.*

QVAS Dominus non induit figuras, vt nos in corpus claritatis suæ transfiguret? Quas non subit formas, vt in nobis imaginem Dei perditam reformet? Aiebat quondam Moyses. Exodo 15. *Sanctuarium tuum, Domine, quod firmauerunt manus tuæ.* Ad hæc Origenes homilia septima. *Hoc non dicit manu hominis factum, sed Dei. Quid ergo? propterte Deus & plantat, & ædificat, agricola efficit, agricola efficitur, structor efficitur, ne tibi aliquid desit.* Vnus Deo scopus est totius suæ œconomiæ, vt hominem reformet ac figuret, vt illi antiquam Dei imaginem indat, cuius gratia mille ipse induit formas & figuras. Suffragatur Diuus Cyrillus Hierosolymitanus Cathechel. 10. *Vnicuique, inquiens, varius fit Saluator ad vtilitatem. Qui enim indigent recreatione & lætitia, illis fit vinea. Qui opus habent vt ingrediantur, his constituitur ostium: & qui cuperent offerre orationes, illis fit mediator, summusque sacerdos. Rursus habentibus peccata fit ouis, vt pro ipsis mactetur. Et omnibus fit omnia, ipse idem natura permanens qui est.* Tandem seruili forma dissimulata filij Dei imaginem splendentem externis corporis lineamentis ante Discipulos in Thabor subit, vt transfiguratus ipse nos homines in filios Dei formet & transfiguret. Etenim eum esse Christi Domini scopum in omnibus suis operationibus, testatur D Paulin. epist. 4. dum inquit. *Ita se immisceat nobis, ac nos sibi conserit, vt quod ipse accepit, nobis proficere faciat. Sic & honori suo implicat suos, prope omnia nobis etiam nomina sua communicauit. Vt virtus Dei dicitur, ita & nobis virtus esse dignatur, Dominus enim refugium nostrum & virtus. Et sicut ipse de se ait, ego sum lux mundi; ita & ad suos inquit, vos estis lux.* Hæccine est Christi Domini operatio nos sibi conferere, & consertos à seruili forma in filiorum Dei formam transfigurare? Quod Christo Domino acceptum referebat Paulus ad Philippenses 3. fatus. *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum* (siue vt Ambrosio placet) *transfiguratum corpori claritatis suæ.* Quæ verba sic Anselmus expendit, ita reformabit illud, id est, pristinam ei formam ita gloriosam restituet, vt sit configuratum corpori claritatis suæ, id est, assimulatum corpori suo clarissimo. Iam finiat Irinæus varias verbi figuras notans, vt nos transferat in paternam figuram. Etenim ait lib. 4. cap. 37. *Et ipse verbum Dei, vtpote diues & multus ex filens, non in vna figura, neque in vno charactere videbatur videntibus eum, sed secundum dispensationis eius causas & efficaciam, sicut in Daniele scriptum est. Aliquando enim cum his qui erant circa Ananiam, Azariem, Misael, videbatur assistens eis in fornace ignis. Et visio, inquit, quarti similis filio Dei. Aliquando autem lapis à monte abscissus sine manibus, & percutiens temporalia regna, & ipse replens vniuersam terram. Rursus videbitur vt filius hominis in nubibus cœli veniens ad veterem dierum, & sumens ab eo vniuersam potestatem & gloriam.*

Exod. 15.

Orig.

Cyril.

Paulin.

Ad Phil. 3.

Irineus.

## §. IX.

### *Notitia sui homo reddit ad pristinam figuram, qua Deo similis conditus fuit in paradiso.*

COelestem ex Patre originem, vt aiet D. Eprhem, ostendens Dominus, simul & ex Maria matre referens naturam, sese ante Discipulos transfigurat, quasi eos alliciens, vt ex cœlestis & terrenæ originis notitia, pristinæ Dei imaginis amissæ nitantur recuperare figuram. Nil enim magis homines transfigurat in formam filiorum Dei, in abolitam in paradiso figuram, quam si crebrò habeant ob oculos diuinam animæ suæ & terrenam corporis originem. Id dystico edocuit Theologus Nazianzenus.

Naz.

*Te noscas, & quæ tibi sit cœlestis origo.*
*Sic faciles venies ad decus archetypum.*

Quod illius Scholiastes S. Cyrus sic explicatiùs expedit, nimirum *voscas te mortalem esse, vt qui carne quidē è terra sumptus sis; spiritu autem diuinitùs insufflatus.* Itaque duplicem quiuis homo habet originem, ex cœlesti Dei halitu, & ex limo terræ, hæc sibi sæpiùs præferat, hæc altamente reponat

Cyrus.

reponat, & ad pristinæ figuræ, & imaginis decus facilis transcēdet. Hāc vim se transfigurādi per notitiā sui hominibus inditā, no ui ex Ruperto lib. 2. de Trinitate, c. 2. vbi explicans illud Geneseos: *Faciamus hominē ad imaginem, & similitudinem nostram*, quasi dixisset, ait Rupertus, *Faciamus hominem, qui trinæ operationis nostræ in semetipso habeat euidentiam*, ac si in eo consisteret imago Dei homini indita, quòd homo trinitatis operationes, quas Theologi vocant, operationes ad intra, emularetur. Et quidem Deus Pater se intimè, & perfectissimè cognoscens, suæque perfectionis abyssum penetrans, ex hac sui cognitione, & cōprehēsione operatur in se, & generat verbum, quod est splendor Patris, & figura substantiæ eius. Cuius triados in operatione homo Deo similis eam vim habet, qua etiā se cognoscens, suæq; substantiæ originem penetrans similem Deo in se figuram, & perfectā Dei imaginē, qualem à primordio sortitus est, facilè exprimat. Accinit non inelegans Clem. Alexan. 3. Pædag. c. 3. vbi inquit: *Si quis se ipsum norit, Deum noscit; quòd si Deum noscit, ei assimilabitur, non aurum gestans, nec talarem vestem gerens; sed benefaciens, & quā paucissimis fieri potest indigens.* Ecce tibi quicunque homo sis, qualiter ex perfecta tuæ celestis terrenæque originis manifestatione, & notitia te iuxta primæ deificæ imaginis exēplar transfigures. Vnde D. Amb. Psal. 118. serm. 10. *Cognosce te anima, quia non de terra, non de luto es, quia insufflauit in te Deus, & fecit animam viuentem, opus es magnificum Dei generatione inspiratum. Sæcularia te non moueant, & mundana non teneant, terrestria non morentur; ad illū tota intentione festina, ex cuius inspiratione consistis.* Hæc ille: nec aliud efficax mediū inueniri potest, quo sequis transfiguret in filium lucis, quam si se, suaque penitùs inspiciat. Firmat rem Seneca epist. 6. vbi inquit: *Lucili non emendari me tantum; sed trāsfigurari; nec hoc promitto iam vt spero, nil in me superesse, quod mutādum sit. Quid ni multa habeam quæ debeant corripi, quæ extenuari, quæ attolli? Et hoc ipsum argumentum est in melius translati animi, quòd vitia sua, quæ ad hunc ignorabat, videt.* Porrò ea res maximè homines confirmat, ad perfectionemque ducit, quæ propriam illorum infirmitatem ob oculos proponit continuè Paulo datus est Angelus Sathanæ, qui eum colaphizet. 2. ad Corinth. 12. à quo se petit liberari vir sanctus; neque obtinet, datus enim illi erat ad salutem, *quia virtus in infirmitate perficitur.* Quandonamque naturæ infirmitas ob oculos versatur, maxima sit accessio virtuti. Ab hoc stat D. Irinæus lib. 5. dicens. *Volui ergo Dominus Apostolum suum sic colaphizari? Et talem sustineri infirmitatem? Etiā dicit verbum, virtus enim in infirmitate perficitur, meliorem efficiens hunc, qui per suam infirmitatem cognoscit virtutem Dei. Suā enim infirmitatem discere per sustinentiam, nihil est malum, magis autem bonum est non aberrare in natura sua.* Hoc bonum, & maximè cuique conueniens, quod in natura sua non erret, quòd ob oculos habeat, cuius sit natura propria infirmitatis. Necnon, & naturæ excellentia in diuino origine fundata maximè etiam arcet hominem a vitijs. Ideò Petrus, 1. Can. vocat oues suas, gentem sanctā regale sacerdotium. Sed cur adeò illustribus titulis populum condecoras, ò Petre? Iam ipse respondit, apud S. Sixtum, epist. de malis doctor, vbi fatur. *Ego his, & generositatis suæ nobilitatem ante oculos posui, & quòd genus electum, sacerdotale, regale, gens sancta, populus acquisitionis essent, indesinenter ostendi. Ego etiam quod diuina essent naturæ consortes edocui, credens eos ad custodiendam iustitiam promptiores fore, si stirpis suæ speciem agnouissent, ita mirabilem.* Adeò vel diuinæ stirpis, vel infirmitatis humanæ notitia valet ad componendos animos humanos.

Gene. 2. Rupert. Cle. Alex Amb. Seneca. Irin. Sixt.

## §. X.

*Quò quis certiùs cœlestem induit figuram, Deique imaginem in se portat, eò cautior ab omnium oculis se submoueat, hominumque fugiat conspectum.*

NOn sine nostra doctrina Christus Dominus secretū altissimi mōtis petit, vt à multitudinis oculis suæ deitatis figurā, & imaginē custoditam submoueat. Eo enim imaginē virtutis Dei certiō nostris animis inhærere confidimus, quò magis eius splendores, & prosilientes radios ab oculis mortaliū arcemus. In dubiū reuocat D. Zeno, apud Lippomani Catenā, quòd homini in principio indita sit imago, & figura Dei. Qua in parte hominis, ait, est hæc imago? Quis illā vnquā cernere potuit? An, quia

Zeno

illam neſcimus, quia nunquã vidimus, ideò eam non habemus? *Habemus planè, & quidem manifeſtã ex ipſo quòd non eſt portantib⁹ nota. Incõprehenſibilis Dei imago, inuiſibilis ſit neceſſe eſt. Denique oculis non eſt ſubiecta mortalibus.* O quã miſerè falluntur, qui in conſpectu omnium ambiunt transfigurari! Qui imaginis Dei ſplendores, nempe virtutes, aut extaſim oculis multitudinis cõmittunt! Proh dolor! nõ hæc eſt figura Dei inuiſibilis, quę omniũ oculis paſsim cernitur qui verè transfiguratus eſt, qui nõ adumbratã, ſed ſolidam veramque Dei imaginẽ & figuram ſumit, ſecretũ amat, nõ frequentes populi plateas; ſed deſertos mõtes quærit, illamque ab oculis multitudinis arcet. *Non enim qui in manifeſto Iudæus eſt; ſed qui in abſcondito Iudæus eſt*, aiebat quondã Paulus ad Roman. c. 2. Quo circa arguta ſatis
*Hieron.* quæſtio apud D. Hieron. Epiſt. ad Tharaſiam, cur Deus ſui populi ſignũ non conſtituerit ea corporis parte, qua palàm, & perſpicue ab omnibus cernetur, nempe aut in fronte, aut in manu? Imo potius ſignum illud iuſsit inuri ea in parte, quam natura ipſa occultare, & contegere nititur. *Ne iuſtitiam noſtram* (reſpondet Hieronymus) *coram hominibus faceremus; ſed in occulto, & coram eo ſolo, cui ſoli nihil eſt occultum, & quem ſolum remuneratorem bonorum nouimus eſſe factorum. Vnde ne in carne palam; ſed in occulto cordis Iudæi eſſe debemus.* Adeo Dei ſigillũ homini impreſſum occultari amat, vt Deo probetur, adeo occultãda eſt Dei imago, & figura, vt vel ex illius ſecreto, quo ſeie hominum oculis eripit, clariſsimum ſui præ-
*Bach.* beat argumentum. Quo vſus fuit Bachiarius Epiſt. ad Ianuariũ, vt extolleret Salomonis pœnitẽtiam. Etenim Ianuarius pœnitentiam tanti Regis negat, eo quòd nulla illius mentio in ſcripturis, in antiquis authoribus inueniri queat. Cui ille. *Audi ergo frater, pœnitentia eius quæ non ſcribitur publicis legibus fortaſſe à Deo acceptabilior, vt dicatur, qui non ad faciem populi; ſed in ſecreto conſcientiæ teſte Deo pœnituit.* Non enim facilè adducar, vt credam hominem in melius transfiguratum, & mutatum eſſe, quando & frequenter amat conueniri, & paſsim ſuas virtutes prodit populorum conſpectibus, & multitudinis. Abrahamus litaturus filiũ, nil magis ſtudet, quam tantum facinus vel ipſis famulis celare; & ideo illos iubens manere ait Gen. 22. *Sedete vos hic; ego vero, & puer per tranſiuimus vſque illuc, & cum adorauerimus reuertemur ad vos.* Vbi notanter D. Chryſoſt. *Filium tuum*, ait, *mactaturus pergis, & ais reuertemur? Dum pueros ſtudet celare, prophetа effici tur.* Adeò gratus eſt Deo, qui ſuas virtutes, ab hominum oculis celare procurat. Vtinã hæc omnibus fuiſſet innata cura; vt ad eas plus affecti eſſent virtutes quæ magis ſpectantium oculos fugiunt. Niniuitæ illi à Iona c. 3 correpti. *Prædicauerunt ieiunium & veſtiti ſunt ſaccis.* Vbi eleganter D. Hieron. *Ante ieiuniũ, & ſic ſaccus: ante quod occultum eſt, & poſtea quod palam: etſi ẽduobus neceſſarijs vnum eſt detrahendum, magis ieiunium abſque ſacco, quã ſaccum eligam abſque ieiunio.* Securior enim eſt, & firmior virtus illa quæ abſcondi poteſt, quam illa quæ nequit non eſſe in ſpectantum oculis. *Ioau. 3. Hyer.*

## §. XI.

*Sic ſe componere homo debet, vt etiam in loco ſolitario, in deſerto agro, vbi à nemine videtur virtutum intimarum effulgeat radijs.*

MEDIO in ſecretiſsimo monte dilectiſsimis ſibi diſcipulis ſtipatus, vbi alij relaxandi animum gratia vis ſe à ſaltu, à ludo, à curſu continere poſſunt, Saluator noſter totus intimarum virtutum fulgoribus irradiatur. Sepe homines virtutum ſtudioſi agrorum ſecreta meditantur, vbi laxatis parum per habenis honeſtis exercitijs recreantur. Quos vt cautos media in ſolitudine reddat Magiſter omnium, & Saluator, ſic in ſecreto montis interiorum virtutum habenas relaxat, vt totus lucidus, totus inſplendorem transfiguratus appareat. O fœlix illa animi relaxatio, qua totus homo exterior intimarum virtutum radijs illuminatur: ſane latet anguis in herba, & ſæpe in agro, in ſolitudine, quo minus ſibi homines cauent, eò facilius hoſtem iucurrunt manus. Scite Pſaltes. *Quomodo dicitis animæ meæ tranſmigra in montem ſicut paſſer? Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, vt ſagittent in obſcuro rectos corde.* Ibi in ſecreto montium, vbi compreſſæ diu habenæ, ſolent relaxari, inſidias hoſtis agit, latet occultus anguis. Hinc totum Euæ damnum D. Greg. Taumt. ſerm. de Annũtiat. auſpicatur. *Virgo Eua ſola in paradiſo chorum agens atque tripudians, relaxata mẽte* *Pſal. 10.*

per

*per incuriam ab authore omnis mali serpente verbum susceptit, & sic sensu mentis corrupta est.* O quantum detrimentosa fuit nobis ista Euæ animi relaxatio! Cum se in agro vidit nihil timens totam se fundit in gaudia, & relaxata mente, lethali vulneri exhibuit aditum. Iam sibi omnes caueant etiam in agro, etiam in solitudine, etiam in media relaxatione animi sic se componant, vt tunc maxime eluceant, & splendeant intrinsicę virtutes, quas habent. Ecce vobis Rebecca in domo parentum circumsepta clientum turba, interrogata, an ad virum ire velit, non moratur, vt virginem decebat, responsum, sed statim alacri & gaudente animo respondit, vadam Genesis 24. Hiccine est Rebeccæ virginalis pudor? Hæccine est illa virgo honestissima & sanctissima? Vbi pudor, quando tam festinus inconiungium ausus? Vbi virginalis decor, quando sic sese offert amplexui maritali? Sane maximus erat pudor, maximus virgineus decor animo puellæ sanctissimæ latens, & adeò maximus, vt in solitudine, vt in agro, vbi licentia maior, & occasio vehementior, ibi sese ostenderit, clarissimisque se prodiderit radijs. Etenim cum in agro esset Rebecca, noto à longè sponso Isaac, qui exierat ad meditandum in agro, *illa tollens cito pallium suum operuit se.* Ad hæc eleganter Rup. lib. 6. cap. 45. *Non ergo cum diceret, vandam, concupiscit aut concupiscere ardebat, quæ tanta festinatione pulchritudinem suam operiebat, viso Isaac. Non vtique sed superno potius nutu præuenta peregrinari cum fide Abraham & Isaac, & futuram inquirire ciuitatem malebat.* O quam euidens testimonium præbuit solitudo & ager puellæ pudori virginali! Ecce quàm in agro, in solitudine viso sponso, ad quem alacris se ituram promisit, internæ eius virtutes fulgurarunt. Sanè non lasciuiæ tædis, sed fidei luminibus intus concremata dicebat vadam, quando in agro, in deserto loco sola cum petito sponso pudoris splendet sub radijs. Sic nos intrinsecus componamus, vt dum ager, dum solitudo relaxandi animum, & sensus licentiam propinat & securitatem, tunc precipue quæ intus sunt virtutum lumina foris irradient.

Gen. 24.

Rup.

*Textus.* Et resplenduit facies eius, sicus Sol.

## §. XII

## *Strenue, & intrepide subeunda mors ab ijs, qui velint mortem superare.*

MOriturus Christus Dominus hãc suæ in Thabor gloriæ præmisit manifestationem, ne ex infirmitate videretur succubuisse, qui tãtæ virtutis radijs coruscauit. Itaque ad mortales tenebras subeundas hanc sibi facem prætulit claritatis. Sed cur instar solis se ad mortem parauit? Accipite D. Zenonem hom. de Resurrect. sic de sole philosophantem. *Sol quotidie nascitur, eademque die, qua nascitur emoritur, nec tamen instantis finis sorte terretur, vt suos retardet cursus; sed fidelis semper intrepidus ad sepulchrum noctis contendit sciens in ipso se habere quod viuat.* Igitur Christus Dominus moriturus, prius, totus splendet vt sol innuẽs quam imperterritus, quam intrepidus ad sepulchrum mortis festinat, ex quo citus sumet, quod viuat. Tibi veniat in mentem Rex illi alioquin fortis Ezechias incidit in lectulum, morti appropinquat, & vel mortis odore perteritus reuersus ad parietem fletu & lachrymis deprecatur vitam. Additi sunt illi ex Isaiæ oraculo anni quindecim, pro cuius rei signo Sol ab occasu in Orientem retrocedit decem lineis. Quis nunquam Solem ab occasu retrocedentem vidit? Sane, quando maximus regum Christus in cruce occubuit, minime retrocesit Sol; sed præpropere rum sibi induit nocturnum luctum. Quæ ratio discriminis, cor qui retrocesit in Ezechia; in Christo Domino obscurari festinet? Eleganter D. Cyrill. Hierosol. Catech. 2 *Tunc*, ait, *propter Ezechiã Sol reuersus est, propter Christum autem Sol obscuratus est non retrocedens; sed deficiens. Atq; per hoc vtriusque differentiã & Ezechiæ, & Iesu demonstrauit.* Etenim Ezechias mortis aspectũ pauet, quã nititur aliquãdiu fugere, quod retrocedente sole innuitur. At vbi nactus est inuictissimũ Regẽ Christũ nõ retrocedit, imo mortis caligine obscurari festinat, vt qui vidit iustitiæ solem imperterritũ & impauidum

Zeno.

4. Reg. 20.

Cyri. Hier.

uidum cum morte confligere crucis ligno ſuffixum, vnde nouit ſe habere quod viuat. Accinit pulcherrime Eucherius in 4. Reg. cap. 14. ſic cum Elia rapto ne moreretur, componens morientem Chriſtum. *Eucher.* *Eliæ mortem diſtulit, non euaſit; Redemptor autem noſter, quia non diſtulit ſuperauit, eamque reſurgendo conſumpſit.* An tu qui id curas, vt mortem differas, vt pigreſcas in vita, ideo euades? ideo eius amariſsimos felles fugies? imo ſemper amariores guſtabis; ſi quidem moriendum omnibus eſt. O vos fœlices qui animoſe mortem oppetitis, qui feſtinanti libentes, & imperterriti occurritis, mortem ſine dubio ſuperabitis, & inde ampliſsimam ebibetis vitam. Glorioſæ, & immarceſcibilis vitæ illius, quæ poſt mortem ſupereſt, vt exemplum exponat Tertull. lib. de carn. reſurrect. ait. *Tertul.* *Accipite pleniſsimum huius ſpei ſpecimen, illum Orientis alitem de ſingularitate famoſum, de poſteritate monſtruoſum, qui ſemetipſum libenter funerans renouat natali ſine diſcedens.* Expendo illud ſemeptiſum libenter funerans. Quid ſi inueniat natalem finē ſolaris ales, qui libens, & intrepide ſuo ipſe funeri occurrit? Et ſole & ſolari aue præſtantior Chriſtus Dominus non mortem refugit, non mortem reformidat & differt; ſed intrepide libenti animo venienti occurrit, congredientem expectat fixo pede crucis in ligno. Quod pulchre Athan. homil. de Paſſ. ponderat dum inquit. *Neque de cruce deſcendendo voluit filius Dei agnoſci, ſed ex eo quod cruce permaneret. Certe pendente in cruce Domino, monimenta aperiebantur, & qui ibi ſepulti iacebant viuificabantur.* O verum diuinitatis iubar fulgentiſsimum! O iuſtitiæ vnicus Sol eo magis ſplendentis ſolis aſpectū ſubis, quo ad mortem impauidus ruis, quo minus expaues mortis calignē! quo magis irreuocabili greſſu mortali vmbra obſcurari feſtinas! Iam te ſolem experietur obſcura regio, cum te accedente habent cuncti mortui quo viuant.

## §. XIII.

## *Chriſti Domini fulgentiſsima caro tenebroſos hominum mores condemnabit.*

VBI CHRISTVM ſolem auſpicaris, memento quod Malachias addit, nimirum iuſtitiæ ſolem; ſolis induit radios vt omnia luſtret humana, vt futuri Iudicis exhibeat faciem. Id D. Baſil. Seleuciæ anti ſtes notauit. *Baſil.* *O miraculum ex humana forma mittebātur radij diuinis operationibus ſolis in ſtar perſtringens oculos ſignificauit orbis terræ futurū Iudicē.* Væ hominibus, qui cæcutiunt ſub tenebris peccati! qui caliginoſis in ſudant laboribus! qui tenebrarum Principi famulantur! Quomodo ſolis trutinam ſubſtinebunt? Quomodo ad radiantē iudicis faciem ſtabunt? Facies iudicis humana eſt, fateor, oculi illius carnei, vnde neceſſe eſt, vt ſuæ carnis, & humanitatis congeneres miſereatur. Et quidem miſerebitur congeneres ſuæ carnis, hoc eſt carnis fulgentiſſimæ participes, qui in carne ambulātes cœleſtis luminis radijs apparebant ſignati. Id præcauet Cle. Alex. in adhortatoria fatus. *Cle. Alex.* *Vt germani lucis filij intueamur lucē, ſurſum aſpiciamus, ne nos eſſe adulterinos deprehendat Dominus, quemadmodum ſol aquilas.* Nō quod ore & plumis genus referat, ideo legitima & germana cenſetur Aquila, neceſsū eſt, quod examen ſuſtineat ſolis radiantis? Quod ſi ad ſolis trutinam cæcutit aliquando, vt degener & adulterinus excutitur ales, Itaq; parū eſt, quod homines ore ſolū Chriſto cōgeneres nos exhibeamus, ad fulgentiſsimæ eius carnis trutinam accedere debemus, ſi caro noſtra cœleſti lumine conſignata irradiat, ſi operibus excluſis tenebrarū lucida progenies ſurſum aſpirat, vt legitima & Chriſti carnis germana probatur: ſi vero caligat, ſi ſolis faciem exhibenti carni compoſita caro hominis nigricat aliquanto, væ miſeræ, quia protinus vt degener, & adulterinus filius à conſortio fulgentiſsimi hominis Chriſti exibilabitur. Nigricantem carnem peccato vna condemnabit filij hominis fulgentiſsima caro. Vnde D. Zenon. ſerm. 3. de Nat. ait. *Zeno.* *De filius ideo carnem eſt dignatus aſſumere, vt nemo poſsit ſe per carnem, cum iudicij dies venerit, excuſare.* Sane potuiſſet quis nigricantes peccati maculas, vt carni proprias & congenitas, vt lunæ ſunt congenitæ maculæ apud iudicem ſpiritum excuſare. Quid te, ò Iudex, maculæ offendent? Siccine eſt ſtulta hominis caro quæ vt luna mutatur, & lunæ inſtar quamuis millies nitro lauetur, ſemper præſeſert has nigricantes maculas? Sed proh dolor! Inepta iſta excuſatio apparet, vbi iudex caro eſt, & caro non lunæ; ſed ſolis tota fulgentiſsima ſub radijs. Quid iam reſpondebit nigricans caro, vbi caro in ſplendoribus ſanctorum interrogabit? Vbi caro lucidiſsimi

mi

mi solis faciem præferens iudicabit? Videre cupis seueriſsimum iſtius ſanctiſsimæ carnis iudicium in homines? Aſpice illam cruci ſuffixam, vbi totas miſericordiæ habenas laxauit, vbi radiantem faciem obtexit vſque ad ſimilitudinem carnis peccati, vbi fletu & lachrimis inimicis ſuis veniam deprecatur. Quid plura? Ibi illam iudicantem expaueſco, ibi è duobus ſuplicij ſocijs irreparabiliter cõdemnat alterum. Id ponderat Auguſt. ſermon. 45. *Poſitus in patibulo verus arbiter in medio damnatorum negantem latronem repulit; ſuſcepit confitentem; hunc deputat regno, illum relinquit inferno. Per hæc ergo credamus in maieſtate iudicaturũ quem iam in cruce, & miſericordiã videmus exercere & iudicium.* Sed quale ibi iudicium exercuit? Quomodo approuandũ examinauit? Sane quemadmodũ ſol Aquilas ex viſus perſpicuitate, & claritate. Sic Chryſoſt. in Catech. de latrone bono. *Videt quidẽ apparens opprobrium; ſed intuetur latens regnum.* Igitur & nos has exteriores tenebras ſpuentes, latentia cœlorum regna exquiramus, iugum rectorum tenebrarum harum à ceruicibus excutiamus lucida, & æterna bona auidi quæramus, ne nos adulterinos, & degeneres Iudex inueniat quemamodum ſol Aquilas.

Auguſt.

Chryſo.

## §. VIIII.

## *Nulla bona permanentia, & duratura poſſunt haberi, niſi in Chriſto, & per Chriſtum.*

CVM ſole permanſura bona extra Chriſtum, nemo quærat, obtinuit nemo vſque adhuc. Conſiderate Salomonis gloriã, quis Salomone ditior? Quis pulchritudine, & ſapiẽtia præſtãtior? quis omnium bonorum cumulo beatior? Sed quam eiuſdem gloria labilis? quàm horaria? nec lilium, nec flos campi illa fugatior. Quid mirùm omnia illi bona donantur, non ſole radiante, ſed nocte & tenebris dominantibus. Ita D. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 2. *Hinc eſt, quod Salomon, qui ſapientiam non perſeueraturus accepit, in ſomnijs hanc & nocte accepiſſe deſcribitur.* Omnia labilia, & horaria ad lunæ tenebroſum regum ſpectant quicquid perpetũ eſt, quicquid æternum duraturum id diuinis ſolis accipitur ſub radijs. Magnus ille Iacob viſus eſt tanquam ſol Ioſephum adorare Geneſ. 37. ſed & Eſther dicitur fons paruus in ſolem conuerſus. An ideo ſoles ambo, quia ille terrenis bonis ditiſsimus apparuit, hec regio inculmine coruſcauit? Abſit; peritura enim bona nunquam ſolari lumine radiant. Equidem ait Rupert. lib. 7. de Victoria Verbi Dei cap. 26. *Concedendum eſt, quod nullum gaudium tranſitoriũ meretur nuncupari ſol, aut comparari ſoli cuius lux non mutatur vt luna, ſed plena perſeuerat. Igitur neque Iacob neque Eſther propter ſuam perſonam ſoli aſsimilata eſt, ſed propter Chriſtum ſolem iuſtitiæ, vnum & ſolum tam ille, quàm hæc per ſolem ſignatus eſt. Ille, quia iam Chriſtum habebat in promiſsione, hæc quia Chriſti genus vnde naſceretur reſeruauit.* Quicquid extra hũc diuinum Solem habent caducum eſt, peritura eſt, ſub vno Chriſto & ab illo habent, quòd cum ſolis luce ſint æternandi. Inſufflauit quondam Deus homini ſpiraculum vitæ, vitæ inquam naturalis, & ſupernaturalis, mille virtutibus, mille gratijs cumulans animam. Sed eu quàm labilis in homine diuinus halitus, penè præterijt cum ipſo ſpiramine. Quid tunc? Homini in vmbra mortis ſedenti Sol diuinus Chriſtus præparatur, qui animorum æternet vitam, qui diuinum halitum ſubſidere, & permanere faciat noſtris animis. De illo aiebat Baptiſta apud Ioan. cap. 1. *Qui poſt me venit, ante me factus eſt, de cuius plenitudine nos omnes accepimus.* Ad quæ verba Leontius, ait: *Cauſam reddit eius quod dixit, ante me factus eſt, quia prior me erat: ſubiungendo, quòd ex eius plenitudine nos omnes accipimus. Quomodo enim non antè erat prior ipſe qui implet ipſos qui de plenitudine acceperunt? Plenitudinem autem ipſius vocat inſpirationem, quæ fuit in Adam, quam & dedit Apoſtolis poſt reſurrectionem, nempe Spiritum ſanctum. Pro gratia enim Adæ conceſſa, â qua excidimus, ditiorem Chriſtus donauit nobis per lauacrum Spiritus ſancti in habitationem.* Expendo illud, quòd pro gratia Adæ ditiorem Chriſtus donauit Spiritus ſancti inhabitationem: quippe Spiritus permanentia, omniſque boni duratio & perſeueratio non niſi à Chriſto Domino eſt expectanda. Qui inſtar Solis perſeueranter, & æternum duraturas diuitias per homines ſpargit.

Geneſ.

Rupert.

Ioan. 1.

Leont.

*Text.* Et veſtimenta eius facta ſunt alba ſicut nix.

## §. XV.

### *Vera hominum ſpecies & nobilitas non quæ ab extrinſeco, ſed quæ ab intimis animi virtutibus ſpendet.*

OVanas hominum curas! O inanes glorias mortalium! nobiles eſſe volunt & ſpecioſi, ſed intrinſecũ animi ſplẽdorem, & nobilitatem deſpicientes, ab alijs externis emendicant, quo fulgeant in auro. Chriſti autem Domini gloria, & nobilitatis ſplendor non ab externis, ſed ab intimis animi virtutibus rutilauit. Sic *Ephræ.* D. Ephræm dixit, facta ſunt veſtimenta eius alba. Etenim oſtendit, quòd ex toto eius corpore eius gloria ſcaturijt, & tota eius carne reſplenduit eius facies, & ex totis eius membris reſplenduerunt radij. *Non enim ſicut Moyſi eius facies reſplenduit extrinſecùs, ſed ex ipſo ſcaturiebat eius gloria, & in eo manebat. Ex ipſo oriebatur lux eius, non venit ex alio obliquo, & eum exornauit.* Tota veſtimentorũ gloria, tota nobilitatis ſplendentis ſpecies non ab externis, ſed ab intimis effuſa oculos perſtringebat mortales. Huc ſpectent qui vera nobilitate & ſpecioſitate ambiunt in mundo radiare. Huc crediderim ſpectaſſe Nazian. oratio. 28. de redi- *Nazian.* tu, in qua vt verè ſic rectè faſtidit inanes multorum gloriolas & nobilitates: *Quartum*, ait, *illud nobilitatis genus, quod in Principum diplomatibus & edictis conſiſtit, tunc vllo in pretio habebo, cùm pictam pulchritudinem laudandam duxero, ſimiamque ob id venerari cœpero, quòd leo eſſe iuſſa ſit.* Planè rideres, & maximè irrideres, ſi ſimia ſuperbum leonis nomen præferens in auro fulgeret, ſibique blandiretur de nobilitate, quòd ab hero iuſſa fuerit leo eſſe. Si intrinſecùs ſimia ſis, ſi vilis & obcurus, quid, quod ab auro fulgorem capias? quid, quod ſcriptis tabellis præferas nobilitatem? Pulchrè Regius Vates naturæ humanæ ſplendorem effingit & nobilita- *Pſalm.44.* tem Pſalm. 44. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis, circumamicta varietate.* Quaſi diceret, Regia hominis natura fulgeat, licet, amictu aureo, veſtimentiſque artificioſa depictis acu; tota verò eius gloria, integra nobilitas ab intus ſit à primis animi virtutibus, ex quibus ad veſtimenta vſque dillabatur. Vnus ſit huius loci cõmentator D. Gregor. Magn. *Gregor.* in 1. Reg. lib. 6. cap. 15. vbi de virginali honore hæc verba facit. *Quid eſt, quod dicitur omnis gloria filiæ Regum ab intus, ſi foris eſſe gloria veſtitus aurei prædicatur? Si enim foris eſt aliqua magna aurei veſtitus gloria, intus omnis gloria videri non poteſt. Quid ergo eſt, quòd omnis gloria intus eſſe perhibetur, niſi quia & illa quæ foris eſt gloria, cum alijs innumeris intus eſſe cognoſcitur? Aurea enim virginitas non eſt, ſi foris eſt, & intus non eſt. Quia ergo intus & foris eſt, quia eadem ſplendet in corpore, eadem fulget in mente, omnis gloria intus eſſe ſentiri conuenienter poteſt.* Quid pulchrius dici potuit? Solum id age, quod Sanctus de virginitatis honore, id tu de quacumque alia naturæ humanæ gloria, ſpecioſitate, nobilitate dictum habe. Etenim & omnis regalis naturæ nobilitas ab intus eſſe perhibetur, & ſimul in extrinſecis ſimbrijs aureis, veſtituque variegato. Cur ergo omnis ab intus dicitur, ſi foris manet veſtis ſplendor aureus. Equidem totus internus eſt ſplẽdor veræ gloriæ & nobilitatis, quando qui extrinſecè apparet ſplendor ornamentorum, cum intrinſecis conuenit virtutibus animi. Quia ergo intus & foris eſt, quia eadem gloria, eadem ſpecioſitas, eadem nobilitas fulget in mente, eadem ſplendet extrinſecùs in corporeis ornamentis, omnis gloria in- *Ennod.* tus eſſe ſentiri conuenienter poteſt. Per hanc intrinſecam gloriam metiebatur D. Ennodius regium ſplendorem in Panegyr. Theodorici, dicens: *Quid cultu laborant, qui cupiunt peregrinam obtinere pulchritudinem? Italiæ Rector in ira ſine comparatione fulmineus, in lætitia ſine nube formoſus. Feriato ore Legatis gentium, aut pacem blanda promittit effigies, aut bella terribilis.* Et ſanè regius ſolùm eſt ſpendor, qui ab intrinſeco eſt; adeò vt de ſanctiſſima Helena Conſtantini matre, in regiũ ſublata torum, hanc reddat rationem Berengoſius, libro primo de inuentione Crucis, cap. ſecundo, fatus: *Quoniam interuæ pietatis, & externæ pulchritudinis iſta inſtructa eſt norma, vt & Deo placeret in anima, & Conſtantino in forma.*

§. XVI.

## §. XVI.

### *Christus Dominus in Thabor quasi nobilis tyro vestem accepit albam, quam ipse rebus egregiè factis purpurascenti exornet textura.*

TRitus Romanorum mos nobiles iuuenes vt ad bellum initiaret, alba tunica & simplici induebat, vt illam postea rebus egregiè factis, gestis strenuissimis, nobilioribus fulgentioris purpuræ radijs illustrarent ipsi, atque depingerent. Hanc in Thabor adolescens secundus Christus albentem niueamque vestem induit, quam purpurascentibus mæandris exornet in bello, auro obtegat, & gemmis nitidissimis illuminet. Igitur quàm fuerit hæc alba, & simplex vestis illuminata à Christo suis strenuissimis gestis, ponderat Augustinus, sermone 178. de tempore: *Asdecendebat enim cruoris rubore perfusus à trophæis victricibus laureatus. Viderunt, cœlites cuncti speciosum vulneribus Christum, spolia castris tyrannicis reportata, & admirantes fulgentia diuinæ virtutis vexilla, talibus concrepant hymnis, deducuntque lætantes: Quis est iste Rex gloriæ?* Quam citò nobilis adolescens Christus albam exornauit vestem! illamque adeo fecit purpurascere, vt regium præferret decus cœlestibus ciuibus! Meritò Diuus Gregorius Nazianzenus oratione 2. in Pascha, vnā hanc vestem contendit exhiberi, quā mirentur cœlites cuncti, sic enim loquitur: *Stollæ corporis passi pulchritudinem ex aduerso profer, quod per passionem exornatum, ac per diuinitatem, qua nihil pulchrius exornatum est.* Vna in strenuo & nobili adolescenti vestis spectanda, dum niuea est, nihil præter spem ostendit, cùm purpureis iam rutilat maculis, cùm intertextis effulget mæandris nil adolescenti gloriosius. nil pulchrius. Nobilem quam in Thabor accepisti, ò Christe, vestem, niuea erat, & simplex tela, vnica spes orbis terrarum, prudenter illam in secreto montis induisti, quasi tuam virtutem dedeceret vestis adhuc alba. Sed cùm Caluariæ montem pertransis, ne abscondas, sed vel cœlo spectanti, stolæ corporis passi profer pulchritudinem, egregiè purpurascenti passione contextam, & ambitiosè exornatam. Sanè vt Nazianzeni Scholiastes Nicetas explicat: *Formosa est ipsius stola, hoc est, perpessum ipsius corpus, partim ob passionem, per quam glorificata est. partim ob diuinitatem, per quam illustrata est.* Et diuinitatis aurum, & passionis purpura verè gloriosam &, illustrem fecerunt stolam, qua indutus Christus Dominus triūphauit. Hinc Abulēs. in Matth. cap. 17. quæst. 10. ait: *Christus non transfiguratus est ad habendum in se veritatem gloriæ corporis; sed ad ostendendam imaginem gloriæ.* Etenim tunc solum vestem induit albam, & quasi fundamentum, seu primum stamen, aut simplicem telā ostendit, in eaque gloriæ delineationem, & quasi adumbrationē quandam, quam postmodum nobilioribus fulgentioris purpuræ radijs illustratam, & verè gloriosam efficeret profuso sanguine. Hancque mirantes Angeli præ stupore dicunt, Isai. 63. *Quis est iste qui venit de Edon tinctis vestibus de Bosrra? Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine virtutis suæ?* Sic ex stolæ purpura multitudinem virtutis eius admirantur.

*August.* *Nazian.* *Nic.* *Abulens.* *Isai. 63.*

## §. XVII.

### *Vnus Christus, è sublimi potestatis & dominij culmine totus elucet & irradiat.*

QVIS non sublimi constitutus labat? Quis nitido potestatis solio etiā Sole pulchrior non eclypsim patitur? Et verè, & prudenter Diuus Bernardus in proemio ad vitam sancti Malachiæ ait: *Quem mihi ostendas vel de illorum numero qui videntur dati in lucem gentium non magis de sublimi fumantem, quàm flammātem?* Vnus Christus in sublimi omnium creaturarum imperio totus illuxit animo & corpore, facie & vestibus, sine fumo flammauit, rutilauit. Quęuis alia creatura in sublimi potestate constituta quantumuis illuminata, etsi mille fulgoribus conuestita, aut corrupta, & euanida, aut saltē fumabit. De re nota nolim longa texere cōmentaria, id dixerim quod inquit Rupertus libro secundo de Victoria Verbi Dei, in titulo capitis 13. *Nouerat Deus, non posse princi-*

*Bern.*

*principatum creaturarum humiliter ſuſtineri, niſi à verbo incarnato.* Vnus Chriſtus Dominus in ſublimi creaturarū imperio nec labauit, nec fumauit, nec euanuit. Id quod vt experientia ipſa doceret, nobiliſsimū cœleſtium ſpiritum Luciferum præfecit Angelis. Adamum hominē Dei manibus fabricatū hominibus. Quid plura? Rupertus cap. 11. *Illum in apice celſitudinis Angelicæ conſtituit: iſtum patrem multitudinis hominum, multitudinis Sanctorum, & Dei filiorum eſſe voluit, & in paradiſo collocauit. Nimirum magna vtriſque celſitudo, illius in principatu Angelico, iſtius in propagando genere humano. Neuter pondus tanti honoris humaliter ferre potuit, vt posè vterque creatura.* O quot humi clari & prælucentes viri, dum in ſublimi poteſtatis ſederunt loco, euanuërunt vt fumus! Ideò Dei Verbum carnem ſubit, quia ſoli illi debebatur creaturarum imperium, in quo lucidiſsimo ac fulgentiſsimo Sole tabernaculum fixit ſuum vniuerſa creatura. Patriſſauit ſanè Ieſus etiam in Imperio creaturarum, vt Deus de Deo, lumen videretur de lumine Aliter ille de quo dicitur 1. Reg. 13. Filius vnius anni erat Saul. Vbi Petr. Damian. epiſt. 41. *Qui tunc erat ex humilitate filius, poſtmodum per ſuperbiam factus eſt ſeruus.* At Ieſus in quouis Imperio manet ex humilitate Dei filius.

*Ruper.*

## §. XVIII.

### *Igneus Prælatorum zelus, vt pietate temperandus.*

IS eſt aliquando zelus legis, quo Principes, & Prælati inflammati vehementer excandeſcant in ſubditos; at quiſquis ſapis, ſic zelo inflāmeris, vt zeli ardorē, de niueo pietatis theſauro noueris temperare. Non enim vanè flāmanti de Solis radijs, faciei Domini, additur veſtis, vt nix candida, niſi vt diſcant Prælati, quòd inter radios, & niues temperandus ſit zelus eorum, qui velint homines gubernare. Quis Elia ardentior? Quis flāmantior? Sanè zelo accenſus nubes clauſit, vt negata pluuia, vniuerſi perirent fame; neque illum ab hoc conſilio, ingens populi ſtrages reuocauit. Tandē 3. Reg. capit. 17. paupercuſæ viduæ voce cōmotus, ſeſe flectit ad miſericordiam, viduam & filium ſaturans. Quo circa D. Ephrem oratione in Sanctum Eliam, ſicut fatur. Reſpice, ac vide Elia, quanta hominum multitudo interierit, ſenum ac iuuenum, infantium ſimul, & matrū. Cerne lachrimas totius terrarum orbis: quo pacto lugentes concidant pluuiam depoſcentes: *Propter vnam ſolam mulierem lachrimantem ob cauſam filij ſui, videris velle eſſe miſericors: mundus verò lugens ac mœrens lachrimatur: tu id cernis, & omnia pateris interire. Noui quòd zelo accenſus, diſciplinam intuleris, ſcio, Elia, non eſſe tui ſimilem.* Vbi gubernatoris diſciplinam tradit, & niues, & ignes oſtendit. Ad gemitus pereuntis populi non flectitur; ecce ignes, quibus ardet: ad pauperculæ vocem totius abit in miſericordiam, ecce niues, quibus ardorem temperat zeli. Non placent flāmantes vultus, ſine niue veſtimentorum: immensè flāmabant illi, de quibus Threnor. 3. dicitur: *Manus mulierum per miſericordiam coxerunt filios ſuos.* Quæ verba ſic explicat Diuus Paſcaſius libro 4. *Illi quaſi per miſericordiam filios decoquunt ſuos, qui culmine regiminis ſublimati, zeli flamma vrunt animas natorum, dum nimis iuſti ipſi videri cupiunt, & dū per tyrannicam poteſtatem eos excruciant, quaſi per miſericordiam eos zeli flamma decoquunt.* Tyrannidi proximus zelus eſt, qui pietatis niue neſcit tepeſcere, imò refrigeſcere aliquando. Apud Lucam capit. 16. villicus ille à domino laudatus, non ſine dominicæ facultatis iactura, debita largè agricolis remittebat, cuius æſtū tractans Theophilus Antioch. lib. 3. cōmentar. in Euangel. ait: *Hanc comparationem Saluator villico iuſtitiæ, id eſt Epiſcopis dedit, vt quomodo domino ſuo fraudem fecit, vt haberet vnde poſtea viueret; ita Epiſcopi non omnia peccata vlciſci debeant, ſed locum pœnitentiæ reſeruare eos conueniat cùm præſertim ipſe Dominus dixerit, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur à vita ſua, & viuat. Ideò autem laudauit Dominus fraudatorem domini ſui, vt eius ſequentes exemplum, non omnia debita exigamus.* Sanè Sol minutiſsima quæque manifeſtat, nix etiam magna operit ſtercora. Sic ergo ſe componat Prælatus, vt inter niues & ſoles incedat, ſic zelo accendatur, vt ſciat aliquando frigeſcere. Sic Deus poſt vindictam diluuij fatur, Gen. 8. *Nequaquam vultra maledicam terræ propter homines.* De quo Diuus Ambroſ. libr. de Noe cap. 22 ait: *Vindicauit ſemel ad timorem pepercit in reliquū, ne dominaretur ſemper amaritudo peccati: ſimulque ſi quis peccata*

*3. Reg. 17.*

*D. Ephr.*

*Threno. 3.*

*Paſcaſ.*

*Luc. 16.*

*Theoph. Antioch.*

*Geneſ. 8.*

*Ambroſ.*

*tata cupiat sæpiùs vindicare, asper magis quã censorius habetur.*

## §. XIX.

### *Vestimentorum mollicies fugienda his qui Christo nomen dederunt.*

VEstimenta non croceo fulgida, non picturis elaborata, sed alba sicut nix dicuntur; nec flammanti Saluatoris formæ aptiores adhiberi possent vestes, quàm niueæ adhibentur. Radiat Christi facies, ardentissimosque vndequaque radios fulgurat. O! fugiat qui non habeat vestes niueas. Ita meditabatur Diuus Isidorus Pelusius libro 1. epistola 74. dicens: *Eos qui mollia indumenta gerunt, in Regum domibus versari docet Lucas. At huiusmodi vestimenta spiritualiillo thalamo, fulgoris in modum rutilante minimè digna sunt. Quãobrem si huius desiderio teneris, vilem Dei nostri Iesu vestitum imitare. Nam mollicies præsentis lasciuiæ est, non cœlestis splendoris.* Appositè ad cœlestium splendores sustinendos, niueis iuuemur ornari vestibus, hoc est, vilibus & duris amiciri, si Christi Domini coronas æmulari volumus. Nulli non sunt dæmnosæ præciosæ vestes: quod animaduertit, Diuus Synesius libro de Regno, fatus: *Ita ergo sentio; nihil olim aliud tantam Romano imperio perniciem attulisse, quantam in imperatore prope scænius ornatus, cultusque corporis.* Quod si in domibus Regum exitialis fuit vestiũ cultus, quis è seruis Christi peæsumat securus gloriosè vestiri? De hoc latiùs lib. 4. cap. 3. paragrapho 20.

*Isidor. Pelus.*

*Text.* Et ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes.

## §. XX.

### *Concordia & vnio inter antiquos & recentes Dei Ministros maximũ emolumentum parit Reipublicæ fidelium, & sibi ipsis.*

DIuinissimè, & sapientissimè Deiverbum hominum illustraturus animos doctrinæ suæ radijs, vetustissimos, & principes diuinæ legis ministros, cum nuperis & recentibus Apostolis in Thabor cõiunxit, & adunauit. O quanto mundi bono antiqui, & recentes Dei ministri conueniunt inter se, mutuaque charitate, & communione copulantur. Hoc præuidens Regius Vates aiebat: *Educens nubes ab extremo terræ fulgura in pluuiam fecit.* Etenim nubes quandoque coeunt, & maximè inter sese densantur, tunc incensura mundum flulmina iaculant. Accipite Origenem homilia 5. in Hieremiam cap. 10. pulchrè hæc Psalmi verba ponderantem. Aiunt naturalium scrutatores, quia fulgura ex nubium collisione generantur, in morem silicum duorum, quos cùm comploseris sibi, medius ex his elabitur ignis; atque ita cum fulgure pariter & tonitrua mugire, tonitruo scilicet sonitum indicante concussum, & fulgure excusi luminis claritatem: *Si intellexictis exemplum, considerate nunc nubes rationales, Moyses nubes erat, Iesus Naue nubes erat, isti si secum loquantur, ex sermonibus eorum fulgura micant. Hieremias, & Baruch nubes erant, sermocinentur inuicem, & videbitis rutilare fulgura. Paulus, & Siluanus duæ nubes in vnum conuenerunt, & ecce totum mundum epistolæ eorum fulgore illuminant.* Inter se conueniant, conglomerentur nubes euangelicæ & vniuersam terram lumine rigabunt. Qui principem, & excelsum in prædicatione locum antiquitùs tenent, conueniant in vnum cum nuperis & recentibus, sermones inter sese concordi, & vnanimi conferant studio, & mille lumina parient, quibus totus ardeat orbis terrarum. Acutiùs adhuc Diuus Augustinus examinat illud Psalm. 71. *Suscipiãt montes pacem populo, & colles iustitiam.* Expende discrimen, montes iubentur pacem vt populo perutilem adamare, colles iustitiam. Quære ergo, ait Augustin. montes pacem, & colles iustitiam? An fortè nihil interesset, etiam si ita diceretur, suspiciant montes iustitian populo, & colles pacem? An potiùs cum distinctione non contemnenda intelligendum est quod ait, montes pacem, & colles iustitiam? *Excellentes quippe in Ecclesia pacem debent vigilanti intentione consulere, ne propter suos honores superbè agendo schismata faciant vnitatis compage disrupta. Ideò dictum est, suscipiant montes pacem populo. Dicant quidem, numquid Paulus pro vobis crucifixus est? Aut in nomine Pauli batizati estis? Ille quoque non dicant, ego sum Pauli;*

*Orig.*

*Psal. 71.*

*Psal. 134.*

ego

*ego autem Apollo; ego verò Cephæ; sed Omnes dicant, ego sum Christi.* Hoc ab Ecclesiæ ministris vnicè exigitur, ab illis in quam, qui celsiorem, & illustriorem locum tenent, vt pacem almam, & concordiam colant. Nil populo magis vtile, quã pacem inter sese præstare possunt principes Verbi Dei ministri. Honorem, dignitatem, & omnia paci postponere iubentur, & summa inuigilare cura, ne cuius prætextu in popularium animis diuisio fiat: omnes Christi sint, si quidem pro omnibus mortuus fuit vnus Christus, non Petrus, non Paulus, non Benedictus, non Augustinus, non Dominicus, non Franciscus, non Ignatius. Quam pacem, & vnitatem ministrorum adeò celauit Rex omnium Christus, vt inter rabidas Phariseorum iras, inter furentes carnificum manus maximè hoc vnum caueret, vt corpus suum maneret omni ex parte integrum, ne membra mystica sua diuisionis alicuius pretextum sumerent. Id quod notauit D. Athanas. de incarnatione Verbi, inquiens: *Quocirca neque Ioannis mortem Dominus sustinuit, capitis truncatu, neque sicut Isaias serra dissectus est, vt & in morte sine mutilatione integrum corpus seruaret, & causa subderetur ijs, qui Ecclesiam in partes cupiunt discindere.* Nulla causa, nullus prætextus manet, quo membrorum Dei sit diuisio, sed summa potiùs illorũ vnio, & concordia, qua benefici erunt in vniuersum mundum, sibique maximũ emolumentum acquirent. Etenim de tribus illis pueris in caminum ignis à Rege Babyloniæ coniectis. Daniel. 3. pulchrè ait Diuus Zeno sermone 4. *Immissis camino ignis exæstuans detulit, vt eos vnius virtutis esse præsensit.* O quantum honoris euãgelicis ministris deferent mortales, dum vnius virtutis nos esse præsentiant: dum vna nos videant ardere charitate: dũ vnanimes, & conformes nos cernant prosilite in Christi aream.

*Athanas.*

*Zeno.*

## §. XXI.

### *Nulla re magis de morte triumphabimus, quam si inter gaudia, & delitias de illa sermones habeamus.*

CChristum Regem gloriæ perfusum video, iuxta quem Moysen, & Eliam simul, & Apostolos tres contemplor incredibili affectos gaudio, & loquentes inter se contemplor: quid medijs his delitijs loquebantur? Qui inter gaudia, & delitias tantas sermones erunt? Eos explicatius Mathæus enarrat: *Loquebantur*, ait, *de excessu*, nimirum de morte à Christo Domino subeunda medio in Hierosolymitano agro. Proh Deus immortalis! Onerosi consolatores sunt isti, siccine interrumpenda gaudia sermone tristi? Siccine pungendus Domini animus ea hora, quam suæ gloriæ ostentandæ deputauit? Sanè nullum tunc sermonem Heros inuictissimus acciperet gratiùs, nihil magis nos faciet de morte triumphare, quam si inter gaudia de illa sermonem miscamus. Vt cœlestis sponsus pulcherrimæ amasiæ nobis præficeret imaginem, sic ait. Canticorum 1. *Equitatui meo assimilaui te.* Deus bone, quid cum equo commune haberet delicatissima sponsa? Qualis est hęc pulcherrimæ virginis, & equi comparatio? Eius vim & elegantiam vt exponeret Diuus Gregorius Nissænus, alia continuò addita verba sponsi examinat, nimirum, *collum tuum sicut monile*, & hæc cum primis componens ait: *Nomine monilis orbis notatur, cuius figura, in equi generosi ceruicem pulchrè incuruantis, collo commonstrata equum speciosiorem reddit. Et dum equus ceruicẽ sic moliter flectit, pedũ incessũ aspiciet, qua ratione consequitur, vt sine offensione, & tutò figat vestigia, currat, & saltet.* Hoc generosis equis solemnissimũ est, & maximè singulare, quòd vbi speciosiores exultant, vbi elegantiã, & pulchritudinem suam ambitiosiùs præferunt vbi gloriosius agũt, rotata crine, cõuersoq; ad pectus ore, præ oculis puluerulentum pedum incessum habent, quo sine offensionis metu, tuto & fœliciter cursum transsigunt. Hęc item diuinæ sponsæ laus maxima, quòd vbi delitiosiùs agit, vbi maiori exsuperat gaudio, inter exultandum, inter glorias præ oculis semper mortalis vitæ exitum habeat; quo fiet, vt tutò & intrepidè ipsius mortis præcipitium transeat Rursus de equis in certamina edomandis ait Ælianus lib. 16. de animalibus, capit. 25. *Ne armorum fremitum, & gladiorum ad clypeos resonantium crepitus equi extimescant, eos ad strepitum, & sonitum assuescere cogunt, armataque cadauerum simulacra sub ipsum fœnum subijciunt, vt cæsorum in bello conspectum ferre consuescant, ne terribilium metu affecti ad rem militarem inutiles fiant.* Cur equus quantumuis generosus cæsa, & sanguine taboq; manantia cadauera non expaues-

*Cant. 1.*

*Nissn.*

*Ælian.*

paueceret? Cur horribilium adeò rerum conſpectum non fugeret? Sed omnis hic metus & horror procul aberit, dum inter ipſos cibos ſimilia ſpectra, ſanguineque madentes galeas ſubijcias. O quã ad equorum morem ſeſe edomare debet quiſquis horrendã mortis ſpectra contemnere cupiat. Fac, vt inter cibos, inter gaudia, medijs in vitæ glorijs, & lætitijs præ oculis habeas mortale ſpectrum, voraciſsmos vermes, frigidos cineres, nigrum ſepulchrum, ſeuerum iudicium, æternum ignem, tormentorum cumulum, quo vitæ curricula tutiſsimus, & animoſus conficies. *Chryſ.* Meritò exclamat D. Chryſoſtom. homil. 51. in epiſtol. ad Reman. *Vtinam in prandijs & balneis, imò & vbique de gehemna diſputatum eſſet, neque enim mœrone effecti eſſemus in vitæ huius malis, neq; in bonis illius delitiati, lætatique fuiſſemus. Continuos itaque ſermones de futuris malis verſemus, non enim ſinet in gehennam incidere, gehennæ meminiſſe.* Nullus ſanè inter gaudia vtilior, & gratior ſermo, quam ſi de mortis exceſſu loquamur, vt hinc poſſimus ſtrenuè, & generosè mortem obire. Nulla res ſic beat humana gaudia, mundiales delicias; nihil ſic frenat, & honeſtat voluptates, ne noceant, quàm vel memoria mortis, vel elaboratum medijs illis ſepulchrum. Iſaias cap. 1. ſic nociuas hortorum delitias capit. *Iſai.* *Erubeſcant ſuper hortis ſuis, quos concupierunt.* Eu horti, eu florida nemora, eu paradiſi terreni, quot laqueos, quot mortes hominibus propinaſtis? Nihilominus pijſsimus religioſiſsimuſque Eccleſiaſtes ſibi de pulcherrimis hortis gratulatur, dicens: *Feci mihi hortos & paradiſos.* Quis hoc crederet? Quis ad laudem religioſi viri delicioſa ne mora, paradiſos pulcherrimas traheret? Vnde laus, è delicijs? Id exprimit Diuus Baſilius ad data Iſaiæ verba, afferens modò dicta Eccleſiaſtis fatus: *Baſil.* *Proinde benedicitur hortus, in quo monumentum eſt, quod temporariam excepit diſpenſationem mortis in corpore Domini.* Si tibi inter paradiſos, inter delicias, inter voluptatum illices, infixum ſepulchrum, iufixum mortui monumentum, & nullum timebis in ipſis paradiſi delicijs nocumentum, nec maledictum. Accint eleganter Petrus Damia- *Pet. Dam.* nus epiſtol. 114. inquiens. *Non eſt libidini diuerſorium, in qua verſatur mente ſepulchrum.* Quippe ad expugnandum totum libidinis principatum, ſeu tyrannidem adeò valet mortis memoria, vt aduerſus voluptatum idolum vnico certet Dominus Moyſis ſepulchro. Deuter. 34. de Moyſis ſepultura dicitur: *Sepeliuit eum in vale Moab contra Phogor.* Nonne Phogor, Priapus eſt Hebræis? Equidem Priapus eſt libidinum pater, contra quem vnum Moyſis ſepulchrum obijcitur, teſte Hier. lib. 1. in Iouin. dicente: *Sepulchrum eius poſitum in valle deſcribitur contra domum idoli quod proprie libidini conſecratur.* Quaſi vel ſepulchri aſpectus valeat, ſcaturientes omnes voluptates frenare. Ideo rectè prouidit Deus quod homo qui nudus & inermis naſcitur, ſine vnguibus, ſine dentibus, non naſceretur ſine capillis. Qui capilli proficiunt? Niſſen. de vita Moyſi ait: *Pili mortem oſtendunt.* Ergo vbi omnia arma negantur infanti, & vngues, dentes, prò omnibus capilli adnaſcuntur qui morteè obijciẽtes fatus ex tunc humanos poſsint frenare. Do Diuus Syneſium in encom. Caluitij ſic dicentem: *Ne homo arrogantius inſoleſceret ſi nulla ei eſſet cum perituris rebus ſocietas; aliquot fui partibus pilos habet. Vitæ ſiquidem carent hij & viuentibus vitæ expertes adnaſcuntur.* Ne ante ſuggamus vitam, quam mortis memoriam.

*Tex.* Reſpondens autem Petrus dixit ad Ieſum, Domine, bonum eſt nos hic eſſe.

## §. XXII.

### *Propter exigua & valde parua bona æternorum bonorum ingentem magnitudinem liuquimus.*

NON ſolida Chriſti gloria; ſed gloriæ guſtus Petri animã ſic adimplet, vt præ hoc præſenti guſtu immenſas cæleſtium glorias vel linquat vel non meminerit. Proh mortalis homo! quibus micis impletus cœleſtis menſæ dapes faſtidis. Ecce tibi ruſticus ille apud Lucam cap. 14. quo ſe à cœleſtum arceat conuiuio: *Iuga bonum*, ait, *emi, & eo probare illa.* Pulchrè Auguſtin. ſermen. de Verbis Domini expendit illud eo probare: *Non ait paſcere; ſed probare.* Nihil eſt in cunctis mundi bonis; niſi boni guſtus, & præ vnius boni guſtu dapifera cœlitum menſa à mortalibus linquitur. Miſerè plãgebat ille terrenorum hominum Princeps

ceps Cain ſe præſentis vitæ vſura carituru: *Omnis qui inuenerit me occidet me.* Quod ſi hic ſecurè & tutò permitteretur aliquandiu vitam ducere, de æterna, & fœliciſsima vita beatorum nihil curat. Hinc D. Bernar. ſermon. ſuper Ecce nos. *Occidẽdum ſe ſe cauſabatur in fœlix tanquam pro magno beneficio habituros, ſi prohiberetur occidi, quod & factum eſt. Conſolationem miſeram obtinuit, quam quærebat, & oblitus eſt conſolationis maximæ, pro qua multo ſtudio ſuo ſuplicare oportebat.* Ecce tibi quàm tenui & fragili conſolatione impletus æternarum conſolationum cumulum faſtidit. Vereor, ne ab inſcio & rudi Petro ſimilis affectus ſcaturiat dum gloriolæ corporeæ guſtu ebrius præ illa nihil aliud curat. Quid ais, Petre, bonum eſt hic eſſe? Cur impleris adeò tenui cibo? Hic verè non eſt aliud, niſi ſolum Dei guſtus, ita & tu aliquando fateberis: *Sitamen guſtaſtis, quoniam dulcis eſt Dominus.* Ecce ſumum Dei bonum dum in terra communicatur ſolum tibi conceditur vt guſtes. De æterna ciuitate longè aliter promittitur, vt enim loquitur Diuus Cyprian. ſermon. de Aſcenſion. *Ibi non guſtabunt quam ſuauis ſit Dominus, ſed implebuntur, & ſatiabuntur dulcedine.* Infœlix, qui guttulis his terrenorum bonorum captus torrentem illum ſummæ voluptatis, quo impleri, & ſatiari ſolet obliuiſcitur. Et quidem male petis, ô Petre, dum diuina bona tibi hic dari procuras, non ea eſt magnitudo cœleſtium bonorum, quæ hic ſuſtineri poſſet, ideo melius reſeruatur in futurum. Ingentium bonorum promiſsionem factam priſcis patribus, inde exaggerat Diuus Paul. ad Hæbr. capit. 10. quod minime hic data ſit illis. Quando ait: *Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſsionibus, ſed à longe eas aſpicientes & ſalutantes.* Ecce tibi commendat Paulus ſanctiſsimorum Patrum ſortes, quod exceſſerint non accipientes hic repromiſsionem. Sed cur cõmendabile eſt quod non acciperẽt repromiſsionem? Non ne melius eſſet, ſi accepiſſent? Plane parua ſunt quæcunque hic accipi poſſunt vnde, quibus parantur, imo debentur magna & ingentia non hic dantur ſed futura in ſæcula differuntur. Qui in humanis ſtadijs victor eſt ſimul præmium accipit, & fert ſecum, quando nimirum premium, vel anuli circulo clauditur, vel aliquod vas eſt parui ponderis: quod ſi accideret præmium eſſe ingens aliquod pondus auri vel argenti, quod ab vno homine ferri non poſsit, niſi binis vel ternis bonum iugis ad hibitis, tunc non ſtatim ferretur, ſed abiret victor vacuus ve poſt aliquod tempus, domi præmium accipiat. Vides vt magnitudo præmij, neceſſeriam dilationem inferat? Recte ergo Paulus gratulatur his qui hic non poterunt recipere repromiſsiones, quando dilatio hæc præmij magnitudinem indicat infinitam. Iam in præſenti adducendus eſt D. Chryſo. qui orat. in S. Iulian. ait: *Cur externis quidem ac prophanis athletis ſimul obueniunt & victoriæ & coronæ: pietatis autem athletis non ſimul & victoriæ, & coronæ, ſed tantum poſt temporis interuallum? Quod maioribus eos ornare honoribus vellet, munus diſtulit: non enim vitæ præſentis natura magnitudinem honoris illius cap. caducum eſt præſens tempus ac breue; infinitum illud immortale & æternum.* Male ergo nouit magnitudinem cœleſtium bonorum, qui illa modo in præſenti obtinere amat, longe peius agit qui præ illis cæleſtibus de his quæ in terra haberi poſſunt, procurat impleri paruitatibus. Quam paruis poculis plenus Petrus dicebat bonum eſt nos hic eſſe, cuius imperfectionis reus ille etiam erat mendicus apud Luc. 16. *Cupiens ſaturari de micis quæ cadebant de menſa diuitis.* Expendo id de quo ſaturari cupiebat, videlicet de micis. Quis ſanus de micis expectaſſet ſaturitatem? Sane iuſte fameſcit, qui ſolum micas nouit deſiderare. Pulchre Diuus Petrus Dam. ſermon. de S. Alexand. ob hoc mendicum pungit aiens: *Lazarus non modo parum quid accipere, ſed & ſaturari, ſicut veritas perhibet, cupiebat, cui tamen alimenta nemo miſericorditer indulgebat.* Sic fame pereant neceſſum eſt qui dimiſsis cœleſtibus, his micis inhiant bonorum temporalium.

1. Pet. 1.

Cypr.

## §. XXII.

### *Quicquid deprauata voluntas exſe petit excidium eſt, ruina eſt.*

SVſpectum nobis ſit quicquid creata voluntas ſibi, proprio iudicio nitens, præſumit, nunquam enim aliud quærere ſciuit, quàm ſui ipſius ruinam & excidium. Accipite Petrum in Chriſti edoctum diſciplina ad Apoſtolatus culmẽ euocatum, is ſplendentis gloriolæ captus inquit: bonum eſt nos hic eſſe. Ad hæc B. Ephem *Ephre.* oratio. de Tranſiguratio. inducit reſpondentem Chriſtum: *Sibi hic manſerimus quæ*

*dixi*

*dixi tibi quomodo fient? Quem ligabis? quem solues? cessabunt omnia.* Hæccine est creatæ voluntatis petitio, & appetitio, nullũ creaturæ maius excidium fieri potest, quã si id quod ipsa sibi petit, fiat. Lucifer ille qui mane oriebatur, qui creatus erat in delitijs Dei sui, qui summum Angelorũ culmen attigerat, cùm suæ commisit vo-
*Isai. 14.* luntati, quid desiderat? Isaias canit. 14. *Dicebas corde tuo, in cœlum conscendam super astra Dei exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis.* Ad hæc vt acutè sic verè D. Bernard. illud
*Bernard.* in lateribus Aquilonis expendit serm. 17. in Cant. *Tu tibi miser sedẽ collocas in Aquilone plaga nebulosa & frigida.* Quasi diceret, vide miser quid petas, animaduerte quod appetit voluntas tua, in splendoribus sanctorum à Deo constitutus es, inaccessibili diuinitatis lumini proximior crearis: & tu dignam sanè tui sedem petis nebulosam, & caligine plenam Aquilonis plagam. Omnis tua ruina, omne excidiũ, & damnum tuum nullum est aliud, nisi quod petitionem tuam & desiderium tuũ impletum habes. Post hunc me summè concutit excidium illud Hierosolymitanum, non quod Romano militi succũbuerit illa florentissima, & inuictissima ciuitatum: sed quod tanto milite cinctã extrinsecus & durissimo crebroque ariete impugnatam; intrinsecus domestici seditiosi illã penitus dissiparent. Quid mirũ? obtinuit quod ipsa postularat? hæc fuerat eius voluntas, hæc ardens ipsius postulatio cum reiecta Christi Domini pace, seditionum authorem Barrabam sibi petiuerunt dari. Ita
*Ruper.* Ruper. lib. 1. in Hierem. cap. 88. *Proprijs seditionibus diuisos inseruire permisit eos, & meritò quia data sibi optione seditionis authorem dimitti sibi petierunt, Regem autem suum pacificum occiderunt.* Sibi Regem pacis habebant oblatum, at illi proprio raptati desiderio seditiosum & homicidã virum expostularunt, & ideo iuxta voluntatis suæ petitum seditionibus dilaniantur. Accinit D. Athanas. de
*Athanas.* Pass. aiens: *Ignorabant in expetendo Barabbam, & in occidendo Dominum, quod ipsi vitam Barabbæ acturi essent; futurumque esse, vt cedes ac seditiones inter ipsos magis, ac magis increuescerent.* Quis maius excidiũ miseræ ciuitati potuisset cogitare, quàm hoc quod ipsa sua sibi præoptauit voluntate? Eiusmodi sunt bona cuncta quæappetunt voluntates creatæ, quæ cùm habeant miserè perimantur. Pro filijs suis Zebedæorum mater a Christo Domino enixè contendebat Matth. 20. *Dic vt sedeant duo filij mei, vnus ad dexteram, vnus ad sinistram in regno tuo.* Quid petis mulier? Sinistrã Dei charissimo pignori exoptas? *Chrysost.* Pulchrè D. Chrysost. Christum adducit respondentem: *Non scitis, quid petatis: ego vos vocaui ad partem dextram de sinistra: & vos vestro consilio curritis ad sinistrã.* Adeo in sui perniciẽ grauitant & propendent ex se voluntates creatæ. Hinc vide, quã meritò à Marco, & Luca ignorantiæ Petrus in præsenti accusatur, quandoquidẽ ad culmen Apostolicum vocatus propio consilio in vocationis suæ detrimentum grauitat dicens bonum est nos hic esse, quod si obtinuisset, maximum inde damnum reportasset. *Matth. 20.*

## §. XXIII.

### *Ne Dominum voluntati nostræ seruire velimus, sed nos potius eius subdamus voluntati, si tutò & secure viam facere exoptamus.*

AVdio Petrum dicentem: *Domine, bonum est nos hic esse*, & non me contineo, quin referã illud acumen Augustianum, quo alias Petrus punctus est. Etenim Christo Domino de sua morte verba faciẽti Matth. 16. statim ipse obijt: *Absit à te, Domine, non erit tibi hoc!* Cui pulchrè Au-
*Matth. August.* gustin. Psalm. 55. *Dicis absit, & dicis Domine? vtique si Dominus est potestate facit.* Domino leges seruus minimè præscribere debet, sed expectare quid Dominus velit facere. Sic in præsenti dicis Domine, & dicis bonum est nos hic esse? Vtique si Dominus est, ipse quod bonum erit in oculis suis faciat. Sanè errat seruus, qui suo arbitrio Diuinum præsumit gubernare: sapientior ille qui dicebat: *Deduc me Domine in viam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper.* Psalm. 118. Non ipse locum, quo velit duci Domino præfixit; sed à Domino potiùs exorat locum, & viam, per quã tutò & securè ambulet. Quod adhuc magis explicatur apud D. Ambros. ibi sermon. 5 dum legit: *Deduc me Domine in viam tuarum decretorum, vt eam retineam vsque in finem.* Enim verò, vt Theologicè loquar, Deus Optimus Maximus ab æterno innumeras vitæ semitas præuidit, quibus homines vel perueniebant ad patriam, vel lamentabili *Psal. 118. Ambros.*

præcipitio descendebant ad barathra. Notauit item quibus gratiæ suæ auxilijs per singulas, vitæ semitas singuli efficaciter beabantur. Quibus præuisis statim decreuit de singulis in particulari v. g. decreuit Petro in hac viuendi semita auxilia efficacia, quibus saluus fiat, præstare, in illa Paulo, tota ergo fœlicitas hominis erit si viam illam terat, in qua Deus illi decreuit auxilia dare, quibus perueniat efficaciter ad patriã. Cuius rei sollicitus Dauid veretur sibi viam præscribere, sed à Deo summo Imperatore contendit deduci in viam, quam suis decretis ipse Deus muniuit & confirmauit. Id pulchro exẽplo expendit Diuus Ambros. fatus. *Miles, qui ingreditur iter, viandi ordinem non ipse disponit sibi, nec pro suo arbitrio viam carpit, nec voluntaria carpit compendia, ne recedat à signis, sed itinerarium accipit ab Imperatore, & custodit illud: præscripto incedit ordine, cum armis suis ambulat, rectaque via conficit iter, vt inueniat commeantium parata sibi subsidia, si alio ambulauerit itinere annonam non accipit, mansionem paratam non inuenit, quia Imperator ijs iubet parari omnia hæc, qui sequuntur, nec dextera, nec sinistra declinant, meritoque non deficit qui Imperatorem sequitur suum.* Quid pulchrius? Quid elegantius? Quid etiam magis formidandum ijs, qui suo arbitrio viuendi viam capiunt? Qui eo tendunt, quo feruntur à sua voluntate, & voluptate? Sanè stultissimi militis, imò amentis prorsus esset, qui cum pendeat ab Imperatoris subsidijs, relictis illius signis aliò diuertat, quo necesse est omni carere Imperatoris subsidio & auxilio. Non enim Imperator tenetur omnibus vijs à singulis militibus sibi præscritis commeantium subsidia parare: sufficiet, si parata sint omnia his, qui Imperatoris sequuntur præscriptum itinerariũ, qui voluntaria non captant compendia, qui se omnino committunt Imperatoris voluntati. *Hanc*, finit Ambros. *Legem viandi, Christo ducente, sanctis commeantibus præscriptam velim.* Ille solus inueniet omnia diuina auxilia parata, & præparata incursus mali Angeli eliminatos, praua facta in directa, & aspera in vias planas: qui non sua fertur voluntate, nec sibi ipse compendia captat, mansiones effingit, sed totum se arbitrio summi sui Imperatoris tradit. O quã tutò, ò quã securè is viã aget! O quam certo perueniet in patriã! Aiebat Dominus Ioan. 6. *Eum, qui venit ad me non eijciam foras, quia de cœlo descendi, non vt faciam voluntatem meã: sed eius, qui misit me.* Ad quæ verba acutissimè Eucherius in lib. 1. Reg. cap. 15. ait ponderãs id quod ideo dicat Dominus, se neminẽ foras eiectũrum, quia non venit facere voluntatem suam. Quid enim si suã faceret eos qui ad eum veniunt repulisset? *Quis autem nesciat, quod voluntas filij à patris voluntate non discrepat? Sed quoniam primus homo, qui suam facere voluntatẽ voluit, à paradisi gaudio exiuit: secundus homo ad redemptionem hominum veniens, cum voluntatem se patris, & non suam facere ostendit, permanere nos intus docuit: quia dum exemplo suo nos obedientiæ subdit, viam nobis egressionis claudit.* Enim verò si qua in hac caliginosa vita potest teri via in cœlum recta & cuiusuis ruinæ secura, ea est, qua quis non suam, sed Dei per obedientiam exequitur voluntatem. Meritò enim Eucherius proditionis & egressionis à paradiso ait clausas esse omnes vias ijs, qui voluntate propria dimissa totos sese committunt voluntati diuinæ. Hanc pensat D. Cæsarius Arelat. hom. 4. de Pass. Israelis omnimodam fœlicitatem. *Dux* inquit, *Erat eis beatus Moyses, sed eos in columna nubis, & lucis Filius, & Spiritus Sanctus præcedebat. Hoc loco agnoscamus in primis, quod plebs, quæ Præpositos suos studet audire, Deum sequitur, & per Deum hominem peruenit ad salutem.* Hæc ille.

*Euch.*

*Cæsar. Arel.*

*Ioan. 6.*

*Text.* Si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnum.

## §. XXV.

### *Errat quisquis vltra propriam sphæram prosilire vult.*

VNdenam Petrus faber, qui faciendis tabernaculis operam promittit suam? Ipse piscator erat, ad hominesque expiscãdos à Deo vocatus, & tamẽ oblitus retia ad tabernaculorũ constructionẽ ignoranter prosilijt. Et quã ignoranter? Audite Christũ Dominũ apud Timotheũ Antiochenũ orat. de Cruce & Transfigur. *Quid* ait, *tibi in mentẽ venit Petre? quæ non didicisti facere aggrederis? retia didicisti cõtexere num etiã tabernacula ea ædificare? tibine parebo an mundũ saluabo? Huccine maneam? Quis mundũ redimet? Tui ne solius curã geris, an non totius mundi?* O quam errabit quisquis sutor vltra crepidã? prudens sanè illud antiquitus decantatum consilium.

*Thim. Antioc.*

Bene

*Bene qui latuit bene vixit, & intra*
*Fortunam debet quisque manere suam.*

Vtique nil magis pernicioſum creaturæ, quam extra propriam ſpheram proſilire, & ſui numeris terminos excedere, adeò, vt hunc referat D. Petrus apud Clemen. Rom. lib. 3. Recognitionum, diaboli regni ruinam & perniciem. Enim verò ſpiritus malignus pro innata malitia ſua nihil non pernicioſum mollitur, nec aliquando ſeruit beneficium ſignum præſtare hominibus. At in extremis temporibus à ſe ipſo deſciſcens aliqua præſtabit ſigna ſalutaria & commoda, quo ſui imperij accelerabit ruinam. Sic ille ait: *Iſta ſigna, qui ad ſalutem hominum proſunt, &* Clem. Roman. *aliquid boni hominibus conferunt, malignus facere non poteſt; niſi in fine mundi tantum. Tunc enim admiſcere ei conceditur aliqua etiam de dextris ſignis, ideſt, vt vel Dæmones fuget, vel ægritudines ſanet, & propter hoc tanquam qui exceſſerit terminos ſuos, deſtruetur.* Vbi bona operans extra ſpheram & facultatem ſuam à primis vnguiculis exercitam diabolus exilire vult nil aliud lucratur, quam ſui imperij perniciem. Quid plura? Nec Angelo licet vltra propriam ſphęrã volare ſine periculo, Diuus Ad Galat. Paul. ad Galat. cap. 1. *Si nos, aut Angelus de cœlo euangelizauerit vobis præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Proh Deus immortalis! Cur in Angelos audet homo? Meritò inquit S. Proclus epiſtol. de recta fide ad Armen. Procul. *Miniſtrare namque præceptũ eſt Angelo, non dogma componere. Et periculoſum nimis eſt ſingulis non in his quibus ordinati ſunt permanere ſed appetere velle ſupra menſuram, quæ minimè naturæ conceſſa ſunt.* Quam etiam perniciem Chriſtiano imperio etſi inſcius moliebatur Petrus, dum piſcatoris munere relicto ad fabrilia opera cupit tranſilire. Sapientior ille latro, qui cum nihil tota vita ediſceret præter latrocinia, vt Chriſti regnum acquieret, intra furandi artẽ ſe ſe continuit. Niſſ. Pulchrè id notat D. Greg. Niſſænus orat. de Sanctis, 40. Mart. inquiens: *Quanquam non ſponte ſua latro ad crucem acceſſit, ſed poſtquam propè ſalutem fuit, animaduertit acutus, & ingenioſus fur theſaurum, & nactus occaſionem vitã rapuit arte furandi pulchrè & ſolerter abuſus.* O quã in ſui ſalutẽ ingenioſi latronis expleuit munus, non equidem ad ignota voluit tranſire officia, ſed intra notiſsimæ artis regulas ſe ſe cõtinens non prætermiſſa occaſione totũ ſibi rapuit paradiſum. Vt meritò de illo dicat Auguſt. Auguſt. ſerm. 119. *Quod adhuc in latrocinijs poſitus inuiſibilem Deum Angelicis iam oculis videt.* Equidem profuit illi non relinquere artẽ ſuam, vt abditiſsimum theſaurum reperiret. Nec aliter prudens illa peccatrix Magdalena, quæ tota inſudauerat torquendis colendiſque crinibus, vnguentis conficiendis, quibus volantes animas alliceret, & amatorijs amplexibus, & oſculis irretiret, iam melior facta pulcherrimum adoleſcentem Chriſtum Dominũ vt ſibi ſponſum alliciat, priſtini amoris immemor, ſed memor officij ad crines, & vnguenta, & oſcula recurrit, & oſculis, vnguentis, & crine quaſi aliter neſciret, ſibi copulat Chriſtum: *Quot in ſe habuit oblectamenta, tot in ſe inuenit holocauſta.* Dixit D. Gregor. Magn. in Cat. nõ enim ignota & aliena præſumpſit officia, ſed ex notis ſibi & aſſuetis, quibus voluptati ſeruierat, placitura nititur ſeruire Chriſto. Greg.

## §. XXVI.

### *miſerum eſt à Deo deficere, vt laboribus incumbas.*

FAciamus, ait Petrus, tria tabernacula, vide qua ſe mercede diuinis & cœleſtibus gaudijs priuet, vt operetur, vt laboret, vt plena dolore & anxietate opera tractet. Siccine ſtultiſsimi homines à Deo deficiunt, à iucundiſsimo cœlitũ conſortio ſe elongant, non vt placida fruãtur quiete, vt continuo perfundãtur gaudio; ſed vt ſummis laboribus operam nauent. Perdita illa ouis, & pene iam deplorata Luc. 15. ab Angelorum grege cœleſtes paſcente paradiſos ſeſe eripit & vaſtiſsimum mundi eremum ſui iuris effecta inãbulat Proh dolor! Quo te proripis ſtulta ouicula? Si quidem cœlo liberò gaudes, & voluptati indulges omnia pertranſiens delitioſa prata, & vna omnes florentis ætatis voluptates capis, quam tam dulcis erroris mercedem conſequeris? Prætende voluptuoſæ viæ fructus, recenſe quæſtus an non viribus vales omni labore vacua, tota florida, tota delicijs affluens? Imo illam inuenit Paſtor omni labore confractam & pene enectam. Id ponderat acutiſsime Tertullia. lib. de pœnitencia fatus. Tertullia. *Vna ouis requiritur, vna pro omnibus deſideratur, & tandem inuenitur, & humeris Paſtoris ipſius fertur, multum enim errando laborauerat.* Nec gradũ ipſa poterat facere adeo fracta, vt humeros requireret portãtis

quia multum errando laborauerat. Non vt delitiaretur, à recta in cœlũ via aberrauit; ſed vt laboribus maximis in ſudaret, hac ſe mercede errori condixit, vt enixe laboraret, vt improboſe labore conficeret. Huic ſimilis ille alius apud Luc. 12. ditiſsimus omnibus fortunæ bonis, cũ noctu quieſcendum illi eſſet, ingentem & prope infinitam ſuarum frugum copiam recordatus ſtatim de labore & opera à ſe impendenda cœpit agere: *Deſtruam*, ait, *horrea mea, & maiora ædificabo.* Cui Diuus Baſil. *Atſi hoc impleberis, nunquid deſtrues illud? Quid ſtultius quam infinitum laborare.* Sane nil magis ſtultum & execrandum eſt, quã quod homo à Deo deficiat, à beatitudinis patria ſeſe arceat, vt peregrinis laboribus incũbat, vt prope infinitis curis, & ærumnis angatur, Exod. 12. ſic diuina iuſsio cauet: *Omnis qui manducauerit fermentum à primo die vſque in ſeptimum diem, diſperiet anima eius ex Iſrael.* Ad hæc inſultat Marcion, & audet Deum crudelitatis vitio obſtringere, quando pro re adeo leui, nempe quod veſcatur homo fermentato, morte velit tranſgreſſorem mulctari. Sed hæreticum os claudit Diuus Gaud. tract. 7. in Exod ſic fatus: *Si fermentum fieri iuſſiſſet, diligentia illic neceſſaria fuerat, ne deeſſet: quod iuſſit deſidiæ eſt, non laboris. Negligentiam iubet, vt obedientiam probet, & non vis, vt damnet illam animam quæ diligentiam cõmodauerit, vt contemnat?* Sane quauis pœna fit reus homo ille, qui operi & labori dat operam, vt à Deo ſe arceat.

Luc. 12.
Baſil.
Exod. 12.
Gaud.

## §. XXVII.

### *Generoſi & deuoti animi eſt labori non parcere vt Chriſti lucrum faciat.*

NON poſſumus non recognoſcere ſtrenuitatem animi, & magnitudinem in Petro, dum etſi ignoranter: tamẽ animosè labori ſeſe offert, vt Chriſti lucrum faciat. Ita D. Ambroſ. meditatur in cap. 9. Luc. *Ad exædificanda tabernacula tria impiger operarius communis obſequij miniſterium policetur. Et quamuis neſciret quid diceret: tamen pollicebatur officium, in quo non inconſulta petulantia, ſed præmatura deuotio fructum pietatis accumulat.* O quã optabat lucrari ſibi Chriſtum, qui ſic maturat omnis laboris pretio ſtimare illũ! O quã ſtrenue & generoſe amabat qui nulli parcit labori, vt Chriſtum acquirat. Cõponite modo ardentem Petri affectũ erga Deum ipſum. Petrus ſponte ſua cuiuſcumque laboris pretium exhibet, vt Deum habeat: mundiales homines & laceſsiti, & poſt præconia mille vix audent aliquid pro Deo ſummo promittere. Grauiter id lamentatur Guilliermus Pariſ. tract. de virtutibus, dum inquit: *Quidam Deum diligunt pro modico, & quaſi vile mancipiũ illum taxantes, & quod deterius eſt quantũ pro minori poſſunt ipſum habere cupientes, ſemper multo cariorem reputantes de pretio proquo eis offertur totis viribus minuere conantes, ac ſi periculum immineret in emptione ipſius, ne forte valeat tantum quantum pro eo ab his exigitur.* Et qui per omne nefas voluptates emunt, & honorũ ventos ſudoribus mille, & cruore ipſo, quando de habendo Deo paſciſcendum eſt illis, toti ſunt in pretio minuendo, quanto pro minori poſſunt volentes illum, quaſi taxarent vile & inutile mancipium: *Hiſtultiſsimi atque inſaniſsimi mercatores neſcientes, quia quanto carius Deus venditur, tantum maius lucrum ex eius emptione reporatur.* Quid plura? vanos & meticuloſos iſtos negatiores magnanimus & generoſus Petrus confundit, cum ipſe ingentes quęſtus meditatus nulli parcendum labori putat, vt vnum ſecum habeat Chriſtum. Hanc Petri generoſitatem & deuotionẽ imitatæ ſunt fœminæ illæ quæ Matth. 26. *Emerunt aromata, vt vngerent Ieſum*, quod factum ponderans Diuus Bernar. ſerm. 12 in Cant. ait: *Emunt non vnguentum; ſed aromata, & vnctio in obſequium Domini non facta aſſumitur; ſed noua conficitur.* Sane potuiſſent vnguẽta docte iam condita emere, ne operam & laborem impederent ipſæ conficiendis illis: at deuotiſsimæ & nobiliſsimæ fœminæ optant non labori parcere, ſed omnem ſuam operam & ſtudium offerre Chriſto, & ideo ſimplicia aromata emunt, vt habeant quod amplius elaborent & efficiant.

Guill.
Matth.
Bernard.
Ambroſ.

*Text.* Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida abũbrauit eos: & ecce vox de nube dicens. Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.

§. XXVIII.

## §. XXVIII.

*Non est humani laboris glorioſum tabernaculum facere, ſed illud abſq; laboreſuo, non abſque opere, homo à Deo accipit.*

EFficiendo à ſe tabernaculo facultatem dum Petrus poſtularet, ecce nubes lucida illos obumbrabit, quaſi inde reſponſum Petrus acciperet, quod non laboribus humanis comparari poſsit cœleſte & glorioſum tabernaculum, ſed omnino gratis. Etenim nolo vocare laborem, & ſudorem, id quod momentaneum eſt & leue tribulationis noſtræ, & iuxta Apoſtol. immenſum pondus gloriæ operatur in nobis. Quod gloriæ pondus ſic facit Chriſtianos labores in cœlum leuitare, vt in hoc ſenſu dicam quod ſine labore euolamus in cœlum. Hoc in præſenti meditatur D. Ephrem. *Ecce*, ait, *lucida nubes eos obumbrabit. Vides Simon tabernaculum ſine labore, tabernaculum quod arcet æſtum, & non habet tenebras?* Non enim eſt laboris humani tantum elaborare tabernaculũ quantum hominibus Deus in gloria paratum habet. Dequo Deo gratias referens Moyſes Exod 15. ait: *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis ſuæ firmiſſimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine.* Quæ verba iuxta Septuaginta verſionem, ſic expendit Origen. homil. 7. *In parata habitatione tua, quam præparaſti Domine. Vide clementis Domini bonitatem, non vult te inducere ad laborem; non vult, vt ipſe tibi facias habitaculum, iam te ad præparatam ducit habitationem Audi Deum dicentem in Euangel. Ioan. cap. 4. alij laborauerunt, vos in labores eorum introeiſtis.* Laborent, ſudent alij; nos quos Deus bonus amauit, nullo labore; nulla noſtra difficultate elaboratum & præparatum à Deo habemus in cœlis tabernaculum. Nõ cupit nos Dominus operi inſudantes, vt diuinam habitationẽ laboribus & ſudoribus efficiamus, adeo nobis bonus eſt, vt omni labore leuatos ad præparatum regnũ nos transferat. De fœlici illo mendico dicitur Luc. 16. *Factum eſt autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Vbi acutè ponderat D. Chryſoſt. in Cathe. illud & portaretur ab Angelis: *Ne ſaltem ambulans laboraret, portabatur ab Angelis.* Adeo ſine labore noſtro ducimur, & reducimur ad patriã, vt eo etiam labore paruo, quo afficeremur ambulantes, à Domino releuemur. Poſt diluuij excidiũ, virens oliuæ ramus à colũba portatur in arcã; vnde iuſti viri meditatus fœlicitatẽ Aug. tract. 6. in Ioan. fatur: *Ramus ille & folia, & fructus habebat. Non ſint inteſola verba: nõ ſint inteſola folia, ſit & fructus & redis ad arcam non per te ipſum, columba te reuocat.* Sic ille. Addam illud quod à Luc dicitur de parentibus Baptiſtæ cap. 2. nimirum. *Ambo iuſti apud Deũ.* Luc. 2. Ne enim mireris duos præmiſiſſe iuſtos, facilitatem rei commendans, dixit apud Deum, quod apud homines iuſtum eſſe tanti laboris ſit, vt vix vnus inueniretur, apud Deum autem iuſtum eſſe, adeo facile eſt, vt iuſtorum inueniantur paria. Huc accedit Chryſol. ſerm. 89. fatus: *Placere iudicijs humanis, coram hominibus eſſe iuſtum, eſt virtutis humanæ: maximi eſt laboris: ante Deum qui ſcrutatur corda eſſe iuſtũ, humani laboris nõ eſt muneris eſt, diuini.*

Ephre.

Exod. 15.

Origen.

Luc. 16.

Chryſol.

## §. XXIX.

*Vnus Chriſtus Ieſus fuit, qui nullum laborem Deo intulit, ſed totus gaudium, totus quies, verè filius Patris.*

RAdiante nube, ſplendenti monte, totus lucidus apparet Chriſtus Dominus ideò à Patre commendatus, quod in illo vno & plenum gaudium & placidam quietem habueiſſet. Vnde merito Ruper. colligit Chriſtũ Dominũ eſſe illum ſeptimum diem, in quo poſt exanthlatos labores mundi dicitur Deus requieuiſſe. *Deus*, ait, *illo ſic requieſcit, vt tamen nunquam laborauerit, in homine & in Angelo requieſcit Deus poſt laborem, vt ita dixerim: nullus enim Angelorum aut hominum aliter, niſi per operoſam gratiam Dei habitationi & requiei Domini ſit idoneus. Operatur namque Deus in illis, & ante quam domus vel manſio perficiatur quaſi laborat, vnde ait, laboraui ſuſtinens. At in filio ſuo benedicto ſicut non creauit, ſed genuit, ita nec accidentali dono bonũ fecit, ſed eſſentiali bonitate bonũ ſẽper habuit. In cæteris laborauit, in iſto ſolo nihil vnquã fuit, quod reſiſteret ei. Igitur hic vnus eſt, in quo Deus requieuit.* In quo ſemper ſe Pater complacuit, & cũ peccatores laborare & ſeruire Deum

Ruper.

faciebant indefiderijs ſuis, quaſi labores perteſus ad hunc ſe recipiebat diem Ieſum, inquo omnia placida omnia quieta, iucunda omnia potiebatur. Vnde apud
*Ambroſ.* D. Ambroſ. Pſalm. 40. *Dicit ei Pater filius meus es tu, ego hodie genui te, hoc eſt generationis meæ in te priuilegium recognoſco, quem nulla macula potuit inquinare peccati, hodie genui te, in quo lucem immaculatæ prolis agnoſco, heri mihi & hodie ipſe es, & in ſæculum. Nox in te nulla eſt, quia totus es dies.* O quam filius correſpondebat Patri! O quam dies diei verbum eructabat! Et lumine coroſcabat. Reuertenti filio pater optimus occurrit Luc. 15.
*Luc. 15.* ſed mutus de filij nuditate primum ſeruis ait: *Citò proferte ei ſtolam primam.* Non ſic in hoc filio Chriſto Ieſu obmuteſcit Pater, ſed vt omnia in illo integra, omnia lucida, vt prima immaculati luminis ſtola conſpicit conueſtitum, ſic relictis ſeruis vni filio verba facit hic eſt filius meus dilectus, inquo mihi bene complacui, in
*Iſai. 11.* quo vno ab omni labore, & cura liber quieſco. Optime de illo Iſaias 11. *Et requieſcet ſuper eũ ſpiritus Domini.* Ad quæ verba pulchre Rupert. lib. 12. de Victo.
*Ruper.* Verbi Dei cap. 30. *Itaque ſuper hunc florem Ieſum requieſcet ſpiritus Domini, id eſt propter Chriſtum mitigabis Deus omnem iram tuam, & auertes ab ira indignationis tuæ. Nanquã enim te inquietauit flos iſte, mitis enim eſt & humilis corde.* Hæc ſufficiant de munditie Chriſti adeo conſpicua.

## §. XXX.

### *Vt ſummæ bonitatis, eſt quod filius à Patre agnoſcatur, ſic ſummæ malitiæ, quod filius à Patre condemnetur.*

OVid diuinius, quàm quòd filius Dei Chriſtus à Patre agnoſcitur? Quam quòd poſt aduentum in terram longinquã paternis oculis expoſitus nihil degenerũ; ſed omnia integra exhibeat, vt Pater dicat *Hodie genui te, inquo lucẽ immaculatæ prolis agnoſco?* Non ſic impij, non ſic; ſed quod ſummæ malitiæ eſt, à Patre degeneres, à Patre ipſo damnationis ſententiam accipiunt. Purpuratus ille cum eſſet in tormentis Luc. 16. eleuatis oculis
*Luc. 26.* ſurſum aiebat: *Pater Abrahã miſerere mei* O ægregiũ crudeliſſimi filij ad miſericordiæ Patrem confugium! Acute D. P. Chryſol. ſermon. 3. ait: *Modo cognoſcis patrem, & modo tibi patrem ſe eſſe negat. In fœlix, quam ſic ipſa origo arguit: in fœlix, cui in iudicio pro magnitudine criminis non miſereri genitor, non pater ignoſcere non affectio potuit, ſubuenire.* Quid homini miſerius euenire poterat? Eo deduxit miſerum malitia ſua, vt inuocantem patrem, pater illum ignoret, vt clamantem ad Patrem pater illum damnet & degenerem arguat, neque ſciat, nec poſsit ſubuenire. Sane nihil malitioſius ex cogitare potuit D. Paulinus in illo Phariſæo, qui ad prandium Chriſtum vocauerat, quã quod ab Abrahamide hoſpitio fieret adeò in hoſpitalis. Menſam pararat iſte, verum oſculi, & lauacri obſequium minime pararat, hiccine filius Abrahæ? hiccine dicet de genere tumens nos habemus patrem Abraham? *Paulin.*
Quippe ait Paulinus epiſt. 4 deſine parentem Abrahamũ iactare: *A quo te degenerem etiam iſta inhumanitas arguit, qua dedignatus es lauare pedes Domini, cum & Abraham Angelorum, & etiam Chriſti pedes lauerit, quem vnum de tribus adorauit.* Cur ſe miſer iactaret, quem genus ipſum, & patris mores vehementer arguebant condemnabant? Has procul dubio proles lamentabatur parens omnium Deus apud Iſaiam cap. 1. fatus: *Filios enutriui & exaltaui; ipſi autem ſpreuerunt me.* Ad quę verba, Diuus Zeno. ſermon. 3. de Iſaia ſic exclamat: *Deteſtabilis certe filius, quem pater ipſe pius, quem pater damnat inuitus.* Quis miſerebitur illius quem pater ipſe condemnat? Quis illum non abominabitur, qui parentum virtutibus vehementer accuſatus adhuc degeneres ſuos mores non expaueat. *Iſai. 1.*

*Textus.* Ipſum audite.

## §. XXXI.

### *Et ſi cuiuis Prælato & patri ſpirituali intima cordis tui ſecreta debes aperire, num tamen ab omnibus audire debes quid agas.*

NIL magis commendatum homini virtutis ſtudioſo, quam quod Prælato ſuo, parenti ſuo ſpirituali vere, & ſyncere animum ſuum & ſtudium in virtutes adipiſ-

adipiscendas, & peccata debitanda pandat. Liuit. 23. cauebat lex. *Feretis manipulos spicarum primitias messis vestræ ad Sacerdotem.* Leuit. Cur manipulos spicarum? Nõne melius esset sacerdoti offerre ipsa iam munda, & sine paleis tritici grana? Abbas Cellens, lib. de panib. cap. 7. *Manipulos spicarum ad sacerdotem deferimus, cũ plana, & euidenti confessione grana simul cum aristis & stipula Prælatis nostris humiliter pandimus.* Cell. Igitur qui saluti suæ spirituali dat operam, hanc legem sibi putet maxime obseruandam, quod parenti spirituali suarum virtutum grana simul, & vitiorum stipulas & aristas pandat. Verũ non à quouis, quem clare noscat ipsius doctrinæ ignarum, directionem suæ vitæ audiat: id quod egregiè effecit illa ardentissima Dei amatrix Cant. 3. Vbi ait: *Per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea quæsiui illum, & non inueni, inuenerunt me vigiles & qui custodiunt ciuitatem, nunquid quem diligit anima mea vidistis paululùm cum pertransissem eos, inueni, &c.* Cant. 3. Ecce tibi custodibus & præpositis se prodit Dei sponsa, ex illisque quærit de amato, curam suam illis manifestãs, & tamen non eos audit, imò nec auscultatur, sed nullo expectato responso protinus abit, & sponsum inuenit. Pulchre Gillibert. secundus post Bernard. cõmentator sermon 6. in Cant. ait: *Videte humilẽ prudentiam. Nescit custodes contemnere nec tutum arbitratur in consultos præterire, quos scit Dominici & conscios secreti & nuntios mandati. Quid tamen sibi vult hæc interrogatio sub ambiguo posita? An in hoc te admonere volens, vt non credas omni spiritui; sed probes, si ex Deo sit? Denique non omnium est certum sponsi præstare iudicium, qui custodis officium vel susceperunt, vel arripuerunt. Multi enim sunt, quorum est oculus in vniuersa terra. Satis quidem fideles sunt & seduli, sed huc vsque vt terrena coaceruẽt, & terrena seruent. Propterea terrenis incrassata curis mens, & illius mensa seruiens qui perit cibo, cœlestis epuli nescit dispensare viaticum, & de supernis theoriis aliquid serenum dispensare subiectis.* Gillib. Abhis etsi Prælati sint, etsi custodum locum obtineant, nihil necesse est audire, imò cum illis humili confessione, & euidentem mentem aparueris tuam, aures obtunde, & nullo expectato responso quem audias, quẽ tutò & securè auscultes, cura inuenire Christum. Etenim vnus est Christus Dominus, qui meritò debeat ab omnibus audiri nobis à patre donatum, vt audiamus ille lum. De quo eleganter Clemen. Alexand. lib. 1. pædag. cap. 11. hæc inquit. *Fidedignus est Dominus tribus pulcherrimis rebus ornatus, scientia, beneuolentia, dicendi libertate: scientia quidem quoniam est paterna sapientia: dicendi autem fiducia, quoniam Deus est opifex: beneuolentia, quoniam solus pro nobis se ipsum hostiam tradit.* Clem. Alex.

## §. XXXII.

### *Doctor, qui nunquam suam, sed semper aliorum sapientiam ostendit, an suspectus sit.*

PRIMO ex capite probat Clemen. Alexand. nuper citatus Christum Dominum esse fidelium, quò non ab alijs sapientiam emendicet; sed suam ipse habeat, qui sit ipsa scaturiens & perennis sapientia Patris. Etenim hæc prima sapientiæ extra ædificatam domum manifestatio quod, *Misit ancillas suas quæ vocarent ad arcem.* Prouerb. 9. non à vicinis commodatas, non ab alijs petitas; sed ipsa suas protulit veritates. Eleganter aiebat Seneca epistol. 33. *Turpe est seni, aut prospicienti senectutem ex commentario sapere. Hoc Zeno dixit, tu quid? Hoc Cleanthes, tu quid? Quousque sub alio moueris? & impera & dic quod memoriæ tradatur aliquid & de tuo profer. Omnes itaque istos nunquam authores, semper interpretes, nunquam ausos aliquando facere quod diu didicerant. Memoriam in alienis exercuerunt. Aliud est meminisse, aliud scire. Meminisse est rem commissam memoriæ custodire. At contra scire est & sua facere, nec toties ad magistrum respicere. Hoc dicit Zeno, & dicit Cleantes, aliquid interfit interte, & librum.* Prouer. 9. Seneca. Hæc ille vtacutè, & verè, ex quibus illud notarim, *Aliquid interfit interte, & librũ.* Quãdoquidem Doctoris non est aliorum solũ notas prætendere, hoc facit liber, hoc facit mẽbrana; sed & ipse suam faciat sapientiam, quã viuida vena in alios instilet. Cũ Ioannes Doctor Euangelicus initiaretur Apocalyp. 10. iubetur manducare librũ, *Accipe librum, & deuora illum.* Cur deuoraret librum? Magistro, & Doctori nonne sufficeret habere secum librũ quẽ legat, quem consulat? Sanè necessum est, vt aliquid interfit inter Doctorem, & librum, Apocal.

brum, liber aliorum referat doctrinã, Doctor vescatur libro, nimirum faciat sua. Indignum docendi munere putauit D. Ambros. illum qui alienis totus gubernatur præscriptis. Is erat sacerdos quidam siue Episcopus, qui malè ab alijs persuasus iudicauit virginem debere inspici.

*Ambr.* Cui D. Ambros. epistol. 64. *Iam illud præclarum quod scripsisti insinuatum tibi â quibusdam, quod nequaquam tibi communicarent si eam sine virginitatis inspectione suscipiendam crederes. Ergo iudicandi accipisti formulã. Quales illis qui volunt præscribere, sacerdotibus quid sequi debeamus? liberauimus itaque te à cognitionis grauis mæ necessitate, ne necesse haberes formulam mandatam exequi.* Ecce tibi meritò à munere ius dicendi illum separat, qui aliorũ placitis & sententijs imbutus nil suum efficit; sed omnia iuxta aliorũ regulas metitur. Hinc iubemur Prouerb. 2. quasi thesauros effodere illam, nimirum sapientiam. Non equidem sufficit ad sapientiã, quod ab alijs emendices, quòd inuentas aliorum veritates fugas; sed id agere debes, vt in te latentem thesaurum effodias, vt effossã cupiditatum humo, in te apparere facias sapientiam ipsam tuã. Id quod in se effectum gloriatur Paul. epistol. ad Galat. cap. 1. *Cum autem placuit ei, qui*

*Ad Gal. 1.* *me segregauit de vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelet filiũ suum in me, vt euangelizem illum gentibus.* Equidem, vt à gentibus Paulus audiretur, necessum fuit, quòd Deus in Paulo reuelaret verbum suum, hoc est quod in illo existentem sapientiæ thesaurum effoderet, & fecerit apparere. Sic pulchrè meditatur D. Hieronym. *Non est autem ipsum reuelare filium suum in me quod si diceret reuelaret filium suum mihi. Cui enim quid reuelatur huic illud potest reuelari, quod antea in eo non erat: in quo verò reuelatur illud reuelatur quod prius fuit in eo, & postea reuelatum est. Simile est illud Euangel. Me-*

*Hieron.* *dius in vobis stat quem vos nescitis. Ex quo*

*Ioan. 1.* *fit natura omnibus Dei inesse notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, & habere semina in se sapientiæ, & iustitiæ.* Itaque insita era Christi sapientia in Paulo, sed occulta, sed operta caligine vt thesaurus operitur humo: vbi autem gentibus proponendus erat qui audiretur, non aliorum emendicauit sapientiam; sed quasi effossa humo errorũ latens in eo thesaurus reuelatur, & viua sapientiæ vena protinus scaturijt. Sic cũ omniũ mentibus sapientiæ verbum insitũ sit, curet quisque omni studio, & conamine suã in opere & sermone reuelare sapientiã, suspectus alioquin erit ille, qui cũ aliena crebriùs effutiat, nihil vnquam præmonstret suum.

## §. XXXII.

### *Infirmum & suspectum debet haberi consilium illius, qui á te dependet, & ambi tua.*

INde secundo colligit Clemen. Alexan. in Christo Domino eam esse dicendi fiduciã, qua possit & debeat ab omnibus tutò audiri, quia est Deus & opifex. Etenim vnus ille habebit fiduciã dicendi, & libertatem qui omnino independens est, nulliusque egens. Quod præcauit ipse Deus Exod. 7. cũ Moysen mittit ad Pha- *Exod. 7.*
raonem, & ait illi: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Quasi inueneret, quod nisi dei tatẽ induat priuatus homo, minimè nuntiabit dura & acerba Principi, ex quo spe rare posset & timere multa. Hinc Moyses postmodum Exod. 32. castigaturus vi *Exod. 32.*
tuli aurei idolatriam Leuitis dicit: *Ite, & redite de porta ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrẽ & amicum, proximum suum.* Cur ad munus adeò durum & acerbum selegit Moyses Leuitas? Præclarè causam attigit D. Ambros. *Ambr.*
epist. 56. *Sanctiora cæteris ad hoc munus eliguntur ministeria Leuitarum, quorum portio Deus. Nesciunt enim parcere suis, qui nihil suum norunt, quoniam sanctis omnia Deus est.* Quippe Leuitæ nullam possessionem, nullam hereditatẽ in terra habere poterãt; sed eorum portio & hæreditas vnus Deus erat, ideo Leuitæ soli eliguntur, vt dura & acerba inferant parentibus, & populi Principibus, & amicis. Etenim nullus seuerus esset in homines quorum egeret opibus, quorũ dependeret à conuictu. Hinc egregiè notat Alcuinus quibus se titulis exornet Salomõ in libris, quos scribit, quippe in prouerbijs adnotatur: *Prouerbia Salomonis filij Dauid Regis Israel.* In Ecclesiaste vero, *verba Ecclesiastis filij Dauid Regis Ierusalem.* In Cantico Canticorũ, nec filius Dauid, nec Rex Israel aut Hierusalem præscribitur; sed tantum Canticum Canticorũ Salomonis. Cur hic solũ Salomon, & alibi & filius Dauid, & Rex? An quia in prouerbijs & Ecclesiaste dura populis erat annũtiaturus? nudas de humanæ naturæ vilitate veritates, Principiũ & potentiũ vitia, impiorũ præcipitia dicturus? Sanè ait Alcuinus in Ecclesiastẽ c. 1. *Adincipiẽtes & proficiẽtes & paterna dignitas, &*

*regni*

*regni proprij meritò indicatur authoritas, ad perfectos verò vbi non timore eruditur discipulus; sed amore, proprium nomen sufficit, & æqualis magister est, nescit se esse Regem.* Expē de illud, vbi non timore eruditur discipulus nescit se esse Regem; verum vbi timenda proponit, vbi linguæ vtitur flagello, vbi corripit, & castigat potentium mores, nouerit se regia dignitate florere, non ab alijs dependere, nec quicquā egere, vtpote ditissimus Rex, & omniū superior. Sic diuinissimus Daniel à Balthasare munerib⁹ delibutus, vt sibi aperiret diuinum, & expauendum ænigma, ait cap. 5. iuxta D Hieronym. traslationem. *Munera tua tibi sunt Rex: & interpretationem eius ostendam tibi:* quasi ad durissimæ sententiæ explanationem non esset aditus illi, qui prospectat munera. Corrumpit sanè seuerum iudicem munus; & ambitiosa expectatio in ebriat omnes etiam cordatissimos. Pincernæ illi Pharaonis prospera prædicebat Ioseph in carcere, & simul petebat, vt sui meminisset. Ad quæ D. Amb. *obtusas iam habebat aures fastu vicinæ potentiæ.* Vtique obtundunt sensus prosperitates vicinæ, & quale iudicium fiet ab obtuso? Suspectum ergo tibi sit consilium illius, qui à te dependet, & ambit tua; nunquam enim tali consiliario tuta conscientia poteris vti, quando quidem tui fauoris indigus non habebit dicēdi fiduciam. Qualiter enim muneribus inæscatus animus rectum poterit habere iudicium? Apud lib. 1. Reg. cap. 8. de filijs Samuel dicitur. *Acceperunt munera peruerterunt iudicium.* Vbi Petrus Dam. epist. 2. dicit. *Notandum quia cum ait, acceperunt munera protinus intulit, peruerterunt iudicium. Vicinum quippe est atque contiguum, vt post munus acceptum peruertatur, etiam corrupto censore iudicium.* Minime sanum est iudicium accipiendis muneribus inæscatum, insanus est qui similibus vtitur consiliarijs.

Dan. 5.

Amb.

## §. XXXIII.

### *Quam libenter accipiuntur præcepta illa, quæ à benefactore mandantur quantumuis sint dura.*

TANDEM subdit Clem. Alexand. Christi Domini in homines beneuolentiam, qua se vsque ad mortem dimisit, vt nos viuere possimus. Quis ergo tanti benefactoris non stabit dictis? Sanè ea est humana natura, quæ vt duri & seueri Domini mandata etsi facilia odit, fugit, sic à benefico dura etiam, & molesta arripit consilia. A primordio iratus Deus hominum, & creaturarum generi metuendus imperat, glaudium igneum vibrans è regione paradisi. Quid plura? Statim contēnitur à creaturis, quæ tonantis, & fulgurantis Dei immemores se fictilibus idolis summittunt. Hæc pulchrè expendit Chrysol. ser. 147. *Obsederat pauor omnia, timor soluerat vniuersa, cuncta concusserat terror, in cœlo diuinus splendor prostrauerat Angelos, in terra tremitrua, & fulmina mortalium corda quassabant. Sic nimius Dei pauor amorem dominantis exclusit, Angelos fugauit ad terras, homines traxit ad idola, mundum vanis erroribus occupauit; fecit omnes creatorem fugere, colere creaturas Mundus perire maluit, quam timere, pauore mors ipsa leuior. Denique Cain vbi parricidali cœpit terrore vexari, mortem petijt, requiem credit si periret. Elias ille vbi sensit toto se timore aspergi; repetebat quam fugerat mortem, melius existimans morti succumbere, quā timori. Petrus quoque Dominicæ virtutis timore turbatus Christum, vt à se discederet, supplicabat. Discede a me, inquit, quia homo peccator sum. Hoc dicebat, quia quicquid erat amoris, & fidei pondus pauoris excluserat: sic timor, nisi amore fuerit temperatus quamuis deuotam seruitutem efficet contumacem.* Chrysol.

Hæc sunt seueri, & rigidi Domini facinora, qui quo magis timendus exhibetur, eo citiùs relinquitur, & contemnitur; & tunc præcipuè diabolus sperat de quouis homine triumphum, quando illi persuadet, non à benefico amatore, sed à seuero victore contundi. Sic Matth. 4. Dominum in deserto famelicum, & afflictum exagitauit illis crebrò subiectis verbis, *si filius Dei es*, vt suspectum, & odiosum faceret Patrem, e quo egens filius nullum reciperet auxilium; sed potiùs, vidente Patre, fame enectus periret. Hæc fuit D. Chrysost. excogitatio in præsenti hom. 1. sic disserens. *Cur ad singula tentamenta proponit ac dicit, si filius Dei es? Id ipsum etiam nunc facit, quod fecit in primis, sicut etiam tunc de Deo detrahens ait scit Deus, quia quacumque hora manducaueritis aperientur oculi vestri per hoc ostendere volens illos circumuentos esse à Deo atque deceptos, nulloque ab eo beneficium cōsequutos. Ita hic quoque id ipsum profecto significat quodāmodo dicens; frustra te nominauit filium suū, talique donatione decepit.* Vna equidem erat diabolici furoris mens, quapersuaderet

Matth. 4.

Chrysost.

culibet Deum nõn beneficum; sed rigidũ punitorem etenim post hæc facilè persuaderet à Deo ipso defectionem, & fugam. Hinc Christum Dominum vrgebat dictis, si filius Dei es, quasi filio afflicto, & famescenti paternæ crudelitatis, & rigoris vellet notam infigere. Mallent homines perire, quam metuere, & vt metuendum fugiunt omnino; sic beneficum Dominum etiam dura præcipientem amplectuntur. Id notat D. Amb. libr. 1. officior cap. 34. *Simul aduertimus etiã correptionos in amicitia gratas esse, quæ aculeos habent, dolorem non habent. Compungimur enim censorijs sermonibus, sed beneuolentiæ delectamur sedulitate.* Quis non credat amico? Quis non audiat libentissimo animo illum, à quo mille se videt illigari beneficijs? Videte Dauidem prudentissimum virum in capitis discrimine vnius adolescentis Ionathæ stare dictis, adeò, vt si Ionathas iubeat delitescat Dauid, & fugiat, & etiam securo animo appareat Regi infestissimo, si vnus Ionathas suggerat. Quæ rei causa? sola adolescentis Principis in Dauid beneuolentia illum sibi potuit subdere. Ita D. Amb. vbi supra,

*Amb.* cap. 32. *Beneuolentia manet communis quædam parens omnium, quæ in consilijs fidelis, vt vnusquisque beneuolentis se magis, quàm sapientis credat consilio, vt Dauid cùm esset prudentior, Ionathæ tamen iunioris consilijs acquiescebat.* Hinc cœlestis Hierusalem plenas bello, & sagittis turres vberibus inseruit: ait enim Cant. 8. *Ego murus, & vbera*

*Cant. 8.* *mea turres.* Audiuntur planè libẽter etiam tonitrua bellica, imò, & fulgura iaculata, & ictus ipsi placidè excipiuntur, dum ab vberibus ab amoris sede a beneficio animo nouerimus deriuata. Nũquam id mihi magis persuasum fuit, quam ex cap. 17. Num. vbi volens Deus sanctum haberi à populo Aaronis sacerdotium, minime id obtinuit mille immissis in rebelles supplicijs. Ecce tibi contradicũt Aaronico sacerdotio Dathan, & Sui, & vltore Deo, viui à terra glutiuntur. Nec tanto supplicio affecti desistunt populares murmurare cõtra Aaron, ex quibus Chore cœlesti igne correptus interijt. Sed adhuc murmur in Aaron perseuerat. Quid plura? volens tandem Deus Aaronem recipi à populo, fecit quod Aaronis virga non feriret sed floreret, sed fructificaret, dulcissimosque præberet populo fructus. Quo viso statim populꝰ acquiuit, & Aaroni suscepit. Rem ita expẽdit Iosephus, lib. 4. c. 4. inquiens. *Videbant ex virga Aaronis, & ramos, & germina esse exorta, & quod magis mirum amygdala matura. Hac nouitate spectaculi vulgus attonitum, omnibus odijs quibus tam Moysen, quàm Aaronem prosequebãtur, totum in admirationem diuini indicij versum, amplius Deo repugnare desijt.* Suppliciorum rigori respondebant rebelliones, at floridis muneribus cõtinuo obedientes extiterant.

*Text* Et audientes discipuli ceciderũt in faciem suam: & timuerunt valde.

## §. XXXIIII.

### *Non est humanarum virium promeritam gloriam nobis à Deo paratam sustinere.*

IMMENSVM pondus gloriæ in nobis operatum quis sustinebit? Nullo in homine vires sunt quæ possint à Deo paratam gloriam sustentare, quam vel in imagine videntes Apostoli tanti boni impares cadunt in faciem. Sic D. Gregor. *Greg.* Magn. In 1. Reg cap. 16. *Videbat Petrus, & quia videndo cadebat, significat, quòd ad id non poterat attingere, quod merebatur videre.* Excedit magnitudo præmij vires humanas, non est vir qui gloriæ illam penè immensam molem, quam Deus fidelibus *Nazian.* seruis parat, sustinere valeat. Vnde Naz. in Apolog. fœlices hominum animos memorans à corporeo puluere excussos ad cœlestẽ patriã remeantes, ait, *quos Spiritus armat in gloriam*, pulchrè innuens munꝰ diuini spiritus erga beandos homines, nimirum qui illos armat, vt immensum gloriæ pondus queant sustentare. Adeò enim magnũ est gloriæ pondus, quod in nobis momentanea patiẽtia operatur, vt spiritus susceturos confirmet, eisque induat armis, quibus confirmati, & sulti torrenti immergantur voluptatum. Hinc maximè commendat D. Chrysost. in 1. ad Cor. hom. Eu- *Chrysost.* charistici Viatici necessitatẽ, & vtilitatẽ; *si hinc*, ait, *sacrificio muniti migrabimus, sanctum ascendimus vestibulum tanquam aureis quibusdam armis vndiq; contecti.* Sane arma requirũtur in stadio, vbi hostes lacessunt, inimici insidiantur, pericula metuuntur: at in regno pacis, in cœlesti Hierusalem, vbi omnia pacata, & amica, vbi regnat pax alma,

alma, quorsum arma? Quorsum hæc sollicitudo, vt armis vndique contecti, & confirmati sacro sanctum cœlorum cubile scãdamus, nisi ob gloriam immensam, ob magnitudinem præmij, quam vt sustineas necessum est armari, & roborari? Huc specta bat illud Sap. 4. *Videbunt finem sapientis, & non intelligent quid cogitauerit de illo Deus, & quare munierit illum.* Non intelligunt, quare munierit Deus sapientem à vita discedentem, quia non norunt magnitudinem, & immensitatem gloriæ, ad quam migrat, quam vt sustineat, roboratur à Deo, & valde munitur. Vbi intelliges, quàm ineptè Lyra, & Cantecuzenus legant non munierit; sed minuerit, vt potè ignorantes quanto munimine, & robore egeant beati; vt gloriæ suæ immensitatem sustineant.

Sap. 4.

*Text.* Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixitque eis surgite, nolite timere.

## §. XXXV.

### *Dei voce consternati perijssemus homines, ni ab incarnato Verbo fulciremur in vitam.*

ECCE loquente Deo prosternuntur Apostoli, sed Iesu auxilio confirmati eriguntur. Quod animaduertit D. Ephre. inquiens. *Quomodo vox Patris eos deiecit, sic etiam vox filij in virtute suæ diuinitatis eos fecit surgere.* Quis hominum ad nudæ diuinitatis vocem staret? Deut. 4. *Quid est omnis caro, vel quis audiuit vocem Dei viuẽtis de medio ignis, & viuet?* Vtiq; ad sonũ diuini gressus perterrefacti primi homines fugam occisimi arripiunt, ait enim Gen. 3. *Et cum audissent vocem Domini Dei deambulãtis in paradiso ad aurã post meridiẽ abscondit se Adã, &c.* Quid tunc? Dei filius hominis naturam assumpsit, & factus homo prostratos erigit, allicit, & recreat fugitiuos. Vtrumque attigit D. Cyril. Hierosol. catech. 12. acu. è vt assolet, & in primis accipite Daniel. cap. 10. diuina apparitione perterritum, humi prostratum, viribus metu consumptis, *tunc*, ait, *& audiui vocem sermonum eius, & audiens eram consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebat terræ. Et ecce manus tetigit me & erexit me super genua; & dixit ad me noli metuere Daniel; cumque loqueretur mihi huiusce modi verbis, deiecit vultum meum ad terram, & tacui: & ecce quasi similitudo filij hominis tetigit labia mea, & aperiens os meum loquutus sum, &c.* In quibus ponderandum est, quam prosternatur, & penè enecetur Daniel Dei visione, & loquutione, donec similitudine filij hominis subleuatur. Sic Cyril. *Neque respondit, donec tetigit ipsum similitudo manus hominis, & quando mutatus est in similitudinem filij hominis ille qui apparuerat, tunc dixit Daniel, &c.* Multa fecerat Dominus antea, vt Prophetam recrearet, & à terra leuaret, manu illum propria erexerat, metum ponere iusserat; sed nihil cũ homine profecit, donec factus homo humanas immisit manus, vt hominem releuaret. Sic quem prosternebat Dei sonitus filij hominis erigitur, & sustentatur manu, & qui Deum occisimè fugiebat impar tãtæ maiestatis, cuius timore soluebatur, filium hominis lætanter suscipit, & sustentat, ad cuius præsentiam omni metu leuatur. Nonne mare, & Iordanis quondam à Deo fugiebat? sic Psaltes, *quid est tibi mare quod fugisti, & tu Iordanis conuersus es retrorsum?* Nunc ecce tibi mare filij hominis vestigijs exaratum, & Iordanem eiusdem præsentia nobilitatum, & vtrumque metu posito, videns filium hominis exhilaratur. Sic Cyril. vbi supra. *Quoniam ante carnis assumptionem mare vidit illum, & fugit Iordanus conuersus est retrorsum, assumpsit corpus Dominus, vt mare videns sustineret, & Iordanus illum sine timore susciperet.* Procul dubiò vniuersi perijssemus nudæ diuinitatis sub indicijs, nec vocem Dei, nec sonum gressus eius posse sustinere creatura; nisi homo factus humanas exhiberet manus, & humanis graderetur vestigijs. Rectè Baptista, Ioan. 1. expauens cœlestem maiestatem dicebat, *cuius non sum dignus corrigiam calceamentorum soluere.* Non vir, non præcursor Ioannes solutis humanis calceis sustinet Dei vestigia. Ita D. Gaudent. tract. 7. in Exod. *Christus non propter se calciatus est; sed propter nos, quoniam terra sustinere non poterat maiestatis eius nuda vestigia.* Igitur vt à deitatis voce prostratos erigeret homines, induit hominis naturam filius Dei, humanasque nobis obtulit manus, quibus recreati vitalibus fruemur auris. Hinc Rupe. ponderans illud, *non videbit me homo, & viuet, ascendam ad eum homo factus inter homines, vt in me reuiniscat homo; nam si ascẽdero Deus maiestatis suæ, cru-*

Ephr.

Gen.

Dan. 10.

Cyril. Hierosol.

Psal.

Cyril.

Ioan. 1.

Gaud.

Ruper.

*crucis vtilitas impedictur, & homo nõ viuet.* Non iam vocem Dei expauescimus, non sonum gressus eius contremiscimus, non nuda fugimus Dei vestigia, quandoquidem Deus homo factus humanas porrigit manus plenas salute, plenas vita.

*Textus.* Leuantes autem oculos suos neminem viderunt, nisi solum Iesum.

## §. XXXVI.

### *Fœlicissimi illi qui vnum Iesum, habent intuendum, quando cætera fugiunt creata.*

NON possum non inuidere Apostolis hanc Thaboris fœlicitatem, quòd ad terram prostrati vnum Iesum liberatorem respiciunt. Neminem viderunt, nisi solum Iesum, vt quid videant alium prostrati? Et quis alius aderit prostratis? Dauidi, & Regi, & potentissimo omnia erepta sunt, sed ideò fœlix, quia deficientibus cũctis alijs vnum Iesum habuit quem respiceret. Sic ponderat D. Cyril. Hieros. cathec. 2. *Porrò cùm Absalon aduersus Dauid arma cœpit, quamuis multæ illi viæ ad fugam suppeterent; per montes tamen oliuarum maluit fugere, firma innocans mente liberatorem illum, qui isthinc cœlos erat ascensurus.* Quæ maior Dauidis fœlicitas potuit excogitari? quando illum relinquebant sui, quando à filijs à domo ipsa fugabatur, illum desolationis suæ locum inuenit, vbi Iesus saluator, & liberator cernebatur, in quem vnũ posset tunc respicere. Nec non ille strenuus luctator Iacob, vehementissimus Rachelis amator, vbi tãtæ dilectæ morte afficiendus erat, primum nascituri Iesu locũ permittitur tangere. Dicit enim Gen. 35. *Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via quæ ducit Ephratam; hæc est Bethlehẽ.* Quando generosus Athleta tanto amore orbatus vnũ iam haberet videre Christum. Huc refero D. Hieronymum lib. 1. aduers. Iouin. vbi loquitur. *Illa quondam dilecta coniux pro qua seruierat, iuxta Bethelehem, in qua erat virginitatis preco dominus nasciturus, à filio doloris occiditur.* Quippe ibi occidunt Iacobi amores, vbi vnice amandus iam apparet Christus, nec antea fugiunt humanæ delitiæ, quam se se offert conspiciẽdus Christus. Vt merito in summa Lazari penuria dicat D. Fulg. epist. ad Gal. *Attende Lazarum in vulneribus sanum, & quidem sine domo, sed non sine domino, sine cibo, sed non sine Christo.* Fœlices illi quibus in vniuersali bonorum decessu, vnus offertur habendus, & inspiciẽdus Christus. Non adeò fœlix purpuratus alius apud Luc. 16. imò iste derelictus à suis, omnibus mũdi bonis spoliatus, cum nudus esset in tormentis, eleuatis oculis, Abrahamum, & Lazarum vidit, cuit ait, *Pater Abraham miserere mei.* Ad hæc D. Chrysost. in Cat. *Creator creaturæ miseretur suæ, vnus venit medicus, qui sanat morbos, alij sanare non possunt, erras miser.* Quid miserius, quàm ab omnibus derelictus adhuc creaturarum valuas instanter percutere? Vnus est medicus Iesus, vnus liberator, & saluator. O te infœlicem qui ab omni exutus creato bono adhuc respicis creaturas. Sic apud Iob, cap. 34. Mulctantur quicumque immisericordes viri, de quibus lectio 70. ait, *vana eis euadent clamasse, & orare virum; abusi sunt enim exhonoratis infirmis.* Ad hæc Aug. in annotationibus in Iob, *abusi sunt iniquè, cum excluderentur infirmi, malè vsi sunt exclusione sua, ex hoc illis vanè veniet, vt in necessitabus suis clament, & rogent hominem, cum Deum rogare debuerant.* O misera hominis conditio à quo fugientes creaturæ manent adhuc illi ob oculos quas respiciat, labuntur ex manibus, & hærent pupillis, vt deludant rogantem. Fœliciores illi, à quibus cum fugiunt res creatæ, vnus Iesus apparet, vtpotè vnicus illorum liberator, & saluator, in quem vnum respicientes salui fiant.

Cyrill.

Luc. 16. Chrys.

## §. XXXVII.

### *Christus Dominus dimissis Prophetis damnat Principes viros, qui secum Apostolicos circumferunt homines ob inanem gloriam.*

CONFECTO transfigurationis mysterio quàm breuissimè Moysen, & Eliam continuò dimisit Dominus, & mansit solus, nec sic erubuit solus, & incomitatus apparere discipulis, iam ex tunc condemnans morem illorum Principum, qui Apostolicos viros, quibus spiritualia

sua

ſua negotia cõmittant ſecum ad maiorem comitatus decorem vndequaque circumferunt. Hinc malè audiuit apud Dominũ Regis Saulis pœnitentia; is namque cum acriter à Samuele argueretur, eo quod mãdatis diuinis nõ paruiſſet, ait, *Peccaui, quia præuaricatus ſum ſermonem Domini, & verba tua; ſed nunc porta quæſo peccatum meum, & reuertere mecum, vt adorem Dominum.* Ecce tibi quam malè pœniteat Saul, compunctus videtur, cum ait, peccaui, & ſimul peccata ſua fitetur grauia, veniamque petit. Vnde quæſo hæc Saulis pœnitentia claudicat? An, quia tota illa confeſsio id ò agebatur, vt Prophetã ſecum adduceret, & circumferret regio in commitatu? Ita ſanè Rup. Rup, de vict. Verbi Dei, libr. 4. cap. 16 fatus. *Homo quippe ſæcularis animi, tot ſque deditus ambitioni etiam ad adorandum Dominum pompaticè ſolitus ingredi, hoc dolebat, ſi in tempore tali, in tanti triumphi feſtiuitate tantus Propheta ſe ſe ſubtraheret eius comitatui, & idcirco ſemel, & iterum dicebat peccaui.* Metuo, ne multorum Principum confeſsiones, & pœnitentiæ ideo ſint Deo abominabiles, quia ob ſæcularem ſplendorem circumfertur Propheta in comitatu. Et magis vereor, ne aliqui dicant peccaui, & confiteantur delicta, ne eorum comitatui pompatico Propheta ſubtrahatur.

# CAPVT V.

## Triumphalis Chriſti Domini ingreſſus in ciuitatem Hieroſolymitanam.

INSTANTE morte Chriſtus Dominus Hieroſolymam ingreſſurus triumphalem Deoque dignum ingreſſum ſibi parat. Etenim aſſello vectus in ſe populares animos ſic mouet, vt turmatim egreſſi ex vrbe homines obuiam Ieſu procedãt, regiam in eo Dauidis ſtirpem, & populorum ſalutem conclamantes. Reſonant nouis, & inauditis clamoribus, ſiue cantibus montes: ſcinduntur palmarum rami: operiuntur ſemitæ veſtimentis ſtratis, & Dauidis æmuli mille ante Chriſtum nudantur, vt feſtiuas choreas agant. Sic Hieroſolymis excipitur Chriſtus Dominus, qui poſtmodum moribundus mittetur extra ciuitatem.

(?)

*Ex Matth. cap. 21.*

*Textus.* Cum appropinquaſſent Hieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem Oliueti; tunc Ieſus miſit duos Diſcipulos, dicens eis. Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſoluite, & adducite mihi.

## §. I.

*Miseram, & duram seruitutem patitur homo à vitijs, & inferorum tyrannis, qui vnum curant, vt vinciant suos, & fortiter alligent.*

QVID miſer homo à dæmonibus haberet, niſi laqueos? Quid poſſet miſerã ſeruitutem exhibitam propè infinitis dominis maneret miſero peccatori niſi vinculum, niſi reſtes, niſi laqueus? *Inuenietis,* ait, *aſinam alligatam*: hoc vnum tenebrarũ Principes, quibus peccator ſeruit, meditantur, vt ſua mancipia mille conſtringant laqueis. De Iuda proditore dicit Matthæus, cap. 27. *Et abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Quod expendens Drogo libr. 1. de Sacramentis Paſsionis, ait: *Iamdiu erat quidem, quod à Chriſto diſceſſerat, & auaritiæ laqueo ſe ſuſpẽderat; ſed quod fecerat in occulto, palàm omnibus innotuit.* Quaſi diceret, non nouus erat hic in Iuda laqueus, quo apparuit ſtrangulatus: ab eo die, quo Chriſti iugum excuſſerat, ſe ſeque cupiditatum, & dæmonum dominio tradidit: fortiter illaqueatus eſt: dura vincula paſſus, tantum non videbantur; ſed illo moriente laqueus qui latebat apparuit. Nullus equidem elegantior, quã Diuus Athanaſius. qui expendit id à Diuo Luca exaratum, cap. 19. nempe quòd Diſcipuli Chriſti Domini mandatum exequẽtes, aſinam, & pullum ſoluere nituntur, ſed tunc, *dixerunt domini eius ad Diſcipulos.* Ad hæc pulchrè Athanaſius ponderat illud, *dixerunt domini eius. Qualis igitur eſt hic pullus,*

Natt. 27. Drogo.

Athan.

*pullus, qui non vnum dominum habet; sed plures? Nonne si mente præditus esset, sufficeret ei si vnus dominus assideret? Nunc autem cõplures sunt eius domini, & nullus eorum negotia abit, nemo eorum abscedit; imò nullum illis aliud opus in manibus, omnes pariter non in aliud occupati sunt, quàm vt asellum in biuio alligent. Asinus interea præsepe non habet, diuersorium non habet, non est qui in forum descendat, id tantummodo agitur, vt pullus vinciatur.* Hæc Athanasius & pulchrè, & verè meditatur de misera hominis seruitute sub potestate tenebrarum. His dum seruit asinino stupore correptus peccator, nil à penè innumeris dominis habet, quàm vincula, quàm laqueos. Audis asinam inueniendam ligatam, non pastam, cum vinculis, non cum præsepe, crudelibus obsitam dominis, sed qui nihil curent, nihil spectent aliud, quàm quòd duris prematur laqueis peccator. De illo prodigo dicit Lucas, c. 15. *Cupiebat implere ventrem de siliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat.* Ad hæc argutè Chrysologus sermone 1. *Quã crudele ministerium, quia neque conuiuit porcis, qui viuit porcis!* Et adhuc crudelius quid ab istis Dominis expectat D. Paul. quũ in Sansone vicem cuiusque peccatoris lamentatur epist. 4. *Stat in via peccatorum cõpeditus vinculis cupiditatum, & ipsi sibi carcer, est obsessus tenebris erroris sui, in semetipso pristini ergastulum portat farinam hostibus suis de corrupta animæ suæ fruge conficiens.* Parum est, quòd crudeles domini pascẽdi asini immemores, illum inuoluãt laqueis; ideò ligant, ideo illi vincula nectunt, vt ad pristini ergastulum vinctum, & alligatum trahant, & eius ruina, & excidio pascantur. Sed, & in vinculis his est etiam aliquid expauendum maximè; adeò enim fortia, & indissolubilia sunt, vt etiam dominorũ excusso iugo, & erutus homo à misera seruitute diaboli adhuc laqueos in se istos experiatur. Id quod insinuatur Ioannes, cap. 11. in resurgente à sepulchro Lazaro, qui etsi mortis excusserat iugum; tamen exijt *ligatus pedes, & manus institis.* Ad quæ D. Augustin. lib. 83. quæstionum, quæstione, 65, ait. *Quod verò exiuit institis obnolutus, hoc est, quod etiam à carnalibus recedentes adhuc tamen in corpore constituti, alieni à carnalibus molestijs esse non possunt.* Hiccine sunt laquei, quibus miserè sub potestate tenebrarum illigamur, quos vix excutere possumus etiam in libertatem filiorum Dei redacti.

Luc. 15.

Chrysol.

Paulin.

Ioan. 11.

Augustin.

## §. II.

### *Calamitas, & afflictio peccatorum eos reddit Deo conspicabiles.*

QVVM sibi asellum afferri iubet Dominus, notanter meminit ligaminum illius, *Inuenietis asinam ligatam*: ea enim sunt, quæ maximè hominem Deo commendant, nimirum vincula, calamitates, afflictiones, misera seruitus. Ecce vobis superbissimum illum Regem Babylonis Nabucdonosor, quem superbia sua in bruti similitudinem conuertit adeò, vt pulsus Regno in agro cum feris versaretur, vt meminit Daniel, cap. 4. *Ex hominibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit.* Quid plura? hæc illum pœna dignum fecit, qui à Domino suspiceretur. Ita Diuus Pacianus Paræneſi ad pœnitentiam. *Rex ille Babylonius exomologesim desertus operatur, & septeni squalore decoquitur. Hæc tamen illum pœna Deo commendat, & in sua quondam regnare restituit: quem horrebant homines, Deus recipiebat ipsa illa malæ tractationis calamitate fœlicem.* Quis iam contemnet calamitates? Quis afflictiones pauebit? quæ etiam in peccatoribus diuinos oculos trahunt, & replẽt suauitate. Qui alioquin mille tenebrosus erroribus, & idolatria abominandus, vna calamitate, & afflictione eum acquirit decorem, quo Dei oculos oblectet, & capiat. Hinc lachrymabundus Ieremias aiebat: *Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absinthij, & fellis.* Quæ verba pulchrè examinat Diuus Paschasius lib. 3. in Threnos, littera Zain. Vbi expendens illud, recordare transgressionis meæ, sic addubitat. *Quærendum, cur transgressionis eius recordari petat, cùm non rectè transgressionem suam aliquis offert iudici, qua puniatur, imò rogat cum Dauid, auerte faciem tuam à peccatis meis?* Iustus nollet à Deo videri peccata sua, & Hierusalem peccatrix, & abominabilis facta petit à Deo, quòd recordetur suarum transgressionum. Cur nõ magis, quòd obliuiscatur? Cur vellet delicta sua ob oculos Deo versari? *Non dixit simpliciter, recordare transgressionis; sed addidit, absinthij, & fellis, non quòd à Domino trãsgressionis suæ recordari vellet; sed laborum, & certaminum, quæ pro eis tolerat, id est, absinthij, & fellis.* Hæc Pachasius: quippe sic decorant

Dan. 4.

Pacian.

Thren. 3.

Pasc.

Psal. 50.

corant etiam nocentes afflictiones, ærumnæ, calamitates, sic hæ miseriæ oculos diuinos capiunt, vt afflictus quisque peccator possit præsumere se Deo ob oculos versari. Prodigum illum filium misera calamitate iactatum, fame enectum pulsat memoria patris. Lucæ capite decimo quinto. *Quanti mercenarij sunt in domo patris mei, qui abundant panibus, ego hic fame pereo.* Equidem afflicti filij, & calamitosi memoriam subit cœlestis Pater, vt illũ ad se traheret. Sic Diuus Chrysologus, sermone secundo. *Fames reuocat, quem saturitas exularat: fames illi patrem dedit sapere. Etsi tantum præstitit, vel inuita fames, probate quid voluntarium posset conferre ieiunium.* Proh Deus immortalis! Quis famis, quis vinculorum, quis ærumnarum bona valeat numerare? Iudicum capite 16. dicitur de Sansone: *Et ipse nescuit, quòd Dominus ab eo recesserat.* Et quidem Deus omnino à Sansone recesserat? Sanè vbi video Sansonem inermem, ad molam religatum, miserè afflictum, non facilè adducor, vt credam Deum ab illo omninò, & longè recessisse. Ait Theod. *Non eum omninò reliquit benignus, & clemens Deus; sed cùm eum vidisset probris affectum, & contumelijs, & precantem exaudiuit.* Equidem maximè gaudet Dominus de cõsortio afflictorum, eosque sibi in societatem acquirit, qui sciuerunt afflictiones, & fames tolerare. Nonne meministi Dominum in Thaboris gloria radiasse medium inter Moysem, & Eliam? O bone, nonne tu es, qui sedes super Cherubim? Qui Seraphinis cinctus versaris? Cur dimisis cœlestibus lateronibus, Moysem, & Eliam adducis in gloriam ostendendam? Iam respondet Hieronymus, libro secundo aduersus Iouinianum, inquiens: *Obiciuniorum consortia Moysem, & Eliam transfiguratus in monte secum ostendit in gloria.* Quasi charior res illi essent afflictiones, quasi ad gloriam magis conducerent ostendendam. Nec mirabitur, qui sciuerit, per ærumnarum nubila plus Iesu glorias radicare, vt Sol per nubes apparens clariores emittit lucis radios. Vide libr. 2. cap. 10. §. 1. & alibi.

Luc. 15.

Chrysol.

Iud. 16.

Theod.

Hieron.

## §. III.

*Paruuli, & minimi summo studio à Deo requiruntur, ex quorum cura fidelissimi Dei Ministri, quibus suum Deus Imperium commutat, denotantur: & vbi aliqua de Societate Iesu.*

NON asinam iubet solùm Dominus afferri sibi; sed *& pullum eius cum ea.* Curat equidem Deus maximè paruulos, quos requirere cupit. Sic Diuus Pacianus in Paræneſi notat. *Neminem nostrum perire vult, etiam modici, etiam minimi requiruntur. Ecce in Euangelio drachma requiritur, & vicinis inuenta monstratur.* Contemptibilis res est apud homines infantia; at Deo minimè contemptibilis; sed valde amabilis, vtpotè qui paruulos summo, & studio requirat, & requisitos commendet Discipulis. Sanè Luc. cap. 15. è duobus filijs adolescentior petijt à patre partem substantiæ, & pater etiam petente adolescentiore, *diuisit illis substantiam.* Vbi præclarè monet Ambrosius. *Vide, quòd diuinum patrimoniũ petentibus datur; nec putes culpam Patris, quòd adolescentiori dedit, nulla Dei Regno infirma ætas. Atque vtinam ille non recessisset à patre, impedimentum nesciret ætatis.* Imò, & recedentem requiri, & sibi afferri iubet illum benignus pater, nil magis Deo cordi est, quam quòd paruuli recedentes per vniuersos vicos requirantur, ne despecti, & desolati, aut siti pereant, aut dispereant fame. Hinc illos, qui Deo placere ambiunt, Hieremias docet, Threnorum capite secundo, inquiens: *Leua ad eum manus tuas pro animabus paruulorum tuorum, qui defecerunt in fame, & siti in capite omnium compitorum.* Eu quot verbi diuini fame pereunt vsque ad hæc tempora per omnium platearum capita, & quam pauci sunt, qui misereantur. Scatent triuiæ famescentibus. Vtinam sint qui afferant remedium. Quæ verba, & affert, & expendit Diuus Paschasius, libr. 2. in Thren. littera Coph, sic inquiens *Ne sola Dei dilectio sufficere videatur sine dilectione proximi, leuandæ sunt manus, & cura impendenda pro paruulis, & ijs qui fame verbi periclitantur in capite omnium compitorum. Alioquin, nisi in vijs, & in capite compitorum exijssent,*

Paciã.

Luc. 15.

Amb.

Thren. 2.

Paschas.

*exijſſent, non fame, vel ſiti laboraſſent. Reuocandi ſunt ergo de triuijs, & platearum exitibus, ex capite omnium compitorum ad conuiuium, & prandium Domini, ne fame vſque ad finem periclitentur inediæ*: Enim verò, vt ex vico afferri pullum ſibi Chriſtus Dominus iubet, ſic docet Miniſtros ſuos qua cura, quo ſtudio ex vicis, & compitis requirendi paruuli quique, ne diſpereant fame. Quo maximè illuſtratur mos ille virorum è Societate Ieſu, quando pro paruulis, & cum paruulis in compitorum capite, in vicis, & plateis verbi Dei cibo inſudant communicando. Atque à cõpitis, & vicis ſumma diligentia accipiunt paruulos, quibus vincula eripiunt, & ſatiant doctrinæ cœleſtis pabulo. Anaſtaſius Sinaita, libro quarto Exameron. fornacis Babylonicæ ignem aſſerit omnium manifeſtiſsimè filij Dei nobis repræſentaſſe imaginem. Quidni? Ignis diuinæ virtutis æmulus aſſeritur à Diuo Dionyſio in plus quàm quadraginta proprietatibus. At non ignis quilibet; ſed ignis, qui à Rege Babylonio accenſus eſt, vt contemptores ſuæ ſtatuæ conſumeret, ille ignis iuxta Sinaitam ſingulariſsimè filij Dei exprimebat imaginem. Quid plura? *Eſt ille ignis*, ait, *cognatus huius Solis, ſi quidem ille corporalis vim habet vrendi, & pueros cuſtodiendi, Solis qui in nobis eſt, nempe Chriſti præſignificabat imaginem.* Ecce tibi iuſſu ſuperbi Regis tres pueros Hebræos pedibus manibuſq; ligatis. Daniel. 3. cõijciuntur in flammas, de quibus eleganter Diuus Chryſoſtomus ait. *Pueri ergo iactantur in flammas, ibat circa innocuos pedes noua libramine temperatus artifex ignis, & tot circumuolans paſtus ſola conſumere vincula laborabat.* Puellos in ſe ignis accipit, acceptos dum cuſtodit, de vinculis conſumendis laborat, quibus conſumptis expediti puerili Dei magnalia cantãt. In quo ignis ille diuini Solis, qui Chriſtus eſt, prefigurabat imaginem; ſingulariter enim Chriſto Domino aſsimilantur ij, qui & puerorum curam ſuſcipiunt, & vinculis illorum rum pendis operam nauant. Hi ſunt veri è Societate Ieſu, quibus rudes pueri, & elingues commẽdantur, ijque ligatis pedibus, & manibus; ſed Chriſtiferi, & veri Ieſuitæ Ignatij flammis igniti pueros accipiunt, quorum dum vitam inf rmant, vincula ab rumpere indefeſsè laborant. Et quo alligatos, & mutos recepere, breuis tempore reddunt Domino, & expeditos, & cãtu cœleſtis doctrinę ſonoros. Hoc ſtudio, & labore circa pueros Ieſuitæ adeò Deo placent, vt crediderim ideò illis conceſſum eſſe hunc maximum ſplendorem, quo lucent per vniuerſas orbis nationes, & quo in maiori hæreticorum potentia ipſi penè ſoli Ieſuitæ orthodoxam fidem integram, inuiolatamque propugnent, & cuſtodiant. Sæpiſſimè animo meditatus ſum, cur Deus Regnum ſuum ab Iſraelitis, & Iudæorum potentia ablatum Romano crediderit Imperio. Et dum recolo vltimos Iudæorum Reges, in quibus Dei Regnum ſtetit, & tranſlatum eſt ad Romanos, & primum Imperatorem, qui accepit Eccleſiæ tutelam, incidi in Herodem, & Conſtantinum: ille ſic ſæuus in pueros, vt nec proprio filio parceret, dum cum innumeris infantibus iugulet deificum puerum. Hic adeò in pueros benignus, vt mallet lepra conſumi, quàm vel vnius pueri fœdari nece, ſicque quos ad mortem alligatos vidit, ſolui præcepit, matribuſque cum muneribus reddi. Quid plura? Puerorum oſori, & internectori eripuit Deus Eccleſiæ Regnum, & illud credidit Romanorum Imperatori, vtpotè in pueros benefico. Accinit Berengoſius Abbas, libro tertio de Inuentione Crucis, capite quinto, ſic fatus. *Herodes ſempiterni Regis ortum molitus extinguere, in ceruices infantium gladium ſuum ſolebat cruentando diſtinguere. Conſtantinus verò mitiorem ſe illis volens oſtendere, mucronem ſuum à ceruicibus infantium pia cœpit deuotione ſuſpendere. Herodes ſaluti ſuæ malè conſuluit, & malè prouidit, dum pro occiſione vnius pueri multos pueros occidit. Conſtantinus verò ſaluti ſuæ meliùs prouidere ſolebat, dum plurimorum ſaluti, ſalutem vnius præferre nolebat.* Sic Ieſuitæ, dum nec labori, nec ſudori, nec ſaluti, nec vitæ parcunt, vt pueros confirment. & expeditos Chriſto Domino reddant, ideò ab eo eliguntur, quibus medios inter hæreticorum exercitus fidem ſuam credat, & illos cum imperio Chriſtiano faciat florere. Alius dicet, hunc Ieſuitarum laborem præfiguratũ in duobus his Diſcipulis, quibus Dominus iubet ſibi pullum afferri, quorum nomina non exprimuntur, vtique qui illos ſignificabant, qui non aliud nomen habebant, niſi nomen Ieſu, à quo mittendi erant. Quibus ego dicarem cãticum illud quo ſe filius Dei exaltat, Pſalm. 8. nimirum. *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem tuam.* Vel vt alius trãsfert. *Ex ore infantium, & lactentium fundaſti fortitudinem.* Quaſi hoc habeat ſingulare Societas Ieſu, quòd eius robur, & potentia ab infantium, & lactentium inſtructo ore præfulgeat. Hic præclarè addubitat D. Chryſoſt. dicens. *Quam ob cauſam alijs prætermiſ-*

*Sinait.* *Daniel. 3. Chryſoſt.* *Beren.* *Chryſoſt.*

*termissis miraculis, mortuorum resurrectione, dæmonum expulsione, nunc puerorum miraculi meminit? Quoniam illa quidem etiam antè facta sunt, & aliquid inter se commune habuerunt. Suscitatus est enim mortuus sub Eliseo, & dæmon per Dauid expulsus est. Chorus autem infantium, & lactentium nunc primùm locut⁹ est.* Et quidē miracula alia, & clarissima, cō munia sunt omnibus sacris ordinibus, at ꝙ lactentium chorus salubriter loquatur, id singulare est, & nouum scholis debitū Societatis in id incumbētis ex proprio instituto, ideoque tota eius fortitudo, omissis alijs, in eo fundatur, & stabilitur.

*Text.* Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite: quia Dominus his opus habet: & cōfestim dimittet eos.

## §. IIII.

### *Qui Dominum præ se ferunt, facili negotio ad se omnes creaturas trahunt,*

OSI nos soli, & Increato Domino penitùs traderemus! si huius præpotentis Domini nutui obsecundaremus! Sanè sub tāti Domini signo cunctas res creatas ad nos aduolare feciſſemus. Vidisti aliquā do sapiētes veneficos, qui vel verbulo facto segetes per aëra trahunt, flumina ab alueis eliminant, lapides, domosque ad se festinare faciunt? Sic illa apud Virgiliū eglo ga 8. immensum gloriatur.

*Virg.*

*Carmine vel cœlo possum deducere Lunam.*
*His ego sæpè lupum fieri, & se condere syluis*
*Mœrim, sæpè animas imis exire sepulchris,*
*Atque satas alio vidi traducere messes.*

Mōstrosa hæc, & mēdacia, sed quæ diuini carminis præoperatricem virtutē manifestant. Hoc est illud, dicite, *quia Dominus his opus habet.* Sub tāti enim Dñi signo cōfestim omnia parēt. Fœlix ille, & beatissim⁹ incātator, qui iuxta Christū in ligno pēde bat, hoc vnū ore resonat, verbū dicā? an carmen? nimirū: *Dñe memento mei dum fueris in regnum tuū.* Et ecce tibi confestim adueniens illi totus paradisus apparuit, *Hodie mecum eris in paradiso.* Quid plura? Accipite D. Athanas. orat. in Parasceue, sic exclamantem. *O latro, miriū incantamentū, tibi ad thesaurū hunc miriū conciliandū excogitasti. Dum euocas Dominū, dū sub Domini signo efflagitas, ea cōficis carmina, quę animā à peccati barathro extrahant, quæ te de lupo agnū faciāt, quæ tibi æternas gloriæ segetes, spirātesque vitā paradisos cōfestim, nulla interposita mora, trahant.* Non aliter dux ille Israelitarū fœliciſsimus, & sanctiſsimus Iesus Naue ausus est æternas Solis, & Lunæ leges obliterare, & concitatissimos cœlorū axes figere. Sed vide quo carmine id faciat Iosue 10. *Tunc loquutus est Iosue Domino in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis. Sol contra Gabaon ne moueris, & Luna contra vallem Ailon; steteruntque Sol, & Luna.* Itaque dum Domino loquitur, dū sub Domini signo agit, potens est Solem, Lunamque deducere cœlo, astris imperare, cui omnia statim sine mora famulantur. Sic Caietanus ait. *Iunge prudens lector duo hic scripta videlicet, quod tunc loquutus est Iosue Domino, & quod in modum imperantis direxerit sermonem suum ad Solem, & Lunam.* Ideo Petrus, qui vane tota nocte piscibus capiendis in sudauerat, Luc. 5, viso Domino ait. *In verbo tuo laxabo retia.* Quid tunc D. Amb. *O non vacua præsumptio! ô humilitas fructuosa! Qui nihil ante cœperant, magnum in verbo Domini concludunt piscium multitudinem.* Vtinam hoc nobis carmen alta mente maneret infixum: vtinam hoc incā tamētum nostra semper lingua resonaret, & nihil præter Dominum loqueremur, & gregatim omnia ad nos videremus festinare. Pulchre Romanus Centurio, Matth. 8. sic ad Christum fatur. *Domine non sum dignus; sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.* Ad hæc Chrysol. serm. 5. *Et sine verbo quid dicitur? sed iste postulat verbum non de loquendi vsu, sed de virtute faciendi: verbum de quo dictum est, misit verbum suum, & sanauit eos. Quia iste credidit in verbo omnes manere virtutes.* Fœlix ille, cui hoc Domini committitur verbum, sub quo facilime cuncta suo subiungauit imperio, ad seque trahet creaturas vniuersas.

*Iosue 10.*

*Caiet.*

*Luc. 5.*

*Amb.*

*Matth. 8.*

*Chrysol.*

## §. V.

### *Christus Dominus in egenis egens in laborantibus laborans amat quam citissime subueniri.*

NON solum misericordia in egenos Deo maxime probatur ex virtutis ip si⁹ pulchritudine, sed ex celeritate. Et enim ideo dicitur ipse cū egenis egere, & cū laborā-



*Athan.*

borantibus laborare, vt quã primũ optet ſubleuari, quando quidẽ ait dicite, quia, *Dominus his opus habet, & cõfeſtim dimittet eos.* Quis indigenti Domino opem ferre non feſtinauit? Quis laborãti Domino auxiliũ, quã primũm negauit? Plane, vt ait D. Cæſarius Arel. homil. 15. *Hoc ipſum quod Chriſtus in pauperibus eſurit, nobis proficit.* Proficit, inquã, quia cellerrimos auxiliatores, & excitauit, & munerauit. Ecce tibi ſepulto Domino deuotiſsimas mulieres diuinum cadauer vngere feſtinãt, de quibus Marc. 16. *Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi, & Salomè emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum. Et valde mane vna Sabatorũ veniunt ad monumentum orto iam ſole.* Quis diligentior? quis feſtinior? Verũ feſtinatum ſanctarũ mulierũ obſequium præueniens Dominꝰ reſurrectionem ſuã maturarat, ne adeo feſtinũ obſequium exhiberetur corpori nõ egenti; ſed egenis, & adhuc laborãtibus mẽbris reſeruaret. Audite dulciſsimũ Bern. ſer. 12. in Can. *Dominus Ieſus paratã ſibi confectionem expẽdi noluit in ſuo corpore mortuo, vt ſeruaret viuo. Viuit enim Eccleſia quæ manducat panem viuum, qui de cælo deſcendit. Ipſi ergo pretioſa vnguenta retinuit, quùm anticipans horã, & accelerans gloriam, mulierũ deuotionẽ non eluſit, ſed inſtruxit, nõ recuſans obſequiũ, ſed reſeruans proficuũ.* Expẽdo illud deuotionẽ nõ eluſit, ſed inſtruxit, inſtruxit, inquã, dum tam feſtinũ obſequiũ vetat exhiberi alij, quã egẽti & laborãti mẽbro Chriſti. Adeo cũ inegenis eget, & in laborãtibus laborat, amat cõfeſtim, & ſine mora Dominus ſubueniri, vt ſibi obſequium non exhiberi diſsimulet, dum egentibus, & laborantibus ſine mora ſubuenitur. Id quod maxime elucet in Ioſue, c. 10. Hic nãque inclytus dux nunquã inconſulto Domino, arma capere conſueuerat, verũ cum laborantibus Gabaonitis ſubueniendũ fuit, non morã facit, vt Dominum conſulat; ſed confeſtim caſtra mouit. Sic ait textus. *Habitatores Gabaon vrbis obſeſſæ miſerunt ad Ioſue: & dixerunt ei, ne retrahas manus tuas ab auxilio ſeruorũ tuorum, accede cito, & libera nos.* Quid tunc? Conſuluit Ioſue Dominum de more? Expectauit ne diuinum reſpõſum? obtulit oblationes, & holocauſta? Imo ſtatim ſine mora, in cõſulto Domino, *aſcendit Ioſue de Galgalis, & omnis exercitus bellatorum cum eo.* Quod adeò accidit gratum Deo, vt proficiſcenti Ioſue vltro, & non vocatus Deus appareret, certioremque illum fecerit de victoria: dixitq; Dominus ad Ioſue. *Ne timeas eos; in manus enim tuas tradidi illos.* Ad hæc Auguſt. quæſt. 14. *Vbi noque conſultus eſt Dominus, vtrum eundum ad eos eſſet, ſed vltro ſuis recte ſubuenire volentibus futuram victoriam pronũtiauit.* Sic erga ſe diſsimulat Dominus obſequium, vt inſtruat, & muneret eos, qui egentibus, & laborãtibus citra moram ſubueniũt. Hinc ille prudens Abrahami ſeruus placituram Domino ſuo æſtimauit puellam, Gen. 24. *Puella, cui ego dixero inclina hydriam tuam vt bibã, & illa reſponderit bibe, quin & camelis tuis potum dabo, ipſa eſt, quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac.* Ad quæ eleganter notat Thomas Anglus, vt hominem liberet à nota leuiſsimi animi, quod nimirum, *diſcreta illa fuit oratio, ſiquidem conditionem poſuit rationabiliter indicatiuã ſtrenuæ indolis puellæ, vtpote actum prõptæ, ptæ, & largæ liberalitatis.* Et vix eſt indicium manifeſtius animæ à Deo præparatæ in ſponſam filij, quam promptũ, & feſtinum obſequium, quo egenos, & laborãtes quis nititur ſubleuare. Hoc maxime Deus amat, in hoc adeo ſibi complacet, vt maluerit in egenis egere, & laborare ſperans confeſtim, & ſine mora ſubuenire, & adiuuari.

Cæſar. Marc. 26. Bernar. Ioſ. 10. Auguſt. Gen. 24. Tho

## §. VI.

### *Chriſtus Dominus egenus ſit, quia maxime ſibi complacet feſtims, & citiſsimis ſuorum obſequijs.*

NON dubitat Chriſtus Dominus ſe indignuſt, & egenum appellare, & oſtẽdere, vbi citato curſu, & feſtino obſequio ſperat ab homine ſubueniri. *Dicite, ait, quia Dominus his opus habet.* Cur te indigẽtem iubes prædicari, ò Chriſte, cum ſis Dominus omnium? Decet ne Dominum egenorum de more, diuitum fores pulſare? hominum bona emendicare? Sed vide quo præmio Deus emendicet, *confeſtim dimittet eas*, vbi citiſsimos videt auxiliatores, vbi homines nouit abſque mora egenos, & indigentes ſubleuare, ipſe Dominus gaudet egere, & laborare, & oſtiatim emendicare. Ecce tibi Dominum Cant. 5. ad amaſiæ oſtium pulſantẽ, & clamãtem: *aperi mihi ſoror mea, columba mea, formoſa mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Proh Deus immortalis! hominum fores pulſat Dominus pauper, & indigus factus, eam præmittens cauſam, quia cincinnos guttis noctium, & rore plenos habet. Qualis eſt hæc cauſa diuinæ egeſtatis, & aſſumptæ indigentię? Equidem Cant. 5.

dē cincinni capitis Chriſti pauperes ſunt, ros eſt feſtina & matutina pauperum recreatio. Sicut enim aurora præteritos æſtus properat ante ſolem placidis guttis irrorare & recreare: ſic multi fideles matutini, & citiſsimi miſeratores præproperis auxilijs feſtinant ſubleuare. Pulchre, & vere id docens D. Paulin. Epiſt. 4. pergit gaudentem Dominum ad ſponſæ fores celebrare ſic fatus. *Guttis noctis noſtræ crines ſuos gaudet eſſe perfuſos, quia ipſius refrigerium, & refectio eſt illa fidelium operatio, qua vel fratres iuuantur, vel inopes refouentur.* Heccine ſunt Chriſti Domini gaudia, hæ ſunt illius lætitiæ ſingulares, quod inopes præproperis foueantur auxilis, quod roſcidis auroræ guttis quam primum egenorum ſites expleātur. Tota ergo aſſumptæ à Deo indigentiæ cauſa eſt, quia gaudet, & lætatur *in* egenis à fidelibus citiſsime ſubleuatis: toti ratio, obquam Deus factus indigus fores pulſat amaſiæ, hominum terit ianuas, quia inquit caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium nimirum, quia ſumme recreatur illa operatione fidelium, qua inopes pernici prope ro refouentur auxilio. Hinc licet æſtimare diuerſum illum fauorem exhibitū duobus hoſpitaliſsimis viris Abrahamo, & Lot Geneſ. 18. & 19. Etenim Abrahami hoſpitium lætantes ingrediuntur, & ſine cunctatione tres peregrini, in quibus filius Dei ſub peregrini habitu apparuiſſe dicitur, ſiue vere, ſiue repreſentatiue, vt fert communior Patrum ſententia. Verum Loti hoſpitium duo ſolum Angeli, & hi cunctabundi, & renitentes aliquanto petunt. Ad hęc Auguſt. ſerm 79 de tempore: *attendite, fratres, qualiter Deus apparuit Abrahamo, & qualiter apparuit Lot: ad Abraham tres veniunt, & ſtant ſuper eum; ad Lot duo veniunt, & ſedent in platea.* Cur ad Abrahā vnus è tribus filius Dei accedit, eiuſque hoſpicij indigus lætatur? Ad Lot decedente Deo, ſoli duo Angeli migrant? Abraham, inquit Auguſtinus, occurit obuiā eis, totus feſtinus adfuit, ait enim text. c. 18. *Quos cum vidiſſet cucurrit in occurſum eorum* De Lot autem cap. 19. ait. *Iuit obuiam eis* Quod Auguſtino breuius ponderat D. Amb. lib. 1. c. 6. fatus. *Perfectior cucurrit obuiam; iſtæ exſurrexit, iuit, & adorauit in faciem.* Non ergo Dominus peregrinus, & hoſpitij indigus apud Lot; ſed apud Abrahamum, à quo præpropero curſu, perniciſsimo volatili gradu, feſtiniſsimo obſequio ſubleuatur. Ibi lætus indiget Dominus, ibi ſolum gaudet indigentiam præferre, vbi nouit celerrimum, & volatile iuuamen, vbi celerem, & citum hoſpitatorem habet Deus ipſe gaudet hoſpitium emendicare, & indigere, vbi hilarem & præproperum datorem habet.

Paulin. Gen. 18 & 19. Auguſt. Amb.

## §. VII.

### *Valde Dominus iraſcitur in eos, qui tardant ſubuenire indigentibus & laborantibus.*

INDIGENTI Domino periculoſe ſubuenire tardas Matth. 21. eſuriit Chriſtus, cucurrit ad ficum; illa verò vt per tempus licebat folia obtulit exhibitura ſuo tēpore fructus. Væ arbori! non enim Dominus indigus nouit expectare tardantes: quapropter iratus maledicta congeſsit in arborem. Quid peccauit ficus, ſi quouis tēpore ficos non habeat? Quæ arbor tale poſſet? Pulchrè Diuus Paulinus. Epiſtol. 33. *Numquid de arboribus cura eſt Deo? Propter nos vtique ſcriptum eſt, in quibus eſcam ſuam ſemper vult Deus inuenire.* Sane non ficus pecauit; ſed homines à Deo maledicuntur, qui non præmanibus habent, quod ſtatim offertā Domino laboranti. Metuo, ne coruant, qui nihil dāt egenis, niſi certis, & ſtatis temporibus, niſi determinatis diebus, aut hebdomadis tranſactis. Niſi forte hoc fiat ex alia iuſta cauſa, & vtiliori communi bono, vt quando annuæ elargitiones fundātur. Iam hinc male audit apud Deū primus hominū filius Cain, qui terræ fructus poſt plurimos expectauit offerre dies. Ait enim Geneſ. 4. *Et factū eſt poſt multos dies obtulit Cain.* Vbi D. Amb, *Duplex culpa, vna quod poſt dies obtulit.* Neſcio an hoſtia Deo grata ſit, quæ poſt multos dies differtur, & hoc etiamſi Deus illa non egeat. Verum quādo Deus eget, quādo laborat, nō dubito quin differentem leuamen reſpuat, abominetur. Tota illa virginum parobola Matth. 25. de eleemoſyna eſt, vt inquit Theophilatus, & alij, vbi quinque fatuæ virgines eleemoſynæ immemores miſericordiæ oleum nō ſecum ſumpſere. O fatuitas Deum expectare, & ſecum non afferre materiam miſerendi, ſi interim Deus accedit in egenis quid tibi futurum ſperas? Ille quaſi famis, & indigentiæ impatiens non ſtatim ſubuenienti iratus illū maledictis proſequitur. Ibo, ais, emam, & dabo: ſic virgines illæ prudentes monebant, itepotius ad vēdentes. Hoc

Matt. 21. Paulin. Gen. 4. Amb.

est, inquit Diuus Hilarius, D. Chrysost. & Hieronym. ite ad pauperes, ite ad indigentes: *dum autem irent emere venit sponsus, & clausa est ianua*, & illæ exclusæ manserunt. O vtinam secum misericordiæ oleum habuissent, sed quia secum non habent, etiam dum eunt ad afferendum, tantis pertardant misericordiam, & maledictis subiacent Domini abominantis tardum leuamen indigentiæ. Vnde merito S. Cyrill. Hierosol. catech. 15. expendens illam Domini aduersus immisericordes querimoniam. Esuriui, & non dedistis mihi manducare, ait. *Iam igitur hæc operari incipe, ne sicut stultæ virgines empturus oleum excludaris*: quasi quæuis mora in eleemosynis largiendis esset nociua. Nouerat hoc oculatissimus Abraham, & maledictum à Domino districtum in eos, qui non statim suos discipulos recipiebant præsentiens illud nimirum, Matt. 10. *quicumque non receperit vos, exeuntes foras de domo, excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis tolerabilius erit terræ Sodomorum in die iudicij*. Hoc, inquam, puluerulentum maledictum Abraham præsentiens peregrinanti Domino occurrit celer, & totus festinus vrget parari prandium, stimulat vxorem, & seruos, & in tanta festinatione adhuc de mora suspectus cadens ad pedes Domini suis ipse manibus, & lauat, & tergit. Sed cur pedes ipse lauat? Sane sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, vt percussuram manum teneant, & ictum effugiant; sic Abrahamum, etsi festinissimus adhuc demora timidus pedes Domini tenet, vnde præsentit in inhospitales viros maledictum eiaculandum puluerulentum. Sic eleganter D. Augustin. sermon. 69. de tempore. *Lauate peregrinantium pedes, ne forte in illis remaneat puluis, quem ad iudicium vestrum possint de pedibus vestris excutere. Sic enim in Euangelio dixit, qui non exceperint vos exeũtes excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis tolerabilius erit terræ Sodomorum in die iudicij. Hoc ergo præuidebat Abraham, & ideo volebat præuenire, & lauare pedes, ne quid forte pulueris resideret, &c.* Adeò sanctissimus vir Domini seueritatem nouerat in castigandis illis, qui tarde, & morosè egentibus subueniunt vt in summa festinatione adhuc sibi ab hospite metuens, quasi suplicij instrumenta teneret, lauabat à puluere pedes. Hinc totam calamitatem Regis AEgypti D. Ambr. æstimat libr. 1. de Abel, & Cain, cap. 9. Etenim vniuersi AEgyptij summis in dies plagis afflicti, & pleni miserijs enixe à tantis malis liberari contendebant. Adest mitissimus Moyses Regi, *Exod. 8.* & ait Exod 8. *Constitue mihi diem, quando pro te orem, & pro famulis tuis, & pro populo tuo*. Cui Rex barbarus, crastina die, pulchrè D Ambr. *Ociosus, & negligens, moræ pœnam, Ægypti soluturus excidio* Sic *Amb.* Deus irascitur in eos, qui leuamen afflictis, & egenis tardant, sic feram misericordiam fastidit, sic morosum datorem indignatur.

Hilar. Chrysost. Hieron.

Cyril.

Matth. 10.

Augustin.

## §. VIII.

### *Iustissime petit sibi munera à subditis Princeps, quando linguæ addit ora vulnerum, & laborum pro illis.*

MEMINI Diui Zenonis acumen, qui sermonem integrum conficiens de illa virtute quę est propria Principum, nempe iustitia sic fatur. *Est autem iustitia in publicum tota prominens, atque diffusa, sit tamen, vt sentiri se magis, quam videri cupiat.* *Zeno.* Quod ego etiam in exigendis muneribus verissimum puto, etenim iustissima erit exatio illa cuius iustitia non tam audiatur, quam sentiatur, non tam percipiatur ex lõga peroratione Rethorum, quam x puluere ex laboribus ex angustijs subeũdis à Principe pro subditis. Pulchre notat Rupert quando iubeatur Dominus omnium Christus postulare, nempe Psal. 2. vbi dicitur, *postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*. *Psal. 2.* Sed vide quali tunc in discrimine constitutus sit Dominus, qui totus in se mundum insurgentem conspicatus, inquit. *Quare fremuerunt gentes: & populi meditati sunt inania. Astiterunt Reges terræ: & Principes conuenerunt id vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Quasi diceret cunctæ in me rebellarunt furiæ: milite multo cingor, in arenam descendi pugnaturus, totus cantus puluere, quo medio audio patrem dicentem mihi. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, tunc medio in puluere iam iam debellaturus hostem eò deducta re, vt mori, & vincere deceat, tũc postulare iubeor. Quid plura? *Audito verbo*, inquit Rup. *postula à me modum postulationis debemº noße. Quomodo nisi moriẽdo postulaut? Humilitas eius passionis postulatio fuit. Est igitur sensus. Idcirco quãdo fremuerunt*

*mueruñt gẽtes, quãdo astiterunt Reges terræ, & Principes cõuenerunt in vnũ aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, idcirco tacui, & semper silùi, quia Dominus Pater dixit ad me, postula à me, dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Expendo idcirco tacui, quia Pater dixit, postula; imò tunc debebat clausa ora aperire, imò, tunc magis loquendum erat illi, siquidem postulandi, & expostulandi copiam acciperet. Sed qui dominium vniuersi accipiebat, qui mundialium omnium regnum tenebat, non ore linguæ; sed ore vulnerum pro subditis postulat. *Quomodo nisi moriendo postulauit? humilitas eius passionis postulatio fuit.* Hæc est digna tanto Principe postulatio, quæ ore vulnerum fit, quæ petitur non tam linguæ clamoribus, quàm laborum, quàm pulueris, quàm indigentiæ pro subditis acceptæ. Itaque Dominus omnium, & Rex Christum tunc postulat sibi asinam dari, quando necessitas fundendi sanguinem pro mundo vrget: quando festinat ad arenam dæmonum tyrannidem debellaturus; quando properat se in mortem dare, tum laborum, pulueris, indigentiæ ore postulat, & exigit munus à subditis. O exactio digna diuino Principe! O exactio, qua minimè subditi grauantur, imò potiùs quam festinatissimè, & cum magno sui discrimine persoluere procurabunt. Quæ durior res à Rege expeti posset, quàm a-
2. Reg. 23. qua illa à Dauid expetita. 2. Reg. 23. Infinitus penè hostium exercitus tenebat Bethlehem campos, quorum vires experturus erat quicumque ad cisternarum oppidi accederet aquas. Nihilominus Dauid media in acie sitibundus, medio è puluere belli ad suos clamat. *Quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem?* Quis subditus audire posset tam durum sui Regis mandatum? Vbi securas aquas haberet è propria domo, exigit ex medijs hostibus sibi aquas portari? & quia Regis pugnantis, & pulueulenti exactio fuit,
Sophr. adeò grata extitit subditis, vt non dubitarent se in periculum dare, & afferre aquam. Sic expendit Sophronius homilia de Christi Natiuitate. *Tres fortissimi pugnatores Regis desiderio comperto, ipsumque non sine æquissima causa dicere audientes, quis daret mihi potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem, rati aquæ, quæ sensu percipitur, desiderium illum teneri, in manifestum vitæ periculum prorruerunt, eximiam, & admiratione dignam in Principem benevolentiam, inuictumque erga salutarem eius sermonem, studium, & ardorem demonstrare instituentes.* Petant ergo Reges non tam ore, quàm sudore, quàm labore pro subditis exhibito, si velint etiam durissimas quasque exactiones à subditis adamari. Nihil graue est subdito pro Domino, quem sui causa videt laborantem, & vel sanguine suo regiam sitim sui occasione tuẽdi acceptem gaudens leuabit.

*Textus.* Hoc autem factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, & sedens super asinam, & pullũ filium subiugalis.

## §. IX.

### *Solus Christus verus Rex, qui nihil sibi, sed omnia recepit suis.*

HOC maximè regium est, vt Rex non sibi, sed suis viuat, non sua; sed subditorum negotia peragat. Hinc Diuus Basilius ponderans illud Ecclesiastæ, *Salomonis Regis*, ait, *hoc differt Tyrannus à Rege, quòd ille sua commoda, quommodocumque, & vndecumque respicit: hic subditis consulere tantùm quærit.* Sed quis ita regius inuenitur, qui non sua quærat? Quis adeò subditorum saluti insudat, vt nihil expectet? Sanè Tertullianus, forensibus negotijs demissis, vni sibi va- Tertull.
cans, hoc vsurpabat vulgò dictitatum libr. de pallio. *Erat olim ista sententia: Nemo ali nascitur moriturus sibi.* Quasi hoc sit omnibus insitum morituris, quòd sibi nascantur, quod sibi viuant. Vnde cæteris animalibus imperatura natura hominis cùm à Deo conditur, simulque inauguratur, vt acutè notat D. Gregorius Nissæn. libr. de creatione homin. cap. 4. *Pro purpureo velamine vestita virtute est; quæ omnibus regalibus ornamentis pretiosior approbatur: pro sceptro verò beatitudine, & immortalitate sustollitur.* Etenim regiũ sceptrum, quod totum ad alios est, non

rectè fundatur in morituris manib⁹, adeò, vt cùm homo perdidit immortalitatem, ex templo etiam perdiderit regnum animalium, quippe nemo alij nascitur, moriturus sibi. Vnus ergo Christus Dominus verus, & solus omnium Rex, qui nec sibi nascitur, nec sibi moritur; sed etiam moribundus venit suis. Ideò notanter dictum crediderim in præsenti, ecce Rex tuus venit tibi, quando Hierosolymis occidendus accedit, quando inimicorum se se offert insidijs, quãdo se nefarijs tradit iudicijs non sibi mortem timet; sed nobis mortem proficuam assumit. Hinc desipientes Pharisæos, qui dicunt, *Si Rex Israel est, descendat de cruce.* Matth. 24. *Matt. 24.* eleganter pungit Bernard. serm. 1. de Passione. *Bernar.* *Imò verò*, ait, *quia Rex Israel est, titulum Regni non deserat, virgam Imperij non deponat.* Quidni? Adeò regium est mori? Cur mors regni titulus dicetur? Quando ad regium culmen mors ibit? Serui moriuntur, mancipia intereunt, & mors erit regni titulus? Equidem serui moriuntur sibi, vt qui sibi etiam viuunt; verùm Christus Rex omnium, & Saluator nihil accipit sibi, etiam nobis moritur. *Amb.* Quo circa noluit descendere de cruce. Pulchrè Ambros. libr. 10. in Lucam. *Noluit descenderet, ne descenderet sibi; sed moreretur mihi.* O vnicus Rex Israel, & verus Rex vniuersæ creaturæ, qui nihil sibi accipit, nihil sibi præsumit, & mori, & viuere donat suis. *Athan.* Ad hæc scitè Diuus Athanasius, de Passione, & Cruce, ait. *Omnia diabolus mouebat, & quidem præter animi sententiam promittebat, modò efficere posset, ne Christus Dominus moreretur, & ad inferos descenderet. Denuò igitur Iudæis author fuit, vt dicerent, si Rex Israel est, descendat de cruce, & credimus ei. Dominus autem re vera Seruator, qui non sua; sed nostra quæreret, non in se saluando, sed in creatura redimenda Saluatorem se esse innotescere volebat. Non item Sol suum iubar in se contrahens pro lumine agnosceretur, nisi etiam orbi terrarum suos radios exporrigat, & tenebras illuminet.* Hinc æstimandum est decus regium, quòd Rex non sua quærat; sed subditorũ; quòd nihil sibi accipiat; sed omnia, & vitam, & mortem donet suis. Hinc Christus Rex, & Dominus omnium verus, & vnicus censeri voluit, sese totum tradens subditis, nihil enim magis regium est, & imperatorium. Id quod in Dauidis *1. Reg. 16.* Regis vnctione notat D. Gregorius in 1. Reg. cap. 16. vbi dicitur, quòd Samuel *vnxit eum in medio fratrum suorum.* Ad hæc Gregorius. *In medio vngitur, vt se priuato a more non diligat; sed ex omni, quod præeminet, lucra aliorum quærat. Vnde, & Saul solus in extrema parte ciuitatis vnctus fuisse perhibetur. Quid est ergo, quòd solus à solo iniungitur; nisi quia de culmine potestate per amorem priuatum debebat intumescere.* Hæc ille, boni, & mali Regis insinuans discrimen. *Greg.*

## §. X.

### *Regia sublimitas, & firmitudo in eo consistit, quòd Rex subditorum periculis accurrat.*

SOLEMNISSIMVM Regibus, imò & notissimum cognomen, quòd bases Rꝛipublicæ dicantur, eæque firmissimæ, quibus tota nitatur moles politici ædificij. Quid basibus magis detrimentosum, quàm mobilitas? Quid Regibus periculosius, quàm huc illucque discurrere? Et ecce ait, *Rex tuus venit tibi.* Nonne magis regium esset, si non ipse veniret? si domi immotus quiesceret? Vbi firmitudo, & regia stabilitas in Rege huc illucq; discurrente? Et quidem nil magis in Regibus, & Principibus firmum, & stabile, quã periculis subditorum occurrere. Huc spectat Theologus Naziãzenus, epistola 92. *Nazianz.* fatus. *Et firma res est multis bene facere, etiam si non sis loco firmiter affixus. Nisi etiam Solẽ accuset, quòd radium spargens circumcurrit, & omnia viuificat, quæ accedit. Aut stellas non errantes laudet; planetas verò vituperet, quorum etiam error concinnus est.* Etenim regalis firmitas, & stabilitas non in eo sita est, quòd Rex vno fixus loco grauedinem potiùs marmoream præferat, quàm imperatoriam maiestatem ostẽdat; sed potiùs, quòd Solis instar occisimo volatu omnia benefaciendo lustret. Ecce tibi regnantis Dei effigiem Exechieli repræsentatam, vt multi docent Doctores, teste Origine, & D. Hie- *Orig.* ronymo, in ea erant in primis quatuor per- *Hieron.* nicissima, & alata animalia, quæ perpeti volatu quocumq; discurrunt, omniaq; mũdialia instar fulguris lustrant. Deinde quatuor volubiles rotę, quæ non tam raptãtur, quàm ipsæ vitali motu occisimæ post animalia gradiuntur. Insuper, & animalia, & rotæ quietis expertes, nullibi sistunt; sed huc illucque indeficiẽter discurrunt. Quid *Ezech.* plura? *Et similitudo super capita animalium, firma-*

*firmamenti. Et super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis saphyri similitudo throni, & super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper.* Nihil in tota hac celebri visione, & representatione mihi magis accidit admiraculum, quàm quòd discurrentibus animalibus rapidissimis rotis super thronum sedentis, & regnantis firmamentum insideat. Id quod notanter exhibuit Diuus Hieronymus, dum inquit: *Videtur super quatuor animalia, & rotas totidem similitudo firmamenti.* Et qualiter in rotis volubilibus, in euolantibus animalibus firmamentum, & id firmamentum, cui firmus thronus regnantis insideat? Equidem quia regnantis firmamentum est, nunquam firmum, & stabile, nisi cum rapidissimo volatu occurrit singulis, & sese facilem præbet vnicuique. Etenim *firma res est multis bene facere, etiam si non sis loco firmiter affixus.* Id quod in Panegyrico de sapiente laudauit Pacatus in Theodosio Imperatore Maximo verbis alibi dictis. *Creber*, ait, *egressu expectantibus populis te fateris: nec videri modo pateris; sed facilis adiri è proximo accipis vota tuorum.* Quasi nihil regalius inueniret in Principe, quàm quòd ipse exeat ad suos, quorum laboribus, vt Sol præstò sit, illosq; bonis impleat. Quod in se ad regium culmen videtur desiderasse Salomon. 3. Regum 3. quando sic ad Deum est locutus. *Et nunc Domine Deus, tu regnare fecisti seruum tuum pro Dauid patre meo: ego autem sum puer paruulus ignorans egressum, & introitum meum.* Quis Rex ignoret egredi ad suos? quis nesciat subditos conuenire? Porrò omnium Dominus & Rex Christus, ipse omnibus adest, singulis occurrit, vniuersosque laborantes visitat, vt ad salutem perducat.

Hieron.

Pacat.

3. Reg. 3.

## §. XI.

### *Magna Christianorum est gloria, quòd Regis Christi serui nominemur, & simus.*

MIRVM alicui videbitur, quòd iubeamur in præsenti exultare, cùm tanti Regis dominatum subimus: ait enim Zacharias cap. 9. *Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem, quia Rex tuus venit tibi.* Cur exultemus sub Rege? Cur iubilemus facti serui sub tributo? An seruitus potuit vnquam homini afferre lætitiam? Sanè Regi Deo seruire lætissimum, & glorioßissimum est cunctis hominibus. Dauidem Dominus exaltare cupiens, & sibi maximis beneficijs deuincire, dixit Natan. 2. Regum, cap. 7. *Vade, & loquere ad seruum meum Dauid.* Quæ examinat verba Theodoretus, quæst. 22. ait: *Primùm quidem eum delinijt appellatione seruitutis? Dic, inquit, Dauid seruo meo; est autem summus honor appellari seruum Dei.* Expende illud, eum delinijt appelatione seruitutis, eum, inquam, qui Regni tenebat clauum, qui gloriam præferebat militarem, qui promissionem acceperat se fore Patrem Verbi diuini nasciturі. An non gratius Dauidi existeret, quòd à Deo Pater vocaretur? An non acceptius, si diceret, dic parenti meo Dauid? Non equidem sic Dauidis deliniret animum appellatio parentis, quàm appellatio seruitutis, summus est honor appellari seruum Dei. Hinc ille Christi Domini consanguineus Iudas Thadæus sese maximè extollens, consanguinitatis diuinæ immemor, hanc meminit sui ad Dominum seruitutem. *Iudas*, inquit, *Iesu Christi seruus, frater autem Iacob.* Vbi Clemens Alexandrinus pulchrè notat. *Cùm esset propinquitatem Domini, non tamen dixit fratrem eius esse; sed quid dixit? Iudas seruus Iesu Christi, vt potè Domini.* Quid fratrem memoret, vbi Dominum sciuit? nouerat quidem cum Christo eam se habere necessitudinem, sanguinisque coniunctionem, qua posset frater eius vocari; sed beatius, & glorioßius sibi putauit futurum, si tanto Domino suã præferret seruitutem, non frater, sed Iesu Christi seruus exhibitus. Hinc Maria in Dei matrem assumpta sese profert ancillam. Luc. 1. *Ecce ancilla Domini.* Vbi eleganter Ambrosius. *Ecce ancilla Domini, apparatus officij est*, quasi diceret, ne in ancillę cognomine vilitatem aliquam, & exinanitionem autumes; sed maximum, & glorioßum apparatum, quo officioßa Maria Deo obuiam currit. Vnde Diuus Epiphanius, ait: *Virgo sublimior Angelis facta est, superiorì ipsis Cherubim, placens Christo Regi, à Deo in honore habita tanquam ancilla digna:* quasi omnes Marianas glorias, & excellentias, quibus se super Cherubim extollit, hoc vno Regis Christi ancillæ cognomine æßimauißet. Huius nobilißimę seruitutis gloriã præsensit ille Babylonius Rex, quando seruatorũ ab igne suo puerorum miraculo

2. Reg. 7.

Theod.

Iudæ. 1.

Clc. Alex.

Luc. 1.

Amb.

Epiph.

attonitus, ſic humilis eos compellabat. Daniel. cap. 3. *Sidrach, Miſach. & Abdenago ſerui Dei altiſsimi, & egredimini, & venite.* Expende illa, ſerui Dei, quæ ita perſtringit D. Chryſoſtomus, homilia octaua, ad Epheſios. *Suauiſsima voce illos appellauit: hoc ipſo illos blandiendo veneratus eſt. Nam non ita gauiſi fuiſſent, ſi vel Reges eos, vel orbis Dominos vocaſſet, atque quòd dixit, ſerui Dei.* Hinc Diuus Cyrillus Alexandrinus, de Incarnatione Vnigeniti. cap. 3. Chriſtianorum glorias ponderat, quòd populus Iſraeliticus ſub Moyſe ſeruilem habitum induerent, nos Chriſtiani ſub vno Rege, & Saluatore Chriſto. *Dicet aliquis, adqui Moyſi dictus eſt populus Iſrael? Ab hoc dicimus, quòd Dei quidem populus nominatus ſit; verùm quoniam ad defectionem deductus eſt, & vitulam fecit, inhonoratus eſt à Deo. Non enim ſuum nominare populum dignabatur; ſed cum iam homini deſtinauit. At nos non ita; nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius.* Quo extollimur gloria, & honore ſummo. Sanè ad ſummam Moyſis commendationem dicitur. Deuteron. cap. vltim. *Mortuus eſt Moyſes ſeruus Domini.* Quæ verba expendens D. Gregor. Niſſæn. ait. *Quid igitur hiſtoria nos hinc admonet? ad vnum eſſe nobis finem in hac vita reſpiciendum, vt ſerui Dei nomen aſſequamur. Finem autem dico, cuius gratia cætera ſunt. Nam vt agriculturæ finis eſt frugum perceptio, ædificationis ædium eſt habitatio, certaminis corona; ſic virtuoſæ vitæ finis eſt, vt ſeruus Dei ſis, & vocaberis.* Hæc ille.

*Dan. 3.* *Chryſoſt.* *Cyril.* *Deut. vlt.* *Niſſen.*

## §. XII.

### *Nullo magis omnium ſibi animos debellat, & deuincit Princeps, quàm manſuetudine.*

QVEM non expugnauit Rex Chriſtus, Rex, inquam, nullo alio ſuperbiens titulo; niſi eo, quem accipit à manſuetudine? Rex tuus venit tibi manſuetus, extunc nullus erit, qui non abeat poſt Chriſtum. Præcurſor ille diuinus. Ioann. cap. 1. vt homines ad Regem Chriſtum traheret, magnalia referebat de Chriſto, diuinum eius genus, ſublimitatem vitæ, excellentiam perſonæ, magnitudinem muneris: & his omnibus proficiebat nihil. Tandem quadam die videns Ieſum, ſolùm dixit, *Ecce Agnus Dei: & audierunt duo Diſcipuli dicentem, & ſecuti ſunt Ieſum.* Et quidem dum Agnus proponitur Chriſtus, dum à manſuetudine commendatur Princeps, tunc omnium ſibi allicit animos, & deuincit. Id quod in præſenti ponderauit Diuus Chryſoſtomus. *Intuere, ait, hoc loco, quòd neque cùm dixit, poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, neque cùm non ſum dignus ſoluere eius corrigiam calceamenti, quemquam lucratus eſt. Verùm cùm de Chriſti generatione verba habere, & in humiliorem ſermonem deſcendere cæpit, nempe ecce Agnus Dei, tunc ſecuti ſunt Diſcipuli.* Et quis reſiſteret manſuetiſſimo Principi? Quē Rex manſuetus ōn ſuo ſubiugaret imperio? ſibi non traheret, & deuincieret? Pulchrè Diuus Bernardus ſermone primo de Reſurrectione, Agni manſuetiſsimi fortitudinem, & potentiam expendit, illud Apocaly. cap. 5. aducens, quando flentem Ioannem ſolatur vnus de Senioribus, & ait. *Ne fleueris, ecce vicit Leo de Tribu Iuda, radix Dauid: & vidi, & ecce in medio throni Agnum ſtantem tanquam occiſum, & veniens accepit librum de dextera ſedentis in throno, & aperuit librum.* Quem nec in cœlo, nec in terra fuit, qui poſſit aperire, vnus Agnus aperuit; ſed quid non aperiret Agnus? quid non ſolueret Agnus? quid non poſſet Agnus? *Leonem Ioannes audierat,* inquit Bernardus, *& Agnum vidit. Agnus accepit librum, Agnus aperuit, & apparuit Leo. Denique dignus eſt (aiunt Seniores) Agnus qui occiſus eſt, accipere fortitudinem, non manſuetudinem dimittere; ſed accipere fortitudinem, vt & Agnus maneat, & Leo ſit.* Quippe tunc Leo, tunc omnium fortiſsimus ad vincendos, & deuincendos animos literatorum, quando Agnus mitiſsimus apparuit, dum Agni manſuetudinem præſetulit, validiſsimum robur, incredibilem accepit, & induit fortitudinē, qua vniuerſum mundum expugnauit. De potentiſsimo hoc Agno occiſo dicebat Abacuc, cap. 3. *Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius.* Ad hæc Drogolibro de Sacramento Paſsionis. *Quæ eſt autem fortitudo tua; niſi manſuetudo tua?* Hæc fortiſsimorum impetum fortior ipſa ſuſtinet, hæc robora aduerſantia emollit, ac delinit, hæc ſerpentinos furores incantat, hac præcinctus Dominus omnia ad ſe traxit, huius vi, & potentia rebelles animos Principes viri detriumphabunt. Inde factum eſt, vt in Iordane declarandus Dominus, & quaſi creaturarum Princeps inaugu-

*Chryſoſt.* *Apoc. 5.* *Bernar.* *Abac. 3.* *Drog.*

randus,

randus, supra caput suum columbam à cœlo dilapsam ostentaret. Cuius rei mysterium sic enucleat, Diuus Amselmus in Lucam cap. 3. his verbis: *Rectè sicut colũba Spiritus in eum descendit, vt eius mansuetudinẽ nobis intimaret, ipse enim Iudex est generis humani, sed quis eius ferret iustitiam, si priùs quàm nos per mansuetudinem colligeret, culpas nostras per zelum rectitudinis examinare voluisset? Homo ergo pro hominibus factus, mitem se hominibus præbuit. Noluit peccatores ferire, sed colligere. Priùs voluit per mansuetudinem colligere, vt haberet quos postmodum iniuditio saluaret.* Etenim ad trahendum, & colligendum est efficacissima mansuetudo. Psalm. 48. sic ad vniuersas nationes prædicatur. *Audite hæc omnes gentes, auribus percepite omnes qui habitatis terram.* Postquam enim Dominus exercituum ad humanitatẽ sese inclinauit, iam Israelitici populi angustias pertessus, ad vniuersas gentes explicandas euolauit. Sed quibus hamis id faciet? Sanè mansuetudinis hamo, ita eleganter Theodoretus in Isaiæ oration. fatur: *Lex in literis instruebat solum Israelem secundum carnem: Dominus autem noster Iesus Christus cùm mansuetudinis rete explicasset, totam piscatus est terram, quæ sub cœlo est.*

## §. XIII.

### *Dei sedes nullibi gratior, quàm in afflictis & laborantibus paratur.*

QVis bruteſcentem naturam hominis hic non lachrymatur? Sanè duo hæc bruta Christo Domino allata duo populi sunt sacris Doctoribus, nẽpe Gentilis, & Iudaicus; duo, inquam, populi sunt peccatorum sarcina graues, laboribus & ærumnis contriti, misera seruitute exagitati. His tamen insidet Dominus, cui in laborantibus & afflictis gratissima sedes paratur. Accipite Ezechielem ca-
*Ezech. 27.* pit. 27. opulentissimam Tyri vrbem ad nomenclaturam nauis efformantem, vbi vrbs, non vrbs dicitur, sed nauis; turres, non turres; sed puppes vocantur, sapientes, gubernatores dicuntur, siue remiges, siue nautæ, lineæ merces, fericæ vestes appellantur vela. Quid plura? Inter alia, ait: *Transtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico.* Quę verba explanans Hector Pintus, putat transtra nauis esse sedes remigum, quas Hispani dicunt, *bancos de crugia*, vbi flagellum resonat, vbi gemunt serui coacti, vbi nocentes improbo plectuntur labore. Hæc sunt nauis transtra; sed quæ ciuitatis pars transtrorum nomine designatur? eam attigit Theodoretus, qui legit: *Templa tua ex ebore.* Quid mirabilius, quam quòd templa dicantur transtra nauis? quid templum cõmune habet cum transtris? Multum, & per omnem modum: quippe templum sedes Dei est, vbi singulari quodãmodo quasi in propria sede adest Deus, vt clamantes, & orantes audiat. Rectè igitur nauis transtra ad templum transferuntur significandum, quandoquidem in transtris, vbi miseri vapulant, vbi degunt laborantes, afflicti, ærũnosi, ibi medius insidet Deus, ibi diuinæ sedes est maiestatis. Sedes Dei est, templũ Dei est afflictorum & laborantium hominum animis. Huc spectat, D. Fulg lib. 2. *Fulgen.* ad Trasimundum Regem cap. 17. sic fatus: *Solus non est, cui Christus in fuga comes est: solus non est, qui templum Dei seruans, vbicumque fuerit, sine Domino non est.* His solatur Fulgentius eos, qui persecutionẽ patiuntur, qui afflicti sunt in solitudinibus errantes, quibus adest fidelis comes Christus in laboribus, in afflictione; quibus Deus insidet, adeò, vt meritò sedes Dei, & templum intimis habere dicantur in animis. Audito captiui, & afflicti Danielis responso cap. 2. *Rex Nabuco-* *Daniel.*
*donosor, cecidit in faciem suam, & Danielẽ adorauit, & hostias, & incensum præcepit vt sacrificarent ei.* Cur hãc dementiã ebibit Rex, vt captiuũ, & afflictũ hominẽ adoraret? Et cur nõ adoraret captiuũ, quando captiuus & seruus templũ Dei est? Ita Ricard. Victorin. de eruditione interior. homin. part. 1. cap. 36. dicens: *Illum quia verè Dei templum esse deprehendit, tali honore dignũ iudicauit.* Et priùs templi sedem deseret Deus, quàm deserat laborantium & afflictorum sedes, vnde dum Hierosolymorum templum adirent parentes Iesu, Iesum puerum amittunt, quem anxij, requirentes, tandem in templo ipsum inueniunt, cui sedulam inquisitionem obijcientes dicunt: *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Ad hæc Iesus apud Timothæum Hierosolymitanum, oratione de sancto Simeone; *Vt quid me quærebatis. Sed & vbi me querebatis? In cœlum non ascendistis, ad infernum non descendistis, in ceto Ionæ non habitastis.* Ecce tibi quasi sedes designat, in qui-

bus, quando in alijs omnibus non inueniatur, ſine dubio poſſet inueniri. Nimirum in cœlis, vbi glorificans beatos adeſt. in inferno, vbi mulctat nocẽtes, & in ceto Ionæ, hoc eſt vbicumque aliquis afflictus & laborans ſit, etſi à malis & calamitatibus deuoratus eſſe videatur. Ibi ſedes certiſsima Dei, ibi Deum aſsidentem inuenies, quando vel in templo amiſeris, vel nec in altari illum inuenire valeas.

*Text.* Euntes autem Diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis Ieſus: & adduxerunt aſinam, & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eũ deſuper ſedere fecerunt. Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via turbæ autem, quæ præcedebant & quæ ſequebantur, clamabant dicentes, Hoſanna filio Dauid.

## §. XIIII.

### *Diui Parẽtis mandatis obedienti meritò adeſt regius comitatus, & regia acclamatio.*

PArenti Deo obediens vſque ad mortẽ factus Chriſtus Ieſus, dum aſinæ, & pullo eius humilis & abiectus inſidet, regiã inuenit acclamationem, & comitatum. Quid mirũ? hoc eſt eorum qui parentibus obediunt, præmium ſingulare. Equidem primus Iſraelitarum Rex Saul. 1. Reg. 9. parenti ſuo obediens, aſinas amiſſas quæſiturus cùm vanè agros luſitaſſet, ad Samuelem Dei Prophetam peruenit. Porrò, *cum aſpexiſſet Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir, quem dixeram tibi, iſte dominabitur populo meo.* Eleganter Nazianzenus oratione in laudem Baſilij. *Qui patris aſinas quærens, Regnum inuenit.* Ab aſinis ad regium feſtinauit currum, ſed ea eſt merces illorum, qui parentibus etiam in vilibus obediunt, qui parentum exequuntur mandata, hi aſinis operam nauantes, regium adipiſcuntur decus. Sic Chriſtus Ieſus de Patris obedientia aſinis inſidens, Rex ſalutatur, excipiturque comitatu regio. Inſuper poſt Saulem reprobatum Rex Dauid ſtetit, cuius Regnũ parentum etiam munerauit obedientiam. Sic Iudas ille Patriarcha Iudæ tribus fundator & erector cauit ſuo teſtamẽto, quod habetur tom. 5. Biblioth. *Regnum Iudæ mihi dedit Dominus in obedientia patris mei. Nunquam contriſtaui verbum patris mei Iacob, ſemper obediui ei: Abraham benedixit mihi, & Iſaac, ex me ſtabit Regnum.* Meritò inclytus vir à ſua in patrem obedientia ſumit auſpicium fœliciſsimi Regni, debebatur ſanè tribui Iuda Regnum ex obedientia Iuda exhibita parenti, ſolutum fuit debitum hoc in Dauid Rege, & reliquis eiuſdem tribus Regibus, qui omnes ex Iudæ obedientia, & meritis regnarunt. Tandem tranſlatum fuit imperium ad Chriſtum, qui vt omnium obedientiſsimus Patri, ſic ipſe per ſe regio decore digniſsimus. Etenim ait, Geneſ. 39. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus eſt.* Gen. 39. Sed dices Chriſtus Rex de Tribu Iuda natus eſt, ergo etiam regnante Chriſto, Iuda regnat. Verùm cùm Regnum obedientia parentibus exhibita nitatur, quando ob Iudæ obedientiam datum eſt Regnum, regnabat Iudas. At in Chriſto nobilius inueniens obedientiæ fundamentum, non Iudæ, ſed Chriſti eſt Regnum, Chriſti, inquam, qui omnes longè ſuperat obedientia Patri exhibenda, qui obedientiſsimus omnium, qui Patri vſque ad mortem crucis obediat. Cur non illi regnum? Cur non illi obedienti comitatus & occurſus regius? Sanè Geneſ. 32. de Iacob ad ſuos reuertenti dicitur: *Iacob quoque abijt itinere; quo cœperat; fueruntque obuiam Angeli Dei.* Gen. 32. Quæ verba expendens Rupert. lib. 8. in Geneſ. cap. 2. multis ponderat quàm magnifica exceptione obedientem virum Angeli munerarint. Rupert. *Non dictũ eſt*, ait, *quia apparuit ei Angelus quo & multis accidit; ſed dictum, eſt quia fuerunt ei obuiam Angeli Dei, quod inſigne ſonat Victoris & emeriti, cui pro gloria triũphi pompa cœleſtis obuiam procedens feſtina exceptione lætum obſequium præbuerit. Et rectè talem habuit occurſum, qui ſub obediẽtia patris ſui militauerit.* Itaque dum Chriſtus Dominus ſub Patris obedientia Hieroſolymam adire feſtinat, ei regia pompa obuiam procedit, feſtiuiſsimaque exceptione

1. Reg. 9.

Nazian.

ptione obsequuntur clues Hierosolymitani. Hi deductis ramis ornant viam, illi erectis palmis, io clamant, omnes gaudio exultantes canunt Hosanna filio Dauid. Et rectè talem habuit occursum nimirum regium, qui sub obedientia Patris sui militauerat.

## §. XV.

### *Nemo in Christo Domino potest triũphare spretis misericordiæ operibus.*

OVicumque triumphis Christi Domini interesse cupis eiusque de Principibus tenebrarum triumphare victorijs, operibus misericordiæ dato operam, tunc enim in Christo triumphas, quando indi-
Drog. gentibus præstas opem. Sic in præsenti Domini triumphali comitatu monet Drogo lib. de Sacrament. Pass. *Sterne in via ramos oliuarum & opera misericordiæ pedibus accommoda. Accipe frondes palmarum, vt triumphes de Principibus tenebrarum. Nihil inte resideat quod in occursum Iesu non procedat, quia nec vngula in Ægypto Pharaoni relinquenda est.* Etenim cum nulla arbor Palæstinis, & Hierosolymitanis frequentior esset, quàm oliua & palma, credibile satis est ab oliuis & palmis excisos ramos ab eis, qui Christi Domini triũphum celebrabant. Vnde rectè Drogo Christianorum triumphum exornat oliuis & palmis, adeò, vt spretis oliuis, nimirum misericordiæ operibus nullã Deo putet placituram victoriam: sterne ait, oliuarum ramos, opera misericordiæ. Accipe frondes palmarum, vt triumphes de Principibus tenebrarum, spreta oliua, palma sumenda non est, nec eleemosina abiecta, decantanda victoria. Victoriosas diuinæ amasiæ cogitationes vt celebraret
Cant. 5. sponsus Cant. 5. ait: *Comæ eius sicut elatæ palmarum nigræ quasi coruus.* Ecce vobis totam palmatam mentem, ecce vobis animam, quæ victricibus operibus placeat Domino. Sed quid sibi vult illa palmatæ crinis commendatio, nimirum *nigræ quasi coruus?* Pulchrè D. Paulinus epistol. 4.
Paul. *Bonus iste coruus, nec ille ad arcam reuertendi immemor; sed ille pascendi Prophetæ memor.* Sanè famelicum Eliam quotidie coruus pascebat, quo opere pascendi famelicos commendantur victricis Christianorum mentes. Nulla palma nobis erit, quæ repulsa oliua veniat; nulla victoria, quæ pascentis corui studium æmulari contemnat. Id quod in omnium virtutum & victoriarum seminario ieiunio ponderat D. Petrus Chryso. serm. 8. *Est ieiunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, ciuitas sanctitatis. Est ieiunium inuictus Christianæ militiæ principatus. Sed in his virtutibus ieiunium tunc viget, tunc vincit, tunc triumphat, cum duce misericordia pugnat.* Nullum habet virtus aliqua triumphum sine misericordia, hæc in triumphis, in victorijs splendet, sine qua sordent palmæ: imò quando palmatorum omnium triumphus agetur, gloria explicabitur, vna omnium misericordia celebrabitur. Sic pulchrè notat Petrus Rauen. aiens: *In regno cælorum coram omnibus Angelis in conuẽtu resurgentium quod Abel passus sit, quod seruat mundum Noe, quod Abraham fidem suscepit, quod Moyses legem tulit, quod Petrus super onus Ecclesiæ ascendit, Deus tacebit, & clamabit, quod comedit pauper.* Petr. Rau. Ecce tibi quot martyrij, quot fidei, quot virtutum excellentium palmæ sub vna misericordiæ virtute notantur. Sanè palmas oliua commendat, victores triumphatoresque extollit misericordia in pauperes: hæc triumphos ornat: hæc victorum omnia trophæa æternat & facinora exaltat. Nonne victores facinoribus suis columnas sacrant? Sic magnus ille Simeon. 1. Machab. 13. *Circumposuit columnas magnas, & super columnas arma ad memoriã æternam.* Sic Apocalyps. 3. dicitur, *qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei.* Hæccine sunt victorum ornamenta! hæ triumphorum gloriæ columnis conspiciuntur exaltatæ: sed quæ palmas conspicuas reddit misericordia in pauperes, similiter & victorum facit columnas immortales. Ita Diuus Cyril. Hierosol. Catech. 3. *Cornelius erat vir iustus, & Angelorum visione dignus habitus, cum tanquã columnam bellam in cælo coram Deo suas orationes, & eleemosynas constituisset.* Nullus triumphantium virtutum trophæus poterit spreta misericordia venire; si columnæ erigendæ sunt, columna est & bella coram Deo misericordia, si palmarum assumendi tibi sunt rami, oleam debes inserere palmis, vt de misericordiæ colore Deo placeas, & triumphum agas. Pro coronide astat Petrus Damianus qui serm. de sancto Bonif. inquit. *Perpendite quanta Imperatricis misericordiæ sit maiestas. Nonne hæc videtur velut præpotens regina inter*

*cæteras eminere virtutes, quæ nimirum de communi plebe homines, alium ad prophetiæ prouehit gratiam, alij martyrij dat coronã: illi dat vt Ecclesiam Christi cælestis oraculi dapibus pascat: isti præbet vt ad supernæ gloriæ nuptiale conuiuium, post victoriæ palmã fœciliter epulaturus accedat.* Sic ille victoriæ palmas in misericordiæ constituit arbitratu.

## §. XVI.

### *Sub tanto Domino Christo Iesu nil sibi timent serui, omnia in tuto habent.*

MIraris turbas, quæ certatim vestes in via sternunt, vt Domino viam parent. Cur non vestes deponant, cur non se se nudent, qui tanti Domini præsentia gaudent? Nil magis solemne apud Ethnicos, quam quòd sacrificuli se se amicirent, ne ab hostibus noti inter aras occumberent. Quo spectat illud AEneidos.

*Virg.* *Purpureo valere comas adopertus amictu*
*Neque inter sanctos ignes, in honore Deorum*
*Hostilis facies occurrat, & omnia turbet.*

Vnde inoleuit mos ille, quo capita nudemus ad illustrium virorum præsentiam quasi profitentes, Plutarcho teste, nos ad illorum præsentiam nihil timere, hostiles omnes insidias facilè contemnere. Hoc eodem Sacramento ingredienti Hierosolymas Domino turbæ vestes substernunt, sese que penitus nudant, vt ostendant, quàm longè metus omnis absit sub tanto Domino: quam secura & in tuto sint omnia sua, quam certi sint, à nimine posse lædi nec vulnerari. Quando Israelitæ in Ægypto Phase Domini celebrabant, iubentur præcincti & calceati mandu care Pascha; postmodum vero Iosue terram promissionis calcans iubetur nudare pedes capite 5. *Solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est.* *Iosue. 5.* Sic similiter iussus fuit Moyses ad præsentiam rubi flammantis. Quæ huius rei ratio? Cur in Ægypto cum calceis, & nudis pedibus alibi? D. Gaudentius tract. 5. de Exod. ait: *Ostendatur terra Ægypti sancta non esse, & ideo ibi habenda mandantur calceamenta, in sancta autem terra decernuntur esse soluenda.* *Gaud.* Vbi quid metuant sibi Israelitæ habent & calceis & amictu operiantur, verum vbi Deus terram sanctificauit, nil quod metuant, habent, & nudis pedibus sine offensione poterunt ambulare. Cur ergo, quando terram vident à Christi Domini ingressu sanctificari non se se nudent turbæ securi à nemine iam posse vulnerari? Pulchrè Diuus Bernard. super Psalm. Qui habitat: expendit astelli Dominum portantis fœlicitatem fatus: *Asello Christum portare maximus honor est. At quam erit sine metu luporum? quam non timebit periculum, aut præcipitium sub tanto rectore?* Nullus hostis, nullum malum audet, vbi tantus Dominus adest, omnis malorum metus quam longissimè abest. O quam securus Adamus, quæ metus dedit, potest ficus vestimenta deponere! Quam tutus è latebris exire, obuiamque Domino procedere cuius sub aspectu nil quod timeat habet. Quid plura? Audisti ab arboribus excisos ramos, quibus turbæ in presenti Dominum acclamarunt? Hi erant rami palmarum, quæ dum Domino obsequuntur suis ramis, eam obtinuerunt ab vniuersis malis securitatem, qua medio in Hierosolymitano excidio, quãdo arserunt campi, illæ incolumes securæque perseuerarunt. Ita Diuus Cyril. Hierosolym. Cathec. 10. ait *Palma quæ est in valle testatur* (nempe Domini diuinitatem) *quæ exibuit ramos his, qui tunc benedixerunt Christo.* Igitur si asellus, si arbor sub tanto Domino malorum omnis incolumitatem capiunt, cur timeant homines? Cur turbæ non nudentur ante Dominum nullum inde sibi metuentes malum? De Moyse Deut. vlt. dicitur: *Mortuus est Moyses seruus Domini, nec vllus nouit sepulchrum eius, nec oculi eius caligauerunt, nec facies eius corrupta est.* Vbi maximè ponderandum est, quam integra sint omnia Moysi etiam in mortis potestate. Vnde mortuum Moysen corruptio veretur? Vnde vermes non nocent? An quia mortuus est seruus Domini? Ita planè D. Greg. Nissæn. de vita Moysis: *Huius diuinæ seruitutis signum historia tradit, nec enim oculus caligabit, nec facies serui Dei corrumpetur.* Adeò in tuto sunt ij, qui sub tanto viuunt Domino. Tres illos pueros in fornace coniectos Daniel. 3. & medijs flammis conseruatos alloquitur Tyrannus his verbis: *Sidrach, Misach, & Abdenago serui Dei altissimi egredimini, & venite.* Circundati cum essent flammis iubentur egredi; sed quomodo per flam-

*Sic legit Niss.*

*Niss.*

*Bernard.*

*Cyril.*

ad

Chrysos. mas venirent? Pulchrè D. Chrys. hom. 8. ad Ephes. ait: *Quomodo egredientur, ò Rex? vinctos in ignem abiecisti, quomodo eos vocas? Iam præueniēs dixi, serui Dei altissimi: seruis enim Dei omnia possibilia sunt. Nam si hominem serui in rebus ipsorum non parum possunt, dominantur, & disponunt, multo magis seruis Dei.* Hæc ille.

## *Text.* Benedictus qui venit in nomine Domini Hosanna in excelsis.

## §. XVII.

### *Deplorati animi est tanti Domini aduentu non lætari.*

NIL magis sibi & omnibus lætum auspicatus Dauid pœnitentiæ lachrymis adhuc madidus, quam tanti Domini aduentum sic Psalm. 4. fatur: *Annuntient in Sion nomen Domini, & laudem eius in Hierusalem.* Et quidem quid reo lætius, quam Domini sui aduentus? Quomodo Dominus suis non parcet, qui si cadunt? Domino cadunt, Hinc Diuus Greg. Gregor. Magn. homil. in dictum Psal. ait: *Quid aliud est nomen Domini annuntiare; nisi Dei misericordiam prædicare? Dominorum enim est misereri. Hinc namque de Christo dicitur Benedictus qui venit in nomine Domini. Qui si veniisset in nomine iudicis, nemo profectò foret, qui pœnam æternæ euaderet damnationis. Venit ergo in nomine Domini, qui venit, vt peccata dimitteret, non vt pectatores damnaret.* Igitur non iudicis personā acturus venit Deus, sed Domini sibi subditos prouidentis, non vt perdat; sed vt regnum acquirat. Daniel. cap. 3. sic deprecatur: *Ne tradas nos in perpetuum propter nomen tuum.* Sed ad quod Dei nomen liberandus confugit? An ad domini nomen? Ita Theodoretus inquit orat. 3. *Multa tuæ bonitatis pignora habemus, primum ipsum tuum nomen, quo te dominum vocamus.* Domini enim est misereri semper & suis parcere. Vt bene inquit Didymus lib. 3. de Spir. san. fatus: *Vnde dictum est, non legatus neque Angelus sed ipse Dominus saluauit eos. Non propter aliud quid sed propter id quod diligeret eos, & parceret eis. Parcere autem dicitur quasi creaturis suis.* Qua propter summis excipiendus est gaudijs, omnia mira persunduntur lætitia Psalm. 67. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis.* Vbi vt piè & Psal. 67. & verè D. Augustin. *Mirificè cum dixisset millia lætantium, continuò subiecit, Dominus in eis, ne miremur quod lætentur, Dominus in illis.* Quis veniente Domino non lætabitur? Quis in nomine Domini non exultet? Quis amabile hoc nomen Domini sui naturalis lætis vocibus non exaltet? Sanè perditissimi hominis & deplorati signū est, qui ad sui Domini nomen nō exiliat, qui vel Domini sui vocabulū non excipiat amanter. Dicente Christo Domino discipulis Matt. 26. *Vnus vestrū me traditurus est,* pauidi illi ad nomen Domini cōfugiunt, *nūquid ego sum Domine?* Vel huius nominis vocabulo se se in tali tristitia recreantes. Vnus Iudas ait, *nunquid ego sum Rabbi?* Id quod notat acutè Rup. lib. 7. in Matt. ad c. 8. *Iudas impius sic appellat, vt cæteris sigillatim dicentibus, nūquid ego sum Domine? ille, vt erat cordi perfido, diceret nūquid ego sum Rabbi? Et quidē bonum & suaue est dicere vtrūque Magister, & Domine, vnde & dicit ipse vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis. Sed solū hoc dicere Magister, cordis est longè remoti à familiaritate dilectionis.* Hoc in rebelli populo querebundus lamētabatur Dominus, quod cum ipse & beneficentissimā in suos charitate, & incredibili amore se se ab initio illorū ostenderet Dominum ipsi vel Domini ignorent cognomen. Ait enim apud Isaiam: *Cognouit bos possessorē suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit.* Quando populus hic brutorum more solis terrenis inhiaret, quando nil aliud curaret, quam hæc bona bestijs communia, saltem ob horum cumulum à me acceptum, inquit Deus, me Dominum debebant agnoscere, si quidē bruta animalia ob escarum cumulum Domini sui præsepe recognoscunt: verum Israel nimirum populus rationalis, populus videns Deum, diuinis imbutus legibus, nec nouit nomen Domini. Pulchre id exagerat Clemen. Alexand. in Adorat: *Quomodo non est indignum si qui nouit Deum, non noscat Dominum?* Sanè indignum est, horrendum est, & perditissimi indicium homi-

Matt. 26.

Rupert.

Isaiæ.

Clem. Alex.

nis.

## §. XVIII.

*Qui Deo implentur terrena fastidientes cœlestia anxiè procurant, de solis solicitis æternis.*

NOnne vides turbas ad Dominũ prosilire? nonne vides seſe nudantes homines, & vestimenta solo sternentes? Nonne audis clamantes Hosanna in excelsis? expende illud, *excelsis*, hoc est quasi dicerent teste Lyra, *salue salute excelsa & æterna* Meritò homines qui Deo pleni exultant, nihil faciunt omnia caduca, etiam vestimenta, quibus tegantur fastidiunt, & pro æternis & excelsis suspirant. De inclyto Martyrum duce Stephano dicitur Act. 7. *Cum autem esset plenus Spiritu sancto intuens in cœlum, &c.* Ad quæ verba Petrus Damianus serm. de illius martytio ait, *simul signanter intellige consequutionem verborum. Plenus est Spiritu, & sic intendit in cœlum, quia qui spiritu diuinitatis afflantur, conculcatis terrestribus, cœlestibus inhiant & æternis.* O quam attollit hominum animos diuinitatis conscientia! Quã fastidit has mundi gloriolas, qui vel sibilo tenuissimæ auræ aduenientis Dei afflatur! Diuinus legislator Moyses cũ iam promissæ telluris fines attingeret, moriturus ascendit in montẽ. Sic enim habetur Deut. vlt. *Ascendit ergo Moyses de cãpestribus Moab super montem Nebo.* Quæ pulchrè expendit D. Greg. Nissæn. in eius vita satus: *Post hæc omnia* (nempe Moysis relata facinora:) *Ascendit in montẽ requietis, non descendit ad inferiores terras, quo turba populi ex promissione respiciebat, nec enim illicitur terrenis qui cœlestibus inuigilauit.* Vana sunt, inuisa sunt omnia terrena oculis, vel à longè Deum suplicantibus, qui diuinitatis præsensit plenitudinẽ, qui vigili mente quæ à Deo reposita sunt nobis, penetrauit, facilè seſe his caducis expediet, nec alia, quã cœlestia nouit desiderare. Fœlicissimus ille latro terrenorum bonorum etiam cũ discrimine vitæ auidissimus, vt primum crucifixi virtutẽ sensit omnia terrena fastidiens de æternis solicitus inquit: *Domine memento mei, dum fueris in regnũ tuum.* Posset equidẽ salutem corporis, & incolumitatẽ petere ab eo, qui quatriduanũ restituit vitæ, vel saltem posset sperare minutionẽ acerbissimi doloris; sed nihil horũ meminit solũ de excelsa, & æterna salute cũ saluatore agit. Eleganter D. Augustin. serm. 119. de Temp. *Memento mei Domine, cũ veneris in regnum tuum, non dixit, si Deus est, de præsenti supplicio eripe me; sed magis, quia verè Deus est de futuro iudicio libera me. Quã citò repleuit eum Spiritus sancti eruditio, per quam futuri examini dẽ cogitans, etsi intollerabile probat esse quod sentit, grauius tamen intelligit esse quod metuit.* Hoc norunt qui Dei spiritu implentur, nimirum nihil quod non sit æternũ amandum aut timendum, omnia debere contẽni caduca & æterna, siue bona, siue mala sint. Quibus contemtis & dimissis solam æternam salutẽ & excelsam soli futuræ ætenitatis sanitati inhiant, illique comparandæ viriliter insudant. In hocq; maximè claret quorum in animis Dei fides insiderit. Mirabar ego aliquando Adamum medio in paradiso creatũ, inter delicias, inter scaturientes voluptates: inter odoros flores, intersuauissimos fructus. Ipse tamen à tot illicibus solicitatus diu hæsit, quin vel manu prenderet minutissimum arborũ folium. Quomodo hoc fieri potuit? Admirationem tollit Damas. lib. 2. cap. 11. dicens: *Nam corpore, in hoc diuino & plusquam pulchro loco, manens, anima in loco incomparabiliter superiori, & pulchriori conuersabatur, Deum habens domesticum & inhabitantem qui & gloriosum illi erat indumentum, solo suæ contẽplationis dulcissimæ fructu delectãte.* Quid mirum, si Deum domesticum habebat, si diuinas diuitias cõtẽplabatur, quod fastidiret, & reſpueret omnes paradisi creatas voluptates.

Damian.

Act. 7.

Deut. vlt.

Niss.

August.

## CAPVT VI.

### De cœna vltima legali à Christo Domino celebrata.

POstquam Christus Dominus Hierosolimã ingressus fuit, tres aut quatuor dies sequentes ita disposuit, vt inter diu intra ciuitatẽ, & templũ manens docẽdis turbis scripturæq; explicandæ vacaret, & noctu Bethaniã peteret vbi apud sorores Lazari hospitabatur. Tandem decima quarta die Lunæ deficiẽte, si legalè cẽsum spectes, iã decimæquintæ festo inchoato, nẽpe in primo ipsius vespere; si verò naturalẽ solis diẽ attendas, vt crebrò pagina sacra attendit ante diem festum Paschæ discipulis omnibus comitatus ascendit Iesus cœnaculum ambitioſè statum, ibique de Hebræorum more & Paschalẽ agnum edit, & post hunc cõmunibus discipulos impleuit dapibus.

Ex

*Ex Matth. cap. 26.*

*Textus.* Vespere autem facto discumbebat cũ duodecim Discipulis suis, & edentibus illis dixit,&c.

## §. I.

*Inter tribulationes, & præsſuras, etiam sanctissimos viros leuamen aliquod sumere decet.*

HOstili proximus cuspidi Christus Dominus, & pene iam iam rabidissima inimicorum cohorte appropinquante, effugij à se ipso intercluſa via pransurus cum discipulis ascendit cœnaculum. Qui aliàs discipulos mittebat sine pera, & sine sacculo, modo inter hostiles impetus,inter mortis tristitias ad præparatas eos adducit dapes. Nunquã sane magis leuamen decet viros sanctos, quã inter presuras,inter hostiũ crudelissimorũ salt⁹. *Dan.13.* Santissimus ille Daniel in Babylonis regia educatus,& ieiunijs magis, quam cibis nutritus, tandem ob Magnatum inuidiam mittitur in Leonum lacum. Ibi inter Leones famescentes erat vir Dei: & ecce tibi Abacuc allatus ab Angelo ingreditur lacum, & Danieli obtulit prandium; *surgensque Daniel comedit.* Ad hæc pulchre D. Zeno. serm. de timore ait. *Leonibus obiectus Daniel,& in periculo constitutus prandet, qui solet extra periculum ieiunare.* Ecce vobis medijs in regiæ delitijs ieiunatorem,ipse in periculo constitutus prandet,qui inter dapes, inter vina, inter lautissima conuiuia impransus versabatur, rugientibus obiectus leonibus tunc cibum capit. Etquidem vtrumque sanctissimi & fortissimi, viri argumentum insigne; quomodo non sanctus qui in regia nouerit ieiunare? quomodo non sanctus & fortis, qui hostilibus pene oppressus furoribus sibi le- *3.Reg.23.* uamen cibi intrepidus meditatur? Abiectissimus ille Achab. 3. Reg. 23. adeo vna denegata sibi vinea percutitur,vt dicatur deillo. *Turbatus est spiritus eius, & dormiuit in lecto suo, & velauit faciem suam, & non manducauit panem.* Sic homuntiones isti prosternuntur in conflictu; sic quouis aduersante examinantur, vt toti pauidi nec manducent. Qui vero virtuti obtinendæ viriliter insudant, aliàs indefessi ieiunatores, cum in arena sunt, cum inter confertissimos hostes agunt,cum vndique telis petuntur,tunc sibi leuamen aliquod vel ex cibo sumere æquissimo iudicio existimant. Alioquin cur non riderem inuictissimi Dauidis siue gulam siue animi leuitatem,quando quidem Philistæorum sanguine madidus hostium ferocissimorum cuneis cinctus 2. Reg. 23. leuandæ sitis meminerit? Ait enim. *Quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem iuxta portam?* Siccine fortissimus dux sitis impatiens erit? Siccine inter hostes dulcissimos cisternæ potus meditabitur? Idque à Dauide peractum, ait Sophronius de Christi Nat. non sine æquissima causa. Qua attigit D. Ambr. in Apologia cap.7. fatus. *Sitiens cum esset in bello quis mihi daret, inquit, potum aquæ?* Non enim aliàs, sed cum esset in bello, cum hoste esset cinctus vndequaque tunc sitiens meditatur leuamen aquæ. Et merito qui in regia cinerem tanquam panem manducabat, potum cum fletu miscebat, & in bello,inter hostes dulcis potus refrigerium captat. Multus est Hieronym. lib.1. ad vers. Iouinian.in explicandis dicondescẽsibus, & permissionibus quas sanctissimi viri accipiebantnter durissimas leges crebosque sudores constituti. Sic tandem finit. *Si autem duas bigas vxorum & concubinarum habuit Iacob, & non vult aduersarius quiescere, sciat eo tempore, hoc feciſſe Iacob quando erat inter Assirios, & in Mesopotamia Labam durissimo domino seruiebat. Quid loquar de Abraham, vt ipse asserit, trigamo, qui signum fidei in circumcisione susceptit? Si imitamur vxorum eius numerum imitemur & circumcisionem.* Honestum quippe est his qui duras subeunt leges ærumnarum, aliqua permissionis & condescensus leuamine vti. Similiter Paulo ante dicebat ipse notans duriciem temporum quando æsus carnium fuit permissus. *Post diluuium autem cum datione legis,quam nullus implere posset carnes ingestæ sunt aduescendum.* Nunquam enim non gratum fuit Deo leuamen aliquale exhibendum inter laborum duricies & asperitates Imo auderem dicere, quod illorum qui in certamine sunt; qui hostiles excipiunt ictus:ipsa appetentia leuaminis Deo

2.Reg.23.

Amb.

accidit

accidit maximè grata. Sane author hiſtoriæ Sehol 4 Regum 21. de ſanctiſſimo Iſaia inquit, quod à carnificibus adductus in ſuplicij locum, & iam à carnificinam, & laniationem paratus expetiuit aquam, illamque alta voce petijt ſibi dari. Qua à carnificibus negata: *Tunc Dominus de ſublimi miſit aquam in os eius.* Adeò æquum eſt, & Deo gratum, vt qui in agone ſunt, qui duris certaminibus ſunt parati, dum vndique affliguntur, ſic alacres pugnã adeant, vt non faſtidiant aliquod ſibi refrigerium & leuamen parare. Alioquin ridiculum eſſet, vt qui ferreæ ferræ dentes expectabat, aquæ potus meminiſſet, & qui paratus erat ad ſui corporis laniationem ſubeundam, tunc non ſuſtineret ſitim aquæ. Sed voluit hoc exemplo monſtrare, quàm ſit gratum Deo ipſum leuamen eorum qui in hoſtium ſunt conſtituti certamine. 4.Reg.21.

*Text.* Vnus veſtrum me traditurus eſt. Et contriſtati valde cœperunt ſinguli dicere. Nũquid ego ſum Domine.

## §. II.

### *Ne ſtatim traducas, & publices, quem corrigere amas.*

QVibus cura eſt hominum mandata, huc veniant, & a ſummo Principe diſcant in errantes ſubditos non ſtatim ſcandeſcere, non publicare peccantes ſi forte de ſceleris ſecreto medellam ſibi afferant. Sæpe qui ſe proditum nouit, & manifeſtum, impudentior fit, & effrenior qui alioquin caueret ruborem ſceleris dum putat cælari. Accipite in præſenti Diuum Chryſoſt. ſic fantem: *Chriſtus prædicabat, quod eum latere non poterat proditurus, ſed nec aperte eum omnibus publicabat ne impudentiorem faceret, & ideo frequenti admonitione clamabat, vnus ex vobis tradet me.* Equidem nouerat Dominus proditorem ſuum, & ſæpe de nefario proditionis crimine verba facit, nunquam tamen proditorem traducit, nunquam publicat, ne publicatus fieret inſolentior, ſed potius dum latere adhuc putat, correctionem capiat. Chriſtiano ſane ſpiritu agebatur Moyſes cum Iſraelitas in bonam frugem nititur reuocare. Hi Moabitarum puellarum forma decepti Num. 25. *Initiati ſunt Beelphegor.* Propterea in eos animaduertẽs Moyſes, nullũ nominatim accuſat, etſi ſciret, qui ſe nefario ſcelere macularat, ſed in communi vniuerſum populum caſtigat. Quid ni? Satius ne eſſet, ſi principaliores nominatim publicatos diris afficeret? Cur horrendi ſceleris duces ex crimine minime notat? Rem attigit Ioſephus lib. 4. de Antiquit. cap. 6. fatus: *Aduocata concione, neminem quidem nominatim accuſauit, nolens in deſperationem adducere eos, qui tanti ſperdum latere ſe putant, ad ſanitatem reduci poterant.* Culpa enim nondum publicata facilliorem inuenit ad correctionem aditum. Hac prudentia Petrus Actor. 1. prætium à Iudæis exhibitum Iudæ memorans ſilentio præterijt eos à quibus prętium fuerit acceptum, ait namque: *Hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis.* Cur Petre ſceleſtos mercatores non nominas? Pulchre Chryſoſt. ibi: *Latenter crimen aperit, quod ita conducat ad correptionem.* Salutaris illa correptio eſt, quæ animum pungens, vultus pudori parcit.

## §. III.

### *Suſpecti tibi ſint, & minime in virtute ſecuri quicumque peſſimis hominibus ſociantur.*

CVR proditore diſsimulato voluit Chriſtus Dominus diſcipulos omnes ſuos de proditionis crimine contriſtati? Cur deterrere voluit eos, qui nulla tanti facinoris conſcientia grauabãtur: *Vnus,* ait, *veſtrum me traditurus eſt.* Quo omnes ſibi ipſis de crimine ſuſpectos reddidit & valde perterrefecit. Sane vbi vnius ſocij crimen, & ſcelus inſtabat, merito omnibus incutiebatur metus merito omnes eiuſdem criminis ſuſpitio debebat angere, ne ſimul eadem lues omnes contaminaret, Geneſ. 13. dicitur: *Lot qui erat cum Abraham fuerunt greges ouium.* Vbi eleganter D. Ambroſ. lib. 2. de Abraham capit. 6. expendet illud: Geneſ. 23. Ambroſ.

Lot

*Lot qui ambulabat cum Abraham*, quasi alter Lot qui non ambulabat cum eo. Sunt ne duo Lot, alter qui ambulabat cũ Abraham, alter qui non ambulabat cum eo? Aut cur de vno sic loquitur scriptura, quasi etiam de altero? *Bene dixit, Lot qui ambulabat cum Abraham, quia adhuc non elegerat Sodomam, non habitabat cum flagitiorum authoribus. Postea cœpit habitare cum Sodomis, ideoque quasi à se ipso mutatus velut alter accipitur, non solum à iusto viro, sed à se ipso desciscens.* Proh quam valida ad perdendos iustos malorum societas & habitatio! qui sanctissimus est vbi cum scelerum authore cœperit habitare, suspectus sibi ipse debet esse maximoque in timore versari, ne fiat alter, ne à se ipso penitus desciscat. Matth. 24. de vltimis Antichristi erroribus Dominus suos commune faciens, ait: *Cum videritis abominationem stantem in loco sancto, tunc qui in Iudæa est fugiat in montes.* Expende, quod hi maxime sibi cauere iubentur qui in Iudæa sunt: at persecutio illa non peruadet orbem terrarum? Nonne vbique terrarũ error ille diseminabitur & excruciabuntur sancti? Cur de his qui in Iudea erunt curam tantũmodo Dominus habet? Cur illos solum monet & perterrefacit? Pulchre id perdocet D. Hilarius: *Quia proprius*, ait, *iste Iudeæ erit error, vt qui veritatem respuerunt, suscipiant falsitatem, Iudæam deseri monet, & transfugere in montes, ne admistione plebis illius Antichristo creditura visa, vt contagio efferatur; sed omnibus qui tunc fideles erunt tutiora futura sint deserta loca montium quam frequentata Iudeæ.* Efferuescente Antichristi furore qui timeant; nisi qui vna cum tanti sceleris autharibus Iudæis habitant? Nullus quantumcumque fidelis securus de se sit, nemo tutus, nemo se immunem reputet à contagio etsi nulla criminis conscientia, se tamen suspectum habeat, dum Iudæis per mixtus habitat. Quare bonus Dominus Iesus, alijs relictis, illos merito deterret, & quasi omnes periclitarẽtur, omnes de imminente periculo voluit contristari, neminemque securũ & sine metu esse voluit, qui socij erant adeò nefandi, cui proditor Iudas comes aderat. Nec hoc cõtentus fuit Dominus, sed adhuc de suis sollicitus nil magis curauit, quàm quod tantum scelus exsufflaretur ab Apostolorum area. Nam, vt recte monuit B. Isaias Abbas oratio. 22. quæ dicitur de operibus hominis noui: *Nec Dominus Iesus prius ascendit in crucem, quam Iudam expulisset è medio discipulorum.* Quasi omnes perditioni obnoxios videret, dum erant tanto proditori associati, nec aliter securi remanere possent, ne à se ipsis desciscerent, nisi Iuda exsufflato.

Matt. 24.

Hilar.

Isai. Abb.

## §. IIII.

### *Nullus alius suspectus est viro iusto, nisi ipse sibi, quod firmitatis est indicium singulare.*

DIscipulorum Domini imitare virtutem singularem; vbi audiunt inter se hal ere proditorem nullus de alio tã immane scelus suspicatus, nemo alium r ũ fore putat, vni sibi timet vniquisque de se solicitus agit, quasi se solum inter omnes suspectum habeat de cuius firmitate, & perseuerantia posset dubitari. Etenim ait quisque: *Numquid ego sum Domine?* Ipse primus est sibi suspectus, ipse in primis sibi omnium scelestissimus apparet, & prorsus labilis. Sanctissimorum horũ vestigijs in hærebat ille apud Hierem. Thren. cap. 3. Vbi ait: *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius: me minauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem. Tantum in me vertit, & conuertit manum suam.* Quibus verbis vt lucem præferat D. Hieronym. expendit duo illa, *vertit, & conuertit*, quasi sibi crebra fœlicis & miseri status intermissio insinuetur, qua quis modo ad supplicium trahitur, modo ad veniam fœlicemque fortunam conuertitur, sed nullibi fixus, nullibi manet non labilis. Quo posito mirare modo iustissimi moderationem animi, qui inter perditissimorum hominum phalanges vnam suam videt paupertatem vnus ipse sibi miser & labilis apparet. *Tantum*, ait, *in me vertit, & conuertit manum suam.* Ac si dicat, tantum ego mutationi subiaceo, tantum ego elabar, è manibus Pulchre Rupert. lib. de operibus Trinit. 1. capit. 59. *Tantum*, ait, *in me vertit, & conuertit manum suam. Quid dicam de mea causa propria, de propriæ conscientiæ miseria: cæteri viuunt, cæteri quos video homines sunt. Et quicquid de illis sit, tantum de me scio. Igitur quod satis est, quod imitabile foret dicere maluit. Ego videns paupertatem meam.* Vnum se inter omnes reputat vir iustus pauperem, & labi-

Thren.

Hierob.

Rupert.

lem, cæteros quosque vel non respicit, vel fortes & stabiles credit, de propriæ conscientiæ miseria dubitat, cui vni nec fidit nec se credit. O si hanc fugeremus omnes virtutē, imo excellentiam animi! hæc satis erat quæ nos de iustitia commē daret in illaque stabiliter, & confirmaret. O vtinam huic semper Petrus inhæreret, nullis mihi crede machinis valuisset perturbari. Verum qui modo timet sibi proditionis periculum, paulo post præcinēte Domino omnium Apostolorum scandalum ipse ait: *Etsi omnes scandalizati fuerint, ego non scandalizabor.* Ad hæc accutissime Diuus Chrysost. in Cat. *Quid ais, ô Petre? Quando dixit vnus ex vobis me traditurus est, timebas ne tu esses traditor, quamuis nihil tale conscius eras, nunc autem manifeste eo dicente quia omnes scandalizabimini, contradicis?* Sed quanto discrimine? Equidem cum de te solo præsumebas traditionem, tunc securissimus à tali crimine eras; cum autem de te plusquam de cæteris sperasti, factus es Domini negator, vnde Origin. *Alij discipuli scandalizati sunt in Iesu, Petrus autem non solum scandalizatur, sed abundantius relinquitur, vt ter negaret.* Quare rectissime commonemur à D. Bernard. serm. 37. in Cant. ne vel minimo nos super alios erigamus. Quemadmodum si per ostium transeas, cuius superliminare nimium basum sit, non nocet quantumcumque te inclinaberis, nocet autem si vel transuersi digiti spatio plusquam ostij patitur mensura, te erexeris, ita vt impingas, & capite quasato collidaris: *Sic in anima non est plane timenda quantalibet humiliatio, horrenda autē nimiumq; pauenda vel minima temere præsumpta erectio. Quà obrē noli te homo cōparare maioribus; noli minoribus, noli aliquibus, noli vni.* Te omniū miserrimum noscas, nulli minus fidas quā tibi, quod satis est, vt firmissime in iustitia stabiliaris. Etenim D. Chrysost. in Cat. cap. Luc. 18. fatur: *Simile feras in cōscientia fœces reatuū, & hoc solū de te credas, quod es infimes omnium multam obtinebis ante Deum fiduciam.* Hæc ille.

Chrysost.

Origin.

Bern.

## §. V.

### *Is ad alios regendos aptatur, qui vni sibi nouit attendere, non qui alios carpere.*

SVnt qui gubernatorū ingeniū à primis puerorum vnguiculis augurantur, ex eo quod videant eos in aliorū erroribus exardescere zelo, aliorum gressus egregie notare, aliorumq; profectibus inuigilare. O erroris plenū præsagium! videant isti, quam aliter à Christo Domino gubernatores sui informentur, qui vt proditorem indagent, Rhinocerotis naso minime aliorū mores scrutantur, se sibi vnus quisq; attentus se vnum optat tanti criminis immunē cōseruare. Et ideò ait ceteris prætermissis: *Nūquid ego sum Domine?* Cui non videretur optimi gubernatoris ingenium scintillasse ille sanctissimus zelus, quo iuuenis Moyses rixantes Israelitas Exod. 2. notauit? *Dixitque ei qui faciebat iniuriam quare percutis proximum tuū.* At male ex hoc acceptus, suis etiam exosus, & ab AEgyptio Rege ad mortē petitus fugit hominū conspectū, & diu in solitudine moratus aliorum oblitus, vni sibi vacauit. Quo nunquā regno visus fuit aptior, Deoque gratior, vt tanti populi acciperet gubernacula. Id eleganter notat D. Greg. Nissæn. in eius vita fatus: *Videmus enim Moysen, anteaquā profectione se virtute firmauerit, duos inter se contendentes homines conciliare ne quiuisse, postea vero cum sibi ipsi longo temporū spatio vacauerit, à multis hominū millibus facile in protectorē recipi.* Ecce tibi quā malè audiat præmaturus ille zelus, qui totus poditur in alijs corrigendis, spuitur is vir ab hominibus, nec ad duorum gubernationē videtur aptus, nec Deo acceptus, donec longe & diuturno silentio castigatus sibi vni vacet, cæteros obliuiscatur. Huic etiā excogitationi lucem addit magnus ille Ioseph, qui puer virtuti zelo fratrū scelera minimè patitur, sed ea confestim reuelat patri. Sic enim ait textus sacer Genes. 39. *Accusauit fratres suos apud patrē crimine pessimo* Sed ex tunc fraternum in se odium concitauit, qui illius regnum exhorrentes illum vendiderunt Ismaelitis, à quibus in Ægyptū asportatur, vbi secundo venditus tandē ob adulterij falsam accusationem truditur in carcerem. Ibi tacitus sibi vacans ad aliorum crimina didicit non respicere, quo se in regnum maximè præparauit. Etenim postea facile ex AEgypto fratres suos apud patrem etiam accusaret de venditionis scelere, sed tacuit, ait Honcala, *ne patrem tertiorem faceret, à fratribus suis se fuisse crudeliter distractum, & vt exitum somniorum expectaret.* Se ad regni culmen ascensurum puer somniauerat, & dū fratrū mores & scelera carpit, miserā inde seruitutē venatur. Iā seruitute pressus didicit se inspicere, non alios, didicit sibi vacare, non fratrum accusationem agere, *vt exi-*

Exod. 2.

Niss.

Genes.

Hone.

*tum*

*tum somniorum*, nimirum regiam dignitatem expectaret; quasi didicerit, quòd non is, qui fratrum momordit errores, sed is qui sibi vacat, & tacens aliorum scelera obliuiscitur, regno suscipiendo aptatur. Non ex accusatione fratrum; sed ex patientia & tolerantia defectuũ aliorũ subitur regni clauus. Id quod videtur attigisse D. Zeno serm. de pat. cum ait: *Zeno.* *Ioseph patiens inuenitur, cum à fratribus rapitur, patiens, cum in puteum dimittitur, patiens, dura cum hasta distrahitur, patiens in carcere, & patientior in regno.* Quasi idem fuisset in viro sancto patientiæ culmen attigisse tacendo de injurijs & sceleribus fratrum, & promissi regni culmen intrare. Itaque dum delicta aliorum respexit, illorumque fit accusator seruitutẽ incurrit, & cum patienter aliorum tolerat crimina vni sibi vacans ad regni culmen pertingit. *Ansel.* Hinc argutè D. Ansel. in præfat. ad Matth. expendens quid singuli Euangelistæ de Christo Domino prædicarent, ait: *Intentio Marci circa regnum Christi versatur, vnde inchoat Euangelium suum à voce clamantis in deserto.* Quasi nullius vox melius regnantis ingenium exprimeret, quam vox illius, qui omniũ mores obliuiscens in solitudine, & deserto sibi viueret.

*Textus,* Qui intingit mecũ manum in paropside, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo. Væ autem homini illi, per quam filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.

## §. VI.

*Quæ iustis viris magis videntur obesse, & contrariari, ea illis famulantur, vt citiùs ad sibi præfinitos fines vadant.*

NOnne proditoris scopus is erat, vt Christiferum nomen penitus ab hominum memoria eraderet? Nonne ideo Dominum crudelibus hostibus tradidit, vt eorum rabie decerptus infamiæ æternæ latebris maneret obscuratus? Sed vide quid ex his factum est: *Et filius, ait, hominis vadit, sicut scriptum est de eo.* Non sanè obfuit proditoris insania; sed seruiuit Domini vijs, & inter inimicorũ rabies contrariantes viam inuenit, qua tutiùs pertingeret gloriam præparatam. Quis non crediderit, tunc Ionam penitus à Niniue via deflexisse, quando à naui inhianti ceto fuit traditus? Sed tunc de illo pulchrè D. Zeno notauit sermon. de Timor. *Ionæ.* *Zeno.* *Ionas timens Dominum spontaneum non timet naufragium, ceto inhianti miserabilius sepelitur, quam præcipitatur, & tamen littus, quo tendebat, inuenit, antequam videat, fœlix magis sepulchro quam naui.* Quid pulchrius? Ionas à mari, a ceto voratus, viuido belluæ ventrè sepultus adhuc ad mandatum sibi portum vadit. Qui pansis velis, pernici naui à Niniue fugiebat se se gurgiti tradidit vorandum, sic Niniue littus, quo Dei ferebatur imperio, appulit. Nulla sanè vis, nulla oppositio, nulla adeò est cõtraria potestas quæ iustis viris non seruiat, vt iuxta præscripti à Deo finis viam vadant. Regnum Iosepho præscriptum vt eliminarent fratres, Iosephũ vendunt, & Ismaelitarũ seruum faciunt. Quid Regi contrarius, quã serui & conditio & habitus? Attamen quando ad seruitutem, tunc ad regnum abijt. Sic D. Greg. homil. 21. Ezechiel. *Greg.* *Quia mutari Dei consilium non valet, quem ideo vendiderant, ne adorarent, adorauerunt, quia vendiderunt.* Quicquid in contrarium moliaris, resistant licet vniuersæ creaturæ, pugnãtibus tenebrarum potestatibus, per eas ipsas contrariet. tes iustus vir vadit secundum quod scriptũ est de eo. Nec vlla est rerũ contrarietas, quã sib seruire diuina sapientia non faciat. De maximo omniũ aduersariorũ diabolo sic apud Iob sapientia *Iob.* diuina gloriatur, cap. 40. *Numquid feriet tecum pactũ, & accipies eum seruũ sempiternum?* Quasi ipsa sola aduersariorũ machinas sibi faciat prorsus inseruire. Id quod expẽdit Rup. lib. 2. de oper. Spiritus san- *Rup.* cti lib. 1. de sap. cap. 25. ponderans quã seruiret diabolus Christi Domini ad gloriã itineribus dum post multa fatur: *Intendebat Dominus facere irritã venditionem, qua semetipsum primus homo vendiderat, adiuuit & hanc intentionẽ bonam seruus nequã faciẽdo, vt venderet hunc hominẽ traditor. Intẽdebat diuinitas huic homini dare regnum, & subijcere potestati eius omnia regna mundi, adiuuit & in hoc seruus iste agendo, vt per furiosum iocum purpura vestiretur, sceptro, id est calamo donaretur, coronaretur, & re-*

*gio nomine ſalutaretur. Et quia cogitauerat Dominus ponere in eo (nempe Chriſto) iniquitates omnium noſtrum, ſpinea erat corona, nc poſſet negare ſeruus illuſor, quin iſte Dominus omnium ſpinas portauerit peccatorum noſtrorum.* Sic inſeruiente contrario, miniſtrantibus ipſis contradictionibus filius hominis vadit, imo volat in ſibi præfinitam & præordinatam gloriam. Reſpice iterum Ionam illũ qui vt à Dei fugeret obedientia, quot ſe contrarijs cõmiſit? Mittebatur in Niniuem, ipſe vero ſe naui dedit, inſuper furenti mari cõmittitur, rurſus à ceto voratur quo pœnitus à via mandata videbatur impeditus. Tamen hæc omnia impedimenta illũ licet ignorantem deducunt in Niniuẽ. Ita Diuus Gregor. PP. lib. 6. Moral. cap. 22. inquit. *Ecce fugitiuum Dei, tempeſtas inuenit, ſors ligat, mare ſuſcipit, bellua includit, & quia authori ſuo obedire renititur, ad locum quo miſsus fuerat, ſuo vens carcere portatur.* Sic contraria, & impedimenta Deo ſeruiunt, in deducendis ſuis placitis ad finem.

## §. VII.

### *Iuſtorum ærumnæ potiores, quàm tyrannorum ſplendiſsimæ gloriæ.*

NOnne vides iuſtum ærumnis confectum papilionis more ad flãmas euolare? Nonne vides tyrannos auro gẽmiſque effulgentes, delitijs effluere? Quid tunc? Sanè potiór conditio eſt iuſti ad mortem flãmaſque volantis, quã tyranni inter ipſas diuitias triumphantis. Huc ſpectat illa Chriſti Domini cum proditore ſuo compoſitio: *Filius hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo, væ autem homini illi, per quem tradetur.* Ille ad voluntariam ruit mortem; hic argento æternat vitam: ille amariſsimos expertus fluctus terræ viſceribus ſe ſe inſeret; hic principum gratiam nactus euiſcerabit terrã aureas venas potitus: ſed quid proderit miſero iſta vana fœlicitas? Ille æternũ glorioſus exiſtet; hunc æterna calamitas excruciat. Pulchrè Diuus Chryſoſt. id attigit hom. de Cæconato cõponens idolorum aurea templa cum petoribus pleno carcere Martyrum: *Quid profuit idolis etiam eorum qui non ſunt adoratio, templorum, inquam, amplitudo? Quid verò Martyribus obfuit vilitas ſepulchrorum? Nonne dedecus inuſtum eſt errori in amplitudine, & in humilitate res Martyrum ſunt exaltatæ?* Fuit gentiũ ſplendor, fuit ingens idolorũ gloria, ſplenduerunt aureæ illorũ ſtatuæ, at nunc quid fœtidius? Viſcera ſanè ipſo ſtercore per ſterquilinia rotantur. Quando res Martyrum aureis tẽplis coruſcant, immortalemque gloriã ſpirant vndequaque. Huc conuertant animos quicũque ſpectaculorum vanitate gaudent: huc reſpiciant qui fabularum varietates mirantur, quid mirabilius quàm iuſtorũ, & tyrannorum mutatio, Deo de vtriſque iudicante? Pulchrè Tertul. huc refert ſpectaculorũ ſpectatores, ait enim in libri calce: *Superſunt alia ſpectacula, ille vltimus & perpetuus iudicij dies, ille nationibus inſperatus, ille derijſus, cum tanta ſæculi vetuſtas vno igne hauretur. Quæ tunc ſpectaculi latitudo? Quid admiret? quid rideam? vbi gaudeam: vbi exultem ſpectans tot ac tantos Reges qui in cœlo recepti nuntiabantur cum ipſe Ioue inimis tenebris congemiſcentes? Quos præterea ſapientes coram diſcipulis ſuis vna conflagrantibus erubeſcentes? Cæterum qualia illa ſunt* (nimirum iuſtorum præmia) *quæ nec auris audiuit, neque oculus vidit, nec in cor hominis aſcenderunt.* Siccine finienda eſt vniuerſi mundi fabula, vadunt iuſti ærumnoſi, ſqualentes, iniurijs onuſti, degunt tyranni fulgidi in auro, ſaturi inter dapes, triũphis pleni; ſed illi in ſempiternam aſcendunt fœlicitatem; hi deſcendent ſubitò in miſeriarum barathrum. Sic in purpurato diuite, & paupere Lazaro oſtendit D. Lucas cap. 15. *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt inferno, & vidit Abrahã de longe, & Lazarũ in ſinu eius.* Ad hæc D. Chryſoſtom. ſerm. 124. *Immutatio quanta rerum, quo deſcendet dives? quo pauper aſcendit? Reſpicit ibi ſurſum, quem deſpexerat hic deorſum.* Quid plura? Non fortunæ alea; ſed iuſtitiæ decreto iuſti current ad palmam, tyranni ad ſupplicia: illi æternis gaudijs, hi nunquam moriturisinſident flãmis. Hinc apud Ioan. 26. Dominus ſuos monet: *Mundus gaudebit, vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Vbi eleganter Tertul. lib. de Spectaculis ait, vicibus diſpoſita res eſt: *Nunc illi lætantur, nos conflictamur, ſæculum, inquit, gaudebit; vos triſtes eritis. Lugeamus ergo, dum Ethnici gaudent, vt cum lugere cæperint gaudeamus.* Vnde meritò D. Paulinus epiſtol. 4. lugenti Magdalenæ ad pedes Chriſti inuidet, eique aſſotiari ardentius exoptat, quã Phariſæo inter vina gaudenti, imo

Chryſoſt.

Tertul.

Luc. 15.

Chryſol.

Ioan. 16.

Tertul.

Paulin.

imo inuitanti Christum. Ait enim loquēs ad Pharisæum : *Interim malo peccatricis, & pauperis nostræ diuitias in lachrymis, & affectu, quā tuas in impietate & litera. Illius ieiunium, quā tuum conuiuium. Malo inter capillos illius Christi pedibus illigari, quàm inter dapes tuas tecum iuxta Christum sine Christo discumbere.* Sic lachrymas, sic ieiunia, sic paupertatem æstimat præ gaudijs Christum inuitantis; quid ni æstimaret præ lætitia Christum vendentis.

## §. VIII.

### *Horroris & timoris plena est vox Christi Domini aliquem damnantis.*

PErditissimi Iudæ damnationem prolaturus Dominus, quanto id præcordiorum suspirio facit? Ait namque væ homini illi quasi nō aliter tanti judicis vox queat audiri; nisi inter gemitus, inter lamenta, inter æternum defluentes lachrymas. Et quando dānantis Domini vox tonabit sine ingēti orbis pauore, sine lamento, sine horribilium stridore cruciatuum? De fulminata in reprobos sententia sic *Cypri.* D. Cyprian. serm. de Ascens. adstupens fatur: *Quanta illud edictum sequentur lamenta! illius vltimæ tubæ clamor quàm horribilis erit! Continuus erit & superfluus lachrymarum decursus, incendia nudum corpus allambent, in proprio adipe frixæ libidines ebullient, & inter sartagines flammeas miserà corpora cremabuntur: non miserebitur vltrà Deus, nullum ibi refrigerium nullum remedium.* Quis tam seueram vocē non expauet? Quis vel primum eius sibilum potest sustinere? Quicquid sonat est væ & lamentationes, quicquid stridet flagellum est, ignis est, ardensque in æternum vorago, & non timebit creatura? Sanè Ioel *Ioel 3.* cap. 3. inquit: *Sol, & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. Et Dominus de Sion rugiet, & de Hierusalem dabit vocem suam, & mouebuntur cœli, & terra.* Ad tremendam iudicantis vocem creatura omnis etiam cœlestis, etiam instar solis fulgens tremore ingenti nu- *Zeno.* tabit, quod ponderans Diuus Zeno serm. 4. de Isaia inquit. *Hinc æstimare licet quid sit eis reseruatum, quorum in causa funerei luctus pœnæ pertulit natura supplicium.* Quando natura etiam cœlestis sine tanta sui alteratione, sine tam ingenti luctu, sine tam acri supplicio vocem iudicantis Dei non exaudit, quid reus ipse patiatur? Quæ reorum pœna quando solùm exauditam sententiæ vocem cœlestia omnia pauent, & se se tristi fragore quatiūt, vel nigris tenebris abdunt? Quid plura? ipsissima Dei hominis caro exhorruit, vbi Christi Domini voce manifestāda fuit proditoris dānatio. Sic Ioan. 13. *Ioan. 3.* ait: *Cùm hæc dixisset Iesus turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis me tradet.* Expende illud quòd dicturus proditionem, proditorem manifestaturus, turbatus est spiritu. Cur turbatur Christifera cato? An quia incipit manifesta voce proditorem damnare? Ita prorsus D. Cyril. *Cyril.* Alexand. lib. 9. in Ioan. *Verosimile mihi videtur, non potuisse carnem Christi motum, quo iam expressiùs atque manifestiùs discipulos proditionis odium offerebatur, ita sufferre, vt aliquantisper non exhorruerit.* Quando ergo ipsa Dei caro non potuit sine horrore sufferre vocem hominis damnati manifestatiuā, quomodo sufferret damnationem in se districtam dāminatus? Hinc æstimare licet damnatorum pene immensam calamitatem, tremendam Dei damnatis vocem cuius vel halitum Christifera caro exhorret & lamentatur.

*Text.* Respondens autem Iudas qui tradidit eum. Numquid ego sum Rabbi?

## §. IX.

### *Deplorati animi est, vbi vniuersi de tuo delicto timent, quod tu impauidus agas quasi omnibus lateat.*

DE proditoris crimine omnes discipuli iacent consternati, ad eius damnationem exhorret ipsa Dei caro, vnus proditor impauidus & securus agit, adeò, vt de se interroget, & de Domini disco presumat intinctum panem. Id in impudentissimo proditore damnat Diuus Leon. *Leon.* serm. 7. de Pass. fatus: *Tu autem in hac trepidatione sanctorum abuteris Domini patientia, & abscondite tua credis audatia.*

Proh nefas! trepidant vniuerſi, tuum peccatum cunctos perterrefacit, & tu ſecurus gaudes, quòd lateas. Vbi cœlũ & terra vbi creaturæ inſenſibiles tuam timent & prædicant calamitatem, tu ſolus impauidus, ab omnibus quia credis ignorari, audes lætari. Sic primus ille reproborum pater Cain lætabatur, de quo eleganter D Zeno ſerm. de timore, ait: *Miratur orbis vacuus ſe duobus angustum, mirantur elementa hominem, qui facto ſit ad imaginem Dei poſſe iugulari & hoc à fratre. Erubeſcit terra rudis pio ſanguine impiata, ſolus Cain exultat infœlix, quod teſte careat, putat ſe caruiſſe fa inore quem Deus videt, quẽ conſcientia coarguit, quem fratris ſanguis accuſat.* Siccine trepidantibus cunctis creaturis, & expauentibus ſcelus, ſceleris au thores triũphant ſecuri & impauidi, quaſi eorum flagitia omnibus lateant. Sed hoc faciet Cain, aut Iudas, aut eorũ ſati, qui delictorum æmuli, etiam in pudenti ſecuritate, at iſſabunt. Dum Chriſtus Dominus apud Matth. capit. 24. memorat ſub crudeliſſima perſequutione trementẽ orbem terrarum, cunctos pauentes homines ſtatim ſubdit: *Orate, vt non fiat fuga veſtra in hyeme, vel Sabbato.* Cur non in Sabbato? Pulchrè D. Athan. quæſt. 83. ait: *Hyemem peccata vocat, & Sabbatum ſecuritatem: dicit ergo væ animæ in peccato ſecuritate conſtitutæ.* Et meritò væ indicitur à Deo illi, qui vbi omnia timore plena ſunt, vbi etiam cardines cœli timor quatit, vbi maximam vniuerſæ res tribulationem patiuntur, ipſe in peccatis ſecurus agit, & feſtos ſibi dies parat. Hinc merito Aug. ſer. 120. in Phariſeos exultantes, cum vniuerſæ creaturæ in morte Domini tremunt, his verbis indignatur: *In media paſſione Domini cœleſtia, & terreſtria turbantur, lux cum nocte miſcetur, elementa quatiuntur: terra ipſa concuſſa à fundamentis ſuis tanquam ad ſcelus proprium contremiſcit. Et quæ duritia cordis humani? Væ eis qui inter iſta non credunt*, imò cum ipſi ſceleris authores ſint, trementibus alijs ipſi ſibi plaudunt omnimoda ſecuritate.

Matt. 24.

Athan.

Auguſt.

## §. X.

### *Interna cordis malitia difficile poteſt non extrinſecus reuelari.*

DIfficilimũ ſanè eſt, reconditam pectore malitiam non euulgari: ecce præconceptum à Iuda Chriſti Domini vilipẽdium, qualiter vel ipſius verbis ſe prodat. Domini enim appellationem, qua cæteri vſi ſunt, indignans, ſubſanando ait nunquid eg ſum Rabbi? Vnde cum maximè volebat proditionem ſuam diſſimulare, ſuperbia ſua prodere cogitur, dum Chriſtũ minus quam cæteri honorificè compellat. Plenè nunquam ſe nouit occultare malitia, ſi ſemel intimis præcordijs inſederit, euulgabitur vel te renuente. Iam Iſraelitæ Ægypto exierant, iam totũ mare trãſierant, iam palmarum fructibus ſaturi Moyſis imperio libertatem patriam potiebantur, à Deoque orbis conditore legem ſibi dari expectabant. Sed quo id animo? an ab Ægyptiorum vitijs purificata mente? Proh dolor! Tardante Moyſe, conflari ſibi idolum expoſcunt, offerunt aurea decora, conflatorio injiciunt, quibus iniectis inopinatus ex illis vitulus proſilit, qui ante eorum oculos ſtetit. Quæ prodigij ratio? Vnde conflatorius ignis accepit, vt vitulum obijceret? Pulchrè Tertulian. aduerſus Gnoſt. *Sapiens ignis effigiem vituli diffudit illis, ſugillãs ibi cor habentes apud AEgyptium bobis cuiuſdam conſecratricem.* Non eorum mentes deſerũ erat AEgyptius error, adhuc intimis præcordijs inſederat AEgytus, & quantũ uis ipſi diſſimulare tentent, neceſſu eſt, vt tanta illorum malitia euulgetur. Et ſi totis viribus præconcepta malitiam celare intendas, ipſa tua verba, ipſa tua opera illam facient manifeſtam. Perfidus ille Balaam à Deo iuſſus, ne maledicta iaceret in Iſrael, ſic ſe facturum decreuerat, & licet inuitus maledicendo populo abſtinebat, Num. 22. Tandem accedunt regij nuntij pleni muneribus, quibus illum trahere nitebantur, vt maledicta congereret. Ipſe vero iuxta præceptum, Domini renuit affirmans ſe à Deo nunquam defecturum, nihilominus, ait: *Obſecro vos, vt hic maneatis etiam hac nocte, vt ſcire queam quid mihi rurſus reſpondeat Dominus* Libentiſſimi cum illi remanerent Dominum iterum conſulit Balaam, à quo tale reſponſum accepit: *Surge vade eum eis*, ac ſi diceret, fac vt libuerit, quo accepto, ſtatim eſt profectus. Ad hæc Diuus Auguſtin. quæſtio. 47. quærit: *Cur poſt iſtam permiſſionem Domini iterum non conſuluit, ſicut poſt illam prohibitionem?* Etenim cum prohibitus fuiſſet Dei oraculo adhuc inſtat, & iterum conſulit, & cum facultatem accepit, ſtatim ſine noua conſultatione, nullo alio expectato oraculo arripuit viam. Quæ

Exod. 32.

Tertul.

Num. 22.

Auguſt.

rei

rei causa? *Quia cupiditas eius apparebat, quæ metu premebatur.* Sane prohibente Deo, non expulerat vitiosam cupiditatem à mente; sed solum Dei metu coercita manebat adhuc intimis præcordijs sedens. Qua propter fieri non potuit, vt diu ibi lateret, quin statim proderetur. Quam dissimulauerat Achab scelus in iustissimum virum Naboth perpetratum, eius internectionem fleuerat, miroque luctu prosecutus fuerat. Tamen illius vineam accipiens, cum lætanter ad domum reuerteret, media via apparet illi Elias, & coram eius flagitium aperuit, terribile inde supplicium illi imminere professus. Cui perterritus Rex impius inquit 3. Reg. 21. *num inuenisti me inimicum mi?* Ad hæc Ambros. ponderat lib. de Nabuth. capit. 21. quam facilè proditur impius: *Inuentus est Adam cùm lateret, Moysi autem nequaquã inuenta est sepultura: inuentus est Achab, non inuentus est Elias, culpa igitur authorem suũ prodit. Vnde Iesbites ait, inueni quoniam fecisti malum in conspectu Domini.* Vanè latere præsumit qui intimè habet præconceptam malitiam, quantumuis dissimulare velis, ipsa ipsa malitia te prodet, quæ nequit non euulgari & foras prosilire.

3. Reg. 21. Amb.

## CAPVT VII.

## De his quæ post legalem cœnam, nimirum de pedum ablutione.

CAEnatus Dominus legali & communi mensa, quod serui efficere solebant, id ipse discipulis suis voluit efficere, & aqua adhibita se ad discipulorum pedes prouoluit, vt eos lauaret. Ex pauit Petrus profundam humilitatem Dei filij, cui aliquandiu resistens tandem acquieuit, & se permisit lauari: a quo singulis deinde idem obsequiũ Dñs exhibuit. Igitur magnũ Dei Patris incremẽtũ Christus, stupendibus Angelis, eisdẽ manibus lauit discipulorũ pedes, quibus postmodũ lauaturus erat pretioso sanguine totiꝰ mundi crimina. Lauit, inquã, & lotos instruit, qua alacritate inter se debeant Christiani similia exhibere officia, nullũ obsequium vile & obiectum reputantes, quod præstitit suis omnium Dominus & Magister.

*Ex Ioan. 13.*

*Text.* Ante diem festum Paschæ sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos, qui erant in hoc mundo in finem dilexit eos.

### §. I.

### *Festinior Dominus Iesus currit ad mortem, quàm ipsa paratur per hostes infensissimos.*

QVI scire cupit, quo desiderio feratur Dominus in mortẽ, qua exestuet cupiditate fundendi sanguinẽ pro hominibus, expendat illud: *Sciens, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo.* Venientes hora, ipse transit, quasi pigritantes carnifices ipse ocissimus transeat. Sic D. Amb. meditatur & tardã hominũ cupiditatẽ, & festinatissimum Dei venientis ardorẽ. Ait enim serm. 6. in Psalm. 118. *Ego suscitari mihi charitatem cupio, & ad me plus charitas ipsa festinat, ego dixi veni, ille salit, & transilit.* Quibus modo volatilẽ Dei amorẽ in mortẽ meditator, carnifices cupiunt laniare Christũ, & Christus plus ad lanienam festinat; solicitantibus crudelibus hostibus mortis hora venit, Dominus autem ad illã velocissimus transit, carnifices præcurrit, hostiũ pernicissimam crudelitatẽ transit, adeò vt tardantibus illis ipse se se mysticè laniet. Huc spectat D. Greg. Nissæn. homil. 5. de Resurrect. expendens, quòd Dominus se se in præsenti edendum dederit sub specie mactatæ hostiæ in sanguine diuiso à carne, cur hoc fecit: *Qui omnia pro dominica potestate & authoritate administrat, non expectat Pilati iudiciũ sed per inefabilem & arcanum sacrificij modum sua dispositione & administratione præoccupat impetum violentum, ac se se in oblationẽ & victimam offert, pro nobis sacerdos simul & Agnus Dei.* Adeò ad mortem currebat, sic anxius erat de effundendo sanguine, vt non sustinens Palati, & hostium tarditatem adinuenerit modum, quo illorum rabiem præueniens se se mactaret, dum sanguinis poculum, & suæ carnis essum præpararet. Hinc ortum habuit citissima illius in Cruce iam suffixi mors: etenim qui cruce mulctabantur non antea exalabant animã, quam

Amb.

à carnificibus eorum frangerentur crura;
*Tert.* verum Chriſtus Dominus non expectauit carnifices, vt anima efflaret. Id quod notans Tertulian. aduerſus Gent. ait. *Spiritum cum verbo dimiſit, præuento carnificis officio.* Sane, quod clamans expiraſſet, ſatis oſtendit non ex poteſtatis defectu morti occumbere; ſed ex ardentiſsimo deſiderio moriendi, quo pigros æſtimans carnifices, feſtinior currit ad mortem, currebat, & præcurrebat omnes, vn feſtinantes hoſtes tardos reputaret,
*Alban.* & occiſsimos adhuc ſtimularet, Vnde de illo ad mortem eunte pulchrè mediatur D. Athan. de paſsion. aiens. *Reſumſit autem ſimul cum trophæo veſtimenta ſua ab illis, abiturus ad mortem, vt ea ſimul cum morte exueret; fecitque eos accelerare qui ipſum ducebant.* Omnibus inferentibus mortem feſtinior Dominus illam bibit, feſtinabant hoſtes, feſtinabant carnifices, feſtinabat pater ipſe cœleſtis, vt videret mactatum ilum agnum, quo aboleretur peccata mundi, ſed feſtinior omnibus ipſe, omnes acceleratе iubet & cunctantes impellit, donec ſanguinem fundat. Accipite illuſtriſsimum lepteæ proli-
*Iud.* lis teſtimonium ab Ambroſ. lib. 3. Officior. cap. 12. decantiſsimum. Hæc iugulanda à patre duorum menſium petijt in-
*Ambr.* ducias, quibus tranſactis, eadē hora currit ad victima. Tunc ſic Ambroſ. *Nec fletus æqualium mouit puellam, nec dolor flexit, nec gemitudas retardauit, nec dies præterijt, nec fefellit hora, redijt ad patrem quaſi ad votum rediret, & voluntate propria cunctantem impulit.* Quid aprius Chriſto? quem nullus diſcipulorum gemitus, nulla matris mæſtitudo feſtinantem retardauit, nec negotijs ſæculorum acceptatus dies præterijt, nec fefellit hora; ſed ſciens quia iſta venit, feſtinior illa cucurrit ad victimam, & carnifices, fecit accelerare, & cunctantem patrem impulit.

## §. II.

### *Ingentem tormentorum, & cruciatuū molem quaſi breuem & horarium ducit dolorem humanæ ſalutis amator Dominus.*

VNus Rachelis amor ſic Iacobum deliniebat vel inebribat, vt quatuor decim illi laborum anni viderentur pauci, dummodo optato potiretur coniungio.

Sic Iacobæa proles Chriſtus Dominus pro humanæ ſalutis amore longiſsimos cruciatuum ſuorum fluctus quaſi horarium laborem reputabat, de quo dicitur *ſciens Ieſus qui venit hora eius*, quaſi tota illa cruciatuum ſeges longiſsimum illud tormentorum tem- *Ad Hæb.*
pus illi ſoli breuiſsimum videretur, & hōrarium. Hinc D. Paul. ad Hebræos cap. 2. ait. *Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus eſt, videmus Ieſum propter paſsionem mortis gloria & honore coronatum, vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem.* Vbi maximè expendendum eſt, quam paruum reputet felleum illud tormentorum poculum, quod nō potum, ſed potus guſtum eſtimat, adeo, vt guſtaret mortem, breuiſsimam, & quaſi momentaneam mortis paſ- *Anſel.*
ſionem hic reputent Chryſoſt. & Eucumenius. Illis argutior D. Anſel. ait *Dico, quia minoratus eſt, & hoc ideo, vt guſtaret mortem ideſt, horariam & non longam quaſi aliquid guſtando tranſiret pro omnibus.* Quid ni? Cruciatuum illa infinita congeries, mille illæ nocendi artes, flagellorum myriades, Pontificū noturnæ irriſiones, iudiciorum actus, non multū temporis conſumſerūt? Equidem longiſsimum tormentorum fuit tēpus patienti, ſed breue, ſed horariū amā ti. O quà amabat illa in Canticis! quæ dice- *Cant. 23.*
bat, *in lectulo per noctes quæſiui quē diligit anima mea.* Ecce tibi plures tribulationum noctes, plures patiēdi neceſsitates, vnus lectulus videntur amaſsiæ. Sic expendit Gi- *Gillib.*
llib. ſerm. 2. in Cant. *Multæ noctes, ſed vnus lectulus. Multæ enim tribulationes in florū, ſed tamen quaſi nō ſentientes, nec reſpicientes, vno dormiūt, & requieſcunt in lectulo:* ac ſi dicat, quod ingentem tribulationum multitudinem quaſi non ſentientes, vno, eoque breuiſsimo ſomno componant amantes. Verè nos Chriſtus amat, cui longiſsimæ tormentorū noctes vnus lectulus, vnus ſomnus breuiſsimus ſunt, cui tormentorū dilata & prolixa paſsio breuis fit & horaria. Nullus (ſi memini) Propheta, nullus canonicus ſcriptor de paſsionis dominicæ acerbitate egit, qui eam vel vaſtiſsimū mare, vel craſſiginoſam tempeſtatem non appellaret. Quo ſpectat illud Hieremiæ: Magna eſt velut mare contritio tua, & Dauidicum aliud: Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Vnus ipſe Chriſtus paſſurus intra calicis poculum totam hanc amaritudinem anguſtauit, alijs vaſtiſsimū mare, ingens tempeſtas viſa eſt; vni Chriſto Domino nunquam mare, nunquam tēpeſtas, ſemper calix, ſemper poculum apparuit. Pulchrè Theophilat. Matt. 20. *Theoph.*
ait.

ait. *Poculum dicit Dominus suam mortem, simul ostendens quò leue sit, & declarans, quòd ipse suauiter accedat ad mortem.* O maximus Christi amor! sic in hominum vtilitatem cæcutiens, vt fel leum dolorum mare reputet quasi potus calicem. Miratus Isaias, c. 40. Dei penè incredibilem potentiam, ait: *Quis mensus est pugillo aquas?* nimirum iuxta Forerium, vna est, & sola diuina potentia cui tota aquarum moles collata tam parua est, vt sunt aquæ, quas nos vola, seu fouea manus continere, seu mensurare possumus. Huic par immensa vis amoris Christi Domini, cui opposita vastissima dolorum, & cruciatuum maria tam parua apparent, vt sunt aquæ, quæ minimo sufficerent poculo, aut manuali continentur calice. Adeò breues, adeò paruæ omnes passionis tribulationes visæ sunt Domino, vt liceat illas pro minimo æstimare. Etenim sic ait. Matth. 5. *Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis*, nec aliud reputat minimum mandatũ; nisi id quod de mortis, & de crucis supplicio habet. Ita D. Hilar. *Minimum est omnium Domini passio, & crucis mor.* Proh Deus immortalis! Proh ingens Dei in nos charitas! Sicinne, ò Christe, viles creaturas amas, vt pro minimo ducas te morti dare, & immensos crucis subire cruciatus?

Isai. 40.

Mat. 5.

Hilar.

## §. III.

### *Christi Domini amor in homines non finem: sed verticem, & coronidem habuit.*

CVM Christus Dominus dilexisset suos, ait Ioannes, in finẽ dilexit eos; sed quid est, in finem dilexit eos? an finem fecit amoris? an ingens ab incunabulis amor morte finitus est? Absit, imò nunquam pulchriùs eluxit diuinus amor, quàm media in mortis falce. Itaque moriens Dominus dilexit in finem, quatenus non simplicem finem; sed pulcherrimam fecit amoris sui coronidem. Moysis nitidissimas virtutes, quæ in eius morte splenduerunt, miratus D. Gregor. Nissæn. ait. *Vt peritissimus statuarius tota vitæ suæ diligenter confictæ statuæ, non finem in extremo fictionis termino; sed verticem imposui.* Hæc summa perfectissimi operis gloria, si non simpliciter finiat; sed pulchra, & elaborata exurgat coronide. Hæc prima Christi Domini amantis gloria, qui non finem in extremo; sed verticem, sed pulcherrimam coronidem imposuit. His amoris flammis exarsit, ea prompsit charitatis miracula, quæ pro vertice, seu coronide perfectissimi, & diuini amatoris spectantium Seraphim oculos in admirationem raperent. Huc spectauit lex illa. Exod. 12. de agno igni ardente immolando, etenim mysterio iubet, quod agnus assandus, esset masculus anniculus. Cur anniculus? Iam explicat Psalm. 64. dicens: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*: quasi perfectus annus beneficentissimæ, Dei bonitatis verticem, & coronidem exaltet. Ita agno anniculo, cuius sanguis exterminatorem ab Israelitarum domibus arcuit Dei Optimi Maximi benignitatis in suos vertex, & coronis claruit. Vnde à Theologo Nazianzeno, orat. 2. Paschæ, dicitur Christus Dominus: *Agnus anniculus, vt Sol iustitiæ, atque item, vt benignitatis corona benedicta.* Ecce tibi diuini amoris, & benignitatis verticem, & coronidem. Ecce tibi Christum Dominum Agnum anniculum, quipenè in mortis acie suorum amore totus sui immemor sic suos armauit, sic suos, qui erant in hoc mundo, qui adhuc delicijs sæculi incubabant, & cœlestia respuebant, sic, inquam, eos muniuit, vt à nullo exterminatore possent expugnari. Hæc fuit supremi amatoris, & benignissimi Dei vertex, & coronis, quo legalis agni virtutem longè superauit. Id attigit D. Cyprian. serm. de Passion. fatus. *Sanguis Christi efficaciùs, quàm sanguis agni illius, quem in Ægypto Israel immolauit, contrarias abigit potestates, cuius hodie tanta est authoritas, & potestas, vt non solùm Israelitica limina muniat; sed etiam ab his qui Israelitice non viuunt, solum Sacramenti signũ repellat dæmonia.* Expẽde illud *etiam ab his qui Israeliticè non viuunt, expellat dæmonia.* Namque sanguis legalis Agni benignitatis Dei in Hebræos impo fuit coronidem, eos, qui ritè immolabant, ab exterminatore defendens, verùm sanguis veri, & anniculi Agni Christi eò se extulit, vt pro summæ benignitatis vertice, & coronide etiam suos, qui erãt in hoc mundo, qui adhunc sæculo viuebant, quĩ nondum se ad bonam frugem receperant, à dæmonum tyrannide, & exterminatione defensabat. Sic Christus Dominus in extremo vitæ termino non finem; sed amoris sui verticem, sed pulcherrimam egit benignitatis in homines coronidẽ. Hinc sapiens illa Domini dilectrix, vt summum Christi

Exod. 12.

Psalm. 64.

Nazian.

Cypr.

Nisseu.

amorem expiſcaretur, ſeſe ad eius pedes
Paulin. proiecit. Cur ad pedes? Pulchrè D. Paulinus, epiſt. 4. *In extremo licèt Saluatoris veſtigio caput ſuæ ſalutis inuenit*, quaſi nouerit, quòd diuini amatoris in extremis benignitatis erat coronis, & vertex, ad eius ſeſe proiecit extrema, vbi fœlix ſummæ benignitatis offendit caput, & verticem.

## §. IIII.

### *Chriſtianum non agit, qui mortis venientis conſpectu ad fruentiora non ſe erigit opera.*

ECCE ipſe Filius Dei inſtantem iam meditatus mortem amoris erga ſuos opera excitauit, & auxit, *Sciens quia venit hora eius, cùm delexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.* Quis inde Chriſtianus vel mortis conſpectu ſeſe auidiùs virtuti nõ tradet? Quis ſtudioſiùs animi ſui ſalutem non quæret? Dicam vnde reprobus Iudas malè audit apud D. Chryſoſto. nimirùm irafcentes Diſcipulos in Magdalenam, quod Saluatoris caput vnguento prętioſo rigaret, ſe-
Matth. 26 dans Dñs Matth. 26. inquit, vt quid moleſti eſtis huic mulieri? bonum opus operata eſt in me, *ad ſepulturam meam hoc fecit. Tũc profectus vnus ex duodecim, qui dicebatur Iudas, &c.* Expendite modò ſacri textus ponderationem, & notam: Tunc, inquit, profectus eſt Iudas, quando? dicente Domino, ad ſepulturam meam hoc fecit, tunc Iudas in proditionem profectus eſt. Eleganter
Chryſoſt. D. Chryſoſt. homil. 2. *Tunc iſtud ad quod tempus relatum eſt? quando iſta locutus eſſet, quando ad ſepulturam dixit, atque neque hinc compunctus eſt.* O perditiſsimi hominis argumentum ſingulare! mortem audit, ſepulturam percipit, & non compungitur, & ad ſalutis montem non aduolat? & idem, & ſui ſimilis in proditione perſiſtit! Vnus id Iudas faceret, & qui eius perditiſsimos & deplorates mores imitantur. Equidem amantiſsimus hominum Deus ab initio volens Iudam à præcipitio cuſtodire, hoc illi frænum iniecit, nimirum memoriam mortis, quam ipſius nomini indidit Schariothis idem eſt, ac memorans mortem, vt iam immedicabilem eius videas animum, quando tanto fræno rupto, ſeſe voluit in præcipitiũ agere. Ita D. Paſca. lib. in Mat. 6. inquit. *Porrò Schariotis, memoria mortis ſonat, vt ſit inexcuſabilis; quod non caſu; ſed ex meditatione mortis, Dominum prodiderit.* Sic priſci Iudæi delitioſiſsimi hoſtilibus cincti Aſſyriorum phalangibus, cùm nullum eſſet euadendi ſuffugium, cùm nihil viderent præter arma mortem hallantia, ſic apud Iſaiam cap. 22. loquuntur. *Comedamus, & bibamus; cras enim moriemur.* Hoc
Iſai. 22. ellicit ex conſpectu mortis perditiſsimus animus, vt plus inhæreat voluptati, vt ſecurius delicijs vacet. Pulchrè D. Cyril.
Cyril. Alexandr. ibi. *Impendens ſibi coſpicati periculum crudelitate Aſſyriorum, delicias conſectati ſunt, deſperato, agreſti, & ſecuro animo ſibi mutuò acclamando, comedamus, & bibamus.* Et meritò deſperati, & agreſtis animi eſſe perhibẽtur, qui vel ad mortis cõſpectum non ſapiunt, qui vel audita morte in ſe ſigna ſalutis excitare negligunt. Huiuſmodi erant notæ Gigantes illi primæui, qui poſt diluuium ſeſe adhortantur. Gen.
Gen. 11. 11. *Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim, & celebremus nomen noſtrum antequam diuidamur.* Apud Philonem leguntur hæc verba, celebremus nomen noſtrum, antequam diſcipemur, quaſi ex præterita clade iam ſuæ cladis ſumpſiſſent augurium, & ſe conſumptum, diſſipatumque iri præuiderint, tamen perditiſsimi adhuc in peccatis perſiſtunt. Vnde Philo. *Sunt etiam hodie*
Phil. *qui valde ſibi talibus rebus placeant, putantes inde ſe præclaram apud homines æſtimationẽ acquirere, ſed hi quamuis improbiſsimi, vltricem tamen ſcelerum ſuorũ Dei iuſtitiam præſagientes, dicunt, priùs quàm diſſipemur. Cur igitur peccatis, ſi veſtra conſilia, & conatus diſſipatum iri ſcitis?* Mortem noſti, & pecas? necem audis, & expectas, & vitæ æternæ proſpicere non curas? Nullum ſalutis ſignum animo tuo mors ipſa aduentans imprimit? Inſanus es, deſperatus es, Chriſtianus non es, cùm ipſe Chriſtus mortem ſuam in proximo eſſe prænoſcens, maiores ſui amoris, & virtutum radios faciat conſpicuos. Ea eſt equidem memoria mortis, quæ vel demoniaca pectora valeat cicurare. Superbiſsimus ille Sathan in Eremo vidit Ieſum, & audet dicere: *Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraueris me.* Proh temerariam dæmonis audaciam! Moderatior aliquando demoniacus apud Marc. cap. 5. *Vidit Ieſum à longe, cucurrit, & adora-*
Marc. 5. *uit eum.* Vnde hæc tibi humilitas, ſuperbiſsime omnium? Quæ res tibi hanc moderationem ingeſit? Neſcio an id offendat

Marc.

Marc. aiens. *Et semper die ac nocte in monumentis erat.* Quasi cum mortuis habitatio potuiesset, & cicurare, & moderare demoniacum animum. Huc refero Chrysol. ser. 17. *Quid est, Diabole, quem promissione regni, vt te adoraret, subdolus ambibas, nunc tremens prolaberis, & adoras? Ecce qui honores omnes regni promittebat, & gloriæ, habitare fœtidis, corruptione cadauerum, reperitur in tumulis.* Quid mirum si adoret Dominum qui habitationem habebat iuxta mortem,

## §. V.

### *Christi Domini amor in homines efficacior ex parte mediorum, quàm Trinitatis homines in paradiso creantis.*

IMMORTALI vita potiturum hominem condidit ad sui imaginem beata Trias in paradiso: condidit, inquam, illum, vt perfunctus omnium animalium imperio, immortalitate candidatus gloriosa cœlestis hæreditatis occuparet sedilia. Sed proh dolor! vno serpentis sibilo tam sublimi homo deuiauit à fine; hinc hominis reformator Christus prosiliens in mundum sic hominem ad paradysum regenerat, vt resistentibus aeris potestatibus, tamen hominem ducat in exoptatum finem; *Prou. 30.* *cùm enim dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Huc referam illud Prou. 30. *Tria sunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit fœliciter* Quod si explicatiùs adhuc vix nosse quartum, quod incedit fœliciter, is est paulò infra, vt rectè Iasen dicit, *Rex cui resisti non potest.* Quid plura? Bene cum homine actum fuit, quùm illum beata Trias in paradyso condidit, quùm illùm sic amauit, vt glorioſæ hæreditatis possessorem deseriberet, vt supernorum bonorum hæredem diceret. Sed inefficax ex defectu voluntatis humanæ, fuit iste beatæ Triados in homines amor, cui resistit serpens, & praua hominis voluntas. Vnde quartus aduenit Christus homo Deus, quartus, inquam, quia in eo præter personarum diuinarum ternarium adhuc quartum quid, nimirum in secunda persona naturam hominis inuenio: quartus item, quia iuxta Lippomani ab Hebræis sumptam supputationem, natus est. 4. annorũ millenario: quartum, & Rex qui incedit fœliciter, cui resisti non potest, qui sic homines dilexit, vt fœliciſsimo gressu vsque insuæ dilectionis fines perducat. Non iam huic nouo dilectori hominum resistet potestas vlla; qui quos amauit ad gloriam, confractis renitentium potestatum viribus, fœliciſsimum faciet videre finem. Id quod credidi rem à Propheta Abacuc mirificè decantatum, quùm ait: *Splendor eius, vt lux erit, cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.* *Abac. 3.* Quasi diceret: Ecce tibi fortiſsimum, illustriſsimum triumphatorem, cuius splendor lucidiſsimos syderum superat radios, cuius stemmata nobiliſsima, vbi fortia, & gloriosa eius facinora conspicua latent, in eius sunt manibus. Sic Hieron. Augustin. Euseb. Expendo tamen, quòd facinorum stemmatibus sint cornua in manibus eius, nec vllum aptius excogitari possit stemma, vt Christi Domini triumphatoris exprimeret fœlicitatem. Etenim solẽniſsimum fuit apud Imperatores maximos, ad ostendendam sui imperij fœlicitatem pro stemmate Amalthææ cornu vsurpare. Sic in aureis Antonini Pij nummis, & Lucij Septimij Getæ, & Vespasiani excusis Amalthææ cornibus hæc affulget subscriptio, nimirum fœlicitas, vel fœlicitas temporum, vel fœlicitas publica. Ergo fœliciſsimi Regis Christi nullum melius stemma, quam cornua in manibus eius, vbi qua fœlicitate omnia à tanto Rege sint peracta, notantur; vbi florentes corollæ pullulant, quæ finiant hominum certamina, vbi fructus cernuntur, qui cum immortali stola restituant homini, nullo resistẽte, Dei imaginem, vbi fortiſsimi, & efficaciſsimi amoris effulgeat valor. Sic pulchrè D. Cyprian. lib. 2. contra Iudæos hæc eadem verba facit: *Cornua in manibus eius, ibi constabilita est virtus gloriæ eius, & constituit dilectionem validam.* *Cypri.* Enimuerò dilectio, quæ apparuit in manibus Trinitatis creantis hominem originali decore exornatum, vt cœlesti potiretur regno, dilectio fuit sufficiens quidem, sed ex defectu voluntatis humanæ nimè eò attigit fœlicitatis, vt acquireret finem exoptatum in homine. Verùm in fortiſsimis Saluatoris manibus ibi tota, & integra fœlicitas apparuit humana, ibi constabilita est virtus gloriæ eius, ibi cõstituta dilectio valida, dilectio quæ nesciat carere fine dilectio, quam aquæ multæ nequeant extinguere, dilectio efficax, quæ debellet contrarias potestates, & fine potiatur. Ecce tibi noui regnatoris, & dilectoris feliciſsimos progressus, cuius species

apud

apud Danielem, cap. 3. mediis Babylonis flammis tres pueros illæſos conſeruans viſebatur, vbi dicitur, *Species quarti ſimilis filio Dei.* Ad hæc Macharius Chryſozephalus Epiſcopus Philadelphiæ, oratione de Cru... *Quartus quoque qui apparuit, quadripartitam crucem eius per vniuerſum orbem potentiam ſignificauit.* O quàm valida dilectio illa, quæ renitētem orbem ſubiecit! O quā præpotens quarti huius apparentis robur, quod in contrarium vergentem mundum ad exoptatum finem reduxit, traxit. Meritò D. Auguſt. ſerm. 114. de tempore, ait: *Hinc intelligamus quantùm hominem diligeret ante culpam, quem ſic diligit poſt ruinam,* nimirum quo hominē in ſublime leuitantem ſubleuaret noui huius dilectoris efficacia, quem in profundum grauitatem fœliciſſimo greſſu conſtituit in Regno immortalitatis. Huic amoris Chriſti in homines fœlicitati auſpicium dedit aſſumptio illa nominis Tetragrammati, quo Deus acceſsit olim ad hominem creādum. Enim verò qui cœlū, & terram, & alia creans tantùm dicitur Elohim, vt acutè notauit Venetus Armon. ton. 5. cant. 1. cap. 17. creaturus hominem addit cognomen Tetragrāmaton, ſiue quadrilitterum; dicitur namque, *Et formauit Iehoua Elohim hominem pulueremde terra.* Quæ reicauſa? quid additio quadrilitteri nominis protendebat? Sanè, ait Venetus: *Quaternarius hic illius Tetragrammi, aut quadrilitteri dum adeſt, omnia fœlicem ſortem conſequuntur.* Quaſi iam inde notaretur fœlicitas humana ex nomine dilectoris noui, ex quadrilittero Ieſu eſſe futura. Non ab amore ſolo qui à triade; ſed ab amore qui à quarto hoc nempe Chriſto Ieſu eſt, homines perducendi erāt in ſuæ fœlicitatis finem. Cui videtur conſonare apud Diuum Cyrillum, de adoratione in ſpiritu, lib. 8. illud Leuit. 19. *Quarto anno omnis fructus eorum ſanctificabitur laudabilis Domino,* quaſi ſalutis fructus, & hominum perſeuerans ſanctificatio, ex quarti efficacia conquirat laudem. His adde Dauidicum cantū Pſalm. 44. inquiens: *Indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.* Quòd ſiſcire cupis, quale ſit hoc fortiſsimum Dei præcinctum, conſule Ioannem, cap. 21. vbi ſignificans Dominus Petro, qua morte eum clarificaturus eſſet, ait: *Cū ſenueris, alius cinget te, & ducet te quò tu non vis.* Itaque mortis, cruciſque præcinctum fortiſsimum induit Dominus, quo inimicos debellauit, totumque orbem terrarum æternum confirmauit. Ab hac ſtat ſententia Chryſoſt. hom. in Gen. 2. quæ habetur 6. tom. aiens. *Per corpus, corporis expertes, & malignos dæmones debellauit: & per crucem de aduerſarijs poteſtatibus triumphauit. Meritò dixit, indutus eſt Dominus fortitudinē, & præcinxit ſe. Et quid eſt quod mox inducitur? Etenim firmauit orbē terræ, qui non commouebitur. Quoniam ergo peccatum concuſſerat primùm orbem terrarum, cùm veniſſet Saluator, fixit crucem, & ſtabiliuit vniuerſitatem.* Ecce vt Chriſtus ſtabiliuit dilectionem validam.

Mach.

Venet.

Cyril.

Pſal. 44.

Ioan. 21.

Chryſoſt.

## §. VI.

*Chriſtus Dominus amator eximius in ſumma hominum malitia, & improbitate id ſolum reſpicit, quod ſui amoris flammas elliciat, & nihil aliud gaudet reſpici à fratribus.*

MAGNVM diuinæ pietatis argumentum eſt, quòd talia ac tanta ab hominibus, & hominum cauſa paſſurus Dominus, omne genus hominum nō abominetur, ſed adhuc homines diligat, & dirigat in gloriæ promiſſæ finem. Meritò D. Auguſt. ſerm. 120. de tempor. miratus à crucifixo Domino paradiſum latroni polliceri, ait. *Credamus Deum, vel ex ſola virtute patientiæ, qui dum ab homine crucis neci traditur, ſic quoque homini gloria pollicetur.* Quid diuinius? Quod diuinæ pietatis indicīū clarius ab hominibus trucidari, & adhuc homines amare? Sanè non crimina, non ſcelera hominum reſpicit vis amoris; ſed id ſolùm, quo homines valeant amari. Non videt delicta, & rabiem; ſed videt opꝰ ſuum, videt ſuos, & cūm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. Cur Publicanum lucris inhiantem Chriſtus Dominus non reſpueret? Cur peccatorem pecuniæ deditum, nūmis incubantem non abominaretur ille, qui à pecuniarum mancipio tradēdus erat? id pulchrè inſinuat Matthæus ipſe cap. 9. *Præteriens Ieſus vidit hominem ſedentem in Telonio.* Quod acutè expendens Chryſol. ſerm. 30. ait. *Vidit hominem, vt peccata hominis non videret, vidit opus ſuum, vt deſpiceret opera peccatorum.* Non ad ſcelera; ſed ad id quod ſuum erat, reſpexit Dominus, vt poſſet inde amare; non contemnere. Ita prima Martyrum fax Stephanus rabidiſsimos, inter hoſtes poſitus aiebat Actor. 7.

Auguſt.

Matth. 9.

Chryſol.

Viri

*Act.7. Euseb.* *Viri fratres, & patres audite*. Quæ pulchrè expendit Eusebius Emissen. dum dicit: Ecce Martyr quo se muniat, vt amet persecutores, *Memor fratrum; immemor persecutorũ, recordans de qua radice processerit.* Sanè docuerat illum Christus Dominus, dum in nefarijs hominibus genus suum respicit, non delicta, ne multare queat; sed munerare. Verè in hoc, & pater, & filius Dauidis, qui mittens armatos duces in parricidam

*2.Reg.8.* Absalonem, ait illis, 2. Reg. cap. 8. *Parcite filio meo Absalon*, non proditorem, non parricidam commemorat; sed filium vocat, vt venia, & amore dignus existimetur. Ita

*Amb.* Ambrosius in Psalm. 118. serm. 14. versic. 4. *Tacebat improbitatis scelus, pietatis autem gradum, & nomen necessitudinis præferebat, vt pugnaturi non aduersarium Regis; sed filiũ cogitantes, dolorem læsæ pietatis inhiberent.* Sic Dominus oculos ab hominum deicidio auertit, & pietatis gradum, & nomen necessitudinis præfert suos vocans, opus suum memorãs, vt sine fine diligeret quos diuinis suis manibus nouit esse profectos. Equidem amator hominum Deus in suis nihil aliud gaudet videre præter id quod amare possit, quod ardentioris amoris sit

*Cant.5.* incitamentum. Id quod bene caluerat Spõsa, Cant. 5. Vbi ait. *Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum, vt annuntietis ei quia amore langueo*. Expendo illud adiuro vos, quasi metum incutiat, si aliud quid de illa enunciarent, præter id quod bonum &

*Gilib.* iustum in ipsa est. Vbi eleganter Gillib. serm. 46. in Cant. *Quid tu? Quid fratrum mauis vitia numerare quam virtutes, damna quã dona, condemnare, quam condonare? Si te ad commendationem adiuratum non sentias, non iam filia Hierusalem; sed filia Babylonis; filia Babylonis misera quis retribuet tibi retributionem? Desine in sanctis magis numerare detrimenta quàm lucra. Noli foris nuntiare, noli prædicare sodalibus tuis; nam sodales sponsi aures non accommodant, si deroges sponsæ. Ipse sponsus ægrè audit iniurias dilectæ cuicumque dicis, illi dicis; auris enim zeli audit omnia. Temerarium est dilectum condemnare dilecto; bona sibi vult nuntiare de sponsa, & commendationi promptius aurem præbet. Nouit hoc sponsa ideo dicit adiuro vos, si inueneritis dilectum, vt annuntietis ei, quia amore langueo.* Id solum in dilectis hominibus patitur Christus Dominus videre, & sibi nuntiari, idque nititur mentibus nostris imprimere, vt videamus, & noscamus in fratribus, nimirum quod nostrum, & Dei amorem conciliat, quod ad commendationem faciat, & laudem. Verùm errores, scelera, delicta à nemine vult Dominus videri, immo vehementer odit eos qui fratrum solũ noscunt vitas accusare, nihilque notant, nisi id quod odium gignit, & supplicium affert. Videant isti quam longe à Christi moribus absint. Vide lib. 5. cap. 9. §. 4.

*Textus.* Et cœna facta cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes.

## §. VII.

### *Is reprobus apparet, cuius cor patet diabolo possessori.*

IMMINENTIS iam mortis tempus prædictum à Domino confirmat Ioannes aduentare ex impœnitentis, & reprobi hominis audacia, qui ita sese proditioni faciendæ aptauit, vt vix vllus expectandi in illo pœnitentiam locus maneat. Id quod eleganter crediderim insinuatum illis verbis. *Cum diabolus iam misisset in cor*, pulchra similitudine sumpta ab ijs, qui se possessores ostendunt alicuius agri in illum mittentes, & intrantes absque vlla resistentia. Etenim tunc dicitur domus, seu ager alicui tanquam possessori patere, quando is à nemine impeditus in illã mittit sua. Itaque eo deuenerat impenitentiæ, & reprobationis Iudas, vt in eius cor diabolus sine resistentia mittens, inibi vt possessor, & Dominꝰ sibi sedem pararet. Quã ex cogitationem refero D. Gregor. cap. 1. *Grego.* lib. 2. vbi sic. *Reprobi quidem corda sua non habent, quia ea diabolus possidet. Vnde, & de proditore dicitur, cùm diabolus iam misset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes; si enim Iudas, & non diabolus possideret, ipse prius in eo bonum, quam diabolus malũ poneret.* O miseram, & deploratam conditionem illius, cuius cor diabolo occupanti suaque pro libito immittenti patet! Væ tibi homo, vbi diabolo licet sine resistentia in tuum cor sua nefaria mittere, vbi tuo corde nocentissimas suas cogitationes reponit securas! Quandoquidem id argumẽtum est reprobatæ mentis, & cordis prorsus possessi à diabolo. Sane reproborum est non habere corda, vbi bonum reponãt quæ sibi possessor diabolus immissis malis

persua-

persuasionibus præoccupat. Huc refert D. P. Chrysol. illum diuitem auarum reprobati hominis exemplar singulare, a-
*Luc. 12.* pud Luc. cap. 12. erat is ea segetum multitudine plenus, quas non caperent horrea fabricata: quapropter animo anxius, cum nocte solus esset, sit agit. *Quid faciam? quoad non habeo quo congregem, &c.* Ad hęc
*Chrysol.* pulchre Chrysol. serm. 104. *Quid faciam? interrogantis vox est; & quem putas interrogatiste? Erat in illo alter, quia ad eius penetralia iam diabolus possessor insederat: & qui intrauerat in cor Iudæ mentis eius tenebat arcanum.* Non habebat miser quo bona congregaret, quia cor eius possessori patebat diabolo, si cor suum possideret, & non diabolus, in eo bona quam diabolus mala poneret. Sed cor eius non ipsi, sed alteri, quia ad eius penetralia diabolus possessor insederat. Quid plura? pereāt, quasi necessum est qui alienato à se corde non habent quo bona congregent, cum tanquam possessioni suæ illi sine resistentia immittat diabolus mala. Hæc tota reprobationis causa in Ephrain insinuatur apud Oseam cap. 7. *Factus est Ephrain quasi columba seducta non ha-*
*Oseas. 7.* *bens cor.* Enim vero cum columba dicitur, quasi pœnitens, & gemebūdus profertur, quis enim à columba gemitum pœnitentis, non speraret? Tamen desperata istius salus est, quia est columba non habens cor,
*Ruperp.* vbi bonos reponat gemitus, & ex quo illos educat. Vnde Rupert. *Columba esse debuit manendo in simplicitate paternæ fidei; sed seducente diabolo recessit in inopia cordis.* Quid gemitus proderunt illi, qui cordis laborat inopia? qui cor non habet, vt bonum in illo reponat; sed magis illud diabolus possidet? Plane non defuerunt Iudæ gemitus cum pœnitentia ductus retulit argenteos dicens. Peccaui, sed seducente, immo ducente diabolo recessit ad laqueum in inopia cordis. Væ illis, qui adeò cor suum permittunt possideri à diabolo, vt ipsi ex cordes prorsus maneant.

## §. VIII.

### *Calamitosum maxime homini, cuius in corde altas agit radices peccatum.*

CVM diabolus iam misisset in cor, ait magna ponderatione Euāgelista, quasi hoc ad Iudæ calamitatem, & obduratum animum in necem Saluatoris innueret, quod diabolus in eius corde miserit radices. Sed & illud maxime in præsenti notandum est nimirum, vt reliquas imminentis mortis circunstantias Euangelista diceret de singulis ait, sciens Iesus, quia venit hora eius: sciens quia omnia dedit Pater in manus. At Iudæ proditionem mente conceptam cum notat, solum dicit. Cum diabolus iam misisset in cor. Cur non dicit. Sciens Iesus, quia diabolus iam misisset in cor? Sane non multum hoc præscientiam Domini commendaret: peccatum enim corde insitum nemini licet occultari, omnibus vulgatissimum est. Vt quæuis planta quo altius mittit radices, eo manifestius profert extrinsecus ramos: ita peccatum, vt radices agit, sic sese extrinsecus prodit, & vulgatur. Quam optime diuinus Medicus cauit. *Sol non occidat super iracundiam*
*Theod.* *vestram*: de quo Theodoretus, ait, *veretur enim ne noctu quiescens cogitatio morbum augmentauit namque diaboli machinas.* Sane semel admissus in corde diabolus, nec continuo exufflatus eas radices agit, quibus vix queat eradicari. Nolo vobis in præsenti de
*Bacha.* bere Bachiarium Epistola de recipien. lap. vbi quam difficile in veteratum eradicetur peccatum ponderat his verbis. *Aspice quod nusquam in sacrificijs pecora senio confecta iugulantur, sed vbique, aut agnus, aut vitulus, aut hircus, aut hædus immolatur, id est tenera adhuc, & parua, vel modica peccata. In vno tamen loco Heliam, bobem legimus obtulisse, sed hoc semel tantum. Hoc vni licuit Saluatori, qui in veterata totius populi iugulauit.* Vbi peccata recentia sunt, nec altas ad huc radices in animo egerunt, haud difficile per Dei auxilia hordinaria tolluntur, eorumque vulnera reparantur. Væ autem illi cuius in corde peccatum consenuit, hoc vt tollatur, absoluta Saluatoris potestate plusquam hordinaria opus habet. Ad A-
*Matt. 5.* postolos suos dicebat Dominus, Matth. 5. *Vos estis sal terræ*, quippe sal non medetur putridis, & corruptis iam rebus. Sic peccatum præsenio putridum in hominis mente fugit hordinariam hominum medel-
*Chrysost.* lam. Ita D. Chrysost. hom. 15. in Matth. fatus. *Vos estis sal terræ. Quid igitur? Ipsi ne putrefacta medicati sunt? Nequaquam: neque enim fieri potest, vt ea quæ iam corrupta sunt salis perfricatione reparentur. Non ergo hoc fecerunt, sed antè renouata, sibique tradita atque ab illa iam putredine liberata absergebant sale, & in ea nouitate conseruabant quā à Domino susceperant. Liberare quippe à putredine peccatorum, Christi virtus est.* Equidē

si peccasti, statim auola, vt medelam capias, præsentissimum enim est apud Apostolicos Sacerdotes recentum peccatorum remedium. Caue ne in pectore consenescat peccatum, ne putrescat, & putridum fœtat, periculum tunc erit salutis pene desperatæ. Vna enim est potentia Saluatoris eaque maxima, & qua nolit passim exerceri, in vetustis, & putridis peccatis curandis.

## §. IX.

### *Summa Dei ira est, quod homo scelera meditetur impunè.*

CONCEPTAM in discipuli animo proditionem vidit Dominus, & nullo illum flagello castigat; sed quasi non videret ad pedes suorum lauandos se se parat. O indignationis diuinæ argumentum singulare! Proximi sui in agrum volantes aues, & semina pascentes si videat quis, & non dilapidet agrum, sed prætereat, inimicus est, aut hostili indignatione possessus. Quam igitur inimicitiam, quam indignationem in proditorem haberet Dei iustitia, quandoquidem illius cordi inhærentem prospicit funestam inferorum alitem; nec verbere fugat; sed despiciens se ad lauandos Discipulos parat? Nil sane terribilius peccatori, quam nullo verbere tangi, quam impune manere sub peccato. Leuit. 24. hæc lex firmatur. *Si homo maledixerit Deum peccatum accipiet; qui autem nominat nomen Domini morte moriatur.* Quis nō miretur huius legis sententiam? eum qui vane assumit nomen Domini morte perimit, & blasphemum iubet tantum manere sub peccato. Pulchre ad illam D. Cyril. Alex. libr. 14. ait. *Quid est quod qui maledixerit Deum non habet pœnam mortis; sed qui nominauerit nomen Domini? Nonne multo grauius est maledicere Deum, quam nominare, quamuis in vanum nominasse dicatur?* In quem ergo iustius mitteretur mors, quam in tantæ blasphemiæ authorem? Quem dignius vocarent flammæ, quam illum, qui audet Deum maledicere? Et tamē huic nulla pœna decernitur alia, præterquam quod habeat, & accipiat peccatum. Quę hæc pœna? Sane *multo est grauius accipere peccatū, & habere secum quam morte multari. Mors purgatio est peccati ipsius, pro quo iubetur inferri. Vbi vero quis accipit peccatum, & permanet cum ipso, nec aliquo supplicio pœnaque diluitur, transit cum ipso etiam post mortē & quia temporalia hic non persoluit, ibi expendit æterna supplicia.* Non fauor misericordiæ; sed summus rigor est iustitiæ, quod peccator impune accipiat peccatum, & sub illo maneat. Ira est hæc summa Dei digne eiaculata in peccatores maximos; cuius ad aspectum pauent, & pertimescunt Angeli. Hinc apud Isaiam, cap. 26. vehementer scandescens Deus in impios sic fatur. *Misereamur impio, & non discet iustitiam: in terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* Dixissetiratus, affligamus, laniemus, perimamus impium; sed grauior & seuerior ira Dei, ait, misereamur, quod genus vindictæ perterrefecit Angelos. Ita Diuus Bernardus, sermone 23. in Cant. ad Angelos suos Deus sic ait. *Misereamur impio. Quibus pauentibus atque quærētibus, non ergo discet facere iustitiam? non, inquit, subdensque causam, in terra, ait, sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* Expende illud, *quibus pauentibus*, quippe expauent Angeli Deum adeo iratū, vt minime vellet in præsenti castigari impiū; nec vlla in rerum natura magis expauenda est vindicta, quam impiorum impunitas. Id quod egregie edixit Salomon apud Iosephum maledico Semei: is enim Dauidem à regia expulsum audenter afflixit, horrendaque maledicta in illum congessit à quo scelere liber, & immunis euadēs, ausus est iuratum exilium Salomoni frangere. Tūc Salomon ad illum. *Non euades pœnas periurij vir pessime; sed lues etiam illa quæ olim per petulantiam in patrem meum ejectum debachatus es, vt scias, quod nihil lucrentur nocentes, etiamsi non statim post peccatum puniātur; sed per omne tempus, quod propter impunitatem securi esse videntur, crescit illorū pœna quam iam dudum sunt promeriti.* Non lucrum, sed damnum, sed detrimentum, sed ruinam maximam affert nocentibus impunitas, quo magis secure agunt in delictis, eo expauenda magis, & horribilior eorum vindicta. Sane cum populum suum Deus seruare sibi vellet, eum peccatis fædatum vt expurgaret Babyloniorum carnificinæ tradidit. De quo Hierem. cap. 1. *Ollam succensam ego video, & faciem eius à facie Aquilonis.* Quasi diceret iuxta D. Hieron. D. Thom. & Theodoret. Video Hierusalem furenti Babylonio milite cinctam sic affici, vt sit mihi instar ollæ ardentibus vndique circumuallatæ prunis. Longe aliter Dauid omnino ex terminandas gentes meditatur

Leu. 24.

Cyril.

Bernū

Iosephi

Hier. 1.

Psal. 57.

ditatur Psalm. 77. Vbi iuxta proprietatem originalem ait. *Ante quam intelligant ollæ vestræ rhanum, sic viuentem, sic in iræ turbine absorbebit eum.* Pulchre vt innueret indēnitatem impiorum ait, antequam intelligant ollæ vestræ rhanum; petita similitudine ex olla carnibus plena, cui paucæ palleæ, vel leuissimi ramiruborum adhibētur, quibus instantanee cōsumptis sic manet olla quasi nec ignis odorem acciperet. Ita Panignus, Fœlix, & Isidorus Clarius; ex quorum sententia componamus modo Hieremiam, & Dauidem, vterque peccatorum supplicia præuidit, vterque ollam speculatus est; Hieremias ollam succensam vndique ardentibus prunis vallatam; Dauid ollam, quæ nec ignis odorem sentiebat, sed tantum à foris leuissimo quasi fulgetro tangebatur. Quæ tanti discriminis ratio? Sane ille seruandā supplicijs videbat ciuitatem; hic omnino extirpandam, *sit viuentem, sic iræ turbine absorbebit eum.* Non ob aliud impunitas impio datur, nisi vt indispositus, & crudus iræ turbine absorberi penitus possit. Etenim dum ignis flammans ollam affligit, non ira sed peccatorum purgatio; vbi olla nec ignis odorem nouit, ibi iræ turbo indispositos, & crudos vorat.

*Pag. Fœl. Isid. Cla.*

*Text.* Et sciens Iesus quia omnia dedit pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deū vadit.

## §. X.

### *Humanæ voluntati Christi Domini debemus largissimam effusionem sanguinis nostræ salutis gratia.*

*Mald.* CErtissimæ iam mortis argumentum, idque euidentissimum proponit Ioannes, eo quod sciat Dominus se ex Deo exiuisse, à quo etiam liberam haberet potestatem se pro mundi amore mactandi. Huc enim semper spectabat humana Christi vo Iūtas, vt homines vsq; ad sanguinis largissimam effusionem amaret, non licebat id antea, quia tempus à Patre constitutum nondum aduenerat, modo videt iam venisse tēpus, iam omnia sibi à Patre tradita, nimirū facultatem, qua omnibus expetitis modis sese morti tradat: quid tunc cū liceat mori, cunctabūdus hærebit? Necessum erit quod ad mortē Patris imperio solo impellatur? Absit, non est hoc illius voluntatis, cui sciuit à Deo summo genus suum, & originē esse; non est hoc voluntatis Christi ferāque tota in effusionem sanguinis propendebat. Pulchrè D. Zeno, serm. de Spe, Fide, & Charitate, nos in proximiorum amorem nititur obligare hac sola ratione, quod simus filij cœlestis & æterni Patris. Ecce illius verba. *Nonne pater vnus est omniū vestrum? Quisquis igitur nobilitatis suæ conscientiam retinet, diligat fratrem, neque aliquid audire spectet ex lege, ne admonitione pietatis aliquid derogetur.* Mille sunt Dei præcepta, mille leges, quibus quisque tenetur proximum, & fratrem amare; sed his solis feruntur non adeò perfecti homines; at illi viri qui nobilitatis suæ qua à cœlesti parente genus ducunt, conscientiam retinent, hi protinus effunduntur in amorē fratrum, suaq; ingenuitati existimant derogari, si credantur, cùm liceat amare, alterius legis admonitionem spectare. Hinc iam patet Aquilini Ioannis acumen, qui certissimæ per sanguinem redemptionis humanæ iam instātis hoc posuit argumētum singulare, quòd sciuerit Dominus Iesus se à Deo exijsse, & se moriendi liberam habere potestatē. Etenim dum à cœlesti Parente nobilitatis ortæ conscientiam retinet, ò quàm fratres amabit! O quàm largè pro fratribus effundet sanguinem, nec aliud quid spectat audire ex lege, ne admonitione suæ in homines amatrici voluntati aliquid derogetur! Sanè præceptum fuit Christo Domino à Patre, vt moreretur, sed ea erat illi in homines voluntas, vt nullius legis admonitionem requireret ac expectaret; sed ipsa sese vltro, & spontaneè mille modis, mille cruciatū inuentis, mille pœnarū cogitationibus mortem ad acerbissimam parauit, & quùm omnia perficere licuit, nō tardauit. Id quod expendens D. Gerard. lib. de spiritualib. Ascensionib. cap. 32. fatur. *Christus patiebatur tantum quantum voluit.* Quasi diceret, voluntas Christi fuit regula in mensæ magnitudinis pœnarum, voluntati humanæ Christi Domini potuit respondere vastissimum illud passionum mare. Non id postularet iustitiæ rigor, non æquitas diuini Patris, non hominum necessitas, quātumuis maxima; sed Christi voluntas humana his omnibus inhiabat. Quò credidierim spectasse protentum illud, quando sanguis ipse effusus humanam in Christo Domino voluntatem aduersus hæreticos confirmauit. Etenim vbi Pirrhus, & alij humanam Christi Domini volūtatem negarent,

*Zeno.*

*Gerard.*

Eucha-

Eucharisticus sanguis miro modo attramẽtum effecit, quo viri impij excommunicarẽtur, quasi profusi sanguinis esset voluntatem Christi humanam, à qua profluit, testificari. Rem narrat Theophanes tom. 2. cõc. in vita Theodori Papæ, ita fatus. *Quo Papa Theodorus comperto, plenitudine conuocata Ecclesiæ ad sepulchrum verticis Apostolorũ accessit, & diuino calice expostulato ex vinũ eo sanguine in attramentũ stillauit, & ita propria manu depositionem Pirrhi excõmunicati facit.* Theoph. Sanè intererat effusi sanguinis diuini, Christiferæ voluntatis humanæ testificatio, à qua habuit sic in immensum effundi pro hominum salute, & libertate. Hæc enim sola voluntas posset sese in omnia cruciatum genera parare, quæ effrænis inimicorum rabies passionis tempore excogitauit. Vnde cùm summa dolorum, & conuitiorum tempestate lignum crucis immineret, ibique quicquid humanum in Christo erat, manifestum extaret, ait Matth. c. 27. *Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam, Hic est Iesus Rex Iudæorum.* Matth. 27. Quæ est ista tantorum cruciatuum causa? An quòd Rex esset Iudæorum? An quòd Regnum ambiens in Cæsarem rebelaret? An quòd aliud crimen putasset? Absit, his enim omnibus à Iudice examinatis aiebat: *Non inuenio in eo causam*, nec vllum scelus humanum tam immensæ dolorum segetis posset esse causa. Ea ergo erat vnica, & cõspicua causa dolorum immensitatis, nempe voluntas humana saluantis, & gratiosus in homines amor. Accipite D. Cypria. serm. de Passio. sic fantem. *Causam mortis in te nõ esse Pilatus ipse prædixerat, & Cayphas mortem tuam pro inimico populo satisfacturam, cũ esset Pontifex anni illius, prophetauerat. Tu de morte non agis, de opprobrijs non cõtendis: sed hoc vis intelligi quæ sit causa mortis, quis quæstus, vt vtraque recognita peccatum appareat, & gratia.* Cypri. Et quidem tunc maximè gratia, & beneficentia Saluatoris commendatur, cum nulla alia in eo terribilium, & innumerabilium tormetorum causa inuenia tur, quàm eius libera voluntas hominum amatrix. Quapropter in eo quòd Pilatus nullã aliã inueniat, neque apponat causam, & Põtifex insinuet eã debere esse hominibus salutarem, cogit ipse Saluator mentes creatas, vt putent vnicam cruciatuum causam in Domini patientis resundendam esse in arbitrium, & voluntatem, quæ suæ memor ingenuitatis, omnia tormentorum genera pro hominum salute vltrò fuit amplexata.

## §. XI.

*Mundi Principibus omnia fugiunt è manibus, solius Christi singulare fuit vniuersa suo habere semper imperio subiecta.*

OMNIBVS hæc miseria est Principibus mundi, quòd nudi ab vtero matris nascantur, & nudi illuc reuertantur. Sic Eccles. cap. 14. Omnia licèt suæ ditioni subijciant, omnia tandem illorum elabẽtur manibus. Vnde Iob. cap. 21. post infinitas propè fœlicitates mundialium hominum enumeratas finit tamen. *Verumtamen, quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longè sit à me.* Eccle. 14. Iob. 21. Vnus fuit & omnium celeberrimus Heliogabalus, qui eò totam mentem suam contulit, vt de bonis suis haberet in manu, quando necessum fuerit animam halare, fœlicissimum iudicauut, si diuitijs suis immoreretur. Sed accipite Lampridium de illo fantem. *Parauerat funes blatta, & serico, & cocco in tortos, quibus si necesse esset, laqueo vitam finiret. Parauerat, & gladios aureos, quibus se occideret, si qua vis vrgeret. Parauerat, & hyacinthis, & smaragdis venena, quibus se interimeret, si quid grauiõ immineret. Fecerat, & altissimam turrim substratis aureis gemmatisque antè tabulis, ex qua se præcipitaret dicens etiam mortem suam pretiosam esse debere: sed nihil ista valuerunt, nam, & occisus est per scurras, per cloacas ductus, & in Tyberim submissus est.* Lampr. Hæc Lampr. Quippe ex tantis paratis, & studio cõparatis, vt mortem pretiosam faceret, nihil tẽpore mortis habuit ad manũ. Quid plura? Nec tũc temporis habent manus. Sic Dauid Psal. 75. Assyriorũ ferocientem superuiam ridet, *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Psal. 75. Id quod significantiùs adhuc D. Hieron. explanat, fatus: *Non inuenerunt omnes viri exercitus manus suas.* Hieron. Fidem huius rei facit ille purpuratus dives, qui Luc. 15. clamabat ad Abrahã. *Mitte Lazarũ, vt intingat extremũ digiti in aquam, &c.* Luc. 15. De quo, vt acutè, & eleganter Chrysol. serm. 3. *Quid est quod dicis, mitte Lazarũ, vt intingat extremũ digiti in aquã? Ergo iuxta te est aqua? Si iuxta te est, quare de proximo nõ sumis? Quare? quia vinctæ sunt manũ tuæ.* Chrysol. Sanè hæc est omniũ purpuratorum extrema

extrema miſeria, quòd non habeant in manu bona ſua, quòd nihil ad manum inueniant, quòd neque inueniant manus. Omnes vt nudi naſcuntur, nudi in morte manent: vnus Chriſtus Dominus, vt natus eſt Rex, ſic regio ſtemmate mortem adit, qui omnia mundi bona etiam ad mortem famulantur, nec quid elapſum manibus eius ſe eripuit poteſtati. Id quod elegantter attigit D. Cyril Hieroſ. Cathec. 3. ſic fatus. *Omnes Reges cùm moriuntur, vna cũ vita exuuntur omni poteſtate: Chriſtus autem crucifixus nunc ab vniuerſo orbe adoratur, crucifixum hunc annuntiamus, & tremunt dæmones, non pudeat itaque nos crucis Chriſti.* Cur pudeat illius mortis, qui medijs mortis faucibus omnia habet in manibus? Cur nos illi eripiemus, cui nihil in morte ſurreptum eſt, imò ibi imperio ſuo, & arbitrio omnia moderatur? Hunc ſolum Dominum cũcta creata bona, & in ortu, & in occaſu comitantur: fœlices vos qui huius Domini ſubdimini poteſtati, omnia bona ſua habet ad manus, quibus reficiamini! Vnde Hugo Victori, l. 1. Miſcel. tit. 85. hãc reddit rationẽ, cur Deus homo factus ſit nimirum. *Vt ſiue ingrederetur, ſiue egrederetur, in ipſo paſcua inueniret natura condita ab ipſo.* Semper ille ſiue in exortu, ſiue in interitu omnia erunt præ manibus, nunquam adeò nudabitur, quòd plenis manibus te non poſsit paſcere.

*Cyril. Hieroſol.*

*Hug. Vic.*

*Text.* Surgit à cœna: & ponit veſtimenta ſua: & cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe.

## §. XII.

### *Ad prælaturam aſcenſuri, ſeruire diſcant.*

ECCE vobis vnigenitus Patris ſummi imperij hæres, depoſitis veſtibus, præcinctus adeſt pauperibus hominibus ſeruiturus, an quia hæreditariæ dignitatis, & habiti regni oblitus eſt? Imò quia ſe rerũ creatarum prænouit hæredẽ. Ita Rupert. ſingulis humiliatis ſe Domini circũſtãtijs ſingula magnalia ab Euãgeliſta præfata componens, ait: *Quia à Deo exiuit, idcircò ponit veſtimẽta ſua,* quaſi nulla res magis deceat eos qui ad imperiũ nati ſunt, quã ſeruilis habitus, & cõditio præſumpta. Hinc Nazian. in laudẽ Baſilij fatur. *Nauticã legem præclarã cenſeo, quæ gubernatori futuro primum remos cõmittit, deinde ad prorã collocant. Eadem rei militaris eſt ratio, miles primũ, deinde centurio, tum Imperator.* O præclarã Imperatorũ philoſophiã, non in libris inuentam, nõ auribus hauſtam; ſed in ipſa ſeruiendi, & obtẽperandi experientia repertã! Sanè Deus cùm primùm mundialium rerum Imperatorem creauit Adamum, non illi priùs regni tradidit clauum, quã præceptũ poſuit, cui ſeruiret, & obtẽperaret. Cuius rei cauſa? Pulchrè D. Cyril. Alex. libr. de Adorat. in ſpiritu. *Quoniã tam præclaris dotibus ornamentum oportebat non ſinere in arrogantiã facilè prolabi, præſertim ignorantem ſeruitutem & conditionem mancipiorum.* Detrimentoſa quidem & plurimũ detrimentoſa gubernatoribus ſeruitutis ignorantia, & qui neſcit mancipiorum conditionem per ſeruitutis experientiam, miror, ſi ſubditis exiſtat ſalutaris. Quis ſapientior, quã ipſa Dei ſapientia Chriſtus? De hoc D. Paulus ad Heb. c. 5. *Et quidem cum eſſet Dei filius, didicit ex his quæ paſſus eſt, obedientiã. Et conſumatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis.* Expẽde, quo medio filius Dei ſapiẽtia diuina ſalutis fatus ſit ſibi obtemperantibus, an quia innata ingenuitate & nobilitate pollebat? an quia omnium hç res naturalis? an quia diuina imbutus ſapiẽtia cuncta percalebat? Sufficerent forſan hæc gubernatori maximo; ſed qui ſalutaris voluit fieri gubernator, omnia hæc poſt habita aliam didicit philoſophiam gubernandi, nimirum cùm eſſet filius Dei, didicit obedientiã. Hinc Anſelmus: *Expertus eſt in ſe ipſo laborẽ obedientiæ. Non enim ſcire poteſt afflictorum labores, qui afflictionis experimentum non habent.* Quis iam ad prælaturæ clauum accedat, nulla ſeruitute prælibata, cùm ipſe Dei filius non alio factus ſit ſibi ſubditis ſalutaris; niſi priùs ſeruituti, & obedientię præcinctus habitu? Deponat oportet herilem habitũ, & ſeruorum laborantium fiat ſocius, qui regium dignitatis ſplendorem prælucère præoptat. Nunquam enim patentior, & clarior regius ſplendor, quã in ſocietate laborantium ſeruorum. Crucifixorum ſeruorũ ſocius erat Dominꝰ, & media hac ſocietate regia eius maieſtas clariſsima innotuit. Id quod meditatus D. Auguſt. ait ſerm. 120. de temp. loquens de ſancto Latrone. *Apoſtolis poſt diuina miracula deſperantibus, ſolus hic non acquieuit ſcãdalo crucis, & mortis, ſolꝰ hic teſtis eſt maieſtatis, qui ſocius probatur doloris.* Expẽde illud, *ſolꝰ hic teſtis eſt maieſtatis, qui ſo-*

*Nazian.*

*Cyri. Alex.*

*Ad Heb. 5.*

*Anſel.*

*Auguſt.*

ſocius

*cius est doloris*, quippe nullum testimoniũ euidentius regiæ, & beneficentissimæ Christi maiestatis apparuit, quàm cùm medius ipse inter laborantes stetit socios: in seruitutis, in dolorum, & afflictionis societate, ibi conspicua creuit nostri dignitas Imperatoris.

## §. XIII.

### *Christus Dominus omnium bonorum abnegationem, & nuditatem persuadet homini, vt illum in filiorum Dei libertatem restituat, & in paradiso asserat.*

OPRÆ omnibus diuitijs fœliciorem & glorioſiorem nuditatem! Tecum filiorum Dei libertatem, & hæreditatem paradisi, & Dei amicitiam habebamus, à quibus omnibus excidimus, te vna amissa. Meritò Christus Dominus iuxta præfatam Ruperti ponderationem, *Quia à Deo exiuit, idcirco ponit vestimenta sua*, vna enim est filiorum Dei gloria, quæ Patri placet, nempe nuditas. Stultus factus Adam à Deo fugiebat conditore, cur fugis Adã? cur parentis optimi conspectum vitas? Ait ipse. Genes. 2. *Eò quòd nudus essem.* O stultam fugiendi Deum rationem, inquit Eucherius in Catena, *quasi ideò posset displicere quòd nudus esset, cum vtique melius Deo placeret, si sic maneret sicut eum ipse fecerat.* Vtinam ab innata nuditate non ipse descisceret, vtinam, vt à progenitore Deo fuit ortus, sic nudus permaneret, nulla alia re melius progenitorem referret. Proh dolor! ignarus nuditatis boni, primas emendauit vestes à ficu, & quis numeret mala, quæ nuditate explosa, cum vestibus aduenerunt hominibus? Ecce in vno Ioseph quanta prædicat D. Gregor. Nissæn. in illud, 1. ad Cor. 6. Omne peccatum quod fecerit homo, &c. *Rursus*, ait, *Ioseph per vestem appetitur calumnia, fratres priùs accepta eius veste per illum improbe calumniabantur fuisse eum à bestia deuoratum. Nunc autem tunica eius accepta, mulier accusat tanquam fornicatorem. Iosepho conuenit vox Domini, diuiserunt sibi vestimenta mea; & super vestem meam miserunt mendacium.* E vestibus pro filiere calumniæ, proditiones, mendacia, è vestibus seruitus, captiuitas, vincula, & vix est vllum in orbe malũ, quod cum veste non acciderit naturæ humanæ. Hinc Ioseph Putipharis seruus, relicta veste, aufugit, tunc primum amissi cum veste regni prætendens præsagium. Id quod elucidãt D. Nilus in Ascetico, hæc verba fatus. *Relicto in manu eius pallio, aufugit, & egressus est foras, tanquam in virtutis paradiso nudus ambulans; primum illum parentem nostrũ imitatus, qui præclarum nuditatis munus à Deo obtinuit, quoad per contumaciam in vestimentorum necessitatem incurrit. Quandiu enim restitit aduersarijs suadentibus, vt Dei mandatum violaret, nudus vt luctator in stadio stetit, victus verò, & seruus effectus deposito, simul cum certandi habitu, nuditate, indutus.* Nilus. Rectissimè sanctus vir memorans regiam, & victricem Iosephi nuditatem, qua auitæ, & primæuæ hæreditatis referebat gloriam, simul deflet ab Adamo vestes fuisse excõgitatas; nuditas enim, & paradisum, & Deum, & libertatem nobis donabat, vestes parturiere à paradiso exilium, cum Deo inimicitiam, seruitutem, & innumera mala. Hinc reformator noster totus in vestes scandet, etsi nuditatem iterùm persuadeat, hominem in amiciam Dei, in Dei filiorum libertatem, in paradisum facilè reuocandum cernens; in vestes malorum caulatrices irascitur. Vnde Hierosolymam appropinquans visa ficu accessit, vt vesceretur fructibus, cùm non esset ficorum tempus, vt Marc. cap. 11. notauit, & nihilominus maledictione percussit arborem, eam iubens exsiccari? Quis non miratur Deum irascentem, quod ficus ante tempus fructum non habeat? Quæ est hæc causa diuinarum irarum? Cur in arborem tam intempestiuè Dominus irascitur? Sanè non defectus ficorum, quorum tempus non aderat; sed folia ficus, quæ primas induxerunt vestes, & nuditatem hominis eliminarunt, irascenti Domino dederunt causam. Quod attigit D. Cyrillus Hierosolymitan. Cathe. 13. aiens: *Tempore peccati folijs ficus circundabantur, ideò Iesus finem signorum dedit ficum, iturus enim ad passionem male dicit ficum dicens, non amplius quisq; de te comedat, dissoluta est damnatio, cùm tantùm folia ficus circunfusa essent, venit in tempore, in quo cibus non inueniebatur, sed venit scines, quæsijt non ignorans quod non esset inuenturus, sed figuram maledictionis vsque ad folia tantùm faciens.* Expende prima illa verba, tempore peccati folijs ficus circundabantur, &

Marc. 11.

Cyril. Hierosol.

hæc vltima; figuram maledictionis vſque ad ſolia tantum faciens, quippe in ſolas veſtes iraſcitur Dominus, & totum putat ſalutis noſtræ negotium fœliciſsimum, ſi tantum exſufflatis è medio veſtibus, antiquam induamus innocentiæ nuditatem. Quo circa aſcenſurus crucem nudus apparuit, vt nobis exemplar oſtenderet illorum, qui paternam obtinebunt hæreditatem. Sic D. Athanaſius, orat. de Paſsione, & Cruce. *Athan.* *Exuebat veſtimenta ſua; decebat enim cùm hominem introduceret in paradiſum, exuere tunicas, quas Adam accepit, cùm è paradiſo eijceretur.* Porrò nudi egreſsi ſumus in paradiſo, obſtetricante manu Domini, vnde neceſſum eſt, vt illuc nudi reuertamur.

*Textus.* Deinde miſit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes Diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.

## §. XIIII.

### *Mundici es Chriſtiana facilè obtinetur per compendium humilitatis.*

IAM vt munderis, Chriſtiane, non tibi mare æneum tranandum, quod vel duodecim boum humeros premat. Totum Chriſtianorum lauacrum pelui clauditur parua, quæ vel manu hominis poſsit portari. Aquam in peluim Dominus mittit, & ipſe eam priùs tollit, vt te lauet, non enim tibi lauacrum offerre voluit, niſi facile, & cuius ipſe priùs grauedinis experientiam faceret. Heliſ. 4. Reg. 4. aiebat puero ſuo. *4. Reg. 4.* *Tolle baculum meum in manu tua, & vade, & pone baculum meum ſuper faciem pueri.* Vbi acutè notat Ioannes Hieroſ. de inſtit. *Ioan. Hieroſol.* Manach. c. 41. Prophetæ facilitatem, aiēs: *Baculum vtique non dediſſet ei Propheta geſtandum, niſi eum manu ſua ſolitus eſſet portare.* Priùs ipſe baculi pondus, & virtutem præſenſit, ponderauit, & ſic illum puero tradidit, vt miracula faciat. Longè facilior Dominus, quod paſsionis lauacrum inſtituit, vt mundaret genus humanum, prius ipſe ſuſtinuit, prius ipſe ponderauit, & ſic facilitatem expertus, illud nobis tradidit. Tradidit nobis, inquam, lauacrum non de ærei maris pondere duodena iuga boum præmente, ſed de facili pelui hominis ad manum data commendatum. Pulchrè Diuus Irinæus lib. 3. cap. 20. Dei aduenientis commoda ſic expendit. *Irin.* *Quando incarnatus, & homo factus, longam hominum expoſitionem in ſe ipſo recapitulauit, in compendio nobis ſalutem præſtans.* Quis prolixas legis antiquæ obſeruationes ſubſtineat? Quis tot illa vmbratilia, & inania lauacra ferat? Igitur placeat nobis Saluator Ieſus, qui priùs in ſe ponderauit onus, quod ſuis impoſuit, qui mudiciem, & ſalutem in cōpendio dedit, qui totum mare æneum ad facile, & manuale reduxit lauacrum. Naamā Syro leproſo. 4. Reg. 5. dixit Eliſeus: *Lauare ſepties in Iordane.* *4. Reg. 5.* Cur ſepties? cur non ſufficeret ſemel lauari? Adhuc tunc per lōgas ambages dabatur mundicies; nondum Chriſtus Dominus venerat, cui ſoli reſeruatum manebat, vt in compendio ſalutem propinaret, & breui lauacro antiquas omnes comprehenderet lotiones. Iubetur Naaman ſepties lauari, ait Tertull. lib. 4. in *Tertul.* Marc. *Quia vnius lauacri vis, & plenitudo Chriſto ſoli dicabatur, facturo in terris ſicut ſermonem compediatum, ita & lauacrum.* Solius Chriſti erat mare æneum, ad paruę peluis facilitatem redigere, & animarum mūdiciem in cōpendio præſtare. Hoc à Chriſto Domino datum ſalutis compedium notabat D. Paulus ad Hebr. 10. ſatus. *Habemus fiduciam fratres in introitu Sanctorum, in ſanguine Chriſti, quem initiauit nobis viam nouam, & viuentem.* *Ad Iebr. 10.* Quibus expēdo, quòd ſanguis Chriſti dicatur nobis eſſe initium viæ nouæ, & viuentis, ex quo fiduciam habemus intrare cum Sanctis. Sanè poſt initium viæ cuius vis multæ ſeſe offerre ſolent hinc inde ſemitæ, & longiſsimæ ambages, quæ dubiam viam faciunt. At initium viæ nobis à Chriſti ſanguine ſolatum ſine ambagibus quā citiſsimè nos introitum Sanctorum pandit, quaſi per nouum cōpendium initiū ſibi finem coniunctū habeat. Vt meritò dicat D. Aug. lib. 9. de ciuit. cap. 15. *Beatus, ac beatificus Deus, particeps humilitatis noſtræ, cōpendium præbuit participandæ diuinitatis ſuæ.* Quiſquis in vijs compendia captas, Chriſtū ama, qui ſalutis viā tibi in compedio præſtabit. Sed ſcire cupis, in quo ſitum ſit compedium iſtud. Equidem præclarè Auguſt. ait. *Parti* *Auguſt.* *ceps humilitatis noſtræ compendium præbuit.* Cōpendium habet, qui humilitatis Chriſtianæ ſumit documentum ſingulare. Quot opera fecerat Phariſæus ille apud Luc. c. 18. Quas

18. Quas virtutũ vias non presserat? Ieiunia peregerat bis in Sabbatho, decimas soluerat, & alia plura, Publicanus homo verbulum solum fecerat dicens: *Domine, propitius esto mihi peccatori*, & iustificationis viam inuenit descendens iustificatus præ illo. O præclarum humilitatis compẽdiũ! Id ponderat D. Chrysost. hom. 4. in Isaiã, dicens. *Pharisæus opera iustitiæ præstabat, publicanus verba dicebat modestiæ: & verba plus potuerunt, quam facta, tantusque thesaurus cum contumelia reijcitur, & tanta inopia in diuitias cẽmutata est.* Disce humilitatem, & salutis compedium habes, & vel verbulo humili cœlestes ad te trahes thesauros. Dignè stupet Saluatoris ingenium Cellensis Abb. libr. de Panibus, cap. 12. quod in lachrima humili fecerit adeò compendiosum lauacrum, quo non septies, sed vel semel lauati salutem adipiscamur. *Mirum*, ait, *in hoc artificis Dei ingenium, vt lachrima de venis erumpens peccatorum, profusa humiliter absorberet omne peccatum.* Non de mari, sed de peluis, vel de oculi gutta ad animorum munditiem fecit lauacrum compendiatum. Et quam compendiatum? D. Chrysost. hom. de cæco nato, ait. *Peccasti? Luxisti? Peccatum soluisti.* Hoc compendium sciuerat illa in ciuitate peccatrix, dum stans retrò lachrimis cœpit rigare Christi pedes. De illa idem Chrysost. orat. 2 de Prec. vbi sic. *Mulier quæ intemperantia, & meretricio quæstu, omnem antea actæ vitæ cursum confecerat, simul atque se ad Christi pedes abiecit, salutem consecuta est.* Adeò cõpendiosa est via salutis, quæ per humiles lachrimas fit Christianis.

Chrysost. Cellen. Chrysost. Chrysost.

## §. XV.

### *In paruis priùs exercendus est qui velit facilè magna superare.*

NONNE vides qualiter Dominus antequam è cruce pretioso sanguinis sui lauacro integrum hominem aggredi atur mundare, aquam in pelui accipit, vt Discipulorum pedes lauet? Sic, sic se præparat, & exercet in paruis, vt facili negotio existat victor in magnis. Paul. ad Hebr. 2. iuxta D. Thom. & Glossæ constructionem, sic de Iesu dicit. *Eumqui modico quam Angeli minoratus est, vt gratia Dei gustaret pro omnibus mortem: videmus Iesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum.* Ecce tibi de morte triumphatur, non priùs aggreditur humiliationem mortis, quam sese antea in alijs humiliet, & minoret. Summam Dei humiliationem, & abiectionem mors habebat, quam vt facilem, & breuem redderet Dominus, priùs alias subiuit humiliation s, se ad pedes Discipulorum abijciens, eosque aqua lauans. Id quod notauit D. Anselmus, cum ait: *Di co quia minoratus est, & hoc ideò, vt gustaret mortem, id est horariam, & non longam, quasi aliquid gustãdo transiret.* Si enim quæreres, cur Deus minoratus sit vsque ad Discipulorum pedes? vsque ad peluim? vsque ad sordium lauacra? Verè respondet Anselmus, quod illæ humiliationes factæ sunt ideò vt breuior, & facilior redderetur penè incredibilis mortis humiliatio. Animus enim in paruis exercitatus, facili negotio superat magna. Quot item descensibus, & condescensibus se exercitauit Dei verbum antequam hominem assumpturus descenderit? Quippe tunc verbum summè descendit, quando homo inter homines apparuit Quod verè notat Diuus Chrysostomus, oratione in B. Philogon. aiens: *Quòd Christus homo factus mortuus est, cùm nullum omninò peccatum perpetrasset, quid hunc amplius adiungi potuit miraculo? Sed mortale corpus assumpsit. Erat quidem, & hoc admirandum. Cæterum quod Deus cùm esset, voluerit homo fieri, tantumque se se dimittere sustinuerit, quantum ne cogitatione quidem complecti queas, hoc est omnium maximè reuerendum, stuporisque plenum.* Summa Dei exinanitio, profundissimus descensus, quòd homo ad homines descenderet, quo circa pluribus antè descensibus minoris notę se voluit exercere, Exod. 3. ait: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum qui præsunt operibus, & sciens dolorem eius descendi, vt liberarem eum.* Cur Domine descendis? An non posses liberare populum tuum manens in excelsis cœlorum? An quia descendis, facilius vinces tyrannum? Equidem ex tunc descẽdit Verbum liberare popuplum, vt his minoris notę descensibus se assuescat, & exerceat ad maximum illum, quando homo inter homines apparebit, præbens humanis infirmitatibus remedium. Ita D. Irin. libr. 4. cap. 26. vbi dicit. *Vidit vexationem populi sui, qui est in Ægypto, & descendit, vt eruat eos, ab initio assuetus Verbum Dei ascendere, & descẽdere propter salutẽ eorum qui male haberẽt.* Planè potẽs est in paruis exercitatio,

Ad Heb. 2. Chrysost. Exod. 3. Irin.

vt te facili negotio deducat ad magna. Quod in virtutum vitijs contrarijs adhuc euidentius patet, vbi enim quis non cauit parua, sed in illis exercetur, inauditũ erit, si non se videat statim fœdari magnis. Nefarius ille iudex Pilatus enixè curauit Iesum à nece per Iudæos procurata liberare: quod vt obtineret, permisit Iudæos aliquibus illusionibus in Iesum desæuire, ratus illos his paruis illusionibus contentos nõ vsque ad mortem sæuituros. Proh nefas! Proh crudelis permissio! Necessũ enim erat, quod mẽs assueta, imò inæscata paruis vsque ad mortem esset sæuitura. Accipite *Leo.* D. Leonem serm. 10. de Pass. fantem. *Ideò Pilatus Dominum Iesum diuersis contumelijs affici, aut iussit, aut permisit; vt saciata iniquitas de innocentis iniurijs vlterius non sæuiret. Sed pertinax malitia proprijs crescebat augmentis, & in quem obtulerat ius illusionis exigebat, & mortis.* Crescit semper ex vsu humanus affectus, & ægrè, & difficulter sistit in paruis, vbi ad magna ascẽdere sese offert occasio, Missis in caminum pueris li- *Dan. 3.* gatis, Daniel. 3. permisit Deus igni voraci vt sola cõsumeret ligamina. Tum pulchrè *Chrysost.* Chrysost. *Pueri ergo iactantur in flammam, ibat circa innocuos pedes nouo libramine temperatus artifex ignis, & tot circumuolans pastus, sola consumere vincula laborauit.* Quippe quòd vorax flammarum vis cõtenta sit sola consumere vincula, nec vlteriùs progredi hic opus, hic labor est. Laborauit ignis, & summo labore suo, ligaminibus solis consumptis stetit. Quando, vt dixi potentissima est exercitatio in paruis siue virtutum, siue vitiorum, vt tandem deducat ad magna.

## §. XVI.

### *Mirum diuini amoris artificium, quo nefarium carnificum scelus in sacrificium, & lauacrum generis humani mutauit.*

*Amb.* AIEBAT D. Ambrosius, Psalm. 48. quòd *Dominus Discipulis pedes lauit, vt lauaret venena serpentis*, & quidem illud hæc lotio significabat, nempe sacrificium, seu lauacrum sanguinis, quo genus humanum à primæuo veneno mundauit. Vnde ergo hoc lauacrũ Dominus effecit? an ex nefario proditoris, & carnificum scelere? Sanè id notabat Rupert. *Scien[s] quia omnia dedit ei Pater in manus, idcirco pedes discipulorum lauat.* Expendo vnde lauacrũ hominũ perficiatur, nimirùm ex eo, quòd omnia dedit Pater in manus Christo Do- *Gregor.* mino, sed quæ omnia? Ea exponit D. Gregor. homil. 40. *Sciebat, quia omnia dedit ei Pater in manus, inter quæ omnia, & ipsum traditorem, & eos, quibus tradendus erat, vt de his omnibus quæ vellet, faceret, malumque eorum sua potentia cõnerteret in bonum.* Miror, quòd nefariam adeò, & scelestam materiẽ accipiens Saluator in manus, ex illa tantorum bonorum fontem fabricaret; sed ea est ars, & potentia amantis animi. diligebat, & vehementer diligebat suos Saluator. Quid nõ faceret actiuissimus amor? dato ei in manus sacrilegia; efficiet sacrificiada; pœnas, educet glorias, da proditorem, carnifices, opprobria, crucem, faciet lauacrum totius generis humani. O ingens amoris efficacia! O inauditũ artificium! Pulchrè de illa fortissima Iudith fatus Petr. Damian. lib. *Damian.* 8. Epist. 14. dixit, *de domo communi recluso riũ fecerat, & in populosa vrbe amor artifex solitudinẽ reperit.* Vbi in vastissimis eremis, in præruptis mõtium vix alij solitudinem inueniunt, amor diuinus ardens in fœminę pectore, populosam vrbẽ, & frequentẽ accipit, & in illa solitudinẽ facit. Quid nõ potest amor artifex? Hæsitans Virgo Maria *Luc. 2.* dixit Angelo, Luc. 2. *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quod fœmina circundet virum, quod virgo concipiat *Ildeph.* Deum quomodo fiet? Ad hæc Diuus Ildephonsus serm. 7. de assumptione paucis respõdet, *ama, & peperisti*, nil impossibile est amãti, ardeat in te Dei amor, qui ea est arte qua faciat Virginẽ matrẽ, creaturã creatoris opificẽ. Igitur vnus Dei in homines artifex amor, scelestam, & sacrilegam materiam accepit in manus; & lauacrum, & sacrificium fecit, quod esset generis humani expiatio. Sic de illa Iepte filia, quæ honestatis amore parricidali cultro gutur obtulit Iud. 11. loquens Ambr. 3. officior. *Iud. 11.* cap. 12. ait, *facit arbitratu spontaneo, vt quod erat impietatis fortuito, fieret pietatis sacrificium.* Hæc est vis, & potestas amantis *Amb.* animi, hæc fuit diuini amoris erga homines ars, & artificium singulare, quòd impietatis materiam fecit esse pietatis sacrificiũ, & lauacrum labis humanæ, adeò vt qui antea sub durissima peccati seruitute putrescebant, iam post Christi Domini lotionẽ in mundissima Christiferi corporis mem- *Cæsar.* bra coalescant. Quod miratus D. Cæsarius *Arel.* Arelat. hom. 7. sic negantes Eucharisticam transmu-

transmutationem coarguit. *Nec dubitet quisquam primarias creaturas nutu potentiæ, præsentia maiestatis in Dominici corporis trã sire posse naturam, cùm ipsum hominem videat artificio cælestis misericordiæ Christi corpus effectum.* Vbi amoris cœlestis artificiũ accedit, nulla est impossibilis transmutatio, mutabuntur panes in Deificam substantiam, vt nefaria scelera in sacrificia expiatoria mutantur, & meretricum membra in nitidissimum Christi corpus transformantur.

## §. XVII.

### *Bona à Deo data nobis, iure petunt à nobis proximis dari.*

ADHVC expendo Ruperti ponderationem, nimirum. *Quia omnia dedit ei Pater in manus, idcirco pedes Discipulorum lauit.* Quasi diceret iuxta Chrysost. homil. 69. & originem, tom. 32. in Ioann. quia salutem, & munditiem generis humani dedit ei Pater in manus, idcirco communicaturus illam Discipulorum pedes lauit. Pro quo ex Theologorum penu notabis. In Christo Domino multa bona esse illi prorsus debita, ex vi enim vnionis hypostaticæ debebatur homini illi cumulus gratiarum, virtutum, & scientiarum quem habuit; insuper debebatur illi visio beata cum omnibus gloriæ dotibus; præterea à imperium rerum creatarum, & alia huiusmodi. Verum mundicies, & salus generis humani non debebatur Christo præcisè ex vi vnionis hypostaticæ. Sed ibi claruit Dei donum, & liberalitas acceptantis condignissima, & prætiosissima Christi merita pro debito generis humani. Igitur Christo homini Deifico dedit Deus gratiosè salutem, & mundiciem hominum: si quidem eius merita gratiosè pro hominibus acceptauit, quapropter ipse statim illam nititur hominibus communicare eorum pedes lauando aqua, & animas prætioso sanguine. Habent enim hoc bona quæ dantur à Deo, quòd exigant ipsa, & proximis communicari, & dari. Hinc vrget D. Hilarius illud Matth. 5. Matth. 5. *Beati pauperes spiritu*, expendens, quod beatitudo pauperibus spiritu promittatur, pauperibus, inquam, spiritu, qui nihil suum, se habere putent, qui omnia Deo referant accepta. Cur his gaudet hominibus Deus? Id Hilarius. *Quia cõscij, sibi ex sordentibus, ac tenuissimis se principijs coalitos in hanc formam perfecti corporis procreari, nihil quicquam suum esse, nihil proprium; sed cuncta dono parentis vnius tribui. Et nos optimi illius, qui nobis sit ista largitus exẽpto perfunctiæ in nos bonitatis esse æmulos oportere, vt boni omnibus simus, cõmunia omnibus existimemus.* Sanè vbi quis se ita componat, vt pro certò habeat, nihil sibi propriũ habere, nulla esse bona sua, sed cuncta sibi ab vno parẽte Deo in manũ data, nescio quomodo possit non largus esse, & liberalis cum proximis. Qui nihil videt in domo sua, siue in manibus suis, quod nõ sit donum diuinum à Deo datum, quomodo, & ipse non dabit? Data omnia bona, & dona accepta vbicunque fuerint id semper exposcent, quòd dentur, quòd tribuantur, & quãtumuis surdescat qui habet, tamen iure ipso in elargitionẽ excitabitur. Huc spectant verba diuitẽ, in eleemosynã exhortãtia apud D. Anton. in Mellisa, c. 7. ea sunt. *Quid, cùm pauperes aliquid à te petunt indignaris? paterna requirunt, non tua. Tibi in manus propter illos tradita sunt, non tecum procreata.* Etenim dũ nihil tuum noueris, dum quæcumque habes tibi sunt data ipsa ipsa clamant, & exposcunt iure, similiter à te proximis dari, & communicari. Alioquin nimia esset Origines audacia, qua ho. 6. in Isaiã, ita loqui tur. *Quis me mundat? Quis lauat pedes meos? Iesu veni sordidos habeo pedes, propter me fias seruus, mitte aquam in peluim tuam veni, & laua pedes meos.* Proh Deꝰ immortalis! Vn de Origini, pauperi homini hæc imperiosa in Iesum exactio? Sanè, dum mundiciẽ petit, paterna bona requirit, non debita Christo Domino, vt explicaui, illi tamen in manus tradita à Patre, non innata, data, nõ debita, quare hoc est donorũ proprium, quod iure suo exigant donari, & dari. Quo circa apud Matt. 10. ait Dominus, *gratis accepistis, gratis date.* Solent enim, quæ gratis accipiuntur large, & coplosè dari. *Anton.* *Origen.*

## §. XVIII.

### *Qui gubernandi munus subeunt, nouerint subditorum sordes portare, vt Christus portauit.*

PRÆLATORVM officium spectatuit ne sanctus Iob, cap. 20. cum ait,

*Gigantes gemunt sub aquis?* Equidem tunc muneri suo satisfacit qui Gigas est, qui cæteros dignitate, & imperio excedit quando gemit, & laborat sub aquis, subditorū sordes ipse reportans. Huc refero duodecim illos æneos bobes in templo Salomonis æneum mare humeris sustentantes, quo lauabantur Sacerdotes, de quibus sic D. Nilus in Ascetico. *Bobes sub pelui declarant eos qui subeunt onus Rectorum, nihil respuere, aut auersari debere; sed & onera, & sordes inferiorum perferre, quoad sine periculo fieri posset.* O quam Gigas ille diuinus qui exultauit ad currendam viam suam, laborat gemens sub aquis, quandoquidem, & Gigas factus, & vitulus nouellus peluim sustentaret elinteum, quo hominum portat sordes, & peccata. Nec mirum, quod sustentet peluim sordenti squalore plenam qui visus aliquando fuit sustentare scalam ascendentibus, & descendentibus hominibus grauitantem. Id accidit Gen. 28. quando Iacob adhibito lapidi vidit hærere scalam, & cacumen illius, *tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam.* Dixi lapidi hærere scalam, vt D. Anselmi menti locum darem, qui explicans illud Luc. 3. factum est, cum baptizaretur omnis populus, sic ait, *Lapis capiti suppositus, & velut fundamentum scalæ factus Christus est, qui se ipsum humiliauit, vt omnes suos exaltaret, qui sicut fundamentum omnes portat, & per hanc scalam ascendunt, qui proficiunt, & descendunt qui deficiunt.* Quid dignius de tanto domino posset excogitari? Ipse suis subijcitur, ipse sordētes & squalentes homines solus portat non solum eos qui cœlestia scandunt; sed eos qui in ima grauitant, & descendunt in tartara, non solum puluerulentos Apostolos; sed fœtidum, & squalentem Iudam. Nōne omnes portat qui Iudæ proditoris pedes lauans sordes eius portaret? Sed cur reprobati hominis sordes portat, eumque lauat? Pulchre Euthym. ait. *Simul compungi volens illum qui talia aduersus talem gubernatorem cogitaret.* Notanter dixit aduersus talem gubernatorem; qui scilicet sceleſtissimos etiam subditos patienter sustentabat; qui proditorum sordes perferebat, qui non solum quiculam reducēdam ad caules humeris portat; sed etiam hædos squalentes à morte depascendos sustinet, & pro omnium sordibus lauacrum parat. Quis subditus non compungeretur conspectu gubernatoris talis?

*Nilus.* *Gen. 28.* *Anſel.* *Euthym.*

*Textus.* Venit ergo ad Simonem Petrum: & dicit ei Petrus, Domine, tu mihi lauas pedes?

## §. XIX.

*Christus Dominus dum humilis Discipulorum pedes lauat summam sui exaltationem ostendit & sublimitatem.*

DIGNE æstimauit hanc Domini dignationem Nizephor. lib. 1. cap. 28. quandoquidem, ait, ideo se Saluatorem ad pedes Discipulorum deiecisse, *vt simul, & nouam submissionis, atque humanitatis ostēderet sublimationem.* Nullibi enim sublimior apparuit Dominus quam dum lauaturus pedes, aquas ipse portans se subdit Apostolis. Etenim eam tunc sublimitatem ostendit, tam nouam, tam miram, vt eam astupere tur Petrus, quùm se iuxta Deum humiliatum considerans ait, *Domine, tu mihi lauas pedes?* Tu qui alto dominio excelsis cunctos, qui volas super Cherubin mihi homuntioni humi reptanti? Siccine paruitate meæ accedit magnitudo tua? O meritò nouam Dei hominis sublimationem! de qua sola creditur gloriata fuisse sapientia incarnata quum inquit Eccles. 24. *Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Hierico; quasi oliua speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum iuxta aquam.* Non aliam magis optat exaltationem, quā illam qua pollet platanus apposita aquis, hanc vt ponderat, & expendit D. Anselm. ait, *Cùm platanus per se ipsam sit sublimis, & amœna, respectu tamen proximæ inferioris aquæ sublimior apparet, & iocundior.* Hoc quæuis arbor habet, quòd posita iuxta aquas, in illis velut in speculo repræsentata maior venienti, & frondiosior appareat. Vnde nec esse est, quòd platanus, quæ ex se cæteris est longè sublimior, & præstātior, vbi iuxta aquas cernitur, incredibilem præ se ferat magnitudinē, & sublimitatem. Ea est incarnata sapientia in se quidem arbor vitæ in medio paradisi longe vniuersas pulchritudines excedēs, at vbi iuxta aquas apparet, mundans Apostolorum pedes quasi platanus exaltata est iuxta aquas,

*Eccle. 24.* *Anſel.*

nouam

nouam quandam, & inenarrabilem submissionis sublimitatem præsefert. Iam prid m nouerat humilis submissio & paruitas eximias sublimitates & exaltationes præferre. Etenim 1. Reg. 16. explosis ma-
1. Reg. 16. ioribus filijs Isai à Propheta, restabat adhuc paruulus Dauid, qui cùm postmodũ accederet, ait Dominus ad Samuelem: *Surge, & vnge eum, ipse est enim.* Vbi pul-
Greg. chrè D. Greg. *Quid est, surge, & vnge eũ? an tantus erat paruulus, vt sedendo vngi non posset? sedendo quippe tangere alta non possumus. Magna est virtus, magna celsitudo humilium, si ad eorum summa nec Prophetæ pertingunt.* Humilis dum sis, eam attingis magnitudinem, & sublimitatem, vt quauis alia virtute conspicui & clari, vix tecum valeant comparari. Cunctos excedit humilitas, quæ nescit nisi à magnitudine
Remig. existere, & procreari. Id quod expendit Remigius Altisiodorensis ad caput primum Sophoniæ, ponderans illud: *Verbum Domini, quod factum est ad Sophoniam filiũ Chusi filiæ Godoliæ.* Vbi ille sic fatur. *Hic ergo speculator filius Chusi, qui interpretatur humilitas, habebat auum Godoliam, qui dicitur magnitudo Domini, de magnitudine Domini generatur humilitas. Hic talis ac tantus benedicitur fuisse in diebus Iosiæ Regis sanctissimi, qui interpretatur eleuatio Domini, tempore ergo eleuationis exiſtit filius humilitatis, quia per humilitatem eleuamur ad cœlestem eleuationem.* Nunquam humilitas sine eleuatione & celsitudine apparet, vt vel hinc conijcias, quã meritò Petrus Dei ad piscatorum pedes humilitatis tunc primum magnitudinem & sublimitatẽ fuerit miratus & expauerit. Adeo enim est noua & inaudita magnitudo humilium, vt ad eorum summa nec Prophetæ, nec Apostoli pertingãt. Merito vni humilitati attribuit Dauid, regalem suam exaltationem & potestatem. Etenim ait 2. Reg. 7. *Ego minimus fui in tribu mea & elegisti me ex ouibus, & assumpsisti me.* Vbi D. Chrysost. peculiari hom. sic loquitur: *Videtis quanta culmina procedant de radice humilitatis, quam vberem fructum Deo offerat? Inde omnes virtutes, inde omnes bonæ actiones, inde cunctæ potentiæ ascendunt, id est totum posse.* Et quidem humilis animi virtus est in ipsa humiliatione minime deprimi, & quasi obrui, sed supernatare & extolli. Psalm. 136. dicit: *Super flumina Babilonis illic sedimus.* Vbi ponderandum est quod humiliati & captiui sedem fixerint super ipsa flumina, minime passi obrui. Vnde D. Augustin. ait: *Humiliati in captiuitate nostra, sedeamus super flumina Babylonis, non infra flumina, talis sit humilitas nostra vt nos non demergat. Sed super flumina, noli in flumine, noli sub flumine: sed tamen sede humilis:* Fœlix qui sic humilis est, vt non se sinat obrui & conculcari.

*Text.* Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus, si non lauero te, non habebis partem mecum.

## §. XX.

### *Qui perfectionis culmen, ad quod vocati sunt spernunt, qualibet alia mediocritate periclitabuntur.*

ECce qua culpa obstrictos despicit Dominus discipulos, illos alioquin sibi dilectissimos à se inter millia electos, nimirum si pedum hanc lotionem non admittant, an quia alioquin erant mortiferis infecti peccatis? Absit, immo præter Iudam omnes gratiosi erant Deo & valde amici. Sed hoc sibi persuadeant quicumque Dei aguntur spiritu, quod nisi integrã suæ vocationis essentialis mensuram adimpleant, *ad nihilum valent vltra, nisi vt mittantur foras.* Huc refero D. Basil. in Re-
Basil. gul. breu. responsione 233. ita fantem: *Petrus cum ei talium ac tantorum rectè factorum testimonium à Domino fuisset datum, atque eo modo appellatus, & beatus laudatus, vbi vna tantum in re, ab obedientia visus est discedere, itaque hoc ipsum non ex negligentia, superbia ve, sed ex reuerentia honoreque erga Dominum suum, propter hoc ipsum tantum ei dicitur, si non lauero te, non habebis partem mecum.* Quascũque virtutes habeas, etiam si beata videaris cãdidatus vita, dum deficis à vocationis essentialis mensura despicieris à Deo vt prorsus sibi inutilis. Sanè apud Ioan. capit. 4. Ioan. 4.
dicitur, *erat quidam regulus*, vbi in huius capite deflens D. Ansel. exclusionem à paradiso generis humani sic ponderat nomen illud, *regulus. Homo in eo quod amisit rex esse desijt; in eo autem quod præ cæteris animalibus sibi relictum est quasi regulus victitauit. Idcirco nomen illius Spiritus san-*

*cto vilucrat, quia peccator erat, quia infirmus, quia regulus.* Expendo vnde viluerat Deo, quia regulus, quippe cum à Deo fuerat creatus in Regem vbi Regalē non adimplet thronum, etſi alioquin nobilis, & ſi Princeps maneat, tamen ex hoc capite meritò dignus eſt qui à paradiſo arceatur. Lamentabilis excidij ſui tunc dedit manifeſtum ſignum fortiſsimus ille Samſon, cum Amaſsiæ inquit Iud. 16. *Si ſeptem crines capitis mei cum licio plexueris, &c.* Enim vero illi virtus & fortitudo diuina inerat alligata integris ſui capitis crinibus, quod ſecretum ipſe celans ſeptem ſolum capillos ſcindi permittit, quaſi paruipendens ſeptem capillos reſpectu totius integræ comæ. Ad hæc tamen egregiè Abbas Ioachimus 1. part. expoſ. in Apocal. ait: *Agere iam fortiter, vt primo, & ſecundo non poterit, quia veluti læſis crinibus ex parte illi ſpiritus, & non ex toto aſſiſtit.* Etenim vbi integram totius obſequij menſuram non ſeruat, timeat ſibi partem cū Deo non habiturū qui firmiter ex parte nequit aſsiſtere. Melioris conditionis erat illa, cui Cant. dicitur: *Vulneraſti cor meum in vno crine colli tui*, nimirum integra crinium tuorū dedicatione. Vbi Guil lelmus apud Delrium: *Pluſquā Sanſon hæc, nam ſeptem illis crinibus nouaculam Dalidæ non timuit.* Equidem timuiſſet, ſi vel à menſura vocationis vno tranſuerſo crine defeciſſet. Huc retulerim pulchrū Iſaiæ locum cap. 18. Vbi ſic: *Ite Angeli veloces ad gentem expectantem & conculcatam.* Septuag. *ad gentem ſine ſpe & conculcatam.* Forerius, & Arias Mont. *gentem lineæ lineæ, & conculcationis*: Sed quæ eſt hæc gēs lineæ lineæ, quæ tandem exponitur conculcationi. Vidi aliquando opificem pulchris ex lapidibus templi coronidem ædificantem qui cæteris ad amuſsim, & perpendiculum locatis, deſiderat adhuc certæ & determinatæ menſuræ lapidem. In officinā pergit, reſpicit ſingulos qui polliuntur lapides, inter quos lapis vnus apparet affabrè pollitus, & qui videtur optatam menſuram attingere. Hunc conuehit artifex, & in coronidē ſignat lætus quod inueniſſet, verùm attentè immiſſa regula inuenitur minus habens, ſed adeò paruus eſt defectus, vt non deſperet artifex ſe lapidem habere, quare illum huc, illucque vertens, & conuertens bis & terlineā applicat, ſemper paruulus ille defectus deprehenditur. Proh dolor! cogitur artifex illum relinquere, relinquit, inſpicit alios, ſingulos luſtrat, inter quos iterū proſpicit quē relinquerat iterum eius viſu capitur, iterum defectus paruitate deluſus accidit, & regulam, & perpendiculum mille modis applicat. Tandem deſperans alium expoliens hunc toties examinatum, & ad regulam deductum dimittit ante ædificij oſtium conculcandum. O gentem lineæ lineæ, & conculcationis, quæ nimirum ita expolita eſt, & pulchris flexuris cœlata, vt diuino artifici amabilis & grata, ab eo in cœleſtis ædificij coronidē eligatur; cui non ſemel, ſed bis, & ter regula & perpendiculum additur, cuius menſura ſæpè ſepiùs luſtrata, tandem vt quæ minus habeat cōculcationi relicta O quoties pulcherrimos lapides ob paruum defectum à coronide excluſos ad nihilum valent vltra; niſi vt foras relicti omnium conculcationi ſubiaceant! O quoties propter paruiſsimos defectus ij qui vocati erant in caput Angeli ab artifice deſpiciuntur! O quoties qui mille circinos experti erant, mille flexuras ſubſtinuerant, milles artifici placuerant ad lineam & regulam perſpecti ob paruum defectū conculcandi manent! Sed vt plenus explicem quam parui defectus maximè officiant ad perfectionem vocatis, accipitē quod de ſe narrat D. Pauli diſcipulus familiaris Hermas, & habetur 5. tomo Biblioth. nouiciæ prima in pagina. Qui enutrierat me, ait: *Vendidit quandā puellā Romæ, poſt multos autem annos hanc viſam ego recognoui, & cœpi eam diligere vt ſororē. Exacto autē tempore aliquo lauari eam in flumine Tyberi vidi, & porrexi ei manū & eduxi eam è flumine viſaque ea cogitabam intra me dicens: fœlix eſſem, ſi talem vxorem & ſpecie & moribus ſortitus eſſem. Hoc ſolū nec vltra quicquam cogitaui. Poſt tempus autem aliquod cum his cogitationibus proficiſcens honorificabam creaturam Dei cogitans quam magnifica & pulchra ſit: & dum ambulaſſem ob dormiui. Et piritus me rapuit & tulit me per quendam locum ad dexteram per quē non poterat homo iter facere, erat autē locus ille in rupibus, & abruptus, & inuius ab aquis, cūq; tranſiſſem locū illū veni ad planiciē & genibus poſitis cœpi orare Dominū & confiteri peccata mea. Et orante me apertum eſt cœlū & video mulierem quam concupieram ſalutantē me de cœlo, & dicentē. Herma, Aue, & ego proſpiciēs illā dico ei, Domina quid tu hic facis? At illa, recepta ſum, huc vt peccata tua arguā apud Dñm, Domina, inquā nū tu me argues? audi inquit illa, quætibi dicturā ſum, Deꝰ qui in cœlis habitat iraſcitur tibi quoniā peccaſti in me. Reſpōdēs dico ei Dominaſi*

Iud. 16.

Ioach.

Cant.

Guill.

Iſai.

Herm.

*nasi in te ego peccaui vbi, aut quo loco, quando tibi turpe aliquod verbum locutus sum? Nonne semper te reueritus sum velud sororē? Quid in me comminisceris hæc nefandas? Tunc illa: in corde tuo ascendit concupiscentia nequitiæ. An non videtur tibi viro iusto iniquam rem esse, si ascenderit in cor de illius mala concupiscentia? Peccatum ei est, & quidem grande. Iustus enim vir iuxta cogitat. Et ego totus eram in mœrore & metu, & dicebam intra me: si hoc mihi peccatum adscribitur quomodo potero saluus esse?* Hæc magni Pauli discipulus Hermas.

*Textus.* Dixit ei Simon Petrus, Domine, non tantum pedes, sed manus, & caput.

## §. XXI.

### *Male apud Deum accipiuntur qui diuisim & per partes obsequium suum præstant.*

EXpendens Glosa hoc à D. Petro obsequium Deo exibitum, dum ait, non tantum pedes; sed & manus, & caput, existimat hic Petrum lapsum fuisse: *Errauit*, inquit, *quum se totum lauandum Deo abtulit.* Sed quo errauit? An quia se diuisim, & per partes quasi mensurans & enumerans obsequium oblatus est? Equidē minime Deo placent illi qui sic dimensum, & enumeratum partitumque munus præstant. Etenim si Ruperto credimus Caini munus oblatum æquè pulchrum æquè bonum fuit in sustantia, ac munus Abelis fratris; nihilominus Caini munus à Deo fuit reprobatum. Accipite causam ex capit. 4. Genes. iuxta lectionem Græcam quæ inuenitur apud Hieronym. lib. trad. Hebræ. Ambros. Chrysost. & Augustin. *Dixit Dominus ad Cain, quare concidit vultus tuus? Nonne si recte offeras, non recte autem diuidas, peccasti.* Ecce munus oblatum bonum & rectum ex diuisione & partitione taxatur. Plurimi enim sunt adeò auari datores, vt si aliquando animum adducant, vt vel nummos dent, vel donariolum aliud, non valeant præ paruitate animi semel & simul totum dare, sed diuisum & per partes singulas enumerando & ponderando munera donant. Hi sane ipsis suis donis offendunt accipientes homines, cur non offendant Deum? Hinc pensare licet reprobatam orationē, & oblationem Pharisæi illius Luc. 18. is stans in templo Deo gratias agens singula sua opera recte facta incipit numerare, & per censere, è contra quidem Publicanus illo sanctior humi stratus se se Deo accusans misericordiam obtenturus postulabat. Pulchre de vtroque D. Zeno. in Psalm. 129. *Pharisæus insulse manus tendit in cælum, oculos impudenter extollit, intonat lingua, & quod omni est maior insania Deo se laudat. Publicanus autem non membratim Deum, sed totus exorat, qua timore totus est humilis, à quo procedunt vniuersa genera peccatorū pectius crebro percutiens, quodammodo corsuum manu verecunde castigat.* Expendo illud non membratim Deum; sed totus exorat; quasi auaram & parcam illorum mentem condemnans, qui nisi per partes diuisim & morosu censu non se offerunt. His similem faciebat D. Hilarius Synagogam, qui expendens illud Matth. 5. *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio*, inquit: *Synagogam recte Dominus modio comparat, qua susceptos fructus intra se tantum receptos certummodum dimensæ obseruantiæ continebat.* O quam errat qui diuisis mēsuratis partitisque obsequis Deo nutitur placere! ille placet qui non mēbratim non dimenso & enumerato munere, sed simul integre & totus se se offert. Ex quo crediderim placuisse Domino alienigena leprosus, qui ob redditam sibi sanitatē gratias agebat. De quo Luc. cap. 17. *Vnus autem ex illis vt vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum.* Vbi D. Ansel. expendit verbum illud. *Vnus ex illis*, quasi minime diuisus, minime separtiens, *quod dicitur*, ait, *vnus intelligendum est, non diuersis voluntatibus se varians, sed in vna perdurans.* Ac si dicat non membratim, non diuisim, sed vnus integer & totus, vt hilarem decet dotarem sese præsentat Deo.

*Ruper.* *Genes. 4.* *Luc.* *Zeno.* *Matt. 5.* *Luc. 17.*

## §. XXII.

### *In primis dandum est Deo cor.*

RVrsus voco in examen Glosam illam asserentem, quod *Petrus errauit cum se totum lauandum Deo obtulit.* Qui fuit error Petri? Sane dum ait, non solum pe-

des,

des, ſed & manus, & caput, de corde tacet, quod alijs dimiſsis debebat in primis Deo offerre. Poſt reprobatum munus contriſtato Caino loquitur Dominus Geneſ. 3. dicens iuxta ſept. *Nonne ſi recte offeras, non recte autem diuidas, peccaſti?* Hæc tota radix peccati in oblatione notati, non quod non bona, & pinguia Deoque digna obtulerit, ſed quod male diuiſerit dum bona ſua Deo offerens, de corde tacet illud ſibi reſeruans. Ita Rupert. lib. 4. in Geneſ. cap. 2. ait: *Cum Deo offerret ſua, ſe ipſum ſibi retinebat. Huiuſmodi portionem Deus non accipit, ſed præbe, inquit fili cor tuum mihi. At illis cor ſuum retinuit ſibi, & fructus terræ Deo obtulit.* Erras qui cumque alia Deo offers, & de corde taces, quo ſolo poſſes Deum placare. Digne. Anſelmus in meditat. ad Deum loquitur. *Aufert Domine à me ſi velis ſubſtantiam, manus, pedes, oculos ſolum relinque cor, quo te diligam: hoc enim ſolo tibi placebo.* Vbi cor Deo non dederis, parum eſt ſi te membratim findas propter illum, nil das etſi offeras pedes, manus, oculos & caput. Non his capitur Dei filius, qui mundiſsimi cordis ſpatiat amat. Verba ſunt æterni patris illa Pſalm. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Et quod verbū eructatur à corde Patris niſi Verbū quod erat in principio, & Verbum apud Deum? Diuinum equidem Verbum vt à corde patris producitur, ſic amat humana corda, ſic nequit viuere extra corda. Vnde D. Paſcaſ. ibi ſic loquitur. *Ne ceſſe eſt quod de corde reſulſit, vt ibi eum ſuſcipiat ſponſa. Quia quod de corde procedit, nō niſi corde tenetur vel capitur.* Hoc in primis Deo præbe quiſquis Deo placere cupis, capitur ille corde, & corde trahitur, quando vero cor mundum habes.

*Text.* Dicit ei Ieſus, qui lotus eſt non indiget, niſi vt lauet pedes ſed eſt mundus totus.

## §. XXIII.

### *Sanctiſsimi viri huc referāt cœleſtis gratiæ irrorationem, vt ſuam vilitatem cognoſcant.*

ECce Deum ſuos amantem adeò, vt eorum pedes lauet, ſic ſummam Dei in diſcipulos dilectionem cum lotione pedum coniungit Euthymius: *Quia iam eos erat relicturus dilectionem intendit: ſignum vero intentionis fuit lotio pedum illorum, nam qui aliquem feruenter amat, nec extremum quidem eius miniſterium deuitat.* Euth. Ardens in pectore Domini ſuorum amor, hanc per aquam eduxit lotionem, non enim aquæ multæ extingunt charitatem, immò vehementius charitas dum ardet cū aquis, ſimul ad ſuorum currit profectum. Sed cur ſolum ad pedes? Sane floridiſsimæ plantæ hoc petunt, vt per pedes accipiant irrigationes: ſic Sancti viri qui virtutum & gratiæ odore pollent & flore, huc referunt cœleſtes omnes irrigationes, vt ſordidos pedes, nimirum propriæ vnitatis puluerea extrema habeant præ oculis. Haud fallar, ſi pulcherrima Chryſol. verba iuxta hunc ſenſum expendam. Etenim dixerat Dominus Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo; niſi vt accendatur? ſed & baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur.* Luc. 12. Ecce tibi Deus ſimul incendens amoris igne & baptizans humanam naturā. Quid plura? Chryſol. ſerm. 164. id expendit, *Vrget aquam ignem: cogitanda eſt talis tam diuiſa coniunctio, vrget vnda flammā: multiplicat flamma vndam. Quæ eſt talis tam concors iſta diſcordia? Geritur hic agricolæ diuini ſpecies, plena omnia calore germinant, humore nutriuntur. Vnde parens Deus ignis, & aquæ commercio nos germinat, nos enutrit, quorum tanto ardet, calet, exæſtuat affectu.* Chryſol. Nunquam ſane tā proceræ, tam ſublimes, tam pulchræ, tam floridæ, tam odoriferæ plantæ in Eccleſia fierent ſine iſto aquę, & ignis commercio, ſine igneſcente Dei in homines amore, & ab illo profluente gratiarum irrigatione. Sed ponderandum illud quod in hoc geritur agricolæ diuini ſpecies, non enim fit ſine ſcientia agriculturæ, quæ cauet, ne odoriferæ herbæ, floridæ plantæ pulchreſcenti coma recipiāt irrorationem aquarum, alioqui æſtu caloris marceſcerent, ſed ad huiuſmodi pedes ſit vtilis & fœcundata rigatio, qua mirifice nutriuntur & florent. Nunquam coma odorifera plantæ aquis aſperſa ſuſtinet ſine offenſione vim æſtus, nec vir iuſtus cœleſti irroratur aſpergine ſine ruinę metu, niſi quando de agriculturæ lege, gratiarum fluentum reducit puluerulentos ſuæ fragilitatis pedes. O quam neceſſaria & vtilis viro iuſto quæ per pedes ſit rigatio! Deduc per luteos pedes fluenta gratiarum & floridus, & aureus eſto.

Equi-

*Iob.28. Pascas.* Equidem Iob 28. dictum est, *glebæ illius aurum*, quod premens Diuus Paschasius lib. 4. in Threnos, ait: *Glebæ ex humore, & puluere constringuntur. Omnes ergo qui rore gratiæ infusi ex mortis debito se puluerem esse veraci cognitione confitentur, dum vitæ virtutibus claresc unt quasi aureæ glebæ in Ecclesia renitescunt.* Ecce quid faciat ros gratiæ iunctus puluerulenti finis| cogitationi, aspersus per luteos pedes, facit sane quod Ecclesiæ fata aureis frustibus renitescant, quod humiles myricæ. Hesperidum paradisos aureis frondibus antecellant. Huc deducant cœlestes irrorationes quicumque iustitiæ nitore floresc unt, hoc nempe ad luteos pedes respiciant, si tuti & glorioſi vitæ cursum conficere velint. Isaias post in gentem illam visionem gloriæ, hæc intra se ruminabat cap. 6. *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum.* Vbi Chrysost. *Visio hæc, vilitatem propriæ materiæ agnoscere, efficit. Etenim tales sunt sancti omnes, si quando quo piam cumulatiore potiuntur honore, tunc dimissius se deijciunt.* Papæ Discipulis suis aiebat Dominus Matth. 5. *Vos estis sal terræ.* Simul illos ad orbis magisterium exstollens & eis testaceos pedes ostendens, vt de pedum puluere aureum caput discant sustinere. Vbi Diuus Hilarius, ait: *Ideo eos sal terræ nuncupatos monet traditæ sibi potestatis virtute persistere.* Quasi Apostolicarum virtutũ firmitudo in eo sit sita, quod præ oculis habeatur vilitas humanæ terræ, Psalm. 103. dicitur: *Emittit fontes in conualli bus.* Ecce qua diuinæ irrigationes dirigantur, nimirum per conualles, non per cacumina montium, non per altrinsecus viridantes arborum comas. Ita Diuus Augustin. meditatur: *Audi Prophetam, superquem requiescit spiritus meus nisi super humilem, & quietum, & trementem verba mea? Quid est super quem requiescit spiritus meus? Super humilem, & quietum. Quis habebit fontem meum? Conuallis.* Itaque cœlestis rigatio per deiectam fragilitatis humum transeat, vt ex illa profectum capiat.

*Matth.5.* *Hilar.* *Psal. 103.* *August. Isai.*

*Text.* Postquam vero lauit pedes eorum accepit vestimenta sua & cum recubuisset iterum dicit eis, scitis quid fecerim vobis.

## §. XXIIII.

### *Humilitas mentem illuminat.*

HVmilitatem docti discipuli post pedum ablutionem debite interrogantur an sciant quod factũ est? Parens enim est sapientiæ humilitas, & humanarum mentium illuminatrix sicut è contra nullo magis hebescit mens hominis quam fumo vanitatis. Magnus illæ Elias & Seraphinorum & Dei gloriæ spectator, 3. Regum 19. sic ad Dominum precatur: *Domine Prophetas tuos occiderunt, & ego relictus sum solus.* Sane falsus hic fuit Propheta, cum enim Deus sibi reliquerat septẽ milia virorum qui non curuauerant genua ante Baal, ille se solum nouerat, illos nesciuerat. Quæ rei causa? Vnde tantus videns cæcatur ne videat tot myriades sanctorum? Metuo ne illius oculos teneat aliqua elationis nebula, qua hebescere acutissimi solent & excæcari. Petrus Damian. sermon 2. de sancto Vitali, ait: *Propheta erat Elias, & sæpe mysteria superna cognouerat, quid ergo difficile fuit agnoscere in mundo fideles Deo famulos remansisse? Sed hinc solerter intuendum est oculum cordis elatio quam nequiter claudat, quia qui humilis, & occulta Dei nouerat, elatus & aperta nesciebat.* Nulla res sic intelligentiam acuit, sic mentẽ illuminat vt humilitas, pro quo longa alij texuerint cõmentaria, ego vnicum solum sacri textus prælibabo. Is est ex Num. 24. vbi dicitur: *Dixit auditor sermonum Dei, qui visiones omnipotentis intuitus est, qui cadit & sic apperiuntur oculi eius.* Ecce quo apperiantur oculi collirio, nimirum humilitatis casu non dum scientiæ fructus captas, non dum ad diuinitatem vane eleuaris, sed dum cadis, tui aperiuntur oculi vt videas. Cellensis lib. de Panibus cap. 13. inquit: *Visum non recipit, qui non cadit, humilitas in casu, in visu intelligentia. Eius vero qui ita cadit aperiuntur oculi, non quomodo primis hominibus per præuaricationem, sed quomodo cæco nato per Christi illuminationem. Serpens oculos aperit ad concupiscendum, Christus ad cognoscendum, & glorificandum Deum; serpens aperit vt rapiat, Christus vt eripat. Procidens itaque ad virtutum vestigia, recipit lumen oculorum.* Iam nimis superbus erit qui cæcutiat, cum in promptu sit humilitas, vnde possint aperiri eius oculi.

## §. XXV.

### *Ad Chriſtianam ſapientiam alliciuntur Apoſtoli qua nullis periculis timeant.*

PEdibus diſcipulorum lauatis, eos ad Chriſtianam ſapientiam alliciens Dominus ait, ſcitis quid fecerim vobis? vt
Orig. iuxta Originem, *mentem eorum excitet, & rei attentione eius cognitionem hauriant, & arripiant.* Nec poſt omnimodam mundiciem melius illos aduerſus omnes contrarias poteſtates poſſet munire, quam Chriſtiani myſterij cognitione & notitia.
Matth. Etenim Matth. 16 Petro Dei hominis publicanti notitiam & dicenti: *Tu es Chriſtus filius Dei viui. Reſpondet Ieſus dicens: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Aduerſus quã eam? An nõ præualebunt aduerſus Eccleſiã, an
Chryſoſt. aduerſus petrã quæ eſt Petrus. D. Chryſ. in Cate. ait: *Manifeſtum eſt, quia neq; aduerſus petrã neq; aduerſus Eccleſiam portæ inferi præualebunt.* Quaſi hæc ſit præcipua dos illius qui alta Chriſti eſt imbutus ſapientia, vt nulla illum expugnent tormenta, vt vel inferorum poteſtates illum vereantur, & venerentur. Accipite pulchram
Paulin. iſtius rei à D. Paulin. Epiſt. 9. excogitationem ait enim: *Sapientia ædificauit ſibi domum in qua ſi habitemus his operibus, quibus cines ſanctorum fieri mereamur, non ardebit opus noſtrum, & ignis ille ſapiens tranſeuntes nos per examen ſuum non ſeuero ardore ambiet puniendos, ſed vt commendatos ſuſpiciens blando lambet attactu.* O inenarrabilem vim Chriſtianæ ſapientiæ! Quam etiam apud inferos purgatorij ignes verentur, & qui rodendas & cruciendas accipiunt ſanctorum animas, illas, quæ Chriſtiana florent ſapientia, ſibi commendatas accipiunt, non vt mordeant, non vt acuto rodant dente, ſed vt blando lambant attactu linguæ. Cur ergo qui ſapentiæ Chriſtianæ operam nauat, non melius habebit apud purgatorios ignes quando id foeratur pie ab his qui Carmeli habitus geſtant inſigne? Nil durum, nil non blandum non ſuauitate plenum his qui hac Chriſti præcellunt ſapientia. Id quod notauit Ruffinus li. 2. de Benedictionibus Patriar. vbi afferuntur illa Geneſ. 49. *Aſer pinguis panis eius*, pinguis ſane panis, Gen. 49.
& delicioſus ſit Chriſtus Dominus, ſed quibus? ijs, qui alta illius ſapiunt myſteria. Ita Ruffin. *Illi qui nihil amplius in Chriſto intelligunt niſi Chriſtum Ieſum hunc crucifixum, edunt quidem & ipſi panem de cœlo ſed aridum, ſed exilem: qui vero digni ſunt vt eis theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ reuelentur Chriſti, ſunt, quibus pinguis eſt panis* Proſpera omnia ſunt & plena delicijs viris illis, qui digni ſunt, vt eis theſauri ſapientiæ Chriſti reuelentur, qui alta Chriſti Domini decora norunt, qui hominem & Deum & mortuum victorem ſapienter ſpeculati ſunt. Hi omnia in tuto habent, habent, inquam Chriſtum panem pinguem dulcedine manantem. Quid tunc? portæ infieri non præualebunt aduerſus eos. Antiquiſsimum namque eſt, quod portæ inferi vereantur habentem mellitum panẽ. Lege apud Virgil. lib. 9. Æneid. quo aſtu Sybilla inferorum portas expugnarit, quippe ad illas excubabat triceps ille canis.
Virgil.

*Cui vates horrere videns iam colla colubris*
*Mellem ſoporatam & medicatis fragibus offam*
*Obijcit. Ille fame rabida tria guttura pandens*
*Corripit obiectam, atque immania tergara ſoluit fuſus humi.*

Ecce tibi quam infirmæ ſunt portæ inferi aduerſus eos, quibus ſuppeditat pinguis & mellitus panis, quibus Chriſtianæ ſapientiæ reuelantur theſauri: hos ſanè etiam immiſſos inferorum faucibus non mordebit ignis purgatorius dente rabido, ſed velut mellitam offam blando linguæ lambet attactu. Qui enim digni ſunt, vt eis theſauri ſapientiæ reuelentur Chriſti, ſunt quibus pinguis eſt panis, quo inferorum poteſtates ſoporare valeant. Hinc tribulatus Dauid multiſque calamitatibus cinctus, vt pene iam ad inferorum portas ſtaret, iure incipit expoſtulare, Pſalm. 68. *Exaudime, Domine: quoniam* Pſal. 68.
*ſuauis eſt miſericordia tua*, inde petit exaudiri & liberari à malis, quia ſibi miſericors Deus erat ſuauis nimirum quaſi pinguis & ſaporatus panis. Quaſi diceret ait, Diuus Auguſtinus. *Ad hoc ſubuenire differebas, vt mihi dulce eſſet, quid ſubueniebas.* Auguſt.
*Iam ergo vltra non eſt, quod differas.* Iam mihi dulcis es panis iam mihi ſuauis & ſaporatus aſtas, vt potè cui vexatio dedit intellectum, & ſapientiæ reuelauit theſauros, iam non eſt cur me premant hæc ma-

la

la qui habeo Deũ mellitũ & saporatũ panẽ. Igitur diuinissime Christus Dñs Discipulos suos post lotionem manducaturos cœlestem panem ad cogitationem & sapientiam diuinorum allicit inquiens, scitis quid fecerim vobis? Vt ex sui sapientia mellito & pinguissimo pane illos aduersus omnia muniret mala. Huc refero pueros illos qui à Babylonia fornace fuerunt liberati. De quibus Daniel. capit. 3. *Dedit eis Deus ingenij acumen & prudentiam.* Quæ hæc prudentia? Sane rerum, diuinarum scientia. Quod astruens Diuus Isidor. Pelus. lib. 4. Epistol. 139. sic arguit. *Quod autem ita sit, etiam hinc liquet, quod Leonibus illi autem igni veneratione fuerũt.* Ecce vt mala pueros, & Danielem diuina palentes sapientia venerantur.

*Dan. 3.*

*Textus.* Vos vocatis me Magister, & Domine & benedicitis: sum etenim.

## §. XXVI.

*Perfectus Magister solus est qui Dominus etiam est, vt potè qui doctrinam Discipulis imprimat, quam non contemnant, & vltra quam ipsi non addant.*

ILle perfectus Magister est qui potestatem habet Discipulorum mentibus doctrinam imprimere, cuius dictis nihil quod addant habent auditores, nec illis imbui non possint. Quare non abs re cõparat D. Nilus in Ascet. Discipulum ad verum Magistrum eadem comparatione qua Isaias comparat creaturam a suum conditorem & verum Dominum. Etenim Ezechiel. 4. ait Dominus: *Fili hominis sume tibi laterem & pones illum ante faciem tuam, & describes in eo ciuitatem Hierusalem.* Quæ verba premens Nilus ait, quod illis, *declarat opus esse, vt Magister ex luto discipulos faciat Dei.* Hic labor, hoc opus magistri veri est, nimirum discipulos efformare, vt templa sunt Dei ea potestate & facilitate qua figulus argillam format, vt sit quodlibet vas. Sed quis sic discipulorum mentes valet conuertere & figurare? Equidem hoc vno exprimit Isaias summam Dei in homines dominationẽ dices: *Væ qui contradicit fictori suo testa de samijs terræ! Nunquid dicit lutum figulo suo quid facis, opus tuum absque manibus est.* Lutum & testa est homo conditori suo, domino suo, a quo sine vlla resistentia, & contraditione spectat efformari & figurari. Expendo modo sententiam. Nil potentis discipulum in manu magistri, vt lutum, vr testam in manu fictoris & opificis, quasi innuat, quod is sit verè magister qui discipulos tractet vt figulus lutũ, vt conditor & Dominus creaturas sibi subditas illis sine resistentia & contradictione imprimens Deificas sapientiæ & doctrinæ figuras. Hinc Tertulian. aduersus Gent. educit quam necessario sint Christiani sapientes, & innocentiæ disciplinis imbuti: *Nos ergo soli innocentes: quid mirum, si necesse est? Enim vero necesse est, innocentiam à Deo edocti, & perfectè eam nouimus vt à perfecto magistro reuelatam, & fideliter custodimus vt ab incontemtibili dispensatore mandatam.* Suos habuerunt præceptores Ethnici Platones, Aristoteles, Senecas, & alios innumeros qui largis commentarijs tractarunt virtutes morales, regulas rectè dirigendæ vitæ. Sed nihil virtutis hæsit eorum discipulis, quorum cum domini non essent, non præualuere magistri. Soli nos veram ebibimus disciplinam, qui sortiti fuimus Dominum magistrum, qui nos lutum ita efformauit, vt simus Dei templa absque eo quod testa contradicat fictori suo, nec lutum dicat figulo suo quid facis? Vnus perfectus & incomptentibilis magister est Dominus, qui vt cordis dominatur, sic disciplinas sine resistentia imprimit, nec eius præcepta possunt omnino contemnere creaturæ. Vnus Origines libr. 2. contra Celsum, Christi Domini doctrinæ efficaciam in Iuda ponderat, qui in summo crimine adhuc magistri disciplinam non potuit omnino contemnere. *Habuit*, inquit, *Iudas vna cum auaritia perdendique Domini mala voluntate admistam in anima innatam ex Iesu verbis quandam (vt ita loquar) bonitatis speciem, quod ita scriptum est, Iudas proditor videns eum damnatum pœnitentiæ ductus est, &c. Quòd si auarus ille Iudas furari solitus restituit triginta argenteos satis apparet disciplinam Christi efficacem in eo fuisse ad mouendam pœnitentiã, quæ non omnino contempta & conculcata proditori fuit: sed & ipsa verba (Peccaui tradens sanguinem iusti) confitentis erant.* Vide

*Ezech. 4.*

*Nilus.*

*Tertul.*

*Origen.*

quar

*quam flagrans, & vehemens pœnitentiæ dolor eum corripuerit, vt nec viuere ſuſtineret amplius, ipſe ſui condemnator, & carnifex: oſtendens quantum potuerit Ieſu doctrina etiam in peccatore fure, & proditore non valente in totum contemnere quæ à Ieſu didicerat.* Hæc Origines qui & verè, & eleganter facit Dominum magiſtrum incontemptibilem, cuius doctrinæ neceſſum ſit parere, vltra quam aliud addere piaculum eſt. Hinc Seneca pungit naſutos quoſdam cenſores qui piaculum putabant, ſi quis præter ea quæ ab antiquis Philoſophis tradita erant, aliqua comminiſcebatur ex ſuo. Ait enim 2. libr. Epiſtol. 35. *Qui ante nos iſta docuerunt non Domini noſtri, ſed duces ſunt, patet omnibus veritas non dum eſt occupata. Multum ex illa futuris relictum eſt*, Expendo illud, *non Domini*, ea eſt vnius magiſtri & Domini commendatio, cuius ſolius doctrinam ſic ſibi perſuadeant diſcipuli, vt nec plus nec minus euulgare audeant. Vt meritò dicat Salomon Prouerb. 3. *Stultiſsimus ſum omnium hominum, nec prudentia hominis mecum eſt.* Quem locum ſic in rem præſentem exponit Nazianzenus oration. de ſtatu Epiſcopat. *Qui fit igitur vt vir vſque adeò ſapiens atque huiuſmodi beneficium conſequutus ſtultiſsimum ſe dicat? Hoc vult nimirum, propriam ſe nullam prudentiam habere, ſed diuina & perfectori ſapientia affluri. Siquidem & Paulus quum aiebat Viuo ego, non iam ego, viuit autem in me Chriſtus, non vtique de ſe ipſo tanquam de mortuo loquebatur, ſed tanquam præſtantiorem, quam vulgus mortalium ſoleat vitam agente, vt potè qui veræ vitæ, nulloque mortis fine circumſcriptæ particeps eſſet.* Sic Magiſter & Dominus ſuos potens eſt figurare diſcipulos, vt nihil aliud ſciant præter Ieſum Chriſtum, nihil norint præter ea, quæ à Magiſtro & Domino ſunt tradita.

Sene.

Prouer.

Nazien.

Ad Gal.

*Text.* Si ergo laui pedes veſtros Dominus & Magiſter, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.

## §. XXVII.

## *Efficax eſt exemplum.*

QVorum non trahit corda exemplum? Videris iuuenes medio in ætatis flore, profiliente adoleſcentia in gaudia, in voluptates, mundo ad glorias inuitante, vnius ſenis exemplo ad mortem aduolare & cruciatus. Pulchrè ridet Diu. Ambroſ. lib. de Iacob, & vita beata Antiochum crudeliſsimum Tyrannum, qui vt ſeptem iuuenes Machabæos deterreret, ſupplicio in primis afficit ſemen patrem. O ſtultiſsimam hominis cogitationem! *Inſultare*, ait, *licet tyranno, qui cum calidè à ſene incipiendum putat, magiſtrum eligit, quo diſcipulos faceret fortiores, qui non degeneres tanto duci reſpondent. Quid contemnis vel circumſcribis vt pueros? Sed ſides cana eſt ſed valida diſciplina, ſubijce quibus placet pœnis non inuenies corda puerilia.* Neſcierat ſacrilegus quantum valeret exemplum, & dum frænare iuuenes præoptaret male calidus adhibuit exempli calcaria, & cupiens à religione auertere, ſenis exemplo propoſito in religionem iuuenes ſtimulauit. O exempli vim maximam, qua breues iuuentutis animi audent in æternitatē! Qua aliquo modo quo ad nos moueri. Deus ipſe gloriatur. Huc retulerim illud Lyppomani in Catena ponderantis, Deum tunc decreuiſſe filium ſuum pro mundi ſalute mactari, quū vidit Abrahamum gladium ſtringere in Iſaacum, ſic ille: *Quia Abraham non pepercisti filio tuo propter me, viciſim tibi tradam, ait Dominus, filium vnigenitum meum propter te, & non parcam ei, vt enim melior ſum, ſic tibi amoris ſignum maius præſtabo.* Quaſi recuſans Deus vinci ab hominis liberalitate, ſic viſo Abrahami facinore, quo filium iugularet, ad ſimile etſi præſtantius facinus in executione ſe ſe accinxit diuinus Pater. Hinc Clemen. Alexand. 1. pæd. cap. 6. moribundum Abelem putat filij Dei pectus in mortem ſolitciare, ait enim: *Vetus iuſtus typus noui iuſti eſt, & ſanguis vetus qui interpellat, pro nouo ſanguine interpellat. Deum autem alloquitur ſanguis, qui eſt verbum, quoniam ſignificauit verbum qui erat paſſurus.* Dictus erat ſanguis Abel loquutus fuiſſe ad Deū, ſed qui loquebatur? Sane loquebatur quaſi exemplo, quatenus Dei verbum ſolicitabat, & vocabat in ſimilem effuſionē ſanguinis.

Lyppo.

Clement. Alexan.

guinis. Nec fruſtrà, adeò enim quaſi per motum ſe ſe oſtendit Dei filius innocentis ſanguine, vt extunc ſe ſe morti oppignoraret, vt notauit alter Cyrill. in infragmet. Euang. aiens: *In Abelis innocentia mors oppignorata eſt quaſi tranſmittenda foret in eum qui poſtea ſine culpa moreretur.* Sic vt honorarent exempli efficaciam ſe ſe comparant diuinæ perſonæ ad ſequenda illuſtria creaturarum facta. Nec poſt Patrem, & Filium præterijt Spiritum ſanctum exempli vis, quem in ſpecie columbæ ad Iordanem vſque traxit, vt habes Luc. 3. cap. vbi Diu. Anſel. ſic fatur: *Rectè Spiritus ſanctus corporali ſpecie apparet, quia filius aſſumendo corporis veritatem iam deſcenderat.* Hæccine ſimilitudinis apparet efficacia, quam non ſolum homines, ſed increatæ & diuinæ perſonæ, oſtendunt. Vide ſupra cap. 1. §. 5. Ioannem Baptiſtam expaueſcentem quod ſuæ mortis exemplum Chriſtus Dominus ſequatur.

Cyrill.

Luc. 3. Anſel.

## CAPVT VIII.

## *De Euchariſtia.*

POſt pedum ablutionem, & longum de Charitate ſermonem, vltimum amoris argumentum parat ſuis Dominus exhibere, ſe ipſum ſub ſpeciebus panis tritici, vini de vite vere & realiter exiſtentem porrigens ab hominibus comedendum. Quis tantum amoris facinus decantare valebit? Quæ lingua tanti epuli delicias enumerabit? Sanè illa, quam fœcundus hic calix faciat diſertam. Nemiremini, quod ruſticus ego falcem meto ſi Deus ſe hominum facit ſegetem. Nec vbi diuina charitas ſic ſe in immenſum extendit mihi aliquis eſt tenendus modus, ſed aliqua dicam, prout ſe occaſio dederit.

### *Matth. 26.*

*Text.* Cœnantibus autem eis, accepit Ieſus panem, & benedixit ac fregit, deditq; Diſcipulis ſuis, & ait, accipite, & comedite. Hoc eſt corpus meũ.

### §. I.

### *Deus ſe ſe hominibus dedit comedendum, vt par pari referret pro cibis, quos ipſe ex hominibus comedit.*

VIDE, homo, quam largiter Deus acceptam ex hominibus cœnam muneret, quam referat par pari pro cibis mãducatis in mundo, diſceſſurus à mundo hic liberalis & ditiſsimus hoſpes cibos refert, qui nunquam pareant, quibus immortaliter homines exſatientur. Hinc D. Damaſcen. in libello de Corpore, & Sanguine Chriſti componens cum Deo exiſtente in vtero Virginali eundem exiſtentem in Euchariſtia, inquit: *Sic hic tanquam in vtero Virginis in menſa myſtica poſita eſt materia panis, & vinum aqua miſtum: his enim mater nutriebatur, & materiam præbebat corporis infanti* Expende verba ab illis, his enim mater, &c. Quaſi ideo ſub pane, & vino in menſa myſtica ſe ſe Deus tradat, quod his ab vtero matris fuerit altus, ſic pro cibo accepto ſe cibum referens & par pari. Id quod videtur ponderaſſe Ericus ad Luc. 14. vbi dicitur: *Cum intraſſet*, Ieſus in domo cuiuſdam Principis Phariſæorum Sabbato vt manducaret panem. Ad hæc ille: *Adibat Dominus carnalia hominum conuiuia non tam vt exterioribus epulis veſceretur, quam vt ipſe, qui eſt panis de cœlo deſcendens dapes ſuperni conuiuij erogaret.* Sumebat enim libenti animo ab hominibus Dominus panem, quo obligabatur ſe panem celeſtem eiſdẽ communicare. Auide humanis epulis veſcebatur, quibus ſe ſciebat adducendum, vt cœleſtes nobis porrigeret dapes. Nullum à te, homo, fructum accipit Chriſtus panis, quod largiter non exoluat pane hoc ſuper ſuſtantiali. Quondã aiebat Apoc. 2. *Vincenti dabo mannà abſconditum.* Quæ verba aliter alij, ſed in rem præſentem illa egregiè tratat D. Laurentius Nouarienſis, hom. de Eleemoſyna fatus: *Qui ſunt autem victuri, quam illi, quibus dixit, venite benedicti, poſſidete Regnum, eſuriui, & dediſtis manducare? Ecce palma, & præmia, pro pane modico, quem dediſti, accepiſti mannà abſconditum, potum porrexiſti, & paradiſum recepiſti.* Hac ſe obligatione

Luc. 14. Eric.

Apoc. 2.

Laur. Nouar.

obstringere Christus voluit, quùm se ab hominibus patitur cibari, nimirum, vt par referat pari, panem pro pane. Sed pro Deus immortalis! à nobis accipit corruptibilem: & reddit eum, qui reficiat immortaliter, accipit micam, & reddit segetem vitarum, vt par erat referre prædiuitem Dominum, & omnipotentem. Sanè non multum absimile factum est à Rege Dauid viro, vel in hoc secundum cor Dei, namque fugiebat Dauid ab Absalon, 2. Regum cap. 17. cui
2. Reg. 17. fugienti, & famelico obuiauerunt filij Bercellai Galaaditis, *& obtulerunt stratoria, & tapetia, & vasa fictilia, frumentum, hordeum, & farinam, & polentam, & fabam, & mel, & butyrum, oues, & pingues vitulos. Dederuntque Dauid, & populo, qui cum eo erat ad vescendum.* Itaque pij viri fugientem Regem cibo, & potu affatim recrearunt, neque id illis vanum fuit, immò vtilitatis, & quæstus plenum, quando quidem Rex tanto obsequio constrictus, & viuens semper illis beneficentissimus stetit, & moriens illos in primis filio regnaturo cõmendauit. Sic enim ait 3. Regum 2. Rex iam iam animã agens:
3. Reg. 2. *Sed & filijs Bercellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua.*
Ioseph. Quod pulchra expendit Paraphrasi Iosephus lib. 7. cap. 12. quum ait: *Comendo tibi Bercellai Galaaditis filios, quos mea causa omni studio & honore prosequeris, non conferens in eos beneficium, sed referens pro officijs, quæ pater eorum in me exulem liberaliter contulit.* Quibus duo se statim consideranti obijciunt. Alterum, quod moribundus Rex mensa Regia muneret eos, à quibus egens accepit panem: alterum quod hoc nõ videatur Iosepho esse beneficium conferre, sed referre non gratiam, sed debiti exsolutionem. O verè Dauid filius, immò summi Regis Dei filius Christus Dominus, quum ab hominibus in mundo famelicus & peregrinus pasceris, adeò obligaris, vt relicturus mundum iam moribundus regias, & diuinas dapes hominibus pares. Quod nescio an gratiam putem, an debitum, an conferre, an referre beneficium? gratia est, & maxima gratia. Si nostri muneris video exiguitatem, si te summum Imperatorem considero & Deum Maximum, debitum est, debent enim maximi pro paruis obligari, & pro micis regia referre munera & maxima.

(.•.)

## §. II.

## *Regalem Christus Dominus in Eucharistia prætendit magnificentiam.*

VIdisti in modo dictis, Dauidem moribundum mensa regia muneratsse Bercellai filios, neutro parente degener Christus Dominus tunc regiã ostendit magnificentiam, quum moriturus viuifico famescentes homines replet epulo. Quo spectant illa Diu. Petri 1. epistol. 1. *Petr.* 2.
cap. 2. vt leguntur & referuntur à Clem. Alexan. 1. Pædag. cap. 6. *Quasi modo geniti infantes verbale lac concupiscite, vt in ipso crescatis in salutem, si gustatis quod Christus Dominus.* Non dubito quin de Eucharistico epulo loquatur, sed solum expendo illud, *si gustatis quod Christus Dominus*, quasi regiam Christi Domini gloriam tũc maximè experiamur, quũ illum gustu percipimus. Ecce in gustu appareat Christus Dominus, in gustu claret eius regia magnificentia & imperatoria maiestas. Fallor, si ob hoc non dica- *Gen.* 49.
tur in benedictione Aser Genes. 49. *Panis pinguis & præbebit delicias Regibus*, has enim regias delicias condidit viuifico pane, quæ possint in admirationem rapere ipsos Reges. O quã id experta fuit fœlix sponsa Cant. 2. Vbi inquit. *Introduxit me* *Cant.* 2.
*Rex in cellam vinariã.* Nota vbi Regẽ vocat, vbi Regem experitur dilectũ, nempe vbi in cellam vinariã introducitur. Ad hæc pulchrè Hieron. *Non mihi vacuũ videtur,* *Hieron.*
*quod cum potuisset dicere sponsa, introduxit me Spõsus, aut frater meus, aut aliquid huiusmodi, nunc quia cubiculũ, dictura erat Regis dixerit cubiculũ, neq; aliud nomen posuerit. Propterea arbitror in his Regem Christũ nominatũ fuisse, vt hoc nomine ostendatur prædiues eius cubiculũ vt potè regiũ, multisq; opibus refertum.* Vbi Deus osculo suauiatur dilectum, meritò sponsus vocetur, vbi generi humano inseritur, vocetur frater, aut patruelis, verum quum vinariam aperit cellam, quũ miscet vinũ, cum panem prætendit, Rex ipse tũc claret ex delicijs præ libatis regijs. Id tunc maximè gustatur, quod Christus Dominus. Vbi maximè no tandũ illud à Thoma Ioan. 20. prædica- *Ioan.* 20.
tum, qui vt Christi latus attigit apertum, statim exclamauit: *Dominus meus, & Deus meus*, Quid in Christi latere inuenit, ex quo Dominũ, & Deum confessus est? An non fidei aptius, si Petro consentiens dicere

diceret Tu es Christus filius Dei viui? Cur nouo stylo ait: *Deminus meus, & Deus meus*? Crediderim in latere aperto, gustum esse huius diuini epuli, quo non potuerunt regiæ illius deliciæ non præsentiri. Quocirca Diu. Chrysost. hom. in Do
*Chrysost.* min. nouam sic inquit: *Ipse hortatur & dicit, accipite, & edite, adhibete manus vestras & mittite in latus meum, & omnes mea membra tenete, quodcumque enim meum membrũ ceperitis, in eo sum totus, qui à Thoma contrectatus sum.* Ecce vobis Thomæ attrectationem cum Eucharistiæ gustu componit, quasi innueret vnde regius ille splendor prosilierit, quo Christus Deus præmostraretur & Dominus. Adstipulatur,
*Cyrill.* D. Cyrill. Hierosol. Catech. 5. sic fideles ad Christiferas sumendas dapes cõmonens, nimirum: *Accedens ad communionem non expansis manuum volis accede, nec cum disiunctis digitis* (sumebatur tunc temporis Eucharisticus panis in manibus) *sed sinistram veluti sedem quãdam subijcias dextræ, quæ tantum Regem susceptura est.* Nunquam enim magis regalis Domini maiestas panditur, nunquam Regius Christi splendor patentior, nunquam eius diuitiæ & deliciæ cumulatiores, quam in Christifera hac & Regia mensa.

## §. III.

### *Nulla res data est homini integra, & tota, nisi Christus qui integer & totus datur nobis in Eucharistia.*

VIdes, panem frangi à Domino, & quod fragmina porrigens dicat. Hoc est Corpus meum, quod ad creaturam panis pertinet traditur diuisum, qui ibi latet Christus, *non confractus, non diuisus, integer accipitur.* Hoc sibi amoris deberi ab hominibus voluit dominus, quod inter omnia bona ipse solus totus integer tradatur nobis. Pulchrè Ecclesiastes cap. 5. humanam cõmendans fœlicitatem inter alia
*Eccles.* inquit: *Et omni homini, cui dedit Dominus diuitias atque substantiã, potestatẽque ei tribuit, vt comedat ex eis, & fruatur parte sua.* Expendo illud & fruatur parte sua, quasi nihil integrũ & totum liceat homini accipere ex mundi creatura. Hinc D. Dionys.
*Dionys. Alex.* Alex. epist. aduersus Samosatenũ acutè ex
*Exod. 12.* pendẽs duo illa Exod. 12. de agno Paschali præscrita. Alterum est, quod sic integer deberet manducari agnus, vt dicat, *caput cũ pedibus eius, & intestinis vorabitis.* Alterum est, quo ita cauet, *nec os illius confringetis*, siue vt est apud Ioan. 20. *Os non cõ-* *Ioan. 20.*
*minuetis ex eo.* Si os agni non comminui licebat, quomodo integer cũ capite, & pedibus vorandus? Quis sine fractione ossis voraret caput & pedes integri agni? Non hoc est agni creati, cui tam repugnat integrè cõmunicari, quam sine ossium fractione totum manducari, vnus est is diuinus agnus, qui solus, totus, & integer conceditur à suis vorari. Ita Dionys. *Atqui prohibebatur illis hoc* (nempe ossium fractio,) *vt nec toto irrationali vesci eis permitteretur. At verò qui se ipsum exinaniuit Christus Iesus habens in se caput Patrem fecit potentiam in brachio suo, & exaltauit humiles, vt in eis capi possit altissimus, & habitare in nobis propter suam, qua nos dilexit, benignitatem ac bonitatem.* Non ad creati agni legem pertinebat, quod totus, quod integer voraretur, non enim permittitur homini vesci toto irrationali, frui tota & integra creatura. Id sibi solus diuinus reseruauit agnus qui vnus & solus se totum & integrũ capiendum hominibus communicauit. Sic vbi Genes. 18. dicitur: *Tulit inde vitulum* *Genes. 18.*
*tenerrimum & optimum deditque puero*, id ad Christi mysteria referens D. Ambros. *Ambros.*
expendit illud, *tenerrimum*, & ait, *Tener, quia non dura ceruicè, sed molle iugum legis agnouit, crucis patibulum non recusauit, & meritò tener, de cuius capite, & pedibus, & intestinis nihil relictum est, & os non est contritum ab eo, sed totus epulantium cibo cessit.* Ex quo manifestè apparet mysterium de Christi Domini vestibus decantatissimum à Patribus. Etenim exaltato Domino in cruce, iuxta id Psalm. diuiserunt sibi vesti menta mea, & super vestem meam miserunt sortẽ, carnifices exteriores Domini vestes inter se diuidunt & partiuntur: tunicam verò inconsutilem sibi integram quisq; procurat reseruare. Quæ huius rei causa? Cur tunica inconsutilis, non aliarum vestium intrat diuisionem? Cur sola ipsa integra & tota datur? An quia Virgineam verbi carnem hominibus cõmunicandam præfigurabat? Ita affirmat Diu. Athanas. de Passione, verũ præstat audire *Athanf.*
Cyrill. ad hæc fantem: *In quatuor partes vestimenta diuisa sunt, tunica solum indiuisa remansit, in singulos enim transiens vnigenitus & animam atq; corpus eorum per carnẽ suã sanctificans impartibiliter atq; integrè in omnibus est, cũ vnus vbique sit nullo modo*

*diuisus.* Hoc sit Christiferæ in homines magnificentiæ pręconiũ singulare, quod ipse solus præ omnibus bonis impartibiliter & integer tradatur, iã iam qui Christum non recipiunt nihil integrũ recipiunt, immò neq; id audent sperare. Ita ille diues epulo apud Luc. 14. à tormentis aiebat: *Pater Abrahã, mitte Lazarũ, vt intingat extremũ digiti sui in aquã, & refrigeret linguã meam.* Vbi acumen Chrysos. expendit, *Vide conscientiã peccatoris, non totũ audet poscere digitũ.* Sanè, quia conscientia hoc ex bonis didicerat creatis, nihil integrũ & totũ extra Christũ hominibus posse dari. Id quod in illa fideli mulier Chananæa D. Hieron. notauit, quæ vt bonũ creatũ expostulabat solũ nimirũ filiæ sanitatẽ sic ait Matt. 15. *Etiam Domine, nã & catelli edunt de micis,* quasi dicat, ait ille, *scio me filiorũ panẽ non mereri, nec integros capere posse cibos, sed contenta sum reliquijs catulorum.* O mulieris inauditã perspicaciã! dum tantũ humana, & creata optas, bene dicis te integros non posse capere cibos, solus Christus datus integer, reliqua omnia diuiduntur in frusta, extenuatur in micas. Vnde pulchrè D. Pasch. de corpore, & sanguine Christi capi. 17. ait: *Dum cõmunicas dilata sinũ mentis tuæ, emunda conscientiam, & percipe non quantũ mica exhibet, sed quantum fides capit.* Etenim panis species ad illa bona pertinet quæ frustulatim accipiuntur, quod fides capit, ibi Christus est qui totus & integer communicatur hominibus.

Luc. 14.

Chrys.

Hieron.

Matth. 15.

Pasc.

*Text.* Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

## §. IIII.

### *Non omnium est crebriùs accedere ad Eucharistiam.*

QVum calicẽ audio, iam inde nimiam frequentationẽ suspectã fore credo. Quis sobrius non tardè & morosè ad calicẽ accedit? liceat in pręsenti consuetudinẽ illã ex prophanis recensere, quã in Israelitis Isaias cap. 66. succenset. Qua nimirũ bonæ fortunæ libantes dapifera conuiuia statuebant, vbi finitis epulis poculũ sacrificij ergo circũserabatur, de quo sic Theophrastus de temulentia: *Illud de mensa dũ sumunt, Deũ adorant, tanquã supplices rogẽt, ne quicquam agant turpiter, ne huius potionis appetitiores fiant æquo, sed ex ea percipiant quod honestũ sit & vtile.* Nota verba ab illis: *Ne huius potionis appetitiores sint, &c.* Nihil tale petiuerant inter epulas, sed cũ primũ sacrificalem calicẽ accipiunt id statim illis venit in mentem, nimirum orare ne appetiores æquo fiant. Quod vt persuadeat suis Christũ Dominum crediderim porrexisse poculum hoc viuificũ, quasi innuat Eucharistiæ bonũ, non ab exuberanti appetentia quæ super æquum fiat, nec à frequẽtia nimia, sed à sobria & prudenti participatione sumendum fore. Cui consonat S. Clemens Alexan. inquiens. *O admirabile mysterium! veterem, & carnalem nos iubet exuere corruptionem, quemadmodum & vetus nutrimentum. Alit autem nouæ Christi dietæ effectos participes.* Expẽde nouæ Christi dietæ, quasi velit ea moderatione & parcitate nos ad Eucharistiam accedere, qua ij, qui dieta curantur, accedunt ad cibos, vt fructus diuini epuli possimus præsentire. Inde ponderandum est discrimen in miraculum panũ bis peracto à Christo Domino, tunc satiante quinque melia hominũ, tumquatuor millia. Verũ quinq; millia ita pane satiantur, vt superfuerint duodecim cophini fragmentorũ, at quũ satiantur quatuor millia, non tot fuerunt fragmenta residua Curitta? Eleganter D. Ambros. ad Luc. 9. *Cur quinq; millibus hominũ plus redundat, quatuor millibus minus? quia quatuor millia ista triduò cũ Christo fuerunt, & ideò ampliorem cœlestis pabuli alimoniam receperunt.* Meritò qui tridui inediam sustinent, qui cum Christo triduum consumunt, prandij immemores ampliorem cœlestis pabuli alimoniam recipiunt. O quam per illum triduum vrgerent Dominum huius æui sacrificuli, & nimium deuotæ fœminæ, vt de Christi manibus reficerentur. Et sanè cum paruo fœnore spiritus! Hos præmonuit Dominus in Chana nuptijs, vbi deficiente vino, Maria Mater Iesu festinauit ad filiũ, vt subueniret: cui ille. *Quid mihi, & tibi mulier? nondũ venit hora mea.* Ad hæc D. Iren alibi datus, ait: *Properante Maria ad admirabile vini signũ, Dominus repellens festinationem dixit, quid mihi, & tibi mulier, nondum venit hora mea.* Expendo illud, properante ad admirabile signũ vini, vt hinc discas quam suspe-

Theoph.

Clem. Alex.

Amb.

Iren.

suspecta debet esse nimia festinatio ad vinifici signum calicis quandoquidem sanctissima Virgo semper gratissima, semper Deo maximè placens, quasi repellentibus excipitur verbis, quando ad admirabile vini signum properauit.

## §. V.

### *Oportuit totius Christiferi sanguinis lauari, & baptizari pelago, vt digna puritate ad diuinissimum epulum accedamus.*

QVis non miretur quanta sustinuerunt veteres illi Iudæi, antequam ad cœleste epulum peruenirent? Omnes, ait, D. Paulus, in mari baptizati sunt, nisi enim post integri rubri maris lauacrum minime manna vescerentur. Nec nos Christiani ea puritate niteremus, qua dignè accederemus ad Christiferum conuiuium, nisi prius lauati fuissemus vastissimo illo sangninis & dolorum pelago, quo demersus fuit Christus. Vnde Paul. 1. ad
1. Cor. 5. Cor. cap. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus itaque epulemur.* Nota, quòd priùs diuini Agni internectionem memorat priùs sanguineos possionis fluctus, procellosa illa maria dolorum proponit, quibus vniuersi homines immersi sunt, vt AEgyptijs enectis, noua conspersio pullularet. Et tunc ad epulas adhortatur, quasi dicat, si quidem rubentes passionis vndas excepimus, iam ergo possumus dignè epulari, quam sequellam euidentius educit D. Anselmus, fatus: *Epulemur ergo, id est epulis corporis & sanguinis eius reficiamur.* Siquidem stolas nostras sanguineus Agni torrens mundauit, siquidē rubras vastissimi maris passiones vndas sustinuimus, iam non moremur ad epulas, iā cœlesti pane reficiamur. Fallor si huc non
Cell. respexit Abbas Cellensis lib. de Panib. capit. 13. vbi hæc dicit: *Transeundum igitur*
Apoc. 17. *mare rubrum, vt comedas panem mundum. Hoc enim ostensum est in Apoc. ab Angelo Ioanni, quum dicit, hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni, ideò sunt ante thronum Dei.* Hæc ille, solos eos dignos reputās cœlesti, & mundissimo pa-
Theoph. Alexan. nè, qui passionis maribus, hoc est, Agni sanguine fuerint abluti & dealbati. Vnde Theoph. Alex. epist. 2. Paschali. ideò solū dæmones ab hac Eucharistica mensa arceè, quòd pro illis non fuerit mortuus diuinus Agnus: *Si enim, ait, pro dæmonibus crucifixus est, quod erit priuilegium, atque ratio, vt soli homines corpori eius, sanguinique cōmunicent, & non dæmones quoque pro quibus in passione sanguinem fuderit? Sed neque dæmones audient, accipite, & edite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, neque Deus sua præcepta solvet, qui Discipulis ait, ne mittatis margaritas vestras ante porcos.* Ex quibus omnibus approbatur, Christū pro dæmonibus non posse crucifigi, ne dæmones corporis, & sanguinis eius participes fiant. Itaque nemo, qui rubri passionis maris non sustinuit lauacrum, potest cœlestis panis, & calicis mēsæ appropinquare. Totus ille rubentium fluctuum pelagus nobis fuit opus, vt Christiferis reficeremur dapibus. Quo circa, vt acutè, & vere D. Paschas. de corpore, & sangui- Paſc.
ne Christi cap. 11. notat, aqua quę fidelium populum significat, Eucharistico calici additur, quia priùs à Christi latere per cussō cum sanguine coniunctim effluxit: *Et ideò, ait, rectè prouisum est, quia aqua simul cū sanguine fluxit, vt hoc in mysterio admisceatur. Quatenus & nos in illo sumus, vt per hoc salutis Sacramentum diuinis obtutibus illico vniti mistice offeramur. Nam si vinum sine aqua offeratur, sanguis Christi incipit esse sine nobis.* Quibus pondero illud, rectè prouisum est, quia aqua simul cum sanguine, &c. Vbi innuit rationē & causam qua aqua, nempe Ecclesia fidelium in illa significata, Eucharistiam ingrediatur, sub tantoque offeratur Deo epuli sacrificio, nimirum quia priùs cum sanguine à latere manauit, quia sanguineis passionis fluctibus fuerit immixta. Non aliter reficeremur diuino hoc cūuiuio, nisi toto sanguine Agni stolas priùs dealbauerimus.

## §. VI.

### *Sanguis Eucharisticus veniā & tolerantiam clamat peccatorum.*

CVM fese diuinus sanguis ob veniā peccatorum effuderit, tam diuino, & præcellenti munere vbique fungitur, vbique clamans veniam, vbique miserecordiæ viscera contundens. Inde Diu. Cyprian. Christiferum sanguinem Abeli præfert, quia ille clamabat vindictam:
Cyprian. *At Christi sanguis de cruce clamans pacem loquitur, & reconciliationem. Quin idem sanguis quoniam à nobis bibitur, si modò dignè*

*bibitur, clamat in corporibus noſtris verba pacifica.* Expendo illud, ſi modo dignè bibitur, quo Cypriānum ibi non adeò æſtimatorē Euchariſtici ſanguinis crediderim. Quid magnum eſt, quod ſanguis clamat veniam & pacem in illorum cordibus, à quibus dignè bibitur? Imo cū indignè bibitur, cùm nefariè tractatur, tunc etiam clamat verba pacifica. Quod innuit D. Paulus ad Hebr. 12. fatus: *Acceſsiſtis ad teſtamenti noui mediatorem Ieſum, & ſanguinis aſperſionem melium loquentem quàm Abel.* Notabis illud: *Teſtamenti noui mediatorem.* Vbi enim teſtamentum nouum, & hæres nouus eſt, ſi quidē teſtamentum ſine hærede reſcinditur. Quid plura? Accipite pulchram hiſtoriā ex 2. Machabeor. petitam. Inclytus & fortis Eleazarus aduerſus infenſiſsimū hoſtem pugnans Antiochū cū turritum elephantum cerneret totius fidelis exercitus vaſtatorem, vitæ ſuæ immemor imperterritus beſtiæ occurrit, & ſuppoſitus illius ventrem percutiens eo ictu & ſibi gloriosum Maureolæum, & ſuis inſperatam victoriam obtinuit. Quo ſtupefactus facinore hoſtis Antiochus etſi multo milite, & penè innumerabili cinctus, *vnius territus fortitudine pacem rogauit.* Ad hæc elegante D. Ambroſ. 1. officior. cap. 40. concludit: *Igitur Eleazarus hæredem ſuæ virtutis pacem reliquit.* Ecce noui teſtamēti nouus & inauditus hæres inſtituitur, hæres, inquam, quæ ſit pax cum hoſtibus infenſiſsimis. Hinc iam Paul. Chriſti teſtatoris gloriam metitur, qui vt moriens reportat triūphum, ſic ſui ſanguinis nouū teſtamentum reliquit, non quale antiquitùs condidit ſanguis Abelis effuſus, ſed cuius ſit nouus hæres pax cum ipſis hoſtibus & inimicis. Itaque ſanguis Euchariſticus ſanguis noui teſtamenti eſt, qui etſi hoſtili petatur animo, nihil interea loquitur, nil dicit, niſi veniam & miſericordiam largiendam quantum ex ſe eſt ipſis inimicis. Quod conſiderans D. Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 17. aiebat *Quam in nobis manet Chriſtus, neque in quibus ſumus peccatis conſiderat, ſed ægrotos curat, colliſos redintegrat.* Ad hoſtiles animos cæcutiens (ſi attendas miſericordiæ affectum quo ibi eſt hoc curat, vt vulneribus medellam inferat, pacemque omnium mentibus æternam inſerat. Neſcio, an huius diuini poculi beneficientiſsimum morē adumbrauit D. Paul. 1. ad Cor. 10. vbi de Iſraelitis apud deſertum ait: *Bibebant de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus.* Nempe cum ſemel profluentem aquā biberunt, eos inſequebatur petrā innuens diuino poculo refectos, quos etſi fugientes, erſi reluctantes inſequitur tamen Chriſtus quaſi à tergo pacem offerens, & cum venia inuitans. Ita Diu. Cæſar. Arelat. hom. 7. de Paſ. *Bibebant autem*, inquit, *de conſequenti eos petra. Vides, quod qui de Chriſti gratia biberit, ſequitur eum Chriſti miſericordia.* Nec miſericordia, quæ omnes noſtros cogitatus antecedit, refectos diuino poculo ſequeretur, niſi illi fugiſſent, vnde ſemel potos refugas ſequitur miſericordia Chriſti, vt conuertat, vt pacem exhibeat, vt venia ditet. Vide inf. §. 9. & 28.

Ad Heb. 12.

2. Matth.

Ambroſ.

Cyrill.

1. ad Cor. 10.

Cæſar. Arel.

## §. VII.

### *Exactiſsimam rationem reddere debent, qui corpus, & ſanguinem Domini participant.*

ADhuc hæreo illis verbis: *Sanguis noui teſtamenti, qui pro multis effundetur.* Et ſanè quod ex teſtamento pro multis habetur, nunquam niſi præmiſſo cenſu, & cum obligatione rationis reddendæ apud iudicem accipitur. Quod tibi imprimis, ò Chriſtiane, innuitur, qui non vtcumque accipis ſanguinē Chriſti pro multis effuſum, ſed eum ex teſtamento acquiris, vt iam tantorum bonorum rationem reddendam extimeſcas. Reſurgente Domino ex ſepulchro, ait Matth. 28. quod *terræmotus magnus factus eſt.* De quo pulchrè D. Chryſ. in Pſalm. 2. dicit: *Sepulchrum accepto corpore depoſito territum quod patris theſaurum accepiſſet, depoſitum cum tremore reddidit.* O quā iuſtè tremit ſepulchrū, vbi depoſitum tantum theſaurum cogitur reddere! O quam potiori iure nos extimeſcere debemus, qui theſaurum eundē, nempe corpus Chriſti accepimus, cum neceſſum ſit illius rationem reddere. Audiſti, Mariam puriſsimam innocentiſsimam totam conturbari ad vocem Angeli? Sic Luc. cap. 2. *Turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Vnde, ò Puella ſanctiſsima, turbaris? Quæ in te cauſa turbationis, vbi regnum pacis incipit pullulare? Inter alias hanc addit D. Chryſ. ſerm. 142. cauſam: *Quid plura? Mox ſentit inſe ſupremum ſuſcipi iudicem.* Et quæ nullum reatum nec ab origine traxit, quæ totius culpæ libera erat, non

Matth. 28.

Chryſ.

Luc. 2.

Chryſol.

non sentiret iudicem, nisi noui testamenti commune bonum ipsa caperet. Nihil habet iudex cum Maria nisi quia noui testamento est arca, vbi mundi hæreditatē ex testamenti capit, non sine metu iudicis, sine tremore reddendæ rationis, etiam ipsa innocentissima Virgo non expectabitur. Sic illa ardentissima Dei amatrix. *Cant. 5.* Cant. 5. inquit: *Dilectus meus misit manum suam per foramen.* Quasi diceret, iuxta ex- *Pselli.* plicationem Pselli: *Totum hostium meum aperui, vt Christum verbum vt sponsum meū susciperem tamen vix manus eius eaque sola immissa est.* O ingentem Dei magnitudinē! ò sublimiorem palmis staturam dilecti, illum totum excipere mentis meæ templo curabam, & apertis, vel sublatis valuis vnam eius solam excepi manum, & cum manu Dei accepta ecce timor, ecce tremor superuenit, quippe *venter meus intremuit.* Vnde ò Virgo, vel sola manu dilecti accepta tremis? Iam id explicant *Tres Patr.* tres Patres, nempe: *Pariente me intium sapientiæ, timorem dilecti mei tanquā iudicis.* Proh dolor! Nec sanctissima Sponsa capit Dei manum absque terrore iudicis, absq; iudiciali processu & censu. Quis iam integrum testamenti sanguinem accipiens non timeat rationem reddendam? non contremiscat Iudicem depositum repetentem.

*Ex Luc. 22.*

*Text.* Hoc facite in meam commemorationem.

## §. VIII.

### *In Eucharistia Christus Dominus omnino sui similis existit, prout in Cruce pendebat.*

QVid aliud putas Eucharistiam esse, quam pulchram totius cruenti mysterij commemorationem, quā memoriam, & viuam representationem crucis? Sanè altari accessit Christus, vt accesserit cruci mactandus. Vnde in B. Iacobi liturgia lector admonet: *Taceant mortales, & stent cum metu & tremore, nihil terrenum cogitantes. Rex enim Regum Christus Deus noster existit vt mactetur, & detur in cibum fidelibus.* Quam in cruce sustinuit mactationem, hanc in mystica sanguinis & carnis separatione ostendit, dum ait: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Quid aliud in Eucharistia audimus, quam effusi nem sanguinis, quam traditionem carnis? Accipite Diu. Damasc. in libello de Corpore Christi sic sentem: *Elevatur in mu-* *Damas.* *nibus Sacerdotis in crucem, & frangitur, & distribuitur, & in nobis sepelitur, & facit nos secum à corruptione liberos.* Adeò passionis, crucisque mysteria hoc in epulo repræsentantur, vt merito dicat Diu. Paschas. lib. de Corpor. & sanguin. Do- *Pasc.* min. cap. 11. quod *Nihil defuit in hoc Sacramento ad commemorationem passionis, quod tuūc exitit in cruce in cōsummationem nostræ redemptionis.* Quo circa de singuli si gilatim nobis erit agendum.

## §. IX.

### *Christus Dominus in Eucharistia, vt in cruce inimicis veniam largitur, & misericordiam.*

ECce apud Ezechielem capit. 9. altari *Ezech.* adest vir quidem vestitus lineis, cuius sunt laterones sex alij adolescentes fortissimi, & ad bella doctissimi, habentes acutissimos & districtos gladios, vt iussi omnes appropinquantes interficiant. Hoc cernens Propheta exclamat: *Heu, heu, heu Domine Deus, ergo ne disperdes omnes reliquias Israel?* O quam aliter ego exclamarim: non Deum, sed adolescentes illos belligeros, sed armatos Angelos compellarim, Heus vos cœlestis militiæ magna pars, si quidem adestis sacro altari, adestis, inquam, splendenti districto gladio, cur ex innumeris, qui altare Dominicum fœdant, nullum interficitis? Cur cùm tot lupi quotidie diuinum Agnum vorent, nullus transfossus occūbit? Cur non repletis interfectis aras? Cur *Pasc.* nefectorum non sudant sanguine templa? Sed accipite quid respondeat D. Paschas. cap. 8. *Certus sit, quia vltores Angeli nec semel indignè communicāti parecevent, nisi bonitas Christi, in cuius iudicio pendent omnia, & cui commissum est vt signum ponat in frontibus suorum, gladium suspenderet, & remoueret momentaneam mortem. Christo totum debemus adscribere, qui suas etiā iniurias liben-*

*ter remittit, & pro delinquentibus in se sicut prius in cruce fecerat, etiã se Patri offerendo idoneus exorator interuenit.* Non sui dissimilis adest Dominus epulis diuinis, ibi sicut in cruce veniã meditatur hostibus impertiri, non enim Angeli, qui adsunt, indignos sinerent accedere impunè. Sed quã do ij aduolãt trãsfossuri indignos, ipse qui editur, & voratur, Agnus remouet gladios dignus exorator pro vorarcib⁹ lupis. O ingentem Dei misericordiã! ò summã Christi pietatẽ! Christo Domino debes, ò maximè peccatorum, quòd indignè accedens ad epulum diuinum non ab Angelis trucideris: adsunt illi armati gladijs, & irati irruunt, sed detinentur à Christo, qui & in cruce, & in ferculo non cessat indulgere inimicis. A quibus vẽditus erat fratres cum posit occidere, pauit charitatis pleno conuiuio magnus ille Ioseph. Gen. 43. *Gen. 43.* De quo pulchra, & Christum Dominum halantia dicit Abbas Cellens. de Panib. cap. 1. *Vbique*, ait, *gratiosus Ioseph, sed in conuiuio magis, multoque amplius iocundus: in conuiuio etiam venditoribus suis non negat negatam sibi germinatam, in conuiuio non retinet iniuriam, extendit munificentiam, in conuiuio iuxta scripturam cibandi inimicum, extinguit inuidiam, sanat malenolentiam.* Quid pulchrius? Quid Christo Domino accommodatitius? Sanè in hoc conuiuio etiam venditori suo Iudæ non negat pacẽ, non retinet iniurias inimicos etiã, & sibi infensissimos hostes cibat, & prohibet ne miserè ab Angelis vltoribus perimantur.

## §. X.

### *Christus Dominus in Eucharistia vt in Cruce paradisi hæreditatem exhibet.*

OQuàm à sanctissimis viris decantatum, quòd in cruce damnato altero, Latroni digno paradisi perditã reddat Dominus hæreditatem. Sed eã nullibi meliùs exhibet Dominus, quã vbi sese præbet in Eucharistia manducandũ. Quid est in toto hoc diuino conuiuio quod non oleat paradisum? quod vitæ arborem non præferat? quod innocentiæ amictum non prætẽdat? Pulchrè Antipater Episc. Bostorum, orat. de Ioan. Baptist. Mariam fatur: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus vẽtris tui: ex quo cùm comederit Adam, vicis inimicum. Benedictus fructus, qui fuit mundi cibus, & amictus.* Sanè is erat innocentiæ fœliciss*imus* status, in quo Adam vnico vitæ arboris fructu gustato, nec cibum aliũ, nec amictum desideraret. Sed proh dolor! accessit ad vetita, & famem incurrit, & nuditatẽ. Ecce homo famelicus, & nudus exilij sui præferens signa, iterũ amissam recuperat hæreditatem, dum sese infert mensæ diuinæ, qui cibus mundi est simul & amictus, simul sarians & exornans animas. Hoc fuit priuilegium cœlestis pabuli quo dum Israelitæ in deserto vescebantur, nullã in vestibus attritionem, neque vetustatem sentiebat, quod spectans Dominus apud Oseam cap. 11. ait: *In funiculis Adã traham eos.* Qui funiculi Adam, nisi paradisi hæreditas? Ita Ruffinus hunc locum interpretatur: *Funiculus eius, id est, sortitio Adæ primi hominis, antequã peccato è fœlicitate decidisset, qui paradisi fuerat habitator effectus, vt non laboratis, sed sponte nascentibus fructibus vesceretur. Ita iste populus solis miraculis cõparata pabula suscepit.* Hęc erat fœlissimi Adami paradisus, vbi omnia illi sine labore eueniebant, cui sortitioni & paradiso similis asserítur, quã habuit Hebræus in deserto, vbi manna vescebatur, vbi cœlestis panis miraculis comparatus, & cibus, & amictus erat. Fœlicior illis Christianus, qui verã paradisi sortitionem adeptus est, quandoquidem miraculis comparatus cœlestis panis Christus Dominus viuentis arboris fructus, & cibus illis est & amictus. Hinc maximè ponderãda ratio est, cur Eucharistice dapes singulari & proprio iure in Crhisti percusso latere sedẽ habeãt Sic enim ait D. Chrysost. Ioan. 19. *Quoties ad admirandum calicem accedis, tanquam ab ipso latere hauriẽs accedas.* Cur Eucharistia in latere? an non potiores essent eius sedes Domini manus? Quid cum latere diuinũ epulũ? Sane Adami latus, nẽpe mulier ex latere prosiliens Adamũ ex paradiso eiecit, occasio nemq; dedit, vt Deus poneret igneũ gladium versatilem ante paradisum, ne vllus homo ingrederetur. Vt ergo cœlestis cibus paradisi hæreditatis restitutio erat, sic decuit à noui Adami latere etiã procedere. Id quod notauit Procopius in Gen. c 2. his verbis: *Si Christus propriũ latus seu firmamentũ aliquod hastæ opposuit, paradisum aperiens, qui propter latus, nẽpe mulierẽ fuerat obstructus.* Ecce tibi vt mulier à latere egrediens per cibũ occlusit paradisum, sic à latere Christi profluens esca paradisum aperuit, vbi latus seu firmamẽtũ hastę opponitur. Fallor si huc non respiciat illud Psal. 71. quo Dauid in omniũ sententia celebrat diuinum Eucha-

*Oseas 11.* *Ruffin.* *Chrysost.* *Procop.* *Psal. 71.*

*Antipater.*

Eucharistiæ epulum sic fatus, *erit firmamentum in terra in summis montium*. Ii, qui Hebraicas notas norũt adeo perspicue putant scriptum esse, erit memoriale tritici, aut frumentum, vt mendose dicant insertum esse, illud erit firmamentum. Verum non mendacio; sed mysterio dictum est hoc viuidum frumentum firmamentum: firmamentum, inquam, hastæ, siue versali gladio oppositum, & paradisum nobis aperiens. Hinc merito D. Paschas. Epist ad Frudegardum, ait. *Facit corpus, & sanguis quod ipsum fecisse Christum in cruce legimus, dum vni eorum, qui erant cum eo in patibulo confitenti paradisi præstitit regnum: alteri verò blasphemanti iudicium determinauit.* Sic ille.

Paschas.

## §. XI.

### *Qui à Christo manducando abstinent iudicium damnationis metuant incurrere, vt latro à cruce.*

VIDISTI in modo dictis ex Paschasio, qualiter ab Eucharistia, vt à cruce, & damnatio veniat. Paradisus obtigit confitenti; in damnationem ille latro venit qui sese à Christi corpore segregat. Enim verò iustissime pereunt illi, vt docet noster perdoctus Salmeron, qui latronis istius instar habentes præoculis salutiferũ Christi corpus, & sanguinem, illo vesci fugiunt & refici. Væ tibi, ò miser, qui his abstines epulis, necessum enim est, vt fame pereas. Horum voce, aiebat Psalm. 8. *Omnẽ escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt vsque ad portas mortis.* Quæ omnis esca dicitur? Sane vt id explicet D. Greg. Nissen. tractatu 1. in Psalm. cap. 8. premit illud Gen. 2. Vbi dicit, *ab omnis ligni, quod est in paradiso esca comedes.* Ex quod sic loquitur Nissen. *vbi omne lignum vocat plenitudinem omnis boni, ita & hic verum illum, & omnipotentem cibum appellat omnem escam; cuius fuga eam, quæ ad mortem ducit, imbecillitatem conciliat.* Adeo, vt merito tantam generis humani infirmitatem, & ruinam eo retulit D. Chrysost. quod Adamus à Christifero cibo abstinuerit. Et enim põderat Adamum creatum in medio paradisi habens præoculis vitæ arborem tot illi cibus plenum, quot scatebat pulcherrimis, & viuificis fructibus. Odor, pulchritudo fructus alliciebat oculos, inuitabat viuendi appetitus, instabat tempus prope meridianum, Et tanto tempore, tot illicibus non adductus fuit Adamus, vt vitales fructus gustaret? proh hominis dementia! Quid plura? hinc totius generis humani casum venit. Sic Chrysost. in Psalm. 1. *Huius ligni esum cum recusaret, in contrarium indicit.* Ne mireris, homo, si tanti cibi abstemius pereas, si habens ob oculos quotidie viuificum epulum, ad quod tot ac tantæ vtilitates te inuitant, tot Prædicatorum voces te mouent, & tamen abstinens, quod fame enectus in æternam incidas miseriam. Mirer quod Rupertus etiam Angelorum ruinam putet ortam ab huius diuini epuli abstinentia. Sic enim ait in Exod. cap. 16. *Hic panis victus, & vita Angelicæ substantiæ est nam in eum desiderant Angeli prospicere, quod quia contempsit facere Angelus, ceçidit, & factus est diabulus, qui & huius panis sempiternam patiens inediam, est pallidus, & mors illum sequitur.* Igitur si fortissimos spiritus sic contriuit tanti epuli inedia, qualiter conterentur infirmi homines, si sese diuinis priuent epulis. Videte apud Luc. c. 16. illius astum, quem villicum putat Diuus Gaudentius fuisse diabolum, dum totis viribus nititur ne debita sua ferui Domino integra reddant. Is igitur illis, qui oleum reddere debebant, ex centum cadis persuadet quinquaginta fraudare, illis autem qui triticum debebant, ex centum coris, sufficiens putat si viginti fraudent. Quid ni? minoris numeris numeri fraus in tritico putatur magis seruis exitialis. Et si enim aliarum virtutum dimidiam tibi tollat partem diabolus, non tanti æstimat quanti cum paucis vicibus, te à diuino altaris tritico fraudat. Vnde notãter D. Gaud. ibi, ait. *Nec illud otiosum est quod maior numerus deperijt Domino, cui debitores sumus, ex operibus à Deo figuratis, quam ex tritico ad vitalis fidei specimen comparato.* Pauciores dies abstinentiæ, ex his qui destinati erant diuino epulo, maius diabolo negotium facessunt, quam si ab alijs virtutum operibus te fere pœnitus faceret cessare. Hic luge illos qui ægre, & difficulter semel in anno se se ad tantum epulum norunt præparare. Pulcherrimi illius, & Regij adolescentis Absalon quis memoret tragediam? De hoc dicitur 2. Reg. 14. *Semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries.* Id quod notans Drogo, libr. de Sacramento Pass. inquit. *Propterea lucis*

Pſal. 8.

Niſſen, Geneſ. 2.

Chryſoſt.

*beatæ visionem perdidit Absalon, qui cum grauabat eum cæsaries, & non nisi semel in anno tõdebatur.* Eu quot nunc Absalones qui criminibus grauantur, & non nisi semel in anno tonduntur, vt nuptiali conuiuio assent. Metuò ne lucis perdant visionem beatæ.

## §. XII.

### *Christus Dominus in Eucharistia se matrem nostram, & filium nostrum exhibet.*

PERGO ad alia crucis facinora, quibus Deus erga matrem, & erga Ioannem se pientissimum ostendit, alteri enim de altero dixit. *Ecce filius tuus, ecce mater tua.* Quas voces quotidie in Eucharistia repetit, & singulis hominibus dum se præbet manducandum dicit, ecce filius tuus. *Rupert.* Id quod eleganter confirmat Rupert. cap. 32. super Genes. dicens: *Quemcumque ad sanctum altare diuina vocat gratia, profectò iubetur illi, vt tollat filium suum Isaac, eumque Domino in terra visionis in holocaustum offerat.* Hoc tibi Dominus silenter ab altari innuit, ecce filius tuus, tolle hunc filium tuum, placa Deum holocausto tanti filij tui. *Paschas.* Ad hæc D. Paschas. sup. cap. 11. Eucharisticum epulum vocat *natalem calicis*, quasi tunc noua natiuitate Dominus nascatur noster filius, quum sub speciebus ponitur panis, & vini.

Nec solum filius noster fit in Eucharistia, sed & mater omnium exhibetur charissima, ibi sub epuli speciebus totus lacteus, totus mammeus factus clamat, & dicit: *Ecce mater tua.* Accinin Clemens Alexand. *Clement. Alexan.* 1. Pedag. cap. 6. aiens. *Verbum est omnia infanti, & pater, & mater, & altor comedite, inquit, carnes meas*, quasi dicat dum se manducandum, dum se suggendum hominibus proponit mammeus Deus fit, mater omnium est. Quapropter eleganter D. Irinæus, libr. 3. cap. 40. notans detrimentum, quod faciunt qui ab Ecclesia recedunt carentes his diuinissimis dapibus, *Irin.* ait: *Vbi Ecclesia, ibi Spiritus Dei, & vbi Spiritus Dei illic Ecclesia, & omnis gratia, Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participãt eum, neque à mammillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimũ fontem.* Eccetibitotius Christiani augmenti causa mensa diuina, quæ & mammillas matris exhibet filijs Ecclesiæ, & nitidissimum fontem procedentem de Christi corpore. Sanè qui Dei spiritum participant, & Christiferum fontem, & matrem habent in Eucharistia. Vnde D. Chrysost. homil. 83. ait. *Non videtis* *Chrysos.* *quanta infantes alacritate mammillas arripiunt, qua pressione papillis infigunt labia? Non minori cupiditate, nos quoque ad hanc mensam, & ad huius calicis Spiritualem accedamus papillam, immo verò desiderio quasi lactentes pueri gratiam suggamus.* Hæc Chrysost. adducens, vt materna charitate exhibita nobis à Deo in Eucharistia fruamur. Quæ materna viscera in hoc conuiuio cœlesti agnouit, etiam Cellensis Abbas de panibus, cap. 2. dicens: *Hæc mensa plena visce-* *Cellen.* *ribus misericordiæ, charismatibus referta gratiæ, edentium penetralia mirabiliter implendo non explet, appetitus residentium satiando acrius, sed sacratius vrgere.* Expendo illud plena misericordiæ viscеribus, & satiando vrget, omnia enim sunt de matris more excogitata. Quippe mater qua in filios est affectione pascit, & saturos adhuc ad escas vrget, & allicit, quasi velit semper illos in delicijs esse, adipeque fudare. Ita Dominus in mensa hac cœlesti totus fit viscera matris, totus est in filijs nutriendis, & saturandis adeo, vt etiam dum exatiat, dum replet, acrius vrget, & allicit, vt edant amplius. Quo circa D. Chrysost. homil. 28. in Matth. ita Christum Dominum comparat *Chrysst.* cum matribus. *Mulieres*, ait, *matres post partum alijs nutricibus infantes dederunt: quod ipse facere noluit; sed proprio corpore nos alit, & sibi coniungit atque conglutinat.* O amor Dei in nos super amorem matrum!

## §. XIII.

### *Vt in Cruce, sic in Eucharistia derelictorum curam agit.*

DERELICTVM se in cruce quæritur Dominus derelictorum omniũ negotium agens, vt loquitur D. Cypri. de Cœna Domini. *Derelictorum personam ge-* *Cyprian.* *rens in Cruce se queritur derelictum, & ne desperent etiam in vltimis constituti, festinans in adiutorium illico adest latroni.* Ecce tibi quam pro derelictis solicitus in Cruce sit, iam inde se prodens derelictorum pabulũ.

Quid

Quid plura? aiebat Dominus, *Eli, Eli lamma ſabactani*. Et nomine ludentes carnifices per ludibrium dicebant. *Eliam vocat iſte.* Quaſi velit Deus vt omnibus innoteſceret tũc, quam nouerat ipſe paſcere derelictos, & quod pro derelictis hominibus faciendus erat cœleſtis panis, qui modo vt frumenti granum in crucis mola tundebatur. Enim vero Eliam, 3. Reg. cap. à Iezabel fugientem ab omnibus auxiliatoribus derelictum, morti inhiantem, non ſemel cœleſti cibo Dominus pauit; quo circa vbi derelictorum negotia in cruce tractat, non abſque myſterio Eliæ mentionem patitur intromitti, vt derelictis omnibus cœleſte parari oſtendat pabulũ, fructuſq; paradiſi vitales eiſdem reſeruari. Non latuit Dauidem diuinas Chriſti dapes pro derelictis condiri, quandoquidem Pſalm. 146. dicit: *qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum*. Etenim, vt bene hic à Caſiodoro notatur, coruorum pulli à parentibus deſtituti, & derelicti cœleſti rore nouerunt ali. Vnde Propheta, vt diligentiam Dei in derelictis nutriendis nobis commendaret, prædicat, illum pullis coruorum inuigilare. Vnde Numeror. cap. 11. de cœleſti cibo Iſraelitis exhibito dicitur: *cũ deſcenderet nocte ſuper caſtra ros deſcendebat pariter, & mannà*, nunquam enim mannà ſine rore, quia nunquam diuinum concederetur epulum; niſi coruorũ pulli, nimirũ derelicti homines reficiendi eſſent cũ illo. Hinc merito Drogo libro de Sacramẽto Paſſionis, ait. *Paſce Domine, pullum coruorum, filium peccatorum clamantem ad te, quoniam pater meus, & mater mea dercliquerunt me; tu autem non relinquis ſperantem in te.* Ita Drogo.

3. Reg. c.

Pſal. 146.

Num. 11.

Drog.

## §. XIIII.

### *Chriſtus Dominus vt in Cruce, ſic in Euchariſtia ſitit: & non vult bibere, omnia concedens nobis bona, nihil reſumens ſibi.*

Arnol.

MIRATVR valde Arnoldus Carnotenſis, quod Dominus actus in cruce inter ſupplicia ſitiat; ſed id miratur magis, quod limpidiſſimis manans aquis moleſtetur ſiti. *Mirum*, ait, *dictu tremendum relatu: proſluentibus de ſacro latere aquis viuentibus, & emanantibus de fonte vberi ſacris liquoribus, Chriſtus ſic ire ſe perhibet*. Sitit inter aquas Chriſtus quid mirum? inter epulas medio in dapiſero conuiuio, totus manans ne ſtareis Euchariſtiæ poculis, adhuc ſitit, vbi non ſitiat Dominus qui factus vinum ſitit & potum rogat ex participibus? Accipite Chryſoſt. hom. 2. in Epiphan. *Ex hac menſa ſpiritualium fons emanat bonorum, & hanc tamen ſtatim relinquis, & curris ad theatrum, vt iſtud aſpicias, ſedentem iuxta donorum cœleſtium Chriſtum relinquis; nam & modo ſupra fontem ſedet non vnam Samaritanam; ſed vniuerſam alloquens Eccleſiam.* Nec aliud loquitur quàm da mihi bibere, vt vel ſic ſui ipſius in cruce præferat ſimilitudinẽ. Etenim vtrobique ſitit; nec vtrobique vult bibere, ait enim, *& cũ guſtaſſet noluit bibere*, & quidem à nulla creatura indiget accipere, cum ille ſit qui omnia fiat creaturis. Id quod pulcherrime explicatum eſt diuinorum ſponſarum colloquio. Vbi ſic, *ſicut Roſa inter ſpinas ſic ſoror mea inter filias; ſicut pomum in lignis ſyluæ ſic patruelis meus in filios.* Ecce tibi ſponſus eſt ſponſæ pomum, quæ veſci, & recreari poſſit aſpectu, & odoratu illius: verum ſponſa ſponſo roſa eſt, & quis roſam manducet aut bibat? Ita verba dicta proponit Diu. Greg. Niſſ. ho. 4. in Can. pro quibus dicit. *Recte vidit ſponſa quæ ſit ſui à Domino differentia, quoniam ille quidem, & nobis ſit lætitia oculorum, vt qui eis ſit lux, & vnguentum odoratui, & vita comedentibus; namqui eum comedit viuit, vt dicit Ioan. 6. Humana autem natura perfecta per virtutes ſolum ſit flos nõ agricolam nutriens; ſed ſe ipſam exornãs, ille enim non eſt bonorum noſtrorum egens; ſed nos illius bonis egemus.* Expẽdo illud, quod vbi Deus omnia nobis fit, & lux oculis, & odor naribus, & eſca guſtui, qua veſcamur in vitam; natura noſtra quamtumuis plena virtutibus tantum illi ſit flos, non agricolam nutriens, nullo modo paſcẽs Chriſtum, adeo, vt inter dapiferas menſas, inter crateres pleniſsimos ipſe eſuriat & ſitiat, cum nihil à nobis accipiat. Sed quis credat, quod nihil à nobis Dominus accipiat? Quod tanto exhibito hominibus conuiuio nullum ſibi emolumentum acquirat? hominibus, inquam, qui florentes virtutibus, qui puritate candidi ſeſe in diuinum obſequium effundunt? Sane cibus ipſe qui datur oſtendit omnia bona ſic dari ſuſcipienti, vt nihil ſibi dator ipſe relinquat. Ioſeph ille Aegypti Prorex fratres audit ementes triticum de pretio paciſcitur cum illis quod etiam videtur accipere, ſed exhibitum ab illo

Chryſoſt.

Cant. 2.

Niſſen.

illo triticum si inspicias, & triticum, & ibi latens totum pretium inueniens, vt pateat, nihil ex venditione illa apud venditorem relinqui. Id quod expendit & componit cũ Christi fero tritico Abbas Cellens. de panibus, cap. 1. dum inquit. *Liberalitatis opus cũ sagacitate venditionis fratribus suis Ioseph exhibet Sed libet in mensa cœnæ Domini, & in conuiuio Ioseph lucem, & vmbram præoculis ponere. Larga manu Ioseph quorum ventres suis impleuerat bonis, saccos nihilominus quãtum possunt capere frumẽto replet, & pecuniam propriam in ore saculorum ligat latenter, &c.* Ecce vobis lucem & vmbram, Ioseph um, & Christum: ille inter frumenti mensuras expetit, & petit nummos: hic inter crateres plenissimos sitit, & petit da mihi bibere. Sed ille cum sagacitate venditionis largitatem ostendit suam exhibens plenos saccos frumento, in quo latens integrũ pretium restituitur, nihil ipse reseruans sibi. Hic nimirum Christus Dominus cum sagacitate sitis, & famis longe liberalior eam frumẽti, & vini tribuit plenitudinem, qua impleantur fideles cuncti. Quod si hoc diuinum euoluas triticum inibi inueniens latens pretium omne, quod pro illo dedisti, adeò, vt constet omnia in tuũ cedere emolumentum, nihil quę à Christo Domino receptum sibi.

Cellen.

## §. XV.

### *In Eucharistia, sicut in cruce consummationem ponit suorum sacinorum.*

PRetio sanguinis sui pro mundi redemptione exsoluto, dixit Dominus in cruce, *Consummatum est*, quasi ibi iam ex parte Redemptoris consummata fuerit humana fœlicitas; sed patentiùs crediderim hanc factam esse in Eucharistia consummationem nostræ salutis, per singularem applicationem. An non aiebat ille Genes. 27. *Frumento, & vino stabiliui eum, tibi vltra quid faciam?* quasi frumento, & vino sit omnis cõsummata benedictio. Ad quæ D. Paschas. de corpore, & sanguine Christi, cap. 21. inquit: *Hoc est apertè dicere, firmaui eum pane corporis Christi, & vino sanguinis; tibi autem filio vltrà quid faciam? Putas ne, si fueris indignus tanta gratia, vllis quòd polleas bonis, vltra quam nihil amplius in hac vita præstatur?* Ecce bonorum omnium cõsummatio corporis, & sanguinis Christi frumento, & vino clauditur, exhibito namque hoc diuino epulo, nullum vltrà bonum restat hominibus communicandum. Hinc duo loca lucem accipiunt. Alterum ex 1. ad Corinth. 3. vbi sic. *Lac vobis potum dedi tanquam infantibus*: alterum sumitur ex Exod. cap. 3. aientis, *Ducam vos in terram lactis, & melle manantem*. Quæ duo loca expendens D. Clemens Alexan. 1. Pædag. cap. 6. meritò dubitat, cur cùm lac à natura, & à Paulo promittatur paruulis infantibus, vt in eo crescant, & alantur; rursus fortissimis viris viuentium terram ingressis, postbellorum pulueres, post mille victorias partas lac ipsum exhibeatur? Et hic vbi pueritia, vbi hominum alitur infantia, lac datur; & ibi vbi vincentium coronæ, & præmia sunt, iterũm lac, cur ita? Pulchrè respondit Clemens, *Iure instis rursus lac Dominus pollicetur, vt apertè verbum esse vtrumque ostendatur, Alpha, & Omega, principium, & finis.* Etenim vbi hic datur lacteum hoc conuiuium, verbale hoc Eucharistiæ lac, ibi omnium bonorum datur finis, & consummatio, nil amplius restat, quod Deus possit dare. Post prælia mille, post victorias celebratas nil aliud obtinebis, quàm hoc ipsum quod puerulus, & infirmus in Eucharistia capis. Ibi est Alpha, & Omega, principiũ, & finis omnium bonorum, ibi capis, quo hic saginantur paruuli, & quo vescuntur in Sanctorum terra victrices potestates. Hinc summam hominis fœlicitatem miratus Ecclesiastes cap. 5. ait: *Cui dedit Deus diuitias, atque substantiam, potestatemque, ei tribuit, vt comedat ex eis, & fruatur parte sua.* Ecce tibi fœliciſsimus homo est, cui id obtigit conuiuium, in quo suam partem, hoc est integram comedat suam hæreditatem, vltra quod nulla ei remaneat pars alia hæreditãda. Sed quod conuiuiũ est hoc? Olimpiodorus id explicat aiens. *Qui manducat carnem filij hominis, & bibit eius sanguinem, futuræ fœlicitatis partem hic aliquam, fruitionemque accipit.* Quod in vitima hominum fœlicitate à nobilibus triumphatoribus manducatur, id in præsenti conuiuio manducamus.

1. Cor. 3. Exod. 3. Cle. Alex. Eccles. 5. Olimp.

(?)

Genes. 27. Pasch.

## §. XVI.

### *Christus in Eucharistia manibus purissimis instar Dei Patris manuum amat tractari.*

SAcrilegas carnificum expertus manus Christus Dominus, paternas iam appetens vlnas moribundus dicit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, quasi ex tunc insinuans quibus velit haberi manibus, nempe manibus Patris diuini. Non iam panis hic viuus cõterendus traditur impijs manibus, sed solis paternis manibus exhibendus est, vt refectionem & saturitatem afferat. Monebat D. Bern. serm. de Natiu. Mariæ, nullum opus offerri Deo, nisi per manus matris. Etenim ait: O homo, quidquid illud est, quod offerre paras, Mariæ commendare memento, vt eodõ alueo, ad largitorem gratiæ, gratia redeat, quo influxit. Nec enim impotens erat Deus, & sine hoc aquæ ductu impẽdere gratiã prout vellet, sed sibi vehiculum prouidere voluit. *Fortè enim manus tuæ sanguine plenæ sunt, & adeò modicum istud quod offerre paras, gratissimis illis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam.* Sic ille, & tu similiter Eucharistiæ sacrificium gratissimis siue Matris, siue Dei Patris manibus offerendum trade, ne patiaris repulsam. Hoc sciuerãt cœlestes illi spiritus, qui apud Ezechielem, cap. 1. visi sunt tanto Domino ministrare, *sed manus hominis sub pennis eorum*, hoc est, vt inquit Theodoret. *manus sub alis erant absconditæ*, quando quidẽ nullam manũ Dominus patiebatur; nisi paternã manũ. Sic Abbas Cellensis. lib. de Panib. cap. 1. *Procul absistat creatura omnis ab hac administratione, quia bestia, quæ tetigerit montem, lapidabitur. Manum subtrahat Seraphin, quia manus huiusmodi manum aliam non admittit, quàm solius dexteræ Dei, nempe Patris.* Iam nullus Oza audeat noui testamenti arcæ prætẽdere manus, siquidem, & Seraphim ipsi charitate feruidi, puritate conspicui purissimas suas subtrahunt manus. A solis æterni Patris manibus expectet hunc viuidum panem quicumque sapiens est, quicumque illo cupit exaturari. Sic iam sibi redditus prodigus ille alter, Lucæ 15. memor cœlestis panis, quo licet vesci etiã mercenarijs, ait: *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam: Pater, peccaui in cœlum, & coram te.* O quã sapit, qui nullas alias, nisi Patris manus memorat, ex quibus sperat se posse accipere diuini epuli saturiratem! Pulchrè Tertul. lib. de Pudicitia, cap. 9. *Recordatur Patris Dei, satisfacto reddit, vestem pristinam recipit, annulum quoque accipit, atque ita exinde opimitate Dominici corporis vescitur.* Expende illud, recordatur Patris Dei, nullus illi alius venit in mentem, nisi cœlestis Pater, de cuius solius manibus potuit hoc viuifico epulo saginari. Ad omnes famescentes locutus Clemen. Alexand. in adhortat. inducit diuinum Verbum sic alloquens: *Solummodò, ô Fili, Patrem sitias, Deus tibi gratis ostendetur, dat tibi, & volatilia, & natalitia, & terrestria. Hæc tuis alimẽtis fabricatus est Pater.* Nullũ alimentũ, nullum expetendum, nisi à Patre cœlesti, ipse solus hominum alimoniam curat, ipse suis manibus traditum habet panem viuum, & vinum germinans virgines. Quo circa solum modo Patrem sitiant, solũmodo Patrem esuriant, qui dẽ opimitate Dominici corporis saturari cupiunt. Eliæ quum ministrabat coruus epulum quotidie comedebat, & quotidie semescebat, nec extra speluncam ambulabat; verùm quũ eidem panem attulit Angelus, adeò reficitur, vt quadraginta diebus ambulauerit in fortitudine cibi illius. Vnde meritò verbum diuinum, qui non temporalem refectionem; sed æternam hominibus meditatur, cauit, ne animal, ne Angelus; sed ipse Deus acciperet hunc panem communicandum, vt ex diuinis manibus gustarent vniuersi tanti epuli fortitudinem, & opimitatem. Id quod videtur attigisse D. Paschas. libr. de corp. Christi, cap. 15. vbi premit illum Num. Aaroni à Deo dictum: *Inuocabitis nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eos.* Ad hæc Paschas. *Sacerdos ergo inuocat; sed Deus ipse benedicit, & frangit: quia nisi Deus frangeret hunc panem, paruuli omnes ieiuni remanerent.* Ecce tibi quàm in hominum cõmoditatem panis viuus se tradat in diuini Patris manus, vt inde sumant vniuersi paruuli maiorem tanti cibi saturitatem. Ecce quem vtiliter accessurus ad altare solius cœlestis Patris mentionem facis, solum Deum Patrem sitis, & esuris, de cuius manibus Dominici corporis opimitate saturaberis.

Rem finit D. Dionysius Alexandrinus, epistola ad Samosatenum, vbi adducens illud D. Pauli: *Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens*, ità fatur Dionysius. *Se ipsum examinauit, non relinquens Patrem, vt à nobis capiatur,*

Bernar.

Ezech.

Cell.

Luc. 15.

Tertul.

Cle. Alex.

Num. 6.

Paschas.

Dionys.

*capiatur, absit, imò ego, inquit, & Pater, ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Exinanitionem dicit factam ad nos, ad capiendum sacramentum vitæ per puras, & incorruptibiles, & diuinas ipsius manus, vt possimus fideles capere ipsum, ac fieri mansio Dei, accipientes eum totum.* Itaque Christus Dominus non diuisus à Patre, sed cum Patre exinanitus in Eucharistia venit ad nos, vt nos illum capiamus per puras, & diuinas Patris manus; & sic Patris, & filij mansio fiamus.

## §. XVII.

### A Christi Domini latere in cruce aqua in Eucharistiam manauit, vt homines alites faceret.

SOlemnissimum omnibus est Eucharistiam à Christi Domini manasse percussio latere, sed mirandum, quòd inde manet aqua. Vbi Eucharistia in aqua? Vbi tantus potus adeò nectareus dicitur aqua? Sanè

*Isai.49.* Isaias 49. de fidelibus dicebat, *non esurient, neque sitient*: quod referens D. Cyril.

*Cyril.* Alexand. ad cibum, & potum Eucharisticum satur. *Postquam consecuti sumus misericordiam, habuimus cibum vtilem animæ. Comedimus enim panem de cœlo, & bibimus aquam viuam, de qua dominus dixit Samaritanæ: Qui biberit ex hac aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Cur Eucharistia aqua? an quia ex illa incubante spiritu euolant homines in cœlum alites regenerati? Planè aqua in principio repleuit pennatis alitibus cœlum, ita modò hic viuificus potus, nimirum Eucharistica aqua cœlum replet volucribus pennatis. Dicebat Dominus apud Matth. 24. *Vbi fuerit corpus, ibi*

*Mat.24.* *congregabuntur, & aquilæ*, vt sic pennatos fideles ad cœlum vsque euolaturos effingeret. Sed vide quo è nido volaturæ hæ alites, nimirum vbi fuerit corpus Domini, ibi nidus, ibi perpetes exurgunt alites. Sic

*Ambr.* D. Ambros. libr. 4. de Sacramentis, cap. 2. *Bonæ aquilæ circa altare, vbi enim corpus, ibi & aquilæ. Forma corporis altare est; & corpus Christi in altari; aquilæ vos estis.* Ecce altare ecce corporis Christi nidus, vbi qui quòdã reptilium induimus naturã, iam volucres facti cœlum replemus volatu. Ex quod in altari corpus Christi Domini apparuit, ex quo altare manauit viuificante Eucharistiæ aqua, plumescunt fideles, & euolant facti alites. Vt meritò dicat Diuus Athanasius Sinaita in Exam. lib. 7. *Hæ sunt* *Sinait.* *volucres, quæ rapiuntur in nubibus obuiam Christo, de quibus etiam dicebat, vbi est corpus, congregabuntur, & aquilæ, quæ supplantatorem nostrum Serpentem suffocarunt.* Sanè alitem carnem, qua in regeneratione Christo per aëra ibimus obuiam, hic diuinus cibus, & potus in nobis parturit, huic effectus est, quòd volucres ex sepulchro renascamur, quòd reptantis serpentis contrito capite aquilinos perpetes imitemur volatus. Huc respiciebat Diuus Paulinus, epist. *Paulin.* 9. quando dixit. *Cùm hoc pane saginamur, serpens tabescit, cuius fames, & pœna est cibus vitæ nostræ Christus Iesus, qui factus est nobis in escam.* Intuere modò homines qualiter quum manducant hunc panem, quicquid in se serpentinum est tabescere faciant, & adnatis alis aëra perpeti tranent volatu, vt Christo obuiam procedant. Vah quàm male suadus tabescit serpens, cùm à Christi corpore videat tot aquilarũ alas euolare! Hinc iam colligere licet quantus sit eorum pudor, qui vbi alij fiunt aquilæ ipsi nedum plumescant. Equidem D. Chrysosto. homil. de sacra, & diuina mensa con- *Chrysost.* siderans beatissimos illos Seraphinorum choros ante Dominum obuelare faciem, sic fatur. *O miraculum mensa tam magnificè instructa, in qua Agnus Dei pro te mactatur, ad quam assistunt Cherubini, descendunt Seraphini, qui senis præditi alis vultus dimittunt.* Pro hominum nefas! Seraphinos senis præditos alis adhuc pudet huic mensæ stare, & nos implumes omnino, elata cerui- ce, ambabus buccis manducabimus? O quàm id pungebat D. Athanas. orat. in *Athan.* Paraseueum, vbi inquit: *Occisa est hæc hostia propter te, & tu deseris illam ipsam immolatam aspiciens. Vbi cadauer, inquit, ibi, & aquilæ; sed vt canes accedimus, tanta nostra est impudentia.* Quid dolẽdum magis? Vbi volandum erat, ibi reptare? Vbi dulcissimæ vocis modulamina, ibi latratus? Vbi aquilæ esse debebamus, ibi canes? Sed qualiter canes? Id explicat D. Anast. Sinait, de sancta Synaxi, dum ait: *Alij non dignan-* *Sinait.* *tur vsque ad finem adesse; sed per alios interrogant quidnam in Synaxi agatur, & quum tempus cõmunionis adsit: & tunc præpropere canum instar insiliunt, & pane mystico rapto exeunt.* Hæc Sinaita, & rectè multorum accedentium ad altare mores eli neauit.

(?)

§. XVIII.

## §. XVIII.

### *Vt in cruce, sic in Eucharistia à suorum pectoribus expellit ferulem timorem.*

DEFVNCTO in cruce Domino, Ioseph ab Arimatthia, qui antea murmur populi metuebat, ne Christi Domini
Marc. 15. se Discipulum profiteretur; modò, vt ait Marcus cap. 15. *audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu.* O quàm impauidi redduntur, qui diuino madent sanguine! Non finit sanguis diuinus, vbicumque accipitur, inesse timorem, semper sui similis est, siue in cruce, siue in calice suos audere facit. Hoc habet singulare volucrum sanguis, quòd si à rapacibus alitibus bibatur, eas facit, omni metu posito, in prædam audere. Ex quo eleganter notat Imperfectus, Psalm. 109. quàm validi, quàm intrepidi fiant quicumque de Christi Domini
Isai. 49. sanguine saginantur. Etenim Isaias 49. aiebat. *Vocans ab Oriente auem virum voluntatis meæ.* Circa quod Imperfectus fatur. *Auis ista revera in Eucharistia sumitur, & ideò sanguis eius magnam audaciam strennè suam prædam capiendi confert.* Quid non audeat ille, qui sanguine hoc pretioso viuit? Sane vbi tanto sanguine alūtur Christiani, eam ebibunt audaciam, qua vniuersas potestates contrarias rideāt, & omni timore liberi in ardua virtutum cacumina prosiliant. Pulchrè
August. D. Augustin. serm. 122. hoc sanguine armatus venenatas dæmonum sagittas, sic exsufflat: *Ille sanguis, quem effudisti, ò dæmon, te vicit; me redemit. Denique illum bibo, & veneni tui perniciem vltra non timeo.* Nil uos timere finit diuinus sanguis, vt perfectæ charitatis est signum, sic foras expellit vniuersos timores, non crudi, indigestiq; pomi venenum timendum est: vbi accipitur potus iste suauis, non venenatæ dæmonum sagittæ, non hostiles incursus. Quid plura? nec peccatorum supplicia permittit, vt timeamus. Ita D. Cyril. ad cap. 165.
Cyril. Isaiæ ait. *Qui quidem potus cœlestis lætitiæ participes nos efficere potest: purgat enim peccata, & extrahit quod mœrore afficit, nec patitur, vt metus supplicij animas nostras perterreat.* Euge, euge vos qui tali pabulo refici mini, ò quàm omni metu liberamini! ò quam impauidi vitam agitis! ò quam audacter potestis petere corpus Iesu! ò quanta audacia à valle hac lachrymarum in æternà gaudia potestis anhelare! Ille dicebat Psalm. 68. *Pauper, & dolens ego sum: salus tua Deus suscepit me: laudabo nomen Dei cū* Psal n. 68. *cantico; & magnificabo eum in laude.* Quid pauper, & dolens cum cantico? Modò in paupertate, & dolore, & statim in cantilenam audet? Vnde hoc illi aduenit? D. Au-Augusti. gust. *Iam dictum est, quòd pauper iste laudat nomen Dei cum cantico, magnificat eum in laude. Quando auderet cantare, nisi recreatus esset à fame?* Vbi cœlesti recreatus fuit adipe, vbi mensæ diuinæ adfuit, iam nihil timet, nihil dolet, non paupertatem, non miseriam luget, sed excusso cum fame timore, & lachrymis in cœlestia gaudia audet euolare; imò ad se cœlestes cantus trahere audet.

## §. XIX.

### *Cibus Eucharisticus in cruce commendatur, vt sit verus cibus scientiæ boni, & mali.*

ECCE tibi noxia illa in paradiso arbor; in Caluario, & vtilis, & necessaria nobis apparet. Arborem scientiæ boni, & mali ascendit in hortis voluptatis serpens, & inde esum persuasit cum promisso falla ci de apertione oculorum; sed iam prudentissimus huminum Dei filius factus peccatum, factus serpens arborem crucis scandit in Caluario, & inde verissimè nobis cibū commendat, quo veram scientiam, & illuminationem oculorum acquiramus. Accinit Diuus Augustinus, concione 1. in Ps. 33. fatus. *Verbum illud quo pascuntur Angeli,* Augusti. *sempiternum manducabit homo: saginantur illo Angeli; sed semetipsum exinanuit, vt manducaret panem Angelorum homo. Humiliauit se factus obediens vsque ad mortem; mortem autem crucis, vt iam de cruce commendaretur nobis caro, & sanguis Domini.* Expende illud, vt iam de cruce commendaretur nobis caro, & sanguis Domini. Et quidem scientia boni, & mali suspecta deberet esse sensato homini; quid necessum erat scire malum, maximè illi, qui creatus erat in delicijs paradisi Dei sui, cui omnia bona patebant? & solum malum tanquam primæuæ fœlicitati contrarium erat vetitum. Sanè nunquam in paradiso cibus scientiæ

ſcientiæ boni, & mali commendaretur, ni ſi à ſerpente ſeductore; verùm in Caluario, in loco morte punitorum, in cruce iam à prudentiſsimo verbo Dei commendabilis eſt cibus, qui verè per experientiam mali præſtabit nobis fruitionem ſummi, & inamiſsibilis boni. Vbi arbor crucis in Caluario apparuit, oſtenſum eſt quantum mala, & ærumnæ poſſent prodeſſe homini. Vnde Dominus ad ſuos ait, Matth. 10. *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes*: quod explicans Diuus Remigius, ait: *Serpens decepit primum hominem, callidus fuit hoſtis ad decipiendum; vos ſitis prudentes ad laudandum. Laudauit ille lignum; vos laudate crucis virtutem.* Iam nō obeſt homini notitia mali; imò multùm prodeſt malorum, & ærumnarum tolerantia. Itaque crucis arbor, in qua vera mali, & boni ſcientia ſuggitur, iam adeſt commendabilis. Et verbum ipſum Patris, ſicut ſerpens iſti inſertus arbori eſum ſui corporis nobis enixe commendat, & perſuadet, quo per ærumnarum, & malorum tolerantiam ſciamus ſummum cœleſtis gloriæ bonum explicari. Hinc D. Anaſtaſ. Sinaita in Exam. lib. 3. ait. *Eccleſia germinat lignum crucis; ſed nobis ſolis fertile: faciens autem fructum, & aſpectu pulchrum, & bonum ad veſcendum, nempe Chriſtum crucifixum, quem colligimus ex parte iuſti latronis.* Noſti ex ſignis fructum arboris, quippe is erat fructus ſcientiæ boni, & mali: de quo Gen. 3. *Vidit mulier, quòd bonum eſſet lignum adueſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile.* Itaque vna Eccleſia verè parturit hanc arborem ſcientiæ boni, & mali, arborem, inquam, crucis, quę facit fructum bonum ad veſcendum, & aſpectu pulchrum. Sed expende, qua ex parte poſsis hunc fructum decerpere, nimirum, *quem colligimus ex parte boni latronis.* Non ex loco voluptatum; non ex deliciarum hortis: ibi & vetitus, & detrimentoſus fuit homini cibus ſcientiæ boni, & mali; ſed ex cruce, & malorum, & ærumnarum tolerantia, ex crucifixi ſimilitudine licet hunc cibum corporis Chriſti decerperet, vt in paradiſi bona per illum reſtituamur. Sic monet Gregor. Romanus, libr. 4. Dialogorum, cap. 39. *Neceſſe eſt, vt cùm hæc agimus, noſmetipſos Deo in cordis contritione mactemus; quia vi paſſionis Dominicæ myſteria celebramus, debemus imitari quod agimus.* Sic ex parte boni latronis, nimirū mactati, in crucem acti tutò decerpimus fructum, quo per malorum tolerantiam in æterna bona euolabimus.

Matt. 10.

Remig.

Sinai.

Gen. 3.

Greg.

## §. XX.

### *Cibus Euchariſtiæ, vt in arbore ſcientiæ boni, & mali, nempe cruce decerpitur, ſic hominum oculos illuminat, & aperit.*

OVERE panem vitæ, & intellectus! verè fructum ſcientiæ boni, & mali! Dulciſsimum ſanè fauum, quo hominum oculi illuminantur. Vis videre, quàm verè ſit hic cibus fructus ſcientiæ, quàm verè oculos aperiat, accipe à Diuo Luca, cap. 24. hiſtoriam Diſcipulorum, qui ad Emmaus pergebat enarratam. *Factum eſt, dum ipſe recumberet cum eis, accepit panem: benedixit, ac fregit, & porrigebat illis: Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum.* Ad hæc D. Anaſtaſ. Sinaita in Exam. libr. 10. *Ecce habes eſcam, habes etiam per eſcam viſus recuperationem, & Dei agnitionem: quam per eſcam ignorauerunt Protoplaſti.* Is ſolum cibus, qui Domini manibus diuiſus, & nobis traditus verè oculos aperit; ipſe ſolus mentem illuminat; ipſe verè ſcientiam boni, & mali communicat mortalibus. Hinc B. Ephrem, ſerm. de iudicio premens miraculum illud, quo cæcus à natiuitate in Siloa miſſus illuminatus fuit, ſic in rem propoſitam exultat. *Si procul à nobis eſt Siloa, ad quam miſſus eſt cæcus; ſed prætioſus calix ſanguinis tui plenus vita, & lumine in proximo eſt, tantò propinquior, quanto qui acceſſerit purior fuerit.* Ecce tibi calix, qui, & enutrit, & aperit oculos, & illuminat mentem, qui ſimul vitam præbet, & illuminationem, qua per tolerantiam ærumnarum, per ipſum lutum mortalitatis, & fragilitatis noſtræ obtinemus cœleſtium bonorum cognitionem. Fallor, niſi hoc præſenſit Dauid Pſalm. 35. vbi ait. *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Equidem ſiquidem fons vitæ erat illi Deus, meliùs dixiſſet, & in poculo tuo nutriemur in vitam? Quid eſt quod dicit fonti, & in lumine tuo videbimus lumen? Vnus id Auguſtin. dulci, & eleganti ſermone pertractat. *Hic*, ait, *eſt aliud fons, aliud lumẽ. ibi non ita, quod enim eſt fons, hoc eſt, & lumen. Si diceres, quòd lumen eſt ſolùm, diceretur tibi, ſine cauſa ergo mihi dictum eſt, vt eſuriam, & ſitiam. Quis enim eſt qui manducet lumen?*

Luc. 24.

Sinait.

Ephr.

Pſal. 35.

Auguſt.

*lumen? Si lumen est, oculis meis paret, paret, & faucibus, quia illud quod lumen est, & fons est: fons, quia satiat sitientes: lux, quia illuminat cæcos. Hic aliquando alibi fons, aliquando enim currunt fontes in tenebris, & aliquando in eremo patris Solem, & non inuenies fontem. Hic ergo possunt ista duo esse separata, ibi non fatigaberis, quia fons est, non tenebraberis, quia fons est, non tenebraberis, quia lumen est.* Quid dulcius? Sanè vnus Christus in arbore crucis cibũ hunc inuenit, qui cibus scientiæ sit, qui cibet, & illuminet, qui os impleat, & oculos aperiat. O Dei sapiẽtiam! O cibum scientificum! O panem Angelorum! Etenim innatum est Angelis vti inuisibili cibo, nempe quibus cibus est visio Dei, diuinarum virtutum cognitio. Sed iam panem Angelorum manducauit homo, quando illi exhibitus est cibus, qui & oculos aperit, & illuminat. Ita D. Hilarius hom. 5. de Pascha. *Ecquis panis Angelorum, nisi Christus, qui eos cibo suæ charitatis, & lumine suæ claritatis exsaciat?* Hæc ille.

## §. XXI.

### *Corpus Christi, vt in sepulchro, sic in corporibus nostris curandum est virtutum odoramentis, maximè mortificationis, & pœnitentiæ.*

A Cruce descendit frumenti granum in terram sepulchri, à quo integrũ Christi corpus inter odoramentorum fragrantias suscipitur. Etenim gaudet Dominus, vbique in odoribus deponi: qui mos illi innatus est ab vtero Virginis, de quo ait Cat. 7. *Venter tuus acerbus tritici vallatus lilijs,* quasi ex tunc innueret, qua pensione se Dominus manducandum præbeat sub speciebus tritici, nempe quòd mille condatur, & condiatur odoramentis virtutum. Memorat Isaac Genes. 27. se muniuisse Iacobum, *frmento, & vino,* quod idem fuit, ac si diceret iuxta Diuum Paschasium, libro de corpore Christi, cap. 21. *Firmaui cum pane corporis Christi, & sanguinis vino.* Sed libet notare quando Iacob accepit à fratre tam ingentem benedictionem panis, & vini Christiferi. Etenim dicitur: *Statimque, vt sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illis ait, ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini.* O quàm benè frumentum, & vinum Christiferum nõ conceditur, nisi odoramentis pleno filio! Vbi Iacob vestimentorum odores exhalat; vbi odoribus patrem recreat: dignus fit qui frumenti, & vini benedictionem recipiat. Frumenti, inquam, illius, qui nescit esse nisi vallatus odoriferis virtutibus. Quo circa Drogo, lib. de Sacramento Passionis hortatur participantes cœlestem cibum. *Esto apis virginea, collige de flosculis Man.* Hinc Euthym. notans, corpus Christi odoribus in sepulchro condiri, ait: *Et nos Domini corpus in altari accipientes, odoramentis illud vngamus, suauibus videlicet virtutũ operibus.* Et quidem omnium vittutum odores multum conducunt, vt Christi corpus in pectore debito honore condiamus; verùm myrrheus odor, nimirum mortificationis, & macerationis virtus ea est, quæ locum Christo excipiendo maximè aptat. Etenim quantum de maceratione habueris, tantum de Christi corporis virtute hauries. Nouit hoc experientia ipsa cœlestis sponsa, quæ dum in lectulo quieta sponsum expectabat, existimans se ostium habere apertum, quo sponsus introiret; didicit non fuisse apertam, nisi paruam fenestram, quæ vix caperet sponsi manum. Ait enim: *Dilectus meus misit manum per foramen.* Cur per foramen? Psellus apud Theodoretum dicit: *Etsi totum ostium meum aperuit, vt Christum verbum, & sponsum meum susciperem; tamen vix manus eius, eaque sola immissa est: itaque magnitudinem ipsius magnopere sum admirata.* Quid plura? vt sese ad totum sponsum excipiendum accingeret, vt id ostium aperiret, quod integrum sponsum caperet, ait: *Surrexi, vt aperirem dilecto meo, manus meæ distillauerunt myrrhã.* Quasi diceret, iuxta Psellum: *Ego, vt sponsam exciperem, aperui: at ille penetrabilibus meis capi non poterat. Surrexi ad laboriosum, & magis diuinum ordinem, vt quæ antea non potueram capere laboribus multis, & carnis mortificatione latiorem portam patefaciens sponsum comprehenderem. Vnde manus meæ cum digitis continentes myrrham distillarũt.* Equidem vbi myrrheus odor est, vbi mortificatio, & carnis maceratio, ibi conditur, & requiescit Christus: & quò maceratio creuerit, eo latior aptatur locus, qui plus de Christi virtute capiat. Quo circa sic monet D. Paschas. sæpè dictus, cap. 17. *Ideò, Fili, hoc mysterium dum communicas, dilata sinum mentis tuæ, emunda conscientiam, & percipe*

Cant. 7.

Gen. 27.

Paschas.

Drog.

Euthym.

Cant.

Psel.

Paschas.

*non quantum mica exhibet; sed quantum fides capit; quia in Christo plenitudo diuinitatis manet, in te autem de plenitudine non quanta est; sed quantum idoneus fueris, præstatur.* Hæc ille.

## §. XXII.

*Non solùm mortis, sed & resurrectionis Dominicæ memoria fit in Eucharistia, dum per illam quicquid animale est deponimus & spirituales euadimus.*

VIS Christiferæ resurrectionis imaginem in Eucharistia effigiatam? Accipe Diuum Paulum, 1. ad Corinth. 15. de resurrectione loquentem. *Seminatur in corruptione; surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate; surget in gloria; seminatur in infirmitate; surget in virtute; seminatur corpus animale; surget spirituale.* Quid plura? Omnia hæc nobis præstat Eucharistia, qua fimus incorrupti, glorioſi, validi, spirituales depoſita prorsus corruptione, ignominia, infirmitate, corpore animali. Primò enim incorruptionem prætendimus, quùm igneis pasti Eucharistiæ flammis, medijs his flammis nitidi conseruamur. Id quod vsque modo miratur D. Ephrem, lib. de nara Dei non scrutanda, cap. 5. sic fatus. *Hoc sanè excedit omnem admirationem, quòd fecit nobis vnigenitus filius Christus Saluator noster, ignem, & spiritum manducandum, & bibendum præstitit nobis carne vestitis, corpus scilicet, & sanguinem suum.* Rectè ignem vocat cibum Eucharisticum, ignis enim est Deus, qui à principio didicit præstare, quòd vigeat rubus incurruptus medijs flãmis, viget rubus in igne, & corpora nostra ipso ab igne satura, incorruptionem præseferunt, & immortalitatem. Vt dicat Diuus Irenæus, libr. 3. cap. 33. *Corpora nostra percipientia Eucharistiam iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.*

*I. Cor. 15.*

*Ephr.*

*Iren.*

Deinde ex hac mensa, ignobilitate depoſita, surgimus in gloriam, hoc est, gloria & honore fulgemus candidati. Vnde Diuus Ignatius Martyr, epistola ad Epheſios, sic fideles vrget. *Festinate ergo frequenter accedere ad Eucharistiam, & gloriam Dei.* O vos, qui tenebroſi, & abiecti originis maculis tædamini, ecce gloriam, ecce decorẽ, & nobilitatem in Eucharistia, qua inter glorioſiſsimos quoſque poteritis versari. Panis ille cœlestis manna Numer. 11. dicitur fuisse *coloris bdelij*, siue vt alj codices habẽt, *similis Margaritæ*. Et quidem de Margarita sic fatur D. Ephrem, serm. de illa *Margarita pretiosa è mari est, magnæ æstimationis; nõ tamen cibum præbet; sed gloriã, neque potus oblectamentũ; sed claritatẽ nominis.* Nec Regnũ Dei est esca, & potus, nec cœlestis panis inuentus, vt corpora præcipuè saginet; sed vt illa vestiat gloria, non vt corruptibilem nutritionem exhibeat; sed vt nominis clari tatẽ, nobileq; præbeat stemma. Huc respexit Zacharias, c. 9. Quid bonũ eius, & quid pulchrũ eius; niſi frumentum electorũ, & vinum germinans Virgines? Quod D. Paſchaſ. c. 21. sic expendit, *non niſi electorũ est cibus, ex quo bonũ salutis Ecclesiæ, & pulchritudo decoris præstatur. Bonum quippe, vt ad vitam æternã proficiamus. Pulchrum verò dũ immortalitis gloria vestimur, & vt interius fruamur vitæ dulcedine, & exterius fulgeamus nitidius de tanti beneficij gratia.* Ecce tibi, quam per Eucharistiã depoſita ignobilitate surgamus in decoris, & nobilitatis gloriam. Merito de Eucharistici poculo loquutus ait D. Chryſoſt. homil. 61. ad Pop. *Hic terrarũ orbis est pretium, hoc Christũ emit Ecclesiã, hoc eã adornauit; sicut enim homo seruos emens aurum erogat, & rursus eos ornare volens, id auro facit. sic & Christus, & sanguine nos emit, & ornauit sanguine.*

*Num. 11.*

*Ephr.*

*Paſc.*

Rursus poſita infirmitate surgimus in virtute. Nullibi enim magis homines confirmantur, quam in hac mensa, à qua poteſtates debellant inimicas. Isaias 21. *Pone mensam, contemplare in speculo comedentes, & bibentes. surgite Principes, arripite clypeũ.* Sanè à mẽsa adeo in virtute surgũt, adeò validi, & fortes, vt meritò iubeantur arma capeſſere, vt hoſtibus incurſibus reſiſtant. Ita D. Hieronym. ad hunc locum, *vt comedentes, & bibentes corpus, & sanguinem Christi vertantur in Principes Ecclesiæ, arripiantque clypeum fidei, in quo possint ignita diaboli iacula extinguere.* Expende illud, vt comedentes, & bibentes corpus, & sanguinem Chriſti, quid mirum, quod comedẽtes cõfirmentur? Altius quid excogitauit diuina Sapientia de præstãtiſsimo hoc cibo, dum putat illum non solum quum manducatur; sed etiam quum solum oſtenditur, & appetitur, poſſe proficere ad excitandas vires. Enim verò Prou. c. 9. dicitur. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit colũnas septem, posuit mensam, miſcuit vinum, & miſit*

*Isai. 22.*

*Hieron.*

*Ignat.*

*Prou. 9*

*& misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia, ciuitatis.* Ecce tibi quum primum mensam proponit, classicum canit, & ad superanda mœnia, arcemque expugnandam inducit. Memini aliquando Dauidem sitibundo exercitui potum denegasse, donec belli esset finis. Cur ita? *Ioseph.* Pulchrè Iosephus de Machabæis, dicit: *vt & maior bellantium esset instantia, si non pro victoria tantum, sed & pro poculis pugnaretur.* Quasi poculorum appetitus validiores reddere posset milites. Eo astu Sapientia ponit mensam, & miscet vinum; sed ad bellum ante esum vocat, vt superentur muri. Gnara quantum valeat diuini cibi appetitus solus ad acuendas pugnantium vires; vbi, & pro victoria, & pro poculo hoc diuino bellum suscipitur. Huc refert Diuus Paulinus, epistol. 4. ingentem Magdalenæ virtutem, qua mulier ante infirma, ruptis consuetudinis vinculis victa, & victrix sese proiecit ad pedes vnde Christi. fœminæ infirmæ audacia tanta? Vnde adeò ingentes vires? Vnde animi illa inaudita fortitudo? Audite Pau- *Paulin.* linum: *Ipsum viuificum panem manibus, & ore præsumpsit; sanguinem quoque calicis, antequam fieret calix sanguinis, osculis suggentibus prælibauit.* Ibi, ibi in domo Pharisæi, vbi d pedes iacet Christi odorata est illum cœlestem cibum, potumque sanguinis viuificum, antequam fieret, & eo solum valuit, infirmitate posita, potestates superare inimicas, surgens ab hac mensa in virtute.

Tandem seminatur corpus animale; surgit spirituale. Et quidem hoc in primis experiuntur quicumque hunc cœlestem panem manducant, pro quo quicquid animale est meritò derelinquunt. Cum Ægyptijs defecissent pecuniæ, vt emerent à Ioseph panem, quo viuerent, ait illis sapiens Prorex Genes. 47. *adducite pecora* *Gen. 47.* *vestra, & dabo vobis pro eis cibos.* Quod iam Christiani accipiamus dictum. Enimuero qui accipit cœlestem cibum, qui illo ex satiatur, necessum est, vt pecora, *Cellen.* nimirum animale corpus relinquat. Ita eleganter Cellensis Abbas de panibus, cap. 13. *Quid dabo, vt ad te veniam; & me resciam? Argentum, & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi pro te do. Qui!? palatum apertum fauces esurientes, oculos præ inopia languentes, manus patentes, pedes veloces. Tantum pasce, & sint tua ista pecora mea.* Sanè post diuini epuli pascuam nil in nobis remanere debet animale, omnia pecora, omnia in nobis brutescentia alienantur. Pro tanto cibo iure pecora nostra damus, pecuinum, & animale corpus exuimus, vt spiritualis in nobis effulgeat vita. Id quod eleganti similitudine asserebat. D. Clemen. Alexad. 1. *Clem. Alex.* Pedag. fatus. *Sciendum est, quòd panis in vinum temperatum minutatim coniectus vinum arripit, quòd est autem aqueum relinquit. Ita etiam caro Domini, quæ est panis cœlorum ebibit sanguinem eos qui ex hominibus sunt cœlestes, ad incorruptionem enutriens; solas autem illas carnales cupiditates ad corruptionem relinquens.* Siccine panis iste diuinus separat, & absumit in nobis carnale, & pecuinum corpus, & id excitat, quod cœlo, & spirituale inuenitur. O si tantis reficeremur epulis! O quàm cito bruteſcentem naturam in nobis exturbaret! De illo sic D. Ambros. serm. 14. in *Amb.* Psalm. 118. versic. 1. accinit. *Bona pascua diuina sacramenta. Carpis illic nouum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis: carpis lilium, in quo sit splendor æternitatis: carpis rosam, hoc est corporis sanguinem.* Et quid innuit Ambros. cum totũhunc cibũ floridum facit? cum in Eucharistico sanguine dicit rosam manducari? Sanè id sciet qui Apulæi Philosophiam nouerit. Ibi enim adolescens medicatis vnguentis in asinum transmutatus, non prius pecuinam exuit formam, quam rosas manducauit. Hinc iam vos omnes compello qui bruteſcentes mores sequimini, qui pecuinis conditionibus fœdamini, quibus vna tantum restat via salutis, si rosas edatis. Ecce in altari carpitis flores, ecce rosam carpitis, hoc est Dominici corporis sanguinem, qua pecuina forma exuta spirituali decore niteatis. Quum sepulchrum nobis dedit rediuiuum Saluatorem nimio terrore custodes affecit, & eliminauit; illisque egressis, mille apparent inibi Angelorum examina. Sed à sepulchro pelluntur feri homines? Cur ibi cernuntur soli Angeli? Chryſoſt. *Chryſoſt.* in Psalm. 2. *vt ostenderent Angeli Deum ibi fuisse sepultum, ad sepulchrum tanquam apud cœlum manebant.* Et quidem ex hoc euidenter patet, in hominum pectoribus corpus Domini condi, quod, exsufflato inde animali, solum cœleste, Angelicum, & spirituale inde apparet. His manifestè constat quàm clarè in Eucharistia mortis, & resurrectionis Christi Domini inueniatur repræsentatio. Vnde pergo ad alia.

*Ad illud Ioann. 6.* Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.

## §. XXIII.

### *Cur Euchariſtia fiat ſub ſpecie hoſtiæ mactatæ?*

IN eſcam hominibus parandus Chriſtus Dominus ſeſe priùs myſticè iugulauit, potũ nobis inſtituens ſub ſpecie ſanguinis à carne ſeparati, & effuſi. Quod eleganter notauit Niſſænus, hom. 1. de Reſurrect. his verbis. *Cuilibet perſpicuum eſt, quod oue veſci homo non poteſt, niſi comeſtionem mactatio præceſſerit. Quum igitur dedit Diſcipulis ſuis corpus ad comedendum aperte demonſtrauit iam fuiſſe pefectam, & abſolutam immolationem.* Immolationem vocat ſacrificalem iugulationem, & ſanguinis effuſionem myſticè à diuino, & agno, & Sacerdote Chriſto peractam. Sed quæ ratio Deum impulit, vt manantem nectare cibum ſanguinis effuſi myſterio fecerit purpuraſcere? Hanc attingit Cyprian. ſerm. de Paſ. hæc de ſanguine à latere ſcatente fatus. *Tu, Domine, ſacerdos in æternum, qui in tempore iracundiæ factus es reconciliatio ſancti huius ſanguinis permanentem plenitudinem reliquiſti, & beneficium huius ſancti liquoris in perpetuũ tradidiſti, & conſtituiſti nobis inconſumptibiliter potum viuificum, crucis ſignum, & mortificationis exemplum.* Itaquè ideo ſub ſanguinis effuſi ſpecie nobis Chriſtus Dominus eſcam parauit, vt ſanguineum calicem ſignũ mortificationis exẽplar propinaret.

*Niſſen.*

*Paſc.*

## §. XXIIII.

### *Sanguinei calicis exhibitione ſummam Deus mundiciem commendat his, qui calici cõmunicat.*

QVVM calicem ſanguine plenum ab immaculata diuini agni carne deciſum potaturus aſpicio, ſtatim ſeſe mihi obijciunt mille illæ lotiones, mille illa maria, quibus veteris legis ſacrificuli tingebantur, vt ſanctè, & pure hircorum vitulorumque ſanguines tractarẽt. Statim auribus tinnit illud propheticum, *lauamini, & mundi eſtote qui affertis vaſſa Domini.* Cur non lauer magis, qui ſanguineum hũc calicem pertracto? qui diuini, & immaculati agni accedo potaturus ſanguinem?

Adeò neceſſaria viſa eſt lotio his, qui communicãt Domini ſanguini, vt cum primum Chriſti ſanguis nobis bibendus manauit, ſimul ſecum aquæ fontem fecerit in lauacrum manare; ſic expercuſſo Dei latere, vnde hic calix *continuo exiuit ſanguis, & aqua*; non ſeſe priùs ſanguis diuinus propiuauit, quam ſimul porrigeret aquam ne potaremus, niſi lauati. Pulchrè Tertu. libr. de Bapt. c. 16. ideo cõtinuo exiuit ſanguis, & aqua, *quia*, ait, *qui ſanguinem crederent, aqua lauarentur, qui aqua ſe lauiſſent, etiã ſanguinem potarent.* Sanguinem es potaturus? Lauare priùs, lauare ſepties in Iordane, ne illotus potes, nunquã ſanguis diuinus extitit à cruce ſine aqua. Paſturus Chriſtus Dominus ingentem hominum turbam nõ præacquiſiuit materiam aliquam, quam cõuerteret in totidem panes; ſed nulla ſuppoſita materia panes multiplicauit. Longè aliter paucos conuiuas nuptiarum, vt vino rigaret, iuſsit prius afferri ingentem vim aquæ, eamque in vinũ cõmutauit. An quia vinũ facere nõ poſſet ſine aqua, qui panes fecit nulla requiſita alia materia? Abſit, inquit Chryſol. ſerm. 5. de Epiphan. *Qui panes quinq; fragmento proſluo, & furtiuo incremento ad quinq; millia hominũ tetẽdit & dilatauit ſaginã, potuit augmẽtis creſcẽtib⁹ ad nuptiarum feſta vini ampliare, & perpetuare menſuras. Sed aqua in ſanguinis erat conuertenda myſterium, vt mera pocula de vaſſe corporis ſui Chriſtus bibentibus propinaret.* Itaque vbi myſterium ſanguinei pocuculi pandebatur, intromittenda erat aqua, vt ex illa conſtaret quã lauati, quã mũdi prærequirimur qui ſanguineo Domini liquore initiamur. Adeos qui cœnam Paſchæ erant paraturi, in qua primo porrigẽdus hic noui teſtamẽti calix. dicitur Lucæ 22. *Ecce introeũtibus ciuitatẽ occurret vobis homo quidã amphoram aquæ portãs, ſequimini eũ.* De quo in re præſente Beda animaduertit elegãter, *parẽt paſcha, vbi amphora infertur aquæ.* Cofluũt ſanè Chriſti ſanguis, & aqua ne illot⁹ bibas; ſed ſancta mũdicie nitẽs, & puritate tũc ſolum immaculati agni ſanguine madeas. Zachar. 9. dicit: *Quid bonũ eius, & quid pulchrũ eius, niſi frumẽtũ electorũ?* Hinc pergit Paſchaſ. lib. de Corp. & Sang. Chriſti, c. 21. *Pulchrũ eius eſt corpus, ex quo iam ſpecioſa* (nempe anima)

*Tertul.*

*Chryſol.*

*Luc. 22.*

*Bed.*

*Zachar. 9.*

*Paſc.*

anima) *per lauacrum amplius pulchrescit, vt cãdore lilij, & rubore sanguinis iu hoc mysterio decoretur.* Porrò formosa sponsa, vt mundo muliebrem adhibeat, vt pulchritudines cõdiat, prius lauat faciem, & præmisso lauacro rubeum suffundit minium genis, splendorem vnguenti cuti addit, quo eius pulchritudo vehementer exacuitur. Sic meditatur Paschas. in corpore, & sanguine Christi omnem pulchritudinem immorari, ibi liliorum splendor candor adest, ibi miniũ rubescit; sed prius lauetur ille qui tantam hanc pulchritudinẽ cupit participare. Nec dicat, mundus sum, non indigeo lauacro. *Ioan. 13.* Etenim veritas ait Ioan. c. 13. *Qui mundus est non indiget; nisi vt pedes lauet.* Igitur etiã mundus, & mundissimus debet amplius lauari, nec sine lauacro attingere tantum sa- *Num. 19.* crificium. Numer. 19. de rufa boue incinerata Deus cauet. *Colliget autem vir mundus cineres vaccæ: & effũdet eos extra castra in loco purissimo: cumque lauerit qui vaccæ portauerit cineres, immundus erit vsque ad vesperam.* Cur immundus erit? Nonne mũdus accessit? nonne sese lauit? an sacrificio pollutus est? Minimè; imo qui hanc exagi- *Rodul.* tat quæstionem Rodulphus respõdet, quod *omnis qui sancta tractat non exinde polluitur, sed quia se mundum reputat, quum Deo approximat, inter immundos, & superbos reputator.* Etenim quantumuis mundi simus debemus lauacrum sacrificaturi desiderare.

## §. XXV.

### *Deificæ mortis meditatio escam Eucharisticam maximè adauget.*

PRAETER potum viuificum dedit nobis Dominus in Eucharistici sanguinis effusione iuxta Cyprianum *Crucis signum.* Nunquam enim Eucharistia fructuosius accipitur, quã quum in ea recolitur memoria passionis Deificæ. Quando Christus Dominus hãc Eucharistiæ mensam patefecit suis dicens: *Ego sum panis viuus,* stati- *Hier. 11.* tim rebelles quidã (vt meminit Carthusianus) protulerunt illa, c. 11. Hieremiæ, verba. *Mittamus lignum in panem eius; & eradamus eum de terra viuentiũ,* quasi dicerent sese mutuo in Christum hortãtes. Eia agite, panis est, immisso ligno exsuffletur ab area. Sic illi. Verum lignum immissum pani vehementer nobis panem auxit, & cœlestes condiuit dapes. Eleganter Orig. ad hæc Hierem. verba hom. 8. *Ego,* inquit, *admirabile quiddam inferam; lignum missum in panem eius panem fecit meliorem.* Tunc sapidior, tunc cumulatior hæc diuina esca, quã do accipitur ex ligneis crucis brachijs. *Orig.*

Hic crediderim spectasse illud Prouer. *Prou. 14.* 14. *Vbi plurimæ segetes, manifesta est fortitudo bobis,* seu *iuuenci,* iuxta Aquila, seu *tauri,* iuxta Symacum. Nihil enim magis facit patere fortitudinẽ primogeniti tauri, quã segetum multiplicatio. Ecce tibi à Prophe ta Abacuch iuuencus describitur diuinus vẽtilans nationes, dicit enim *cornua in ma- Abac. 3.* nibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.* Adest, adest tauri primogenitus mundum ventilaturus; duo fortissima cornua, nimirum crucis brachia præmanibus habet, mira illis facinora patrat; vectes mortis ferreos confregit, æneas inferni portas est labefactatus; sed tamen *ibi abscondita est fortitudo eius,* nondum quod potest claruit. Vbi ergo manifestabitur? *Vbi plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo tauri.* Hic in hac Eucharistiæ mensa patentissimè ostẽditur, & cruciferi aratri, & diuini tauri labor, & efficacia. Adeò sub crucis, & passionis memoria multiplicantur gratiæ Eucharistici panis, adeò illius segetes crescunt, adeo cãdicant Ecclesiæ areæ, feruentique calicis musto rumpuntur torcularia, vt vel hinc manifestetu patentissima crucis potestas, & fortitudo tauri.

Hoc mirum Eucharisticæ segetis augmentum à Cruce, & passione profectum eleganter venatur D. Chrysost. orat. in Pa- *Chrysost.* rasceue, his verbis. *Pasti sunt quinque millia. Vbi igitur sunt cibi reliquiæ? Duodecim super fuerunt fracmentorum cophini, quibus respondet par gratia, crucifixus est Dominus, & semper pascimur, ac saturi rursus quærimus, & plus reliquum est, inexhausta est gratia.* Quibus verbis id maximè expendendum est, quòd ante Crucem quinque millia hominũ saturarunt pane diuinæ manus, paucis reliquijs manẽtibus. Verũ vniuersalis ista omnium hominum saturatio, hic adipeus, & pinguissimus panis, quo & saturamur, & nec calicem, nec panem exhaurimus quotidie saturi, cruci, & passioni debetur Dominicæ à qua segetes adeò largæ dimanarunt. Hinc acutissimè Abbas Cellens. lib. de panibus, cap. 1. Hanc, qua possit totum *Cellens.* mundum satiare indigitat passionis officinã Christo Domino Philippũ interrogãti: *Vnde emem⁹ panẽ, vt mãducẽt?* Ecce ait Cel. *Ioan. 6.* *dicis Dominus ad Philippũ, vnde ememus panem,*

*nem, vt manducent hi? Domine Iesu, non quæras à Philippo, quære à proditore tuo, hic habet marsupium vnum cum Scribis, & Pharisæis, hic insidiatur sanguini tuo, hic habet denarios triginta, vnde panes emũtur ad satietatem omnis carnis.* Etenim non aliunde maius augmentum potest recipere panis Christiferus, quàm ex diræ passionis cruciatibus: hæc vna crucis, & mortis excogitatio eas diuini panis segetes dabit, quibus possint obtundi vniuersæ fames, quibus cuncti satiati mortales vanas mundi escas valeant aspernari.

Denique huic meditationi haud obscurè suffragatur D. Paulus ad Hebr. 10. Vbi de sacrificio Abelis, quod viuificum Eucharistiæ cibũ repræsentauit, hæc verba facit. *Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain abtulit Deo.* Expendo, fide plurimam. Vnde sacrificium vna fide multiplicatum cõmendat, alioquin omnino æquale sacrificio fratris. Hoc notauit Rupert. lib. 4. Genes. cap. 2. *fide*, inquit, *plurimam, nam cultu, vel religione parem vterque obtulit hostiã.* Vna fides sacrificium Abelis discernit, vna fides illud auxit multiplicauit; sed quæ fides? Pergit Ruper. *in fide passionis eiusdem filij Dei, quem tali sacrificio præsignari condecuit.* Ecce fides passionis plurimam fecit hostiam alioquin æqualem, communem hostiam Eucharistię, qui sine passionis memoria mandunt, paruam sanè hostiolam mandunt. At passionis memores qui crucis mysteria recolentes accedunt, plurimam hostiam faciunt, maximè sibi multiplicant gratiarũ in Eucharistia abũdantiã.

*Ad Hebr. 10.*

*Rupert.*

## §. XXVI.

### *Eucharistiam sumpturi crucis mortificationem debemus adamare.*

DECORTICATAS virgas ideo Iacob ouibus bibentibus obiecit, vt natæ similem in se varietatem effigiarent. Eodem prorsus astu Summus diuinusque Pastor Christus sub crucis mortisque suæ memoria porrigit nobis potum viuifici calicis, vt similem in membris nostris mortificationem mundo, & vitijs exhibeamus. Etenim, vt ait tertio loco Cyprianus. Sanguis, qui in calice propinatur, *mortificationis exemplar*, testatur. Vnde Orig. hom. de Batp. primo si huic communicaturos mensæ adhortatur. *Oportet accedentem ad corpus & sanguinem Domini non solum purum esse; ne ad iudicium edat, & bibat, sed ostendere in vita memoriã eius, qui pro nobis mortuus est, in eo quod mortificatus est peccato, & mundo, ac sibi ipsi, & Deo viuit.* Hanc iure exigit in vita nostra mortificationem qui à nobis bibitur effusus sanguis: hanc rebus omnib⁹ mundialibus mortem suggerit panis sub crucis memoriam manducandus. Huc apprimè spectant verba illa mulieris Sarepta næ Eliæ data, 3. Reg. 17. c. *Viuit Dominus Deus tuus, inquit, quia non habeo panem; nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria. En colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illud mihi, & filio meo, vt commedamus & moriamur.* O sanctitatis plena illatio! farina accepta duo ligna colligo, vt comedamus, & moriamur. Vnde locus? An farinã duobus lignis præparatam sequitur mors necessario? Eleganter id attigit Teophanes Cerameus, orat. de Cruce, dum ait: *Cæterũ farina carnis Dominicæ, qua nutrimur typum gessit. Duo ligna indicant illa duo ligna, ex quibus crux.* Quũ ergo farinulam hanc Dominicæ carnis sub crucis mysterio paratam mandimus, nil aliud nobis restat accommodatius, quàm manducemus, & moriamur. Hanc à nobis petit mortem, mors ipsa Saluatoris Eucharistico epulo representata. Prouer. 23. sic monet: *Accedens ad mensam potentis, considera quæ ibi apponuntur tibi, sciens quia, & talia te oportet parare.* De quo Chrysost. Psal. 22. ait. *Quid est talia te oportet præparare, nisi sanguinem, & corpus quod accipis?* Accipis effusum sanguinẽ Saluatoris, & tu para proprium effundendum sanguinem. Accipis corpus morti pro te datum, similiter te ad mortificationẽ subeundam para. Sanè D. Paulus, 1. ad Cor. 11. sic præcauet. *Quotiscumque mãducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annuntiatbitis.* Ecquis mortem annuntiat, ninisi moriens? nisi veterem exuens vitam, noua exurgat vita reparatus? Pulchrè Paschas. de Corp. & sangui. Christi, cap. 21. *Quem calicem quum bibimus quid aliud quam mortem Domini annuntiamus? idcirco necesse est, vt vnusquisque prior moriatur huic sæculo, quia sicut nemo, nisi sepultus mortem nuntiat; ita nemo ex inde vitam sumit; nisi resurgens in nouitate vitæ ambulet, & iam in Christo maneat.* Moriamur prorsus mundo, & voluptati qui tanto Dominicæ mortis sacramento pascimur, hac mystica enutriti morte, mortem in mẽbris nostris, exhibeamus omnino mortui carni,

*Cypria.*

*Orig.*

*3. Reg. 17.*

*Apud. Gretse de Cruce. to. 2*

*1. Cor. 11.*

*Pascas.*

*In Eccles. c. 13.* carni, & sanguini. Ob hanc causam, ait Gregor. Niss. *Esculentum se nobis proponit is qui semper est, vt accipientes illum in nobis, illud efficiamur, quod ipse est. Ait enim caro mea verè est cibus, & sanguis meus vere est potus. Quare qui hanc carnem amat non est suæ carnis amicus, & qui hunc sanguinem à sanguine sub sensum cadente purus est.* Vehementer inimicatur sanguis hic, & caro, carni, & sanguini. Dominico pastus sanguine, & carne omnibus immori debet carnalibus voluptatibus, omnes has respuat sanguine plenas delicias mundiales, totus fiat spiritus, totus exsanguis. Vni mortificatæ Saluatoris carni sese debet assimilare. Id quod egregie meditatur Paschas. cap. 10. examinans illud Apostolicum dictum Pascha nostrum immolatus est Christus. Quid quod immolatus sit Pascha? *Sane*, ait, *Pascha transitus appellatur, ad quod qui vult venire, ipse transeat sicut, & Christus transiuit de hoc sæculo, vt totus iam spiritualis spiritualia ista digne percipiat.*

*Pasc.*

Væ autem homini illi, qui veterem nondum exuens vitam, sed carnalibus acquiescens voluptatibus accesserit pransurus hunc panem, equidem à vita exusflabitur. Vnus id in Iuda proditore animaduertit Cyprianus serm. de Cœna Domini, his verbis. *Quandiu cibi illi, qui ad diem festum erant parati à conuescentibus Apostolis sumebantur, veteris Paschæ agebatur memoria, nec dum Iudas aduerterem vitam pertinens, diabolo inuadente, & occupante eius animum egredi cogebatur. Sed vbi sacrum cibum mens perfida tetigit, & sceleratum os panis sanctificatus intrauit, parricidialis animus vim tanti sacramenti non sustinens quasi pallea de area exsufflatus est, & præceps cucurrit ad proditionem, & pretium, ad desperationem, & laqueū.* Quibus pondero illud, nimirum, quod Iudas ad veterem vitam pertinens quietus in Cœna legali, vbi sacrum hunc cibum tetigit, mox quasi pallea exsufflatus præceps cucurrit ad laqueum. O miserum hominē! tu qui veteri incubas vitæ, inueteratisque vetusti hominis vitijs hærens sacris communicas altaribus, caue tibi ab epulo diuino, exsufflaberis sine dubio ab electorum area, & inter palleas constitutus æternis daberis flammis. Ille solum secure hunc cibum attingit, qui salutari accedit contritione, & mundo, & vitijs viuificante pœnitudine mortificatus. Etenim, vt de Eucharistico cibo, ait Orig. *Hic est vitulus saginatus, quem pro recepto pœnitente filio iugulat pater.* Iugulatur quidem hoc in sacrificio; sed pro filio pœnitente iugulatur, qui pœnitentię, & mortificationis expers accedit, non cibum præsumere audeat. *Taceant ergo mortales*, ait D. Iacobus in liturg. *Et estēt cum metu, & tremore nihil terrenum cogitantes. Rex enim Regum Christus Deus noster existit, vt macletur, & datur in cibum fidelibus.* Quis cum occiso Christo non sese dabit mactandum?

*Cypri.*

*Orih.*

*Textus.* Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.

## §. XXVII.

### *Maximum emolumentum accrescit ex coniunctione Christi, & hominis, quæ fit per Eucharistiam.*

HOC summum Eucharisticæ escæ cōmodum est, quod homo maneat in Christo, & Christus in homine nempe, quod eo vinculo societatis arctentur homo, & Christus quo separentur nunquam. Huc respiciens Ecclesiasticus, cap. 4. aiebat. *Melius est esse duos quam vnum, habent enim emolumentum societatis suæ. si vnus ceciderit ab altero fulcietur, si dormierint duo fouebuntur mutuo; etsi quispiam præualuerit contra vnum duo resistunt ei.* Hæc in qualibet societate hominum commoda reperiuntur? Huiusmodi esse potest societas humana? Potiori iure crediderim, hæc esse emolumenta, quæ percipit homo ex intima vnione, & societate cum Christo Domino, qualis fit per Eucharistiam. Me in hanc mentem adduxit D. Hieron. huius loci in rem præsentem commentator, ait enim. *Melius est labentem in se habere Christum, quam solum patere insidijs aduersarij; si enim vnus ceciderit, Christus erigit participem suum. Væ quippe ei, qui cum ruerit Christum in se non habet erigentem. Quod si etiam vnus dormierit, hoc est, si morte dissolutus fuerit, & secum Christum habuerit, calefactus, & viuificatus citius reuiuiscit. Etsi aduersus hominem robustior in expugnando diabolus steterit stabit homo. stabit, & Christus pro homine, pro sodali suo.* Hæc D. Hieron. vt pulchrè, & verè commentus est; modo libet singula perpendere, & illustrare.

*Eccles. 4.*

*Hieron.*

## §. XXVIII.

### *Christus Dominus in Eucharistia sumptus quam citissime erigit hominem ab humanæ fragilitatis lapsibus.*

OVOS qui frequentibus ruinis fracti præcipitium æternæ damnationis expauescitis, hunc fidelissimum procurate sodalem Christum, qui semper vobiscum maneat, cuius in Eucharistia sumpti mos est in homine arcto societatis vinculo manere. Ex quo in primis hoc iuxta Hieronymum surget emolumentum, nimirum si vnus ceciderit, Christus eriget participem suum. Semel Eucharistico nexu socia tus homini Christus, etsi homo offendat, etsi misere cadat; eriget tamen participem suum, nec illum labi in præcipitium sinet.

Cuius fuit maior vnquam casus, quam Iudæ qui sese temerarie in profundum cõiecit malitiæ barathrum, tamen adeo sperauit de Eucharistico nexu D. Leo, vt crediderit illo reuocandum Iudã in meliorem frugem. Vnde serm. 3. de Passione proditorem ad laqueum euolantem alloquens, inquit. *Informis lethi suspendium distulisses: illa saltem à præcipitio tuo sacramenta te reuocassent, quæ in Paschali cœna acceperas.* Quid miser ad laqueum festinas, cum particeps fueris cœnæ Eucharisticæ? Vides te lapsum, vides te mortifero casu decidisse? Quid ni? Expecta paulisper, potens est Eucharistica cœna præsumpta te reuocare à tanto præcipitio. O quam nouerat id seductor diabolus, qui vt impulit in casum, sic vt vidit tanta cœna, refectum Iudam facit illum festinare ad præcipitium: & ideo Ioann. 13. *Cum accepisset ille bucellam, exiit continuo*, quæ tantæ festinationis ratio? Eleganter D. Cyril. lib. 9. in Ioan. cap. 19. *Tum moram; tum benedictionis virtutem timens, ne scintillam in animo eius accenderit, ac deinde illuminauerit magna præcipitem agit diabolus celeritate.* Ea enim est Eucharisticæ cœnæ virtus, & efficacia, de qua sperari posset, quod etiam lapsum Iudam reuocaret à præcipitio. Hinc pulcherrima vsus methaphora Oseas lapsi populi erectionẽ præsagiens, ait ca. 11. *Eroe is quasi exaltans iugum super maxillas eorum, & declinaui ad eum, vt vesceretur.* Simacus legit, *& declinaui ad eos cibos.* Itaque labentem populum; immo præcipitem ferri, videns Deus; vt tã to malo medellam afferat, appositum reme dium excogitauit, nimirum illi frænum inijcere, quo optimi equitis de more, & lapsum erigeret, & labentem reuocaret. Nõne vidisti aliquãdo, qualiter strenuus eques vel fragilem, vel indomitum equum agat? Insilijt equo qui ob fragilitatem crurum passim labitur, vel ob ferociam in præcipitium ruit: eius tamen ora sic fræno cõstringit eques, vt paulo compressis, & leuatis habenis sine offensione currat, & saltet. Sic ait Dominus, nõ te moueat, quod sicut equus, & mulus populus offendat passim, in præcipitium feratur, ero eis quasi exaltans iugum super maxillas, more equitis eorum medebor ori, his constringam eorum ora lupatis, vt vel leui manus exaltatione illos sine offensione vitæ cursum faciam consumare. Sed quid est, quod tam vtiliter ora constringit? Iam explicat dum ait iuxta Simacum, *declinaui ad eos cibos*, nimirum, ait D. Hieronym. *Dedi eis esum corporis mei.* Hunc si semel ore susciпias, ò quam leui duceris moderamine! O quam facili motu ab offendiculis à casibus liberaberis! Te ergo compello hominem, non qui pennata mente specierum vmbrans transuolans diuini Solis ibi occultati potiris securus radios; sed qui sicut equus, & mulus à vitijs tuis raptaris, qui crebris ruinis frangeris, his constringito ora lupatis, hunc esum diuini corporis sume ore, quo sine dubio reuocatus à casibus fœliciter vitæ cursum ages.

Leo.

Ioan. 13.

Cyril.

Osee. 11.

## §. XXIX.

### *Christus Dominus in Eucharistia sumptus resurrectionem mortuorum etiam facit.*

ADDIT Hieron. cõsociati Christi in nobis emolumentũ aliud, nẽpe, *quod si etiam vnus dormierit, hoc est, si morte dissolutus fuerit, & secum Christum habuerit calefactus, & resuscitatus citius reuiuiscet.* Quid plura? Hoc debes homo Eucharisticæ cœnæ, quod mortis somno minime æternum sepultus maneas. Quis alt› mortis sopore correptum hominem excitaret? Quis in frigescentibus cineribus viuificum germen inueniret? Quis arborem humanam à terra viuentium abscisam ad virorem reuocaret? Sane Eucharisticus panis, hinc D. Paschas. lib.

Paschas.

lib. de Corp. & Sang. Chriſt. capit. 22. hos diuinos memorans panes ait, *hæc ſunt vitæ ſemina.* Cuius acumen vt percipias reuoca in memoriam agriculturæ artem ea eſt enim agricultura, vt plantas abſciſas iterum & ſumma celeritate reuiuiſcere faciat ſolo triticei vel hordacei grani iuuamine. Etenim cum reciſam vitem terræ mandat, illi addit aliquos triticeos, vel hordaceos granos, quibus hebetata vitis virtus acuitur, & radices agit, & fructiferos creſcit in ramos. Quæ ergo arbor emortua magis, quam homo à regione viuentium reſciſus? Quis in hominis frigido & languido cadauere virorem inueniet excitandum? Sed vbi natura defecit, ibi claret ars cœleſtis hortulani, qui reſciſo homini triticea hæc grana adſeminauit, quibus ſic viror emortuus excitatur, vt inde ſurgat vita candidatus immortali: vt merito dicat Paſchaſ. *hæc ſunt vitæ ſemina.* Nec credo aliud ab Oſea ſignificari cap. 14. vbi populati Iſraelis poſt ruinam ſubito fatur: *Radix eius, vt libani, ibunt rami eius, & erit quaſi oliua gloria eius.* Sed quæ tam ſubitæ reparationis ratio? Qui fieri poteſt quod homines adeò fracti adeo enecti inſtar oliuæ viridantis repueraſcant? Ea eſt cauſa, nempe, *viuent tritico, & germinabunt quaſi vinea.* Sane vbi reſecatis & enectis ramis triticea grana adduntur, ſemina hæc apponuntur vitalia, certum eſt quod reuiuiſcent, quod fructu & pulchritudine plenam comam alent. Hinc merito ponderauit Diu. Irenæus circumſtantiam à Luca in Euchariſtiæ inſtitutione euulgatam, ait enim, quod Chriſtus Dominus, *diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo.* Stantibus ſolebat Paſcha communicari, cur Euchariſtica cœna non niſi diſcumbentibus datur? Irenæus lib. 4. cap 39. *Recumbentibus eis miniſtrabat eſcam ſignificans eos qui in terra recumbebant, quibus venit miniſtrare vitam.* Etenim vitalia grana vitæ immortalis ſeminaria recumbentibus in terra apponenda erant, quæ hinc illos ad vitam ſuſcitare valeant.

Oſea. 14.

Iren.

Sed adhuc ſto ad D. Hieron. verba initio allata, qui ob mortuorum excitationem non quamlibet fieri inſinuat vi Euchariſticæ ſocietatis, ſed illam, quæ per calefactionem fit. Ait enim, *quod calefactus citius reuiuiſcit.* Et ſane miror quam argute Clem. Alexan. huic Euchariſticæ communioni tribuerit, quod per natiuam calefactionem faciat homines ad vitam immortalē renaſci. Sic enim inquit lib. 1. in Pædag. cap. 6. *Corpus Chriſti nouum cœtum verbo nutrit, quē ipſe Dominus carnali labore peperit, quc ipſe faſcijs illigauit Dominus pretioſo ſanguine. O partum ſanctum! O ſanctas facias!* Ecce tibi vt pueri recenter nati faſcijs in voluuntur, quibus calefiant, & calefacti in vitā nutriantur, ſic regeneratopopulo datur ſanguis Chriſti pro faſcijs, quibus calefactus citius creſcat in vitam immortalē. Sic moribundis hominibus conceduntur hæ Euchariſtici ſanguinis faſciæ, quaſi ex tunc præparentur, quæ opus habet futura natiuitas immortalitatis. Nil iā timeas, etſi ab arbore vitæ reſecatus cadas, adſunt tibi hæc viuida ſemina quibus rediuiuus pullulabis, etſi gelido mortis ſopore corripiaris, alligatus es facijs pretioſi ſanguinis cuius vitali calore confotus extabis. Merito Dauid plectendus à Deo aut fame, aut bellis, aut morte, his terribilius malum mortem eligit. Sed cur mortem eligit? Notanter ait textus 2. Reg. 24. *Elegit ſibi Dauid mortem: erant autem dies meſsis tritici & dedit Dominus mortē in Iſrael à mane vſque ad horā prandij.* Expende tēpus, quod erat meſsis tritici, & videbis quā bene his diebus Dauid elegerit mortē, quæ vel inter odores diuini pabuli non poterat iam durare. Sic Diu. Cyrill. Alexand. lib. 3. de Iuſtificat. in Chriſt. ait: *A mane igitur, hoc eſt à primis huius ſæculi tēporibus mors de paſta eſt eos, qui in terra erant, vſq; ad horā prandij: hoc eſt vſq; ad mēſæ tēpus: vbi enim aduenit nobis ſanctæ menſæ tēpus, nimirū illius in Chriſto, ac myſticæ, in qua pane veſcimur illo cœlatus dato, quæ prius terribilis erat, mors ceſſauit.* Hinc naſcebatur cura illa qua Patres antiqui morituri, Hieroſolimorū ſepulchra ambiebāt Iacob aiebat Geneſ. 47. *Ne ſepelias me in Ægypto, ſed dormiā cū patribus meis.* Cur ea cura in morituris? Petr. Dam ſer. de Trāſt. S. Hil. ait; *Illius terræ finibus beati viri iam medullitus aggliſcebāt, quā interioribus oculis iā videbāt prætioſo Dominici corporis ſanguine purpurari.* Nec credebāt oſſa riganda Deifico ſanguine, nō eſſe in vitā & reſurrectionē foueda. Quippe aridiſsimū crucis lignū, vt ſanguine Saluatoris maduit, eam virtutē imbibit, qua in partes quotidie ſciſum redintegrabatur. Sic Paul. epiſt. 11. loquitur de cruce. *Quotidie lignū ſuū cōmodat vt detrimenta nō ſentiat, & quaſi intacta permaneat. Sed iā imputribilē virtutē, & indetribilē ſoliditatem de illius carnis ſanguine bibit quæ poſt mortē nō vidit corruptionē.* De quo etiā ſanguine diuino dum bibant oſſa arida reuiuiſcent in vitam immortalem.

Clem. Ale

Cyr. Alex.

Pet. Dam.

## §. XXX.

### *Christus Dominus in Eucharistia sumtus pro nobis stat aduersus tenebrosas & mundiales potestates.*

OQuam à fideli sodale munitur homo! Sanè cum per diuini cibi sumptionē homo in Christo maneat, & Christus in homine, si quispiam prævaluerit contra vnum duo resistunt ei. Nimirum siquis aduersarius aduersus hominem insurrexerit, ait Hieronym. *Stabit homo, stabit & Christus pro homine suo, pro sodale suo.* Non iam solus homo resistet contrarijs potestatibus, sed tanto sodale armatus vniuersas vincet, & detriumphabit. Antequam exterminator ille Angelus vna nocte totam pene percuteret Ægyptum, iubentur Israelitæ escis immaculati agni communiri Exod. 11. Sed cur inter vicinorum internectiones ipsi vocabuntur epulis & conuiuijs. Id attigit Diu. Ambros. in Psalm. 118. serm. 8. dicens: *Ne inermes & vacuos spiritalis alimenti nocturna spicula tenebrosi hostis opprimerent.* O quam timet tenebrosus hostis oculos, qui tanto cibo illuminati claritatis radios emittunt! O quam securi & tuti degunt illi media in omnium vastitate, quos diuinæ alimoniæ & poculi defendit murus! Hunc suis postulabat scutum Christus Dominus quùm ait: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Etenim paulò ante sanguinis sui pretiosi calicem cum effecisset, confertissimosque hostes appropinquare iam cerneret, & tenebrarum potestates cum illis nullo ipse egens munimine, id postulat transferri ad suos, quo possint manus euadere hostiles. Fallor si huc non respexit Diu. Cæsarius Nazianzeni frater dialogo 4. quum inquit: *Illudit incarnatus Pharaoni cum toto exercitu Ægyptiorum dæmonum, inuisibiliter summerso ipso, per id quod inquit, Pater, si fieri potest transeat à me poculum hoc. O poculum diabolos vulnerans, dæmones fugans, peccata ventilans, æternam vitam operans.* O vtinam ad nos transiret poculum hoc, & in nobis maneret, quo facilè vniuersas tenebrarum potestates, vel summergere possemus, vel abigere. Hinc merito, Diu. Paschas. lib. de Corp. & Sang. Christi præponit poculum hoc arbori vitali paradisi: *Quanto magis ex hoc præstatur, ne homo moriatur in carne, sed ne lædatur à diabolo, dum eum virtus sanguinis defenderet?* Vitalis illa arbor erat, fructusque vitæ nouerat parturire, sed miror, quòd tanta arbos esset sine sepe muro patens ipsis inimicis adeò, vt illa elapsus hostis genus hominum feriret. Fœlicius poculum hoc non solum vitam propinans, sed ea medicatum virtute qua propellens hostes hominem conseruat securum ab eorum ictibus. Id crediderim insinuatum esse verbis illis: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*, quibus compertum est significari præsentiam & assistentiam Domini in Eucharistia. Sed quam præsentiam? An solam quam habet nobiscum inhabitando? Sanè nunquam Deus sciuit cum hominibus esse & inhabitare; nisi vt strenuus miles, vt homines propugnet. Ioan. 1 dicitur: *Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Vbi eleganter Chrysost. *Quid inducit? & habitauit in nobis, tentoria fixit in nobis, significat in habitationem, & quasi in tabernaculo mansionem.* Non aliter in nobis sciuit Deus habitare, nisi vt in militari tentorio & tabernaculo, non tam habitat, quam excubat pugnaturus & debellaturus quascumque potestates hostiles, quæ in nos insurgant. O vos fœlices qui tanti pabuli estis participes, cuius communione eum socium acquiritis, à quo reuocemini à præcipitio, per quem calefitis in immortalem vitam, qui vos tutos & securos reddat ab inimicis! Sic D. Chrysost. hom. 61. ad Pop. fatus: *Hic mysticus sanguis dæmones expellit & procul esse facit, ad nos autem Angelos vocat, & Angelorum Dominum. Vbi namque Dominicum viderint sanguinem dæmones quidem fugiunt, concurrunt Angeli.*

*Exod.* 11. *Ambros.* *Cæsar.* *Paschas.* *Ioan.* 1. *Chryso.*

*Textus.* Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrē: & qui manducat me, & ipse viuit propter me.

## §. XXXI.

### *Qui Euchariſtico reficitur cibo nouam & diuinam inſtituat vitam, caueat ne veteri inſiſtat.*

HIC eſt germanus ſenſus ſimilitudinis in textu propoſitæ, nimirũ, quod ſicut Chriſti Domini humanitas Deo vnita vitam Dei participat, ſic qui Chriſti carnem manducat ex hac communione & vnione vitam Chriſti induat, veteri prætermiſſa. Et ſanè panis hic Chriſtiferus non ſumendus eſt, vt veteri inſiſtamus vitæ, ſed vt ad nouam tranſeamus & diuinam. Id quod ſatis demonſtratum eſt in illo pane oblato Eliæ 3. Reg. cap. 19. 3. *Reg.* 19. Lõgo enim itinere fatigatus Prophetes ſe & vmbræ arboris & ſomno commendauit: & ecce Angelus ſoporatum excitans, panem obtulit illi, vorat ipſe panem, & paruis fruſtis relictis, ſe iterum inclinat, & rurſus obdormiuit. Vix oculos clauſerat, & Angelus inſtat, Heus Elia: *Surge, grandis tibi reſtat via:* Eia age, viam arripe, cape iter. Quorſum hæc? Nonne ſalutare eſt viatori poſt prandium dormire? Fatigatus nimium eſt Elias, dormiuit aliquantulum, commedit & iterum ſomno indulget, ſine modo Angele Dei illum rurſus dormire, ne illum excitare feſtines, aut dic cur excitas? Sanè is erat panis, poſt quem priſtino ſomno incumbere lethale eſſet cuique. Accipite modo *Paſchaſ.* Diu. Paſchaſ. lib. de Corp. Sang. Domini cap. 10. *Idcirco & noſtra ad accipiendum paranda ſunt corda, vt tali epulo refecti ad altiora in fortitudine tranſeamus. Nemo igitur digne accipit, niſi qui tranſit.* Nemo, qui priſtinæ inhæret vitæ, nemo ei ſdẽ ſe occaſionibus tradit, nemo qui altiora non meditatur, qui ad ſuperiorem viuendi modum non contendit, digne accipit. O quoties te vitiorum ſomno ſepultum Angelicæ voces excitarunt, excitatoque pauliſper obtulerunt hunc diuiniſsimum panẽ, quem tu auide arripis, ſed vix à ſacro ferculo diſcedis, & rurſum obdormis vt antea. O lethale malum! Tranſeundũ erat ad altiora: nemo enim digne accipit, niſi qui tranſit. Poſt panem Euchariſticũ exhibitum diſcipulis ait Dominus ſecundũ *Matth.* 14. Marc. 14. *Vnus ex vobis tradet me qui manducat mecum.* Quæ verba premens Victor Antiochenus in Iudam vehementer ſcandens ait: *Iudas tametſi diuinorum particeps effectus, ſui ſemper ſimilis manſit, hoc eſt tremendæ illius menſæ refectus cibo, nihil prorſus mutatus aut emendatus eſt.* Proh Iudæ digna communio! proditor erat ante & proditor manſit poſt diuinum panem manducatum, nullo modo ſimilis Chriſto, quem ſibi incorporatum habebat, ſed ſui ipſius ſimilis in nullo emendatus erat. Quam ille viuendi ſpem haberet? Cur præceps ad mortem non feſtinarit? Rectè inde cauet. Diu. Paſchaſ. vbi ſupra cap. 22. *Paſch.* *In ſæculi actibus remorantes non dignè comedunt Paſcha, videlicet carnes agni & ideò ſatis timendum talibus, ne cum Ægyptijs nocte perimantur, dum ſopore peccati premuntur.* Cuius ſententiæ vim vt percaleas memorare totum id quod apud AEgyptum nocte liberationis Iſraeliticæ accidit. Enimuero Iſraelitæ præcincti ad tranſeundũ comedebant Paſcha, AEgyptij iacebant vt hæri & nudius tertius. Hinc exterminator præcinctis & manducantibus parcens dormientes iugulabat. Caue ergo ne priſtinos vitiorum actus habeas dum manducas carnes agni, caue, ne in ſæculo moreris, vt antea, & ſi nolis nocturnis peccati tenebris interim tanto epulo refectus ad altiora tranſi, nil in te appareat, quod Chriſtum non oleat, Chriſtum non ſapiat. Diu. Cyprian. de Cœna Domini: *Cum ſaturati fuerint vide quid agant, intellige quæ loquantur, quam ſancti odoris ſit quicquid illa eructat plenitudo, verbum bonum, mores compoſitos, affectus pudicos, ſenſus pacificos illa interior ſyncerit as vbique diffundit.* Sic qui manducat Chriſtum, Chriſtum eructat, vitam moreſque induit Chriſtianos, nec aliud nouit loqui, niſi Chriſtum vt Abbas Cellenſ. libr. de Panib. capit. 1. ait: *Ad hanc menſam verbi caro facti & carnes agni ſumuntur, & verba quæ ſunt ſpiritus, & vita in lingua Ieſu reſonantia vberrimè poſt cœnam inueniuntur.* Hæc ille. *Victor. Ant.* *Cypria.*

## §. XXXII.

### *Christus Dominus in Eucharistia traditur, vt sanctorum Ecclesia parturiat examina.*

VErius forsan textus verba explicarim retenta rigorosa notione Patris, qui est prima in diuinis persona eaque fœcunda, adeò, vt producat filium sui caracterem & imaginem. Hinc Christus Dominus Eucharisticæ institutionis rationem reddit, vt nimirũ sicut Pater diuinus producit filium sui imaginẽ, est que filij principium, sic filius ipse manducatus in Eucharistia principium est producens, & progignens iustorũ, qui Dei seruant imaginem immaculatam. Accinit D. Paschas. de carn. sanguin. Christ. cap. 22. aiens: *Hæc sunt vitæ semina, quibus virgines generantur*, quasi rationem redderet ob quam sub triticeis speciebus tradatur caro Christi Domini, eaque est sumpta ex fine Eucharisticæ institutionis, quæ ideò inuenta fuit vt sicut propter patrẽ progignitur patris imago, nempe filius, ita propter filiũ Ecclesiæ arua virginum germinarent examina. Quorum pricipium & semina fœcundissima existunt calix & panis cõsecratus. Itaque dum semina vocat, id interim facit, vt fœcundissimi ac præstantissimi seminis rationem meditantes Christi Domini se ad Eucharistiam præparantis facinus prænoscamus. Etenim de præstantissimo semine Plinius lib. 18. cap. 24. sic fatur: *Quod in ima area subsedit ad semen reseruandum est: id enim optimum, quoniã grauissimum neq; alio modo vtilius discernitur.* Ecce modo Christus, dum se se comedendum parat, in imo Ecclesiasticæ areæ subsedit, nimirum ad pedes Apostolorum iacuit, quo ad Eucharistiam processit semen adeo viuidum & fœcundum, vt virgineis choris progenitis steriles Ecclesiæ campos faceret ditescere. Ad hæc eleganter D. Metho dius in Symbolo decem Virginũ inquit: *Excipit autem illud ipsum semen & format Ecclesia ad generandam virtutem & alendã. Non enim potest aliter Ecclesia concipere credentes & regenerare per lauacrum, nisi & Christus propter eos se exinaniens, vt capi possit secundum commemorationẽ passionis, iterum moriatur è cælo descendens.* Expendo verba ab his, nisi & Christus, &c. Quibus seminis fœcunditatem attingit: etenim, vt videre est apud Ioan. cap. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terrã mortuũ uerit, ipsum solum manet, si autem mortuũ fuerit, multum fructum affert.* Et quidem vt Ecclesiæ sata germinent, multoque ditescant sanctorum fructu, necessum est, vt granum frumenti Christus Dominus iterum, & iterum à cælo in terram descendat, & moriatur secundum commemorationem passionis, quod accidit per Eucharistiam vbi se adeò exinaniens, vt capi possit, casta iustorum prole replet Ecclesiæ sata. Id quod Christi corpori ad scribit alias datus Clem. Alexan. 1. Pædag. cap. 6. aiens: *Corpus Christi nouum cætum verbo nutrit, quem ipse Dominus carnali labore peperit, quẽ ipse fascijs illigauit Dominus pretioso sanguine. O partum sanctum! Verbum est omnia infanti & pater & mater & altor, & comedite, inquit, carnes meas.* Ecce tibi cum se Christus Dominus tradit manducandum noui cætus nouorum examinum fit pater & mater & altor. Hinc Diu. Cæsar. Arel. hom. 7. ponderans, quod in sacris aqua vino misceatur, adducit illud Ioan. 2. Vbi deficiente vino in nuptijs aquam Dominus in vinum conuertit. Quid ni? deficiẽte fide in Israel, Dominus Sacramento sanguinis sui populos fideles effecit. Ita Cæsarius: *Expectauit Dominus, vt faceret vuas fecit autem spinas, vnde sertum spineũ capiti Redemptoris imposuit, quando Dominus nuptiali tempore aquas in vina conuertit manifestè præfigurans multitudinem gentiũ de sanguinis sui gratia esse venturas.* Quod iam facit, dum cœleste poculum populis reliquit bibendum: sicut enim in principio spiritus Domini incubabat super aquas, vt variæ creaturarum species gignerentur, sic modo sanguis Domini miscetur aquis populorum, vt inde fidelium alitum examina generet. Vnde Exod. 16. vbi manna descensus ponitur, ex Hebreo legi debet, *manna fuit cubatio.* Rem tandem finit illa Drogonis lib. de Sacramen. Pas. obseruatio, nimirum, quod memorans textus Genes. Liæ partus de illa dicat, quod *parere cessauit*, non autem id dicat de Rachel. Cur ergo de Rachel non dicitur, parere cessauit? *Rachel iuxta Bethlehem subter silicem crucis super posita est, nimirum sedet ad pedes Iesu, vt de domo panis semper fœcunda pariat.* Hæc Drogo Ecclesiæ fœcundos partus ex cœlesti pabulo auspicatus. Hic tandem ponderanda sunt verba, Diu. Basil. data in Missa, vbi ait: *Quam reuerenda est hora ista dilectissimi, cum spiritus viuus & sanctus è supernis cælorum sedibus descendit, atque incubat, manet-*

Pas. Plin. Metho. Ioan. 12. Clem. Ale. Ioan. 2. Cæs. Arel. Exod. 16. Drog.

*manetque super hanc Eucharistiam propositam.* Expendo illud, *incubat*, sicut enim in principio Genes. dicitur spiritus, iuxta Sept. quod incubat super aquas, fouens & fœcundans eas ad cœlestium corporum partus, sic in præsenti Spiritus sanctus incubat super Eucharistiam vt multitudinẽ cælitum etiam pariat.

## §. XXXIII.

### *Christus Dominus Eucharistia sumptus sic implet hominem, vt illum alijs faciat præstare de abundantia.*

SED instabis scire rationem, qua Pater diuinus dicatur verè, & rigorosè filium generare, vt sic plenam textus cognitionem habeas. Ea autem ratio perspicuè ponitur à Ricardo de sancto Victore
*Ricard.* lib. 6. de Trinit. capit. 18. 19. 20. & 21. quæ in eo sita est, quod Pater diuinus cõmunicat filio diuinam naturam adeò fœcundam, vt illam etiam filius communicet alteri personæ diuinæ, nimirum Spiritui sancto. Quem modũ exactè emulatur Christus dum à fidelibus manducatur: sic enim implet mentes manducãtium, vt ipsi de sua plenitudine & super abundantia communicent alijs, vt plenè dici possit sicut me misit Pater, & ego viuo propter Patrem, hoc est, quam ab illo sumo vitam non mihi soli reseruo, sed alteri eã trado: sic qui manducat me, & ipse viuet propter me ea superabundãs gratia, quam alijs tradat. Exod. 12. monentur paruæ
*Exod. 12.* Israelitarum familiæ, quod si pauciores fuerint, quam par est ad integri agni esum, *assumant vicinum.* Cur hæc? Nonne quod super esset poterat igne consumi, vt moris etiã erat? Sanè lex illa non illius agni, sed cœlestis & diuini esum respiciebat, quo ita implendi erant fideles, vt alijs cõmunicare de plenitudine cogerentur. Sic
*Rupert.* ibi Rupert. *Agnum immolamus, rectè paucitatem nostram confitentes assumimus vicinum qui coniunctus est domui nostræ, sanctum Apostolorum, & Martyrum chorum, qui per eandem fidem coiuncti nobis sunt, & sine illorum inuitatione nunquam ædere præsumimus. Dicimus enim communicantes, & memoriam celebrantes, in primis gloriosæ semper Virginis genetricis Dei, & beatorum Apostolorum, ac Martyrum, &c.* Hæc ille. Quibus acutè nõtat & explicat rationem, cur in Eucharistico sacrificio consecraturi euocent Sanctorum chorum, nimirum, quia sine illorum inuitatione non sumere præsumimus tantum epulum, cuius tanta est plenitudo bonorum, cogamur vicinos assumere, qui nobiscum tantum possint sustentare cumulum gratiarum. Nec solũ ij qui in cœlo triunphant euocandi à nobis sunt in communionem tanti sacrificij, sed qui propiores nobis adsunt, pauperioresque sunt, nimirum qui in Purgatorio degunt. His etiam de plenitudine huius conuiuij præstare debemus, vt sic plenè eius abundantia possit exhauriri. Quo spectauit Eusebius Alexan. dum in-
*Euseb.* quit: *Memento in oblatione sanctæ Eucharistiæ parentum ac fratrum qui iam de vita decesserunt, hoc si feceris, magnã eis requiem præbes, comples preces tuas.* Quæ verba gra uiter ponderans noster Turrianus expendit illa, *comples preces tuas*, quasi Eucharisticum sacrificium, eiusque bona non integrè queant capi ab vno fidelium, sed necessum sit vicinorum siue in Purgatorio, siue in Cœlo degentium animas euocari, vt sic integrè & completè participetur. Hinc creuit ille mos receptus in sacris, quo hostia à Sacerdote in tres partes diuiditur, quasi ipse non possit totam diuini epuli virtutem sustinere: nisi cũ vicinis diuidat, quibus duas partes tribuat. Id quod cecinit quingentis ab hinc an-
*Hildeb.* nis Hildebertus Episcopus Genomanensis.

*Inde fit, vt quoties sacras accidimus aras*
*Particulis cedat hostia fracta tribus.*
*Pars intacta mero pro viuis orat, opusque*
*Sanguinis & carnis expiat ipsa caro*
*Pro bene defunctis (offerimus tibi Christe*
*duas, sed propter eosdem)*
*Oblata pariter non operantur idem.*
*Hostia pro iustis laus est, pro iustificandis*
*Mentio, pro reliquis causam agit alterius.*

Ecce tibi non vnus homo sufficit haurire bona agni Eucharistici, sed eo ipse impletus vicinis sanctis siue qui gloriosa iustitia in cœlo fulgent, siue qui in Purgatorio expectant, partes cogitur imperrire. Vnde in D. Chrysost. liturgia dici-
*Chrysost.* tur: *Diuisurus Sacerdos panem dicit diuiditur agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Deus meliora! An Christus per fractionem hostiæ potest diuidi? Nonne totus in tota, & totus in qualibet parte? Ita planè, sed dum integer accipitur his cumulat bonis accipientem, vt ipse plenus ea debeat cum vicinis partire, ne bona superfint plus.

plura. Hinc expendendum est illud Diu. 1.Cor.1. Paul. 1. ad Cor. cap. 10. *Et panis quē frangimus nonne communicatio corporis Christi est?* Expende illud quem frangimus, quasi hoc innatum Eucharisticæ hostiæ sit, quod non integram illam nobis retineamus, sed partem illius vicinis & amicis Chryſoſ. porrigamus. Sic acutè & grauiter Chryſ. hom. 24. *Quare addidit quem frangimus? hoc in Eucharistia videre licet, in Cruce autem minime sed omnino contrarium, os enim, ait, non comminuetis ex eo, sed quod in cruce passus non est, in oblatione patitur propter te, & frangi sustinet, vt omnes satiet.* Sanè in Cruce cauit, ne frangerentur eius ossa, vt sic vnitum & integrum pretium redderet exactori patri. In Eucharistia fidelibus singulis merita sua aplicat ea abundantia, vt non vnus aut alter, sed omnes possint exsatiari, & teneantur singuli alijs de hostia præstare.

## §. XXXIIII.

### *Eucharistiæ sumptio faciet homines diuinæ correspondere origini per misericordiam in pauperes.*

IN hoc maximè filij diuini notio explicatur à pluribus Theologis, à quibus stat Vazquez 1. part. disp. 113. capit. 7. quod filius referat Patrem vt eius viuida & expressa imago. Igitur ait Dominus, vt ego viuo propter Patrem, nimirum, vt ego Patris filius existens, viuida illius sum imago, qua fontem & originem meum exprimo & represento, sic dū mandor facio manducantes me diuidas esse Patris imagines, diuinumque genus, in quo conditi fuere, representare. Huc spectarat Diu. Chryſoſt. hom. 45. in Ioann. Chryſoſ. factus: *Hic sanguis facit, vt imago in nobis regia floreat, hic pulchritudinem ac nobilitatem animæ languescere non sinet.* O quam diuini generis splendorem in nobis excitat & acuit diuinus hic sanguis! Quæ obtenebrata erat origo, quæ obnubilata nobilitas diuino ebibito sanguine reparatur. Qui referebatur diuinus Pater, eius nostris animis impressa imagine absoluerat peccato, sed modo generosus Dei sanguis humano in pectore ebulliens iterum dat homini cœlestem representare patrem, veramque Dei in se prætendere imaginem: *Hic calix facit, vt imago in nobis regia floreat.* Ast qua imagine referimus cœlestē Patrē? Vnus Diu. Dorotheus doctrina 12. Doroth. eam explicat: *Estote, ait Dominus, misericordes, sicut Pater vester misericors est, non dixit ieiunate, vt Pater cœlestis ieiunat, neq; dixit, Pauperes estote, vt Pater cœlestis inops est, sed quid ait? Estote misericordes, sicut Pater cœlestis misericors est, propriè enim virtus ista imitatur Deum ipsum exprimit & significat.* Vna misericordia referimus Patrē cœlestem, nosq; ab illo genus ducere testamur, & diuino concreti sanguine paternā imaginem ostentamus. Hinc Prouer. 20. Prou.20. *Grande homo & pretiosum vir misericors.* Cur pretium & valor hominis vni misericordiæ tribuitur? Pulchrè D. Ambros. Ambros. Psalm. 118. serm. 10. *Discе, homo, vbi grandis & pretiosus sis: vilem te terra demonstrat, sed gloriosum virtus facit, fides rerum, imago pretiosum.* A quo vilis materia pecuniæ fit pretiosa, nisi ab impressa imagine Regis? Imago itaque dat pretium rebus, sic misericordia homines pretiosos facit vt potè regia imago. Igitur diuinus sanguis humanis efferuescens fibris hanc statim diuini generis imaginem efflorescere facit. Hic calix facit, vt imago in nobis regia floreat, hic nobilitatem animæ languescere non sinet, dum iuxta diuinum genus suum decet homines misereri pauperum. Quod agnus ille legalis huius conuiuij vmbra etiam præstabat, dum vt illum manducarent iubebantur Theodor. Israelitæ assumere vicinos. Vbi Theodoretus: *Assument vicinum, hoc præcipit Deus vt fraternum amorem, atque erga pauperes misericordiam illos doceret*, quasi neque vmbra Eucharisticæ mensæ esse possit, qui ab illa diuini germinis imago misericordia non pollularet. Inde grauiter D. Chryſol. sermon. 103. *Doleo certè doleo quando lego Christi cunabula Magos rigasse auro, & video altare Corporis Christi vacuum reliquisse Christianos, hoc præsertim tempore, quando se pauperum fames vasta, quando se fundit turba lamentabilis captiuorum.* Et quid dolendum in homine magis, quam quod regio concretus sanguine nullam in factis referat virtutem regalem, nec generis ostendat nobilitatem! Sic valde miserandū est, quod homines diuino imbuti sanguine paternam imaginem & nobilitatē non præseferant per misericordiā in pauperes. Hinc Chryſoſ. D. Chryſoſt. hom. 51. ad Pop. monebat eos, qui pulchris tapetibus Christi altaria gaudent ditare: *Vis Christi corpus honorare, ne nudum eum despicias, nec eum hic qui-*

*quidem sericis honores vestibus, extra vero gelu & nuditate pereuntem contemnas. Qui namque dixit hoc est corpus meum, & verbum factum confirmauit, hic & dixit: esurientem me vidistis & non pauistis me. Et in quantum non feciſtis huic ex minimis, mihi non feciſtis.* Hæc ille.

*Textus.* Hic est panis qui de cœlo descendit.

## §. XXXV.

### *Non otio torpentes, sed laborantes Eucharistia reficiendi debent.*

OVtinam Deus aberruncasset consuetudinem illam, quæ nostro æuo in pluribus adoleuit, qui prætextu deuotionis, & religionis ergo tota die in templis & sacris degentes nil magis oderunt, quã laborare. Deuoti & pij isti otio languidi diuinum panem non timent frequenter manducare. Absit à veris deuotis tantus error, non enim hic panis inuentus fuit otiosis, sed laborantibus. Quod prædicat ipsa species panis: etenim à principio dicitur homini: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Id quod apertè de Eucharistico *Isai.* pane præmonuit Isaias, vbi dixit: *Dabit vobis Dominus panem afflictorum*, quasi nullis alijs aptetur hic panis, nisi his qui incumbunt laboribus, qui otio ex sufflato insudant, vt victum meritò nanciscantur? *Cyrill.* Ita D. Cyrill. lib. 3. tom. 2. fatus: *Panis igitur Christus est, sed cum labore, & sudore inuenitur.* Quo respexit Dominus cũ Israelitis in deserto pluit mãna, quippe singulis diebus pluebat quantum satis erat ad cibos parandos, septimo solum die non dabatur ex cœlo manna. Cur ita? Septimus dies Sabbatum erat, quo ab omni labore Israelitæ vacabant. Cur ergo eo die cœlestis panis pluuiam non recipiebant? An quia otiosus dies & ab omni labore feriatus carere deberet cœlestis panis *Cæsa. Arel.* pluuia? Id maximè insinuat D. Cæsarius Arelat. hom. 7. de Paschas. sic fando: *Dies iste, ideſt dies septimus cœlestis panis fraude mutilatur.* Ecce tibi quando otium à Deo imperatum erat, quando non laborare religio erat, tamen otiosus dies etsi religiosus cœlestis panis pluuia priuabatur, tanti boni fraude mulctabatur. Ne ex tunc otio torpentes homines vllo religionis prætextu cœlestem panem præsumant manducare. Cum Dominus turbam pane ex saturare vellet, nullo eorum labore expostulato totam multitudinem fecit in fæno agri sedere & quiescere, at cum innuptijs vino potare conuiuas parat ad laborem vocat vniuersos famulos, & ait illis: *Implete hidrias aqua.* Cur ita? Pulchre D. Chry- *Ioan. 2.* sol. serm. 5. de Epiphan. *Sed aqua in san- Chryso.* guinis erat conuertenda mysterium, vt mera pocula de vasse corporis sui Christus bibentibus propinaret. Et sanè vbi Eucharisticum poculum adumbratur, necessum est, vt præmittantur homines laborantes non tota die sedentes, non otio vacantes. Hinc eleganter D. Pasch. lib. de Corp. & Sang. *Pasch.* Christi cap. 8. vocat Eucharistiam: *Stipendium*, Dicit enim Ezechiel. cap. 9. *Ecce sex* *Ezechiel.* *viri venichant de via partæ superioris, & vniuscuiusque vas interitus in manu eius: Vir quoque vnus in medio eorum vestitus erat lineis, & atramentariũ scriptoris ad renes eius: & ingressi sunt, & steterum iuxta altare.* Cur scriptor hic cum atramentario iuxta altari stetit? D. Paschas. *Ideo bene iuxta altare perhibetur, vt milites ad stipendia vitæ percipienda accedentes diuinitus discernat.* Solũ expendo illud ad stipendia vitæ accipienda, vt videant qui laborem fugiunt quam temere ad altare accedant, vbi quicquid datur stipendium est, & hoc censoris manu, prius recensitis per scripturam laboribus exhibendum.

## §. XXXVI.

### *Christus Dominus in Eucharistia datur sub speciebus panis, vt se ab hominibus adorandum persuadeat.*

JAm impiorum hæreticorum os obstruẽdum erat, qui in Eucharistia Christum Dominum adesse fatentur, & tamen ibi scelestissimi negant adorandum. Etenim datur, aiunt, vt cibus panis, non datur adorandus. O perfidiam! O stultitiam! Sanè vt cibus panis, datur eo ipso se hominibus proponit adorandum, & quid magis adorandum hominibus, quorũ Deus venter est, quam Deus qui sit illis cibus panis? Vt bruteſcentes caperet, & ad se traheret in præsepio apparuit. Sic ait Theo- *Theod.* doretus orat. de Christi Natiuitat. *In præsepio namque Dei ponitur Verbum per mediũ*

*corpus*

*corpus, vt licentiam habeat rationalis, & irrationalis participari cibo salutis.* Sic vt illos, quorum Deus venter est, solicitaret, fit illis cibus panis, vt vel ex odore cibi meminerint Deum latentem adorare. Hinc Dauid Psal. 2. aiebat, *apprehendite disciplinam.* Psal. 2. Quæ verba alijs sonant longè aliter, sed cum mysterio grandi, Eugub. & Geneb. legunt: *Osculamini filium.* Tiroboscus aliter nimirum, *adorate frumentum*, cui pene acccinit Galatin. legens, *adorate fasciculum spicarum.* Quibus ideo maximè pondero, nempe, quod cum de disciplina agitur solum dicitur, *apprehendite.* Vbi autem filium innuitur, relicto verbo apprehendo vsurpatur, *osculamini.* Verum cum frumentum seu fasciculus spicarum dicitur, relictis alijs subijcitur, *adorate*, quasi adoratio necessario sequatur eum qui potens est nos cibis saturare. Id quod attigit D. Augustin. ser. 81. de tempore. Vbi memorans, quod Iosephi manipulum spicarum cæteri fratrum manipuli adorarint, sic fatur: *Non incongruè coacti sunt steriles manipuli, fructuosum manipulum adorare, per quem de famis periculo liberandi erant.* Sanè vbi tot misericordiarum segetes à Deo metimus, debemus Deum adorare, sed quando se nobis cibum proponit, tunc adeo cogimur ad orationem exhibere, vt vix aliud possimus facere. Adeò beneficus Deus in homines apparet, quicumq; illos cibos faciat, vt vel hinc nefas esset execrandum Deum nostrum, à quo in Eucharistia saturamur non adorare. Ecquis saturatorem suum non adoraret? Sane Psalm. 21. dicitur: *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ.* Psal. 21. Quod sic expendit Euseb. Cæsarien. *Fideles alimentum sanctum corpusque salutare in cõmunione capiunt: & postquam comederunt Saluatorem & viuifici cibi datorem venerantur.* Ibi singulariter expendit Euseb. Cæsarien. *Fideles alimentum est sanctum, corpusque salutare in communione capiunt: & postquam comederunt Saluatorem & viuifici cibi datorem venerantur.* Ibi singulariter exhibenda adoratio, vbi Deus se se præbet deuorandum factus cœlestis & viuificus panis. Vt meritò D. Athanas. orat. in Parasceu. reprehẽdat eos, qui irreuerenter tantũ epulũ tractant. *An nescitis quomodo Angeli astiterint sepulchro corporis experti sepulchro vacuo? Attamen cum semel totum corpus Domini recepisset, multũ honoris etiã ipsi loco exhibẽt Angeli. Nos non ad sepulchrũ inane, sed ad ipsã mẽsam, in qua agnus posit⁹ est adituri cũ tumultu accedimus.* Hæc ille.

Augustin.

Apud Turrianum de Euchar. tractat. 2. 28.

Athanas.

## §. XXVII.

### *Cibus Eucharisticus homines in cœlestia & superiora agit.*

O Quanta est cœlestis panis efficacia, vt homines in cœlestia & superiora audere faciat! Quum vbi cœlesti rore plenum Soli radianti exponitur, visum est beneficio roris in cœlestia leuitare, immò ascendere. Sic à cœlo descendens viuus panis hominũ corda replens illos in superiora impellit, & facit auolare. Hinc claret pulchra illa Ricardi Victor. annotatio circa Domini in cœlos ascensum, qui celebratus fuit post epulum. Sic enim ait lib. 1. de Emmanuele cap. 16. *Attende quid dicitur, quomodo ibi legitur: & conuescens præcepiteis ab Hierosolymis ne discederent, & paucis interiectis additur. Videntibus illis eleuatus est. Ecce quia comedit, & ascendit.* O diuinissimum epulum! O conuiuium salutare! Vbi huic accumbimus mensæ ad cœlestia euolamus: non possunt non alta sapere, & sursum efferri qui nutriuntur cœlesti hoc pane. Fallor, si deliri illi Hebræi, Num. 21. in summa sui erroris insania hanc cœlestis pabuli virtutem non indigitarunt. Etenim aiunt: *Nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo.* Ecce errorem & insaniam, quod nauseant, quod fastidiunt cœlesti epulo recreati, sed sapiunt, quam dicunt cœlestem panem esse cibum leuissimum. Verè leuissimus cibus est, qui vt de cœlo venit, sic in cœlũ nos facit euolare. Similiter Diu. Paulinus epistol. 4. ponderans illud Christi Domini pronunciatum, nimirum: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*, sic fatur: *Iugum & coma Christi leuis est, quia seruientes Christo operamur bona quibus pennati in alta prouehimur.* Vt iugum, seu onus Christi leue est, sic verè leuissimus est Christiferus, cœlestis panis, quo saturi & repleti in alta & superiora prouehuntur, cœlestia solùm & diuina queritantes. Vnde D. Chrysost. hom. 24. in 1. ad Corin. ait: *Ad hoc nos inducit sacrificiũ illud formidandũ & admirabile, quod iubet nobis, vt aquilæ in hac vita facti ad ipsum cœlũ euolemus, vel potiùs supra cœlũ. Vbi enim cadauer, inquit, illic aquilæ. Aquilas autẽ appellat, vt ostendat ad alta eũ oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cũ terra debere ei esse commune, neque ad inferiora trahi & repere*

Ricard.

Num. 21.

Paulin.

Chrysost.

Matt. 24.

*pere, ſed ad ſuperiora ſemper volare, & in Solem iuſtitiæ intueri.* Hæc Chryſoſtom. vt videas quales naſci debeant pennæ mãducantibus cibum cœleſtem, quibus ad cœlorum alta perueniant, dequè ſolo Deo ſaginentur, vt ait Tertulianus lib. de Reſurrectione carnis: *Caro Corpore, & Sanguine Chriſti veſcitur, vt anima Deo ſaginetur*, vt terrena faſtidiens appetat cœleſtia. Hoc fecit in filio prodigo vel odor cœleſtis panis, etenim ait Luc. 15. *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus.* Hæc dum mente reuoluit, ſtatim ſubdit: *Surgam, & ibo.* Vix panem meminit, & ſeſe erigit ſtatim. Auguſtin. Pſalm. 138. *Surgam dicit, ſederat enim. Sed in egeſtate. Surrexit in deſiderio panis tui.*

Tertul.

## §. XXXVIII.

### *Vnus cœleſtis hic panis humanam vacuitatem explet.*

NISI homo à cœlo hunc cibum accepiſſet, nullis alijs potuiſſet expleri, cùm cæteris omnibus, & aridus, & vacuus remaneret. Id quod eleganti obſeruatione notauit Diu. Anaſtaſius Sinaita in Exam. lib. 1. dicit enim Geneſis: *In principio creauit Deus cœlum, & terrã.* Et paucis interiectis, poſtquam terram oſtendiſſet, immerſam aquis pergit text. *Dixit verò Deus, congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum vnum, & appareat arida.* Ad hæc Diu. Anaſtaſius: *Oportet hoc loco adnotare, quòd quando Deus fecit terram cum cœlo, non appellabatur arida, quando autem fuit ſuffocata à tenebris, quæ ſuper eam erant, & aquis, tunc facta eſt arida.* Enim verò vbi terra à cœlo ſeparatim exhibetur, etſi ſubmerſa aquis, arida eſt & vacua, quã doquidem ex cælo ſolùm poſt accipere plenitudinem & decorem. Quaſi iam inde innueret hominum ariditatem, & vacuitatem vnico explendam eſſe à cœlo deſcendenti pane. Sic Deuteron. cap. 15. cauebat lex de ſeruis Hebræis manumittẽndis: *Cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, & ſex annis ſeruierit tibi, in ſeptimo anno dimittes eum liberum, & quem libertate donaueris, Nequaquam vacuum abire patieris, ſed dabis viaticum de gregibus, de area, de torculari tuo, quibus Dominus Deus benedixerit tibi.* Ita lex libertinorum curam agebat, ne vacui remitterentur & aridi: ſed quæ area, aut torcular terrenorũ hominum poſſet expellere vacuitatem? Quo viatico impelleretur libertinorum fames? Equidem vbi vacuitas adimplenda erat, vnus cœleſtis odorabatur, & annuntiabatur panis. Pulchrè Diu. Cyril. lib. 7. de adoratione in ſpiritu hæc verba facit; *Vides vim myſterij Chriſti in his elucere? Liberauit enim nos gratis Dominus, non enim ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum magnam miſericordiam ſuam, tantam iſtam clementiam participauimus. Poſtquam verò liberos nos fecit, adiecit ſe ipſum viaticum, tanquam victima omnis maculæ expers, & ouis pro nobis mactata, concedẽs, vt vinificam benedictionẽ participaremus, ſanctam dico carnem, & ſanguinem. Hoc exiſtimo eſſe, quod ait lex oportere ſuppeditari viaticum de ouibus, & de frumento, & de vino.* Hactenus Cyrill. quaſi libertinorum hominum vacuitatem nullo expleri poſſe, niſi cœleſti viatico, ſic legem de vacuitate expellenda, de elargitione cœleſtis viatici fuit interpretatus. Vbi iam ponderanda nobis ſunt verba illa legis. *Dabis viaticum de gregibus, & de area, & de torculari.* Enim verò poſtquam meſsis facta eſt, triticumque, & vinum ab area & torculari domi aſſeruantur, non adeò largus eſt quis in elargiendo, verùm de plena area, de ſuperfluenti torculari, de ditiſsimis gregum ſpolijs quis non largè, & liberaliter erogat, dum medius inter hæc verſatur? Hinc Dei in nos magnificentia, & liberalitas panditur, qui vt vacuitatem expleret humanam, medius ſtat inter pleniſsimas areas, inter ſuperfluẽtia torcularia, & ab area, à torculari, à gregibus nobis frumentum, & vinum, & agnum parat. O quàm explentur libertinorum hominum vacuitates tanto illis præparato viatico! Iam ab epulo nil habet homo quod deſideret ampliùs, ibi omniũ bonorum fontem, & authorem habet. Huic diuino conuiuio meritò refert Dionyſ. Cath. illud Cantic. 1. vbi Dei amatrix anima fatur: *Botrus cypri dilectus meus.* Et quis botrus? Sanè ex quo Chriſtiferi conuiuij licet conijcere ſummam abundantiam, incredibilemque opimitatem, qua ſaginantur, & implentur animæ. Cùm enim Diu. Gaudentius tract. 16. dicat, quòd *Promiſſionis terra Chriſti caro eſt, cuius vbertate credentium. corda pinguescunt.* Puichrè in Euchariſtia botrus vocatur, nimirum botrus ille qui promiſſionis

Sina.

Deu. 15.

Cant. 1.

Gaud.

nis terræ vbertatem indigitet magnitudine ſua incredibili. Verùm ſi de Hebræorum penu aliquid accipere licet, accipite myſterium eiſdem incluſum verbis, quæ ſic tripliciter transferuntur à Rabbi Barachias, Rab. Benſirem, Rab. Ananias, nimirum: *Vir omnia pariens dilectus meus, vir omnia propitians, vir omnia ſatisfaciens.* Ecce quanta habeas in hoc botro, quo te Chriſtus de torculari ſuo ſaginat. Si agricola es, in illo habes omnium parentem, qui terram, qui ſegetes facit parturire. Si reus es, iraſque extimeſcis diuinas, ibi habes à quo tibi Deus reddetur propitius. Si debitor es, multoque ære alieno preſſus, botrus hic diuinus eſt omnia adimplens, omnia ſatisfaciens, quo vno nullam experieris vacuitatem, ſed omnium plenitudinem & abundantiam.

*Textus.* Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt: qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

## §. XXXIX.

### *Caueat qui ad Euchariſtiam accedit, ne iram, & damnationem incurrat.*

EVchariſtiam meditatus, quis manna non meminit? Sed vide, qua nobis figura manna proponitur: *Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt.* Latet in manna mors, latet in cœleſti pabulo ſtrictum iudicium. Vide manduces eo modo, quo mortem non incurras. Monet igitur tremendum eſſe ſumentibus cœleſtem cibum, vt qui non ſine gladio iudicij, ſine flammanti fulmine porrigitur. Sic Diu. Gaudent. tract. 10. de manducat. agni, proponit nobis Deũ manna pluentem: *Ipſe pluit manna cibum ſuis cultoribus in eremo, qui ignem pluerat nefando ſacrilegio criminoſis, ipſe pluit manna placidus, qui flammam pluerat indignatus.* Ecce tibi eadem Dei manus manna pluit, & ignem: eadem cœleſtem porrigit cibum, & fulmina mundum populãtia mittit, quaſi cœleſtis cibus eodem quo fulmina erumpat nixu. Quò ſpectauit Diuus Epiphan. vbi Deiparam laudibus extollens inquit: *Ipſa nubes tonitrui formis, quæ fulgur interius in vtero geſtat, ſermonique meo atteſtatur diuina ſcriptura, dum ait: Venter tuus acerbus frumenti vallatus lylijs.* Et quidem elegantiſsimè, vt probet nubium fulmen virgineo exiſtere vtero, teſtimonium affert, quo vterus probabatur plenus tritico, neſcit enim panis viuus Chriſtus eſſe ſine fulmine, vbicumque cœleſtem hunc panem videris, meditare ibi flammantes ignes, ardentia fulmina. Vt meritò dicat Chriſoſt. in præſenti: *Quemadmodum fontes aqua ſcaturiunt, ſic & hæc menſa flammam quandam ineffabilem fonet. Caue igitur accedas cum ſtipula, lignis, & fœno, ne maius efficias incendium, & animum, qui ſit eius particeps, exuras.* Non longè ab hoc aberat illa apud Heliopolim Apollinis ſtatua, quæ eadem manu ſpicarum manipulum tenebat, & inter ſpicas fulmen horrificum viſebatur.

Aſt ſi quidem plenus eſt panis cœleſtis igne, & fulmina eructat, cur ex tot millium qui malè accedit, & accipit panem, nullum videmus cremari. Sanè non ignis eſt qui oculis cernatur, ſed ignis qui æternum excruciet animas. Pulchrè Tertull. aduerſus Gentes, reddens rationem, cur Chriſtiani non deberent ſe à perſecutoribus Romanis vindicare, ait: *Vna nox pauculis facibus largitatem vltionis poſſet operari, ſi malum malo diſpungi penes nos liceret. Sed abſit vt igne humano vindicetur diuina ſecta.* Id quod dictum accipe in Euchariſtia, quippe facilè eructaret ignem, qui malè accipientes conſumeret, ſed abſit, quòd igne humano vindicetur diuinus panis, non ſanè vindicat ſe igne viſibili, & humano, ſed illo alio igne, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius, igne, inquam, dæmoniaco, & æterno mulctantur malè communicantes. Hinc D. Anaſtaſius Sina. de ſancta Synaxi, ponderat illud Ioan. 13. *Et poſt buccellam introiuit in eum Sathanas.* Cur Sathanas auſus eſt poſt buccellam diuini, & cœleſtis epuli intrare? An contempſit buccellæ virtutẽ? Abſit, inquit Sinait. *Non quod Diabolus panẽ illũ deſpiceret, ſed vt eũ qui ſumpſerat, redargueret, in iudiciũ enim ſuũ ſumpſerat.* Et quidẽ vbi iudiciũ ſit, neceſſarius accuſator adeſt, & carnifex, & ſuppliciũ. Vide ergo quale iudiciũ mãducent, qui indignè corpus Domini mãducant, non humanũ iudiciũ, ſed dæmoniorũ iudiciũ & ſuppliciũ, & ideò poſt buccellam intrat Sathanas, ne qui malè ſumpſit, mactetur humano, ſed diabolico iudicio, & igne.

Epiph. Chryſ. Tertul. Ioan. 13. Sanait. Gaud.

§. XL.

## §. XL.

### *In Eucharistia vnitas, & concordia fratrum.*

APVD Numeros capit. 11. dicitur mana esse, *coloris Habbe dolach*, cuius verbi significatio haud facilè percipitur. Vnde nata est dictionum varietas, nam Pagninus legit, *Similis margaritæ*, vt vidimus supra §. 22. Alij habent, quòd sit Man. *Similis lapidi onichino*, quo circa, vt notat Abul. onix significat vnguen, & dicitur onix ille pretiosus lapis, qui colorē, & penè formā vnguis super carnē exprimit. Quo innuitur intima & summa vnitio, qualis est illa quæ intercedit inter vnguē & carnē, prouerbialiter assumpta ab Hispanis ad maximā amicitiam significandam. Ergo qui cœlestē panem amatis, qui mana vesci præsumitis, vel in eius colore discite quanto vnionis & concordiæ vinculo obstringi debeatis. Multa cogerunt alij in hanc sententiam, nobis suficiat notare id quod dicitur Exod. 16. de manæ pluuia. Ait enim text. *Factum est ergo vespere, & ascendit coturnix, & operuit castra, manæ quoque ros iacuit per circulum castrorū.* Itaque vbi carnibus pluit, illæ vt omnis desidiæ causa, intra ipsa arma, medijs ipsis ceciderunt phalangibus, at cœlestis ros vt omnimodè vnionis amator, sic extra castra cecidit, relinquere enim debet pugnarum locum qui cupiat de cœlesti pabulo satiari. Sic Rupert. lib. 3. in Exod c. 15. fatur: *De castris igitur illis exeundum tibi est, quicumque hoc minutum quod detulit ros iste, colligere contendis.* Amat prorsus diuinus mana pacificos, & vnitos vinculo pacis collectores. Quidquid hostile est, intimis infixum medulis cœlesti hoc pabulo debet omnino eradicari. Fallor, si non mirabaris, cùm filios Iob singulis diebus audisti conuiuijs vacasse. Qualis enim erat Sanctorum vita inter dapes, inter calentia vina, inter quotidiana conuiuia? Id iustus pater permittebat filijs, quod de externo conuiuio in dies ructarent? Quæ vtilitas tam frequentis mensæ? Pulchrè D. Chrysost. hom. 2. rationem venatur aiens, *Quādoquidem progenitores Esau, & Iacob vicissim se expugnabant, non Iacob in malitiam consentiente, sed Esau primum ad malitiam inuecto, progenitorem discordiam mensæ consilio soluit, liberosque facit per singulos dies conuiuari, quo assueta mensa resoluit malitiæ virus.* O viri pissimi sanctissimum excogitatum! Aduersus odia à progenitoribus Iacob, & Esau disseminata, mensam instituit, & conuiuia quotidiana parauit. Sic Dominus antiqua hominū odia, cum homine primo nata, quibus frater fertur aduersus fratrem, vt penitùs eliminet, diuinum parat pabulum, mysticam instituit mensam, in qua vnio, & concordia fratrum firmatur. Hinc præclare Diu. Hieron. in Abdiam, memorans fœlicitatem animæ, à peccato recens conuersæ, & Deum suspirantis, ait: *Dicetque cum sponsa pœnitentiæ, vbi pascis, vbi cubas in meridie? Et cum Ioseph, in antiquam germanitatem recepta, inebriabitur sanguine Pastoris, & Principis.* Itaque non antea pabulum, quā germanitatem antiquam recipiat, sed depositio omnino odio, & simultate, inter fratres vt Ioseph agat conuiuium sanguineque inebrietur diuini Pastoris, & Principis.

## §. XLI.

### *Bonorum terrestrium affectum exuat qui diuina pascitur Eucharistia.*

VENIO ad vulgatā lectionem Numerorum 11. vbi mana dicitur simile Bdellio. Quid est Bdellium? Abulensis putat esse lapidem Berilli. Igitur de Berillo vacat transferre huc verba Plinij data suprà, lib. 2. cap. 5. paragr. 2. vbi sic de Berillis loquitur, quod sint: *Chrystallis ferè similes, capillamenta habeant, sordesque alioqui euanidi, Indi solos gemmarum esse prædicant, qui auro carere malunt.* Vide modò quā aptè Mana sub Berilli proferatur specie, auri bonorumq; omnium terrestrium contēptum hominibus persuadens. Humanos repelat splendores, humana contemnat bona aurea, qui velit de tanta Eucharistiæ gemma & ditari, & Berillare. Abrahamus, Genes. 14. hostium deuictorū gazas, aureaq; spolia despiciēs, ait: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Et exinde à Melchisedech panis, & vini benedictionem accipit. Quid tunc? Sane panis ille cœlestis, quem Sacerdos secundum ordinē Mechisedech offert, illis datur, qui sciunt antea sæculi ornamenta contemnere, & spoliorum mundialium thesauros. Etenim ait Diu. Cyrill. Alexan. in

in Collect. cap. 6. de Abrahamo : *Ei quidem benedixit Melchisedech, qui erat figura Christi, sicut docuit Paulus, & eum, nullum accepisset spolium, pane, & vino cum aluit.* Sed mundi spolia, humanas & mundiales gazas, aurea omnia ornamenta contẽne, & de pane, si vino Eucharistico incipis berillare. Nescio an Isaac caluerat hãc Eucharisticæ gemmæ gloriam, quando inter benedictiones filij ait, Gen. 27. *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni.* Qualis nãque ager potuisset subolere tanto patri, nisi ille in quo gemma thesaurizatur, cuius amore sapientissimi mercatores sciant contemnere omnia bona mundialia? Ita Diuus Paschasius lib. de Corpore, & Sanguine Domini, ait : *In isto agro corporis Christi thesaurus absconditus vernat floribus immarcescibilibus, & redolet suauitate odoris. Quem qui inuenit homo: vadit, & vendit omnia quæ habet, & emit agrũ illum.* Et meritò vendit priùs omnia, quia Eucharistiæ gemma thesaurus tunc dignè habetur, cùm omnia mundialia bona contemnuntur. Bene Hieremon. monebat, Thren. 3. dicens : *Gaude, & lætare filia Edon, quæ habitas in terra, ad te quoq; perueniet calix : inebriaberis, atque nudaberis.* Non bene conueniunt in corde humano mundiales gazæ, & calix Domini, ea tanto calici pectora parantur quę sese nudare nouerint, & à se pellere affectum bonorũ temporalium. Huc respicit D. Cyprian. serm. de Cœna Domini, fatus : *Vident hæc Sacramenta pauperes spiritu, & hoc vno contenti ferculo, omnes mundi huius delicias aspernantur, & possidentes Christum aliquam huius mundi possidere supellectilem dedignantur.* Nec vacat mysterio, quod calix hic inebrians, & denudans dicatur apud Lucam, cap. 22. *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine.* Quando per testamentum mundialia omnia bona dimittuntur, & transmittuntur ad alios. Sic qui calicis cupit obtinere virtutem, de mundialibus bonis testamentum faciat, illa à suo affectu penitus arcens. Et tunc ait Ambros. serm. 51. *Christianus qui mundum non possidet, hic totum possidet Saluatorem.*

Gen. 27. Paſch. Thren. 3. Cypr.

## §. XLII.

### *Eucharistica efficacissima ad immortalitatem donandam.*

ANtequam à Berilli Eucharistica gemma discedam, illud etiã aduerto, quod de Berilis Plinius fatur, nimirum christallis esse pene similes, nec immeritò Eucharisticus panis exprimitur per speciẽ chrystallis. De Christo Domino resurgente dicit D. Chrysost. serm. 4. *Hodie processit panis in veritate, qui sicut christallum mittebatur de nubibus prophetiæ. Clamat enim David in voce psalmi dicens : Qui mittit chrystallum suam sicut frusta panis.* Ecce cœlestis panis datur nobis vt chrystallus. Cur vt chrystallus? Equidem vt homines vitã habeant, & abundantiùs habeant, quia qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Sol enim vbi immittit suos radios in chrystallum, eas vires colligit ibi, quibus ingentem suam virtutem exhibet confirmatam. Ita candor, & lux vitæ æternæ in pane cœlesti, quasi in limpidissimo collecta chrystallo efficaciùs, & fortiùs suam virtutem hominibus nouit communicare. Nolo ampliùs debere pulcherrima verba D. Irenæi, lib. 4. capit. 37. quibus reddit rationem aduentus filij Dei in carnem, dicens : *Verbum caro factum est, vt in carnem Domini occurrat paterna lux, & à carne eius rutila veniat in nos, & sic homo deueniat in incorruptelam, circũdatus paterno lumine.* Itaque Christi Domini caro, instar chrystallini corporis lucem vitæ æternæ receptat, vnde ipsa lux resiliens rutila in nos veniat, efficatiùs nobis donans incorruptibilitatem. Hinc patet, quã verè dicatur eibus, Eucharisticus panis, ait enim Dominus Ioã. 6. *Caro mea vere est cibus, sanguis meus vere est potus.* Cur verè cibus est? cùm ideò sit inuentus cibus, vt assumptas animalis vires perfectè restauret, mortemque ableget, vnus cibus Eucharisticus verè muneri suo satisfacit, quia vnus perfectam restaurationem donat, & mortem penitus exsufflat, introducta immortalitate. Sic Diu. Paschas. libr. de Sacra-Corpor. Christi, cap. 19. fatus : *Generaliter homines cibum, & potum per maximè appetunt, vt non esuriant, neque sitiant, & ne moriantur, hoc vtique communis iste non præstat cibus, nec potus, sed caro Christi, & sanguis, qui immortales & incorruptibiles facit, ideò verè cibus & potus nominantur.* O quã reficientur hoc diuino epulo corpora nostra! Quam reuirescent membra marcida, quam florebunt immarcescibili vita obtenta de lumine Eucharistico nata! Putant ali qui post mundi finem adhuc terram in paradisos iterum, adhuc viridantibus pratis, immarcescibilibus floribus exultaturam, neque id alio, nisi quia semel sanguine fuit rigata Christiano. Sic D. Anselm. in

Chrysost. Psal. 147. Irin. Ioann. 6. Paſch.

*Anſel.* in elucid. fatus: *Terra quæ in gremio ſuo corpus Domini confouit, tota erit vt paradiſus, & quia Sanctorum ſanguine eſt rigata, odoriferis floribus, roſis, violis immarceſcibiliter erit perpetuo decorata.* Quis id audeat negare humanis corporibus, dum illa toties de Euchariſtico ſanguine videat rigari, & fœcundari? Germinabunt equidem, iuxta Oſeam, ſicut lilium, immarceſcibilibus illuſtrata corolis, & viuent tritico, quando de chryſtallino frumento lucem haurient immortalem. Quam vita peremnitatem ab hoc diuino epulo datam non obſcure inſinat Ioel cap. 1. di-
*Ioel 1.* cens: *Ecce ego mitto vobis frumentum vinum, & oleum & replebimini in eo.* Addit frumento, & vino quo ſtabilimur, oleũ, vt illis inducat coniunctam perennitatem. Quod lucem capiet, ex Phidiæ arte, qua ſuas æternare cupiebat imagi-
*Epiph.* nes. De illo ita loquitur Diu. Epiphan. lib 2. contr. Hæretic. tom. 1. aiens: *Hic vbi Piſæum ſimulacrum fabricaſſet, ex ebore autem id ipſum erat, oleum effundit, iuſſit circumpedes coram ipſa ſtatua, vt pro viribus ipſam immortalem conſeruaret.* Ergo frumentum, & vinum Euchariſticum, vt participantur, oleum afferunt ſuis participibus, quo mirifice perſeuerant æternandi.

## §. XLIII.

### *Vt præcedere debet præparatio ad Euchariſtiam.*

DE Manna pluuia illud notat Abul. ad cap. 16 Exod. quod in primis antecedebat ventus deſiccans terram, & aptans eam, vt cum omni mundicie recipere cœleſtem panem. Quo neceſſaria nobis monſtrabatur antecedens præparatio, vt de diuina menſa reficiamur, cuius ille dignus efficitur particeps, qui antecedenti cura ſeſe nouerit præparare. Equidem ſemel cœli recepturi erant in ſe dominicã carnem, & pluſquam triginta annis antea ſe incipiunt præparare. Nonne vides in Chriſti Natiuitate ſtellam in Bethelem feſtinare, ibique vagienti puero in ſeruire, Reges in eius obſequio ductare? Quod putas fuiſſe huius ſtellæ miniſterium, & myſterium? Sane per illam cœli, qui virum poſtea recepturi erant, maturabant receptionem in paruulo. Ita D. Athanaſ.
*Athan.* orat. in Aſſenſ. fatur: *Quid cũ ad eum partum, cunum in lucem ederetur per ſtellam reſpiciebat cœlum, quaſi ante tempus maturaret complecti eum, qui in ſpelunca latebat, ſed & diſpoſitionis opportunitatẽ obſeruari oportebat.* O quam decet viros etiam cœleſtes ante corporis Domini ſuſceptionem, ſeſe in illam accingere, ſe ad illam excitare, & maturare complecti, eum, qui poſtea eſt intimis excipiendus viſceribus. Matt. 26. *Matth. 26.* accedentes diſcipuli dicebant ad Dominum: *Vbi vis paremus tibi Paſcha?* Ex quo & proditoris, & diſcipulorum diſcrimẽ notat Chryſoſt. fatus: *Tunc aduenerunt diſ-* *Chriſoſt.* *cipuli, tunc hæc gerebantur, quando Iudas de proditione tractabat, proximant diſcipuli eius & dicunt, vbi vis vt paremus tibi Paſcha? Vide diſcipulos, vide diſcipulum. Iſti ſunt de præparatione ſolliciti, ille Dominici ſanguinis mercator exiſtit.* Vere Chriſti diſcipuli qui de præparatione ſoliciti ſunt ad manducandum Paſcha, qui & reſpiciunt vt ſe ſe manducaturi præparent, vt ſemel cœleſtem cibum accepturi, ſæpius antea ſe aptent, ſe tententent, ſe exerceant ad tantum pauulum. Docet præparationem Magdalena cum ſtans retro cepit lauare Dominicas plantas, de qua eleganter D. Paulinus *Paulin.* epiſt. 4. ait: *Quæ ipſum viuum viuificumq; panem manibus, & ore præſumpſit, ſanguinem quoque calicis, ante quam fieret calix ſanguinis, oſculis ſugentibus præluauit.* Ante quam fiat menſa ante quam panis cœleſtis condiatur, iam de eius exceptione ſolicitus te debes aptare & dignum facere. Sordenti illi, qui nuptiali conuiuio aſsidebat, *Matt. 22.* vide quid dicat Dominus, Matth 22. *Quo modo huc intraſti nõ habens veſtem nuptialẽ?* Dixiſſet alius: cur ſordidus inter candidatos vitæ æternæ diſcumbis? Cur fœtidas diuino epulo prætendis manus? Cur accumbis? Cur edis? Nihil horũ Dominus, ſed quomodo huc intraſti, indignatus quod ante ingreſſum non ſeſe inſpiceret, *Chriſoſt.* & pararet tanto prandio. Sic Chryſoſt. homil. 61. ad Pop. *Non dixit quare diſcubuiſti? Sed ante reclinationem & ingreſſum, ſemetipſum indignũ eſſe fatetur. Non enim dixit quare recubuiſti? Sed cur intraſti?* Non quod peccata in ipſo conuiuio, ſed defectus præparationis antecedẽtis & notãtur, & ſeueriſsime mulctantur. Caue quiſquis diuino epulo accedis, & prius te præpara, te exorna eis virtutibus, quibus nitidus aſſiſtas nuptiali prandio. In prima rerũ Geneſi id maxime notandum quod prius terra veſtiatur floribus, & frugibus illuſtretur, quã cœli ſtellis, & aſtris expoliantur. Cur id Pulchre Anaſt. Sinaita lib. 4. Exam. *Sinaita.* ait: *Ante Deus ornauit terram quam cœ-*

*lum : tamquã si terra ante cœlum ditata sit Christi mysterio & aduentu.* Vbi terra ante cœlum receptura erat in se Dominicam carnem, iure optimo maturat ornatum, & festinat sese floribus vestire & decorare.

## §. XLIIII.

### *Spiritus sanctus homines in Eucharistia patrocinatur.*

VIdisti præparationem ad Eucharistiã recipiendam ex eo deductam, quod ventus mannà pluuiam antecedens præparet, & disponat terram. Iam modo animaduerte cui cõmittatur dispositio hæc, nimirum vento, quasi innuat, quod nunquam cœlestis panis fructus percipietur, quin diuini spiritus afflatus præueniat. *Chrisost.* Ideo Diu. Chrysost. orat. in B. Philogon. ait de Eucharistica mensa : *Hæc mensa vicem explet præsepis. Nam & hic ponitur corpus Domini non quidem fascijs in volutum sicuti tunc, sed vndequaque Spiritus sancto conuestitum.* Non poteris tantam mensam attingere nisi in Spiritu sancto, nec tanta hæc mensa hominibus salutaris existeret, nisi ibi Spiritus sancti patrocinium intercederet. Peccatori communicanti dicebat Paulus: *Quod iudicium sibi manducat & bibit.* Quippe positum est in hac mensa totum seueriſsimæ iustitiæ tribunal, ibi Iudex, ibi accusator interuenit. Quis ergo non fugeret mensam, quæ iudicem & accusatorem præsefert? Fugientem Dauidem à facie Absalonis, comitabantur Sacerdotes portantes Arcam fede- ris, 2. Reg. 15. Tunc Dauid ait summo *2. Reg. 15.* Sacerdoti: *Reduc Arcam Dei in ciuitatẽ, & sedeat in loco suo.* Cur Dauid in tanta necessitate constitutus Arcã Dei à se remo- *Theod.* uet? Bene respondet Theodor quæst. 30. *Non possum mecum circunferre accusatorem. Hinc audio non mœchaberis, non occides: ego venerandam conculcari legem.* Et sane vbi in Arca rem iudicij animaduertit, non miror quod illam à se curet remoueri. Simili modo si tota iudicij res in diuina ad est mensa, si ibi iudex, si accusator, quis non pabebit? Ille qui viderit mẽsam hanc vndequaque Spiritu sancto conuestitam, qui vbi iudicij rem in Eucharistia videt non potest, qua hominum aduocatus est, aliquando abesse. Accipite Diu. Irinæus *Iren.* lib. 3. cap. 19. sic de Spiritu sancto loquẽtem. Quem ipsum iterum dedit Ecclesiæ, in omnem terram mittens è cœlis paracletum, vbi & diabolum, tamquam fulgur, proiectum, ait Dominus. Qua propter necessarius nobis est ros Dei, vt non comburamur, neque in fructuosi efficiamur : *Et vbi accusatorem habemus, illic habeamus & paracletum : commẽdante Domino Spiritui sancto suum hominem.* Itaque vbi in Eucharistia iudicium & accusatorem timemus, necessum fuit aduocatum interesse qui nobis fiduciã supeddit- tet. Id quod promittebat Ioel cap. 2. fa- *Ioel. 2.* tus : *Ecce ego mitto vobis frumentum vinum & oleum, & replebimini in eo.* Quid significat oleum cũ frumento & vino, nisi Spiritus sancti fauor qui nos roborat ad Eucharistiam? Ait Paschas. lib. de Sacramen to Corp. & Sang. Christi : cap. 21. *In eo* *Pasch.* *vtique replebimini, quia caro & sanguis per eundem Spiritum sanctum consecratur. Neq; caro aut sanguis sine oleo Spiritus sancti prodest nobis, immo magis officit. Ideo quisquis recte vult communicare sic viuat necesse, vt templum Spiritus sancti semper esse queat,* Expende illud : imo magis officit, quippe iudicij res plurimum officeret, nitantus aduocatus interceſſerit.

## §. XLV.

### *Tota Dei præsentia in Eucharistia ad castitatem seruandam.*

FINIAM totam de manna considerationẽ, vbi expendo illud Num. 11. *Cum descenderet nocte supra castra ros, descendebat pariter & mannà* Itaque simul terra albicabat de pruinæ gelu, & ditabatur de cœlesti pane : quasi vnus cœlestis, panis necessarius esset, vt luxuriantem terram de glaciali puritate faceret radiare. Nec immerito à Zacharia Eucharistico poculo tribuitur, quod virgines posset generare, quando tota Dei potentia requiritur, vt humanum lutum albicet virtute castitatis. Sapiens illa Chananæa, quibus demonia à filia arceret, micas demensa Domini requirebat aiens: *Etiam Domine, nam & catelli comedunt de micis, quæ cadunt demensa dominorum suorum.* Non Dei potentiam absolutã exposcit, sed vel micam ambit, qua scit se posse infernum debellare. At Magdalena conuiuantem Dominum nacta, non micas sperat, qui-

bus

bus fiat sana, sed Saluatoris amplectens plantas ibi manebat alligata. Cur Maria si vis saluari Saluatorem inuadis? Cur vel mica ab eius ferculo, prosiliente non es contenta, sed ipsum fontem salutis arripis? Equidem ad expugnandum infernum mica Dei sufficit, verum ad firmandam castitatem totus & integer Deus videtur necessarius. Accipite D. Chrysost. serm. in peccatricem & Pharis. vbi ait: *Cernens in mensa Dominum non quæsiuit sicut Chananæa micas, sed ipsum panem vitæ amplexa est; Chananæa enim pro filia à dæmonio vexata interpellabat, & dum se ipsa canis nomine interpellari audiret, micas demensa cadentes petijt. Hæc vero non filiam demonio vexatam habebat, sed totum corpus lasciuiæ dæmoniacæ deditum.* Vt diuersa erat necessitas harum fœminarum, sic diuersa erat illarum expostulatio, quæ dæmonem expugnare volebat, de mica à Dei mensa cadente arma parabat, quæ castitatem menti inferere volebat, totum integrum panem viuum sibi præsumere curabat. Ea enim est castitatis virtus, quæ nisi ab omni potenti Deo nequeat confirmari. Notanda est conexio diuinorum nominum, quæ Isaias meminit cap. 9. fatus: *Et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius Deus fortis, &c.* Ecce tibi immediate post consiliarium subijcitur Deus fortis Cur non potius post admirabilem? An miraculorum potestas non aptius iungeretur fortitudini diuinæ, quam nomen consiliarij? Quid est in consiliario, quod sibi totam Dei fortitudinem vendicet? Respondet Paulus, vbi ait. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do* Itaque puritas virginalis clauditur intra consiliorum diuinorum fines, vnde necessum quod consiliario tota diuina fortitudo astet, qua sola virginalis pudicitia confirmabitur. Hanc excogitationem sic finit D. Cyprianus hom. de Nat. *Quod si diuinis consilijs obiauerit tentamenta, & liberas mentes ad carnales reuocauerint appetitus, adest Deus fortis.* Ibi est tota fortitudo Dei vbi necessum est carnales expugnare appetitus, & mentis confirmare castitatem. Omnem mundi machinam Deus solo verbo effecit, verum cum ad terram, ex qua homo, ventum est; ibi ait, faciamus hominem ad imaginem nostrã. Quo circa Tertulia. lib. de carn. resurrec. fatur. *Recogita totum Deum illic occupatum ac dedicatum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia & ipsa in primis affectione.* Cur ibi totus Deus? Sane aurifex in efficiendo vasse aureo totus occupatur manu, oculis, cogitatione, quia auri frustulum non cadet sine detrimento rei familiaris; verum figulus sic argillam tractat quasi nihil agat, cum omnibus sermones miscens. Cur Deus in argilla humana totus occupatur manu, sensu, consilio, prouidentia, sapientia? Pulchre Diuus Irinæus lib. 3. cap. 31. insinuat causam fatus. *Adam de rudi terra & de adhuc virgine habuit substantiam.* Ne miremur quod vbi a virginitate homo initiabatur, ibi necessum fuerit totum Deũ occupari. Proh virginalis castitatas, quanta virtutum vi eges vt possis splendescere in luto humano? Ad Hieremiam dicit Dominus capit. 1: *Prius quam te formarem in vtero; noui te: & ante quam exires de vulua, sanctificaui te.* Cur tenello infanti nec dum nato, tanta gratiarum moles datur, tam properæ sanctitatis additur culmen? Hieronym. lib. aduer. Iouinian. ait. *Hieremias qui vtero sanctificatus est, & cognitus in vulua matris, ideo hoc priuilegio fruitur, quia virginitatis erat beatitudini destinatus.* Tota illa sanctificatio antelucana, & ingens virtutum moles conueniebat ei, qui floridam culturus erat castitatem.

Chrysost.

Isai. 9.

Cypr.

Tert.

Irin.

## CAPVT IX.

## De Proditoris inter epulas manifestatione.

ANTE Finitam cœnam duo Christus Dominus facit, ambo præscientiæ suæ manifestatiua, discipulorum in fide munimina singularia. Obsecranti humiliter Ioanni proditorem aperte manifestat per exhibitionem intincti panis, & Petro suam firmitatem iactanti miserum trinæ negationis casum declarat De vtroque hæc nobis maxime sunt notanda.

(a)

## *Ioann. 13.*

*Text.* Erat ergo recumbens vnus ex Discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus.

### §. I.

### *Ioannes ni sinu Iesu recumbens sese filium Dei ostendebat.*

NON me tempero, qui in præsenti notem hanc maximam Ioannis Euangelistæ præcellentiam, quod in sinu fuerit Iesu. Sane Natam 2. Reg. 12. de pauperis hominis dilecta ouicula sic ait: *Simul de pane illius comedens & de calice bibens, & in sinu eius dormiens, eratque illi sicut filia.* Quid horum defuit Ioanni, vt haberetur Dei filius? In sinu eius vnus recumbebat, quo inter omnes discipulos singulariter Dei filius putaretur ipse. Accipite D. Chrysost. hom. 14. pouderantem de Verbo æterno illa: *Qui est in sinu Patris,* quibus sic inquit, *non diuersam substantiam in sinu haberet pater, sed neque ipse auderet si seruus esset, si vnus ex multitudine esset, in sinu Domini versari, hoc namq; filij est qui multum genitori confidit.* Quid glorioſius Ioanni Euangelistæ recumbenti in sinu Iesu posset effingi? Equidem non absimilis erat vitæ, etenim absimilem non haberet Iesu in sinu, neque ipse auderet, si seruus esset, si multitudini non se eximeret in sinu Domini recumbere: hoc namque priuilegium filij fuit, qui genitori suo maxime confidit. Luc. capit. 3. vt Christi Domini natalia euulgaret, primũ constituit Iesum deinde ascendendo omnes veteres Patres edixit. Quo expectans Diuus Irinæus 3. contra Hæret. inquit: *Primogenitus mortuorum natus Dominus, & in sinum suum recipiens priſtinos patres regenerauit eos in vitam Dei.* Similiter ipse Dei verbum recipiens in sinum suum Ioannem Euangelistã regenerauit illum in vitam Dei, fecitque illum apparere quasi alterum Dei filium adet, vt posset post modum à cruce dicere Ioan. 19. Ecce filius tuus, quandoquidem filio Dei Ioannes erat similimus. Eliam curru sublatum in aera, & Elisæum duplici Eliæ spiritu donatũ in terra considerans Chrisost. hom. 2. ad popul. ait: *Et erat duplex Elias ille, & sursum Elias, & deorsum Elias.* Id quod dixerim de Ioanne & Iesu, & erat duplex Iesus ille, & sursum Iesus euolans ad Patrẽ, & deorsum Iesus manens in Ioanne. Vt iam merito dicat Origenes: *Ioannes ille Theologus Dei viduus omnem visibilem, & inuisibilem creaturam suspirans, & deificatus in Deum intra in se deificantem. Sed quomodo illud Pauli audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui? Non ergo Ioannes erat homo, sed plusquam homo quando & se ipsum, & omnia quæ sunt superauit: non enim aliter potuit ascendere in Deum, nisi & ipse fieret Deus.* Hæc ille.

2. Reg. 12.

Chrysost.

Irenæ.

Orig.

*Textus.* Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est, de quo dicit?

### §. II.

### *Inuisus Deo est, qui solus in fauoribus esse cupit.*

OQuàm oderit Dominus hominem illũ, qui eo tendit, vt ipse solus in bonis appareat! Is erat nequã ille Pharisæus Luc. 18. qui has Deo agebat gratias: *Gratias ago tibi quia nõ sum, sicut cæteri homines.* Proh nefas! seſe ab hominũ arcet societate vt solus ipse inter omnes appareat. Ita D. Bernad. tract. de gradib. humilitat. *Gratias* inquit, *agit non quia bonus, sed quia solus.* Quid mirum, si male apud Deũ audiat: Cui ille placet qui studet societati, qui nihil sibi soli præsumit. Huc spectabat D. Greg. Nazian. orat. de moderatione seruãda, quãdo Philippi, & Petri in Magistro interrogãdo ponderat comitatẽ: *Iã illud quale tibi videtur? Philippus quidã dicere gestit, nec solus audet, verũ Andræam quoque assumit. Petrus aliquid percontari cupit, & Ioannem capitis nutu protendit.* O quã didicerant diuini consuetudinẽ Præceptoris, qui nulli soli arridet, nihilque magis cauet, quã ne vnus solus bona accipiat à diuinis manibus, adeò vt nec Philippus, nec Petrus ipse aliorũ Princes audeat solus accedere sine Ioanne. Sane diuinũ est, & maximè regale hominum prospicere cõmunitati, nec vnius solus cõmodis indulgere. Id quod animaduertit D. Hieronymus, epistola ad Saluianũ, in Nebridio viro & præstantissimo, & maximè Imperatoribus accepto:

Luc. 18.

Bernar.

Nizian.

Quic-

*Quicquid*, ait, *ab Imperatore poscebat, eleemosyna in pauperes, pretium captiuorum, misericordiam in afflictos erat. Vnde, & ipsi Principes libenter præstabant, quòd sciebant non vni; sed pluribus indulgeri.* Vtinam hanc omnes Principes Christi virtutem biberent, qua, & munera, & fauores sic omniũ subditorum præberent communitati, & societati, vt nullus solus sibi auderet ea spectare, vt nunquam vni; sed plurimis largirentur. Hinc verus Deus, & Rex omnium Christus Iacobi, & Ioannis repellebat quondã postulata: *Nõ est meum dare vobis*, vobis, inquã, qui singuli qui soli separatim ab alijs vultis regia decora, facinorum præmia ingurgitare, nihil ego Rex, & Domin⁹ omnium elargior. Sic Diuus Cyrillus Alexandr. libr. 16. Thesauri, cap. 5. *Iustus*, ait, *sum munerum declarator in certaminibus positis, ac ideò non petentibus simpliciter largiri debeo, nec per iniuriam certantium omnium ad duos solùm honores traducere.* Expende quam paucis proponat Dominus totam Imperatoris œconomiam, nimirum nec ad duos solùm honores traducere. O quàm fœlix esset Respublica, si nihil daretur vni soli! O quam se fouerent ciues, mutuisque cõmodis inuigilarent, dum sciuerint singuli nihil accepturi; nisi omnium societati proficuum! Vnde Augustin. conc. 4. in Psal. 103. ait *Quid ergo nos? Ad patriam quà ituri? Per ipsum mare, sed in ligno. Noli timere periculum; lignum te portat, quod continet, sæculum.* Vbi pondero, non nos singulariter, sed à continenti sæculum ligno portari. De hoc pluries alibi.

Cyril.

*Textus.* Itaque cùm recubuisset supra pectus Iesu, dicit ei: Domine, quis est?

## §. III.

*Nulla florentior Respublica, quam vbi fauoris à Principe vni exhibiti, in alijs datur aliqualis recompensatio.*

PRVDENTISSIMVS ille Princeps est, imò, & Pater, qui nẽ totus exsurgit in vnius, siue filij, siue subditi exaltationem, reliquis omnino posthabitis. Sed ita se ad omnes componit, vt singulis inueniatur fauoris, & muneris cõpẽsatio. Accipite pulchram parentum œconomiam in sanctissimis Iacob parentibus, Genesis 25. ait enim: *Isaac amabat Esau, eò quòd de venationibus illius vesceretur; & Rebecca diligebat Iacob.* Ecce vobis parentum fauor in duos filios distributos ea prudentia, vt quandoquidem pater maiori, & fortiori omnia sua parabat; minor gauderet inter amplexus matris. Vnde Diuus Ambrosius libro 2. de Iacob, cap. 2. *Accipite*, inquit, *bonum certamen inter parentes, mater deferat affectum, pater iudicium; mater circa iuniorem tenera pietate protendat; pater circa seniorem naturam honorificentiæ seruet. Hic magis honoret, illa plùs diligat, dum singuli singulos foueant, non in vnum vterque conspiret.* Hæc sit gubernatorum omnium disciplina, non omnia in vnum conglomerent, non & affectus, & iudicia, & honores, & fauores, & substantiam vni asseruent. Vbi manus vni tenditur, pateant alijs amoris, & beneuolentiæ vbera. Sic maximus Principum Magister Christus Dominus Petro Ecclesiæ principatum attribuens, non omnia in illũ conglomerauit; imò Ioanni, & nobis reliquit patentia amoris vbera, quippe dicitur; *cùm recubuisset ille supra pectus Iesu.* Id quod in Petro, & Ioanne eleganter expendens Diuus Gregorius Nazianzenus, oratione de Moderatione feruanda, inquit. *Vides quemadmodum ex Christi Discipulis hic Petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habeat, ille impensius ametur, & supra pectus Iesu requiescat.* O vtinam sic omnes Prælati, omnes Principes, omnes patres se ad subditos conformarent, vt nunquam in vnum omnes fauores, & substantias conferrent, sed & maiorem, & præstantiorem ditantes, amoris plenum reliquis remittant affectum. Nil sic Rempublicam turbat, quàm si vnus cæteris in omnibus præferatur, quantumuis id fiat prætextu obligationis, & pietatis. Quod meditatus Diuus Ambrosius in Psalmum 118. sermone 14. in historia filiorum Iacob, qui durissimè ferebant Iosephum plus à patre adamari, sic fatur. *Etiam pius amor miseriam prælationis inuenit.* Enim verò etsi Iacob sanctissimè, & iustissimè præferret Iosephum fratribus, tamen hæc prælatio fratres armauit, & domum repleuit turbatione, & lachrymis. Vnde diuinùs Christus Dominus in sua familia ostendit formam familiarum florentissimarum, in quibus sic fauorum, & prælationum fit per

Gen. 25.

Amb.

Nazian.

Amb.

singulos recompensatio, vt non vnus omnia ferat, sed singulis amor, & benignitas Principis pateat. Ita de Christi Dominifamilia. Nazianzenus, vbi suprà fatur. *Aliud Petrus interrogat, aliud Philippus, aliud Iudas, aliud Thomas, aliud alius quispiam, neque aut idem omnes, aut vnus omnia.* Expende, quàm odiosum semper sit, quòd vnus omnia: etenim necessũ est, vt aliquid Principis, & Prælati singuli capiant. Sic Iob, cap. 31. ad commendationem sui Principatus illud affert: *Si non dixerunt viri tabernaculi mei. Quis det de carnibus eius, vt saturemur?* Quasi nullus fuerit in toto Iobi principatu, qui solus integrum dominum vellet vorare. Sed singuli partiti inter se dominum de illius participatione voluerint saturari. Ex quo lucem affero acutæ, & ingeniosæ meditationi D. Chrysost. aliter suprà dati, qui homil. 24. in 1. ad Corin. expendit illud, cap. 10. *Et panem quem frãgimus, nonne communicatio corporis Christi est?* Ad hæc ille. *Quare audit: quem frangimus? Hoc in Eucharistia videre licet; in cruce autem minimè; sed omnino contrà: os enim inquit, non comminuetur ex eo. Sed quod in cruce passus non est, in oblatione patitur propter te, & frangi sustinet, vt oues satiet.* Expende illud, nimirum, quã in cruce non pertulit fractionem, hanc patitur in Eucharistia propter te, vt te satiet. Cur magis in Eucharistia propter te, & propter ex satiandas oues frangitur? Sanè in cruce personam subditorum agebat, pro quibus paternæ iustitiæ faciebat satis, & sic in pretium integer soluebatur. Verùm in Eucharistia personam agebat Patris, & Regis, pauentis, & gubernantis subditos; & tunc frangitur, & in frusta diuiditur, ne aliquis sibi soli integrum Dominum præsumeret capere; sed singuli de carnibus eius, de participatione eius vellent satiari. *Et frangi sustinet, vt oues satiet.* Tunc enim subditi saturi, & validi agunt, quùm singuli de Domino partem capiunt, non vnus omnia sibi expiscatur.

*Nazian.*

*Iob. 31.*

*1. Cor. 10.*

*Chrysost.*

*Textus.* Respondit Iesus: ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ.

## §. IIII.

### *Perditissimos homines beneficijs Dominus affligit aliquando illos tunc castigans.*

ECCE vobis Dominus è tot amantissimis Discipulis vni Iudæ fauorem intincti panis ministrat. Ideò Meliùs agitur cum proditore? Ideò Iudas fœlicior? Imò nunquam homo perditus maiori verbere affligitur, quàm dum à Deo fauoribus ingratus, & beneficijs delinitur. De reprobis Iudæis agens D. Gaudent. serm. 9. ad Neoph. reddit rationem, cur toties Deus illos ingratos, & omnino perdendos beneficijs affecit, & sic ait. *Nolebat se panem cœlestem vitæ Principem Iudæis citò subtrahere, donec ipse in carne adueniens doceret eos, & instrueret, verberaret curationem beneficijs eos, qui ingrati existerent.* Itaque tunc maximè perfidi Iudæi verberabantur, quùm pane viuo de cœlo ditabantur ingrati; putabantur miseri à Deo amari, à Deo foueri, dum summa ab illo beneficia recipiebant in dies. At nũquã miserabiliùs erant, nullo duriori verbere affligi poterãt, quàm dum sic ingrati, & scelesti beneficia, & fauores capiebant ex diuinis manibus. Sapiẽs, illa & prudentissima Esther, ca. 5. interẽptura Hebræorum Hostem Amã, illum inuitat ad regium prandium; ait enim: *Si Regi placet, obsecro, vt veniat ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium, quod parani.* Cur hæc Regina facis? Populi tui hostem vis pascere? Regiũ accepisti diadema, vt gentẽ tuã redimeres; & tu eius hostẽ excipis conuiuio? Oraris à patruo, à nutritio tuo Mardochæo, vt Regem adeas conquestura de Aman, & illi regias paras dapes? Sanè nunquam in Aman sæuior, quàm quùm illum excipit conuiuio, inescat, vt capiat, impinguat illum, vt mactet. Pulchrè Rupert. lib. 8. de Vict. verbi Dei ponderans Reginæ factum. *Non statim*, ait, *dixit petitionem suam, non cõfestim aperuit voluntatẽ suã; sed ad conuiuium vtrumque vocauit amicum, & inemicum, Regem, & Amam, prudenter prouidebat illic aperire inimicitias, vnde effugere non posset hostis homicida. Veniat, inquit, Rex, & Aman ad conuiuium, quod parani eis. Feram immanem vrsum ferocem, vt vadat ad suplicium, allicit ad edulium, nec priùs audiat*

*Gaud.*

*Æsther. 5.*

*Rupert.*

*audiat famam, quàm subeat pœnam, ne priùs videat foueam quàm incidat in eam: prudens & sciens commodius esse feram comprehensam intus opprimi, quàm exterritam, & per saltus fugientem cum canibus dubio euentu insequi.* Sic Iudam, sic perditos homines Deus cibat, & afficit beneficijs ingratos, quibus ipsi abutentes pro beneficijs metunt dira supplicia.

## *Textus.* Et post buccellam introiuit in eum Sathanas.

## §. V.

### *Vt magna Dei misericordia est cordis malitiam propallare exterius: sic qua si deploratus est ille homo qui hanc salutis fontem contemnit.*

IAM iam in damnationis constitutum extremis Iudæ, nec aduertentē in malum suum beneficentissimus Dominus vltimo, & efficacissimo curat remedio. Desperato pene applicat Dominus corporis sui esum, vt vel tanto antidoto morbus appareret, & miser aliquandiu conualesceret. *Sed post buccellam introibit in eum Sathanas.* An quòd malum maius causaret esus diuinæ buccellæ? Cur ergo dabatur à Domino nocitura buccella? Equidem buccella illa efficacissima causa salutis erat, nec vllum malum ex se, imò maximum bonum attulit, vel ex hoc Sathanæ ingressu ab ipsa buccellæ praua sumptione occasionato. Etenim iam diu Sathanas Iudæ cordi inerat & alibi dictum. *Cùm diabolus misisset in cor:* latebat tamen morbus hic, latebat diabolus, quo latente, nec æger ipse, nec alij ingentem, & desperatum morbum præsentiebant. Nunc autem post buccellam dicitur Sathanas ingressus, non quòd denuò ingrederetur, sed quòd iam manifestè patèret, & declararetur eius ingressus: quod summam virtutem, & beneficentiam buccellæ in tanto impio protendit. Id quod in præsenti attigit Theophilus Alexandrinus, lib. 4. Allegoriarum, his pulchris verbis. *Ideò accepta buccella legitur quòd Sathanas in Iudæ pectus intrauit, quia sicut antidoto fugatur venenum; ita dato pane apparuit Sathanas in Iuda, in quo dum furaretur, latebat.* Nonne sæpissimè visus est æger flammanti febri correpi, & nihilominus totū febris venenum Medicis latère? Tunc adhibito igne medijs vitreis vasculis latens venenum per nigricantes cutis maculas apparet exterius, & morbus incipit timeri, & æger sibi prouidere. O Christiferæ buccellæ etiam in desperato homine beneficentiam! Non sanauit hominem, sed quod summum bonum erat, vt sibi æger prospiceret, vt morbum timeret, in corde occultè latens extraxit ad exteriora venenum, & fecit latentes Sathanæ furias apparere. Fallor, si hanc essi cacissimam medicinam non expostulabat prudens ille agricola, Luc. 13. orat enim vt antequam ficum sterilem eradicet, mittatque in ignem, permittatur circumponere exteriùs stercora. De quo ita D. Gregorius Nazianzenus, oratione de Moderatione seruanda, fatur. *Benignum illum, & humanitate præditum agricolam imitare, Dominum adhuc precare, ne infructuosam ficum excidat, atque odio habeat, verùm conuertat, & curet, & stercus inijciat, hoc est, eam correctionem, quæ manifesta pudefactione, atque ignominiosiori vitæ ratione constat.* Ecce tibi qua benignitate agricola remedium illud sicui postulabat, quo manifestaretur eius ignominia, quo præoculis poneretur pudefactionis plena materies. Ecce quanta etiam misericordia Dominus antidotum præbet, quo benenum latens appareat, dedecoris, & ignominiæ maculis æger affectus timeat sibi, & extremum periculum caueat. Sed quò hæc medicina efficacior est, summique amoris, & benignitatis argumentum, eò deploratior infirmus, qui illam contemnit. Sanè dum alijs medicinis æger curatur, quibus nō extrinsecus apparet venenum, numquam eius desperatur salus, quia morbus non plenè patet; at vbi adhibito efficaci remedio, nigræ veneni maculæ exteriùs apparent, tunc omnino salus desperatur. In alijs sceleribus, quibus homo inficitur, latente Sathana, non apparet hominis perditio necessaria: at vbi sacris salutis fontibus initiatus maiores peccati facit maculas, tunc præcipuè perditio explicatur. *Ita dato pane apparuit Sathanas in Iuda, in quo dum furaretur, latebat.* Hinc duo hominum genera distinguit Diuus Isidorus Pelusiota, lib. 3. epistola 364. Alij sunt qui peccāt; sed, & pudet illos peccati, & venerationem habent sacris. Alij omnino impudentes nullum vitij manifesti timorem habent. *Primos quidem diabolus haud valde aggreditur, quod scilicet exploratum habeat, eos quamuis peccent, tamen id agnoscentes*

*diuinis*

*Theoph. Alexan.*

*Nazian.*

*Isid. Pelus.*

*diuinis rebus veneratione conseruare. At verò in secundos, hoc est, in eos qui peccãt, nec peccatũ agnoscũt, aut licet agnoscãt contẽnũt, ac sacrosancta mysteria minimè cõtingere verẽtur, totus se insinuat: illud nẽpe perfectæ stupiditatis, & corruptionis argumentum est. Quod in proditore fecit.* Hæc Isidorus, quibus patet dæmonem alijs vitijs latentem tunc maximè in homine apparere, quando is sacris rebus venerationem debitam dimittit.

## *Text.* Et dixit ei Iesus, quod facis, fac citiùs.

## §. VI.

### *Impius festinatissimam sibi mortem accisit.*

NON præcepit facinus, ait Augustinus tract. 62. in Ioan. *sed prædixit Iudæ malũ.* Et quid impio magis solẽne, quã festinata ruina? Hæc illorum natura, hic mos, vt rapidissimum sui moliantur finẽ. Pulchrè sceleſtos Iudæos pernici interitu consumi adnotans Hieremias dicebat. *Magna est velut mare contritio tua,* quippe mare tempestate agitatum dici nequit, quam rapidis fluctuũ incursibus vapulet. Hinc inde volant vndæ, concurrunt, & in horæ momento innumeris vndarum flagellis aqueæ moles finduntur. Sic de impijs loquitur D. Paschas. in præsenti libro. *Sicut mare magis vndarum suarum fluctibus indesinenter alliditur, ita, & isti postquam in manibus inimicorum peruenerunt ruinis, & tentationibus fracti conteruntur, & à feruore peccati non quiescunt, donec gehenna eos excipiat.* Viditi quàm rapidis fluctibus conteratur mare? Sanè non aliter raptantur impij ad ruinam, vt fluctus in mari; sic in impio interitum afferentia mala concurrunt. Quibus tanta celeritate finiuntur, vt meritò de illis dicat Diuus Ambrosius, epist. 6. ad Irenæum. *Verè sunt sicut cicadæ, quia de die in diem viuunt, quæ fluque rumpuntur suo. Quid enim aliud sunt homines nullius ponderis, nisi vt videantur sicut cicadæ ad mortẽ nati diurnam? Qui sub ardore feruentium cupiditatum se mulceant cantu, statimque occidant?* Putarat enim Sanctus, cicadas quotidie nasci, dumque se crebrò ictu percutiunt, & canere, & disrumpit; quod saltim verissimum est in impijs, qui dum maiori impetu à suis cupiditatibus feruntur, rapidiorem, & festinantiorem sibi interitum accisciunt. Et quidem Dauid Psalm. 1. dicebat: *Non sic impij, non sic; sed tamquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.* Ecce quàm celerem impiorum finem! Vt puluis, quem proijcit ventus. Sic Clemens Alexa. c. 10. *facilem, & tanquam ventis perflabilem eorum dissipationem ostendit.* In ventorum alis venit impiorum dissipatio, rapidissimum, festinatissimum interitum habent impij cupiditatum quæstu rumpuntur, quasi ad vitam nati diurnam. Id quod eleganter expendit Drogo, de Sacram. Passion. verbis illis. *Talis est omnium voluptatum carnaliũ finis: & sicut arena maris volatilia pennata, gaudet edacitas, pennulas mouet; sed mox in arenam maris conuertitur: gaudet luxuria: modicum volitat; sed mox in arenam maris transit: omnis dulcedo carnis in amaritudinem finit, modicùm leuant infœlicem animam; sed mox aggrauant in arenam.* Væ tibi qui effrenis cupiditatibus raperis, volas in puluerem, in arenam. Sic Iudæ impio prædicit Dominus festinans excidium ad quod ipse volabat. Nec mireris, quòd dixerim perditissimos homines festinare in sui perniciem, quando, & ipsæ scelerum pœnæ, & tormenta ipsa quantum est ex se in malorum euolare nituntur, excidium. Sic pessimus ille Flaccus Iudæorum pestis apud Philonem aiebat. *Horum facinorum pœnæ me manent, sat scio, & diræ fiant tanquam in carceribus, vt obice rupto properent in meam perniciem.* Sic malorũ pœnæ in malos propendent, vt quasi per vim in carceribus detineãtur, vt vel si obex tollatur, quàm citiſ simè erumpant. Nec ad impij excidium relinquitur aliud, quàm si vel nomen, vel sonus pœnæ, vel vmbra tangat illum. Ideò falsi illi testes contra Naboth apud impium Regem dicturi, studio dicunt, quòd *Deum benedixit, & Regem.* Non audent equidem dicere, *Maledixit*, ne impius Rex maledictionis vocabulo caderet percussus. Id pulchrè notauit D. Ambros. libr. de Nabuthe, cap. 11. inquiens: *Benedixit, inquit, ne diuitem maledicti nomen offendat, & sermonis ipso lædatur sono, benedictum pro maledicto vocatur.* Adeò facilè impij pereunt, vt vel cadant ipsa voce, & sono ruinæ.

Threner. 2.

Paschas.

Amb.

Psal. 1.

Cle. Alex

Drog.

Psal. 77.

Ambr.

§. VII.

## §. VII.

### *Maximum solet esse reprobo beneficium, quòd breui finiatur.*

CELEREM proditori internectionem prædixit Dominus verbis allatis, iuxta D. Cyrill. excogitatum, nec reprobo homini aliquid melius optari posset, quàm cita, & festinata mors. Sanè id docebat Clemens Alexand. 3. Pedag. cap. 2. fatus. *Mens à voluptate adducitur, & rationis integritas, quæ verbo pædagogo non vtitur, labitur in libidinem, lapsus autem mercedem recipit, quòd excidat.* Expendo illud, mercedem recipit, quòd excidat. Mercedis enim loco, & beneficij maximi habetur ab impio excidium breue, & celer interitus. Hinc Tertull. 2. in Marcion. Deum maximè iratum in Cain commemorat, quandoquidem illi signum posuit, ne ab vllo interficeretur. *Cain*, inquit, *male dixit Deus, & cupidum morte diluere delictum, mori interim vetuit, vt præter admissum etiam negationis eius oneratum.* Quippe indignus erat tantus reus beneficio mortis à Deo munerari, qui mortem, quatenus peccati remedium adinuenit, vt peccatoribus mercedem, aliquam, & beneficium in pœna pararet. Quod meditatus fuit D. Gregorius Nazianzenus, orat. in Christi Natiuit. Adami lucrum ex mortis sententia magnifaciens, fatus *Mortem in paradiso elucratur homo, & peccati præcisionem, ne malum immortale foret, ita pœna ipsa in misericordiã cessit.* Hinc maximè ponderanda est celeritas diuina, & festinatio, qua statim venit Deus post peccatum, vt hominẽ à paradiso arceat, illam reddens expulsionis celeberrimæ causam, *ne fortè mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum.* Dixit, ne fortè, quasi dicat, ne inscius, & fortuitò quasi aliud agens de vitæ arbore edat. Ex quo Rupert. l. b. 3. in Genes. c. 30. sibi persuadet, quòd neque Adamus, neque diabolus vitæ arborem nouerint. Imò diabolicæ ignorantiæ circa vitalem cibum hanc affert singularem congruentiam, nimirum: *Si enim vel ille sciisset, nunquam consilium suæ malignitatis, ita dimidiasset; sed sicut illud lignum temerè persuasit, vt miseros faceret; sic, & istud præripere suasisset, vt æternaliter miseros, & miserè æternos efficeret.* Nil magis diabolus curaret, quàm à peccatore homine arcere mortem, vt illius miseriam æternaret. Etenim, vt rectè argumẽtatur Boetius, libro 4. de consolatione, prosa 4. *Si nequitia miseros facit, miserior sit necesse est diuturnior nequam: quos infœlicissimos iudicarem si non eorum malitiam saltem mors extrema finiret.* Vnde absolutè Ecclesiastes, c. 7. pronuntiauit, quòd melior sit, *dies mortis die natiuitatis*: enim verò à natiuitatis die omnes aperiuntur foris malis vniuersis, quorum maiora, nimirum mala culpæ morte saltem finiuntur. Sic Olimpiodorus: *Transitus dies è stadio nos abducit, & siquidem peccator est qui decedit, peccare vltra iã desinet; qui verò fuerit iustus, vita perfruetur æterna.* Ecce modò Christi Domini beneficentiam cum proditore suo, cui tanti criminis reo saltem hoc optat citissimæ internectionis beneficium. Quandoquidem ait, quod facis, fac citiùs, quasi citam illi, & properam mortem indicens iuxta Cyrilli excogitatum, ne vllum illi desit Saluatoris beneficium.

Cle. Alex.

Tertul.

Nazian.

Rupert.

Boet.

Eccles. 7.

Olimp.

*Textus.* Hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei Iesus, eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis, vt aliquid daret.

## §. VIII.

### *Proximorum errores, & peccata non sunt euulganda.*

OVTINAM hinc omnes ediscere mus proximorum etsi conspicuos, & notos errores silentio tegere. Manifestatus fuerat à Domino proditor Ioanni; ipse verò adeò siluit, adeò se tacitè gessit, vt vel Iesu loquente ad Iudam, nihil indigitaret, quo nequam hominem cognoscerent Condiscipuli. Hæc erat primitiuorum singularis religio, qui nec de euidentissimis proximorum delictis faciebant verbum vllum. Nonne euidentissima fuit tremenda

illa

Act. 5. illa Ananiæ mors, Actorum 5. Sed vide quid ſcriptura dicat. *Factum eſt autem quaſi horarum trium ſpatium, & vxor ipſius neſciens quod factum fuerat, introiuit.* O ſingularem priſtini temporis modeſtiam! Sanè, ſi modò accideret quid ſimile in momento temporis totam impleret vrbem, nec vllus eſſet, qui famam eius non audiret. Et tunc horrendum facinus in multorum frequentia viſum per tres horas ignoratum eſt à Saphira? Id eleganter pondeſtat D. Theodorus Studita, ſerm. 117 *Quin habeo, chariſſimi, quod accuſem vos quoque. Quid ita? Scriptum eſt in Actis Apoſtolorum, factum eſt quaſi horarum trium ſpatium, & Saphira vxor ipſius neſciebat, quod factum fuerat. Certè in publico acta fabula eſt, & frequenti vulgi corona; ſed erat indidem, nimirum circunſpectio, modeſtia, Dei reuerentia.* O tempora! ò mores! Modò, quod in abditiſsimis Eccleſiæ penetralibus, quod intra religioſorum ſepta ab humana infirmitate ſentitur, per ſæcularium, & prophanorum volitat ora, magna cum pietatis, & religionis iactura. Nazian. Quo circa gemebundus Nazianzenus, apol. 1. comminiſcitur multa, & tandem hæc inquit *Omnes vno hoc nomine pij ſumus, quia alij alios impietatis damnamus, ac inducibus vtimur ijs, qui à Dei fide cultuque abhorrent, canibuſque res ſanctas proijcimus, atque ad porcorum pedes margaritas iacimus, prophaniſque auribus, & animis diuinam doctrinam euulgantes, atque hoſtium vota miſeri ſedulò explemus. Quin etiam Mohabitæ, & Ammonitæ, quibus ne Domini quidem Eccleſiam ingredi licebat, in ſanctiſsima noſtra myſteria erumpunt.* Sic Nazianzenus pungit illos, qui Chriſtianorũ errores inter Ethnicos euulgabant: ſic meritò pungendi eſſẽt illi qui quod humanæ fragilitatis eſt in Eccleſiaſticis, in Religioſis, in pijs hominibus ad prophanos, & ſæculares homines deferunt eò intenti, vt fratrum errores publicent, & patefaciant. Quàm aliter primæui illi Chriſtiani? Quàm aliter ſancti viri ſunt, Exod. 7. qui expendentes illud Exodi, cap. 7. *Ecce conſtitui te in Deum Pharaonis*, putent ideò Moyſem Deum Pharaonis fieri, vt eius diſſimularet, & tegeret ſilentio ſcelera, quantumuis maxima? Et quidem diuiniſsima hæc virtus eſt, quod fratrum errores tegas, & taceas. In vitis Patrum, vbi de ſententijs illorum agitur, ſent. 17. hæc ſcribuntur Mach. de Sancto Machario. *Dicebant de Sancto Abbate Machario maiore, quia ſicut Deus protegit mundum totum, & portat peccata hominum: ita, & ille quaſi quidam Deus terrenus fuit in fratribus operiens delicta illorũ, & ea quæ videbat, vel audiebat, quaſi non videns, & non audiens.* O vtinam hæc virtus noſtris inſeratur in animis, vt delicta fratrum & proximorum operiamus, imò nec videamus, nec audiamus, & Dij erimus, & appellabimur.

## §. IX.

### *Occultiſsimum eſt iudicium Dei, quo qui diu virtuti adhæſſerunt tandem decidant, & repellantur.*

HAERENTE adhuc illis verbis. *Hoc autem nemo intellexit diſcũbentium.* Et quidem ſuperat intelligentiam creatam, quod diſcipulus diu bonus, diu Deo adhærens, diu virtuti incumbens à Deo tandem repellatur. Deuter. 25. Iſraelis caſum, & repulſam prædicens Moyſes, ait: *eris perditus in prouerbium, & fabulam omnibus populis*: ſignificantius, & pulchriùs ſep. vertunt, *eris perditus in ænigma*: Sanè ſceleratiſsimorum hominum ruina ſpeculum eſt Dei pu- Deut. 25. nientis, & vindicantis; verum iuſtorum hominum, nimirum illorum, qui viam ſalutis ingreſſi multum profecerunt, caſus, & perditio occultiſsimum Dei iudicium, ænigma eſt nulli notum mortalium. Hinc Eze. 3. Ezechiel, c. 3. *Factum eſt verbum Domini ad me dicens, fili hominis propone ænigma ad populum Iſrael*: ſed quod ænigma proponendum eſt? Ecce tibi ænigma. *Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu plena plumis, & varietate venit ad libanum; & tulit medullam cedri, & tranſportauit eam in terra Canaam, in vrbe negotiatorum poſuit illam.* Quod rapax iſta aquila Synagogæ quercetum adiret, indeque maximos ſacerdotum in ignem raperet, ſpeculum fuiſſet patens iuſtitiæ diuinæ in impios, & ſceleratos ſæuientis homines: at Synagogam præterit, Ethnicorum tranſilit vaſtiſsimam ſyluam, & ad libanum venit, ad candidiſsimũ Apoſtolorum cætum, ex illoque rapit medulam cedri, electum, & dilectum quondam diſcipulum, & in vrbe negotiorum ponit illum, vt vendat magiſtrum. Hoc ænigma eſt, idque creatæ ſapientiæ occultiſsimũ. Vnũ ego notarim, quod vbi diabolus inſigne aliquod ſcelus meditatur, tunc accedit ad libanum. Quod attigit D. Paſ. libr. Paſc. de

de Sacram. c. 21. dicēs, *sicut nihil in hac vita fœlicius bono Christiano; ita nihil periculosius, si desertus à tanta gratia fiat membrum meretricis.* Vbi virtutum summitas, ide extremum vitiorum egreditur. Qui tantum Dominum venderet, & nefariè traderet, nō nisi c libano virtutis eligitur. Cauete ò vos, qui libani estis incolæ, qui virtuti acquirendæ operam nauatis, illac rapax Aquila reuolabit, quum ingens aliquod crimen mundo introducere fuerit molita.

*Textus.* Cùm ergo accepisset ille buccellam exiuit continuò: erat autem nox.

## §. X.

### *Pereunt qui diuina bona suo volunt permitti arbitrio.*

O Quoties in præsenti memini illorum hominum, qui tristantur, quum audiunt minime suis solis manibus permissam esse æternā salutem, si in mea, inquiūt; manu fuisset, si meo arbitrio daretur, si prę destinatio potestati meæ relinqueretur. Quid inde? Prorsus quam citissimè perires. Ecce tibi Iudæ manibus permittitur totius pretium mundi, & quid fecit? an gloriam mercatus est? an cœlorum sedes, vt facile posset, emit? Imò quum primum permittitur eius manibus Christus à se abdicat, & vendit illum. Crede mihi, si id obtineres quod postulas, si tuis manibus salus permitteretur, tuoque relinqueretur arbitrio, statim vendidisses, & perdidisses illam. Aiebat Dauid Psalm. 118. *anima mea in manibus meis semper.* Quid inde? Pulchrè Chaldæus, *anima mea periclitatur ac si in superficie manus meæ esset sita.* Maximū salutis periculum, imò certum detrimentum incurrit qui suis solis manibus illam cupit permitti. Prodigus ille Luc. 15. id petebat à patre. *Da mihi portionem substātiæ, quæ me contingit,* inscius periculi suo arbitrio substantiam bonorum relinqui exoptabat. Cui eleganter, & verè D. Chrysol. serm. 1. *Hic ipsam prærogatiuam filij habere non meruit, qui ea quæ patris erant noluit possidere cum patre.* Hæccine est multorum stultitia, qui ea quæ Dei sunt volunt gubernari arbitrio suo, & cum suis manibus permitti petunt substantiam bonorum, illam pro summis malis venundant. Quo circa dicebat Aug. Psalm. 131. *In sua potestate esse voluit ille filius qui dixit. Da mihi partem patrimonij, quæ me contigit. Bene seruabatur apud patrem ne cum meretricibus dissiparetur. Accepit, facta est in eius potestate. Profectus in regionem longinquam effudit omnia cum meretricibus.* Sic pereunt qui salutem credunt proprijs suis manibus. Pulchrum nobis reliquit exemplum Moyses Exod. 17. pugnaturus enim Iesus Naue cum Amalech posuit Deus euentum belli, & victoriam in manibus Moysi, dummodo manus sursum eleuatæ respicerent. Quid aliud Moyses cuperet? quid vltra desideraret? in manibus suis victoriam habebat, & quidem cū eleuatas teneret illas victores suos milites videbat existere. Sed proh dolor! nūquam periculosius pugnatū est ab Israelitis, nunquam Moysis victoria magis incerta, quam dum creditur eius manibus. Ait enim. *Si autem paululum remisisset, superabat Amalech; manus autem Moysi erant graues.* Et cui non sunt manus ad bonum graues? Quis non paululum, & imò, multum manus ad terram dimitteret? Sanè nullus homo salutem adipisceretur, si eius manibus salus fuisset permissa. Ecce quot bona, & quanta, & quam splendida data sunt Iudæis, imò Iudæ, quibus acceptis miseri abeunt perditum illa. De quo D. Paschal. libr. 2. in Threnos litera. *Res. Quid longius prosequar, cum cum Iudæi peremerint, qui eis cuncta præstiterat? Amiserunt omnia interius, & exterius cælestis vitæ, & terrenarum rerum bona, præsentia, & futura, qui de tanto amore Dei mercati sunt offensam, & tanta gloria dedecoris ignominiam.* Ecce tibi quid emercentur miseri accepto mundi pretio? permittitur Iudæ Christus, datur ei in manus tantum bonum quo possit negotiari, & cœlestia acquirere: at ille continuo exiuit, vt illū paruis argenteis vnundaret, & de tanto amore Dei mercatus est offensam, & de tanta gloria ignominiam. O vtinam nullum bonum meo permittatur arbitrio! O nunquam manibus meis permittatur salus; nisi fulcrum illarum, & sustentaculum sit ipse Christus Dominus omnipotens.

Psal. 116.

Luc. 15.

Chrysol.

Exod. 17.

Pasch.

## §. XI.

### *Vna mentis obcæcatio multorum dierum potis est perdere lumen.*

MERITO notauit Ioannes tempus perditionis Iudæ, dicens: *erat autem nox.* Nil enim magis timendum iusto quam ne mens eius obtenebretur, & obcæcetur. O quoties bene curritur, clarissimique in virtute dies transiguntur, & post mille lumina, post innumeros soles cæcutit mens in aliquo, & obtenebratur, & omnia præterita facinora obscurat. Fallor, si huic non respexit D. Athanas. in vita Antonij, dicens: *infœlix iudas propter vnius noctis impietatem omni præteriti temporis labore priuatus est.* O quam valet vna nox, vna mentis obcæcatio ad perdendos multorũ dierum fructus. Hinc meritò ait Dominus apud Matth. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Sed quid quod sol occdat super iracundiam? Theodoretus id explicat, dicens: *Veretur enim, ne noctu quiescens cogitatio morbum augeat.* Et quidem vna sola mala cogitatio, si tenebroso mentis iuuatur caligine, innumeros virtutum, & laborum soles faciet in momento perire. Quo circa Prou. 24. dicitur notanter. *Septies in die cadit iustus, & septies resurgit.* Quæ verba, vt assolet acutè, & scitè D. Bernard. serm. 17. in Cant. enucleat ita. *Septies in die cadit iustus, & septies resurgit, si tamẽ cadat in die, vt se cadere videat, & cecidisse sciat, & resurgere cupiat, & requirat manum adiuuantis, & dicat: Domine præstitisti decori meo virtutem, auertisti manum tuam à me, & factus conturbatus.* Expende illud si tamen cadat in die, quicumque enim sit casus, si clara luce accidat, si oculis apertis cernatur, nullum ruinæ timorem affert. Verùm caue ne noctu cadas, quia vna nox, vna mentis obcæcatio potens est te in ineuitabile præcipitiũ dare. Quod crediderim suboluisse D. Gregor. Nazian. in cap. 19. Matth. vbi sic fatur. *Ne oculus oculum trahat, ne risus risum, consuetudo noctem, ne nox perditionem. Quod enim particulatim subtrahitur, & furto subripitur, insensibile ad præsens damnum habet, sed ad summam malitiæ oram.* Cauit gruissimus Doctor, ne erroribus addamus, alioquin incidemus in noctem, quæ nox ineuitabilem perditionem afferat; consuetudo enim noctem causat, & cæcitatem mentis; nox autem perditionem causet, necessum est. Ad hæc adduci posset illud Matth. 27. *Mane autem facto consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum, &c.* Nondum Sol orbem radiarat, vix dies erat, adhuc de noctis tenebris residebat, & mundo, & Iudæorum mẽtibus, quo omnia antiqua decora deturparunt. Pulchrè D. Leo, serm. 3. de Pasion ait: *Hoc mane Iudæi vobis templum, & altaria diruit, legem, & Prophetas ademit, Regnum, & Sacerdotium sustulit, in luctum æternum omnia festa conuertit.* Eu quam breui aurea perduntur sæcula!

Athan. Matth. Theodor. Prou. 24. Bern. Nazian. Matth. 27. Leo.

LIBER

# LIBER QVARTVS.

## DE DOMINICA PASSIONE, AC SEPVLTVRA.

VASTISSIMO Christi Passionis pelago me committo, vtinam, vt eius ab aluo in nouæ vitæ spem natus sum, sic eiusdem meditatione cõfirmet, vt quem spero salutis portum attingere valeam. Quattuor sunt in Passione capita, nimirum Hortus, Caiphas, Pilatus, Crux: quæ in gentem dolorum, & opprobriorum Domini segetem ministrabunt. Inquam præmissa à sanctis Patribus falce ego spicas legam, manipulos nectam, vt aliqualem messem faciam.

### CAPVT I.

### De Horto.

PROFVSVRVS pro mundi vita sanguinem diuinissimus Agnus Christus Dominus ad villam Gethsemani se recepit, vt inde ad victimam duceretur. Selegit tres sibi charioresdiscipulos Petrum, Ioannem, & Iacobum, cum quibus pauorem & tristitiam & tædium maximum sibi assumens hortum ingreditur. Supplex ad Patrem orat, & hominem agens deprecatur mortem, quam & si aliquo modo refugere videtur, tamen animose, & strenuè oppetit. Orantem, & zelus Maiestatis diuinæ læsæ, & pauor cruciatuũ, amor vitæ, & peccati odium, validi omnes affectus sic afficiunt, vt totus in terram vsque sudaret cruore. Ter se orationi dedit, ter reuisit dormientes Discipulos ad vigilandum hortatus. Tandem, admisso Iudæ osculo, in terram verbo prostratis militibus, sanata Malchi auricula à Petro scissa, sciens, & volens in tenebrarum potestate se posuit.

*Matth. 26.*

*Textus.* Tunc venit Iesus in villam, quæ dicitur Gethsemani: & dixit Discipulis suis, sedete hic donec vadam illuc, & orem.

§. I.

*Labores, & præsura tutissima hominis præsidia sunt.*

ECCE secundus Adam ponitur in hortis, in hortis, inquam, non yplu-

tatis,& delitiarum;ſed in hortis vbi lacrymarum ſemina,vbi ſanguineus ſudor, vbi laquei, & rudentes inueniuntur mortis. Tantò in his hortis ſecurior,quanto à delitijs alienior,& tentationibus,& preſſuris magis proximus. His ſeruabatur Paulus, qui poſt luſtratum cœleſtem paradiſum in
2.ad Cor.12 quit 2.ad Cor.12. *datus eſt ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ,qui me colaphizet:propter quod ter Dominum rogaui.* Quę verba eleganter expendens D. Amb.& Pauli ſecuritatem inter ſtimulos, & eiuſdem periculum ſine illis ponderat ſerm. 3.in Pſ. 118. inquiens. *Paulum Satanas inflare volebat. Quem Paulum? Illum vtique Apoſtolum non ab hominibus factum,ſed Ieſum Chriſtum. Et penè deceperat,ita vt ſtimulum carnis ſuæ qui ſe humiliauerat,rogaret auferre.* Quid grauius?expende ab illis;& *pene deceperat* qui
Amb. bus videbis cœleſtis paradiſi habitatorem pene deceptum à diabolo,eo ipſo quod roget ſibi tētationes,& preſſuras auferri. Quaſi nullum homini præſidium, nulla cuſtodia tutior,ſecurior poſsit parari,de extrinſicis hijs,& humanis adiutoribus,quā ærūnæ,quam labores,quam lachrymæ. Conſidera modo tibi puerulum Moyſen à parentibus derelictum,fluminis vndis creditum huc illucque iactatum. Quæ res illum in tāto diſcrimine valuit tutari,& cuſtodire in
Exod.2. columem? Exod.c.2.ſic habet. *Ecce deſcendebat filia Pharaonis vt lauaretur in flumine. Quæ cum vidiſſet ſiſcellam in papyrione, miſit vnam è famulabus ſuis, & allatam aperiens cernenſque in ea paruulum vagientem,miſerta eius,&c.* Sanè lacrymæ,& vagitus tutati ſunt infantulum,& quem parentes aut cognati minimè à morte cuſtodirent, illum cu
Niſſen. ſtodit planctus. Accipite D. Greg. Niſſ. de vita Moyſi ita philoſophantem. *Videmus re ipſa,ſi quis turbini ac procellis humanæ vitæ reſiſtit,nec ſe obrui patitur,cum à corrupta hominum ſocietate ac vita tanquam onus graue reijci atque repelli,quamqui effugit,vagitum imitetur Moyſis,nec lacrymis pareat. Lacryma enim fidelis quædam cuſtos eſt eorum,qui veram quærunt virtutem.* Nunquam magis incolumis puerulus Moyſes ſeruatur, nunquam certius à morte eripitur, nunquam ſecurior, & tutior redditus, quàm fluminis vndis, quam ærumnis,& lacrymis creditus. Hæ illum cuſtodierunt, & certo certius incolumen ſeruarunt. Quam cuſtodiam vt fideliſsimam ſic crediderim exoptatam à prudenti fœmina Abigail Regi
1.Reg.25. Dauid,quando quidem ait. Reg. 25. *Siſurrexerit aliquando homo perſequens te, & quærens animam tuam. Erit anima tua cuſtodita quaſi in faſciculo viuentium.* Hiſtoriæ ſcholaſticæ author putat expungendum eſſe illud verbum, *viuentium*, & eius loco ponendum hoc *vitium*, vt dicat *erit anima tua cuſtodita quaſi in faſciculo vitium.* Sed quæ mulieris ſatuitas, quæ tanto Regi ſarmentitium optat præſidium? An diuina ibi elucet præſcientia aliquid de fidelium ærumnis, & laboribus comminiſcens? Equidem primitiuorum Chriſtianorum hic fuit labor communis, ligabatur Chriſtianus medius inter vitium faſciculos, & ſic exurebatur: vnde percrebuit apud Ethnicos mos, quo Chriſtianos vocabant *ſarmentitios*. De quo eleganter Ter
Tertul. tul. Apolog. cap. 50. *Licèt nunc nos Sarmentitios appelletis, quia ad ſtipitem dimidij axis deuincti, ſarmentorum ambitu exurimur. Hic eſt habitus victoriæ noſtræ, hæc palmata veſtis, tali curru triumphamus.* Ecce quibus tædis primitiuæ Eccleſiæ agebantur nuptiæ, ecce vnde Chriſtianorum aucta eſt propago, nimiruum ex vitium faſciculis. Addebantur vites, vt Chriſtiani perirent, & illi ex ardentibus vitium faſciculis nouum incrementum accipiebant, & ſeruabantur immortalem triumphum. Nulla ergo melior cuſtodia potuit optari Dauidi, quam ea quæ fiebat Chriſtianis ab his ſarmentorum faſciculis. Erit anima tua cuſtodita ſicut in faſciculo vitium, ò quam cuſtodiunt vites iilæ! ò quam tutantur ærumnæ, & labores! ò quam defendunt præſſuræ, & tentationes ipſæ. Meritò D. Cyprian. de laude Mart. dicit. *Etenim quantum hoc ſit quis ignorat, ſtare hominem, nec moueri, torqueri, nec tamen vinci; ſed pœna ipſa potius, qua cruciatur, armari.* Expende, pœna qua cruciatur, armari, quippe primum vulnus nos munit, & armat aduerſus ſecundum. Hinc D. Leo, ſerm. 10. de Paſsion. Chriſtum in tormentis, quaſi in munitiſsima arce meditatur; dicens: *Cum ergo Dominus crucifixi corporis elenatione ſublimis, reconciliationem mundi exequeretur, in quadam arce ſuplicij, &c.*

Quaſi ex tormentis,& ſuplicijs, ars quædam firmaretur in ſuperabilis.

## §. II.

### *Impossibile est ardua virtutum facinora sine oratione vincere, & superare.*

Luc. 10. IGNORANTIS prorsus vox illa fuit, qua Martha apud Lucam, cap. 10. inquiebat. *Quod soror reliquit me solam ministrare.* Quomodo sola, quæ sororem secus pedes Domini orantem, & contemplantem habebat? Sane, quod ipsa ministraret, hoc est, quod actiuæ vitæ fœliciter incumberet, sororis orationi, & contemplationi debebat. Pulchre D. Paschas. libr. 1. in Threnos, ait. *Prodest Marthæ laboranti quicquid Maria secus pedes Domini deplorat.* Infirma est omnis actio sine oratione, nec securum est homini sororem hanc secus pedes Domini quiescentem ad labores, & negotia vocare, & sine oratione comite virtutum ardua itinera aggredi. Inutiles, & in fœcundæ videbantur Sara, & Rachel, quæ tamen vbi semel pepererunt, nunquam cessasse parere dicuntur: è cõtra Lia plena filijs, & fœcundissima erat, nihilominus de illa dicitur Gen. 29. *Cessauitque parere.* Id quod acutè obseruans Drogo, lib. de Sacram. Pass. inquit. *Ergo Sara, & Rachel nunquam parere cessabunt; Lia vero post sex filios, aut omnino parere cessat, aut filiam parit, ipsa est carnalis voluptas, quæ sub specie discretionis non nunquam subrepit actiuæ.* O quoties qui actiuissimi erant homines pleni laborum fructibus, vbi oculorum lippitudine laborarunt, hoc est, vbi meditationis, & orationis lumine destituti sunt, vel euanuerunt in laboribus suis, vel in turpitudinis barathrum deuenerunt. Ne fallaris quod sis vtilissimus in Republica, quod mille virtutum facinora in dies parias, quod fœcundas laborum tuorum videas albere segetes. Quid plura? si tantum Lia es, si totus operationi deditus, si nihil de oratione habes, & tibi fœcunditas ista cessabit, tandem in carnales voluptates dissolueris. Vidisti fortissimum Sansonem? quę ille facinora non egit? Quos hostes non cõtriuit? Sed hæc omnia quando crispantes ille crines rutilabant ex capite. Verum, quando abrasum fine coma præsetulit caput, quis eius miserias sufficit enarrare?

Paschas. Drog.

Ioach. Huius meditabatur tragœdiam Ioachimus Abbas, 1. part. expos. in Apocal. satus. *Necesse est, vt mens fortis viri factis, & Deo dignis meditationibus implicetur; alioquin, vt ruat necessum est qui abraso interiori capite fortiter se posse agere, & in toto stare præsumit.* Quippe necessum est, vt ruat, qui coma sanctarum meditationum, & orationum non effulget, his pulchris crinibus creditus est fortitudinis spiritus, væ qui abrasus præliabitur, væ qui sine oratione in arenam prosiliet. Hanc orationis armaturam tollere cupiebant Babylonici Satrapæ Danielem perdituri, Dan. c. 6. cum id à Rege edictum impetrarunt, *vt omnis qui petierit aliquam petitionem à quocumque Deo, & homine vsque ad triginta dies, nisi à te Rex mittatur in lacum Leonum.* Sed quid obtinerent, si Daniel cautus per triginta dies dissimularet orare? An diaboli malignitas de Daniele triumpharet, quod ipse ab oratione cessaret per breue tempus? Sane id periculi animaduertit vir sanctus, quo minus timuit Leones, quam orationis cessationem. Ita Tertullian. libr. de Idol. aiens. *Daniel æterna Dario sub nixus, tam diu fui in officio, quam diu à periculo disciplinæ vacaret. Nam ut ne subiret, non magis Leones regios timuit, quam pueri Hebræi regios ignes.* Recte totius disciplinæ periculum cauit in vna orationis cessatione. Moyses Exod. 17. & milites in arena habebat, & manus in oratione le- *Exod. 17.*
uabat, quæ si remitterentur, hostilis superabat manus. Quo circa D. Chrysost. *Chrysost.*
homil de Moyse, ait. *Orat Moyses, & vincit, cessat, & vincitur, nec quisquam poterit excusari, qui hostem vincere noluit, dum orando cessauit. Et tamen in Moyse corpus deficiebat: non voluntas aliquando cessabat: si ergo fragilitatis causa in Moysi excusari non poterat, quemadmodum in nobis voluntas poterit excusari.* Hæc ille. O vtinam à cœleste magistro sic edoceamur, vt & simul orationi, & hominum saluti nos dederimus, vt de singulis dicatur, quod de Christo Domino potuit dici, & de sanctissimo Malachia in eius festo D. Ber. edixit. *Totus suus, & totus omnium erat, vt nec charitas à custodia sui,* *Bern.*
*nec proprietas ab vtilitate cõmuni cũ impediret, vel retardare in aliquo videretur. Si videres hominem solum, & secum habitantem putares soli viuere Deo, & sibi. Si videres hominem medijs immersum turbis, & implicitum curis, diceres patriæ natum, non sibi.* Et equidem inde totus secure immergebatur turbis, quia sciuerat, prius tot? vacare Deo, & sibi. Sed præstat hæc meditari in cœlesti Magistro Iesu, quẽ si videres à suis auulsũ, medio

medio in horti ligno ſolum, & ſecum habi tantem merito putares, ibi ſoli Deo viuere; ſi ipſum poſtmodum videres medijs immerſum turbis, manibus deditum prorſus inimici, prædicares hominibus natum, non ſibi.

*Textus.* Et aſſumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe: tunc ait illis: triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Suſtinete hic, & vigilate mecum.

## §. III.

*Mille ſubiacet mœſtitudinibus, & triſtitijs, qui hominum ſubijt curam, quibus orationes ſuas facit Deo acceptas, & gratas.*

ECCE tibi quod hominũ procuratio negotium pariat etiam in Deo nimirum triſtitiam, mœſtitudinem multã? Quo enim amore Chriſtus Dominus homines curandos ſuſcepit eo eorum propriàs triſtitiæ acquiſiuit meſſes. Ait Cant. 5. *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis.* Cant. 5. Nil aliud humanus, & mundialis hortus, quam myrrham promit Domino, vbi virgineum in coluit Dominus hortum, iam myrrham aſſumpti hominis inſitam tenuit modo hortum Gethſemani ingrediens myrrham meſſuit, triſtitiam, & mœſtitudinem hominum metens. Hinc pulchre D. Hilar. Can. 31. in Matth. Dominicæ triſtitiæ ortum expendit ab illis verbis. *Aſſumpto Petro, & duobus cœpit triſtari.* Etenim, inquit, *aſſumpto Petro, & Ioanne, & Iacobo cœpit triſtis eſſe. Ego non ante triſtis eſt, quam aſſumit, & omnis metus illis eſſe cœpit aſſumptis: non de eo orta eſt, ſed de hijs, quos aſſumpſerat mœſtitudo.* Hil. Quid aliud hominis aſſumptio Domino parturiret? qui ſolus lætitiam vniuerſis infundebat creaturis, qui gaudio exundans cœleſtia omnia replebat, vbi homines aſſumit, & metu, & mœſtitudine repletur. Huic ſimile videre licet in maximo gubernatore Moyſi, qui ducens populum vſque ad radices montis Sinai, Exod. 19. ex montis fulgurantis cõſpectu mã gnum cum popularibus timorem percepit; medijs autem fulguribus, & tonitruis ſolus ſtans nullo afficitur metu. Exod. 19. Id quod notat Greg. Niſſ. his verbis. *Moyſes vero ſolus in monte relictus, contra quam cæteri homines pati ſolent, affectus eſt, nam cum cæteri omnes deſolati magis in ſocietate minus timeant, ipſe derelictus ſolus audacior factus eſt. Vnde patuit non vt timidum quendam perterritum in principio fuiſſe; ſed charitate timentis populi fuiſſe commotum.* Niſſen. Qui ſolus non timet, inter homines degens eorum afficitur non ſuo timore, timendam rem popularibus ipſe eorum pauens timore ſubit, quam nullo metu ſuſciperet ſolus. Vnde Chriſto Domino metus? Vnde Angelorum lætitiæ mœſtitudo? Vnde omnipoten ti pauor? Vnde delitiarum omnium origini tædium? Sanè cum ſolus ipſe relinquebatur, deſiderio deſiderabat pro hominibus mori; vnde cum timet, cum pauet, cũ triſtatur, patet non vt timdiũ quemdam perterritum fuiſſe, ſed charitate timẽtium hominum fuiſſe commmotum. Nec gratiorem Deo habitum induere poſſet oratu rus ad Patrem, quam ſuorum in ſe labores repræſentando dolentium hominum mœ Ioan. 11. ſtitudine triſtatus. Enim verò Ionnes 11. mortuo Lazaro, acceſsit Dominus Bethaniã; & oratruus pro reſuscitando videns ſorores lachrymantes, ipſe Ieſus *lachrymatus eſt.* Ad quod ſcite D. Zenon. *Flebat* Zeno. *Deus non quod ante ſe mortuum perijſſe cognoſceret; ſed quod ſororum flectibus temperaret. Et quia ipſe ſororũ fletibus mouebatur, lachrymis filij ſui Saluatoris noſtri inter ipſos cœlos pater flectebatur.* Ecce vnde Chriſti Dñi gratiores, & acceptabiliores Deo redduntur lachrymæ, quia non tam Chriſti, quam ſororum Lazari erant lachymę, quia ex compaſsione flentium dimanabant. O fœlix ille, qui ſic proximorum ſuorum ſubit ex compaſsione affectus, & eorum metus; triſtitias, & lachrymas capiat, maximam inde commendationem apud Deum habebit. Quod ſi quia ſororum lachrymis motus filius Dei fudit lachrymas, in cœlis flectit, & delinit patrem, vbi omnium hominum triſtitiam, mœſtidudinem, pauorem, tedium ſuſcipit, qualem habebit ſuis orationibus cœleſtem patrem? Sane, quia aſſumptorum hominum metu, pauore, & triſtitia ipſe Dominus mouebatur, mœſtitudine, & pauore filij ſui Saluatoris noſtri in cœleſtibus pater flectebatur, vt nihil orationi illius denegaret.

§. IIII.

## §. IIII.

*Maxime Deo commendabilis est qui inter metus, & timoris occasionem adhuc expectat, & sustinet Dominum.*

Chryſoſ. NESCIO, an sit violentior tyrannus aliquis, quam pauor, quam metus. Merito D. Chrysol. serm. 147. dixit. *Pauore mors ipsa leuior: Cain vbi parricidiali cœpit terrore vexari, mortem petijt, requiem credidit si periret. Elias vbi sensit toto se timore aspergi, repetebat quam fugerat mortem, melius existimans morti succumbere, quam timori.* Hinc æstimare licet, trium Christi Domini Discipulorum virtutem, & fortitudinem, qui sub tristissimæ noctis silentio medijs multis tremendis signis, quando timor, & pauor ipsum Dominum replet, iubentur sustinere, & expectare Dominum. Ait enim, *sustinete hic, & vigilate mecũ.* Sanè ex hoc solũ gratissimi Deo homines censentur. Et quidem D. Anselm. in caput Matth. 26. Hinc Matth. 26. & maxime extollit Petrum, quandoquidem turbato noctis silentio carnificum tumultu, ligato Domino, asparsis discipulis, & perterritis; ipse sequabatur eum à longe. Vbi Anſ. *In hoc maxime est admirandus Petrus, quod dominũ nõ reliquit etiã cũ timeret.* O singularis Petri animi magnitudo, qua morte ipsa violentiorẽ tyrannũ sustinuit, nempe metũ, & in magno timoris impetu adhuc sustinet, & expectat Dominũ, imò, & sequitur. Sed age, accedat in præsenti D. Zeno, serm. de Pacien. vbi Noemi merita maxima ex hac expectatione perpendit. Noe diluuiũ ait, quo omnis caro funditus deleretur, denuntiante Deo, imminere per momenta credidit, & timet, arcamque cum suis, vt saluus foret, quam iussus est facere, nõ præcipiti festinatione cõpingit, nec tantum munus quasi præsumptor, aut demens rapit; sed patienter ædificat, patienter exornat, patienter varijs animantibus replet. Quãdo ingredi iubeatur, quando ianuam claudere patienter expectat: *Dignus exadere qui tanto orbis metu non festinauit exadere.* Sæpe vidit cœlũ obduci nubibus, sæpe magnarũ imbrium apparatũ perspexit, quibus crebra illũ suspitio diluuij pũgebat, nec ideo opus accelerauit, nec præpropera festinatione se in arcam recepit, imo in tãto orbis metu sustinuit, & expectauit Dominum, quo sese Deo gratissimum ostendit. O quam alij præcurrerint ad arcam! ò quam visa quauis nube, perterriti festinarent opus. Merito Noe dignus euadere, qui in tanto orbis metu non festinauit euadere; Sed Dominum sustinuit, & expectauit. Quam longanimitatem in metu, & pauore Dominus discipulis persuadet, vt & ipsi a diluuio passionis liberi euadant. Ait enim, *sustinete hic, vigilate, & orate mecum, ne intretis in tentationem.*

*Textus.* Et progressus pusillum procidit in faciem suam orans & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.

## §. V.

*Adeò pretiosæ sunt tribulationes, & ærumnæ, adeò augustæ, & diuinitatis plenæ, vt excipiendæ sint à nobis non multum absimili animi humilitate, & reuerentia, qua sacramenta.*

O ÆRVMNAS! O dolores, & cruciatus! O vniuersos huius vitæ labores, labores dicam an gloriæ semina? an omnium fœlicitatum seminarium? an diuinitatis, & Deitatis sedes? Et quidem si sapis, cum ad labores, & dolores accedis, sic te compara, quasi diuinissima quædam, & sanctissima contrectes. Exod. 3. imaginem laborum, & ærumnarum populi Israelis in Aegyto, vt ait Philo, & Theodoretus, siue, vt mauult D. Hieron. cruciatuũ, & tormentorum Ecclesiæ nascentis protendens Dominus flammãtem rubum ostendit. Rem, vt proprius videret Moysis accedebat, & ecce vox illum commone fecit. *Ne appropies huc, solue calceamenta de pedibus tuis; locꝰ enim, in quo stas terra sancta est* Cur vt afflictorũ, & laborantiũ repræsentationẽ videat, & meditetur, Moysi iubet diuina

vox, quod calceos tollat? Merito, inquit Theodoretus, quæſt. 7. *vt religioſiorem hac ratione Moyſem redderet*, quandoquidem capollent diuinitate ſpinæ, ignes, crux, & vniuerſi dolores, qui debeant tanta penè reuerentia, & religione excipi, quanta diuiniſsima, & auguſtiſsima excipiuntur ſacramenta. Id quod meditabatur D. Anſ. vbi ex Matth. ſic Chriſtum Dominum orantem proponit. *Progreſſus puſillum procidit in faciem ſuam, vt humilitatem mentis oſtenderet habitu corporis, & parem humiliationem eos doceret, quibus eadem paſsio immineret.* Diſce modo, quo te componas affectu ad paſsiones, & ærumnas excipiendas: an ea deſperatione, qua ignaui imminentia mala paueſcunt? an veluti nocentiſsimi rei, ſuppliciorũ acerbitates deprecantes? an vt homuntiones, & leues fœminæ eiulando laboris à conſpectu? an vt Philoſophus forti, & impatibili animo fortunæ vices, vel tolerando, vel ridendo? Imo vero, vt fidelis homo proſtratus humi reuerenter, & humiliter excipit ſancta & diuina ſacramenta, ſic tu paſsiones, & acerba omnia ſuſcipias; ſic Chriſtus Dominus proſtratus humi, & orans accepit, & parem reuerentiam, & humilitatem eos docuit, quibus eadem paſsio immineret. Hinc ſubtiliſsimus Rup. lib. 12. de Vict. Verbi Dei, cap. 20. tractans illud Cant. 3. *Videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua.* Sic de cruciatibus, & opprobrijs agit quaſi de diuiniſsimis ſanctiſsimiſque ſacramentis. Etenim ait. *Videte hunc Regem coronatum, videte in manu eius ſceptrum. Nolite hoc ſolũ videre in corona eius, quod ſpinea ſit. Videte non ſolum calamum pro ſceptro; ſed videte rem veram, ſcilicet ſummum cœli, & terræ Imperium, quia cum calamo illo propter calamum illum die ipſa data eſt illi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* Expendo illud; ſed videte rem veram, quippe proprium eſt ſacramentis aliud exterius apparere, aliud in rei veritate eſſe. Apparet in Euchariſtia panis, & vini ſpecies; ſed reuera eſt Chriſti corpus, & ſanguis. Sic cruciatus, ſic opprobria apparẽt ſub accidẽtibus malorum; ſed in illis non accidẽtia horrẽda, extrinſecus apparẽtia, ſed videte rẽ verã gloriã illorũ verã, quæ ſacramẽtorũ referat ſpeciem. Hinc Nazianzen. oratione in ſanctum Baptiſ. aiebat. *Præclare etiam nobiſcum ageretur, ſi humeros ſanctitate imbuerimus, ac purgauerimus, vt Chriſti crucem tollere queant non quibus libet humeris facile tollendam. Vt pectus, animuſque mũdari, & ſanctitate pararí iuuetur*, ad corporis, & ſanguinis Dominici Sacramentum excipiendum ſic humeri parentur neceſſe eſt, vt laboris cruciformis, & ærumnarum excipiat ſacramenta.

Theod.

Amb.

Cant. 3.

Rup.

## §. VI.

### *Hoſtiles omnes poteſtates deuaſtat oratio illius, qui ſe à ſuis arcet, & exuit bonis, vt oret.*

SOLVS Dominus omni ſuorum, & mundialium rerum deſtitutus ſolatio, orationi inſtat, qua omnes aereas proſternit poteſtates. Vt merito dicat D. Cæſarius Nazianzen. frater dialogo 4. *Illudit Dominus intellectili Pharaoni cum toto exercitu ſuo Ægyptiorum dæmonum inuiſibiliter flagellato, & ſubmerſo ipſo, per id quod dicit, Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me poculum hoc.* O efficax orationis vis! orat Dei filius, vt à ſe in hoſtes humani generis eiaculetur calix ſui ſanguinis, & cum primum orat, omnes perimit, & ſubmergit Pharaonis poteſtates, diabolicos exercitus deuaſtat. Sed quæ non deuaſtaret, qui eo ſe accingit oraturus habitu? Enimuero cum relinqueret ſuos, vt omni ſe exueret ſolatio, ait Lucas, quod *auulſus eſt abeis quantum iactus eſt lapidis, & poſitis genibus orabat.* Expende, quod oraturus à ſuis auellitur, & auellitur quantum iactus eſt lapidis, ex eo enim, quod à ſuis auellatur, fulgurantis lapidis ictus aduerſus hoſtiles poteſtates æmulatur, illaſque omnino conterit, & exſufflat. Nullus in orbe nocentior, & violẽtior iactus lapidis, quã ille qui fit in fulminum iaculatione, ibi enim igneus lapis à ſuis regionibus, & ſpheris exire coactus, eo violentior accedit terris, quo à ſuis ſeparatior. Hinc Chriſti orationis vim maximam meditare, inſtar fulgurei lapidis à ſuis auulſi in contrarios eiaculati. Ita eleganter Drogo, fatur. *Longè auulſus eſt à nobis, quia lapis eſt abſciſus ſine manibus, & iactus eſt lapis, & percuſsit Goliam in fronte, & ſtatuam in pedibus. Iſte eſt iactus tuus longè à nobis.* Quid clarius? iſte, inquit, eſt iactus tuus lõgè à nobis. Qualis? iſte, quo auulſus à tuis, quo longè à diſcipulis factus eo violentior, quo ſeparatior, inſtar fulgurei lapidis quæcumque contraria proſternis. Sanè amabat Chriſtus Dominus ſuos, amabat diſcipu-

Cæſar.

Drog.

discipulos, amabat Petrum, Ioannem, Iacobum, inter illos quasi in propria versabatur regione. Nunc oraturus ab hoc etiã se arcet charorum conuentu, quam expertus violentiam sic orationi incumbit quasi eiaculatus lapis, qui vniuersa cõtraria prosternit. O vtinam oraturi omnes sic se ab omnibus in vita charis separent, sic se à suis auellant. O quã facilé omnia superarent ac contererent! Fallor, nisi huc spectat illud Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Cur violenti? Sanè, quo violentior iactus est, eo efficacior, & potentior ad vastandum. Sic qui à suis, qui à charis omnibus sese arcẽt, vt violẽtiores, ita efficaciores, & potentiores. Quam vim & efficaciam orationis ostendũt Petrus, & Ioannes Act. 3. qui à suis separati contendunt in templum orare. Quid plura? Vt soli, & à suis separati ad orationẽ tendunt, sic stãtim in templi limine claudunt sanat. De quo Chrysost. in illud Sap. 3. nimirum, iustorum anima, sic fatur. *O gloriosum mysterium Apostolorum! Ante in tẽplo operantur, quam ipsi Dominum deprecetur. Ante virtus ostenditur quam oratio ad Dominum præmittatur, effectus preces præueniunt*. Ea est orationis efficacia, id robur inuenitur in oratione eius qui à suis separatur. Seruus ille Habrahami Genes. 24, quæsiturus sponsã Isaaco, à patria, à suis exul dũ medio in agro orationem fundit à Deo petens sponsam sibi Isaaci reuelari. *Nec dum intra se verba cõpleuerat & ecce Rebecca*. De quo Chrysos. hom. quales vxores sint ducendæ, ait. *Impletum est illud Isaia 58. adhuc loquente te, dicam ecce præsto sum. Tales sunt bonorum preces ante finem earum sentiunt annuisse numen propitium*. Quo circa quo tunc à suis separatus fuit Christus Dominus, eo violentior, & potentior aduersus potestates cõtrarias, quas omnes oratione contriuit. *Iste enim est iactus illius longè à nobis*. Hinc patet quã conuenienter in ipsa oratione appareat Angelus *confortans eum*, hoc est, robur, & fortitudinem ingentẽ illius, qua Regnum tenebrarum contriuerat miratus, celebrãs, & decãtans. Ita D. Epiph. hær. 69. fat⁹. *Nõ indigebat Angelorum confortatione; sed confortent illum, hoc est, confitendo propriũ ipsius robur illi attribuant*. Et præmittens quod accesserit Angelus ad Dominum, quod viderit eius res in oratione gestas, contritum Regnum peccati, subdit statim. *Quapropter admiratione ductus Angelus dicebat ad ipsum glorificans ac benedicens proprium Dominum in tali stadio, ac miraculosa actione consistentem. Tua est adoratio, tuum est dominium, tua est potentia, tua est fortitudo*. Sic robur, & efficaciam diuini oratoris Angelus decantabat, vbi expende illud in miraculosa actione consistentem, mirabiles enim, & protentosos effectus causant motus actiuissimi violentorum.

## §. VII.

### *Oratio, vt exaudiri à Domino gratius valeat, fiat quietissimo, & humilissimo, & aliquo modo pœnali corporis habitu.*

QVID est, quod oraturus Dominus humi prostratur? an exaudiẽdæ apud superos orationis præsefert habitum? Ita eleganti breuique sermone explicat D. Cæsarius Arel. homil. 34. *In Euangelio scriptum est, quod procidens in terram orauerit. Quid enim indigebat Christus, vt taliter oraret? Orat iudex, & desiderat parcere*. Equidem, quia iudex futurus erat, humi prostratus orans adiscebat, quorum orationes dignę sunt, quæ gratius exaudiantur. Explicorem ex illo Gen. 45. vbi manifestatus fratribus Ioseph, sic pauentes illos de scelere consolatur apud Philonem. *Hunc casum non vobis imputo; sed Deo, qui me suorum beneficiorum difficillimis temporibus humano generi exhibendorum ministrum executoremque esse voluit*. Itaque non fratrum scelere; sed alta Dei prouidentia effectum putat, vt qui difficillimis temporibus minister Regius, & distributor bonorum erat creãdus, humilis, & afflictus in carcere, vinculis, & egestate oppressus degeret, vt afflictorum preces notaret, & prænosceret, quibus postmodũ ex Regni solio præberet attẽtas aures. Sic diuinè actum est, vt iudex futurus omniũ oret humi prostratus, vt postea difficillimis tẽporibus iam sciat quorũ preces & orationes grati⁹ exaudiat. Etenim ea est difficillimis tẽporibus efficax oratio, quæ cũ dura corporis excruciatione coniungitur. Sic B. Isaias Abbas, oras. 5. de Moyse, orãte fatus: *Moysis in mõtis vertice cõstitit & manus eius ab Aarõ, & Or sustinebãtur, ne ex crucis specie, in qua erant constitutæ deciderent*: quasi inde oratio sumeret efficaciam, quod ex fatigatione, ex pena, ex cruce oriretur. Bene Dauid de passionis calices suas orationes commendabat Psalm. 115. aiens: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo*. De quo Pasc. lib. 8. in Matth. ait.

Matth. 11.

Cæsar.

Gen. 45.

Phil.

Isai. Ab.

*Quia nec crux, aut calix passionis, sine invocatione Domini; nec invocatio Dei sine cruce quæ tollenda est ad salutem, aliquid valet.* Hinc suspectum tibi sit quicquid de ambulando irreuerenter oras, talis enim oratio incognita est, & noua iudici, qui humi prostratus, & magna cum reuerencia orabat. Apud Lucam Pharisæus quidam stans in templo gratias agebat Deo; sed vide quas illi Deus referat. *Descendit*, ait, *Publicanus iustificatus magis, quam ille Pharisæus*. Ad hæc Cæsarius Arel. vbi suprà. *Exemplum istius Pharisæi considerandum est & timendum, ne pro eo quod stans oraret, ideo non meruerit exaudiri*. Quippe deambulantium oratio non inter eas est, quas iudex difficillimis temporibus adeo gratè exaudit. Nonne discipulos suos monebat Dominus inquiens, *neminem per viam salutaueritis?* An suspecta erat viatorum salutatio? Pulchrè D. Gregor. hom. 17. in Euang. reddit causam *Omnis, qui salutat in via ex occasione salutat itineris, non ex studio optandæ eiusdem salutis*. Id quod plenius elucet in ijs, qui irreuerenter orant de ambulando, non ex studio orandi, salutisque optandi manat talis oratio; sed quasi ex fortuito quodam casu quid mirum, si non exaudiantur.

Luc. 58.

Cæsar.

Luc. 10.

Greg.

## §. VIII.

### *Quo magis quasi repellimur à Deo, eo vt filioli materni illius vberibus hæreamus.*

QVIS pater durior in filios apparuit, quam Deus pater filio suo apparet in horto? Illum quasi à se repulsum, & abdicatum relinquit laniadum hostilibus manibus, trementem, ad amarissimi calicis conspectum, dimittit. Verum inter hæc filius non se arcet à patre, imò quo magis repelli videbatur, magis instabat patri, & affectuosius clamabat, vt ait Marc. 14. *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me*. Mysterio positum est in præsenti illud Hebraicum Abba, quod significat iuxta D. Chrysost. & Theodoret. in epist. ad Rom. c. 8. idem quod Latinus Papæus, siue Papus, nimirum patrem infantiũ ore, & lingua appellatum. Ecce ergo tibi filius Dei cum durius à diuino parente videbatur tractari, tunc clamat Abba pater, quasi tenellus infans vehementius ad adhærens vberibus matris. Sic vniuersi qui spiritum filiorum Dei habent, quo magis à Deo repellantur; instent magis, & more infantiũ diuinis vberibus cõfigãt, labra. Ps. 130. *Sicut ablactatus coram matre sua, ita retributio in animam meam*. Expende illud sicut ablactatus, de quo D. Chrysost. fatur. *Quemadmodum puellus qui ablactatur, qui nuper ab vbere auulsus est, nec sic quidem à matre recedit; sed flens gemens, lugens, ægrè ferens, & se afflictans parenti semper adhæret, nec ab ea recedit: ita ego cum essem in afflictione, angustijs, & calamitatibus Deo semper adhæsi*. Et quo magis amaricantibus, & felleis calicibus potabar, eo auidior diuinis vberibus inhiabã. O filiorũ Dei specimẽ singulare! putarim hoc Deo accidere iucũdissimum, imò, vt hoc in filiolis videat diuinus parẽs illos amantes repellit, & duriuscule tractat, vt inter felles illos ad vbera cernat aduolare. Accipite Guarricum Abb. serm. in Baptistam. *Annõ tibi cum Angelo, imò cum Deo ipso luctari videris. quando quotidie præporis tuis resistit votis? Lauaris velut aquis niuis, mundus sis corde, & corpore, & ipse sordibus intingi te dicis, sapiens efficiar, & ipsa longius recedit à te. Clamas ad Deum, neque exaudit te, vis accedere ad eum, & repellit te Decernis rem, & incontrarium tibi cedit, & per omnia ferè in duritia manus suæ aduersatur tibi. O dissimulatrix clementia, quæ duritiã te simulas! quanta pietate pugnas aduersus eos, pro quibus pugnas!* Quid dulcius? quid amantius? Ablactat, repellit Dominus suos dissimulanter, quia magnam capit voluptatem ex eo, quo ablactati, & repulsi inter felles, inter afflictiones, & repulsas magis instent, & hæreant maternis Dei vberibus. Si ille Iacob, cuius facinoris videtur Guaricus commentator, cum solus nocturnis tenebris remanet Genes. 32. mille luctas, mille certamina à Domino fuit passus, ait enim. *Ecce vir luctabatur cum eo*, nihilque aliud meditatus fuit Deus per totam noctem, quam dura bella aduersus Iacob, adeò, vt illum in fœmore vulneraret. *Tunc ait dimitte me, iam enim ascendit aurora*. Sanè meritò optasset Iacob discessum tanti hostis, & vix illi fugam meditanti amplissimum effugium panderet; sed è contra percussus, & vulneratus Iacob ait. *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*. Quid sibi vult hæc Iacobi expostulatio? accerrimum hostem detines? percussori, imò interemptori tuo adhæres? Adhæreo, inquies, vberibus matris, nec me

Psal. 130.

Chrysost.

Guar.

Gen. 32.

Marc. 14.

me vulnerum, & afflictionum tellas mouent, quo minus instem à Deo benedictionem capere, & vt magis repellor auidior tanto parenti asto. Hinc iam meritò Guarricus educit quod supra posuimus, nimirum similes luctas cum singulis à Deo instaurari, vt similiter Deo instemus, & hæreamus. Compone modo tibi ex vna parte à Deo calicem amaricantē filio propinatum, ex alia filium Dei sicut ablactatum felleo inhiantem calici, patrique inclamantem, & expauesce in tanti doloris imaginem.

## *Luc. cap. 22.*

*Textus.* Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

## §. IX.

### *Non sanguini parcendum; vt diuinæ pareamus voluntati, vbi Christi Domini sanguineus sudor expenditur.*

NOVVM & à sæculo minimè auditum pugnandi genus diuinus agonista Christus nobis ostendit, vbi victrice Dei voluntate, solo sternitur caro, & sanguis. Sanguinis, & càrnis infirmitas sese Christifero obijciebant animo, ne ad salutem mundi per mortem properaret: vidit superior portio instantem voluntatem patris, vidit obiectum sanguineum infirmitatis mare. Quid plura? per calcata carne, effuso sanguine sese paternæ subijcit voluntati. Aiebat Pulch. ad Galat. cap. 1. *Cum autem placuit ei, qui me se gregauit ex vtero matris meæ, vt reuelarem filium suum in me, & Euangelizarem illū in gentibus, continuò non acquieui carni, & sanguini.* Sic promptissimam suam obedientiam prætendit ille, sed diuinior, & præstantior omnibus Christus Dominus, vt carnis, & sanguinis ostendit infirmitatem detrectans passionis calicem, sic cognita voluntate patris non solū nō acquieuit carni, & sanguini, sed quid diuinus cogitans, concussa carne in fugam vertit, & sanguinem, qui gladium diuini spiritus expauescens ad terram vsque profundebatur. Ingredienti populo Israelitico mare rubrum oppositum statim cessit, & aufugit. Id quod speculatus Diu. Cæsarius Arell. homil. 4. de Pas. inquit. *Nec immeritò eos hostis non attigit, lux præcessit, fluctus expauit. Sic Propheta testatur, & increpuit mari rubro, & recessit, & iterum mare vidit, & fugit. Quid vidit? Sine dubio illud terribile profundum, assistentis inhorruit maiestatem, & ad præsentiā sui cessit authoris.* Impediens quidem aditum rubrum mare, ne Israel salutem obtineret diuina potestas, & fortitudo increpuit, quam ruber fluctus expauēs sese protinus fugæ dedit. Non absimili modo caro, & sanguis in Christo Domino infirmitatum mare obijciebat, quo diuinus agonista ab hominum salute per mortem obtinenda detineretur. Verum adiuncta diuinitas in superioris rationis domicilio apparens increpuit mare rubrum, & fluctus sanguineus expauit, & largè profusus aufugit vsque in terram. Ad hæc spectabat Titus Bostrorum Episcop. quando sanguineum sudorem in Christo Domino fuisse dicit: *Quo timiditatis fons pauorisque fluxus, qui naturæ nostræ cohærebat, hoc modo abstergeretur, penitusque ex illa profligaretur.* Ecce increpuit mare rubrum, & fons timoris, siue totius metus: & pauoris sanguineum pelagus in fugam conuertitur, & proffligatur. Hinc totus genebundus aiebat Ieremias: *Magna est velut mare contritio tua.* In te, ò Christe, antiquam videmus reformari maris contritionem, & quandoquidem mare à suis sedibus fugiēs ingentem suis fluctibus violentiam præferebat, sic in te sanguinei fluctus non sine violentia naturę fugam vltrò meditantes sese in terram emittebant. Sed & melius hanc maris similitudinem Diu. Zeno prosequitur serm. de patient. *Mare ventis lacessitum irascitur, quamuis reciproca vicissitudine, nunc pulsantibus cœlum, nunc requirentibus terram, æstuantibus vndique vitreis armatum montibus, violentis vndarum sæuientium cumulis, toto corpore insaniat, tamen extremorum pallido ex recursu voluminum, quasi ius terræ cognoscens ac violare deuitans, in se frangitur.* Vnum & aliud verbum si mutes, pulchrè in præsenti habes effigiatum Christiferi agonistæ discrimen. Quippe instar fluctuantis, & seuientis maris Christi Domini pectus validissimis efferuescebat affecti-

Ad Gal. 1.

Cæs. Arel.

Titus.

Thren.

Zeno.

bus. Hinc Deum vindicandi zelus, illinc scelerum, & peccatorum odium, iam conscientia humanæ ingratitudinis, tunc Israeliticæ ruinæ dolor, insuper carnis, & sanguinis erga mortem horror & metus, validi omnes affectus, ceu fluctus feri maris totum corpus vndequaque quatiebant, tamen ius diuinæ voluntatis cognoscentes, & violare deuitantes, in se ipsis franguntur, pallido timoriſque pleno recursu, sanguineis vndis profluentibus in terram. Huc spectet Christianus, & ab vtroque mari discat, & sese frangere, & duro concuti verbere vsque ad sanguinis effusionem, ne ius violet alienum, ne præscriptam diuinæ voluntatis metam excedat.

## §. X.

### *Christus Dominus sub ingenti sanguinis sui mole premitur, dum eius fructus non participatur ab homine.*

GEmnunt gigantes sub aquis, aiebat quondam diuinus Iob, cur non gemat sub sanguine gigas ille cœlestis, qui exultauit ad currendam viam suam? Sanè maximus hic & diuinissimus gigas gemebundus sub sanguineis vndis prosternitur, *factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis, &c.* Huc refert Eusebius apud Leonē illud Isaiæ 7. *Isai. 7.* iuxta septuaginta, nimirum: *Nunquid parum vobis agonem, exhibere hominibus, & quomodo Domino exhibetis agonem?* Quasi nihil à Deo petentes reprehendat, quod Deo inferant agonem, hoc est, in Domino intactam sanguinis, nihil petendo, relinquant molem, sub qua ipse gemebundus premitur. Sic enim explicant agonem, quasi dicat angustias, quibus quis premitur sub maximo onere. Cui sensui *Iren.* astipulatur Diu. Irenæus lib. 3. capit. 32. vbi dixit, Christum Dominum sudasse, *globos sanguinis*, Etenim quot guttæ sanguinis manabant, tot globorum premebatur sub pondere Dominus. Ecce ergo tibi diuinissimus Athlas non cœlestibus, sed sanguineis onustus globis totus gemens, totus madens sudore. Fallor si Christianus est, qui Dominum suū non curat liberare tanto pondere, vel sibi acquirēs Saluatoris sudores. Sanè sapiens illa Magdalena Luc. 9. pedes Christi auabat, *Luc. 9.* & capilis tergebat. De quo D. Ambros. in Cath. dixit: *Lauit maculas proprias, terfit comis, vt per eas sibi assumeret sacros sudores.* *Ambros.* O fœlices nos, si à ceruice Saluatoris pretiosi sanguinis molēs tolleremus, Dominum quidem, & maximo pondere liberaremus, & sacros nobis sugeremus sudores! Paralyticus ille Ioan. 6. dicebat dolens, *hominem nō habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat mè in piscinam.* Quid mi- *Ioan. 6.* ser expectas ab Angelo motam aquam, vt saneris, ecce habes, post aduentū Angeli totum misericordiæ pelagus commotum, cuius vndæ currentes in terram te quærunt, te exposcunt? Dulciter Diu. Bernard. serm. de vite: *Stulte, ecce* *Bern.* *oleum salutiferi Iesu, cuius nomen est oleum effusum. Quid tibi cum aqua? Si vis recipere sanitatem ecce fons olei misericordiæ, in quo te nullus prohibet batizari?* Sumamus oleū hoc scaturiens, vt fons Christiferus recreetur, nunquam enim gratiores Christo Domino existemus, quam si eius sanguinem, & sudores nobis sugamus.

### *Matth. 26.*

*Textus.* Adhuc eo loquente ecce Iudas vnus è duodecim venit, & eum eo turba multa cum gladijs, & fustibus missi à Principibus Sacerdotum & senioribus populi.

## §. XI.

### *Iudas è Christi corporis membro factus est omnium perditorum caput, quod in singulis peccatoribus exeptat diabolus efficere.*

QVI Christi Domini ebiberat doctrinam, qui eiusdem disciplina educatus miracula patrarat, qui inter duodecim fulgentissimas Apostolorum stellas, & Apostolus, & stella refulsit, hic idem Iudas factus est malitiæ dux pessimorum hominum, & carnificum, quando ad hortum præstat ducatum. Non aliter satiatur diaboli crudelitas, nisi cum è membris Chri-

Christi facit sceleratorum duces & capita. Prodigus ille filius à patre separatus missus est, à Domino suo, vt porcos regeret, & custodiret. Sic dicit Diu. Luc. capit. 15. Vbi Chrysost. serm. 2. fatur: *Quod autem mercenarios suos mittat diabolus ad porcos, facit hoc insatiata crudelitas, quæ contenta non est homines criminosos fieri, nisi eos duces criminum faciat, & magistros.* Id quod præ omnibus adimpleuit nefarius Iudas. Miraberis, quod peccatorum dux factus comprehensurus Dominum adueniat? Quid ni? & factus est omnium proditorum caput. Quocirca diuinitus credideris factum esse, quod celebre illud Mausolæum ab Absalone in sui memoriã erectum vocetur: *Absalonis manus.* 2. Reg. cap. 18. Id quod notans Diu. Athanas. homil. de semente sic in rem præsentem fatur: *Locus ille, vbi sublatus est Absalon, manus Asalon in hodiernum diem nuncupatur. En quam exactè imagines interse congruunt, siquidem locus ille non vocatus est pes Absalonis, sed manus, neque item caput Absalonis. Prior enim fuit capite manus, quæ proditionem exercuit secundum exemplar istius rei.* Hæc Athanasius Absalonem cum Iuda proditore componens tanquam manum cum suo capite, quippe Absalon, & qui ante proditores fuerunt, manus erant tantum, & qui postea pedes, vnus Iudas proditorum, pessimorumque hominum factus est caput. Vt pudeat iam religiosos viros se nequitiæ trahere, ne saltem fiant membra fœdissimi capitis.

Luc. 15.

2. Reg. 18.

Athan.

*Textus.* Qui autem tradidit eum dedit illis signum dicens quẽcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum & confestim accedens ad Iesum dixit Aue Rabbi, & osculatus.

## §. XII.

*Nullus adeò ferox, & obduratus peccator est, cui Deus non offerat adipiscendam veniã & pacem.*

NON miror, quod Christus Dominus tenebrarum tradatur in manibus, quod proditoris sustineat temulentiam, & temeritatem. Id mihi ad miraculum accidit, quod sceleatus, & nefarius Iudas spirans cædes, & bella pacificum adeò inueniat Saluatorem, vt ab illo accipiat pacẽ! Id quod meritò Eucherius expauet sic fatus: *Quod in ipsa traditione osculum accipit bene intelligitur Christus pacem exhibuisse tradi tori suo, quamuis ille tam sceleratæ cogitationis interno bello vastaretur.* Quis iam desperet de tanto Domino, qui nec crudelissimo hosti denegat pacem? Qui pacem, & veniam, & misericordiam sic omnibus approximat, vt nocentissimi, & obduratissimi in malo illam habeãt præmanibus? Quando oraturus Dominus se ab hominibus separat, diuinissimè Lucas notauit, quod *auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis.* Cur intra iactum lapidis se continet omnium saluator? an vt à lapideis, & obduratissimis etiam cordibus possit eius pax, & misericordia capi? Ita eleganter, & acutè Simon de Cassia in Matth. cap. 30. *Progressus*, ait, *pusillum, scilicet quantum iactus est lapidis, vt nunquã ita ab aliquo elongetur Christus, quam cor lapideum hominis ad ipsum non possit, si velit, conuerti.* Quantumuis peccatorũ molibus grauetur homo, quantumuis scelerum obduratione lapidascat, tamen intra iactum lapidis, hoc est intra id, quod grauissimus & obduratissimus homo potest facere, se continet diuina misericordia, & gratia. Tuncque iustissime irascitur in hominem reuellem, cui eam habuit gratiam qua vel lapideum cor possit emendari. Quippe 3. Regum 13. verba fecit Propheta ad lapideum altarẽ, quibus illud contritum est, verum Rex prophanus magis obduratus contra legem Dei extendit manum vt sacrificaret, tunc *exaruit manus eius.* Non enim autea vindicta diuina processit, quam probauit etiam lapides potuisse tangi diuina gratia. Ita D. Chrysost. proæm. in Isaiam fatur: *Qua ex causa non initio statim eius arefecit manũ? Vt recipisceret lapide in frustra discisso. Lapis enim si in fissuras non foret concissus, vtique tibi peperciissem. Nunc quando lapis concissus est frustillatim, nec sic quidem tu ad correctionem emendatus es, ob id ira aduersum te incãdesco.* Nunquam adeò elongatur Christus Dominus, qui non possit haberi à lapidas centibus etiam animis. Summam perditionem, & vastitatem animæ lacrymatus Ieremias fatur: *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo, facta est quasi vidua domina gentium?* Vbi illud maximè

Euch.

Simõ Cas.

Threu. 1.

pon-

ponderandum est, nimirum facta est quasi vidua, quippe in summa hostium vastitate, quando omnibus bonis, & Deo ipso spoliata est, adhuc non vocatur vidua, sed quasi vidua. Quod ponderans, Diu. Paschas. lib. 1. in Threnos ait: *Quasi vidua, & non vere vidua, quoniam, & si absponso despicitur, sponsalitatis tamen eius iura manent, vt si redierit, prioraque dilectionis opera impleuerit, sponsum saltem per pœnitentiam respiciat.* Nunquam diuinus hic sponsus Christus sic moritur nostris in animis, vt necessarius sit luctus æternæ viduitatis, nullis hostium incursibus, nullis rapinis, nulla scelerum desolatione sic viduamur, vt non proximus sit diuinus sponsus, facillimè si velimus recuperandus.

## §. XIII.

### *Creaturæ omnes in peccatores armatæ Iudæ fœdera pacis seruarunt ne illum laniarent.*

VBI sunt creaturarum illæ armatæ phalanges, qui vlciscendis iniurijs diuinis parãtur, cur Iudam sustinent adeò in Dei faciem iniurium, & procacem? Vbi marini illi fluctus, qui Pharaonis exercitus à tergo persequentes Israelem vorarunt, cur patiuntur Iudam ore ad eos Magistrum insectantem? Vbi suphulrea tela, quibus cœlum ne faria quondam oscula castigauit, cur Iudam permittunt abuti osculis sanctis, & osculo Deum morti tradere? Nonne creaturæ omnes tantum scelus discerperent, laniarent? Verùm dederat traditor eis signum, & id signum, quo à nulla creatura læderetur. Ita Diu. Hieronym. fatur: *Tradidit persecutoribus per signum oscvli. Hoc est signum quod posuit Deus in Cain, ne quicunque inuenisset, occideret eum.* Equidem Cain cum primum se in Deum, & fratrem, scelestum cognouit, creaturarum omnium supra se pertimuit phalanges, iam se à singulis creaturis credidit dilaniandum: à Deo tamen signum accepit, quod veritæ creaturæ Caino parcerent. Sic putat Hieron. Caini signum in Iuda fuisse instauratum, etenim vbi Christus Dominus illi osculum pacis exhibuit, signum in illo posuit, & eleuauit, ne creatura auderet proditori inferre manus. Nec vane id signum à Deo positum fuit, imo adeo pacem à Christo Rege iuratam, & stabilitam cum proditore creaturæ vniuersæ obseruarunt, vt ni ipse se interficeret, à nemine læderetur. Hinc manarunt prodigia illa, quibus se ab eius morte arcebant creaturæ, quippe author est Theophilatus, quod arbor ad suspendium electa sese ad solum inclinaret, ne trangulationi inseruiret. Eutymius addit, quod semiuiuus ab hominibus seruatus sit. Eucumenius. Papias, & Comestor dicunt, suspendij funen sese rupisse, & laceraſſe, nulla enim creatura ausa est homini illi officere, cui Christus Dominus tantum exhibuerat signũ pacis. Quocirca Diu. Leon. serm. 16. de Passione ait: *Tibi, ò Iuda tua pœna commissa est.* Vnus proditor diuina signa non veretur, vnus Dei pacem contemnit, vnus potuit sibi inferre manus, cæteris omnibus pacem illi à Deo exhibitam obseruantibus. *Leon.*

## §. XIIII.

### *Durior Dei misericordia & benegnitas aduersus ingratos peccatores exhibetur aliquando, quam ipsa iustitia.*

MAgnum illud, & tremendum est, quod de clementia diuina obseruauit D. Chrysost. hom. de cæco nato. *Licet*, inquit, *Clemẽter agere soleat Deus, non tamen hoc pacto suam herilem authoritatem prodit.* Imo & ipsa clementia implacabilior solet esse quàm iustitia ijs, qui diuina abuntutur benignitate, habenas suis sceleribus soluunt. Hinc eleganter Diu. Ambros. expendit, quã sæuè (si ita loqui licet) diuina benignitas Iudæ substituit osculum: *Nec immeritò*, ait, *grauiori telo tantæ dignationis percussus est, quàm si eum fulmine percussisset. Denique patientiam Domini ferre non potuit, qui maiestatem prodidit. Itaque abijt, pecuniam refudit, laqueo se suspendit.* Ecce tibi quàm illum Dei benignitas in mortem permisit, quam exsufflatus est à diuinæ tolerantiæ, & benignitatis abusu in perditionem. Sanè implacabiliorem habuit Dei clementiam, quàm forsan offendisset iustitiæ rigorem, & qui alioqui iustitiam flexisset, *Chrys.* *Ambros.*

ac

ac deliniſſet, vbi abutitur miſericordia, & benignitate adeò ſe rapi in damnationem præſenſit, vt ad laqueum feſtinarit quantotius. Neceſſarium Iudæorum exitium oſtendens Dominus aiebat apud Iſaiam: *Filios enutrini, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.* Vbi Diu. Zeno ſerm. 5. de Iſaia dicit: *Iudaicum populum vniuerſum ſalutis ſuæ præſidium omiſsiſſe textus diuini carminis oſtendit, in quo eum non ſeueritas condemnat, ſed pietas.* O quàm intolerabilis damnatio, quæ à Dei abuſu pietatis? Quàm intercluditur effugij aditus omnis illi, quem Dei benignitas repellit ingratum! Sane proditor Dei benignitate abutens, oſculatus eſt eum, nec benigni oſculi euitauit ſententiam à Chriſti Domini pietate (ſi fas eſt dici) damnatus. Quàm aliter fœlix illa peccatrix Luc. 9. *Oſculabatur pedes Domini.* Et quidem ideò ſanctificata, quia pedes Domini oſculabatur. De quo Diu. Bernard. *Pedes iſti ſunt miſericordia, & iudicium, quorum alterum ſine altero oſculari, vel temeraria ſecuritas eſt, vel deſperatio fugienda.* Eu caueant qui miſericordiæ indulgent ſine iudicij timore, abuſus iſte eſt miſericordiæ, qui omnino temerarios, & deſperatos facit. Huc referam Euriali Aſculani argutum epigramma, quo in olea cubantem araneam interfectam depingit à leuiſsima muſca.

Iſai. 1.
Zeno.
Luc. 9.

*Palladis arbos erat, fragiles vbi aranea telas*
*Texuit, heu miſeram muſca volando necat.*
*Cur mirum ſi muſca leuis deuincit arachnem?*
*Arboris heu victrix Palladis auxilio eſt.*

Sic quicumque venenatus homo oleæ diuinæ benignitatis cubarit, ibique malignitatis ordiatur telas, miſerrimè interibit ab ipſa peremptus Dei benignitate.

(?)

*Ioan. 13.*

*Textus.* Dixit eis Ieſus, quem quæritis? reſponderunt ei, Ieſum Nazarenum. Dicit eis Ieſus, Ego ſum. Vt ergo dixit eis, ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram: iterum ergo interrogauit eos, quem quæritis? Illi dixerunt, Ieſum Nazarenum. Reſpondit Ieſus: Dixi vobis, quia ego ſum, ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire.

## §. XV.

*Quos percuſsio non emendat, relinquit Dominus in peccati, & perditionis barathrum aliquando incidere.*

VIDE maximam Dei clementiam, & bonitatem, furentes hoſtes verbi flagello percutit, & ſternit in terram, vt vel hoc caſu reſipiſcant, & ſtatim poſt ruinam quaſi leniores factos iterum interrogat. Verum quos caſus non terret, nec meliorat, in imo peccati, & deſperationis barathro relinquit dicens: *Si ergo me quæritis, ſinite hos.* Quaſi diceret, vt comminiſcitur Rupert. *Ergo ſi adhuc me quæritis, & ſic percuſsi non doluiſtis, me quidem comprehendite.* Pereat, timendum eſt, qui viſo, & experto ſupplicio nõ ſibi conſulit, qui adeò inſanus eſt, vt nec verbere ſanitatem recipiat. Componite vobis duos Babylonis Reges apud Danielem celebratos, patrem, & filium, Nabucodonoſor, & Balthaſarem, ambò idolatræ erant, ambo ſuperbiſsimi, Iſraelitiſque infenſiſsimi, tamen Nabucdonoſor temporali ſupplicio per ſeptennium afflictus à Deo fuit. Verum Balthaſar nocte vna penitus deſtructus, & diſcerptus eſt. Quæ huius rei cauſa? Cur ſimiles peccatores non ſimilis angit pœna? Cur filium tam crudum, & immiſericorde flagellum enecat? Pulchrè Theodoret,

Rupert.

ait: *Baltasar iste summum patris supplicium suspicatus, nihil inde percipit vtilitatis: iure itaque iustus Iudex illum nulla venia dignum censuit.* Pape. Nabucdonosor nullum fuerat antea expertus supplicium, quid mirum quòd fœlicitatum cumulo elatus superbiret? Inde eius pœna extitit veniabilis. At Balthasar, qui intra domum suam verber diuinum audierat, qui patrem duriter à Deo castigatum viderat, nec inde ipse sibi consuluit, nec melior factus est, merito in æternum perditionis barathrum est delapsus. Hinc Oseas cap. 7. populi sui necessariam ruinam lamentatur fatus: *Ephraim factus est subcinericius panis, qui non reuersatur.* Quid sibi vult subcinericius panis? Sanè subcinericius panis, cùm ex vna parte habeat superpositas prunas, reuersari debet, vt vndique concoquatur, alioquin & carbonum ardentium vim sustinebit, & crudus adhuc nulli vsui erit aptus, nisi vt perdatur. Ita de populo illo nequam Rufinus meditatur: *Cum vires illius frequens percussisset afflictio, nihilominus in impietatis studijs permanebat, vt simul, & crudus, quia indomitus, & exustus appelleiur, qui vabe se gemebat afflictum.* Quid miserabilius? & vim ardentis ignis sustineri, & cruditatem non deseri? & supliciorũ rigorem perpeti, & experiri, & adhuc perseuerare in malitia? Meritò Gilibertus expendens illud Isaiæ 53. *Disciplina pacis nostræ super eum*, addit ipse, *ò misera, & grauis disciplina super filios Adam conterens, sed non protegens, puniens, & non purgans, consumens, & non concilians.* Hæc desperatorum penè hominum est disciplina, & castigatio, per ditissimi namque sunt, qui nec supplicio meliores fiunt, qui lachrimarum, & dolorum semina mittunt, nullumque fructum inde percipiunt, qui calamitates, & miserias experti, scissiones, & amaritudines perpessi, nullum sanitatis prætendunt iudicium.

Oseas 7.

Ruff.

Gillib. Isai.

## §. XVI.

### *Tunc serui Dei maximè protegi debent, quando clade aliqua percutitur regnum peccati.*

QVicumque Dei virtutem strictã aduersus antiquum serpentem cernis, vel quicumque illum percuti aliqua clade vides, caue tibi sub scutò fidei ocior protegere, sæuit enim bestia illa percussa, & irascitur vehementer in Dei seruos. Cùm Dei omnipotens sermo vastaturus Ægyptum prosiliuit in exterminij terram admonuit amicos, & seruos suos Hebræos, quòd limina sua agniculi sanguine insigni rent. Ait enim Exod. 12. *Et videbo sanguinem, & protegam vos.* Vbi ponderandum est illud, protegam vos, non enim videbantur Hebræi protectore vllo egere, quandoquidem percussor, & exterminator Deus amicus erat, eorumque negotium agebat Ægyptios perimens. Si ergo, ò bone Deus, tu ipse es qui AEgyptios percutis, à quo spondes Hebræos protegere? Sanè is est serpẽs ille antiquus, qui suorum cladem non patitur inultã, qui suum imperium cùm sentit labefactari, vehementer irascitur, & desæuit in Dei imperium. Quapropter vbi percutiendus est Leuiathan, caueant sibi serui Dei, illiusque protectionem expectent. Accipite D. Gaudent. tractat. in Exod. sic fantem: *Protegam vos quasi ab alio exterminatore. Vtique percutere vult exterminator Diabolus Hebræos, Deo percutiente Ægyptios, nam retributionem mollitur in seruos Dei, satellites suos à Deo percussos indignans. Quoniam Diabulus tunc maximè accenditur, cũ extinguitur. Tunc enim sæuit in Dei famulos, quando prima virtus eius in primogenitis occiditur, dum vel idolatriam, vel cæteros principales errores Deus disperdet ex nobis.* Ecce tibi quàm sui similis diuinus sermo Christus Dominus existit, non gladium stringit aduersus AEgyptios, quin diabolicos præueniens conatus, suos protegat seruos ab exterminio. Nec modò aereas potestates debellandas accedit, quin prius protegat suos Discipulos, ò quam sæuitura erat bellua, cum suum imperiũ videret confringi, cum se à crucifixo enecari sentiret: sanè cribro ventilere Apostolos concupiscet, in illosque omnes cõuertet vires suas, quod præcauens diuinus Athleta Christus, non prius cõserit manus cum hoste, quãtegat suos, quo dicit: *Sinite hos abire.* Huic protectioni Discipulorum accomodat Diu. August. ser. 121. de tempore solicitudinem illam, qua Saluator ter orationem interrupit, vt suis prospiceret. *Orat*, inquit, *semel, orat, & iterum, tertioque præcatur. Tanquam aquila tegebat nidum suum velamento penarum, & sollicitus cum orat, ad pullos reuertebatur, propter quos tristitiam patiebatur.* Sanè iam tunc bellum incipiebat, iam peccati regnum

Exod. 12.

Gaud.

August.

gnum, orante Domino, visebatur concuti, iam serpentis antiqui parabatur percussio, qua proter nobilis, & diuinus percussor Christus Dominus sollicite protegebat suos, & tristabatur, ne quid liceret aduersus eos inimico.

*Textus.* Vt impleretur sermo, quem dixit, quia quos dedisti mihi non perdidi ex ijs quemquam.

## §. XVII.

### *Vnis Christi manibus securus, & tutus homo.*

*Nissen.*

OFœlicem illum, quem suis manibus tutatur Christus Dominus, nequit fieri, vt perditionem videat Elegans, & acuta est Diu. Gregor. Nissen. notatio, quam eius verbis transcribo. Etenim homil. 6. in Cantic. dicit: *Duodecim virgæ pro numero filiorum Israel ex præcepto diuino accipiuntur à Moyse, sed vna omnibus antelata est, quæ sola præ cæteris floruerat. Rursus ab Iesu Naue pares numero tribubus Israel lapides assumuntur ex Iordane, quorum omnium nullus reijcitur.* Iam inde videre licet quid Iesu manus possint, quid Moysi, vel alterius creaturæ, quandoquidem ex duodecim virgis vndecim perditioni remisit: Iesus autem duodecim lapides integros seruat, quorum nullus reijcitur. Vnde merito ille apud Isaiam, cap. 21. clamabat ad Saluatorem: *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte?* Quæ verba examinans Ricardus de Sancto Victore, libro 2. de Emmanuele, cap. 21. fatur: *Quis quæso cui loquitur? Creatura quidem creatori suo, cur igitur creatorem in vocando non dicit, Creator? Quis inquam hoc audit, vel à quo? Dominus à seruo cur ergo ei non dicitur, Domine, Domine? Certè quod eum Creatorem, Deum, Dominum habebant, commune cum omnibus erat. Sed quod latam perditionis viam cum cæteris non incedebant eis præ cæteris ex custodia Emmanuelis erat.* Enim verò quorum Christus Iesus Pastor, & Custos erat, ij inter omnes eminebant, custodiæque suæ clarum præseferebant specimen, nullam ruinam, & perditionem timentes. Exod. 28. imperauerat Dominus, quod nomina Patriarcharum duobus lapidibus scriptâ portaret Pontifex dextero, & sinistro humero. Id quod ruminans Arnold. Carnot. tract. 7. de Verbis Domini in Cruce, inquit: *Idcò à dextris, & à sinistris locantur, quia fundatos in petra nec altum concudit, nec profundum, quia per arma iustitiæ in prosperis, & aduersis gradiuntur inuicti.* Vtinam in petra hac, tempestas opprimet, nulla nos nimirum Christo, fundemur, nulla nos pernicies concutiet. Quod Diu. Ambros. meditatur in arundine ob ludibrium posita in manibus Iesu. Ait enim: *Arundo comprehenditur manu Iesu, vt humana fragilitas iam non sicut arundo moueatur à vento, sed operibus Christi corroborata fundetur.* De quo iterum infrà cap. 6 paragra. 7. & alibi.

*Isai. 21. Rich.*

*Exod. 28.*

*Textus.* Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum, &c.

## §. XVIII.

### *Non datur à Domino gladius aduersus homines, nisi ijs qui excellant sapientia diuina.*

PEriculosus est gladius in manu hominis cæci, & ignorantis sæpissimè occidet quos oportebat viuere, & vulnerabit partem, quam mille vigilijs deberet custodire. Ecce vobis Petrus gladio vtens auriculam Malci abscindit, primũ fundamen fidei vulnus infligit hominis auriculæ? Igitur quomodo credent, si non audient? Nonne fides ex auditu? Ni sanè magis debebat fidei Magister custodire, quam hominum auriculas, & Petrus auriculã scindit. Meritò rudi & ignaro Petro gladius à Domino non permittitur, se iubetur recondidi in vaginam. Acutissimè obseruauit ille, qui Petro rudi, & ignaro solum pascẽdas oues permitti notat Ioannes cap. 21. vbi dicitur illi: *Pasce oues meas,* quasi diceret, non tibi gladium; sed pastoris baculum permitto. Verum post aduentum Spiritus Sancti epotus Petrus plenitudinem sapientiæ diuinæ. Actor. 10. vidit linteum plenum reptilibus, & simul audit, *Occide, & manduca.* Iam plenus sapientia negladium recondas; sed stringe, & occide; solis enim sapientibus

*Ioan. 21.*

tibus gladius aduersus homines porrigitur Hinc meritò qui primus gladium aduersus hominem porrigitur. Hinc meritò qui primus gladium aduersus hominem accepit, in paradisi limine Cherub dicitur, nimirum scientiæ plenitudo. Quò etiam spectauit ethnica rusticitas, quando quidē apud AEschilles sic Pallas gloriatur.

*Deorum sola ego claues domorum scio*
*Vbi asseruatur fulmen.*

Nec aliàs D. Paulus reprehensionis gladium cōcedit Discipulis; nisi certus quòd omni sapientia abundent. Sic ad Roman. 15. *Certus sum de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, vt possitis alterutrum monere.* Expende illud, repleti omni scientia, quasi non aliter aptus quis sit, vt cæteros pungat, & castiget. Quid plura? Promissus fuit à Domino paracletus Spiritus, Ioannis cap. 16. cuius aduentus munus erat, *Et arguet mundum de peccato:* Arguturus ergo mundum veniens diuinus Spiritus, non aliter venit, quàm splendentibus ignèis linguis, nimirum omnigenùm sapientiæ splendorem præmittens. Id quod attigit D. Bernardus sermone 2. de Pentecoste, vbi hæc fatur: *Spiritus Sanctus qui scrutatur profunda peccatorum nostrorum, discretor cogitationum, & intentionum cordis, qui nec minimam paleam intra cordis, quod possidet, habitaculum patitur residere; sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit.* Expendo illud, igne subtilissimæ circunspectionis, non igne populatim sæuiente; sed igne, qui facem præferat, & subtiliter, & circumspectè noscens, & videns exurendum exurat. Sanè vt ignis ad montem vorandum applicetur, à rudibus agrestibusque hominibus fieri solet. Verùm, vt putridum hominis membrum absumat, non nisi sapienti manui permittitur, quæ cautè, & subtilissima circumspectione remedium applicat ignis. Ita qui homines affligit ignis subtilissimæ sapientiæ circumspectione nitet, adeò, vt etiam ignis ille, quo fidelium animæ purgantur, sit sapientia insignis. De quo alibi datus D. Paulinus, epist. 9. inquit. *Ignis illi sapiens transeuntes nos per examen suum non seuero ardore ambiet puniendos; sed vt commendatos suscipiens blando lambet attactu.* Adeò curat Deus gladium aduersus homines nō nisi sapientibus committere. Huc referam illud Iosue præceptum, cap. 5. vbi sic habet iuxta D. Hieron. de vera Circuncis. *Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos.* Etenim cauet, quòd nimis acuti sint cultelli: quia in rescindendis vitijs, ea placet solli cita cura, vt quo minori dolore & pœna possit, curetur animus. Ita Hieron. *Quid est quod tantoperè cauet, ne habeantur obtusi? Nimis ait, acutos, vt videlicet non qui particulam corporis sui sensu doloris abscindant; sed multa lima, atque vsu cotis assiduò, tenui acie, mortiferos mentis sensus subtiliter discriminent.* Vt verbum durum aduersus fratres proferendum ob illorum correctionem, bis, & ter ad limam antequam semel ad linguam perueniat. Quæ enim laudatur incarnificem dexteritas quando indolenter penè caput rei abscindit, ea procuranda est cuiuis, qui velit tollere animorum vitia.

Al Ro. 5.

Ioan. 16.

Bern.

Paulin.

Hieron.

## §. XIX.

### *Dum sanus sit auditus, quo Dei verbum percipiatur, nullius desperanda salus.*

PErcussam Maici auriculam occior Saluator sanat salutem homins meditans, dum ipse audiendi verbum Dei habeat aures. Notum illud Amos cap. 3. nimirū. *Quomodo si eruat pastor de ore leonis, duo crura, aut extremum auriculæ, sic eruentur filij Israel.* Id solùm diuinus Pastor in illo populo desiderabat, quòd saltim auriculas haberet sanas, quibus exceptum verbum salutem euiceret & libertatem. Hinc manauit sollicitudo illa, qua hosti auriculam curauit, & huius rei causa mortem cùm semel & bis lapidibus peteretur, nouit inter lapidatorum manus agere animam. Quare? Pulchrè id docet D. Chrysostomus aiens. *Tumultuarium genus necis est lapidatio, & inter lapidum fragorem non poterant exaudiri vltima Christi mandata.* Sic bonus Pastor curabat ouicularum auriculas capere, quæ si caperentur, nulla lues illarum salutem redderet desperatam. Sanè vna est hominis infirmitas, quæ de illius facit salute desperare, nimirum, si aures habeat, vel scissas, vel obturatas. Sic vt incurabilem lamentabatur filium habentem spiritum surdum homo quidam apud Marcum cap 9. ait enim ad Iesum: *Magister, attuli filium meum habentem spiritum surdum, & mutum, & dixi Discipulis tuis, vt eijcerent illum, & non potuerunt.* Id quod eleganter premens Diuus Chrysologus sermone 52. ita fatur. *Antiquus refuga vbi Deum terris reperit aduenisse, obstruxit aures hominum,*

Amos. 3.

Chrysol.

Marc. 9.

Chrysol.

*num vinxit linguam, & obseratis humani sensus foribus spelunca suæ lateram pectus fecit, & parauit humanum, æstimans quod illuc auditus verbi virtus diuini nominis non veniret. Simul vt est dolosus patrem capere, parentesque tali se credidit decipere figmento, vt desperarẽt curari posse eum, qui audire non poterat.* Et quidem nullo alio desperatam hominis salutem Diabolus facit, nisi obturatis eius auribus, quæcumque vincula alia etsi multa, etsi fortia inijciat, non securus est de præda, quamuis ferreis catenis manus pedesque habeat constrictos, perdet homines, si vel pars sit, qua vox diuina attentas pertingat aures. Vis scire quam parua impedimenta sint cætera vincula, vbi non est mentio de obturatione aurium? Considera Lazarum vocanti Deo ex sepulchro respondentem, quali habitu prosiliat resuscitatus? Enim vero Ioan. 11. dicitur exisse: *Ligatus pedes, & manus institis.* Non equidem vincula pedum, & manus impediebant, quominus in vitam ambularet, vbi diuinum Verbum excepit aure. Pulchre Rupert. de Victoria Verbi Dei libr. 13. cap. 18. ait: *Opportune Euangelista hoc præscripsit, quia videlicet consequitur in illius vocantis voce vim facillimam extitisse, quæ illum pariter, & viuificauit, & demonumento expulit, qui cum esset ligatus pedes, & manus institis, nec pedibus, nec manibus prorepere potuit.* Vni diuino verbo auribus excepto debebat quod non sentiret impedimenta ligaminum, dum ligatus prosilit in vitam, & sanitatem. O vtinam sanas diuino Verbo præbeamus aures, & à nullis metuemus peccatorum ligaminum, & quamuis mortis vorati faucibus, quamuis mille alijs cinculis præpediti, sperabimus in vitam suscitari. Ille timeat, & vehementer timeat, qui à Verbo Dei audiendo longe abest. Concionanti Domino apud Matth. cap. 2. dicitur: *Ecce mater tua, & frates tui foris stãt.* Quibus statim Dominus quasi matrẽ ignoraret, ait: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Proh bone Domine sic matrẽ ignoras, & eam matrem quæ tibi præ cunctis creaturis gratior extitit? Quæ te nunquam offendit? Quid nunc egit ob quod, saltẽ typicè, à te ignoratur? Sane quia cõcionante Domino, ipsa foris dicitur stare. Id ponderat D. Hieronym. de vera Circ. fatus: *O mysterium! Matrem Mariam sibi Dominus abiurat, cum extra verbi audientiam esset constituta, eo potissimum tempore quo verbum prædicaretur à verbo.* Eu qui à verbo audiendo absunt, metuo ne in æternum ignorentur à verbo. Hinc licet videre quam prudenter faciunt qui aures suas Verbo diuino, incredibili solicitudine comparant. Paulus, & Barnab. Actor. 16. Clamanti imo laudanti demonio silentium indixerunt. De quo Diu. Ephren. de ling. malo, ait: *Cur Apostoli dæmonem à quo laudabantur audire renuerunt? Nonne ideo ne mundæ ac castæ eorum aures impuris vocibus contaminarentur.* Sic de aurium mundicia curabant, qui per Verbum Dei salutem sperabant.

Ioan. 1.

Matt. 12.

## *Luc. 22.*

*Textus.* Dixit autem ad eos qui venerant ad se Principes Sacerdotum, & Magistratus tẽpli, & seniores, quasi ad latronem existis cum gladijs, & fustibus: cum quotidie vobis cum fuerim in templo, non extendistis manus in me. Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.

## §. XX.

*Exilis & infirma est diaboli potentia aliquando, ad homines perdendos, nisi ab aliorum hominum malitia adiuuetur.*

TER in Eremo diabolus Iesum agressus fuit, nec minimum illi valuit inferre damnum. Quid nimirum? Solus tunc erat diabolus, solus descendebat in certamen, nullius hominis in Iesum acciuerat societatem, & ideo eius potestas fragilis, eius vix nulla, languet aliquando potestas diaboli, vbi homines malitiæ socios non habet. Argute satis Ruper. lib. 3. de Victoria Verbi Dei cap. 5. Abraham à diabolo meditatur immunitatem, Iobum, inquit, considerans Sathan circumeundo terram, quomodo etiam non considerauit Abraham, Isaac, & Iacob fidem promissionis habentes, & propter illam spem peregrinando de gente in gentem, & de Regno ad populum alterum pertranseuntes? *Plane considerauit, & is-*

Rup.

*tos & de ipsis semen mulieris nasciturum, sed quid ageret? Quomodo bonam radicem illam corrumperet? aut quorum per manus extirparet? Verbum Dei hominem nocere eis non relinquebat.* Vbi autem non licebat dæmoni socijs hominibus vti quasi impotẽs erat, & infirmus prohibente Deo, ad inferendũ alicui malũ. Vis huius rei exẽplum singulare? Expende in primorum parentum ruina quantum serpens antiquus laborauit vt fragilem fœminam prosterneret, quam facile deuicit Adamum. Adoritur fœminam, obijcit pomũ, præfert mendacia, longosque init sermones, resistit in primis Eua, meminit diuini præcepti, detegit serpẽtis mendacium, & post multa commedit. Hinc pergit ad virum mulier iam socia serpentis facta, porrigit pomum: *Deditque viro suo, & comedit.* Expende transgressoris facilitatem, nihil dicit, nihil resistit, sed cum primum videt cibum, transgressionem facit. Proh dolor adeò potens est diaboli vis, vbi socia mulier armatur, qui solus resistentiã a fœmina patitur, modo virum sine resistentia prostrauit. Id quod notauit Diu. Anastasius Sinaita lib. 10. in Exam. aiens: *Virilior Eua apparuit in transgressione mandati: ipsa enim, & sola restitit serpenti, & cum quadam obiectione, & contentione, (calliditate superata) comedit ex ligno. Adã autem cum nihil omnino depugnasset aut contradixisset, fructus fuit particeps dati à muliere.* Vnde magis virilis Eua, & restistis magis? Nisi quia infirmiorem hostẽ fuit nacta, nimirum solum diabolum, qui tunc potens sit adperdendum, cum socium malitiæ suæ hominem habet. Hinc Christus Dominus in se armatam dæmonum æstimat potestatem Iudæis dicens: *Nunc est hora vestra, & potestas tenebrarũ.* Vbi notanter Diu. Cyrill. in Cat. ait: *Dicit, quod hæc potestas est tenebris data, ideſt, Diabolo, & Iudæis in surgendi in Christum.* Quasi vbi diabolus non habeat Iudæos, non haberet potentiã quæ sufficeret Christum Dominum enecare. Heu quanta erit dæmonum in Dominum potestas, quandoquidem tales socios sunt nacti! Quid mirum, quod ad illius perditionem nouã, & in audita inueniantur genera pœnarum. Hinc Diu. Chrysost. homil. de Pass. ait: *Accedit tamen confœderata Iudaico mors furori, volens potius seperire totam, quam tantam perdere prædã.* Quasi mors sola non auderet, sed vbi inito fœdere Iudæos socios obtinet. Heu quam sit temeraria & audax.

Sinai.

Cyrill.

Chrysost.

*Matth. 26.*

*Textus.* Tunc Discipuli relicto eo fugerunt, at illi tenentes Iesum.

## §. XXI.

### *Qui Dei societatem reliquunt, nusquam non fugitiui, & miseri errones.*

EXpende vim & consequentiam verborum, relicto Deo, fugerunt, non certam patriam, non firmum solum habent, qui Deum relinquunt, imo eo ipso & errones, & refugæ omnia in timore transcurrunt. Ita in præsenti meditatus est Simon de Cassia in Matth. cap. 17. inquiens: *Quia reliquerunt, fugerunt, quia relinquens Deum relinquit securitatem, ideo agitur in timorem, ideo fugit, & relinquens vitam fugit in mortem, relinquit dulcedinẽ, & intrat amaritudinẽ relinquit fidum amicum, inuenit hostem.* Nihil aliud habet qui Deum relinquit, quam meditari fugam, quam errare per omnia, vitamque exulis agere, & fugitiui. Ita Dan. 4. Superbissimus illi Nabucdonosor, vbi sese à Deo alienauit, & ciuitatẽ, & domũ, & hominũ societatem amisit, factus belua fœnum manducans. De quo pulchre Diu. Paulin. Epist. 4. ait: *Non solum à regnis suis, sed etiam à sensibus exulabat humanis, coma tristi Leonem, vncis vnguibus vulturem, sensu, & pabulo bobem referens.* Adeo miser erat, adeo errantem agebat vitam ab omnibus proprijs exul, in omnibus peregrinus. Nec fœliciori ausu prodigus ille filius apud Luc. cap. 15. relicto patre, cum substantiæ suæ parte abijt in regionem longinquam. Quod expendens Chrysol. fatur: *Ecce quemadmodum sine patre census ciuem in peregrinum, filium in mercenarium, liberum mutauit in seruum.* O misera hominis conditio, cui à patre separato vnũ restat exilium, & peregrinatio continua. Quid plura? Fame pene enectus: *Adhæsit vni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam, vt pascere porcos.* Vbi gemebundus D. Chrysol. ait: *Affectionis desertor, pietatis refuga inquieti gregis teritur, & maculatur excursu: porcorum luzulenta pascua percurrit, vt sentiat, quam miserum sit quietis paternæ beatitudinem perdidisse.* Ecce

Paulin.

Luc. 15.

Chrysol.

Chrysol.

tibi

tibi quam inquietam, quam erraticam ducant vitam qui Deum relinquunt crebris agitati excursibus, & fugis, nil habentes, quo quiete fruantur. De illo reproborum primate Caino dicitur Gen. 4. *Egressusque Cain à facie Domini, & habitauit in terra Naid.* Expendit verbum Naid Philo lib. de Cherubim, cui sonat commotio, vnde fatur: *Necesse est, vt ab imaginatione Dei digressa cogitatio, nauis in salo iactatæ more, ventis inter se confluentibus vltrò citròque feratur patriam domumque nacta agitationem.* O Egregiam patriam, & domum eorum, qui à Deo separantur! Ea est commotio, & agitatio, nullibi firmi & stabiles, sed in omnibus fugitiui, & peregrini. Hinc acute notat D. Paulin. Epist. 2. de Christo Domino osculante Iudam: *Osculum, ait, non ideo suscepit, vt pacem proditori acciperet, sed vt suam ab alienato reciperet.* Etenim qui à Deo se alienant, eo ipso alieni sunt à pace & tranquilitate.

Gen. 4.

Paulin.

## §. XXII.

### *Christus Dominus comprehensus, & captus est non alio, quam amicitiæ illice.*

NON fidit proditor carnificum phalangi, non fustibus, & armis, vt Dominum capiat, vni osculi, & amicitiæ signo plus omnibus confidebat, quo illice beneficentissimum Deum traxit ad laqueos. Sic ipse Dominus quæribundus apud Ierem. dicebat: *Venatione ceperunt me, quasi auem inimici mei.* Et quidem vt capiantur aues, præter laqueos, illices & eiusdem vocis parantur aliæ, à quibus tracta auicula, dum consortium, ora & societatē quærit, incurrit mortis laqueos. Quomodo aliter capiendus foret diuinus ales? Et osculi, & congeneris vocis illice illa queatus est. Infandam Abneri mortem sic Dauid 2. Reg. 3. lamentabatur: *Manus tuæ non fuerunt ligatæ, nec pedes tui in compedibus, coram viro iniquitatis cecidisti.* Quæ verba melius in rem præsentem expendit Theodoretus quæst. 13. inquiens: *Non in acie es superatus, & tanquam bello captus es ligatus, sed simulatio amicitiæ tibi vulnus intulit.* O summe & fortissime Rex Christe, ecce quali astu caperis, eo nimirum quo perpetes, & vellocissimæ caperentur aues, caperis non aperto Marte, non in bello, non viribus creaturarum, sed consortis ore, sed amicitiæ illice, sed beneuolentiæ signo! Huc spectauit Diu. Paschas. lib. 3. in Threnos fatus: *Ergo ipse est Aquila quæ dum prouocat pullos suos scilicet Iudæos ad volandum expandit alas suas super eos, & assumpsit atque ponit in humeris suis, laqueo eorum captus est in insidijs.* Quando caperetur perpes, & diuinissimus ales, nisi vt quando filijs prospiceret, ad illos subportandos sese inclinaret? Quomodo capi potuisset aquila grādis, nisi filiorum infirmantium insidijs, nisi effecto charissimorum pullorum modulamine, vt dum in oscula, & amplexus filiorum ruit, teneatur inimicorum laqueis? Recte Diu. Ambros. tract. de Interpellatione Dauid Christo Domino retullit, id quo Prouerb. 5. iuxta Sept. vocatur, nimirum, *Ceruus amicitiæ.* Vbi sic pergit Ambros. Fertur huiusmodi ceruorum esse simplicitas, vt cum his nonnunquam societatem ineant, qui ipsos insectantur. Nam cum se exagitari viderint his se equitibus annectunt, qui ministerio fraudis appositi fugæ simulatione, spe societatis inductos ad retia vsque deducant: *Ita ergo Dominus Iudæis dolum sibi astruentibus miscebatur, & societatem osculumque Iudæ proditoris asciuit, cuius simulatione funesta vsque ad Crucis laqueos, & passionis retia accessit.* Hæreo in illo, quod sæpe repeto, nimirum Dominum insidijs simulatæ amicitiæ captum esse, an ipse simulationis & fraudis inscius? Absit, imo hostiles animos fraudesque optime notat, & percalluerat, verum sic hominum coluit amicitiam, vt ne illius signum præteriret, eligeret incidere in fraudes, & trucidari. An non audisti canoras illas, & crudelissimas Sirenes? Ea cauebant dulcedine, quā ne preterirent homines eligebāt naufragia, & lastationē miserabilē. De quo accipe Casiodorū lib. 2. Varia. Epist. 40. Sic fantē. *Sirenas in miraculū cantasse, curiosa prodit antiquitas, & quāuis nauigantes fluctus abduceret, carbasa ventus inflaret, eligebāt suauiter decerpi, in scorpulos incurrere, ne tantā paterentur dulcedinē præterire.* Et quidē nouerat Dominus crudelissimæ fraudis oscula, & amicitiæ simulationē, tamē adeo illi dulcis erat amicitia cū hominibus, vt prudens eligeret decepi, ne illius vel signum præteriret. Et heu quam misere captus illo crudeli signo amicitiæ quā crudeliter raptatus fertur! Ad quos scopulos non alicitur? Per quos tribulos actus non cogitur, & crudelissimam lanienamire.

Thren. 3.

2. Reg. 3.

Theod.

Paschas.

Prouerb. 5.

Ambros.

Casiod.

# CAPVT II.

## De Caipha.

CAPTVM Dominum tumultuarie raptant nefarij carnifices, & ciuitatem cum præda ingredientes ad viciniorem Annæ domum apropinquarunt. Is erat Caiphæ Pontificis ſocer, qui maxime lætatus iubet vinctum Ieſum cum primum Pontifici genero transferri. Ecce tibi in domo Caiphæ aderat Pontificius conuentus ſeniorum omniũ Phariſæorum, & Scribarum medius ſedebat ipſe Caiphas, penes quem erat ſacer apex illo anno. Huc Dominus plenus clamoribus probroſis, plenus iniurijs, & irriſionibus, rudentibus ligatus approximauit. Stetit reus ipſa ſanctitas coram nequitia iudicante: interrogatur de doctrina, & reſpondens à ſeruo ſuſtinet indigniſsimam alapam. Quando Dominum feri homines verberant, diabolus Diſcipulum Petrum vehementer colaphizabat, vſque dum, ancillula terrefaciente, tantum Magiſtrum abnegaret. Intereà falſorum teſtium teſtimonia trutinantur, adeò falſa, vt vel ab iniquiſsimo iudice fuerint reprobata. Qui ab illis ſuperſedens Ieſum adiurat in nomine Domini, an filius Dei ſit: cui accinente Dono Pontifex furia percitus veſtem ſcindit, Ieſum blaſphemum pronuntiat, & reum mortis omnium ſuffragio declarat Quis numeret quæ hinc aduerſus Saluatorem effunduntur iniuriæ? Nulli non licet eius fulgentiſsimam ſputis commaculare faciem, maxillas percutere, capillos vellere, milleque modis in illum inſultare Medium conſtituunt in atrio, oculos diuiniſsimos panno operiunt; percutiunt fuſte, & pugno venerandum caput, præmiſſa ſalutatione regali. His tranſigitur nox, & ſummo mane ſeniorum iterum initur concilium, iterum Ieſus examinatur, & pronuntiante Caipha remittitur ad Præſidem Pilatum, vt eius ſententia Cruci ſuffigatur. Hoc concilij decretum proditoris Iudæ malitia ſuſtinere non valens, male & fero pœnitens refuſa in templo pecunia periturus voluit ad laqueum.

(·)

*Ioann. 18.*

Et adduxerunt eum ad Annam primum: erat enim ſocer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui conſilium dederat Iudęis: quia expedit vnum hominem mori pro populo.

### §. I.

### *Pulchra & elegans Chriſti Domini patientis ponderatio.*

IAM habes quod ſtupore plenus expaueſcas, nimirum Deum nocentum, viliumque hominum manibus traditum, cuius illi virtutum cumulo abutantur. Quod eleganti, & ponderoſa antitheſi demiratus D. Theodorus Sthudita ſerm. de Domini ſupplicio ſatur: *Cogitemus, fratres, ingens hoc atque inefabile arcanum. Qui animorum conſilia retegit Deus, omneque perſpicit humanum cogitatum, hic ille eſt, qui capitis ſiſtitur iudicio, qui præpotenti iuſſu vniuerſa librat, hic ille eſt, qui inſceleratorum manibus deditur, qui obligatam in nubibus vndam ex æquo tempeſtiuè inſerit ſolo, hic ille eſt, qui colligatus raptatur. Qui cœlum palmo ac terram menſus pugillo eſt, lanceque montes librauit, hic ille eſt, qui ſerui pulſatur dextra: qui florum varietate vber imbuit terræ: hic ille eſt, qui ſpinis inglorię coronatur, qui in pomario vitalem arborem conſeuit: hic ille eſt, qui ligno infœlix pendet. O immania, & inaudita miracula, quæ tunc intuitus Sol defecit, & Luna contenebrauit.* Equidem hoc innatum hominibus eſt, vt magis doleamus, & expaueſcamus illius vicem, qui à ſtorentiſsimo ſtatu in abiectiſsimam furtunæ miſeriam deuenit, à puppi ad ſentinam deſcendit, à gloria cecidit in infamiam. Qui igitur non doleat, non expaueat in Chriſto Ieſu, hanc viciſsitudinem rerum immanium? Quis non lachrymetur ad hanc miſerandam Chriſtiferæ maieſtatis mutationem? Quis tantæ gloriæ, & Imperio natũ ſiccis oculis videat, humo à Geneonibus raptari, ſputis fœdari? Sic quæ non rapuit bonus

*Studit.*

nus Iesus, exsoluit, sic Adami pœnas ipse suscipit miserabundus. Id quod eleganter perstringit Diu Cæsarius Naz. frater, lib. quæstionum aiens, omnia debita primi parentis Christus pro illo subiuit, pro illius obedientia abiecta factus obediens vsque ad Crucem; ille per Euam tentatus comedit, hic tentatus à Diabolo non comedit, sed ieiunus fuit quadraginta diebus. Ille voluit fieri Deus, hic cum esset Deus, pro illo factus est mortalis. Ille ex paradiso in hunc locum laboriosum relegatus est: *Hic pro illo, è cœlo dilapsus illius vitam suscepit: pro luce inaccessibili habitans antrum huius mundi tenebricosum, pro Angelis circumdatus à bestijs, pro hymnis, & cantilenis cœlestibus audiens calumnias, & contumelias.* Huc vsque Cæsarius.

## §. I.

### *Illi tribuuntur omnium crimina, & flagitia, qui author erroris fuit.*

COmprehensus Christus, nullus Euangelista meminit, quod fuerit ad Annam deductus, nisi Ioannes, sed potius omnes Caiphæ tyrannidem, & scelus enucleare festinat. Imò ipse Ioannes vix aliquid notat in deductione ad Annam, totus positus in præferendo Caipha. Quid plura? Meritò vnus Caiphas pungitur, & sugillatur à cunctis, ipse enim primus fuit author funestæ passionis, & crucis. Sic notat Ioannes dicens: *Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudæis: quia expedit vnum hominem mori pro populo.* Memini ex Genes. 10. in Ægypto Pharaonem vehementer percussum à Domino, quòd Saram vxorem Abrahami sibi raperet, sed & post modum cap. 20. dicitur Abimelec Rex Geraræ eâdem Saram sibi vsurpasse, adeò impunè, vt solùm in somnis admonitus fuerit illam viro suo restituere. Quæ rei causa? Cur ambo eiusdem rei criminis cũ existunt, alter durissimè castigatur, alter nullum accipit supplicium? Rationem reddit Diu. Ambros. de Abraham, cap. 1. Ambro. dicens: *Fortassisse moueat, quare tione Pharao ab omnipotenti Deo sit afflictus, cum & ipse ignoraret, vxorem esse Abrahæ Saram, quam Sororem audierat: Abimelech autem nullam pœnam receperit, Verum Ægypti Regem noueris ducem fuisse vitiorũ.* Merito Deus in duces & authores vitiorum irascens, reliquos quasi præterit, nec aliorum meminit iniurias in comparatione eorum qui principes in malitia extiterunt. Huc spectat illud 4. Reg. capit 3. quando Rex Moab Israelitico exercitu cinctus, & penè oppressus filium suum iugulauit in muro, sic enim ait textus: *Cum vidisset Rex Moab prælualuisse hostes, tulit secum septingentos viros educentes gladios, vt irrumperent ad Regem Edon, & non potuerunt. Arripiensque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum, & facta est indignatio magna in Israel, statimque recesserunt ab eo.* Burgensis, & Lyra expendunt illud, & facta est magna indignatio in Israel, & Deum asserunt authorem indignationis illius, quasi Deus videns nefarium Regis sacrificantis filium maxima scandescens ira in Israelitas desæuierit, illosque vehementer calamitate contriuerit. Sed cur nefaria Moabitarum videns, illa quasi inulta præteriens, & obliuiscens desæuit in Israelitas? Iam id exponebat Psaltes 105. vbi de Israelitis inquit: *Immolauerunt filios suos dæmonibus.* Fuit sanè hic mos Israelitis nefarissimus qui filios suos dæmonibus iugulabant, ab hisque Rex Moabita nefarium sacrificium didicit. Quocirca Deus sapientissimus iniquitatum vltor præteriens Moab Israelem meritò conterit, & affligit, vtpotè authorem, & ducem tanti criminis. Quo spiritu Ioannes nefaria Annæ subsilens, totus est in prodenda Caiphæ malitia, quia ipse erat primus, qui dederat consilium de enecando Domini Christo. 4. Reg. 3. Psal. 105.

*Text.* Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius Discipulus. Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium Pontificis: Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo Discipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum.

## §. III.

### *Suspectus amor in Deum sit, qui sine vllo metu, & timore est.*

HEV quàm incautè Petrus amoris in Deum adeò laxauit habenas vt nihil sibi timeret. Accipite Diu. Augustinus in Psalm. 96. *Petrus, qui audaci dilectione sequebatur, timida trepidatione ter negauit.* Vt vel hinc tibi amor suspectus sit, cum quo non venit Dei metus, propriæ infirmitatis timor. Vtinam tantus amator disceret, & timere, minimè ab hostilibus incursibus vinceretur. Quando quidem S. Theophilus Alexandrin. Epistol. Pasch. 3. à sanctis pueris Machabæis immania videns superata tormenta, hanc causam inuictæ fortitudinis inuenit, quod Dei timore armarentur. Etenim post recensitas sartagines, & alia cruciatuum innumera tormenta sic pergit: *Et tamen inter hæc omnia paradisum deambulantes, non sentiebant quod patiebantur, sed quod videre cupiebant. Mens enim Dei timore vallata flammas superat, varios tormentorum spreuit dolores.* Equidem valdè amabat, qui se pro Deo atrocibus obtulerant tormentis, sed timebant, quo timore muniti, & confirmati tyrannorum rabies, cruciatuum dolores inuicti premebat. O time, & time vehementer quisquis amator Dei es, suspectus amor tibi sit sine timore. Nonne apud Isaiam cap. 6. Seraphin ipsa timebant? Equidem velabant faciem, & supra Dominum volitabant instar auis, quæ summo desiderio prædæ circumuolitat, sed metu aliquo retardatur, pugnatque in ea cum timore desiderium. Eleganter Foretius ait: *In facie velata reuerentiam tantæ maiestatis cogita, coniunctam tamen summo videndi desiderio: neque prætereas, quod cum ignitis sint, & toti amore ardeant, adhuc tamen verecundè, & reuerenter se erga Dominum gerant.* Hunc affectum timoris, & metus amantium pectoribus inserere cupiebat summus hominum amator Christus Dominus, qui vt suos amabat, sic in passione nihil tam timebat, quàm eorum periculum. Quo refert Diu. Hilarius illud: *Cœpit pauere, & mœstus esse; & triſtis est anima mea vsque ad mortem.* Non mortem adeò expauit Dominus, non ingentia tormenta, non rabiem inimicorum timet. Quid ergo? *Metuit, ne se Deum abnegent Discipuli, quem cæsum, & consputum, & crucifixum essent conspecturi.* Nescit diuinus Amator esse sine metu, nescit amare suos, & non timere, vt iam tu non ames sine metu. Id quod attigit Diu. Isidorus Pelusiota, vbi ait: *Sponsa Dei es, amaris cum timore, ama, & time,* quandoquidem amatorem tuum cernis timere de tua infirmitate, cur tu audes amare sine metu? ama equidem, sed & disce timere. Quippe timor reliquas omnes virtutes confirmat, & vitijs aditum obcæcat. Isai. cap. 11. *Et requiescit super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & repleuit eum spiritus timoris Domini.* Expendo quod de spiritu timoris dicit, nimirum repleuit eum. De quo acutè Diu. Paschas. lib. 3. in Matthæum: *Nouissimè autem velut quoddam specialius, ac si municipum discretionis ab omni labe peccati, intulit dicens, & repleuit eum spirius timoris Domini. Non enim quoscumque repleuerit capaces alterius rei esse plenitudo timoris sinit.* Hæc ille.

## §. IIII.

### *Maximo detrimento homo sui cordis intima non lustrat penetrabilia.*

ECCE primum D. Petro præcipitium obiectum, quod staret ad ostiũ foris. De quo Drogo libro de passione loquitur: *Proterea negabat, quia intus esse nolebat.* Heu quanto se opponunt periculo, qui sui cordis arcana non lustrant, qui intra se, aut nunquam, aut serò volunt esse. Et quidè maior ille filius, qui Luc. 15. apud patrem remanserat, reuertentis iuuenioris festum cum ex agro rediens perciperet, noluit intra domum paternam ingredi, sic ait, *Erat autem filius eius senior in agro, & cum veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam, & chorum: & vocauit vnum de seruis, & interrogauit quid hæc essent. Ipse dixit illi, frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit. Indignatus est autem, & nolebat introire.* Quid plura? hoc vnum illius ruinam, & perditionem ostendebat, vbi introire recusat, vbi intus

Aug.

Theoph.

Isai. 6.

For.

Hilar.

Pelus.

Isai.

Luc. 15.

tus esse non vt, paternis epulis indignus censetur, & meritò à paterno excluditur conuiuio. Accipite Diu. Paschasium, de Corpor. & Sanguin. Domin. cap. 22. istius sic elucidantem querelam : *Tot annis seruio tibi, nunquam mandatum tuum præteriens, & non dedisti mihi hœdum saltem vt cum amicis meis epularer. Et quam iustè quia profectò cæcatus mente, noluit intrare intus, nec corde pœnitere. Idcirco prorsus ex omnibus bonis paternis, nec hœdum indulgentiarum meruit acquirere.* O vtinam hinc omnes disceremus quantum sit malum intus cordis nostri habitaculo non morari! Heu quoties seniores in Dei seruitio, quia intus secum esse negligunt, foris manentes à bonis paternis excluduntur! Et minimis offensi in irreparabile damnum incidunt. Id vt probet Petrus Damianus in Apolog. de contemptu sæculi cap. 21. inquit: *Quod profectò Esau patenter insinuat, qui cum de agro rediens se queritur lassum, damnosum valde cum fratre pepigit commercium.* Et adeò damnosum commercium pepigit, vt illo hæreditario primogenio se priuaret. Quid non amitteret qui totus foris in agro, & nunquam intus inueniebatur? Vnde prudenter Diu. Nilus in Ascetico cauet: *Si quis nondum aptus est ad pugnam, domi sine detrimento maneat, & salutem inquiete sine periculo tueatur. Talis erat Iesus Naue, de quo scriptum est: seruus autem Iesus cũ sit adolescens, è tabernaculo non egrediebatur. Nouerat enim eos, qui ad campum, ad pugnam præproperam egrediuntur, à fratribus carnis, & corporis amicis occidi ex historia Abel admonitus.* Non est in fratribus, in amicis securitas in agro, væ tibi si præproperè egredi foras cogeris, etiam ab amicis, à fratribus, a tua ipsius carne, corrues trucidatus. Non properasset Petrus egredi in certamen, & sese incolumen seruasset.

Pasch. Dam. Nil.

## §. V.

### *Suspecta sit ipsa salus, quæ per mulieres fiat.*

DIscipulus ille Pontifici notus dixit ostiariæ, & introduxit Petrum, & quidem non poterit Petro non esse damnosa hæc introductio ad Christum, quandoquidem per fœminam introducitur; Hic Ambros. *Vbi negat Petrus? In prætorio Iudæorum, ibi negat, vbi Christus captus, vbi Christus ligatus est, quomodò enim non erraret, quem intromisit ostiaria, & interroganit ostiaria?* Non bona sæpè ductrix fœmina, etiam si semel ad Christum ducat, te faciet alias errare, non se illi committat sine metu quisquis rectà via ad Deum pergere statuit. Fratres illi duo Zebedæi filij Christi in regno cupiebant primas obtinere, committunt rem matri, illa Magistrum adit, cui ait: *Dic, vt duo filij mei sedeant in regno tuo, vnus à dextris, alius à sinistris.* Expende, quid petat mulier, vt filius sedeat à sinistris Dei. Proh fœminæ stultitia! sinistram petis tuis filijs? Pulchrè Diu. Chrysostomus in Catena sic Domini voce respondet: *Nescitis quid petatis. Ego vos vocaui ad partem dexteram de sinistra, vos vestro consilio curritis ad sinistram: ideò forsitan per mulierem res agebatur.* Quid mirum, quòd homines ad sinistram currant, ducente fœmina? Vbi mulier dux est, caue ruinam, & perditionem. Huc spectabat Alcuinus, quando totam primi pomi malitiam in eo ponit, quòd à fœmina fuerit acceptum. Sic enim sermone de Natiuitate Virginis, alloquitur Mariam: *Exuge Domina, virus hoc mortiferum, quod de pomi sui reliquijs Eua nobis propinauit.* Vbi pondero illud, depomi sui reliquijs, quasi totũ illius venenum huc referat, quod fuerit à fœmina nobis relictum, & propinatum. Quocirca non prætereunda Diu. Chrysostom. ponderatio homil. 9. in 1. Epist. ad Timoth. vbi primos parentes immediatè post peccatum in iudicium vocatos animaduertit, & illorum excusationem notat his verbis: *Mulier quidem crimen excusans ait, serpens decepit me: Adam verò non ait, mulier decepit me, sed mulier dedit mihi de ligno, & comedi.* Enim verò satis credidit se excusatum à crimine, si tantùm ostenderet ibi interfuisse mulierem, qua duce fatis futurus erat error. Vnde meritò expendens Chrysostomus vbi suprà, illud Paulianum. 1. ad Timoth. 2. *Mulieri docere non permitto*, sic rem confici: *Semel docuit mulier, & cuncta peruertit, idcirco inquit Paulus, vltra non doceat.* Quod ego in præsenti aliter dixerim, nempe milles negotia hominum aggressa est mulier, & sæpè omnia peruertit, stultus erit, & mentis inops, qui iam illarum communicationem non fugiat.

Ambros. Matt. 20. Chrys. Alcuin. Chrys. 1. ad Tim. 2.

*Textus.* Pontifex ergo interrogauit Ieſum de Diſcipulis, & de doctrina eius. Reſpondit ei Ieſus: Ego palã locutus ſum, &c. Hæc cum audiſſet vnus aſsiſtens Miniſtrorum, dedit alapam Ieſu dicens, ſic reſpõdes Pontifici.

## §. VI.

*Alapa Chriſto Domino inflicta adeò illi probroſa extitit, vt auiditſſimum eius patiendi animum poſſet quoad nos ſatiare.*

VIdiſti aliquando eſurientium conuiuarum acies primo à ferculo hebetari? Equidem ſolet adeò pinguis, & adipeus cibus in principio cũuiuij miniſtrari, qui auidiſsimos quoſque explet, & exſatiat. Auidiſsimus ærumnarum Dominus ad paſsionem accedebat dicens: *Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum*, nimirum, iuxta Tertullian. aduerſus Marcion. *Figuram ſanguinis ſui ſalutaris implere concupiſcebat.* Hoc erat illi maximè in optatis, ſi paſsionis calicem exhauriret, ſi dolorum veſceretur pane. Ecce tibi Miniſtri manu in principio accepit alapam, qua ingens patiendi auiditas quoad nos explẽtur, & exſaturatur. Accipite Rupertum illud Ieremiæ 2. expendentem, nimirũ: *Poſt gloriam miſit me ad gentes.* Vbi ſic fatur. *Quam bonus eſt vnigenitus, qui cum in forma Dei eſſet, propter nos accepit formam ſerui, atque poſt gloriam claritatis, quam habuit apud Deum, priùs quam mundus fieret, ſaturatus eſt opprobrijs, dans percutienti ſe maxillam.* Proh immaniſsima ſerui manus, quæ ingenti Chriſti patiendi fami prætendis ſatietatem! Quæ exples inexplebilem opprobriorum ſitim! Quæ ſummam tormentorum appetentiam exſaturas! Sanè vt primum ſic maximum fuit hoc Chriſti Domini opprobrium, quod diuiniſsima eius facies à vili ſcurra in Principum conſpectu, arridentibus cunctis fuerit verberata. Cuius dedecus inde ponderarat Ierem. Thren. 3. quod illo propè infinita patiendi auidas in Chriſto fuerit exſatiata. Vnde poſt Ruper. eleganter Ierem. verba ponderans Diu. Paſchaſ. lib. 3. in Thren. ait: *Oſtenditur auiditas deſideriorum, cum dicitur, Dabit percutienti ſe maxillam, & ſaturabitur opprobrijs, quoniam omnis ſaturitas ex auiditate ſumẽdi naſcitur.* Quaſi innuat, quod minimè Deus faciem ſuam alapæ abijceret, niſi auidiſsimus eſſet opprobriorum, euenit vero illi, quod fameſcenti, & auidiſsimo in cõuiuio accidit. Is qua eſt auiditate prima fercula non tam mandit, quam vorat, quã glutit, quæ aliquando vt pinguia & adipea ſunt, ſic auiditatis acies hebetant, & exſatiant. Cuiuſmodi erat inflictæ Domino opprobriũ alapæ, potens auidiſsimam, imò rabidiſsimam famem exſaturare. Ecce vobis diuinus Iob. cap. 16. rabidiſsimos hoſtes in opprobria, & contumelias inhiantes, alapa accepta exſatiat, ait enim: *Aperuerunt ſuper me oraſua*, nimirum more canũ fame rabida prædæ inhiantes: *Et exprobrãtes percuſſerunt maxillam meam, ſatiati ſunt pœnis meis.* Vbi D. Gregorius ſic animaduertit. *Poſt percuſsionem maxillæ aptè ſubiungitur, ſatiati ſunt pœnis meis.* Quomodo aliter exſatiari poſſent rabidiſsim fames? Quomodo qui opprobrijs immittendis inhiabant, inuenirentur ſaturi, niſi alapis percutientibus faciem. Et hoc Iobo non accidit, ſed Chriſto Domino, cui inflicta alapa poſſet immenſam, & infinitam patiendi auiditatem quo ad nos exſatiare. Fallor, ſi hic nata non fuit illa nouorum tormentorum excogitatio in Dominũ, quandoquidem qui ſatur eſt, nota fercula faſtidijt, nouaſque ciborum formas meditatur, quibus auiditatem acuat. Sic Dominus primo alapæ opprobrio exſatiatus, iam faſtidit communia mortis, nouis, & inauditis opprobriorum generibus inhiat, nouas patiendi formas tractat, ſi tradatur ſpinis coronandus, conſpuendus, poſt habendus Barabbæ, & ſic noua, & inaudita ſuſtineat alia. De quibus propter nouitatem inauditam dicat apud Lucam, *Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare*, nimirum, vt explicat Leontius Ætolius, quaſi dixiſſet, *hoc paſcha vobis tradere deſidero, nouas ſcilicet res.* Antiquas paſchę iugulationes, veteres effuſiones ſanguinis prorſus faſtidio, noua dolorum genera meditanda ſunt, vt illa auidè ſuſtineam, qui in primis alapam ſerui ſuſtinui adeò indecoram, & probroſam, vt nullum commune dedecus eminere poſſet præ illa. Huc Cæſarius Naz. frater dialogo

*Luc. 21.* *Tertul.* *Ruper. Ierem.* *Paſch.* *Iob. 16.* *Gregor.* *Leont.*

logo 4. vbi inquit. *Eum qui vnam percussus maxillam, etiam alteram præbet, definit, qui pondus diei, & æstum in eo tentationum ferat, Dominus, tanquam omne opus laboriosum sui mandati promptè impleuerit.* Ecce tibi qui patienter alapam sustinet, omne laboriosum opus impleuit, summo labore adimpletus reliqua contemnit, & reputat leuia.

## §. VII.

### *Ea est hominum temeritas, & rabies, vt in diuinam faciem audeant.*

QVAM verecundi, & tremuli Cherubini vix intueri audent Domini faciem, non refugit temeraria homuncionis manus vulnerare. O effrænem hominum rabiem, quo peruenire putas, quandoquidem Deificam contemnis, & proculcas faciem? Premebat D. Cirill. Ierosol. illud Isaiæ Iudæorum populo dictum, nimirum, *Ecce Saluator tibi aderit*: & meritò quærit cur vates cauerit Saluatoris nomen proprium prædicere: de quo Catech. 10. sic fatur. *Saluator apud Iudæos Iesus dicitur, prophetica enim gratia Dominicidas Iudæos præuidens occultauit appellationem, ne si apertè præsciuissent, promptius illi insidiarentur.* Proh Deus immortalis! immensa Dei pulchritudo, quæ beatorum intuentium ad se rapit affectus necessario, sibi à miseris hominibus cauet, & non vult nosci, ne auidiùs ab illis contemnatur. Meritò huc reuocandus D. Irenæus, lib. 4. contra hær. c. 37. vbi hanc reddit rationem, cur diuinitas lateat sub carne, nimirum, Deus, ait. *Hominibus ostendens Deum, Deum autem exhibēs hominem, & inuisibilitatem quidem Patris custodiens, nequando homo fieret contemptor Dei, &c.* Quid in homine miserabilius cogitari posset, quàm quòd is esset, qui parentem Dei spueret, & contemeraret faciem? Vos omnes compello Theologos, qui indignamini Scotum, quòd dixerit, suspendi posse amoris affectum, ne feratur in Dei clarè visam faciem. Ecce quid longè miserabilius in homine Irenæus meditatur, cuius tantam putat esse temeritatem. vt diuinissimā Dei aperte visam faciem auderet contemerare. Heu temerarios hominum ausus! Heu effrenem pulueris humani rabiem! Nec te moueat, quòd dicat Irenæus, diuinam faciem clarè visam posse à peccatore contemni; posse quidem non de lege ordinaria, sed in eo casu, quo Deus liberum hominis arbitrium relinqueret, nec extrinsecùs efficaci prouidentia protegeret. Id quod apertè docet Scotus in 4. dist. 49. quæst. 6 §. *dico ergo.* Quam sententiam Scoti refert, & explicat in dicto sensu, Vazquez, 1. 2. quæst. 4. arti. 3. disput. 18. cap. 1.

*Isai. 62. Cyril. Hierosol.*

*Iren.*

*Scot.*

*Vazq.*

*Textus.* Respondit ei Iesus: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem benè, quid me cædis.

## §. VIII.

### *Nullum tempus intempestiuum, vt animæ negotietur salus.*

VINCTVS Dominus, & crudeliter à Ministro percussus non irascitur; sed blandis verbis percussorem ad salutem allicit. Nunquam non tempestiuus est Dominus, vt salutem suggerat, nunquam non tempestiuè à Domino petitur salus. Id quod eleganter docet Diuus Chrysosto. homil. 1. in Acta, fatus. *Ne quis arbitretur intempestiuum esse de salute sermonem, eo quod nunc non est dies quadragesimus. Nam hoc est quod vrit animum meum in huiusmodi rebus, obseruari tempus. At qui Eunuchus ille cùm esset barbarus, & iter faceret, essetque in via publica, non exquisiuit opportunitatem; sed ne carcerarius quidem ille cùm esset inter vinctos, conspiceretque Doctorem cæsum ac vinctum, præsertim cùm id temporis crederet illum in carcere mansurum. Hic autem plerique qui nec carcere sunt, nec itinere, proferunt salutis suæ negotium.* Hæc Chrysostomus, quibus attigit duas historias. Altera est Eunuci, qui 8. Act. cùm esset in via videns aquam continuò prosiliuit, vt à Philippo baptizaretur: altera est carcerarij, qui Act. 16. aperto carcere inueniens Paulum inter vinctos vinctum, & cæsum, statim consternatus, ait: *Domine, quid me oportet facere, vt saluus fiam?* Interpestiuum fortè putaretur tempus, vt carcerarius iste de salute ageret, quando Doctor vinctus, & cæsus in carcere tenebatur. Expectasset occasionem aliam tempestiuiorem; sed nulla non

*Chrysost.*

*Act. 8.*

*Act. 16.*

eſt tempeſtiua occaſio, vbi ſalus animarum procuratur. Vnde prudens ille carcerarius non exquiſiuit aliam opportunitatem, quamuis eſſet inter vinctos, conſpiceretque Doctorē cæſum, & vinctum. Miratus Iſaias cap. 52. pulchritudinem illorum, qui ſaluti animarum operam nauabant, dixit. *Quam pulchri pedes euangelizantium pacem.* Quæ verba ponderans, & expendens Tertul. lib. 5. contra Marc. cap. 5. ſic transfert. *Quàm maturi pedes euangelizantium pacem.* Et meritò, nunquam enim non tempeſtiua, & matura, & temporanea euangelizatio, & pacis annuntiatio, etiam inter vincula, inter vulnera, inter contumelias, vel acceptas, vel datas.

Iſai. 52.

## §. IX.

### *Chriſtianus parili affectu omnes proſequatur, etiam hoſtes.*

NVLLI pacifica magis verba daret Dominus, quàm crudeliſsimo percuſſori dedit; *Si autem bene*, inquit, *cur me cædis?* Vnde D. Ambroſ. Pſalm. 37. hæc verba ponderans, ait. *Vide quemadmodum quæſti vir iuſtiſsimus, & quaſi is qui ſe vindicare nō poſſet, puerili quodam loquebatur affectu.* Et quidem notanter dixit, puerili loquutum fuiſſe Dominum affectu, quaſi puerulus, qui amica, & inimica, noxia, & ſalutaria affectu parili præſumit. Sic Dominus placidè, & amicè tractat nocentiſsimos etiam percuſſores. Huc ſpectabat D. Macharius hom. 8. ſic æſtimans Chriſtianam gratiam. *Gratia omnia membra, & corſedat, ita vt anima præ nimio gaudio videatur eſſe velut puellus mali neſcius. Nec in poſterum homo condemnat Græcum, aut Iudæum, peccatorem, vel mundo deditum; ſed interior homo oculo puro omnes reſpicit, gaudetque de vniuerſo mundo, planèque expetit venerari ac diligere tam Græcos, quàm Iudæos.* Fœlix qui hac re pueraſcit infantia, qua omnibus dulcis, & pacificus, nulla nouerit perturbatione cōmoueri, & afflictari. Viſi fuerunt ſponſæ, Cant. 2. ſexaginta viri bellatores ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladium, qui æternæ quietis pacifici Salomonis ambiebant cubile. De quibus verba faciens Dominus, Luc. 11. aiebat: *Oſtium clauſum eſt, & pueri mecum ſunt in cubili.* Idem ab ſponſa viri bellatores, & fortiſsimi habentur, & à Deo pueri vocantur. Cur ita? An quia tota Chriſtiani duelli milia in eoſita eſt, vt omnis perturbationis expertes, per infantilem ſimplicitatem quieti, & pacifici pacis regnum potiamur? Ita planè D. Gregorius Niſſen. homil. 6. in Cant. hac duo loca componit, & explanat fatus. *Quando enim qui fœmori accinxit enſem attendendo vitæ ex virtute agendæ, expulit animi perturbationem, tunc infans ætate eſt expers animi eiuſdem perturbationis. Non enim ea ætas immatura capax eſt eiuſmodi perturbationis. Idem ergo eſt dicere armatos eſſe circa lectum, & infantes, vna quippe eſt impatibilitas, quandoquidem hi non admiſerunt; illi verò eiecerunt animi perturbationem.* Ecce vobis Chriſtianorum heroum fortitudinem, & arma, nō vt hoſtes hoſtiliter depellant; ſed vt amputata in ſe omnis perturbationis cauſa, quaſi modo geniti infantes pacifici, & dulces omnibus exhibeantur. Huiuſmodi puerū agebat Dominus omnipotens, quando percuſſus à ſeruo nullam animi perturbationem patitur; ſed manſuetus reſpondit, & blandus. Meritò Iſaias, cap. 9. ait. *Ecce puer natus eſt nobis*, de quo Cleme. Alexand. 1. Pædag. cap. 6. *Quid eſt ergo puer? infans, ad cuius imaginem nos infantes ſumus, ò magnum Deum! ò perfectum puerum!* Planè perfectus puer, vt potè perfectè imperturbabilis, qui medijs perturbationum cauſis parili omnes affectu, eoque manſueto, & blando inimicos etiam amplexatur.

Amb.

Mach.

Luc. 11.

Niſſen.

Iſai. 9.

### *Matth. 28.*

*Textus.* Principes autem Sacerdotum, & omne Concilium quærebat falſum teſtimoniū aduerſus eum, &c.

## §. X.

### *Summæ diuinæque virtutis argumentum medijs obiurgantium teſtimonijs, & calumnijs pacienter tacere.*

VIDE totum Iudæorum concilium occupatum in inueniendis falſis teſtiſtomo-

timonijs, & calumnijs aduersum Iesum: ipse autem medius stabat omnia audiens; sed tacens in audito, & diuino silentio. Sic pōderat D. Leo serm. 6 de Pas. in domo Caiphæ, *falsa aduersus Dominū testimonia quærebant; sed inter inconditas voces, & dissonas hoc Iesus mirabiliter elegit, vt taceret.* Expende illud, *mirabiliter*, quippe non fragili tatis humanæ erat medijs falsissimis calumnijs conticere; mirabilis, & diuinissimæ virtutis id fuit singulare argumētum. Laudatissimi viri sese supra se leuantis proponens Ieremias, Threnor. 3. imaginem sic inquit, *ponet in puluere os suum, si forte sit spes.* Quæ verba, & D. Paschas. & D. Amb. argutius in rem præsentem explanant, nimirum, *dabit in sepulturæ fossuram os suū, si forte sit spes patiētiæ.* Sed quid est quod dabit in sepulturæ fossurā os suum? Pulchrè D. Ambr. serm. 10. in Psalm. 118. inquit. *Quod autem, ait, dabit in sepulturæ fossuram os suum, ostendit quandam supra modum tacitumitatem patientiæ, vt tanquam sepeliat os proprium, & velut quodam aggere virtutum obstruat, ne vocem doloris emittat.* Id quod maximè notandum, & expendendum est, quandoquidem non sufficit quodlibet ostium apponi labijs, vbi homo petitur calumnijs, nec sufficit claudere os, sed quasi profunda fossa illud sepelire debet quisquis tacere cupit, insuper, & magnarum virtutum aggerem istar busti cuiusdam ac tumuli addere, & super inducere. Vidisti cadauer fossæ tradi? Vidisti quantus illi agger terræ immittatur, quanti superponatur lapides. Ita quisquis se patienter inter calumnias gerere cupit, os sepeliat, cui superaddat non terræ molem; sed magnarum aggerem virtutum, sine quibus impossibile erit, quod teneatur lingua. Hinc affulget elegans D. Chrysost. ponderatio homil. 15. in Matth. vbi proponit Dominum in monte ad turbas sermocinātem per hoc quod dicit: Beati pauperes spiritu: beati mites: beati qui lugent: beati qui persecutionem patiuntur. Hæc & alia Dominus ad turbas: & statim conuersus ad discipulos suos, ait illis: *Beati estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersus vos, mentientes, propter me.* Expende modo discrimen, vbi beatitudo fame siti, lachrymis, morte comparanda est. sic proponitur omnibus turbis, verum vbi comparari debet per falsa testimonia, & calumnias, non turbis; sed Apostolis, dicitur: Quid plura? Inquit Chrysost. *Ostendit ipsorum hoc esse præcipuum super alios omnes, vtpote doctorum esse proprium; & quod nisi quis illis quæ superius posuit armatus fuerit virtutibus, ad hæc nequaquam prodire possit certamina.* Tantarum virtutum est, quod tacens, & silens audias falsa testimonia, & calumnias.

Lu. Thren. 3. Amb. Matth. 5. Chrysost.

*Textus* Et Princeps Sacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum viuum, si tu es Christus Filius Dei. Dicit ille Iesus, &c.

## §. XI.

### *Christi Domini aspectus, & virtutes diuinitatis odorem halabant.*

LIPPIS ipsis, imò obcæcatis Iudæis Christi Domini diuinitas aliquando innotescebat, & vt medijs nubibus quandoque fulgurat rutilus Solis radius, sic tenebrosis inuidiæ Pharisaicæ nebulis sese Christi Domini Deitas insinuabat. Nam vt rectè notat Victor Antioch. Marc. 14. *Quorsum hunc solum, ipse ne Christus Dei benedicti filius esset, interrogare attinebat, nisi eum id esse suspicati fuissent, neque enim ex alijs reis tale quippiam interrogare soliti essent?* Et opere, & sermone, & patientia, & virtute, & alijs innumeris vijs eminebat in nomine illo Iesu Deitas clausa, & ita omnium oculos perstringebat, vt obcæcatissimi etiam cogerentur de illa suspicari. Simile quid animaduertit D. Hilar. in Satana tentante Dominum illis verbis, *si Filius Dei es?* Vnde Satana hanc Filij Dei ebibit suspicionem, nisi ex Iesu virtutibus diuinitatem halantibus? *Satanas*, ait Hilar. *tantis suspicionibus anxius vsque ad tentandi erupit audaciam: ingens in Iesu pertimescens cœlestis mollitionis arcanum.* Quod de Pharisæis dictum maximè etiam quadrat, quippe suspicionibus anxij, ingens in Iesu pertimescentes diuinæ mollitionis arcanum, alijs calumnijs, & quæsitis, & studio inuentis contemptis hoc vnum quærunt, an sit Filius Dei benedicti.

Victor. Hilar.



§. XII.

## §. XII.

### *Væ illi homini, quem iudicij extremi commemoratio non pungit, nec immutat animum.*

DESPERATISSIMIS hominibus vltimam medicinam clementissimus Medicus applicat, eamque efficacissimam, nimirum iudicij extremi commemorationem. *Videbitis*, ait, *filium hominis venientem in nubibus cæli*, quo alias eremi syluas hominibus repleuit, & homines traxit ad virtutum aspera. Nec speratur salus, in quo remedium hoc inefficax manet & inane. Vnde D. August. serm. 120. de tẽpore, fatur. *Caueamus ita in criminibus pollui, vt ad nos respiciat prophetia illa terribilis. Nõ est Deus in cõspectu eius pollũtur viæ eius omni tẽpore, auferũtur iudicia tua à facie eius. Irremediabile periculũ est sic aliquẽ vitij, & cupiditatis fræna laxare, vt se rationẽ Deo nõ meminerit redditurũ.* Hoc est vltimum deplorati hominis argumentum, hoc damnum irreparabile, si ad iudicij memoriam non expabeat, si quasi nihil audiens pertranseat. Hoc efficit summum malitiæ barathrum, vt tremendus hic dies à memoria absit: cui accinit D. Cæsar. Arel. hom. 29. *Habet hoc infœlix consuetudo peccandi, vt quanto amplius vnusquisque peccauerit, tanto minus peccata ipsa intelligat, & tanto eum plus peccare delectet, & veniat ad illud, quod Propheta peccatoribus clamat, non est Deus in conspectu eius, auferuntur iudicia tua à facie eius. Etenim quando subrepit peccandi delectatio, statim futuri iudicij diem abscondit obliuio.* Nil magis commune peccatoribus desperatis, quam de venturo iudicio non curare, simul inuenire licet in illorum corde, & summam peccatis adhæsionem, & extremam iudicij impatibilitatẽ. Quo malo irremediabili affectum populum lachrimis prosequebatur Iesus Luc. 19. quando super Hierusalem, fatur. *Si cognouisses, & tu, & quidem in hac die tua; quæ ad pacem tibi.* Expendit, & ponderat illud in hac die tua D. Paschas. libr. 2. in Threnos, his verbis. *Suam ergo diem habet anima peruersaque transitorijs lætatur bonis. Cui ea quæ sunt, ad pacem sunt, quia dum rebus temporalibus gaudet, dum honoribus extollitur, dum in carnibus voluptate resoluitur, dum nulla formidine venturæ pœnæ terretur, pacem habet in die sua, quæ graue damnationis habebit in die aliena.* Diem alienam vocat diem Domini, diem iudicij, quando iudex omnium accepto sibi tempore iudicaturus est viuos, & mortuos. Plangenda est ergo illa anima, imò deplorata iam est, quæ in die sua est tota, nec meminit diei alienæ. Præclare Psalm. 9. dicitur: *Propter quod irritauit impius Deum? Dixit exim in corde suo non requiret.* Quæ verba tractans Bern. ser. ad illud, ecce nos relinquimus: ita fatur. *Propter quid irritauit impius Deum, exacerbauit Dominum peccator, vt secundum multitudinem iræ suæ non quærat? Num propter fornicationes? incestus an sacrilegia? Nil horum Propheta memorat, sed quod in corde suo dixerit, non requiret.* Ecce quam irritat Dominum extremi examinis obliuio!

Psal. 9. August.

Cæsar.

Luc. 19.

Paschas.

*Textus.* Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens, blasphemauit, quid aliud egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam, quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt. Reus est mortis.

## §. XIII.

### *Extrema diuinæ prouidentiæ, omnisque boni nuditas consequitur indignum sacerdotem.*

EXTREMAM sui populi miseriam exagerans Dominus apud Oseã 4. iuxta Theodoreti lectionem, ait. *Erit populus meus tanquam sacerdos, cui contra dicitur*, nimirum tanquam sacerdos indignus apice. Quod amplius explanans ipse Theodoretus, ait. *Sacerdoti reprobate, & qui ex sua dignitate excidit similis eritis, mea prouidentia deserti, ac denudati.* Expende illud denudati, quippe omnibus peccatoribus commune est criminibus fœdari, & conspurcari, non tamen ideo penitus à Dei prouidentia, virtutibusque omnibus nudantur. Grauius quid est in homine nudatio ista, quam criminum labes, adeò, vt prodigo

Oseas. 4.

Theodor.

prodigo illi, & dissipatori substantiæ nil prius offert diuinus pater, quam vestem. Ait enim Luc. 15. *Citò afferte ei stolam primam.* Quo circa eleganter D. P. Chrysol. serm. 3. fatur. *Substulit filij crimina, qui non sustulit nuditatem.* Sanè non tam perniciosa crimina, quam perniciosa erat nuditas; & ideo in primis hæc tollenda erat à benesicentissimo patre. Quam ergo in perditissimo filio non sustinet Dominus nuditatem, hanc propriam, & quasi connaturalem habet sacerdos indignus, eo enim ipso omni diuina gratia, & prouidentia, & virtute cum apice nudatur. Hinc patet, quam naturali, & debito motu Princeps Sacerdotum calumniatus Deum, scidit vestimẽta sua, etenim necessariò post tam indignũ sacerdotis facinus, sequenda erat omnis boni misera extremaque nudatio. Accipite D. Leonem, serm. 6. sic obijcientem Caiphæ. *Nesciens quid hac significaret insania sacerdotali se honore priuauit. Vbi est, Caiphá, rationale pectoris tui? vbi continentiæ cingulum? vbi superhumerale virtutum? mystico illo sacratoque amictu ipse te spolias.* Nil iam manere debebat ornamenti in sacerdote indigno, ideo omnis boni, & prouidentiæ nudato. Rectissimè de Mercenario pastore loquens Dominus Ioan. 10. ait, quod veniente lupo, *dimittit oues, & lupus rapit.* Quid plura? Ibi D. Ansel. ait. *Lupus rapit, quia diabolus erat meritorum bona, quæ videbantur habere, tollit.* Nihil boni in malo pastore permittit haberi diabolus, & qui in alijs permittit aliqua virtutum fila permanere, quibus non prorsus perditi, sed & vitiosi videantur, in sacerdote indigno, nec hæc permittit esse, omni boni speciem tollit, vt prorsus nudi, & spoliati maneant.

Luc. 15. Chrysol. Leo. Ioan. 10. Ansel.

## §. IIII.

### *Vnica Principis, seu Prælati malitia omnis perditur subditorum status.*

NVNC primum Iudæorum turbæ Christum Dominum ad mortem expostularunt, nunc primum plebis illa intonuit vox, *reus est mortis.* Antea dicebant omnes, nunquam sic loquutus est homo, benedictus qui venit in nomine Domini, modo clamant, reus est mortis. Quid mirum? Princeps Sacerdotum ducebat lethalem chorum, & Principis malitia omnem corrumpit, & perdit subditorum statum. Quis non expauceat perniciem illam filiorum Iob? omnes vno impetu ventorum interempti ac sepulti sunt, de quorum ruina sic nuntius narrabat patri, cap. 1. *Filijs tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, &c.* Expende, quando illorum perditio aduenit, nimirum, quando in domo maioris natu conuiuium agebant. Ibi D. Gregor. libr. 2. cap. 16. *Sed neque hoc negligenter præterundum puto, quod filij in maioris fratris domo conuiuantur dum pereunt.* Quid ni? Peccabant fratres in domo maioris fratris? Absit, sed figura fuit illorum perditio, eius quæ subditis accidit ex principum, & prælatorum placulis. *Dum ergo in maioris fratris domo conuiuantur, pereunt, quia tunc contra nos hostis vehementius vires accipit; quando, & ipsos qui pro custodia, & disciplina prælati sunt, ventri seruire cognoscit.* Et quidem nulla res sic funditus perdit subditos, quam Principis, vel Prælati malitia, non ab Amalech, sed à Moysi dimissis manibus Israelite perdebantur. Vnde Christus Dominus, vt discipulos omnes incolumes seruaret, pro Petri fide enixius est deprecatus. Sic enim ait Luc. 22. *Simon ecce Satanas expetiuit, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua.* Vbi omnes à Satana petuntur, & expetuntur discipuli, pro solo Petro exorat Dominus, etenim saluo, & incolumi Principe, omnes reliqui salui existant necessum est. Ita D. Leo sermon. 3. in anniu. dicens. *Commune erat Apostolis omnibus periculum de tentatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes cupiebat elidere, & tamen specialis à Domino cura Petri suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit.* Adeò efficax est Principis exemplum, siue ad perdendum, siue ad conseruãdum subditorum statum, infra cap. 3. §. 20.

Luc. 15. Iob. 1. Leo. Luc. 22.

*Luc. 22.*

*Textus.* Et viri qui tenebant illum illudebant ei cædentes, & velauerunt eum, & percutiebant faciem eius, & interrogabant eum dicentes: Prophetiza quis est qui te percussit.

## §. XV.

### *Malitia exuberans oculos diuinos non patitur, illis clausis quo ad nos, vehementer effrænatur.*

IESV faciem perfidi Iudæi velabant, vt in illum audacior eorum malitia insultaret, adhuc diuinos illos oculos verebantur, & quando non scelerata mens diuinos oculos expauit? D. Cyril. Ierosol. catec. 3. acutè notat quam pertimescerent Ethnici Dei viuere sub abspectu, adeò enim hoc illis exosum erat, quòd *alij solem ponebant, vt occidente sole, sine Deo essent: alij verò lunam, vt in die Deum non haberent*. Hæc vna scelerati simis hominibus erat cura, ne Deum haberent semper inspectorem, ne sub oculis diuinis semper viuerent; sed aliquando à diuinis obtutibus remoti malitiæ arua excolerent, & ingentes facerent messes peccati. Equidem tunc humana mens tota in malitiam effunditur, tunc propè in immensum excrescunt malitiæ arua, cum diuinus oculus quo ad nos alio aspicit. Dixerat Dominus apud Amos c. 4. *auertam faciem meam ab ipsis*. Ex quo Clem. Alexan. 1. Pædag. cap. 8. malitiæ segentem nimium adulturam præsagit, his verbis. *Vbi facies Domini respicit, ibi est pax, & exultatio, vbi autem faciem auertit ingreditur vitium. Non vult ergo mala intueri, bonus enim est; sed eum ipse oculos auertit sua sponte propter humanam infidelitatem ortum habet vitium.* Heu quam effunditur malitia, vbi Dei oculos fugit! quam effœruescit peccati mare, vbi nubibus obducitur cœlum! nunquam sanè nisi obducto cœlo, & retectis luminaribus, tempestas effrenatur, nec malitia prosilire audet, quin prius oculis diuinis ementiatur velamen. In prodigo illo filio. Luc. 15. prius fuit ab oculis parentum fuga, & statim luxuriei sese protulit strages, vbi Chrysol. serm. 1. sic cauet. *Sepiat nos patris reuerentia, matris componat affectio, cognatorum componamur affectibus, inter propinquorum lumina nõ valent delicta versari. Propinquorum quot oculi, tot lucernæ, dies est aspectus matris; Sol patris rutilat in vultu, vnde viuenti inter tot virtutum duces, criminum te nebræ propinquare non possunt.* Quid si inter diuina lumina viuatur? quid si iustitiæ Sol rutilaret? Dei oculi nobis prælucerent? Nullus maneret effrænatæ malitiæ aditus. Igitur scelesti diuinos verentes oculos Christi velant faciem, velant, inquam, panno, velant nubibus fœdis sputaminum, velant colaphizantibus manibus. Quo non se proripiat malitia, vbi Dei oculi quo ad nos velantur? Vbi serenum illud cœlum cœlestibusque præstantiora luminaria atris nubibus obducuntur, tempestas furiat necessum est, ventorum irritantur flabra, aureæ cæsariei eradicantur arbores, fluctuũ flagella ad petram collidentia resonant; petra autem erat Christus, quem hæc sæua demergit tempestas. Sanè hoc sæuissimum malum expetebat Psalm. 82. inimicis Dei. *Ita persequens illos in tempestate tua & in ira tua turbabis eos: imple facies eorum ignominia.* Ecce tibi non Dei inimicis; sed amantissimo filio hoc modo crudele obuenit malum, valida enim, & sæuissima tempestate circum actus, sputus, & colaphizatus ignominia repletur in facie.

*Cyr. Hieros.*

*Amos. 4.*

*Cle. Alex.*

*Chrysol.*

*Psal. 82.*

## §. XVI.

### *Plurima dolorum, & ærumnarum sæcula Christus Dominus vna nocte apud Caipham expleuit.*

QVIS caliginosæ noctis labores numeret, quos Saluator apud Caipham pertulit? Sanè rabidissima Sacerdotum, & Pharisæorum fames sese inferendis opprobrijs exsatiabat, vt liceat illud Sapien. 4 assumi, nimirum, quod Iesus patiens, *in breui expleuit tempora multa*, quandoquidem breui noctis tempore sæculorum opprobria, & ærũnas exantlauit. Adeste huc vos qui florentissimum iuuenem Iesum paulò ante ex horto decerpistis, & videre qualiter breuissimo noctis interuallo eos dolorum, & opprobriorum egerit annos, quibus

*Sap. 4.*

quibus longissima pulueris senectute functus videatur. Medio flore iuuentæ nocturnis Caiphæ lucernis capitur; sed ecce qualis apparet, Ioanni Apocal. 1. medius inter candelabra. Etenim ait: *Et conuersus vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorũ aureorũ similẽ filio hominis: Caput autẽ eius, & capilli erant candidi tanquam lana alba.* Iam candelabra nocturnas tenebras designant, nec aliter canesceret florentissimus iuuenis Iesus, nisi à tenebrosa Caiphæ nocte, candelabrorum eius lumine plurima ærumnarum sæcula exantlasset. O quam plurima confluunt tempora, vbi de puluere albicant tempora! O quot sæcula pœnarum subijt, qui iuuenis accedit, & intra vnius noctis spatium, intra ipsa cãdelabra, ante diei lucem totus canus apparuit! Hinc grauissime Cassiodorus ait. *Quando Princeps tantarum afflictione plangebat, quis, illo flente, non fleret, quis illo dolente non gemeret? Quando progemmato diademate tinerem gestabat in capite, canus puluere, non ærate.* Non equidem annorum, siue ætatis longæuitas, sed luctæ, sed ærumnæ propè infinita sæcula Dominum in vna nocte senescere faciunt. Canus est Dominus non annorum numero, computata ætate; sed ætas senectutis est corpus sputis conspurcatum, facies alapis maculata, calvicium furiosa crinium reuulsione peractum. Adeo, vt dicat Ruperpert. in Genes. libr. 7. cap. 15. *Senuit namque verus Isaac, scilicet Dei filius, & caligauerunt oculi, quando vetustate, & senio nostræ naturæ indutus, morte quoque corporea fuit obscuratus.* Quomodo non senesceret, vbi tot ærumnarum tempora currit? vbi facies eiaratur? vbi oculi caligine obnubilantur? vbi totus puluerulentus, & puluere diri luctaminis canus? De se aiebat ille apud Psalm. 5. *inueteraui inter inimicos meos.* De quo Theodoretus in Cat. Greg. ait. *Malis omnibus grauiora sunt, inimicorum conuicia; hæc enim consumunt, & liquefaciunt, & immaturam senectutem inducunt.*

Apoc. 1.

Cassiodor.

## §. XVII.

### *Summus Christi dolor acuebatur à dicentibus prophetiza quis est qui te percussit.*

DVRISSIMVM fuit carni, non solum, quod à carnificibus dicerperetur; sed quod id fieret suorum manibus. Ex hoc vno maximum dolorem percipiebat, & tristitiam maximam, hoc enixe in orationibus suis deprecabatur, dicens. *Transeat à me calix iste.* Quid, ò bone Iesu, refugis istius calicis? quid in illo totus tremebundus expaues? quid à tua morte remouere anxius curas? Id attigit D. Paschal. libr. de corp. & sang. Domin. cap. 21. nimirum, *ne per manus Iudæorum fiat.* Hoc maxime ex horrescebat Dominus, quod à suis tam nefarium scelus esset patrandum, vt hinc videas quam acerbe torqueretur diuinum cor, quoties iubebatur. Iudæorum meminisse piaculum. Quoties dicebant, prophetiza, Christe, quis est qui te percusit? toties renouata popularis perditionis memoria amantissimus ille Dominus immensum crucibatur. Huius acerbissimi doloris prætulit imaginem Ionas, vbi gemebundus vidit hederam arefactam. De quo dicitur cap. 4. *Et afflictus est Ionas afflictione maxima, & iratus est.* Vbi Remigius Altisiodorensis sic afflictionem istam Christo Domino, aptat. *Sed, & Dominus noster fleuit super peruentem Ierusalem, & orauit ad Dominum, & dixit, obsecro, Domine, nunquid non est hoc verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? Nunquid non sciebam periturum Israel? Videlicet cum adhuc tecum essem pater. Tolle igitur animam meam in manus tuas eam commendo; melior est mihi mors, quam vita, quia vnam gentem Israel saluare non potui.* Et quidem grauius ipsa morte Domino erat meminisse perditionis Iudaicæ. Acerbe pungebat diuinũ illius animũ hæc recordatio, qua sine dubio viscera misericordiæ intrinsecus exedebantur.

Ion. 4.

*Luc. 22.*

*Textus.* Petrus vero sequebatur à longe: accenso autem igne in medio atrij, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum: quem cum vidisset ancilla quædam, &c.

## §. XVIII.

### *Non inglorius est lapsus, qui medio in arena accidit.*

FATEOR, cecidisse Petrum; sed cecidit vbi nullus Apostolorum ausus

est

est intrare, vbi ipse lapsus (si fas est ita loqui) glorioſus erat. Dominum ſecutus vſque in Phariſæorum atrium, inter arma, inter furentes hoſtes, ibi percuſſus labitur.

Bach. Equidem, bene ait Bachatius, Epiſt. de recipiendis lapſis. *Require primum, frater vtrum qui cecidit in pugna inuentus, an in domo fuerit vulneratus, quia plus miſericordiæ meretur, quem in certamine hoſtis percuſſerit, quam ille, quem dormientem latro confoderit. Ego illum certè in prælio vidi conſtitutum, pugnabat cum ſcuto ieiunij aduerſus illecebras gulæ, pugnabat cum taciturnitatis lorica contra detractionis iacula; ſed in eo loco, in quo ſecuriorem ſe arbitrabatur eſſe, percuſſus eſt.* Iam qui in acie, qui in prælio, mediaque arena percutitur, non in glorius cadit, imo glorioſius vulneratur quis, dum ideo vulneratur, quia manus cum hoſte confligit quam qui ſine vulnere domi concluſus manet. Nonne, ſanctiſsimi monachi à ſæcularium curis remoti aliquando ridebant, illorum vulnera, & lapſus qui ſaluti animarum operam nauabant? Sed videte quid illis reſponderit

Bern. D. Bern. ſerm. 12. in Cant. *Temerariè obiurgat virum de prælio reuerenter mulier nens in domo. Dico enim ſi is, qui de claustro eſt eum qui verſatur in populo, minus circunſpectè ſeſe agere deprehenderit, non ad iudicandum confeſtim proſiliat; ſed meminerit ſcriptum melior eſt iniquitas viri, quam benefaciens mulier. Nam tu quidem in tui coſtodia vigilas, & benefacis; ſed qui iuuat multos, & melius facit, & virilius. Quod ſi implere non ſufficit abſque aliqua iniquitate, memento quia charitas operit multitudinem peccatorum* Minimè audiendi illi ſunt, qui timore lapſus ſeſe à perfectiori vitæ ſemita arcent, & ne labantur, nunquam curant aſcendere virtutum cacumina; & quoſcumque ſtrenuæ virtutis actus ſuſpectos habent ſiue inuiſos. Proh fœmineus pauor, & homine Chriſtiano indignus!

Tert. Sanè, vt Tertull. ait de Fuga in perſ. *Pulchrior eſt miles in pugna prælio amiſſus, quam in fuga ſaluus.* Audeamus igitur, ne fortior ſit in nobis lapſus timor, quam Chriſti amor, & vel raptantes adhæreamus Chriſto; in hoc maxime D. Petrus commendabilis eſt, quem hoſtis percuſsit, ſed amantem Dominum, ſed ſequentem; ſed mediis prælij tumultibus

Theod. conſtitutum. Vnde rectè Theodoritus, ſerm. de Char. ait. *Hoc magnus Petrus ſauciatus deſiderio, nec eum prius didiciſſet futuram negationem, latere voluit, ſed ſatius duxit ſequens negare, quam fugiens confiteri. Quod enim ab amore, & non à temeritate proficiſceretur hæc confeſſatio, res ipſa teſtatur. Nec enim poſt negationem in animum induxit, vt Magiſtrum relinqueret; ſed fleuit quidem amare, vt docet hiſtoria, & quod victus eſſet ſuam deſiderauit imbecillitatem, aſſedit autem vinculis amoris irretitus.* Quæ vulnera non opperiretur hic amor? Quos lapſus non honeſtaret tanta amoris fortitudo? Non attendit ad pericula vi amoris, & deiecto caſus timore Chriſtum ſecutus, vbi ſecuriorem eſſe arbitratus eſt, ibi accepit vulnus, non domi ſedens; ſed medijs confertiſsimis hoſtibus pugnans.

## §. XIX.

### *Ancilla oſtiaria carnifice crudelior in Chriſtum Dominum.*

EVENIT Domino, quod maximè formidabat, illique accidit, quod tremebundus verabatur. Etenim nihil penè magis in paſsione ſua exhorreſcebat Ieſus, quam ſi negandus à ſuis diſcipulis erat, non tam illi timori erant opprobria, non verbera, non ſpinæ, non crux; ſed ſola negatio à diſcipulis peragenda. Hanc adeo expauerat, vt vel illius cogitatione prope in immenſum triſtaretur, cum dixit, *triſtis* Hil. *eſt anima mea vſque ad mortem* Vbi alibi datus Hilarius inquit, quod Dominus *metuit ne ſe Deum abnegent diſpuli, quem cæſum, & conſputum, & crucifixum eſſent conſpecturi: nõ itaque mors; ſed tempus mortis in metu eſt.* Quippe vna negationis ocaſio inter infinitas cruciatuum ſegetes timebatur: & hæc in primis Domino accidit, negotiante fœmina. Proh dolor! Ancillula oſtiaria Petrum aggreditur, à qua bis, & ſemel facto impetu, in negationis barathrum mittitur Petrus. Heu crudele Ancillæ genus nullus carnifex ſic Dominum excruciauit, ſic amantiſsimi paſtoris viſcera laniauit. Pulchre D. Anſel. *Quid eſt quod primo prodit eũ* Anſ. *ancilla, cum viri magis poterant eum cognoſcere? niſi vt iſte ſexus peccaſſe in mortem Domini videretur.* Et quidem viri recenter Petrum in Horto viderãt, plus illum cognoſcebant; nemo tamen illorum in primis reſpicit Petrum. Vna fœmina eo proiecit telum, quo Dominus acerbius erat dilaceran dus, vt pateat quod grauiſsimum paſsionis vulnus à fœmina fuerit occaſionaliter per actum. Vnde merito Drogo Chriſti paſsi Drog. dolorem ex Petri negatione vehementer exaggerat

exaggerat, sic fando. *In domo Caiphæ colaphizatus est Christus, quia in domo Caiphæ colaphizatur Petrus, & quod Petrus à Satana intus passus est, hoc Christus à ministris Satanæ foris pertulit. Attende, & vide, si est dolor similis sicut dolor meus.* Quasi ex negatione Petri sic Christi Domini dolor augeatur, & crescat, vt similem inter dolores creaturarum non habeat, vt constet quam omniũ crudelissimè fœmineus sexus Christum Dominum in Petro colaphizarit.

## §. XX.

### *Difficillimum est homini consortium mores non induere.*

CVR Petrus non negaret, & abnegaret Christum medius inter nocentissimos carnifices? Sane nullus vnquam, aut rarus adeo sibi prospexit, vt consortiũ mores à se vel insensibiliter indutus non videat. Lot quamdiu apud Sodomiticos luxuria æstuantes vixit, purus videbatur nefaria labe vicinorũ, & mundos. At inde omnino non egreditur mũdus, vino enim mandidus apud montẽ filiarũ maculatus est cõcubitu. Quæ in sanctissimo viro hæc labes pœnitus in voluntaria? Recte dixit Albinus, quæst. in Gen. *Erat Lot arte nõ voluntate deceptus, ideo medius quidem inter peccatores, & iustos quippe qui ex Abrahæ cognatione descenderat, in Sodomis tamen habitauerit.* Et qua parte inter nefarios homines hatauit etsi oculatissimus, nõ potuit omnino à se depelliere labem luxuriæ. Inuoluntarius licèt, & nescius vicinorũ, & cõsortiũ morẽ gessit libidini. Hinc pẽsat D. Synesi? Epist. 57. necessitatem Dominicæ Incarnationis, vt qui solus Dominus inter peccatores, innocentem vitam ageret. Ait enim. *Si Angelus posset supra triginta annos cũ hominibus, ita consuescere, nulla, vt ex infima fece, rerum contage affectus inficeretur, quid necesse est descẽdere filiũ Dei? Sed est viriũ abundantia ac copia, inter deteriora versari, vt in naturæ statu cõsistat, necvllo modo inficiamur. Hæc Dei laus, ac prædicatio est.* Adeo efficax est societas, & consuetudo; eius tamen vires nullibi magis patent, quam in Christo Domino, cuius sanguis, vt ex se Iudæis veniã deprecabatur, sic vbi terræ fuit immissus in Iudæos clamabat dirã, & crudelẽ vindictam. Quid plura? Terra ex die qua recepit Abelis sanguinem, vindictam clamare soli ta est aduersus fratricidar, iuxtà illud. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, adeo, vt etiam pientissimus Christi sanguis qui nihil præter veniam, & misericordiam didicit, ex consortio terræ in illam decisus etiam clamet vindictã. Accipite singularẽ doctrinam, & explicationem Rupert. libr. 12. de Victoria Verb. c. 21. Vbi põderat q̃ sanguineus Christi Domini sudor in horto vsque ad terrã deciderit; & sic ait. *Quod ille Cain pro illo Abel dixit, non diceret idem Deus Iudæis pro filio suo, videns sanguinem eius agonizantis? Sanguinem melius clamantem, melius loquentem, quam Abel? Vere igitur tantum miraculũ sudoris non otiosum fuit, quia contra infœlices, & impios homicidas Iudæos in præsagium iudicij terribilis, & vindictæ orribilis in terram decurrit.* Ecce tibi sanguis diuinus, qui in cruce carnificibus veniam clamat, qui ex se totus misericordiam & redemptionem exhalat decidens in terram, & illi associatus terræ, quæ ex sanguine Abel vindictam clamitat, & ipse quasi sui oblitus vindictam horribilem perfidis Iudæis minitatur. Adeo potens est consortium, & consuetudo existendi ad mores variandos.

Albin.

Syn.

Gen. 4.

Rupert.

*Textus.* Et conuersus Dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat, quia priusquam gallus cantet, ter me negabis; & egressus foras fleuit amarè.

## §. XXI.

### *Summa peccatoris fœlicitas, quod deprehendatur in peccato.*

FOelix Petrus, qui medio in delicto deprehẽsus, & visus fuit à Dño, & Magistro; O vtinã deprehendaris, & videaris cũ peccas: nulla tibi res vtilior, vt fugias delictũ. Quot à perditionis via abstinuerunt, quod primo in limine fuerũt visi, & deprehensi? Quot ab ipsa perditione reuocati in bonã frugem, eo ipso quod viderunt se manifeste deprehensos? Sponsa Christi à propria domo remota tota, & vaga per vrbẽ, sic inuentæ fœlicitatis suæ pretendit auspicium. *Inuenerunt me custodes ciuitatis*; & forsan sese daret in præcipitium, si deprehensa

henſa à cuſtodibus non fuiſſet. Pulchre ad hæc Gillib. ſerm. 6. in Cant. *Qui ficti, & fallaces ſunt, nihil tam refugiunt, quàm ab his inueniri cuſtodibus, etſi deprehenduntur, non facile conuincuntur. Cain factus vagus, & profugus ſuper terram inueniri formidans: omnis, inquit, qui inuenerit me, occidet me. Non vult peccatum occidi non vult pati ſalutarem in cõfeſſione verecundiam, medicinalem caſtigationem Magiſtri: non vult inueniri qui nõ vult mori.* Nulla res ſic ſecat vitia, quam oculus Magiſtri, optet videri, & comprehendi, in crimine qui metuit in æternum perire, & in nouam cupit erigi ſpem ſalutis. Ille ſolus deprehenſum ſequeritur qui totus in crimine nullum ſui pectoris ſcelus vult deſicere. Ille perfidus Achab. 2. Reg. 17. Naburhæ ſanguine madidus ipſo in ſcelere ab Elia Propheta viſus, & deprehenſus vehementer queritur iuxta Sept. *Inueniſti*, ait, *me inimicus meus.* Vbi D. Ambr cap. 12. aiſt. *Quam miſera conſcientia quæ ſe proditam dolet!* Et quidem nihil miſerius, quam exoſum habere remedium omnium efficaciſſimum, vel inde quod deprehenſum ſe videat, à crimine deberet abſtinere, ſeſeque recipere in bonam frugem. Ita Petrus cũ errori dat operam, in oculos Chriſti Dõmini incidit, & deprehenſus à Magiſtro cum primum à perditionis via ſe cõtinuit non ſe deprehenſum, ſed ſe lapſum amaro proſequens luctu.

Gillib.

Amb.

## §. XXII.

### *Chriſti Domini oculus inſtar reguli perimit quos videt.*

SCITVM illud Iſaiæ 14 *Ex radice eo lubri egredietur regulus, & ſemen abſorbens volucrem.* Vbi Arias putat fieri verba de Chriſto Domino, qui regulus dicitur. Sic Chald. Paraph *de filijs filiorũ Ieſſe egredietur Chriſtus.* Et ecce quam bene Chriſtus Dominus reguli, ſiue Baſiliſci morem præferat apud Abacuc in Cant. *Aſpexit, & diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſæculi.* Quis regulus oculos habuit magis peremptores? Cuius magis efficaces oculi, quam oculi Chriſti? Eleganter D. Aug. ſer. 18. de Ciuit. cap. 32. *Reſpexit, & tabuerunt gentes, hoc eſt, fecit populos pœnitescentes cõtriti ſunt montes violentia, hoc eſt, electorum cõtrita eſt ſuperbia. Defluxerunt colles æternales, hoc eſt, humiliati ſunt ad tempus, vt erigerentur in æternum.* Hæc eſt in oculis Domini diuina vis qua vitia enecat, pullulantia peccata perimit, peccatores iugulat, vt pœnitentes faciat, vt in æternam erigat vitã. O diuiniſsimus regulus, vtinam tuis aſpicias oculis, & in me pereat omne morticinũ, intereat vitiorum omnium ſcaturigo, & peccati fomes maneat, vel interfectus, vel conſopitus. Matth. 9. dicitur. *Vidit Ieſus hominem ſedentẽ in telolonio.* Et vt vidit, vt in eo carnale omnium deſideriũ fecit interire. Pulchre D. Chryſol. ſerm. *Vidit illum Deus, vt ille videret Deum.* At qui Deũ quis videat? Quis illam pulchritudinum abyſſum quibit intueri? Ait enim: *nõ videbit me homo, & viuet.* Quo circa D. Greg. lib. Mor. cap. 8. *Nullus Deum ſpiritualiter videt qui carnaliter viuat: qui enim Deum videt eo ipſe moritur ab huius vitæ delectationibus tota mente ſeparatus.* Recte igitur dicitur Deus hominem vidiſſe, vt homo Deũ videat, nam videntes Dei oculi ſic enecãt hominem, ſic in illo voluptates perimunt, ſic omnia vitia ſecant, ſic totam humanam vitam mortificant, ſæculo, & peccatis mortuus homo à Deo viſus nullum impedimẽtum habeat, quominus Deum videat. Hanc oculorum Dei aciem, imo diuinum virus meditãbatur Tert. aduerſus Gnoſt. ex Prouerb. penu ſic ediſſerens. Sophia iugulauit filios ſuos. *Sophia ſapientia eſt, ſapienter vtique iugulauit dum in vitam, & rationaliter dum in gloriam. O parricidij ingenium, ò ſceleris artificium, ò argumentum crudelitatis, quæ id circo occidit ne moriatur quem occidit. O bonam matrem opto, & ipſe in filios eius redigi, vt ab ea occidar, opto occidi, vt filius fiam, ſolum autem iugulat filios.* Hoc eſt beneficentiſsimũ virus diuinorum luminum, hoc madẽt medicamine Dei oculi, hanc eiaculat mortẽ diuinus obtutus, à qua interfectis interficiendis ſobria mens viuit, & à peccati ſeruitute fit Dei filia, & diuinorum oculorum pupilla. Sic de negatore Petro ab oculis Saluatoris iam viſo ait D. Hieron. *Poſt negationem, & gallicantum reſpexit Saluator Petrũ, mutuitu ſuo eum ad amaras lacrymas prouocauit. Nec fieri poterat, vt in negationis tenebris permaneret, quem lux reſpexerat mundi.* Adeò efficax eſt diuinus obtutus regulo lethalior, vt occidat vitia, ſole præſtantior, vt excitet in vitam. Quid ſimile meditatus eſt S. Laur. Nauar. homil. 1. de pœniten. in Zacheo, qui publicanus cum foret, & peccator aſcendit arborem, vt videret Ieſum, Luc. 19. & viſus à Ieſu audit, *Zachæe deſcende hodie nãque in domo tua manere me oportet.* Ad hęc D. Laur. *Deſcẽdit confeſtim de arbore iam verbo Domini emendatior.*

Abac.

Auguſt.

Matth.

Chryſol.

Exod.

Greg.

Tertul.

Hieron.

Luc. 19.

Laur. Nou

*latior. Aspectus enim Domini emendauit prædonem.* O vtinam diuinis oculis aspiciamur, vt prorsus vitijs, & peccatis moriamur.

## §. XXIII.

### *Oculi diuini instar solis, & nimbos pariunt, & serenitatem efficiunt.*

IS est Sol, qui pro terrarum varietate varios effectus parturiat, vbi floridam, & bene temperatam terram nanciscitur, serenus, & lucidus omnia lustrat, luceque, & ebullienti replet lætitia. Verum humidam lacunosam, & male affectam terram nactus nubes trahit, nimbos efficit, mæstitudinem influit. Itaque eodem veris mane alibi Sol rutilus odores parit, flores imbuit, vel candore vel purpura, alibi conglomeratis nubibus, ni efficit, nisi aquarum decursus. Hoc ipsum in diuinis oculis meditatus D. Bernar. serm. 57. in Cant. dicit. *Respicit terram, & facit eam tremere, cum ex regione respexerit Mariam, & infuderit gratiam: respexit, ait, humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Idem Dei obtutus, videte quàm varios effectus pariat, vbi Marianum respicit paradisum, omnia fulgere facit, omnia rutilant claritate; verum terrenam mentem nactus vitiositate infectam, nactus, inquà, Petrum negantem, quas nubes non excitat? quos nimbos non parit? quanta mœstitudine, & timore omnia replet? Eleganter D. Prosper. 2. de vocat. gent. c. 28. *Deus ergo tunc conturbatum cor Apostoli non humanis; sed diuinis oculis conuenit, & ad largos pœnitudinis fletus potenti incitauit aspectu.* Expende illud, *conturbatum cor Apostoli*, quippe vbi cor erat malè affectum peccati intemperie turbatum, diuini Solis aspectus nil præter nimbos, & mæstitudinem parit. Iã meritò dicat D. Laur. Iustin. de triũph. Christ. agone, c. 8. *Eodem quippe modo respexit Dominus Petrum, quo respexit humilitatem ancillæ suæ; sed non pari effectu.* Etenim florida Mariæ nardus dedit suauitatem odoris, lacunosum, & luteum Petri cor nimbos protulit lacrymarum. Sed, ò nimbos salutares! ò mœstitudinem pretiosam! Nimbos, inquam, & mœstitudinem, quam diuini cœlestique syderis aspectus causa. Hac requirebat in peccatore Hieremias Thren. cap. 2. fatus. *Deduc quasi torrentem lacrymas.* Cur quasi torrentem, non quasi flumen, non quasi mare? Id attigit D. Paschas. lib. 2. *Torrentium cursus non semper vno eodemque impetu fluit; sed iuxta quod inundatio pluuiarum de cœlo venerit, ita, & lacrymæ non nisi ex diuina inspiratione, & compunctione cordis, &c.* Fugienda mœstitudo, fugiendæ lacrymæ sunt, quæ à terrenis cupiditatibus, & infortunijs scaturiunt, decurrat ab oculis non fluuius lacrymarum; sed torrens, quem nimbi ex cœlesti aspectu orti parturiant. Hic solum est luctus salutaris, vt dicat Psalm. *De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.* Ne miremur, quod Petrus exaltatus sit in Ecclesiæ caput, qui adeo bibit de torrente isto orto ex diuini obtutu salutari.

Bernar.

Prosper.

Laur. Iust.

Thren. 2.

Paschas.

## §. XXIIII.

### *Durissimo exilio Petrus negationem suam mulctauit, summumque doloris argumentum tradidit in eo quod foras egressus est.*

OQuantus ille doloris gladius erat in Petro, quæ tales amoris rudentes potuit scindere! Amabat, & vehementer amabat Petrus Christum Dominum, nec in tam nubilo, & calamitoso tempore ab illo separari corpore per amorem licuit, imò, vt superius notauit Theodoretus, in atrio erat Caiphæ, & ibi, *assidebat vinculis amoris irretitus.* At vbi se negatorem animaduertit, sic doluit, vt ruptis vehementis amoris vinculis foras egrederetur, crudelissimo amantia viscera cõfodines exilio. Proh acutissimus dolor! quem nõ separarũt hostiles cunei, carnificũ manus, mortis immanissimę timores, cõceptus de negatione dolor omniũ potẽtissimus separat, & corporaliter à Christo Domino diuidit. Equidẽ sanguis, & aqua, quæ intra Christi Domini pectus seruabatur, vt immensum dolorem de Saluatoris morte ostẽderet, per cõsossum latus se ab ipso Christo separauit. Ita D. Naz. apud Niss. in testimonijs de Aduent. Dom. *Oportebat*, ait, *etiã creaturas vna cum creatore pati atq; condolere, velũ, quod scindebatur sanguis, & aqua, quæ ex latere effundebatur.* Vbi velum præ dolore scinditur, sanguis, & aqua, omniũ maximè

Nazian.

dolēs summos prēse ferēs dolores à Christi latere profusa elōgatur. Nō ab simili dolore punctus de suo scelere Petrus acerbissimum sibi, & lacrymis plenum à Christi latere, & præsentia exitū meditatur. *Egressus*, ait *foras flevit amare*; & quam non haberet à maritudinē, quē non excitaret plantū dum se ab amabilissimo Magistro arcuit? Ierosolymam à Christo Domino separatā ingenti dolorum mole pressam æstimat Ie-
*Thren. 1.* rem Thren. 1. sic fatus. *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo?* Ad hæc D. Paschas. lib. 1. *Nisi sola esset plangenda non esset, quia non possunt lugere filij sponsi, quandiu cum illis est sponsus.* Nunquam igitur magis dolendus Petrus proponitur, nunquam maiore dolore cōfossus apparet, quam dum ab amantissimi Domini latere separatur. Eo enim ipso, & summæ desolationi, & incredibili mœstitudini, & propè infinitis lacrymarum fluctibus sese tradit.

## §. XXV.

### *Occasiones peccatorum prorsus effugiendæ.*

TVNC ille verè dolet, cum ità occasiones etiam peccati fugit, vt vel à minima illarum longè videatur egressus. Nil enim iuuat pœnituisse, & peccati tædere, nisi & peccati odorem, & memoriam ex-
*Nil.* paueas, & compescas. Meritò S. Nilus aiebat in Ascetico. *Quid prodest, si cum à negotijs recesserimus, eorum tumoribus interpellemur? & relicta ciuitate ad portam, vt Lot sedeamus, vt tumultu ex ea proficiscente repleamur? Foras cum magno egrediendum est Moysi, vt non solum opera; sed etiam cogitationes de illis cessent.* O quam prorsus egrediendum est ab omni scandalizante loco, illi, qui pœnas debitas cupit pro peccatis dare! Sanè Sodomiticæ vrbis nefaria flagitia horrebat, & fugiebat sanctus Lot, nec interiora perferebat videre peccata, verum sedebat ad portam, quo sine dubio periret; nisi ab Angelo extra terminos extraheretur ciuitatis. Sic multi sunt, qui vitium fugientes adhuc in limine hærent, vel in porta sedent perituri sine dubio, nisi mente, & corpore ab occasione lōgissimè egrediantur. Infœlix Eua semel quolloquij serpentini experta damnum quam longissimè à serpentium omnium genere abfuit, quod ponderauit D. Anastas. Sinaita, libr. 11. in exam. fatus. *Cum comedisset mulier stans pro pe serpentem tanquam esset eius vxor. Deinde ei renuntiasset, & ad maritum esset reuersa, nō inuenimus eam amplius appropinquasse, aut cū serpente fuisse locutam.* Imò inde, prouidente Deo, eam inimicitiam concepit, & odiū aduersus serpentium genus, qua nihil sibi magis fugiendum, & expauendum præsumat. Dixi: *Prouidente Deo*, quia illi acceptum referimus, quod irreconciliabiles inimicitias cum serpēte habeamus. Cuius rei vtilitatem sic expendit D. Bas. hom. quod *Bas.* Deus non sit causa malorum. Vbi hæc dicit *Quemadmodum in pestilentibus locis sensim attractus aer latentem corporibus morbū injicit, sic etiam in prana consuetudine ac conuersatione maxima nobis mala hauriuntur, etiamsi statim incommodum non sentiatur: idcircò nobis aduersus serpentem irreconciliabilis indita est inimicitia.* Qua illius cōgressum exhorrescimus, nihilque magis fugimus, & euitamus, vt vel hinc pateat qua cura nobis fugiendum sit ab ijs, quæ semel extiterunt scandalum ad peccatum. Igitur qui peccasti, ne in limine, ne importa meneas, egredere omnino foras cum magno Petro, & lacrymis submerge peccatum.

*Sinait.*

## §. XXVI.

### *Igneus Petri amor erga Christum vehementior, & fortior extitit à lacrymis.*

QVI ancillulæ voce prosternitur Petrus, amarè suum casum lamentatur, profusoque lacrymarum fluenti, vt ait D. Leo, serm. 9. *Citò in soliditatem suam redijt petra.* Sed quam soliditatē ex lacrymis fuit *Leo.* nactus? Sanè D. Greg. Naz. orat. 24. notat, quod *impenetrabiles thoraces ferreæ, quæ ictibus hostium ferreisque globulis debent obsistere, aqua frigida aspersa, in ipsa fabricatione obdurantur.* Necnon, & ardētes carbones maximè in conflatorio acuuntur aliquantula irroratione aquæ. Papæ diuinus Petrus, post lacrymas, quàm inexpugnabilis fit, quanto ardentior in Dominum creuit eius ignitus amor? De beata illa peccatrice, quæ ad Domini pedes longos profudit nimbos lacrymarum, sic Drogo fatur. Intrauit inter epulas discūbentiū, cucurrit ad pedes Iesu effundebat super eos torrētes lacrymarum ad lauanda sui Domini vestigia, non

*Naz.*

alias

alias quã oculorum suorũ vndas attulit, capillis suis pro linteis vsa est: *tum verò vbi affectus incanduit, & vberauit, carbo lacrymarũ imbre resperſus fortius incanduit.* Hæc ille & quidẽ quantumuis illa amabat, æstuantibus amoris carbonibus lieet arderet, tamen illi euenit, quod carbonibus in conflatorio accidit; nimirum quod carbo lacrymarum imbre resperſus fortius incanduit, viuidioque igne micabit. Idem prorsus accidit Petro, cuius amor in Christũ in conflatorio cordis ardebat splendentesque emittebat flãmas; sed eas flãmas, quæ ad ancillulæ extingueretur flabra. Verũ vbi ignitus amoris carbo lacrymarũ igne resperſus est, ô quam inualuit! medios inter hostiles impetus sic radiabat, vt omniũ ad se oculos raperet. Nonne plenus Spiritu sancto Petr⁹ cum socijs intrepidus ad turbas Iesum prędicabat Act. 2. Et quidem ea lumiuum fulgurationẽ, qua ebrius habebatur. *Alij enim irridentes dicebant, quia musto pleni sunt isti.* Quo circa D. Bern. c. 46. de fructu vitis prope finem, ait. *Musto, inquiunt, pleni sunt; mentientes, & ignorantes verũ dixerunt. Musto quippe illo nobilissimo charitatis Dei, imò charitate Deo repleti erant inflammante ad amorem, & confortante ipsos contra timorem.* Verè in Petro tunc mustum efferuescebat charitatis, & robur addebat, quo inimicas contemneret potestates. Sed vide mustum hoc feruens, & cõfortans, vnde aliqualem ortũ habeat, nimirũ à cultura lacrymarum. Quo spectauit D Zeno in Ps. 79. hæc inter alia memorãs propria fructuosæ, & rationalis vitis. *Tum solenniter ploranis clementer imbre suo rorat, conceptaque musti, fœlicibus lacrymis, fluenta denuntiat.* Expendo ab illis; conceptaq; musti, vbi à lacrymis efferuescentis, & roboris pleni musti prouentura fluenta præsumit. Quippe cum palmes ille Christi D. Petrus præsentia resecatus Magistri, totus lacrymis perfunditur, tunc maximè ea decoquit musti illius diuini fluenta, quo postea omnium feruentissimus, & robustissimus inimicorum contemnat, & depellat calumnias. Id quod videtur D. Chrysost. Chrysost. meditatus hom. 5. ad Rom. vbi inquit. *Audi igitur, vt Petrus amore Christi victus ardeat, & animæ, & vitæ, & omnibus rebus illum anteponẽs, quem dum abnegasset, non ob supplicium luxit; sed quem amabat eũ, negasse se videret.* Sanè in lacrymis amore vritur, & ardet ampliùs, nec alio lacrymæ tendunt, quam vt amorem excoquant, & maximè aduersus roborent pericula.

Bern. ord.

# CAPVT III.

## De Pilato Præside Romano.

PRIMO illucescente mane concilium coegerunt Principes sacerdotũ, & seniores populi, quo vinctum catenis Dominum remittunt profano Iudici, nimirum Pilato Præsidi Romano. Contemplare modo, ô Christiane, Regem cœlorum, insultantibus carnificibus, per calles ad Pilatum traduci sic iam facie deturpatum, sic mortis caligine circumfusum, vt vi dens illum proditor ipse expauerit, & nimio turbatus dolore sui criminis fœditatem non sustinens, refusa pecunia, & funesto suspendio sese ipse sui carnifex castigaret. Interea vinctus Iesus Pilato sistitur, Pilato eius innocentia claruit, qui post mille accusationes auditas, post principum Iudæorum vehementes in Iesum quærelas hæc verè fatur, *nullam inuenio in eo causam* Reum iudex timebat, nullumque non mouet lapidem, vt se à nefaria causa subtrahat, remittit illum Herodi frustra, componit cum sceleſtissimo Barabba, vt præ hoc Iesum viuere Iudæi mallent. Insuper addit durissima flagella, & flagris lacerum, spinis coronatum, purpura illusum, sanguine madidum, reclamantibus Iudæis, profert, vt vel sic eorum rabiem exsatiet. Tamdem Iudæorum veritus calumnias, licèt inuitus adducitur, & Iesu innocentiam sæpius protestatus, sanguinolentas manus aqua lauans ligno suffigendum mundi, & Iudæorum Regem tradit.

### *Matth. 27.*

*Textus.* Mane autem facto consilium inierunt omnes Principes sacerdotum, & seniores populi aduersus Iesum, vt eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi,

## §. I.

### *Quem sceleri aditum quærit peccator, eundem parat supplicio.*

ROMANO Præsidi tradit Iesum vinctum Iudæorum immanitas, à Romano exercitu postmodum ipsi populandi. Sic D. Cyril. ex Psalm. *redde retributionem eorum eis*: nam quēadmodum ipsi Saluatorem omnium Romanis tradiderūt, sic paulò post Romanis traditi perierunt. Nil solennius in omnium vindicta peccatorū, qua parte sceleri viam aperis, eadem crudele aduersus te supplicium intrabit. Abominationes populi speculator Ezechiel, c. 8.

Ezech. 8. *Et ecce ab aquilone portæ altaris idolum zeli in ipso introitu*: nec solum erat idolum; sed illi aderant innumeræ fœminæ mortem Adonidis lamentatæ. Hæc stupebat Propheta, quando leuatis oculis animaduertit ab aquilone exsurgere Angelicum exercitum, qui populum vastatur⁹ euolabat. Sed cur ab aquilone panditur tantum malum? Nonne Dei amasia dicebat aliquando. *Surge aquilo perfla hortū meū?* Et modo ab aquilone pernicies, & vastatio? Præclarè Theo-

Theodor. doretus fatur. *Cū ab aquilone, & idolū positū esset, & mulieres Thammū lugerent, necessariò inde suppliciū reperit aditum*. Ea ipsa res, quæ ministrat sceleri, & suppliciū illi⁹ debere repræsentare nec fieri potest, ꝙ supplicium nō inueniat aditū qua parte scelus intra-

August. uit. Vnde acutissimè notauit D. Aug. id ꝙ vnis serpētib⁹ est familiare, nimirū hominū verbis teneri, & incātari, quia serpens ille antiquus colloquio hominū hominē impulit in peccatū. Etenim ait lib. 101. de Gē. ad litt. *Diuino cōsilio fit, vt hoc magis habeat vsus, serpentes moueri carminibus potius quā aliud vllū genus animaliū. Etenim hoc nō parua testificatio est, naturā humanā primitus serpentis seductā esse colloquio*. Colloquio vsus est serpens antiquus, & colloquio humano ad hominū genus labefactandū, & ideo ab hominū verbis incātatus ingētia ex colloquio recipit mala. Necesse enim est, quod suppiiciū inueniat aditū qua parte delictū

Ioan. Ant. coaluit. Vnde meritò Ioānes Antiochen⁹ hom. in Psal. 4. Dauidici regni vastationē ab Absalone intentatā eo retulit, ꝙ Dauid Vriæ regnū nēpe vxorē præoccupasset. Etenim ait. *Quoniā Dauid mulierē, quæ erat in viri potestate tanquā alienū regnū occupauerat. Propterea qui ex vxore natus ei erat filius insurrexit tyrannus volens abripere regnū patris: vi rapuit ipse regnū alienū, & vim passus est circa propriū, & qui clanculū pectauerat de eo triūphus palàm actus est*. Ecce tibi suppliciū eisdē infertur, quibus grassatū fuit peccatū: qui alieno abusus fuit regno ad vitiū in regno acerbissimū sustinuit flagellum. Qui Romanū Præsidē in Deū exacerbabāt, infestissimos sibi præparabant Romanos exercitus, quorū armis vastati, & consumpti aliquale suppliciū recepere; integras daturi pœnas igne æterno. Hinc quāuis Philistæus ille totus æreus venisset, tamen in fronte eius lapis morti viā inuenit, quia in eadē fronte superbia domiciliū habebat. Ita D. Aug. homi. 31. ex 50. vbi inquit. *Quia omnis superbia habet impudentiam frontis, in ipsa fronte lapide veniente deiectus est*. Similiter 2. Reg. 18. Absalon paterno bello fractus, a coma ex arbore suspensus interijt, de quo Chrysost. hom. in Psalm. 3 ait. *Ex pilorū coma, à coma arboris tenebatur, & coma tenebat comā tyrannū, illuc eum contundens vbi diadema paternum gestare contendebat*.

*Textus.* Tunc videns Iudas qui eū tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argēteos Principibus sacerdotum, & senioribus dicēs: Peccaui tradens sanguinem iustum.

## §. II.

### *Paruo, & vili pretio sustinet Christus Dominus æstimari, vt nemo sit qui illum habere negligat.*

CVM nullus sit qui Deum eiusque bona percipere non cupiat, vix est qui nō conetur quāto viliori posset ipsum habere. Deum omnes cupiunt; sed tum maximè cū paruo stat, cum vilibus rebus emetur. Id quo lacrymatur Guillielmus Pari- Guillel.
sien⁹. tract. de virtutibus his verbis. *Vix inuenitur atque rarissimè qui non pro leuiori pretio, quàm ei offeratur velit Deum habere, ac si Deus minus valeret omni eo, quod pro eo habendo exigitur, ac si periculum eis immineret in emptione ipsius, ne fortè non valeat tantum quantū pro eo ab eis exigitur*. Huc vsq; humana miseria, & imbecillitas, cui morem gerens misericordia diuina tam vili pretio permit-

permittit Deum in venditione taxari, vt nullus sit, qui eum habere refugiat. Quis paruis nummis Deum cœlestiaque bona emat? Quis nolit habere Christum, quem scit vilibus, & paruis taxari, vt comparetur à pluribus? Sic diuinè D. Paulinus, epist. 4. expendens, quod triginta argenteis venda tur Christus Dominum, inquit. *Nos ille vult pretiosos facere sui muneris vilitate. Ipse nobis hac pietate pretiosior quòd se vili vult æstimari, vt ab omnibus ematur.* Iam non ve rearis pretium, vt Deum habeas, quando quidem ipse vilissimo traditur pretio etiã inimicis. Quantuncunq; exiguum sit quod offeras, si bene offeras, Deũ habes qui paruo, & vili pretio amat comparari. Nonne audis, quod Isaias dicat. *Paruulus natus est nobis filius datus est nobis?* Cur paruulus natus, nisi vt paruis, & vilibus habeatur? Sic D. Bern. c. 2. de præcis. vitis. *Puer natus est nobis, vt paruulis munusculis consoletur, quia paruum parua decent.* Nullus erit puer qui non se pro vili pomo dedat, & pretiosissima quæquæ pro obolo vendat: quo circa Deus paruulus factus monet quam paruis, & vilibus possit comparari. Huc spectabat D. Chrysost. hom. 5. de pœnit. fatus. *Nundinæ profectò nobis mirabiles sunt, harum nulla alia est professio, & negotiatio, non alia intentio quam paruo quidem emere, & magno vendere.* O quam magno caduca vẽdimus, cum pro illis recipimus æterna, ò quam paruo emimus, qui vel frusto panis Deum habemus. Nundinæ sunt in hoc sæculo, quibus pro paucitate emptorum cœlestia vilescunt, & paruo comparatur cœlum. Sanè, Prou. 20. dicitur. *Malum, malum est dicit omnis; omnis emptor, & cum decesserit tũc gloriabitur.* Etenim cum rusticanus ad nundinas accedit empturus, v. g. palliũ, quodcunque exigatur pretium exhorret, & totis viribus nititur de illo minuere multam pallij malitiam exãgerans næuosque ponderans. Tandem minori quo potuit emit, & vix à venditore discedit, cum de bono emptionis gloriatur. Ita B. Salonius interpretatur inquiens. *Ille veraciter est emptor, qui sibi æterna in cœlis præmia comparare desiderat, ipse nimirum emere studet terrenis cœlestia. Talis ergo emptor quicquid patitur in præsenti malum esse dicit, quia malum esse intelligit. Attamen quia omnia aduersa pro Deo patienter sustinet, cum decesserit de mundo, tunc gloriatur quia peruenit ad beatitudinem.* O quam vile reputabit tunc pretium pro Deo exhibitum! ò quanta gloria plenus paruis se emisse videbit æternitatem.

Paulin. Isai. 9. Bernar. Chrysost. Prou. 20. Salon.

## §. III.

### *Rerum mundanarum exiguitatem per magni æstimant homines, multeque incommodis eam comparant, qui cœlestium magnitudinem paruo, & vili pretio taxant.*

MIRABERIS Christum Dominum triginta argenteis, æstimatum, & præillis cõemptũ; sed inde habes quod mireris magis cum scieueris vnguentum à muliere profusum apud Bethan. Marc. 14. trecentis taxatum fuisse argenteis ab ipso proditore: ait enim, *posset vnguentũ istud venũdari plusquã trecãtis denarijs.* O stultissimus imò insanissimus æstimator! Meritò de illo D. Paulin. epist. 4. fatur. *Suo ipse dãnandus iudicio, quo triginta aureis vendidit cũquẽ mulier, vt ipse taxauerat vnxit trecentis; sed in hoc peruersus quod ipsum vili æstimans Dominũ, vnguentũ illud caro æstimauit.* Sic multi, sic ferè omnes adeò magni æstimãt temporalia, vt omni auro putent emi debere voluptatẽ & omni dolore comparari aurum: cœlestia autem, & æterna, vel prorsus spuunt, vel paruò, aut nihilo pendunt. Quam aliter veri æstimatores faciunt: equidem Christus Dominus temporalia omnia & splẽdida gratis omnibus largitur, quasi nihili ea æstimaret, verum cœlestia non aliter tribuit quam magnam exigens pro illis pẽsionem, magnosq; labores. Id quod eleganti inductione expendit D. Bas. Seleut. orat. 24. vbi fatur. *Si leprosus curationẽ quærit, virtutem, ait Dominus, exero volo mĩ dare. Si mortuum è tumulo resurgere necesse est, potestatem expræmo; Lazare veni foras. Si cæcus orbitatem hominis gemit, secundum fidem vestram fiat vobis. Quod si thronum verò quis petat, & Regiam potestatem quærat, & sedere ad dexteram affectat, tunc quid possit curiose despicio, fusi pro pietate sudoris testes reposco, nam eorum merces est in meo versari conspectu.* Ecce tibi quã magni æstimat Deus cœlestes sedes, atque ad suam dexteram cõsessum quando quidem id petentibus, & expostulantibus Apostolis, statim respondet *potestis viuere calicem quem ego bibiturus sum?* Nec aliter exaudit petionẽ de obtinẽdo cœlo nisi, pri? pacto pretio, requisitoq; sudore, & labore, cũ aliàs, & oculos, & pedes, & sanitatẽ, & vitã ipsam liberaliter largiatur omnibus volentibus, & petentibus,

Paulin. Marc. 14. Bas.

nulla expostulata ab illis mercede. Væ nobis qui cæcitatem proditoris sequentes æterna vili, caduca magno æstimamus pretio, imo prorsus contemptis cœlestibus, quod D. Cyprian. lamentatur: *per omne nefas voluptates emuntur, & per omne scelus copiosæ libidines exquiruntur.* Nihilque æstimatione dignum habemus, nisi quod momentanee delectat.

Cyprian.

## §. IIII.

### *Dubia pœnitentia est, quæ inter scelestos homines fit, & apud pessimos sacerdotes.*

NON semel cœleste granum secus viam cadens ab auibus deuoratum fuit, nec semel qui inter malignantium choros pœnitentiæ prætulit compunctionem in perditionem impulsus ruit. Id solum mihi suffeciſſet in Iuda, vt eius funestum exitum præsagirem, nimirum, quod inter sceleſtiſsimos Phariſæos pœnituerit, & pœnitentiam ageret apud nefarios sacerdotum Principes. Quàm aliter D. Petrus, vt in domo Caiphæ commiſſum scelus aduertit, & de peccato illum pœnituit, statim *egreſſus foras fleuit amare.* Quod notans Victor Antioch. inquit. *Petrus Christi obtutu peccati sui admonitus lachrymas profudit. Ac non palàm illud ausus est facere, quo circa egressus est foras, ibidemque amare ploranit.* Expende quanta prudentia Petrus in domo nefariſsimi sacerdotis, in oculisque sceleratiſsimorum hominum noluit animi sui pœnitudinem propallare. Non inficior à nefario sacerdote posse verum ministrari Sacramentum; sed metuo ne peſsimi ministri omnia corrumpant. Merito D. Cyprian. de nefario sacerdotum genere, apud quos primitiui lapsi scelera fatebantur, ait. *Hoc sunt eiusmodi lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sydus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod nauigijs sæua tempestas.* Quæ coalescunt arbores inter grandines? Quod viuit armentum inter peſtilentes auras? Quod nauigium tempestati commiſſum sæuienti non periclitatur? Sed, & arbor inter grandinem, & armentum inter peſtes, & nauigium medijs tempestatibus securum erit; & pœnitens inter sceleſtos homines, apud malos sacerdotes nullam securitatem; sed ruinam, sed excidium inueniet. Hinc vbi tota Hieroſolyma corrupta erat, vbi omnia plena lucis, aris, idolis, sacrificulis erat, rectè conijcit Bacharius perfectam Salomonis pœnitentiam ex eo, quod occulta in veri Dei oculis fuerit. Ait enim Salomon ille mirabilis qui vinculis libidinis illaqueatus etiam sacrilegij errore se polluit, qui per Prophetas culpas erroris agnouit. Nunquid misericordiæ cœleſtis extorris fuit? An forsan dicas: nunquam eum in canone lego pœnituisse, neque misericordiam consequutum. *Audi ergo frater pœnitentia eius, quæ non inscribitur publicis legibus, fortasse à Deo acceptabilior iudicatur, qui non ad faciem populi, sed in secreto conscientiæ teste Deo pœnituit.* Et sanè vbi omnes sacerdotes idolorum victimis madebant, & vniuersa ciuitas plena erat funestis sacrilegisque aris, consultè eorum fugeret conspectum, qui verè pœnitere exoptabat.

Vict. Ant.

Delapsis.

Cyprian.

De admittẽdis lapsis.

## §. V.

### *Suma Dei ira est, quod peccator ad ignorantes, malosque occurrat ministros.*

VIDI miseri proditoris extremam miseriam, pœnitentia ductus Apoſtolos debuiſset perquirere, ab hisque in dolore solatium quærere; sed ad sacerdotum Principes seniores confugit, illis suum aperit dolorem, quasi ab eisdem aliqualem medelam sperans. Nefarius ille Balaan Numer. 22. Angelico gladio in via impeditus ab asina vocem, & monitum accepit, vbi peccantium miseriam acutè obseruans D. Gregor. Nisſen. in vita Moysi, sic inquit. *Ostendit ad hoc vanitatis se ductos à dæmonibus deuenisse, vt modum vocis brutorum obseruent, acinde significantis doctrinam vocis accipere arbitrentur.* Eò deueniunt malitiæ peccatores, vt in animæ periculo non ad sapientes, & cordatos viros; sed ad cæcos, & obturatæ mentis errones confugiant, & accersant sibi stupidos consiliarios, vitioſos, & ignorantes homuntiones, quibus grauiſsima animæ suæ committant pericula. Erroneus ille Saul verè in hac re sapiens hoſtilibus cũ pateret incursibus, 1. Regum 14. ait ad Achiam. *Applica arcam Dei: erat enim arca Dei in die illa cum filijs Israel.*

Num. 22.

Nisſen.

1. Reg. 14.

*Israel.* Nouit in stultorum cõsilio præcipitium, non sortilegium fecit, non brutorum obseruauit voces, non halantes pecudum fibras inspexit, sed de sapiente Sacerdote, apud quem sapientiæ seruabatur arca, consilium expectauit. Id in præsenti
*Greg.* meditatur Diu. Gregor. lib. 5. dum fatur: *Hoc applicare præcepit, quod esse cognouit. Ab irreligiosis quidem religionis consilium, aut sapientiæ ab stultis petere, non est consilium accipere, sed præcipitare.* Erant Hierosolymis Apostoli, erat Petrus diuinæ arcæ clauiger, & custos, & miser Iudas relictis notis doctrinæ apicibus abijt ad pecuinos Pharisæorum mores, à quibus in laqueum fuit præcipitatus. O quàm
*Zach. 11.* seuerus Deus in populũ, aiebat Zacha. 11. *Sume tibi vasa pastoris stulti.* Nec tantum pauorem incuteret, si mortis vasa iuberet agitari, nec tam irremediabilem damnum minaretur, si Assyrios, & iterum armaret, nec tam vniuersalem interitum immitteret, si cataractis cœli ruptis, mundum iuberet submergi aquis. Vnum imperat efferri vas pastoris stulti, inde vniuersi Doctores, duce Diu. Hieronymo, vltimam, & omnium truculentissimam mundi calamitatem augurantur.
*Remig.* Quo circa finit Remigius Altisiodorensis his verbis: *Tunc stultum pastorem suscipient Iudæi iusto iudicio, vt quia noluerunt credere veritati, credant mendacio.* Et sane in Iudæis miseris elucet præcipuè hæc ira Dei maxima, hoc iustissimum Dei iudicium, quo stultissimis omnium ducibus in sua perfidia præcipitentur. Vidi ego viros Iudæos prudentes alioquin, & iurisconsultos suam ebibisse perfidiam edoctos ab anicularum fœminarum colloquio. Hæque sunt vbique gentium huius antiquatæ perfidiæ conseruatrices, quarum nænias auscultant illi diuinorum quondam oraculorum auditores, & sic miserè præcipitantur. Vtinam pestis hæc seu diuina vltio non excederet Synagogæ terminos, & attingeret ad illos etiam Christianos, qui relictis sapientiæ fontibus fodiunt sibi cisternas dissipatas, confessarios stultos, obliuiosos, nullius pretij, & authoritatis: *Fœliciores nos*, ait Nazianzen. *quia in sapientia sumus intelligentes, qui gregis sumus, & pastoris mansueti. Non pastoris, qui nos in vasis pascit imperitis, nec qui corrumpit pecora, sed qui ea valde perite amplectitur.*

(?)

## §. VI.

*Suspecta salus illius est, qui iniuste acceptam pecuniam non in præsenti restituit, sed protrahit vsque dum mortuus sit.*

VIDI plurimos iniustè acceptis pressos, qui mortis metu adducuntur, vt restituant, testamentoque cauent restitutionem fieri, eoque contenti nunquam in vita sua restituunt. Heu quam miserè falluntur, cum ab ipso Iudã omnium auarissimo condemnentur, qui nihil prius ante mortem statuit, quam pecuniam refundere. Hoc simul in proditoris corde apparuit, & dolor de commissis, & pecuniæ efficax, & integra restitutio nullo dilata momento. De quo Diu. Chry-
*Chrys.* sostom. homil. 86. in Matth. fatur: *Quoniam condemnauit se ipsum, & argenteos proiecit, omnia hæc laudabilia sunt.* Huc vsque fecit Iudas quod debuit, & protrahendæ restitutioni aditum intercluſit, ne quis seruato ære alieno de salute præsumat, quando & Iudæ pœnitentia non stetit absque iniusti prætij exhibitione. Zachæus ille publicanus, & ære grauis alieno, vt primum Christum adiuit iam pœnitens scelerum ait Luc. 19. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, &* *Luc. 19.* *si quid alicui defraudaui, reddo quadruplum.* Vbi eleganter ponderat Diu. Laurent. Nauar. hom. de pœnitentia ait: *Audisti quid dixit? Ecce dimidium bonorum meorum dispergo pauperibus. Tanquam si ita diceret, modò vidi, modò cognoui, Saluator, non ex me, sed ex te facta est correctio mea, persensi pœnas meas, pensaui actus pestiferos, quos in auaritia perpetraui. Oro adiuua me miserum, & peccatorem. Ecce erogo quod abstulit: reficio indigẽtes quos læsi: instat adhuc dicendo, adesto Domine, ego in quadruplo quæ inique abstuli.* Quibus expendendum duxi illum verè pœnitentis actum, nimirum modò vidi, modò cognoui, modò meæ auaritiæ periculum feci, ecce erogo, ecce do, non in longa tempora erogationem differro, non ad testamentum remitto, sed iam soluo, & restituo. Id quod notauit Theophilactus in Cat. *Nec solum*, ait, *hoc promittebat, sed faciebat: non enim ait, dabo medietatem, & restituam quadruplum, sed do, & reddo. O vti-*

nam sic omnes iam rapinarum pœniterent, vt restitutionem hæredibus non remittant faciendam, sed ipsi dum viuunt, & ore peccata appariant, & manu iniustè acceptam pecuniam refundant, ne vel Iudæ damnentur iudicio.

*Text.* At illi dixerunt, quid ad nos tu videris: & proiectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit.

## §. VII.

*Perditissimi illi sunt, qui nec in morte bonis vtuntur in animæ suæ salutem, sed mundanis, & sæcularibus ea integra relinquunt.*

*Eccl.6.* SVmmo verborum pondere Ecclesiastes cap. 6. aiebat: *Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ, sepulturaq; careat, de hoc ego pronuntio, quod melior illo sit abortiuus.* Expendè hominis auaritiam, quod non vtatur bonis substantiæ suæ, sepulturaque careat, hoc est, adeò abstineat à bonis suis, vt neque moriens illi proprio *Hieron.* funeri vti audeat. Ita Diu. Hieronymus inquit: *Significat, quod dives de sua morte non cogitet, & cum omnia possideat, etiam in extructione sepulchri auarus sit.* Hæc extrema miseria hominis auarissimi, & perditissimi, quod plenus pecunia, moriens nihil funereis impendat suffragijs, vel pro anima sua, vel pro honestate sepulturæ. Accipite istorum exemplar, & ducem Iudam, qui dives pecunia accepta, & sese funesto parans excidio, hoc vnum curat in morte, vt nullum capiat fructum ex pecunijs, sed illas integras in Pharisæorum hæreditatem relinquit. Id quod eleganter Drogo notauit, lib. de Sacrament. *Drog.* Passion. fatus: *Denarios templo seipsum laqueo adtixit, amabat hæredes suos, qui eosdem denarios exinde colligerent, qui etiam nunc reseruant in suo corban.* Sic Drogo de hoc facto Iudæ existimat, aliter alij, vt præcedenti paragr. vidimus. O pestilens animarum lues! ò sæua, & crudelis humanæ mentis auaritia, quæ malis, & ingratis, & indignis hæredibus bona relinquere, quam in animæ vtilitatem aliquid in sumere, viuens nihil largiris, vt omnia integra retineas, & moriens sic omnia proijcis, vt nihil habeas, nihilque tecum adducas, sic nunquam tibi bona tua erunt proficua. Hac se peste mundauit publicanus ille Zacchæus, Luc. 19. dicens ad Christum: *Domine, ecce dimidium bonorũ meorum do pauperibus.* *Luc.19.* Vnde rectè monet Diu. Laurent. Nauar. homil. de pœnitentia: *Sufficit tibi exemplum publicani istius, qui miserabiles actus transacti temporis per eleemosynam, quasi per flumen indulgentiam traxit, seque auaritiæ laqueo per erogationem eripuit.* *Lau. Nau.* Auarissimus Iudas denario Pharisæis se ipsum laqueo addixit, cuius imitatores mundi diuites, qui bona integra ingratis hæredibus relinquentes, se ipsos inferni rudentibus addicunt. At prudens Zacchæus bona sua diuidens cum pauperibus, confractis peccatorum laqueis diues substantia sua euolauit ad Christum. Sanè Israelitæ, qui Ægyptijs operibus diu insudarunt, abituri in terram suam iubentur, Exod. 3. perete vasa aurea, & ar- *Exod.3.* gentea, quo astu nihil relinquant Ægypto, sed secum portent omnia bona sua. Ex quo Diu. Gregor. Nazianz. oratio. 2. *Naz.* in Pascha. sic monet proficiscentes ab hoc tenebroso mundo, vasa aurea, & argentea ab AEgyptijs commodato pete, cum his te itineri committe, ex alienis facultatibus viaticum tibi para, imò ex tuis potiùs. Seruitutis merces tibi debetur, callidè aliquid circa mercedis flagitationẽ expoſce, præclarè extorque. Esto sanè, grauibus hic laboribus vexatus es cum luto colluctans, id est, cum ærumnoso, & sordido corpore, ac domos alienas atque incertas extruens: *Quid? Gratis ne, & absque mercede egredieris? Quid? Ægypto atque aduersarijs potestatibus ea reliquens, quæ scelerate quæsita scelerati⁹ consument? Hodie ea tibi Dominus porrigit præclarè, & ad salutem vsuro. Amicos nobis de mamona iniquitatis faciamus, vt cum defecerimus, in iudicij tempore recipiamur.* O vtinam vel saltim egrediens mundum animauertas quantis sudoribus, & laboribus ab illo emisti bona tua, quantis sordibus splendentes gazas acquisiuisti, ne sine illis discedere velis à mundo, ne sicut Iudas ingratissimis hæredibus labores tuos, partasque cum maximo salutis dispendio diuitias proijcias. Enim verò, vt Nazianz. Scholiastes Niceta finit. *Quandoquidem mi-* *Nice.*

sera

*sera seruitute afflictus es, cur gratis, & sine quæstu egrederis? Cur dæmonibus ea relinquis, in quibus nihil illis iuris est?* Iam pauperibus tribue, qui tibi omnia fideliter in cœlestia tabernacula transmittent. Omnium elegantissimè Diu. Saluianus, lib. 1. de prouidentia monet eos, qui à Deo in hoc mundo receperunt diuitias: *Denique egredientibus de hoc mundo velimus nolimus, hic cuncta relinquimus. Cur ergo cum possessores tantum vsufructuarij sumus, quod nobiscum auferre non possumus, auertere à proprietate domini, atque abalienare tentamus? Cur non bona fide datis à Deo reseulis vtimur? Tenuimus quod licuit: tenuimus quod permisit ille qui præstitit. Quid rectius? Quid honestius? Quam vt vbi res ab eo discedit, qui vsum habuit, reuertatur ad eum possessio, qui vtendam concesit.* Hæc ille quam sanctè diuinissimus ille Iob, hanc nobis testa tam relinquit doctrinam! Is cum Sathanæ præsensit bellum, cap. 1. *Surrexit, & scidit vestimenta sua.* Cur vestimenta scidit vir egregius? Do facti Commentatorem Originem lib. 1. vbi sic habet: *Ac si diceret. O maligni, mortuum me existimatis, vt vos putatis. Si ergo me mortuum existimatis, ô inimici, anticipem in pretiosam meam sepulturam conscindere pretiosas, atque regales meas vestes, vt nec post mortem gaudeatis illas possidere.*

Salu.

Origin. Iob. 1.

## §. VIII.

### *Pœnitentia festinante, præpropere sumpta haud secura est.*

QVÆ Res vtiliter, & fructuosè perficitur, si præpropere, & festinanter agatur? Sane ridendi illi sunt qui totum vitæ tempus prætereuntes, integram pœnitentiam remittunt in postremæ infirmitatis angustias. Omnia tunc festinatissimè fiunt, ad testamentum curritur, morbus instat, Medicus vrget, remedia horas consumunt, sacramenta concitatissimo afferuntur passu. Confitentem retrahunt testamenti testes, vocat medicina, omniaque & sacra, & prophana medicamina sese inuicem excipiunt, & impediunt. Væ misero, qui tam festinanter inter sacrum, & saxum currit! Sicciné pœnituit Iudas, nimirum totus festinus peccatum fatetur, ad Principes Sacerdotum currit, ad laqueum recurrit. Proh festinatio damnosissima! Bene monebat Diu. Leo. sermone 3. de passion. *Expectasse consumationem criminis tui, & informis lethi suspendium distulisses. Cumque conscientiam tuam tot Domini miracula, tot dona torquerent, illa saltem sacrificia te à præcipitio tuo reuocassent, quæ in Paschali cœna signo diuinæ præsentiæ de tectus acceperas.* Leo. Hoc maximè pœnitentiæ sacra medicamina regulariter exigunt, vt suam exerant virtutem, nimirum vt per tempus liceat, vt quietè, & cum debito mentis pondere perficiantur, non fructuosè curatur qui festinus præterit medicinam, periculosè pœnitet, qui præpropere absumit salutis officia. Accinit Diu. Chrysostomus, Chrysost. dum inquit: *Dixit, peccauit tradens sanguinem iusti, sed non potuit vitare peccatum, sic enim de eo ait Spiritus sanctus, & oratio eius stat in peccatis, vt eo quod pœnitentiæ festinauerit ad portum, ibi incideret in æternum, & sine reparatione malũ.* Mille sunt in portubus pericula, mille angustiæ mille scopuli, quare naues, quæ toto impetu in alto maris feruntur, portus penetentim, & morosè attingũt, lethalis enim esset inter scopulos, & angustias properatio. Heu vos miseri, qui portum pœnitentiæ præproperi, & festininimis aditis, mirum erit, si æternæ salutis naufragium fugitis. Huc Nazian. spectat illud Nazianzeni, carmine 3. ad Virgines monitum.

*AEquora nec celeri sulcans infida carina,*
*Dum tibi flat Zephirus, nec magnas excitat vndas.*
*Committe, vt cursum ratis anchora iacta retardet.*
*Non etiam à tellure trahe hanc, segnemque per vndas.*
*Carpe viam æquoreæ similem, similemque pedestri.*

Quibus præclarè boni viri vias cũ nautarum componit vijs: nauta enim dum habet Zephirum, celeritatem commendat, minimè permittitur anchoris impediri. Verùm media in tempestate vndis concitatis, ventisque furentibus segnem viam arripuit omnemque celeritatem exitialem putat. Sic qui diuini spiritus aura nauigauit, ipse vel in morte festinet, vel ad pœnitentiæ portum celer accedat, verum si media peccatorum tempestate sit, si vitiorum agetur vndis, abeat, & ad pœnitentiæ portum lento, segnique gressu accedat, ille enim suspecta quæuis per pœnitentiam festinatio fiet.

§. IX.

## §. IX.

### *Pœnitentia in impoſsibilitate peccandi ſuſpecta tibi ſit.*

Iudæ pœnitentiam putat Rupertus ad cap. Matth. 26. natam fuiſſe tunc, cum ipſe conſilium ſuum irritum iricognouit. Etenim memoriam Ieſu omnino extingue re concupierat, cum autem illum ſolum, relictis in mundo Diſcipulis, ad mortem duci vidit, prorſus deſperauit, quod impleri poſſet conſilium ſuum, & facti intentari pœnituit, ſed ea pœnitentia, qua vſque in ſuſpendium fuit deductus. Metuo, ne huic ſimilis pœnitentia ſit eorum, qui tunc pœnitent, cum impotentes facti ſunt ad ſectanda vitia. Hanc vehementer cauit Magdalena, quæ medio iuuentutis flore lachrymis curauit tergere vitã, ait enim Lucas cap. 9. *Vt cognouit quia Ieſus eßet, &c.* Quæ verba expendens Diu. Cæſarius Arelat. hom. 7. inquit: *Nec ipſa ſe reſeruauit, vt in fine vitæ ſuæ pœnitentiã ageret, ſed dum adhuc poterat peccare, ſic voluit peccata deſerere, vt illam de adulterijs ſuis non impoſsibilitas ſubtraheret, ſed voluntas.* Iam hinc cenſenda eſt optima, & fructuoſa pœnitentia, nimirum quæ fundatur non in impoſsibilitate peccandi, ſed in voluntate ſeruiendi Deo. Quæ item fit ab eo, qui adhuc potens eſt, & viribus pollens. Vnde aliquomodo ponderatur commoditas Nabucdonoſori oblata ad bene pœnitendum. Etenim ait Daniel. cap. 4. *Deus magnus oſtendit Regi quæ ventura poſtea.* Vbi eleganter, & acutè Ricardus Victorianus, lib. 1. de erudition. inter. hom. cap. 5. ſatur: *O quanta Dei pietate agitur, vt cum adhuc futura eſt, dum præcaueri poteſt ſua hominis ruina reueletur: vt tanta ſolicitudine præuideat, & agnoſcat quid timere, quid cauere, cui periculo repugnare debeat. Tarda quidem, nimis ſera prouidentia eſt, cum iam imminẽs periculum vitari non poteſt Deus magnus oſtendit Regi quæ futura ſunt poſtea. Fœlix ille, qui imminentem ruinam præuidere poteſt, dum adhuc Rex eſt, & paſsionibus ſuis dominatur* Tunc equidem ille fructuosè præcauet periculũ, cũ adhuc affectus habet, quos regere poſsit, & ſui dominus eſt, vt liberè poſſet ſeſe vel in hanc, vel in illam partem inclinare. Cum non coroſa oſſa, ſed vegetam ætatẽ commendat virtuti. Cum ſolemniſsimus ſit in Pſalmis ille titulus, nimirum: *In finem*, neſcio quo myſterio in Pſalmo 14. ſolum dicitur: *Pſalmus Dauid*, omnino dimiſſo illo: *In finem.* Cuius rei rationẽ dũ examinat Chryſoſtomus, ait: *Et cur non complectitur in finem? Quoniam docet de iuſtitia, reliquis virtutibus: propterea non cõplectitur, in finem, ne cum iuuentutem peccato hauſerit, languidam, & enervatam ſenectutem virtuti reſeruet: & vitæ fœcem tẽperet ſapientia.* Et equidem multi ſunt, qui conſumptis omnino viribus, quando malum facere minimè poſſunt, tunc à peccatis abſtinent, vereor ne illis accidat, quod Prometheo accidiſſe narrat fabula. Is enim vt ex Higimnio refert Ludouicus Viues, lib. 10. de Ciuitat. Dei cap. 8. ſacrificaturus duos boues mactat, vtriuſq; oſſa vnius corio retegit, carnes verò corio alterius: tunc oſſeam illam molem corio tectam altari approximat, carneam aliquanto ſeparatam reſeruans. & Iupiter doli neſcius ſibi proximiorem in ſacrificium delegit. Quid plura? Ablato tegmine inuenit ſola inutilia oſſa, quo iratus ignem homini abſtulit, ne vllum valeret offerre ſacrificium, quo placeat Diuis. Sic multi ætatis florem cum dederint peccatis, oſſa arida Deo vouent, ſed timeant ne Deus iratus illis abſtulerit ignem diuinum, ſine quo nihil Deo gratum perficient.

*Luc. 9.*

*Ricar. Vic.*

## §. X.

### *Lugendi ſunt, & pauendi nobis cuiuſcunque lapſus.*

CVM Apoſtolum vides in profundiſsimum deſperationis baraturum decidiſſe, peſsimus es, ſi abſtines à luctu. Sane Ezechielis capit. 27. dicitur: *Fili hominis, leua planctum tuum ſuper Regem Tyri.* Id quod conſiderans Rupertus, lib. 2. de Victoria Verbi Dei, cap. 3. & intelligens in Rege Tyri Diabolum, merito miratur, quo homo iuſtus iubeatur plangere in Diaboli ruina. Cur plangat vates de Luciferri caſu? *Ille verè vtiliter plangit, ille planctum leuat rationabilem ſuper Regem Tyri, qui contrito corde, & humili ſpiritu ſcrutatur, & perpendit quid ſibi faciendum ſit pulueri, & cineri, cum ille ſummus Angelus tam magnus tam ſapiens ita terribiliter proiectus ſit.* Quis non lachrymetur infirmitatem ſuam viſa fortiſsimorum ruina? Quis videns Angelum, vidẽs

*Ezech.*

*Rupert.*

Apoſto-

Apostolum in Christi Domini schola nutritum, miraculis clarum, ad damnatorum tenebras deuolutus, non expaueat propriam debilitatem, largis lachrymarum riuulis lugeat? Si Apostolus perijt, peccator qualiter subsistit? Si inte Christi vbere nutritus corruit, quomodo stabit à peccatoribus lactatus? Hinc præclarè monet Bachiarius, Epist. de ricipiendis lapsis: *Ecce iacet frater ab hoste percussus, adhuc forsitan palpitat, & vos qui sine vulnere estis conuertimini, & non solationem plagæ ipsius deferre tentatis. Nolite esse sine formidine fratres, fortiorem percussit in micus, vt certior ei postmodum fieret aditus ad reliquos.* Non licet religiosis viris in bonorum lapsibus insultare, sed si sapiunt, se debent vehementer plangere, & sibi à ruina timere, quandoquidem fortissimi quique iacent hostili telo prostrati. Bach.

*Textus.* Principes autem Sacerdotum, acceptis argenteis dixerunt, non licet eos mittere in corbonam, quia pretiũ sanguinis est. Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum, &c.

## §. XI.

*Principes Ecclesiastici, & qui Christi Domini patrimonium administrant, omnibus erogent sine discrimine. & exteris, & aduenis, & peregrinis.*

NOtanter sanguinis Christi pretium non solum in pauperum, sed in peregrinorum sepulturam voluit impendi, vt hinc Ecclesiastici discant bona Ecclesiæ, quæ pretium sunt Dominici sanguinis nõ elargienda esse cum limite inter pauperes solum domesticos, sed eodem modo inter aduenas, & exteros peregrinos. Quomodo elegans Tertullian. obseruatio aduersus Hermog. Vbi de primis Ecclesiæ principibus ita fatur: *Dextras Paulo dederunt Petrus, & Iacobus, & Ioannes, & de officij distributione pepigerunt, vt Paulus in nationes, illi in circuncisione, tantum vt meminissent egenorum.* Ecce tibi Apostoli inter se diœceses diuidunt, prædicationisque terminos sibi distingunt, ne vnus falcem in messem aliorum mittat, sed singuli singulis mandatur cura, & quantumuis distinctus est prædicationis doctrinæque & aliorum terminus, vna eleemosynorum largitio excipitur communis. Iam ex tunc iudicabant Apostoli patrimonium Christi sine discrimine ad omnes etiam exteros debere pertingere. De pijs mulieribus dicitur Matth. 26. *Quod emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum.* Quæ verba præmens Diu. Bernard sermon. 12. in Cant. ait: *Non ad vngendam tantum aliquam corporis partem v. g. pedes, aut caput, sed vt venientes vngerent Iesum, quod est totius complexio. Tu quoque, si te induas viscera misericordiæ liberalem benignumque te exhibeas ad omnes.* Nullo discrimine, nullo termino eroganda eleemosyna est, præcipue ab its, qui sanguinis Dominici pretium, nimirum Ecclesiæ bona exsugunt, quandoquidem sic illud Ecclesiastis videbatur præscribere: *Da patem septem, nec non, & octio.* Enimuero, vt refert Caietanus, veteres Iudæi in honorem septem primitiuorum dierum septem pauperibus eleemosynam erogabant hoc numero contenti. Itaque eos monens Dominus ait, da partem septem, nec non, & octo, quasi dicat, non eos faciendæ eleemosynæ terminos constituas, vltra quos, vt necessitas postulauerit, non prætereas. Ad omnes largitas extendatur tua, sine discrimine, sine termino. Iuxta quod parentem Episcopum lauddat Diu. Gregor. Naziã. orat. 6. his verbis: *Pauperum inopiam quam maxime poterat subleuans, patremque dans septem dum taxat, velut Salomonis lex præscribit, verum si octauus etiam accederit libentius sua profundens quam alij acquirant.* O præclarum Christiferi patrimonij dispensatorem! Eum conueniant quicumq; Dominici sanguinis pretio viuunt, quorum est benignitatem suam intra angustos, & domesticos terminos non finire, sed illam ad omnes exteros etiam & aduenas, & peregrinos extẽdere. Id quod Christianis adeo inuidit Iulianus, vt Præfecto suo indixerit ea Xenodochia extruere, quibus in discriminatim omnes etiam sibi odiosi Christiani curentur. Hac enim misericordiæ largitate, dicit Iesu discipuli vniuersorum oculos, & corda rapuerunt. Tertul. Ecclesi. 11 Nazian.

§. XII.

## §. XII.

### *Ecclesiastica bona, quæ Dominici sanguinis pretium sunt non in corbona, siue in thesauris concludi sustinent.*

NON licet tibi, ò auarissime, bona Ecclesiæ thesaurizare, nigrisque loculis recludere, quod vel Pharisaica auaritia pertimuit facere, cum dicit: *Non licet eos mittere corbonam, quia pretium sanguinis est.* Quod à sacerdotibus Christianis factum stupet, & lachrymatur Diu. Bernard. sermon. 10. in Cant. dum fatur: *Quod sine mirabili gemitu dicendum non est,* Bernar. *Christi opprobria, sputa, flagella, clauos, lanceam, crucem, & mortem hæc omnia in fornace auaritiæ conflant, & profligant in acquisitionem turpis quæstus, & pretium vniuersalitatis suis marsupijs includere festinant.* Pharisæis nequiores qui Dominici cruoris vim in argenteis præsentientes discunt eos nõ in corbona asseruandos, sed in egenorum subsidia profundendos. Nil violentius Dominici sanguinis pretio, quam si recondatur, quam si nigris occludatur crumenis: etenim hoc habet aurum à Domini sanguine acceptum, quod pro miseris effundi velit. Accipite Diu. Ambros. Ambros. lib. 2. Officior. cap. 18. sic eleganter de bonis Ecclesiæ, de ipsis vasis aureis altari seruientibus differentem: *Aurum Ecclesia habet, non vt seruet, sed vt eroget, vt subueniat in necessitatibus. Et vere illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte. Ille verus est thesaurus Domini, qui operatur, quod sanguis eius operatur. Tunc vas Dominici sanguinis agnoscitur, cum in vtroque viderit redemptionem, vt calix ab hoste redimat quos sanguis à peccato redemit.* Sic bona Ecclesiæ, sic vasa ipsa altaris amant impendi in captiuorum redẽptionem, miserorum sublæuationem, vt quæ sunt diuino sanguini famulantia, virtutes emulentur diuini sanguinis. Quod pulchrius adhuc confirmant sequentia verba: *Agnosco infusum auro sanguinem Christi non solum irrutilasse, verum etiam diuinæ operationis impressisse virtutem redemptionis munere.* Expende maxime hoc, quod diuinus sanguis suis aureis argenteis ve, sui similem imprimat virtutem, qua non sustineant claudi, sed in redemptionem captiuorum, & pauperum alimoniam efferri, & profundi contendant. Vnde primitiæ Ecclesiæ bona non ad manus nec ad crumenas, sed ad Apostolorum pedes committebantur. Actor. 4. vt ostenderent quã amabant transmitti in pauperes. Vnum enim in Sacerdote requirit sacrum aurum nimirum pedes, quibus festinet erogari. Id quod insinuans interlinealis, vbi Textus dicit: *Ponebant ante pedes,* superfixit ipsa, *ad gressum.* Non enim sustinebant oblata Ecclesiæ bona in crumenis stannari, quæ pedes petebant ad gressum, vt possent ad egentes transmeare. Hinc Petrus Claudo illi ad spetiosam sedenti ait: *Aurum, & argentum non est mihi.* Quæ verba sic premit Diu. Chrysostom. *Argentum,* in- Chrys. quit, *& aurum non est mihi, non dixit non habeo hic, qualia nos dicimus, sed prorsus non habeo.* Quasi piaculum foret Principi Ecclesiæ aurum habere recluſum, & asseruatum alibi, diuitum mundialium responsionem cauit, si enim haberet aurum, ibi haberet quod eius pedes sequebatur, vt cui libet posset erogari. Et si quidem in gressu non habet, nullibi habet, quandoquidem Ecclesiæ aurum non sustinet claudi, sed in gressu amat esse, vt omnibus faueat.

## §. XIII.

### *Bona Ecclesiæ iniuste retenta exitialia sunt possidenti.*

NEfarissimi quique sacerdotum pretium Dominici cruoris expauent in arcarijs suis possidere, vt dicat Diu. Augustin. sermon. 128. de Temp. *Vide quanta vis Dominicæ sit pecuniæ, quam inde Iudas reijcit, hinc Pharisæi in loculos non recludunt. Iusti enim sanguinis pretium pertimescit iniquitas possidere.* Nec nouum hoc, imo à principio Christiferi sanguinis pretium suspectum fuit hominibus iniquis. Perfidus ille Hebræorum hostis Aman, qua erat rabie percitus in gentem vim auri, & argenti obtulit Assuero Regi, vt Iudaicus populus eliminaretur, e viuis. Cui Rex ait Esther cap. 3. *Argentum quod* Esther. 3. *tu polliceris tuum sit, de populo age quod tibi placet.* Mirandum valde est quod Rex argenti possessionem refugiat, illamque offerenti remittat, sed argento illo Christifera stirps prodebatur, quo iam Dominici sanguinis pretium pertimescebant possidere homines iniqui. Id insinuare vide-

Rup. videtur Rupert. lib. 6. de Victoria Verbi Dei cap. 17. Vbi inquit: *Non paruæ considerationis est, aut esse debet quod oblatum fuit ad Iudaicæ gentis vniuersale ex terminium contra propositum Dei, contra verbum promissionis.* Ecce tibi argentum illud pretium erat Dominici sanguinis, quo genus Christiferum extinguendum erat, & paternis lumbis interficiendus ipse Christus, ne mireris, quod Rex impius vim præsentiat Dominicæ pecuniæ, nec eam in arcarijs regijs velit includre. Enimuero aurum, & argentum ex Domini sanguine acquisitum exitiale est, vbi reclusum possidetur ab hominibus iniquis.

Ambros. Quod Diu. Ambros. supra datus aduertens sic finit. *Itaque Ioachim, qui aurum in obsidione seruabat, nec dispensabat alimoniæ comparandæ, & aurum vidit diripi, & se in captiuitatem deduci. Laurentius qui aurum Ecclesiæ maluit erogare pauperibus sacram martyrij accepit coronam.* Adeo vtile est aurum Ecclesiæ probis dispensatoribus, adeo ærumnosum, & exitiale est ijs, qui inique illud obseratum reseruant, & inclusum. Vix secum in crumena Dominicam retinuerat Iudas pecuniam per triduum, & illorum virtute in perniciem æterno duraturam ruit, vt dicat Olympiodorus Ecclesiastis cap. 7. *Pecuniæ Iudam allaqueum compulerunt.* Væ illis, qui Dominicam sibi reclusam seruant pecuniam, hoc est, qui auare, iniuste retinent Ecclesiæ bona, mirum erit si illorum virtuti resistant, quominus ad laqueum, & perniciem compellantur ire.

Olymp.

*Ioann. 18.*

*Textus.* Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit, quam accusationem affertis aduersum hominem hunc, &c.

## §. XIIII.

*Iudex nullo discrimine vdduci debet ad alicuius condemnationem, quin prius causam attente examinet, & perquirat*

FVrentium Sacerdotum voces, vniuersæ turbæ clamores semel, & bis Præses Pilatus videns minime adducitur, vt Iesum mortis sententia afficiat. Imo & plus credit Dominico silentio quam Principum, & populi clamoribus vehementer accusantibus, & vt seditiosum, & Regni affectatorem pro clamantibus, & interfestinatas accusationes, & præproperas accusatorum furias ipse lentus, & blandus semel atque iterum Iesum alloquitur, eius causam examinat, & frequentibus interrogationibus perquirit. Recte Eutymius: *Illi tradiderant eum Pilato ad interficiendum, non ad inquirendum. At ille non tulit, vt prius quam perquireret, occideretur, ideo discere vult quæ sit accusatio.* Euthy. O vtinam vt boni iudicis specimen in primis dedit Pilatus, sic perseueraſſet in finem! Sane optimus iudex ille est, qui nullo Principum fauore se furore, nullaque populari seditione mouetur, vt consuetas iuris formas contemnat, & inexaminatum, & inauditum hominem mittat ad supplicium. Id quod monet eleganter Chrysosto. homil. in Ionam. Etenim fugitiuus Ionas vbi in Tarsum nauigat, ecce venti furiunt, mare desæuit, obortaq; crudelis tempestas miserum fugitiuū exposcunt ad pœnam. Turbati Nautæ sortibus exquirunt tanti periculi reum, inuenitur Prophetes somno sepultus, adducitur in conspectu omnium. Quæ tunc facies viri? Qui nautarum pauor? Crediderim ab illis festinatissime præcipitandum esse in mare, non tamen id factum est, imo furentis tempestatis immemores ab illo exquirunt: *Indica nobis cuius causa malum istud sit nobis, quod est opus tuum? Quæ terra tua? & quo vadis? vel ex quo populoes tu?* Ioan. 1. Mare feruet tempestas desæuit, & nautæ longissimam vitæ Ionæ exquisitionem instituunt. O boni & præclari iudices quando nullo discrimine adducimini, vt inexaminatum damnetis, & inauditum: *Nautæ*, ait Chrysostom. *vt in suma tranquilitate positi, vt serenis flatibus nauigantes non eum illico præcipitare festinant. Audi namque eos interrogantes. Vnde tibi profectio, quo festinas? De qua plebe productus es? Accusant maria fluctibus inquieta: sortis attestatur incertum, reus omnibus declaratur, & hi dissimulata inquietudine procellarum, seruant iudiciariam disciplinam.* Chrysost. Hoc capite laudandus videbitur Pilatus, qui accusantibus Iesum Principibus Sacerdotum, vniuersa concitata plebe, furente Ierosolyma, ipse dissimulata inquietudine, & rabidorum hominū accusatione transquillus, & placidus Iesum

ſum alloquitur, nefandi odij occaſionem quærit, & an ſit Iudæorum Rex, an aliquid aliud in Iudæos commiſſerit? Adeo enim grata Deo eſt ea Iudicium conſtantia, qua nullum damnet niſi longo præmiſſo examine, & iudicio, damnaturus Abſalonem, eum tandiu ſuſpenſum tenuit, quandiu daretur locus iudicio, examini. Ita Diu. Chryſoſtom. in Pſalm. 7. fatur: *Abſalon autem in-uitus pependit, & non ſtatim ſublatus eſt, ſed tanquam in iudicio prius ſuſpenſus eſt, & ligno affixus, & Deo è ſuperis ferente ſententiam longo tempore pependit, à conſcientia deinde flagellatus.* Sic æquiſſimus Iudex Deus etiam deplorato homini longum iudicij tempus præſtat, vt locus ſit & defenſioni, & examini. Item Ieſus Marc. 5. nactus ſpiritum immundum crudeliſſimum in hominem quem vexabat: *Interrogabat Ieſus, quod tibi nomen eſt.* Recte nouerat Dominus, & nomen, & perſonam, & crimina, adhuc tamen interrogat, ſed cur ita? Chryſolog. ſermon. 17. *Interrogat, non ignorat, ſed implet iudicem, ſeruat ordinem cognitoris.* Nulla iam occaſio ſit, quæ iudices præſcriptum iudicandi ordinem præmittere compellat.

## §. XV.

### *Chriſtus Dominus dum à Iudæis in mortem expetebatur, à gentibus in vitam amabatur.*

FVRENTVM Phariſæorum voces, plebis clamores aduerſum Ieſum Romani Præſidis beneuolum animum vt meditere, propone tibi ante oculos naufragi Ionæ imaginem, maris tempeſtas furit, fluctus, diro verbere ſtridēt, venti irrugiunt, Ionas medius petit mitti in mare, nautæ reluctantur, & illum ſaluare optantes: *Remigabant viri vt reuertercntur in aridam.* Ionæ capit. 1. Nonne Chriſti Domini inter Iudæos, & Præſidem Romanum conſtituti vera eſt imago? Ita Remigius Altiſiodorenſis fatur: *Iudæis, qui populus Dei fuerant, Chriſti mortem expetentibus, gentes etiam pro eo mori volebant quaſi enim ad aridam remigabant.* Ecce tibi verus Ionas Chriſtus Dominus ſæuiſſima mediis tēpeſtate, clamant Iudæi, reflantibus Principibus populi ad mortem petebatur, ipſe libens ſeſe offerebat, ideo enim nihil reſpondere voluit vt ait Diu. Hieronym. ne crimen diluens à præſide dimitteretur, & crucis vtilitas differretur. Quam citiſsime amat à tempeſtate vorari, è contra nauclerus gentilis nimirum Pilatus illum liberare curabat, & quaſi remigans à ſæuientibus Phariſæorum vndis in aridam trahebat. Iam tunc gentilitas ſibi in vitam ſeruare Dominum procurabat. Iam tunc cui mortem Iudæi inferebant, in ipſo gentes vitam meditabantur, & vt loquitur Din. Chryſoſtom. homil. 30. in Ioan. *Iudæi ad ſe venientem expulerunt, gentiles alio proficiſcentem ad ſe trahunt, illi inuidebant, hi credunt, illi indignabantur hi admirantur.* Sæuiebant Iudæorum animi, & inſtar marinorum fluctuum tumeſcentes immerentem Ieſum amaricanti voragine ſepelire nitebantur, patientiam tamen eius admirans Pilatus, in contrarium rem agobat, indignum iudicans immerentem, & voluntarium virum morti tradere. Hinc D. Laurent. Iuſt. cap. 13. de triumph. Chriſti agone loquitur: *Proh dolor alienigenarū principes innocentiæ Chriſti defenſores erant, & Hebræi ipſi, de quorum patribus ſecundum carnem fuerat natus, ad quos venerat redimendos, morti illum tradere ſatagebant. Quem iſti perdere inſiſtebant, Gentilis Præſes abſoluere conabatur.* Nec miremur gentium ex tunc amore affici Dominum, & ingratos Iudæos deteſtari. Quid mirum, quòd Dominus gentes amet? Quod relicto Iudaico populo ſeſe in gentium amorem transferat? Equidē quicquid Iudæis præſtabat antiquitus, id gentibus præparabat. Diu. Paulus ad Hebr. ait: *Patres omnes ſub nube fuerunt, & omnes in Moyſi baptizati ſunt in nube & mari.* Quorum verborum illud, baptizati ſunt, expendens Diu. Cæſar. Arelat. hom. 4. de Paſchaſ. ait: *Noſtris ergo iam tunc ſub illius populi ducatu, noſtris commodis militabat diuina virtus prædines in beneficijs.* Sic omnia Hebræorum componebat, quaſi iam meditaretur relictis illis, confugere ad meliores gentes. Hinc duo Chriſti miracula ponderanda ſunt alterum quo, quinque panibus, alterum, quo ſeptem, hominum ingentem multitudinem ſatiat. Sed primò vix vnius diei fames erat, & Apoſtoli ſollicitabant diſsimulante Chriſtum, at ſecundò poſt triduanam famem tacentibus

Ion. 1.

Rem.

tibus Apostolis, ait, Dominus Matth. 15. *Misereor super turbam, quia iam triduò sustinet me.* Cur hic solus Dominus de turba sollicitus? Sanè per hanc turbam gentes significabantur, quorum desiderio, & cura ipse per se Dominus afficiebatur. Id attigit Diu. Paschas. lib. 7. in Matthæum aiens: *Miror quid sit, quod Apostoli suprà solliciti esse dicuntur, post ieiuniam vnius diei de refectione plebis. Hic autem iam triduo perdurante populo cum Domino nil tale dicunt. Videtur mihi, quod refectio illa salutem Israeliticæ plebis significabat. Ideò fuor fuerit Apostolorum, vt salutem gentis suæ quærerent. Cæterùm gentibus nulla salus ex Prophetis, sed per solam Christi gratiã.* Vnus est Iesus, qui gentium studeat saluti, eorum amore deuinctus.

Paschas.

## *Luc. 23.*

*Textus.* Vt cognouit, quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus. Herodes autem viso Iesu gauisus est valde, erat enim cupiens exmulto tempore videre eum, &c.

## §. XVII.

### *Non erubescat subditus vili, & improbo subdi Prælato.*

DE Herodis potestate dicitur esse Iesus, Herodis, inquã, hominis improbi, adulteri, incestuosi, homicide, vt hinc nemo religiosus Prelati indigni potestatẽ erubeat. Aaronis prælationẽ in sacerdotio qui erubuerunt, Num. 16 à terra miserè deuorati sunt. Id quod ponderans Chrysostom. hom. 2. in epist. 2. ad Timoth. ait *Insurrexerunt aduersus Aaron post vituli formatam effigiem Core, Dathan, & Abiron. Quid ergo? Nonne illi periere?* Pulchrè addit temporis notam, quo rebellio incepit, nimirum postquam Aaron vitulum conflauerat, postquam idolatriæ caput erexerat, vnde accusandi, imo laudandi viderentur, qui prælationem viri adeò nefaria facientis, non sustinuerint. Quid ergo? nonne illi periere? Equidem periere, ne quis contemnat Prælatum, etsi improbus sit, etsi quauis alia vtilitate deturpatus existat. Et non dum natus erat Iesus, & nondum Dominus adulteri, & incestuosi Regis subierat potestatem. Sane arca testamenti humeris impositã Sacerdotũ victorias mille parturiebat, mille miracula patrabat, præcedebant populum Sacerdotes portantes arcã, cuius modũ diligenter populus obseruabat: excusit tandẽ Deus Sacerdotes, & elegit vaccas, quæ arcã portarent, & Israelis nationẽ saluam faceret, 1. Reg. 6. Quid plura? Chrysost. vbi suprà inquit: *Per vaccas in arca operatus est Deus, cum populum saluare vellet, num Sacerdotis vita, num Sacerdotis virens tantũ conferre potuisset?* Vbi enim Dei sequeris nutum, & oraculũ, nil cures de illius præstantiâ, qui præstat ducatum, sit pius, vel impius sit sapiens, vel fatuus, sit homo, vel bos, per bouẽ operabitur Deus salutem tuam, nec vllius hominis sapientia tibi conferet tantum, quantum bos, quantum fatuus, penes quem sit Dominici testamenti arca. Solet diuinum oraculum, nimirum præfectura aliquando impurissimis, & bruteſcentibus hominibus tradi, ne horum erubescas ducatum respice non ad pecuinos, & bestiales eo mores Prælati, non ad vilẽ eius conditionem, sed ad testamenti arcam, ad munus, quo fungitur, inde tibi manabit salus, quandoquidem per vaccas in arca operatus est Dominus, cum populum saluare velet. O quam præclarum huius obedientiæ exemplum exhibuerunt, & Paulus, & tres Babylonij pueri: enim verò Paulus in carcerem detrusus à nefario custode, cum diuina virtute fores paterent, & vincula essent disrupta, tamen ipsius custodis iussum expectauit, vt egrederetur è carcere. Similiter tres pueri generosi Daniel. 3. à Babylonis tyranno in ardentem fornacem immissi, illic liberi, expediti non antea egrediuntur, quam iubeantur. Ita Diu. Chrysostomus homil. 8. ad Ephesios: *Quemadmodum Paulus carcerẽ non egrediebatur, tametsi potuisset, donec qui in illum coniecerat, ipsum euocaret: ita neq; hi tres pueri caminum egressi sunt, donec qui iniecerat egredi quoq; iussisset.* Ecce tibi quorũ dictis, & iussionibus stant sanctissimi viri, nimirum etiam post diuinam expertam virtutem gaudent expectare imperium nefarij tyranni. Tunc Rex Daniel. 3. ad fornacem accedens ait: *Serui Dei altissimi egredimini, & venite*, nec mora, statim parent. Ita

Num. 16. Chrysost.

Idem.

Dani. 3.

Chrysost.

Chrysostomus : *Observa igitur pietatem puerorum, nec indignati sunt, nec quicquam contradixerunt, sed mox egressi sunt.* Erubeat iam qui Prælati vel stulti, vel impij refugit imperium, & discat hinc nocentissimis & stultissimis subdi Prælatis.

## §. XVII.

### *Tunc desideria bona, Deoque acceptabilia quando si facultas est, cum exhibito opere coniunguntur.*

QVIS sibi bonum cœleste non cupiat? Quis Deum videre non expetat? Sanè & nocentissimus Herodes exoptabat videre Christum, sed nunquam illum quæsiuit, nec ad illum misit, nec cũ esset in eadem ciuitate aliquam dedit operam, vt Iesum acciscret. Huic similes deplorabat Bernardus sermon. 21. in Cantica, quando dixit: *Quam pauci post te, ò Domine Iesu, ire volunt, cum tamen ad te peruenire nemo sit, qui nolit, hoc scientibus cunctis, quia delectationes in dextera tua vsque in finem. Et propterea volunt omnes te frui, non ita, & imitari conregnare cupiunt, sed non compati. Ex his erat ille, qui dicebat, moriatur anima mea morte iustorum & fiant nouissima mea horum similia. Optãt sibi extrema iustorum, sed non ita principia. Non curant quærere quem tam desiderant inuenire, cupientes consequi, sed non sequi.* Bernar.

Hæc sunt pessimorum hominum desideria, quibus sic diuina expetunt, vt nullam illis acquirendis diligentiam adhibeant. Imo desidia torpentes habent fiduciam, quod influat Iordanis in os suum, & manibus in sinu compositis vellent, vt esca ipsa ad eos perueniret. Hi sane nunquam beatitudinem illorum attingent: *Qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.* Non enim beata hæc, & saturanda esuries consistit nisi in ardenti, & auidissimo appetitu, qui fami, & siti extinguendæ opera adhibeat. Huiusmodi erat appetitus, & desiderium in Publicano illo Zachæ. De quo Luc. 9. *Et quærebat videre Iesum quis esset, & non poterat præ turba quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, vt videret eum, quia inde erat transiturus.* Luc. 19. Compone modò istius desiderium cum desiderio Herodis, ambo cupiebant videre Iesum, verùm Herodes non tam cupiebat, quam expectabat, contentus desiderio nil aliud curabat. Zachæus autem sic cupiebat videre, vt non sibi temperaret, quin præcucurrerit, & ascenderit arborem, vt frueretur optatis. Vnde meritò Diu. Laurent. Nouar. homilia de pœnitent. dicit: *Bene festinauit, optimè ascendit, qui dum auidus cupit videre Saluatorem, salutem ipsam quam ignorauit, inuenit.* Laur. No. Expendo illud, dum auidus cupit, quippe non sufficit cupere, non sufficit desiderare, quandoquidem multos sua desideria torquent in æternum, sed beati, qui auidè cupiunt, nimirum qui ea fame, & siti feruntur, quã opere adhibito prætendant, & cui depellendæ diligentiam adhibeant. Gillib. Puchrè in rem præsentem dicebat Gillibertus sermone 9. *Sitiuit quem diligit anima mea*, Cant. 3. nimirum, in Cantic. expendens illud, *per noctes, quæ Languidus, & remissus animus vulpabili quadam patientia non tam optat, quam expectat futura bona. Qui verò feruentior est, ardenti fertur desiderio, repositam plenitudinem furtim, & ex parte deflorare tentat.* Equidem vidisti sæpè hominem sic cibi auidum, vt semel appositas in mensa escas videns nõ se temperet, quin acurrat statim, & vel furtim frustula rapiat, quibus pleniorem saturitatem expectet. Sic feruens desiderium, sic bonorum cœlestium auiditas nescit quiescere, sed quibus modis potest, repositam plenitudinem saltim furtim deflorare tentat. Ast qui languidus est, non tam optat, quam culpabili patientia expectat, vt in fluant in os eius bona cœlestia, & sic in suo desiderio miserè perit. De forti fœmina aiebat, Prouerb. 31. *Digiti eius apprehenderunt fusum.* Quæ verba sic in rem præsentem ponderat Augustinus, sermone 217. de tempore: *Diligenter attende in lanificio duo instrumenta colum, & fusum, in colo quidem lana inuoluta est, quæ filo ducenda transeat infusum. Quod in colo inuolutum est adhuc in sinistra est, & non dum in fuso, quod in fusum collectum est, iam præteritum est. Opus ergo tuum in fuso sit, non in colo. in colo enim est, quod facturus es, in fuso, quod feceris.* Itaque non in solo proposito maneas, si potes, sed in opus exire procura.

(2)

*Textus.* Intertogabat autẽ eum multis sermonibus : at ipse nihil illi respondebat: stabant autem Principes Sacerdotum & Scribæ constanter accusantes eum.

## §. XVIII.

*Maxima & diuinissima Christi Domini virtus aduersus inimicos, quòd inter calumnias taceat, nec proferat signum suæ diuinitatis.*

CAlumnijs mille à rabidissimis hostibus petitus Dominus apud nefarios iudices tacet, nec petita, & expetita diuinitatis signa profet. Quid ni? Tacens consentire videtur? Abiit, imò vt rectè
*Ambros.* D. Ambros. serm. 49. *Non planè recusationem suam tacendo Dominus confirmat, sed despicit non repellendo.* Expendo illud, despicit, enim verò aliquando nocturnis tenebris, popularique dissimulatus habitu Rex perambulabat ciuitatem, inuenitur à custodibus, siue à militibus, irruunt in hominem omnes, pugnant aduersus illum. Ipse verò è contrà tacitus, nullumq; præbens signum, quo possit cognosci, strenuè in illos versat gladium, eatenusque tacet, & ignotus agit, quatenus nihil sibi ab illis timet, sed omnia illorum arma contemnit. Qui infirmus est, ne lædatur statim vel voce, vel alio signo se prodit: atqui fortior, & superior est, nil magis inter pugnas satagit, quam tacere, ne signo aliquo cognoscatur. Papæ ibi silentium, non argumentum infirmitatis est, sed virtutis,
*Iob. 3.* sed fortitudinis, qua omnium despicit pugnantium arma. His apud Iob capit. 31. gloriatur Christus Dominus: *Si expaui ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum deterruit me, sed non magis tacui, neque egressus sum ostium.* Ecce vobis Princeps pacis habitu inuentus vt homo, dissimulatus forma seruitutis, à suis, à domesticis, à feris hostibus inuaditur, venenatæ gladijs linguæ, at ipse medius inter spicula, inter calumnias hoc curat, ne voce, aliove signo se prodat, nil sibi à tantorum exercitu inimicorum timens.

Hinc Diuus Gregorius Moral. lib. 22. *Greg.* cap. 16. premens illud, neq; egressus sum ostium, inquit: *Non est egressus Dominus ostium, requisitus à Pilato tacuit, atque inter persecutorum manus, & corpus passioni obtulit, & resistentibus noluit demonstrare quod erat. Vnde eitam per Psalmum, posuerunt me abominationem sibi, traditus sum, & non egredibar. Egressus esset, si occultam maiestatem suam ostentare voluisset, sed quia infirmitatem prodidit, potentiam abscondit in eo, quod persecutoribus incognitus mansit, ad eos minimè exiuit.* Eorum rabiem parui pendit, & despexit, qua nec adductus fuit, vt timeret sibi, & sese proderet, vel voce, vel diuinitatis alio signo. Non humana hæc virtus, & fortitudo, sed, prorsus diuina, vt meritò dicat Tertullin. lib. de patient. *Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de im-* *Tertul.*
*patientia hominis imitatus est, hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuissis, patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret.* Quis homo tantis inuasus furijs non proderet sese, & ecce tibi Dei filius sub carne hominis latet, nec inde potest adduci mille calumnijs, mille sputis, mille doloribus, vt se prodat, satis profecto proditus, quandoquidem solus Deus id potuisset.

*Textus.* Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.

## §. XIX.

*Maximum in creatis miraculum est, quod ambitiosi homines non gerant morem Regi, etiam aduersus Deum.*

CVR non spreuisset exercitus, quem Rex spreuerat? Equidem vbi Dominus nullum virtutis suæ signum dare, nullum statuerat miraculum efficere, necessum erat vt uniuersus exercitus morem Herodi gereret, & sperneret Christum. Equidem Ariolus ille Balaam, Numeror. 24. vocatus à Balaco Rege Assyrio contra Israelem, monitus à Deo fuit, dilecto populo malediceret. Is verò cum

Deum noſceret ſibi interdicentem Iſraelis maledictionem, & Regem etiam videret, ad eam hortantem, non maledicere auſus, dedit Regi peſtiferum in Iſraelem conſilium, quod cum præſtaret, ſic Regi, & Principibus dicit apud Ioſephũ, lib. 9. antiquit. *Balace Rex, voſque Madianitæ, quandoquidem neceſſum eſt, vt vel præter Dei voluntatẽ vobis obſequar, &c.* Eu peſsimus homo, & verus tenebrarum Principum Prophetes, ſiccine neceſſarium prædicas coli Reges à ſuis etiam aduerſus Deum? Meritò enim Babylonis ille Imperator, Daniel. cap. 3. non tam ſtupebat ardẽtem fornacem tribus pueris peperciſſe, quam mirabatur, quod tres pueri à regia voluntate deciſcerent, quaſi maius miraculum eſſet, quod homo à Regis voluntate, quam quod ignis à natura ipſa deficeret. Sic enim totus ſtupefactus inquit: *Benedictus Deus eorum, Sidrach, Miſach, & Abdenago, qui miſit Angelum ſuum, & eripuit ſeruos ſuos, qui crediderunt ineum & verbũ Regis immutauerunt.* Expende illud, & verbum Regis immutauerunt, non enim glorificat Deum, quod pueri media in fornace viuerent, quod ipſi incolumes canerent, dum combuſti Caldæi lugerent, id ſolum ſtupet, id miratur, pro eo Deum glorificat, nimirum quod pueri in curia verſati, & in regia nutriti verbum Regis immutauerunt propter Deum. Ad hæc D. Chryſoſtomus homilia 18. ad Corinth. 1. *Quid dicis Rex? contemptus es, & admiraris, qui te contemnunt? Certè, inquit, ex contemptu mei admirationem capio. Itaque non propter ſignum tunc Deus tantum glorificatus eſt, ſed propter eorum, qui in fornace miſsit ſunt, propoſitum.* Id ſupra omne miraculum excreuit, ſupra omne ſignum apparuit maximum, non quod flammæ mutarint naturam, ſed quod regiæ nutritij Regis verbum immutarint, & verbum Deum laudarint. Sed huiuſmodi miracula non apparent in domo Herodis, vbi Chriſtus Dominus ſuæ potentiæ noluit exhibere ſignum. Ideò ſerpente Rege, nemo fuit in toto exercitu, qui a Rege deſciuerit, qui non ſperneret Chriſtũ. Vt enim monet Nazian. Apolog. 1, *Neq; vel pannus tinctura ita facilè cõtrahit, vel is qui fœdido odori proprius ſeſe adiungit, eius particeps fit, vel vapor morbidus, & noxius pari facilitate in aerẽ diffunditur, ac per aerẽ animãtibus impertitur (quã nos peſtẽ dicimus) vt ſubditi præfectorũ vitio celerrime imbui, atque impleri ſolent.* Hæc ille. Supra cap. 2. paragr. 14.

## §. XX.

### *Prophanis Eccleſiaſticorum veſtibus maximè illuditur Chriſtus Dominus.*

QVAS illuſiones non patitur Chriſtus Dominus à viris impijs? Illuditur ſputis, illuditur contumelioſis verbis, illuditur viſtibus. Sed vt rectè notat Diu. Anſelmus: *In ſuis veſtibus non illuditur, ſed in his, quæ propter peccata noſtra portat.* Nimirum in veſtibus, quas ab Herodis regia ſumit, in his maximam illuſionem ſuſtinet. Quid plura? Toties in veſte illuditur Chriſtus Dominus, quoties Eccleſiæ alumnus à curialibus, ſiue regijs veſtium ediſcunt lenocinia. Equidem vnus Diu. Laurentius Iuſtin. id modò lamentatur de triumplali Chriſti agone cap. 13. dum inquit: *In veſte toties illuditur Chriſtus, quoties qui præſunt in Eccleſia pretioſarum veſtium apparatu nitent, & tranſitorijs proſperitatibus delectantur. Nempe Domino teſte, qui molibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt, vbi, oro, mutato habitu, illuſus eſt Chriſtus? Nonne in domo Regis Herodis, & Pilati Præſidis? Iam attende palatia præſulum: ponunt ſigna ſua, ſigna ſericis apparatibus ornantur, pretioſis veſtimentis induuntur, famulorum vallantur multitudine, & quod ſine mœrore dici non poteſt, domus, quæ egenorum eſſe receptacula debent, Imperatorum palatia indicantur.* Proh ſæculorũ omniũ leues! quãdo non illuditur, & ſpernitur Chriſtus his veſtimentorum luxibus? Ecce hodie à domibus Regũ, à prophaniſſimis hominibus ſumũt Eccleſiaſtici viri, quo in veſte illudant, & ſpernant Dominũ Chriſtũ. Illius fuit, & contemptus, & ſpretus Dominus in veſte accepta de domo Herodis, modò contẽptus eſt in veſtibus Eccleſiaſticorum peregrinis. Tunc contemnebat exercitus rabidiſsimorum hoſtium, nunc contemnunt pacifici, & familiares viri, & vt loquitur Iſaias capit. 38. *In pace amaritudo mea amariſsima.* Ad quæ libet audire Diuum Bernardum alias melliſluum, ſed modò totus felleus inquit ſermone 33. in Cantica. *Miniſtri Chriſti ſunt, & ſeruiunt Antichriſto, honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidie vides, meretricis nitor, hiſtrio-*

*Anſel.*

*Laur. Iuſt.*

*Iſai. 38.*

*Bernar.*

*histrionicus habitus regius apparatus, inde aurum in frænis, sellis, & calcaribus, & plùs calcaria, quã altaria fulgeãt.* Hęc suffecissent dicta, vt nullus dehinc incũberet vestiũ luxibus, vt prudens quilibet ornatum fugeret, quo adeò offendit Christum, vt videatur deseruire Antichristo. Sed acrior Bernardus pergit dicere: *Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis advenit. Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara priùs in nece martyrum, amarior post in conflictu Hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos potest, ita inualuerunt, & multiplicati sunt super numerum. Intestina, & insanabilis est plaga Ecclesiæ, & ideò in pace amaritudo eius amarissima. Vox plangentis in tempore isto. Filios enutrini, & exaltaui, ipsi autem sperneruntme.* Ecce tibi non solum Herodiani spernunt Iesum veste alba indutum, sed & Ecclesiæ Ministri, qui à regijs, ab histrionibus, à meretricibus edisc unt prophanam vestium voluptatem & luxum. Vnde sola illa Christi Sponsa grata, & commendabilis est, quæ etsi bonorum cumulo diues, nil tamen in veste habet, quæ prophanorum redoleat fucum. De hac. Cantic. 3. dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Nullum pretiosum aroma, nullus odorus puluis est, quem non habeat Sponsa fidelis Christi, sed de illius vestibus dicitur cap. 4. *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Quid sibi vult hic vestimentorum tam nouus, & singularis odor? Nonne præ diuitis Sponsæ vestes exalassent pretiosa aromata? Cur vnũ exhibent odorem thuris? Hic diuitis, an pauperculi æditui odor est? Sane, inquit Nissen. homil. 9. in Cant. hinc speciositas Sponsæ Christi clariùs effuget: *Talis est enim odor tuorum vestimentorum, vt sit similis thuri, quod Dei honori est dedicatum.* Nihil veste prophanum, nihil à regijs, nec à meretricibus acceptum olet, omnia honesta, omnia Ecclesiastica, & digna Dei Ministro ornamenta sunt. Cantic. 6. *Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Hierusalem.* Quæ verba meditans Petrus Damianus epist. 12. ait: *Sicut Hierusalem*, inquit, *non sicut Babylon, quam vidit Ioannes ornatam purpura, & cocco, & inauratam auro, & lapide pretioso, & Margaritis. Babylonem sane Diabolus, Hierusalem inhabitat Christus. Illi luxuriantis amictus varietate reficitur, hæc asperis, & humilibus.* Nec volim nimis scrupulosus haberi, cum sic vestium cultus in religiosis viris abominor, quando vel purpuræ splendor Regibus turbas mendacium spiritum allicit. Sane 3. Regum 2. dicitur: *Rex autem Israel, & Iosaphat Rex Iuda, sedebit vnusquisque in solio suo vestiti cultu regio in area iuxta ostium portæ Samariæ, & vniuersi Prophetæ prophetabant.* Et quid prophetabant? prophetanbant, inquam, ingentia mendacia, vt paulò inferius affirmatur. Etenim regalium vestiũ cultus in suos Ptophetas spiritus mendaces traxit. Sic Petrus Damianus, vbi suprà, fatur: *Auctor quippe mendacij fucati cultus delectabatur illecebris, & adumbratæ decoris aspectu per ora prophetantium officinas fabricauerat falsitatis.* Hæc delicata vestis in Regibus, quid in viris Religiosis faceret?

Sed esto splendidas vestes reliqueris, humilem & abiectum induas pro Christo Domino habitum, caue ne vili tunica, & indecora Dominum illudas amplius, quam si ornamentis efferaris aureis. Et quidem sunt, qui in sordentibus vestibus maximè Christum offendunt nimia, & vanitate, & curiositate. Sic Diuus Chrysostomus homilia 80i. ad Timothæum, inquit: *Tanta est tenuis habitus cura, tantaque exquisita diligentia, vt omnem aureum cultum facilè transcendere videatur. Vbi enim pulla tunica fuerit, & pectori cingulo diligenter adstricta, vt neque nimium turgens in latum excedat, neque tenuè astrictumque immodicè contrahatur, verũ seruato medio inter vtrumque modò rugos circa pectus intendant pariles quam sericæ illecebram hac arte non superet?* Minùs forsan illuderes aliquando Christum Dominum veste quauis alia, etsi splendida, etsi peregrina. Heu quam serpit hæc lues, & intra clausstrorum septa grassatur vbi in pullis tunicis, insordenti veste tam exquisita cura, & diligentia est, vt quemuis transcendat aureum cultum. Vtinam hi sericis vterentur, magna enim Domini illusio est, sordentem misterj habitum præferre, virginalem ostentare tunicam, & sponsorum curis incumbere. De quibus meritò Diuus Hieronymus ad Eustochium: *Omnis*, inquit, *hic cura de vestibus si bene oleant, vt pes laxa pelle non folleat, crimines calamistri vestigio rotantur, & ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia. Tales cum videris, sponsos magis existimato, quam clericos.* Sic ille. Tandem dictis accedat D. Bernar-

di sententia, quæ omnes vniuersim Ecclesiasticos nitore vestium conspicuos sic pungit lib. 3. de consideratione. *Forma hæc vestium deformitatis mentium iuditium est. Quid sibi vult, quòd Clerici aliud esse, aliud videri volunt? nempe habitu milites, quæ sit clericos, actu neutrum exhibent. Cuiusordinis sunt? cum vtriusque esse cupiunt, vtrũque deserunt, Vnusquisque, inquit, in suo ordine resurget. Isti in quo? An qui sine ordine peccauerunt, sine ordine peribunt? Aut si Deus creditur nihil in ordinatum relinquere, vereor non alibi ordinandos, quam vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Sane & pulchrè, & acutè, & verè dictum.

## §. XXI.

*Etsi parentes, bona temporalia nominis claritatem propter Deum reliqueris, nihil Deo dedisti, si vel acuminis, vel acquisitæ sapientiæ celebritatẽ non contemnis.*

EXpectabant Herodiani auream Domini orationem audire, eiusque exquisitæ sapiẽtiæ exhaurire thesauros, sed placuit Deo non per sapientiam, sed per stultitiam prædicationis trahere mundũ. Merito apud Herodem tacet Sapientia incarnata, & stulti, & stulti hominis præferens habitum, inanem eruditionis ostentationem eliminat. Et quidem Christianus erat ille spiritus, Prouerb. 30. de quo dicitur: *Visio cui loquutus est vir, cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus ait: Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum. Non didici sapientiam, & non noui scientiam Sanctorum.* Prouer. 30. Hoc est præcipuum & maximum viro, cui inest Deus, ne sibi de sapientia blandiatur, sed vbi sapiens expectatur, sese vt stultum cõtemnat. Hanc præ omnibus alijs populo Israelitico suggerebat virtutem Oseas capit. 9 dicens: *Scito Israel stultum.* Ose. 9. Vbi eleganter Rupertus lib. 4. ait: *Ad magnam visionem illum excitare intendit adhortando, vt sciat se esse stultum, quia videlicet hæc est visio, quam locutus est vir, cum quo est Deus.* Rup. Hinc arguit magnũ esse, quod quis se nosc at stultũ, quod populus littera legis eruditus suã stultitiã præferat, quia vir, cũ quo est Deus, nihil magis præ oculis habet, quã stultitiæ prædicationem. Vir in se diuinitatẽ inhabitantẽ claudens, nihil inde præstantius, nil maius præfert, quã se stultum fatuum, & omnis eruditionis expertẽ profiteri. Quo spectauit Nazian. Apolog. 1. sic aiens: *Omnia ei qui me in sortem accepit, atque seruauit, dono dedi, opes, famam, nominisque splendorem, bonam valetudinem, litteras ipsas, ex quibus dumtaxat hoc commoditi tuli, vt eas aspernarer, atque aliquid haberem cui Christum anteferrem.* Nazian. Expende, quod sibi ex litteris præ omnibus alijs rebus commodum prætendat, nimirum, quod spretis ipsis aliquid habeat, cui Christum anteferat, quasi in omnium rerum aliorum abdicatione, & aspernatione nil ageret, pro minimoque ducat opes, bonã valetudinem, generis splendorem, & alia huiusmodi contemnere, si ingenij dotes, litteras, sapientiamque non item aspernatur, ex cuius solius contemptu aliquid habet, cui Christum Dominum glorietur anteferre. Tunc enim scientia salutis est, & minimè nociua, quando non sola ostentatur, sed cum omnibus alijs virtutibus possidetur. Huc retulerim illud Dominicum præceptum Genes.: *Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno scientiæ ne comedas.* Vbi duo inter se contraria videntur præcipi, nimirum quod non comedat de ligno Paradisi, & quod de omni comedat. Qualiter de omni potest comedere, si de ligno scientiæ non comedit? Pulchre Diu. Ambros. lib. de Par. cap 12. *Plerique putauerunt posse illud intelligi, vt videatur Deus id inibuisse, ne absque cæteris solum lignũ scientiæ gustaret, non prohibuisse cũ cæteris. Scientia enim boni, & mali, si quis cætera virtutum genera consequatur, ne quaquam inutilis æstimatur.* Iam videre licet, quantum extollat Basilium suũ Nazianzenus aiens: *Hic præceptum accepit, & conseruauit, nec à scientiæ ligno notã contraxit.* Quippe qui scientiam ingenti aliarum virtutum mole obnubilabat. Pernicioſa sine dubio est scientia sine virtute, imo ipsa sola persuadetur, vt omniũ vitiorum parens. Ab hac enim incipit vitiorum inuentor serpens aiens: *Eritis sicut dij scientes bonum, & malum.* Quocirca Petr. Damianus epist. 105. dicit: *Porro qui vitiorum omnium caternas moliebatur inducere, cupiditatem scientiæ quasi ducẽ exercitus posuit, sicque post eam infœlici mundo cunctas iniquitatũ turmas inuenit.* Quod si adhuc cupis videre quid scientia sine virtute, & quid cum virtute

...te efficiat, pergit paulo inferius ipse Damian. *Iulianus Cæsar, & Donatus Martyr vno tempore didicerunt. Et ille quidem permansit in studijs, hic sequutus est vestigia veritatis. Sed ille in sapientia sua tam fœliciter floruit vt octo libros contra Galilæos (sic enim Christianos vocat) & Euangelium scriberet, Donatus autem ita desipuit, vt cælestes fastigium cum triumphalis martyrij gloria penetraret.* Hæc ille.

*Text.* Pilatus autem conuocatis Principibus Sacerdotum, & Magistratibus, & plebe dixit ad illos: obtulistis mihi hunc hominem quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullã causam inueni in homine isto ex ijs, in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes, nã remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei.

## §. XXII.

### *Vita innocens & immaculata nullis maleuolorum incursibus lauat, furentibus cincta hostibus triumphat.*

O Quam efficax Pilati argumentum pro Christi Domini innocentia! Ecce ait hic homo, & vobis Iudæis, & mihi Herodi vt reus sistitur, & nihil dignum morte actum est ei. Quis non innocens his in iudicijs liber astaret? Quis tantorum hostium incursibus cinctus inexpugnabilis euaderet? Imperterritus viueret? Beatissimus Iob hoc vno vtitur argumento, vt suam innocentiam conuincat, ait enim cap. 3. *Si expaui ad multitudinem ni-* *Iob. 3.*
*miam.* Vbi grauiter ponderans D. Greg. lib. 12. cap. 16. inquit: *Bene vt cuius constantiæ fuerit cognoscatur, quia videlicet nequaquam terret exterius numerus hostium, quẽ non deuastat interius turba vitiorum.* Quid prosint hostiles Pharisæorũ cunei? Quid Herodiani exercitus? Quid Pilati carnifices? Medijs his astat impeterritus, & inexpugnabilis Christus Dominus, & tot tantisq; circũcinctus cũ sit inimicis, nihil morte dignum actũ est ei. Sic exsufflat, & contemnit hostes, qui nulli succũbit vitio, qui omnino purus, & innocens est. Machabæorum adolescentiũ vnus pro religione patria ab Antiochi exercitu vallatus cũ crudeli religaretur rotæ, cuius diris laniaretur voluminibus, sic inquit apud D. Ambros. lib. 11. de Iacob cap. 11. *Nunc manifestius recognosco, quia rota intra rotã currit, nec impeditur. Teres enim vita sine vlla offensione in quauis passione versatur, & intra hanc quoque rotam currit.* Venustè, & eleganter rotæ machina abludit, & in Ezechielis curru illud exprimit misterij, quod rota ibi in medio rotæ visebatur. Quid ni? Rota est teres, & immaculata vita, quę medijs tormentorum rotis, medijs hostilibus curruculis, medijs furentium inimicorum circis inoffenso pede currit, Dei gloria desuper splendenti, onusta. Vnde præclare B. Ennod. comminiscebatur lib. 1. epist. 4. fatus: *Nec bonorum facem meritorum, maledicentis credendum est extingui posse constatu. Quomodo & si dente tangatur inuidi, splendor vitæ vmbram venenatæ oblocutionis excludit, actorem repetunt tenebræ quæ ad inuoluendum iubar aptantur, nitorem syderum nox infussa non obruit, ad genium claritatis proficit cum obscuritate conflictus.* Quid argutius? Non sic impij, non sic; sed tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ, adeo infirma nequitia, vt vel sibilo auræ tenuis corruat. Nonne Ierico munitissima olim stetit ciuitas? Verum vbi vitiorum corruptelæ succumbit, ad vocem fistulæ ænei eius muri expugnati miserè corruunt. Ita enim legitur Iosue 6. *Clangentibus tubis, postquã in aures multitudis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt.* Vociferantium circulos non sustinuit iniquitas ciuitatis, sed vel ad vocem fistularũ prostrata est, vt innuit Augustin. ser. 16. de temp. *Expugnabatur forinsecus sono iustorum, intrinsecus habitaculis peccatorum.* Et sane peccatorum interna malitia iam antiquitus expauet clamantium voces, quãdoquidẽ primus peccator dicebat Gen. 3. *Audiui vocem tuam in paradiso, & timui, & abscondi me.* Sed cur ad vocem timet? Cur extrinsecus aduenientes clamores expauet? Pulchre id attingit D. Chrysost. hom. 17. ibi: *Propterea protoplastus aduentum Domini secum cogitans, statim se occultauit. Quare dic oro? Quoniam videbat si-*

*Greg.*

*Ambr.*

*Ennod.*

*Iosu.*

*Augustin.*

*Gen. 3.*

*Chrysost.*

*bi truncem ad stare accusatorem, conscientiam dico.* Id faciebat interna conscientia peccati, vt vel sonũ auræ, vel sibilum deambulantis expauerit, vt hinc pateat quanta erat illius innocentia, quæ ad multitudinem nimiam clamantium non expauit, furentium accusatorũ calumnias, nequissimorum præsidum iustitia imperterrita, & inexpugnata sustinuit.

*Ioan. 18.*

*Textus.* Est autem consuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum? Clamarunt ergo rursus omnes dicentes, non hunc sed Barabbam, erat autem Barabbas latro.

## §. XXIII.

### *Periculose homo se alicui etiam vilissimo præfert latroni.*

O Vanas hominum prælationes! O vanissimas hominũ præcellentias! Ecce vnigenitus patris sibi sceleſtum, & nefarium hominem præferri sustinet, & tacet. Vbi Deus Opt. & Max. permittit postponi, & vilissimo, & nocentissimo Barabbæ, quis non timeat sevel culici præferre? Ieiunator ille, & tantarum virtutum patrator Pharisæus Luc. 18. hoc vno vitio reus despicitur à Deo, quod se latroni præferret, dum ait, *Non sum sicut hic publicanus.* Id quod expendit Diu. Chrysostom. hom. 12. in Epist. ad Timoth. 2. *Quid oro publicano deterius? At cum esset innumeris peccatis obnoxius, Phariſæusque ad solum diceret, non sum sicut publicanus iste, omnia perdidit.* Non quidem super astra se exaltauit, non super solium deitatis, non super diuinissimos thronos, non Dei similitudinem ambiuit, vni se prætulit publicano vilissimo homini, rapinis dedito tamen omnia perdidit. Bene monet Diu Bernard. sermon. 87. in Cant. *Propterea non mediocrem, non penultimum, non ipsum saltem inter nouissimo eligere locum nos voluit Dominus, sed recumbe, inquit, in nouissimo loco, vt solus videlicet omnium nouissimus sedeas, teque nemini non dico præponas, sed nec comparare præsumas.* Rex erat, maximus Dauid, quando vnus è plebe factus ante Dei arcam saltans Micholis factum contempsit dicens: *Ludam, & vilior fiam plus quam factus sum.* O verè Christi Pater! Hoc dolebat, quod etiam saltantium choros duxerit, & hoc meditabatur, nimirum non cum scurris, sed multo infra scurras populi vilescere. Vilior, inquit, fiam, non satis est, quod me cum scurris comparauerim, dhuc necessum est vt amplius vilescam, & omnium nouissimus constituar. Id quod eleganter ponderans Diu. Gregor. Moral. lib. 27. cap. 27. ait: *Quid alij sentiant ignoro, ego Dauid plus stupeo saltantem, quam pugnantem, pugnando hostem subduxit, saltando coram Domino seipsum vicit, & cum despiceretur dixit, ludam, & vilior fiam plus quam factus sum. Quasi diceret vilescere coram hominibus appeto.* Vtinam hic nobis inesset appetitus, quando quidem Dominus adeo apud homines viluit, vt nocentissimo homini postponeretur. An criminosum erat in Saule, quod omnes populares excederet, *ab humero & sursum?* Sane de Ioanne apud Matth. 11. dicitu *non surrexit maior Ioanne Baptista.* Sed ne super omnes extolleret caput, ideo capitis præcisionem passus est, quasi notans quod non per prælationem, sed per humilem æqualitatem ad cœlestia sit euolandum. Id attigit. Diu. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 68. *Quoniam igitur maior quidem omnibus qui ex mulieribus nati fuerant, erat Ioannes, caput ipsi ante donatum cœlorum Regnum preciſſum fuit.* Hinc totius perfectionis culmen ostendit Diu. Athan. in exhort. ad Monachos dicens: *Singuli vobis pateſtis omnium bonorum summam præsumere, si nullus se incipiat, in eo, quod alios præcellit efferre.* Nunquam non detrimentosa hominibus prælatio, etiam somniata, vt bene monet somniator ille Ioseph. De quo Diu. Ambros. sermon. 14. in Psalm. 118. *Quid fuisset Ioseph, si humilis non fuisset? scivit sibi ipsi obfuisse, quod prælatus erat fratribus. Prælatio armauit fratres, humilitas conciliauit extraneos. Prælatio concitauit germanos, humilitas Regem subditum fecit, vt verè quasi ex persona Ioseph, dictum putemus,*

*humiliatus sum, & saluum me fecit.* Hæc ille.

Luc. 18.

Chrysos.

Bernar.

Greg.

Ambros.

## §. XXIIII.

### *Passionis Dominicæ efficacia maxima in peccatoribus à vinculis vitiorum liberandis.*

CONFIDE homo, nulla vitiorum vincula expaueſcas, & ſi ferreis conſtrictus ſis catenis, & ſi rudentibus inferni alligatus, & ſi nigro peccatorum præpenditus compede, liberaberis, & rupto laqueo ſicut paſſer liberas obtinebis auras. Ecce tibi Dominus Ieſus vincula, & damnationem ingreditur, & omnium peſsimus latro vinculis abſoluitur, quod pulchrè ſatis *Athan.* notauit D. Athanaſ. homil. in Paraſc. *Non mihi*, inquit, *in Iudæorum improbitatem reſpice, neque quod benefactorem ſuum condemnarunt, maiorem homicidæ rationem habentes, ſed id potius intuere, quod condemnationis ingreſſus, liberationis condemnatorum quidam ingreſſus fuit.* Vix Saluator omnium condemnationis limina terit, & ſtatim datur largiſsima venia peſsimo condēnato. Nō potuerunt ferrea latronū vincula vim maximam Chriſti vincti, & condemnati ſuſtinere, niger aperitur carcer, ſoluūtur vincula nocentiū, & patet damnatis liber exitus, vbi Chriſtus Ieſus vinctus, & condemnatus cernitur. Vincto Chriſtifero Paulo *Act. 16.* Act. 16. *Suitò terræmotus factus eſt magnus & ſtatim aperta ſunt omnia oſtia, & vniuerſorum vincula ſoluta ſunt.* Vnde D. Chryſoſt. *Chryſoſt.* hom. 8. ad Epheſ. *Vides naturam vinculorū, vincula ſoluentem? Namquemadmodum mortem interemit mors Domini, ligatos ſoluerūt vincula Pauli, carcerēmque concuſſerunt, ac ianuas illius aperuerunt.* Hæc faciunt ſerui Chriſti, vbi ingrediuntur vincula, vbi carcere tenentur damnati, nocentium omniū vincula ſoluūt, vtpotè illius ſerui cuius cōdemnationis ingreſſus liberationis quidam ingreſſus fuit. Quo vincto, & condēnato latrones abſoluuntur, & vincula ferrea ſoluta iacent. Id præcinebat diuina amaſia Cant. 2. iuxta D. Ambr lectionem, *Can. 2.* *Ecce hic ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras, eminens per retia. Et dicit mihi ſurge veni proxima mea, formoſa mea, quia ecce hiems præterijt.* Ille per retia eminebat carceris pariete detentus, & hinc mihi dicebat, vt ſurgetem, vt hyemales brumas non timerem. Etenim vbi vnigenitus Dei medijs apparet retibus, nullus iam vinctus maneat, qui ruptis laqueis liber nō exeat. Ita D. Amb. ſerm. 6. in Pſalm. 118. *Amb.* *Hic ergo venit ad laqueos; ſed voluntarius, veniat ad retia; ſed ſecurus: venit ad laqueos Ieſus, vt Adam ſolueret, venit liberare, quod perierat.* Ieſu laquei Adami liberatio fuere, Ieſu damnatio nocentium hominū libertas, qua Ieſus carcerem, & vincula intrat, omnes inferni rudentibus vincti, omnes peccatorum compedibus præpediti liberi egredimur.

### *Matth. 27.*

*Textus.* Sedente autem eo pro tribunali, miſit ad eum vxor eius, dicens. Nil tibi, & iuſto illi: multa enim paſſa ſum hodie per ænigma propter eum.

## §. XXV.

### *Maxima iudicium corruptella per vxores.*

REBELLIS Angelus iam ipſe pertimeſcebat Pilati iudicium, iam non tam Ieſum, quam aereas poteſtates damnādas eſſe metuebat, & vt iudicis ſententiam flecteret, iudicis vxorem inuadit. Antiqua eſt iudicum corruptella vxor, quid ſi iudex incorruptus eſt? ſi inflexibilis? ſi ſententiæ tenax? Sanè iudicem præteri, eius adi vxorem, munera infunde, & puta tot iudicis ſeueritatem corruptam. O vxores vniuerſi iudicij corruptellæ, iudicum pestes, & lues! Vnus è iudicibus populi Sanſon quam miſerè vxoris laqueos fuit expertus? Ipſa pecuniam accipiens à Philiſtijm Sanſonem, & crine, & robore priuauit, vt eleganter dicat D. Amb. 2. Officior. *Amb.* cap. 26. *Influxit pecunia in gremium mulieris, & à viro diſceſsit gratia.* Hæc ſunt quotidiana in iudicijs damna, influunt munera in gremium vxorum, & à viri diſcedit gratia, diſcedit robur, diſcedit iuſtitia. Nemo iudex ſibi de iuſtitia blandiatur, vbi habet vxorem acceptis muneribus grauem. Nec aliter D. Maximus præſagijt innocētiam Suſannæ in iudicio probandam, niſi quod *Max.* iudicem innubilem fuerit nacta. Sic enim homil. de Ieſu accuſato, inquit. *Iudicem*

*mercetur caſtitas Danielem puerum iunierem, nec dum pubeſcentis ætatis. Multum igitur de Deo pudicitia conſequitur, cum iudicem virginem promeretur.* Etenim tunc ſecura expectauit iuſti iudicij integritatem, tunc non ſibi timet à iudice innocentia. Expēde myſterium quo Dominus daturus Petro Orbis clauum infirmāti eiuſdem ſocrui adeſt vt ſanaret illam, & ait Matth. 8. *Tenuit manum eius, & dimiſit eam febris*. Cur tangit, qui verbo poſſet ſanare? ſed cur manum eius arripit? ſane, vt iudicis familia conualeat, fœmineæ manus à Deo ſunt in accipiendis muneribus caſtigandæ. Huc ſpectat Chryſol. ſerm. 18. aiens. *Tenuit manum eius, vt quod manus præſumentis amiſerat, manus repararet authoris.* Ab antiquo fœminea manus dum præſumere properat obla ta, totam viri corrupit integritatem. Quod præueniens Saluator in familia Eccleſiæ, & Orbis Principis, nil prius curat, quam fœmineas manus, quarum ſi caueatur infirmitas, & Principis, & Reipublicæ florebit ſtatus. Do in præſenti protentum ſingulare: ex quo Claudianus cecinit Romanam fœlicitatem. Etenim dum Alaricus Romā minatur, & Roma triſtiſsimam ſpectat ruinam, ait ille lib. de bello Get.

*—— Duo quippe lupi ſub Principis ora*
*Dum campis exercet equos, violenter adorti*
*Agmen, & excepti telis, immane relatu*
*Prodigium, miramque notam duxere futuri:*
*Nam ſimul humani geminas de corpore palmas*
*Vtraque perfoſſis emiſit bellua coſtis.*
*Vtque manus vtero viridis patuere refecto*
*Romula poſt ruptas, virtus ſic emicat Alpes.*

Quando enim occultæ manus ventri ſtudētes Romæ ſeruabantur, quis eius referat mala? vt autem manus hæ auariſsimæ patuere, & caſtigatæ ſunt, cœpit emicare gloria Ronana.

## *Ioann. 19.*

*Textus.* Tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit.

## §. *XXVI.*

### *Nuditas in virtute ſtadio, & innocentiæ, & gloriæ argumentum ſingulare.*

HABES, homo, Dominum tuum in ſtadio, vt poſt mille luctas, glorioſas hominibus coronas naneiſcatur. Etvt in ſtadio ingreſſus eſt, ſic de agoniſtarum more ab omnibus ſe abſtinet; veſtes abijcit, & nudus Adam nouus crudeliſsimis flagellis aptatur. Aiebat illa 2. Reg. 6. quam *glorioſus fuit hodie Rex Iſrael diſcooperiens ſe, & nudatus eſt quaſi vnus de ſcurris*. Et quidem ironia hæc verſa eſt in verum quandoquidem Rex, & Saluator Iſrael quaſi vnus de ſcurris nudatus, & diſcoopertus glorioſam prætulit innocentiæ veſtem. Papæ de Ioſeph, qui relicto pallio aufugiebat peccatum, dixit D. Cyprian. lib. de bono pudicitiæ. *Propter tanti ſcelcris audaciam ipſas veſtes reliquit, & corporis nudi ſinceritatem habiturus innocentiæ teſtem.* O quoties nudi corporis ſinceritas animi munditiem teſtatur, in virtutis ſtadio, in vitiorum conflictu non purpureæ, non ſericæ, non aureæ veſtes; ſed nuditas innocentiæ eſt argumentum ſingulare. Ridiculus fuit Adamus Lipomano, quod nudus erubeſceret apparere Deo, cur nuditate offenderet illum à quo nudus fuerat creatus? Vtinam, & nudus perſeueraſſet, vtinam innocens ipſe eſſet, & illi præ aureis veſtibus nuditas glorioſior accideret. Rectè D. Chryſoſt. hom. de cæco nato duas componit fœminas; ſulgentem alteram aureis tapetibus, nudam alteram in theatro. *Quid, inquid, laſciuæ profuit Ægyptiæ adulterium in cubiculo? Quid primæ martyri Theclæ nocuit nudam in theatro certare? non peccauit denudata, non afficitur ignominia; ſed coronatur ſancta.* Sic athletica nuditas Chriſtiani non infamat, ſed ornat, ſed gloria, & honore coronat. Anaſtaſius Nicæ. quæſt. 38. quod Deꝰ Opt. Max. tantam adhibuerit curam, vt Aaronem veſtibus ſacris ornaret, cum Moyſi, & præſtantiori viro, & totius populi Principi nihil veſtitus attribuerit. Cur ita? *Erat quidē Moyſes illa veſte nudatus ipſe induens ſacerdotes. Moyſes enim non fuit aqua lotus; ſed lauit, non fuit vnctus oleo; ſed vnxit, non geſtauit veſtem ſacerdotalem; ſed induit ſacerdotes, vt diſcas quod ei, qui eſt ſecundum Deum perfectus, ornamentum ſufficit virtutis.* Sic verus Saluator, & dux noſter Ieſus in Prætorio nudatus ipſe tunc veſtit Angelos honore, homines gloria, filijs perditis ſtolam iubet afferri immortalitatis. Non hæc nuditas tibi, ò bone Ieſu, probroſa eſt quandoquidem innocentia es candidatus præſtantius omni lapide prætioſo, & mihi glorioſiſsima es, & immortalitatis indumenti cauſa.

*2. Reg. 6.*

*Cypri.*

*Chryſoſt.*

*Anaſt.*

## §. XXVII.

### *Christus nudus flagellis obijcitur nostrum indumentum singulare factus.*

VESTES exuit nouus Adamus verẽ berandus, vt alium nobis longe præstantiorem meditetur amictum, nempe scapulas suas, quibus ignita hostium tela obtundantur, ne nos feriamur. Ait enim Psal. 90. *scapulis suis obumbrauit tibi:* & vere Saluatoris scapulæ nos obumbrant, & obtegunt, quando flagellis obiectæ pro nobis durissime vapulant. Nonne multa flagella peccatoris? Cur modo vix attingit flagellum eius tabernaculum? Defenditur ne ficulnea veste ab Adamo excogitata, vt Dei fugeret flagellum? Absit; sed Iesu Domini nostri super scapulas omnia descenderunt flagella, quæ peccator non sentiet vestitus, & obumbratus diuinis scapulis. Marci cap. 11. veniens Dominus Ierosolymas mundum redempturus vidit ficum, & cum non esset tempus ficorum, accessit tamen ad illam. Cur, Domine, accedis ad vacuam arborem? Quid negotij cum ficu vacua? Elegan ter, & scienter Diuus Chrysol. serm. 106. inquit. *Ad ficulneam venit Christus, ad quam legitur Adam nudus confugisse post culpam. Venit ergo ad ficum Christus, vt inueniret Adam, vt nudum obtegeret pio sui corporis indumento. Cuius ficus ista non velabat, sed stimulabat pudorem.* Ecce ex tunc latitanti peccatori, & à ficu folia emendicanti accessit Dominus offerens præstantius sui corporis indumentum, & iubens foliorum vestes abijcere, suas pro indumento offerebat scapulas. Linque, peccator, folia, & super diuinis abscondere scapulis, quæ omnia in se recipient flagella, ne tu vapules. Abeste hinc vestes, non iam tegar foliis, quando me tegunt, & defendunt Christi Domini scapulæ. Bene Chrysost. dicebat videns Iesum à Maria natum, *non amplius metuimus morsus serpentis, non amplius à ficu accipimus folia, non amplius grassus Dei extimescimus.* Sunt sane Christi Domini scapulæ peccatorum indumentum singulare. Sed proh dolor! quam manifeste sese ostendunt peccatorũ indumentum diuinæ scapulæ! ea sustinent tela, his verberibus vapulant, adeo contritæ sunt, & laceræ, vt neminem fugiat sub illis peccatores omnes contegi, & obumbrari.

Psal. 90.

Chrysol.

Chrysost.

## §. XXVIII.

### *Summum diuinæ in nos charitatis argumentum præfert Christi Domini flagellatio.*

QVIS Deum adduceret, vt flagellis dorsum offerret, nisi sumus amor hominum? Eo extulerat Dei charitatem D. Zeno. serm. de F. SP. & C. inquiens. *O charitas quam potens, nihil habet qui te non habet. Tu Deum in hominem demutare valuisti: tu virgineali carceri nouem mensibus religasti.* Et columnæ diræ quis dominum religare valuit? Quis laqueis constrictum tenuit diuinum Sanson em, incudem factum cyclopum infernalium? An taurini nerui? An ferreæ catenæ? Absit. Rumperentur omnia hæc, vt rumpi solent fili sputamina. Vna charitas, vnus Dei in homines amor, & illum virgineo carceri nouem mensibus religanit, & quod amplius est columnæ strinxit verberandum. Ita Rupertus meditatus Isaacum à patre in sacrificium colligatum, inquit. *Colligauit plane Deus pater filium suũ non imbecillitatis vinculo, sed magnæ charitatis imperione oblatum calicem passionis mori dedignatus abigeret.* Infirma tua vincula, ò Iudææ, quæ minime possent Dominum ad columnam tenere; sed nec tota creaturarũ vis posset aliquid. Sane non vincula; sed sponsæ amor ligauit Sanson em, nec vincula; sed hominum amor tenuit fortissimum Dominum ad columnam ligatum, vt dicat D. Laur. Iust. lib. de ligno vitæ, cap. 4. *O charitas quam magnum est vinculum tuum, quo Deus ligari potuit, nullum vinculum filium Dei ad columnam tenere posset, si charitatis vinculum defuisset.* Sed prius hostes deficerent, priùs omnia flagella mundi cessarent, & non defecisset Dei homines amans charitas. Theophilus Alex. Epist. 3. Paschali Machabæorum demirans subflagellis cõstantiam, ait, *Quod ira persecutorũ inuenerat, patientiæ fortitudo superauit inter pœnas magis paternæ legis, quam dolores memores, lassabantur tortores, & non lassabatur fides.* Liceat parua magnis comparare, quippe Iesus inaudito flagellorum numero cũ quateretur, iam exsanguis erat, iam pene laceratus, iam munda ossa inter contusas carnes albicabant, & quicquid ferocia hostium inueniebat, inuicta patientia sustinebat, inter

Rup.

Laur. Iust.

Theoph.

dira

dira tormenta magis paternas leges, quam dolores memorat, tortores laſſabantur, & non laſſabatur Dei in homines amor.

## §. XXIX.

### *Chriſti Domini dorſum flagellis arabatur, vt hominis terra excoleretur ad fructus immortales.*

CHRISTVS Dominus ad columnam religatus à planta pedis vſque ad verticem capitis duris flagris hinc inde cõ
Pſal. 128. tundebatur. Equidem Pſal. 128. *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores: prolongauerunt iniquitatem ſuam.* Quæ verba ſic in rem præſentem Hebraice tinniunt. *Dorſum meum arauerunt aratores, & produxerũt ſulcum ſuum.* Vidiſti arua arari ab agricolis? milleque ſulcis findi ab aratoribus terram notaſti aliquando? Plane ſic à crudeliſsimis agricolis Chriſti Domini caro ſcindebatur verberum vngulis, vt dicat eius
Brig. mater, apud S. Brigittam, libr. 1. cap. 10. *Quod amarius erat, cum retraherentur flagella, carnes ipſis flagellis ſulcabantur.* Ecce ſulcis ſciſſas Chriſti carnes, ecce totum diuiniſsimum dorſum intime exaratum. D. Ba
Baſil. ſil. ſancti Gordiani paſsionem tractans, dum illum flagellis arari depingit, ſic inter flagella loquentem facit. *Lanietur corpus, torqueantur membra, ſeminate multa in me, vt multiplicem fructum metam.* Recte vbi ſe flagris arari ſentit, de his ſeminandis cogitat, quæ in mortalitatis fructibus pariant. Sed ager ille plenus Dei filius, quid aliud inter verba meditabatur? carnis crudeliſsima fiebat laniena, totum corpus ſcindebatur, longiſsimi ſulci per lacerum apparebant dorſum, quando ipſe tacens lo quebatur, arate mei corporis agrum, ſcindite virginem hanc terram, & ſeminate multa in me, vt multiplicem fructum mundo offeram. De Iſſachar dicitur Geneſ. 49. *ac*
Gen. 49. *cubans inter terminos*: Ad quæ verba Ruſi-
Ruſin. nus, ſic ait, deſcribens Ioannẽ ſuper Chriſti pectus accubantem. *Requieſcet in medio ſortium, id eſt, in medio terræ bonæ, terræ fluẽtis lac, & mel, in medio ipſius requieſcunt, quæ terra erat Ieſus fluens lac, & mel, ſuper cuius peccatus non ſolum Ioannes; ſed in Ioanne omnes diſcipuli recumbebant, & facti ſunt agricolæ.* O fœlices agricolæ, quibus adeo frugifera obuenit tellus? Lactea, & melliflua terra Chriſtus Ieſus, in qua ſancti vniuerſi recumbunt, & eius fructibus in æternum ditantur. Sed tunc quãdo terra hæc ab aratoribus profunde ſulcatur. Nunquã Chriſti pectus prædiuitem accubitum diſcipulis miniſtraret, niſi dorſum eius diris fuiſſet verberibus exaratum. Iam tunc à flagellis ſulci protendebantur in Chriſti Domini dorſo, & ager plenus æternitatis fructibus, hominibus parabatur.

## §. XXX.

### *Chriſti Domini verbera ſummi dedecoris interitum diabolo parunt.*

MIRABERIS Regem ſæculorum in prætorio nudum à vilis homi nibus, vitiorum vernulis, dæmoniorũ mancipijs crudeliter verberari. Talium ſane carnificum manibus decebat tenebrarum Principem caſtigari, vt magis illi probroſus exiſteret interitus, quando iam nõ Michaelis lancea, diuini Verbi gladio; ſed ſui ipſius mancipiorum manus trans verbera tur. Pulchre D. Leo. ſerm. 11. de Paſsion. Leo.
*Ad miſit in ſe Dominus impias manus furentum, quæ dum proprio incumbunt ſcelerì, famulatæ ſunt Saluatori.* O Chriſti Ieſu omnipotens ſapientia! Nudus ipſe in ſe furentium ſuſcipit flagella carnificum, vt illis Principes tenebrarum vapulet, flagra carnificum Chriſtianum dorſum dum ſcindunt, Saluatori famulantur, & rebellium Angelorum, quibus ſeruiunt faciunt carnificinam. Vt dicat D. Athanaſ. de Paſsion. Athanaſ.
*Immortali mortem intendens dæmon, ipſe in mortem rapiebatur; & quod peſsimum erat, à ſuis ipſius membris hoc mali illi infligebatur, quod verſutiſsimo illi in ſummum vituperiũ ceſsit. Omnino enim ſi à Domino vapulaſſet, gloriari poterat, nunc ab illis percuti quos in ſeruitutem redegerat, in omne dedecus probrumque tranſcendit.* Cœleſtia diabolus turbarat, & cum pœnas dat, accepit Michaelem vltorem, vt aliquo modo honoratus diſcederet à cœlo in ſupplicium; commouet iterum terram aduerſus Dominum, & omnino luit pœnas inglorius, non enim ab Angelo, non ab ipſo ſæculorum Rege, ſed à manibus ſuorum miniſtrorum verberum ſuſtinet infame ſuplicium. Qui dum eius parent imperio; Saluatori famulantur, & miſere Dominum ſuum diabolum caſtigant,

castigant, summoque probro afficiunt. Superbissimum Babyloniorum exercitū nocte vna Angelus Domini perimit, 4. Reg. 19. vnus à ruina euasit Senacheribus scelestissimus, & blasphemus Rex, qui post modum filiorum suorum gladijs interemptus occubuit, ait enim. *Filij eius percusserūt eum gladio.* Sed cur à gladio Angeli eripitur moriturus gladio parricidali filiorum? Id insinuat Eucherius, dicens: *Nec Angeli perijt gladio, quod erat commune cum pluribus; sed parricidio filiorum.* Etenim decebat blasphemum Regem duriori, & infamiori mortis genere perire, vt non Angelicis manibus, sed sceleratissimo, & nequissimo gladio occumberet. Dauidi prælaturo arma dabantur regia, quæ repellit ille lapide contemptus. Cur Lapidem præfert armis regijs? Chrysost. *Quia Goliath his armis non meruit interire.* Sic diabolus suorum manibus perijt, quia alijs interire non meruit.

4. Reg. 19.

*Textus.* Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circundederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum.

## §. XXXI.

### *Gloriosa homini est, tolerantia pœnæ propter peccata inflictæ.*

CVR inter tot cruciatuum instrumenta, inter clauos, inter lanceas, inter crucem, inter dura lora verberū, ad coronam eliguntur spinæ. An quia spina fuit primi peccatoris iam pœnitentis mulcta? Sane de spinis Chrysost. loquitur, hom. 17. in Genes. *Ecce maledicti monimenta, spinas, & tribulos præfert terra.* Spinas, & tribulos posuit Deus castigati, & contriti hominis monimuntum; monimentum, inquam, in gloriam, & cōtumelioſum carneis oculis. Verum, quod in veritate mille hominibus parturiat coronas. Equidem corona est nostra quæcumque pro peccatis accipitur pœna, & quodcumque peccati monimētum, etsi sordidum, non tam fœdat, quàm coronat peccatorem. Immensas in septenario numero concluſas glorias, dum expendit Nazian. Theologus, incidit in illud Genes. 4. vbi de castigando Caini scelere dicitur, *Septuplum vltio dabitur de Cain.* Quid tūc? Septenari⁹ numerus calamitosus erit? Cur pœnam, cum supplicium in numero septenario concludit Textus? Pulchrè respondi. Nazian. orat. in Pentecost. *Nam scelerum quoque pœna laudanda est, facinus Cain septies vindicatur.* Ideo parricicę supplium septenario numero denotatur, quia multi laude, & gloria dignum castigati sceleris habet pœna. Sic Nazianzenum, explicat Nizeta, inquiens. *Quoniam autem scelerum quoque pœna laudanda est, audi qui in Gen. libro habeatur; septies animadvertetur de Cain, hoc est, septuplum cruciabitur pro eo quod fraternæ cædis crimine seipsum constrinxit.* Etiam in Cain in homine sceleratissimo peccati pœna apparet illustris, glorioſoque numero exornanda, vtpote quæ etsi afflixit, dum tamen peccatum castigat, necessum est, vt mille honoris, & gloriæ coronas pariat. Vnde prudenter monet Rupert. de Victoria Verbi Dei, libr. 12. cap. 20. eos qui verum Salomonem aspiciunt in corona, qua eum coronauit mater sua in die passionis suæ. *Nolite hoc solum videre in corona eius, quod spinea sit, videte in spinis illis illud, cuius præparatoriæ spinæ sunt, coronam, gloriæ, & honoris, sicut Psalmista cecinit gloria, & honore coronasti eum.* Iam spinæ prius præseferrent quā coronam. Vbi peccaturio homini in pœnā, vbi veteris peccatorum supplicij monimentum sunt, pro coronis, pro gloria subijciuntur, gloriæ, & honoris referunt coronas. Sane Dauid peccati reus, 1. Reg. 12. regales vestes exuit, lugubrem accepit amictum, ieiunijs, vigilijs, squalore sese mulctauit acriter. Quid ni? Sub squallore, & luctu sordidus regiū splendorem amisit? Imo nunquam magis glorioſus in regni ambitu claruit. Accipite D. Saluianum de Gubernat. Dei, libr. 2. *Dauid purpura exuitur, diademate ex honoratur, totum Regem cum ornatibus suis abijcit, prouidum pœnitentem cum patrocinio ambitio si squaloris assumit.* Expende illud cum patrocinio ambitioſi squaloris, quippe ambitio, exuberans quædam gloria est, & honor excedens, nec aliter melius explicari posset luctus, & squalloris præstantia, quam per exuberantiā honoris, & gloriæ. Abijcit Dauid peccator Regium diadema, regales purpureas; sed ambitioſo, hoc est, glorioſo nimis fulget squallore, quandoquidē

Naz.

Ruper.

Saluia.

Chrysost.

id regale, & glorium est, quod in peccatorum castigationem subitur. Hinc æstimauerat Bachiarius pœnitentiam, quando epist. de recip. lapsi. premit significationem illi⁹ ciuitatis refugij, quæ in sorte Galaad dicebatur Ramoth. Deuter. 4. nimirum, *excelsa mors.* Quo circa, inquit ille. *Vere excelsa mors, pœnitentia esse dicenda est, cum mortificatis membris deducatur homo ad excelsa cœlorum. Rationabiliter excelsa nominatur quia multo nobilius est per pœnitentiã mori.* Quod iam supplicium infame? Quod dedecoris monimentum horribile? Sane si suppliciũ pro peccatis acceptatur, si dolor, squallor, si spinæ, si mors ipsa animosæ in scelerum pœnam subitur, de his præstantius, quoddam nobilitatis, & gloriæ stẽma potest effingi. Sane peccati, maledictionis crucifixæ potestati tribuit D. Athanas. de diuin. Chr. vocem illam. *Hodie mecum eris in paradiso.* De qua sic ille. *O miraculũ ingens maledictionis crucifixæ aperuit paradisum in promissione latronis.* Adeo excellens est culpa castigata, & maledictio crucifixa, vt sub eius habitu fili⁹ Dei patefaciat paradisum.

Bach.

Athanas.

## §. XXXII.

### *Christus Dominus spinis coronatus suos protegit, & aduersarios expungit.*

O Quam custodit diuinus agricola vineam suam! horribiles pro sepe circũcidit spinas, quibus, & Domini Sabaoth vineam vallat, eamque aduersarijs facit inaccessibilẽ. Merito D. Hieron. tribuit Christo Domino illud Oseæ 14. elect. sep. nimirum. *Ego quasi iuniperus cooperiens.* Etenim vt ait Theodoretus, iuniperus semper viridis est, & coma redimitur aculeata, sic Christus Dominus dum spinarum aculeis redimitur, iuniperus est nobis. *Ego*, inquit, *quasi iuniperus operiens*, quasi diceret, iuxta Theodoreti verba. *Omni studio te curabo, ab omnique pernicie tutum efficiã, & inuadentem quasi quibusdam aculeis perterrefaciam.* O semper viride lignum Christus Dominus vera iuniperi arbos. coma aculeata redimitus, spinis durissimis comatus, nunquam sanè à pernicie tutior humana vinea, quàm dum his aculeatis Christi comis obumbratur. Hæ nos tutantur spinæ, & aduersarios nostros inuadentes perterrefaciunt. Et quidem aculeatus, & spinosus ille rubus, qui Moysi inter flammas virescebat, similem aduersariorum minabatur perniciem. De quo pulchrè Philo existimans per rubum intelligi populum afflictum, sic pergit. *Enimuerò rubus fructex debilis est, & senticosus, & se tangentes vulnerat. Hic signabat exhortationem quandam, tantum non sic inclamantem præsis calamitate. Nolite succumbere, hæc vestra infirmitas est potentia quæ pangeret, & verberabit plurimos.* Hæc clamabat Philoni rubus senticosus medijs virescens flammis diuinis; sed altiori voce id clamãt spinea, & senticosa Christi Domini tempora, quorum infirmitas dum diris transuerberatur aculeis, vera potentia est, quæ punget, & verberabit inimicos. Vnde eleganter Clem. Alex. 2. Pædag. c. 8. notat, & rubum in flammis virescentem, & spinam in Christifero capite eandem potentiam, & efficaciã protendisse, sic enim ait. *Quod primum per rubum visum fuerat verbum, per spinam rursus assumptam ostendit omnia esse eiusdem potentiæ.* O quàm bene respondent postrema primis: in principio, rubus in diuinis flammis visebatur, modo in diuino capite apparet spina infixa, ibi per rubum patris verbum sui popnli aduersarios deuastandos conterendosque ostendit, hic per spinam infestissimorum hostiũ vulnerationem insinuat, vt pateat, quod, & rubus ille, & spina hæc eiusdem sint efficaciæ, & potestatem dices. Fallor nisi, nisi huc respiciunt illæ Gedeonis ad viros Socoth factæ minæ Iud. cap. 8. *Conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti.* Vbi enim spineus apparuit Deus, quid aliud, quam perniciem, & contritionem protendit hostibus.

Ose. 14.

Theod.

Phil.

Clem. Ale.

## §. XXXIII.

### *Humana omnia decora, Regios titulos, coronas, splendida ornamenta, vt res ludricas, summique squalloris, & angustiæ plenas in se ostendit Christus Dominus.*

NON casu Iesus in spineam coronam incidit; sed vt Iudæos nil aliud in Messia expectantes quam temporale Regnum, & simul omnes gentes Regium splendorem, tantum non adorantes edoceat, quæ sint caduca omnia, quam ludrica, quam

quam vana, quam plena angustijs. Alexandriæ ciues, Agrippæ Herodis nepti regiũ nomen, & decus à Cæsare acceptum inuidentes, vt tantam dignitatem ludricam ostenderent, & fœdarent ludibrijs, quid non audent? Accipite Philonem, lib. in Flaccũ, sic sui Regis deplorantem ludibria. *Erat quidam puerorum adolescentumque ludibriũ. Hunc miserum propulsum ad gymasium in superiori loco statuunt, vt aspectari possit ab omnibus. Moxque capiti diadema imponunt papyraceum,* (nimirum ex iuncis marinis confictum, est enim papyrus idem, quod marinus iuncus Plinio lib. 13. cap. 11.) *pro palludamento corpori stoream induunt, pro sceptro fustum arundinis quidam ei dedit in manum; tum alij salutatum accedebant, &c.* Sic illi regiam Iudæorum dignitatem ridebant, sic regium omnem splendorem ludicrum senticosum, & vanum proclamabant. Vtinam iam inde Iudæi animo ebiberent vniuersi regni temporalis contemptum, vtinam iam inde humana decora, corona, sceptrum, omniaque splendida suspecta, & inuisa manerent mortalibus. Sed quod insensati hominis spectrum non potuit, hoc omniscia Dei sapientia perficiat. Ecce tibi Deus ipse immortalis, homo factus, imò non homo; sed opprobrium, & ludibrium hominum, papyraceo, hoc est, senticoso, & spineo diademate coronatus, arundine pro ceptro donatus, Rex salutatur, vt regias omnes glorias mundiales deducat in ludibrium. Rectè D. Laur. Iust. de Triũph. Christ. agone, cap. 14. inquit. *Hoc indicauit mediator, qui illud voluit fieri in corona spinea, ita, & in sceptro arundineo. Meritò terrena dignitas arundini comparatur, quæ exterius, & tamen infructuosa, intusque inanis est, & vacua. Quis in aspectu primo potentum sæculi non appeteret fastum? quicquid in ipso est arridere, & virescere creditur. Accede autem propriùs, diligenter considera quantis intus agitetur curis, quale etiam foris præferat germen vtique inutile, & cito periturum.* Spinea proculdubio est vniuersi orbis corona, arũdineum sceptrum, ludrica humana decora, hanc omnium mundialium gloriarum præfert idæam, qui verax est, qui falli nequit, qui omnia suis propriis vocat nominibus. Hinc æstimat humana omnia, & si splendida, & si regia Nazianzenus agens de externi hominis vilitate dum inquit. *Audacius quidem fortasse; sed vere tamen hoc dicam: Dei ludus est homo, ludus, inquam, non absimilis eorum, qui in vrbibus spectari solent; larua quædam manu, atque arte fabricata externè cõspicitur, &c.* Papæ solemnissimus ille ludus est, in quo in primis larua quædam confingitur aureis illustris armis, paludamento conspicua, crystato superba pileo. Huic laterones adduntur, hinc inde aurei iuuenes igneos agitantes equos, antecedit innumera tibicinum turba: sonat fistularum clamor suauis, perstrepunt calcibus equorum arenæ, comitatus ordinatur pulcherrimus, ruit vulgus effusus ingentem gloriam miratus. Tandem in arenam venitur, ibi confixa firmiter larua, discedunt cuncti iuuenes, acceptisque lanceis, ad laruam recurrunt singuli, crebisque ictibus tandiu iuuant illam, donec lacera, & priuata illa efficta exteriùs pulchritudine, apparent viles calami, rudes arbusti, iunca, papyracea, quibus latenter tota illa constabat machina efficta; & quæ regio venerat comitatu, in platea linquitur ad puerorum ludibriũ. Huic non absimilis ludus est homo, est, inquam, Dei ludus humana fœlicitas, ludus laruæ illi non absimilis. Splendet totus aureus diues, fulgurat Rex superbus arduus corona, potestate diuinus, illi vniuersæ parent creaturæ, Regis ad Imperium totus componitur orbis; ast breui tota hæc pompa finitur, & qui splendenti cingebatur comitatu, nil circum se aliud videt quam spicula, quam lancearum mucrones, quibus efficta illa maiestas ludibrium fit, & in corona, sceptroque tantũ apparet fragilis arũdo, diræque spinæ. Pro humanarum fœlicitatum ludus! Meritò Abacuc, cap. 1. aureos mundi Reges Satanæ appellat ludibria, ait enim. *Tyranni ridiculi eius.* Vbi legit Theodoret. *Tyranni ludibria eius.* Et subdens statim ratiionem, inquit, quia *per lusum magis quam dedita opera, & seriò etiã maxima regna deleuit.* Quasi dicat in ruina imperiorum non obstupescas Satanæ crudelitatem ingentem; sed nosce lusus ridiculos, non enim aliter accedit ad humanos splendores euertendos, quam accedunt homines ad res ludicras, ad laruarum instituendos ludos, quando inter lancearum ictus, exteriori decusso fucco, apparent calami, & papyraceæ arundines machinæ illius effictæ.

*Phil.* *Laur. Iust.* *Nazian.* *Abac. 1.* *Theod.*

## §. XXXIIII.

### *Diuitiæ, vt intra cordis ſepem detrimentoſæ ſunt, ſic extra poſitæ fructuoſæ, & vtiliſsimæ.*

AVDISTI ſæpius verbum Dei inter ſpinas deciſſum velut ſemen ſuffocari, nullumque in fructum exſurgere, & modo diuino verbo faces ſuper ponuntur ſpinarum, an vt ſterile ſcat, & ſuffocetur in ter ſpinas? Hoc crediderim intentum eſſe à reprobis agricolis, dum ſpinas conglomerant ſuper caput diuiniſsimum; at ſua illos fefellit temeritas, non enim ſpinæ, quæ aream coronant, damnoſæ ſunt; ſed quæ in areæ corde naſcuntur, hæ perdunt ſemina. Pulchrè D. Athan. de Paſsio. *Spineam coronam geſtat Dominus, vt ſolicitudines noſtræ vitæ extirparet. Quo, & ſementem verbi à ſpinis depurgatam haberemus.* O nouam purgandæ à ſpinis verbi areæ rationem! Spinæ ſemen verbi Dei ſuffocant, & ſpinæ verbum Dei coronant, vt ſementem verbi fœcunda conſeruent? Iam percipies myſterium, ſi in ſpinis illud manifeſtiſsimum oculis notes; quando enim ſpinæ in intimis areæ naſcuntur, tunc, & aream fœdant, & vniuerſa ſemina ſuffocant; verum ſi non interius; ſed exterius aream cingant & coronent, tunc pro vallo, & ſepe ſunt fortiſsima, quæ aream cuſtodiant, & ſemẽtem tutam, & fœcundam conſeruent. Sic ſollicitudines vitæ noſtræ, ſic ſpinoſæ diuitiæ, ſi intimis radices agant præcordijs, venena ſunt, peſtes ſunt animorum noſtrorum populatrices, in nobiſque diuini verbi ſemen, vt ſpinæ ſuffocant, lacerantque: at ſi non in corde; ſed extra habeantur, tũc validiſsimæ ſunt, quas nulla bellua nocitura pertranſiet. Accipe modo Satanam maximè querulum, quod nequiret Iobum expugnare, ait enim. *Numquid Iob fruſtra timet Deum? nõne vallaſti eum ad domum eius, vniuerſamque ſubſtantiam per circuitum, operibus manuum eius benedixiſti, & poſſeſſio eius creuit in terra?* Ecce tibi diuitiæ ſpinæ ſunt, & promptiſsima inſtrumenta Satanæ ad perdẽdas animas, quis diues ſaluabitur? nõne faciliùs camelus acus foramen, quam diues cœlum intrabit? Et tamen Satanas queritur ſe impeditum à diuitijs Iob, cur ita? Expende illius verba, & rationem attinges, nimirum inquit, *vallaſti eum vniuerſamque ſuſtantiam per circuitum*. Etenim nõ in corde, non intimis præcordijs infixæ erant diuitiæ, ſed exterius pro vallo, pro ſepe; non intima fœdabant; ſed exteriora coronabant, & circumcingebãt eo vallo, quem nulla bellua trãſilire potuiſſet. Huc reſpexit D. Aug. Pſal. 103. conc. 4. dicens de Iob: *Repulſus eſt tentator, obſeruatum eſt caput eius, penetrare non potuit ad cor. Muratam ciuitatem foriuſecus, oppugnauit, ſed non expugnauit.* Sane Eccleſ. 7. *Vtilior eſt ſapientia cum diuitijs, & magis prodeſt videntibus ſolem.* Sed iam ſcire cupis qualiter ſapientia ſibi vtiles reddat diuitias, & facere poſsit, quod res adeò exitiales ſint proficuæ. Id quod inſinuauit Salomon in Prou. 14. dicens. *Sapientum corona diuitiæ eorum.* Quaſi diceret non cordis intimo theſaurizatæ, & occultatæ; ſed exterius coronantes, & per circuitum vallantes diuitiæ vtiliſsimæ ſunt, & valde proficuæ.

[Athan.] [Iob. 1.] [Aug.] [Eccleſ.] [Prou. 14.]

## §. XXXV.

### *Anguſta via ſpinis, & tribulis plena omni homini, & vtilis, & arripienda.*

SERPENTINOS morſus, vt curaret ſerpens factus Dominus in ligno exaltatur, ſerpens, inquam, fit, qui antiqui ſerpentis malo medicinam apponat, ſerpẽs veteris antidotus, & hominum generi in primis ſalutaris. Ille, vt homines à recto deuiaret, ad fructus pulcherrimos allexit; hic, vt recta homines aſſereret in via ad horrentes ſpinas, & tribulos traxit. Pulchrè alibi datus Naz. aiebat. *Papæ quam magnus eſt homo, ſi ſerpentis in morem exuta ſene ctute hic ſeſe in altum extulerit.* Expendo illud: ſerpentis in morem: etenim decantatiſsimus hic mos eſt in Aquilis, quæ ſeſe exuta ſenectute renouant, cur ergo Theologus nobis non Aquilas poſuit in renotionis exemplum, ſed ſerpentes? An quia ſerpenti modus eſt ſingularis, quo ſe renouat, & hominibus præcæteris accomodatior? Ita ſanè: ſerpẽs enim vt ſenectutem exuat, ſibique nouam acquirat iuuentam, vias quærit cauernarum arctiſsimas, vepribus ſpiniſque anguſtas, & inter vepres anguſtiaſque primi ortus operculum (vt ait Nazia. Scholiaſtes) exuit, & noua ſe iuuẽtute conde-

[Naz.]

condecorat. Hinc diuinissimus serpens Iesus, vt primi ortus operculum discuteret, vt veterem hominem ab homine exueret, vt in cœlestis vitæ nouitatem homines assereret, caput spinis, tribulisque dedit, & ab spinarum, tribulorumque angustijs docuit nouitatem vitæ exhauriendam. Hac item gradiendum est homini illi, qui & senectutem exercere, & iuuentutem induere velit, vna hæc tibi restat via, qua renoueris, nimirum per spinarum tribulorumque angustias. Scite pronuntiauit Psaltes suam per spinas renouationem, quando dixit Psalm. 31. *Conuersus sum in ærumna mea; dum configitur spina.* Expende quando accidit interioris hominis renouatio, quippe dum configitur spina. Hæc vetustatem vitæ deleuit, & nouitatem suggessit. Ibi D. August. *Quid factum est cum configeretur spina? Datus ei sensus doloris, inuenit infirmitatem suam. Et ille, qui tacuerat confessionem peccati sui, vt clamando in defensione peccati sui inueteraſceret virtus eius, id est, ossa eius conuerterentur in vetustatem, modo quid fecit confixa spina? Peccatum meum cognoui, si ille cognoscit, & ille ignoscit.* Sanè nunquam inutilis spina, nulli non commodæ angustiæ sunt. Vanus est, qui in nouitatem vitæ ambulare nititur sine spinarum, tribulorumque angusto. Premebat aliquando Naz. illud à Domino dictum. *In domo patris mei mansiones multæ sunt*, simulque numerabat plurimas ad cœlum vias, quarum omnes non omnibus erant: non enim omnibus placet vita eremitica, non omnibus apta est diuinarũ rerum contemplatio, paucis arridet cœlibatus, ideo plurimæ sunt viæ, vt quisque sibi magis consentaneam teneat. Hinc illemonet. *Quo circa ad quod quisque vitæ genus natura sua proclivior est, hoc sanè suscipiat. modo hoc omnibus curæ sit, vt angustum capessant. Vt enim non omnibus idem cibi genus arridet, ita nec Christianis omnibus vnum, idemque vitæ institutum conuenit. Quamque omnibus in vniuersum optimæ, vilissimæque sunt lacrymæ, vigiliæ, labores; optimus item affectus rabiem coercere, inglubiem profligare, sub potenti Christi manu humiles animos gerere, diemque aduentantem extimescere.* Hæc ille, vbi vna sola spinarum angusta via omnibus conueniens est, omnibusque capessenda, qui vetustate depositâ certum beatæ vitæ tramitem sequi velint.

Aug.

De diuersorũ vicæ gerum beatit.

## §. XXXVI.

### *Christi spinæ mentem in oratione coercent, & hi de dono orationis.*

QVIS est ille, qui mentem in oratione diu quietam possit tenere? Audiuit Drogo Dominicam querelam, qua discipulos suos pungit, dicens: *Sic non potuistis vna hora vigilare mecum?* Vnius horæ vigilias à nobis expectat Deus, & queritur quòd non sit, qui mentẽ vna hora quietã teneat. Vnde ille. *Quis autem est Domine, qui tecum vna hora vigilet? Etiam in cœlo non est factũ silentium; nisi quasi dimidia hora, quãto minùs in terra vna hora vigilabimus tecum?* Sanè difficillimè humana mens quieta silet, vix cum multo labore intra se coërcita quiescit; vt meritò addat Petr. Dam. ser. in Vig. Nat. *Non puto, quod ille, qui clausit cœlum oratione, clauserit animum à cogitatione; vt facilius sit cœlum obseruare, quam animum.* Illi tamen Dominus cum spinarum vallum per circuitum opposuit, quem minimè transilire queat. Ita D. Athan. inquit. *Spineam coronam gestat Dominus, vt omnes in securitatem assereret, quod in precibus mẽtem in conuulsam possiderent.* Tanto opus fuit vallo, vt mens humana sese quietà in precibus contineret, spinis Dominicis debet quicumque vagationem non patitur mentis. Iam hoc præmõstrauerat Gen. 22. aries ille, quem sacrificaturus Abraham vidit, *hærentem cornibus inter vepres.* Alioquin vagaret aries, nec facilè sacrificio sisteretur, ni vepres illum prehenderent, & ne aufugeret, detinerent, quia similiter Dominicæ spinæ mentem humanam coercituræ erant, ne in oratione vaget inquieta. Quod Christo Domino tribuit D. Amb. lib. 1. epist. 5. sic loquutus. *Aaron quidem se mel fletit in medio eorum, obijciens se, ne mors transiret ad viuentium agmina, à funeribus mortuorum* (Quod factum est Numer. 16. vbi ignis vorabat rebellem populum.) *Hic autem Iesus quasi verbum semper stat in singulis, quem nos non videmus; intra nos separans rationabiles virtutes à cadaueribus passionum lethalium, & pestilentium cogitationum.* Ni enim Iesus nos custodiret, imo insuperabili sepiret vallo, pestilentes cogitationes virtutem animæ penitus inficerent. Nonne hoc putas maximum à Iesu

Drogo.

Apoc. 8.

Athan.

Gen. 22.

beneficium? Sanè Paul. 1. ad Cor. 7. eâ virginibus tribuit gloriam nimirum. *Virgo cogitat quæ Domini sunt.* Adeo magnum est, quod cogitatio nostra in Deum tranquille feratur, vt id solum sufficiens esset præmiũ virginitatis. Ita D. Hier. libr. 1. aduers. Iouin. aiens. *Vt nihil aliud esset, vt nulla merces virginem amplior sequeretur, sufficeret ei hæc sola prælatio, cogitare quæ Domini sunt* Qua si intenta ad Deum cogitatio, arduæ virginitatis sit, & præmium, & gloriam singularis. Cum enim dicit Psalt. 5. *Mane stabo tibi.* Sic Cyril. in Caten. Gre. addit. *Tanquam ingens gloria de castitate adducitur, quòd statim acubili Deo, & Regi astet: & solem inagendis gratijs percurrat.*

## *Joann. 19.*

*Textus.* Exiuit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis. Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoscatis, quia nullam inuenio in eo causam. Exiuit ergo Iesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum, & dicit eis: Ecce homo.

## §. XXXVII.

### *Humanarum delitiarum, & bonorum insigne est Dominus spinis & vulneribus obsitus.*

SISTE homo, & vide quibus accubes delitijs, perpende, quæ te circundant bona, quippe spinæ sunt, tribuli sunt, quæ te in mundo tenent, spinæ sunt tibi in amore, in voluptate, & nihil aliud circa te inuenies ptæter spinas. Huius rei manifestum exemplar asseritur, in capite Domini spinis, vdquaque vulnerato, quo oculis se pandit mortalibus. Pulchro id exemplo prosequitur Hugo Cardin. in cap. 2. Cant. inquiens. *Hug.* *Fecit Dominus sicut canis venaticus, qui feram insequens caput intra spinarum aculeos immittit, non timens exulcerationem, vt feram capiat. Ecclesiam quasi feram intra spinas latitantem extraxit; sed punctiones spinarum vsque ad sanguinis effusionem sustinuit, in cuius signum spineam coronam portauit in capite.* Hæc ille; & sanè nullares ne exprimit asperas ferarum latebras, sicut venaticus canis cum ab illis spinis obsitus, & totus laceratus apparet. Is optimè demonstrat quibus lateant feris cubiculis, quàm spinosis, quanta asperitate, & malitia plenis. Vis homo videre mundialium voluptates, & gloriæ quàm scateant tribulis? quàm aculeatis cingantur stimulis? Ecce diuinus canis à cœlo dimissus, vt homines à voluptatum tyrannide, à mundialium gloriarum vanitate abstraheret, foras exijt totus spineus, totus dilaceratus, infixisque cruentatus vepribus tibi sistitur. Quid plura? Sic D. Ambr. libr. 1. de Cain, & Abel, cap. 4. voluptatis domum, seu latebram definit. *Nitebat aula regio luxu splendida, cælatis parietibus, & solo humedo natabant pauimenta vino. Flagrabat vnguento humus, spinis cooperta, & marcentibus iam floribus lubrica. Illic comessantium tumultus, concertantium clamor, litigantium cædes, ridentium cachinus, lasciuientium plausus, confusa omnia naturæ ordine. Ipsa in medio stans voluptas. Bibite, inquit, & inebriamini, vt cadat vnusquisque, & non resurgat.* Hoc in confusionis chao, hoc in nigro antro, vbi nullus ordo; sed sempiternus horror habitat, vbi cedes, contentiones, casus, & ruinæ pullulant, vbi marcentes flores, vbi omnia operiunt spinæ, & tribuli, latitant mundiales gloriæ, & delitiæ. Vt meritò dicat Bernard. sermon. 48. in Cant. *Plenus est mundus spinis: in terra sunt, in aere sunt, in carne tua sunt. Versari in his, & minimè lædi diuinæ potentiæ est, non virtutis tuæ.* Sed, & diuina virtus dum hominum ferales mores insequitur, dum nos à vitiorum latebris in filiorum adoptionis lucem extrahere nititur, spinarum punctiones non deuitat, imò totus spinis irretitus, laceratus manifestè indicat, qualia sint peccatorum suffugia, & latibula. In voluptatis loco, in medio ligni paradisi latitantes primos peccatores insequitur Deus, quasi à longe clamans. *Adam vbi es?* Iam ex tunc latebrarum angustias, & latentis, inter ligna voluptatum, extremam notans miseriam. Sic D. Grego. P. in 1. Reg. c. 9. dicit. *Adam vbi es? quasi dicat, quia te in luce qua posui non inueni, demonstra te vbi posuisti.* *Ambr.* *Gregor.* Dic quib⁹ voluptatis tuę lignis tegeris, quibus naguſtijs premeris, quem in vepretum decide-

decideris. Sic hominis inter ligna paradisi asperum, & aculeatum, miseriarumque plenum suffugium Deus verbis notabat, cum latentem in sequitur. Et nunc homine iam apprehenso, non in condensa ligni; sed foras egrediens spinis transfossum ostendit caput, totumque lacerum corpus ipso spectaculo clamans. *Ecce homo.* Ecce vbi se homo coniecit, ecce voluptuosi horti ligna, quibus medius homo à principio latitat: ecce in quibus fugitiuus à Deo cubat peccator, quos illi voluptates parant accubitus, nimirum, spinas, tribulos, lanienas, quibus miserè perit.

## §. XXXVIII.

### *Glorioſiſſimum Chriſto Domino quod homo prædicetur in præſenti, quidem glorioſum hominem patientia facit.*

ATTENDE verborum Præsidis ingens mysterium, *vt cognoscatis*, ait, *quòd nullam in eo inuenio causam: Ecce homo*. Dixisset nefarius iudex ecce Deus, ecce vnigenitus Patris, ecce patrator miraculorum, ecce mortuorum vita, & sic viri illius clarius ostenderet innocentiam. At omnibus his prætermissis, vt ostendat, nullam in tali viro culpam inueniri posse, spinatum diris vepribus, crudelibus verberatum flagris, & totum dilaniatum vulneribus tacentem Iesum adducit, & dicit Ecce homo. Et sanè nullo tunc nomine amplius honestaret Iesum, eiusque necessariam, & diuinam munditiem ostenderet oculis Iudæorum rebellium. Argutè Tertul. lib. de Patient. ait de Christo Domino. *Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est; hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis.* Quid illustrius in Christo Iesu? Quod ingenitæ præstantiæ argumẽtum clarius? In figura hominis latet, homo est, & inter verba, inter spinas, inter contumelias, interlanienam totius corporis nihil de impatientia hominis imitatur. Ecce homo, qui inter inaudita tormentorum genera nihil exhibuit humanæ infirmitatis, quo nihil innoxius, nihil purius quiuit excogitari. Meritò Ioan. 11. dicebat Dominus passionem ingressurus, *nunc glorificabitur filius hominis*. Et qualiter nunc glorificabitur? an suæ Deitatis gloriam antiquam manifestans? an vt in Thabor rutilans splendenti facie? Id explicat Cyril. Hierosol. Catechesi. 11. dum ait, *non quòd prius non habeat gloriam, glorificatus enim erat ante mundi constitutionem, sed glorificabatur tanquam Deus semper, nunc verò glorificatus est patientiæ ferens coronam*. Etenim hæc maxima, & singularis hominis gloria, quòd patientiæ corona redimiatur, hoc humanæ excellentiæ præconium præstantissimum Deus æternum glorioſus apparet, verum filius hominis tunc in primis glorificatus est, quando homo nihil de impatientia hominis exhibet; sed patientiæ in se refert coronam. Hinc præses stupet Iesus, & prorsus innoxium, imò sanctum, & glorioſum putat hominem quem nec ærumna commouet, nec flectit iniuria, nec dolor concutit. Sic viros illos Abraham, & Isaac stupebat gladius, de quibus sub incredibili patientia gaudentibus, sic D. Zeno, serm. de Patient. loquitur. *Sub tanto non dicam humanitatis; sed ipsius naturæ metu læti sunt. Soli cedit affectus pietati, pietas religioni, fauet vtrisque religio. Medius stupet gladius nullo impedimento suspensus, mactatione terribili gloriam se præstitisse non crimem.* Ecce modo Iesus in tanto naturæ metu imperturbatus, media in sui corporis laniena inuencibilis stupet, Præses; stupent cruciatus nullo impedimento suspensi, mactatione terribili gloriam se præstitisse, non crimen extorsisse. Cur, Pilate, inceptam Domini non consummas lanienam? lacerum innocens corpus verberibus, confossum vndique spinis venerandum caput, contrita membra omnia cur seruare tentas? à quo impediris ne prosequaris pœnas? Sanè stupent tormenta nullo impedimento suspensa se gloriam præstitisse non crimen, gloriam, inquam, qua maximè prædicatur filius hominis.

Tertul.

Ioan. 12.

Cyr. Hier.

Zeno.

## §. XXXIX.

### *Humaniſsimum eſt pro alijs pericula ſubire: quibus nos Deo generans Dominus verum hominem ſe manifeſtat.*

NON Pilati solius erat hæc vox: Ecce homo, sed spinæ, sed flagra, sed

vulnera omnia ſanctiſsimi corporis id clamabant, nimirum verum hominem eum eſſe, qui talia aliorum cauſa ſubibat diſcrimina, De homine vero Ieſu aſcendente in cœlum dicebant Angeli Actor. 1. *Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis, ſic veniet.* Act. 1. Quæ verba elucidans Aug. ſerm. 179. de Tempor. inquit. *Sic veniet clauorum vulnera illæſa demonſtrans, & foraminum cruenta monilia vobis filijs ſponſi cum coronam exhibebit cœleſtis imperij, crucis vulnera non mutabit, quia ſignum filij hominis fulgebat.* Aug. Ecce vobis vbi filius hominis publicandus eſt, & dignoſcendus, vulnera eius reſeruantur, quæ clament, quæ eleta voce, euidentique præconio afferant hominem illum, qui alienæ ſalutis cauſa talia accepit. O quàm verus homo, qui etiam diſpendio ſui hominibus afferebat medellam! Quam verus homo, qui ſui ſanguinis largiſsima effuſione bruteſcentia corda in hominum humanitatem aſſerebat! Quam verus homo, qui inter homines vni ſibi aſperam, & aculeatam, alijs glorioſam geſtabat coronam! Quàm verus homo, qui ſic beſtijs terræ imperabat, vt totus laceratus à feris perſequutoribus timeretur! O quàm verus homo, qui primus in mundo veros homines inuexit! Hinc ſanè veros homines æſtimabat huius diſcipulos Tert. quod hominum cauſa nullis non traderentur tormentis. Sic enim aiebat Pſaltes, *aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem; dedit dona hominibus.* Pſal. 67. Vbi ille lib. 5. in Marcion. c. 8. legit dedit dona, *filijs hominum*, & ſubdit ſtatim, *eleganter filijs hominum, ait, non paſſim hominibus, nos oſtendens filios hominum, id eſt, verè hominum Apoſtolorum* Tert. Illi verè homines erant, qui incredibilibus doloribus ſuis nos Deo parturierunt. Eramus tenebrarum filij, iræ filij, diaboli filij, acceſſerunt Apoſtoli veri homines, quorum doloribus, & cruciatibus facti ſumus non homines paſſim; ſed filij verè hominum. O quàm veri homines Apoſtoli, qui homines veros in mundo ſuis doloribus pepererunt; homo enim generat hominem, vt ait Philoſophus! Sed verior homo Ieſus, qui vnus omnium dolores accipiens vniuerſos veros homines mundo dedit. Paulus carcere detentus vinculis alligatus Actor. 16. multam carcerarij familiam parturiuit Deo. Vnde D. Chryſoſt. homil. 8. ad Epheſ. inquit. *O beatam catenam! Quibus doloribus illa nocte parturijt? Quos filios peperit?* Chryſoſ. Ecce tibi, vt dolores, vt vincula verum hominem Paulum efficiunt generatione numeroſi examinis Chriſtianorum. Vbi vinculis irretitus, doloribus preſſus apparuit Paulus, ſtatim apparuerunt filij veri hominis, & ipſe verus homo homines veros Deo genuit. Ecce ergo homo Ieſus vinculis alligatus, ſpinis, & tribulis obſitus! O beata vincula Ieſu! ò fœlices laquei! Quibus doloribus nos generarunt? quos filios pepererunt? Attendite ad petram, vnde exciſi eſtis, vnde qui eratis bruti, qui eratis lapides, filij hominum, & verè homines facti eſtis. Ecce homo, qui mille ſui corporis lanienis generat mundo, & Deo veros homines, à quo filij verè hominis aſſerti accipimus cœleſtia dona.

## §. XL.

### *Homo ſeueriſsimus vltor iniuriarum, vnde maximè timendus Ieſus, vt homo.*

DIVINA prouidentia actum eſt, vt prætermiſſo, quod Dei erat in Ieſu, id ſolum perfidis Iudæis panderetur, quod hominis eſſe videbatur. Ait enim, *Ecce homo*: quid perniciоſius miſeris oſtendi potuit, quàm homo? Naturam hominis ideò à Verbi diuini perſona aſſũpta putat Theodorus, vt perſona diuina humanæ naturæ rigorem temperaret: ſic enim ait hom. de Natiuit. *Non enim per aſſumptam naturam hominis peccatorem abſterret; ſed perſonæ humilitate ad familiaritatem, & amicitiam prouocat.* Theod. Quippe in Chriſto Domino erat perſona diuina, & natura humana, hæc abſterreret peccatorem, qua eſt in vindicãdis iniurijs ſeueritate; ideò perſona diuina illi admiſcetur, ne deterriti à natura hominis peccatores caderent; ſed diuinæ perſonæ affabilitate illecti ſtarent. Sola enim hominis natura ex ſe horrenda eſt, & ſummopere metuenda in caſtigando. Id quod in vno Elia perſpicuè cernitur, qui populi peccatis offenſus, ait 3. Reg. 17. *Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto; ſi erit annis hisros, & pluuia; niſi iuxta oris mei verba.* 3. Reg. 17. Hæc in primis comminatus eſt ſibi vindictam peccatum reſeruans, quos extrema fame ſeueriſsimo iudicio premebat. Tandem fame ipſe afflictus ad viduam, à qua panem accepit, dicebat: *Hydria farinæ non deficiet vſque ad diem, in quo Deus daturus eſt pluuiam ſuper faciem terræ.* Ad hæc eleganti ſermone D. Chryſoſtom. inquit. Chryſoſ

*Incipit*

*Incipit mitescere, & intra se misericordiam exercere. Dicit enim, non deficiat oleum, donec det Dominus pluuiam. Antequam fame domaretur, misericordiã in danda pluuia Deo permittere nolebat, dicens, non erit pluuia super terram iuxta verba oris mei: nunc autem permittit Deo.* Et quidem vbi Deo permittitur vindicta, statim misericordia incipit clarescere, cùm autem totum supplicij ius penes hominẽ, iuxta Eliæ verba, erat, nil seuerius, nil distrius, nulla penitus misericordiæ scintilla apparebat. Quo patet seuerissimum in Iudæos, & peccatores iudicium, quando dissimulata omnino diuinitate, solum id quod hominis erat, exhibetur. Ait enim, *Ecce homo.* Heu, heu, miseri quibus nõ Deus; sed homo monstratur. O quam longè à diuina miseratione estis. Quis nõ deterretur hoc spectaculo, in quo Deus sub offensi hominis figura totꝰ latet? *Matth. 19* Equidẽ, apud Matt. c. 19. dicit quidam ad Iesum. *Magister bone, quid faciam, vt habeã vitam æternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus Deus.* Quasi diceret, non ab homine iniuria affecto expectes bonitatem, sed rigorẽ: vnus Deus est, qui inter iniurias nouit bonus iniurianti- *August.* bus esse. Ita D. Aug. lib. 1. de Trin. cap. 13. fatus. *Quid me interrogas, inquit, de bono? Id est, istam formam quam vides, quid interrogas de bono, & vocas me secundum quod vides, magistrum bonum? Hæc forma filij hominis est, hæc forma apparebit in iudicio non tãtùm iustis, sed impijs, & huius formæ visio non erit in bonũ eis qui male agunt.* Minús enim scit homo misereri, quàm Dens, vt vel ex hoc capite maximè timeri debeat homo iniuria tactus. Et quidem illud maximè expendo, nimirũ, *huius formæ visio non erit in bonum eis qui malè agunt.* Quippe hæc ipsa humana Saluatoris figura maximè in iudicio torquebit malos. Alij expauent Absalonem à quercu suspensum, & lanceà transuerberatum; ego adstupeo magis, quòd in illum lanceam contorserit Ioab; Ioab, inquam, ille amicissimus, ille qui toties pro illo intercesserat apud Dauidem patrem, 2. Reg. 28. Id quod ponderans D. Chrysostom. in Psalm 7. *Quod est admirabilius, qui patrem ei reconciliauit, is ipsum interfecit, prope modum instans vehemens accusator.* Planè ea ipsa Saluatoris figura, quæ nobis Patrem reconciliauit, nũc in iudicio, & accusabit, & damnauit, & tradet flammis.

# CAPVT IIII.

## De ijs quæ à Cruce exhibita.

LATA Præsidis sententia in Iesum fuit, nec mora, omnia ad supplicij necessaria cõfestim parantur, militũ adest cohors, tristia æra sonãt, feralis à prætorio procedit põpa, altè boant Præconũ clamores, visuntur expediti carnifices, & tãdem posti duos latrones apparet Iesus grauissimo ligni cõpressus põdere. Procedit ouans summus creaturarũ Imperator, verus Isaac ligna sacrificij reportans, Iacob præstãtior scalã præferens, qua descẽdente nullo, omnes ad cœlestia ascendere possint, alter Sãson cœlestis ciuitatis portas tollens in mõtem. Quid plura? Cõpressis lugentiũ lacrymis, cruce ad tẽpus Simoni Cyrenẽsi tradita venit in Caluariæ locũ, vbi nudus in ligno diris clauis suffigitur stratus solo. Dein cruce in altũ sublata medi' visitur inter latrones furentium hominum, procaciumque linguarum factus scopus.

## *Ioann. 19.*

*Text.* Susceperunt autem Iesum, & eduxerunt, & baiulans sibi crucem exiuit.

### §. I.

### *Animosè, & intrepidè pericula oblata, etsi grauissima amplexanda sunt.*

ECCE qui ad calicis poculum trepidabat, modò ingentem dolorum canalem nempe crucem sibi animosè, & absq; trepidatione baiulat. Crucem, inquam, baiulat sibi Dominus, qua pressus mons ipse Caluariæ quatiebatur. Nonne legis, quòd sublata in altum cruce terra tremuit, & petræ scissæ sunt? Quæ tantæ commotionis

*Augusti.* causa? Eam D. Augustinus insinuat, serm. 119. de temp. aiens. *Terra ipsa concussa à fundamẽtis suis, quasi quæ crucem Domini vix sustineat.* Tantæ molis crux erat, vt eam vix magnus mons sustentaret, quam tamen infirmi flagris Christi humeri baiulant. Quando terra, quando montes sub pondere crucis tremunt, quid sub illa pateretur contrita & lacerata Christi Domini caro? O diuinus Cipri botrus, quàm exprimebaris sub ingentis ligni grauedine! Nec tamen dubitat tam impar subire pondus; sed animosè, & intrepidè illud amplexatur. Vt eleganter dicat D. Cæsarius, dialog. 3. *Deprecabatur poculum nos instruens in pericula non insiliendum esse; sed ad ventãtia fortiter, ac viriliter esse suscipienda. Ideo crucem per meditationem æstimatam certo consilio deprecatur quidem, exhibitam verò super humeros tanquã victor tollens ibat sponte in ea clauis suffigendus.* Quis filium hominis in horto contremiscentem videns vel ad crucis odorem, crediderit in stadio animosè ab illo terribile lignum asportandum? Quis calicẽ à Domino fastiditum, & recusatum videns putarit immensum doloris pelagus ab illo superandum? Sed hæc est validissimi pectoris fortitudo, quæ non insilit in pericula, imò quoad potest pericula refugit, verùm periculis expositа intrepidè, & animosè omnia nititur superare. Non sic vanissimi *Psal. 77.* homũciones; sed vt ait Psal. 77. *Filij Ephrẽ intendentes, & emittentes arcũ, conuersi sunt in die belli,* domi crucem cædesque minitãtur, in arena verò dama, ceruoque fugatiores existunt. De quo dam, qui Leo dicebatur, pulchrè admodum Claudianus, libr. 2. *Claud.* in Eutropium, ait illius voce.

*Me petit hic fudor, nunquam dextera segnis*
*Ad ferrum; faueat tantùm Tritonia cœptis.*
*Inceptum peragetur opus: iam cuncta furore*
*Qui grauat, efficiam leuiorem pondere lanæ*
*Tragibilum tumidum; desertoresque Gothunnos*
*Vt miseras populabor oues.*

Interea. *Ecce leuis frodes à tergo concutit vmbra.*
*Credit tela Leo, valuitque pro vulnere terror.*
*Impleuitque vicem iaculi, vitamque nocentem*
*Integer, & sola formidine sauciat effat.*

Huc adsint vanissimi isti promissores, & videant summum Imperatorem Christum in horto trementem, & refugientem lignum mortale; sed in arena factus intrepidus lignum tollit, humeris imponit, & fatigatus, sed non saciatus cruciatibus mõtem ascendit enecandus. Sic Isidorus Pelusiot. *Isid. Pelut.* libr. 1. epist. 289. *Etenim Iesus Crucem, cùm adhuc in eo pararetur, detrectabat: at idem iudicij sentẽtia cruce damnatus eam tanquam victor humeris tollens incedebat.* Sic ille.

## §. II.

### *Errantem, & infirmam Adami ouem reducturus humeris ad caules Iesus, immensum crucis pondus prius sustinet.*

QVI grauissimo ligno crucis humeros supponit, quod deinceps onus recusabit? Grauabit ne errabunda ouis humeros illos, qui crucis sustinent pondera? Imò crediderim pro paruo esse à Domino reportandam Adami ouem, ex quo lignum crucis portauit. Id insinuabat Naziãzen. orat. 2. in Pasc. vbi sic ad humani ge- *Nazian.* neris ouem loquitur. *Venit Dominus ad mõtes, & colles vbi sacrificabas, & pallantem inuenit, inuentam eisdem humeris, quibus, & crucis lignum substulit* Solent leuissimi curiores, ne in curlu calceorum grauedinem sentiant, plumbeis laminis grauare pedes, quùm de more ambulant. Item ingenti, & rudi ligno, siue arenarum facco domantur dorsa, quæ facili negotio, & sine reluctantia quotidianis oneribus aptantur. Nonne infamia crucis Iesu sublata, maius pondus habuit in diuina statera, quàm vniuersa hominum peccata? Nonne laboriosus Deo facinus, obedire vsque ad mortem, mortem autem crucis, quàm peccatori parcere? Quid ergo facilius, & leuius humeris grauissimo crucis ligno domitis, quàm infirmam, & pallantem ouem reportare? Imò à cruce lætus, & gaudens ibit Dominus ad ouem, etsi languidam, etsi mille vulneribus effossam, etsi graue olentem. Homo quidam incidit in latrones, Luc. cap. 10. à quibus grauiter percussus, & cruore, & puluere fœdatus in via relictus est. Illum Samaritanus offendit, & misericordia motus curauit vulneratum, & in stabulum portauit. Quid plura? Ait D. Anastasius

*Sinait.* sius Sinaita, lib. 11. Examer on. *Homo ille, qui incidit in latrones, fuit protoplastus Adã, neque cum vllis minis eum curauit, & gestauit humeris, quibus Iesus cruceus.* Expendo illud, neque cum vllis minis, vide sæpè pueros vulneratos, & curari à parentibus, & simul reprehēdi, & minis angi, tūc maximè cùm propria malitia in pericula inciderunt. Cuiusmodi erat homo iste sensu paruulus, qui propria malitia se latronibus confodiendum dedit, & confossus tabo, & sanguine volutabatur. Dignus sanè, qui, & reprehenderetur simul, & curaretur; at nouus, & diuinus Medicus Iesus omnino tacens sine vllis minis, nullis terrentibus vocibus vulneratum susc pit humeris, vbi crucem. Etenim vbi crucem accepit, non indignatur subire oues pallantes, & vulneratas, earumque facilè sustinet infirmitatem lætus, & placidus. Fallor nisi huc

*Patian.* respiciat D. Pacian. in Paræneſi ad pœnitent. aiens. *Propter vnius ouiculæ detrimentum cervicibus suis, & humeris Dominus non peperci integrato gregi referens peccatricem delicatam.* Quid illud, peccatricem delicatam? peccatrix delicata est anima, quæ mille vulneribus confossa, remedia fastidit abstera, ieiunia longa refugit, à flagello abhorret, grauatur oratione, pigritat in elee mosyna, ad omnem asperamque medellam tremit. Hanc à salute expellerent Medici vniuersi, quis peccatricem, & delicatam sustineret, nisi qui sustinuit crucem? Hic vnus ex quo humeros vasto crucis ligno edomuit, non pepercit illis propter vnius ouiculæ detrimentum; sed integrato gregi etiam delicatam peccatricem retulit.

*Drogo.* Hinc Drogo aiebat libro de Sacram. Passion. *Vade iam secura ouis Ioseph, Christus te portat super humerum suum. Fortis est humerus eius, noli timere.* Cur non fortis humerus, qui graue crucis pondus sustinuit? Qui tanto ponderi non succubuit? Sanè ab illo omnia reliqua parui ducit.

## §. III.

### *Perfectissimi viri cruce tollunt cæteri illam reptant.*

NON omnium est crucem tollere, sed plurimi illam reptant, qui non Christi amore; sed necessitatis, vel timoris vi pœnas dant innumeris suis peccatis. Hinc visa Domini gloria in Thabor, Matth. 17. timore perculsos, & humi deiectos Discipulos videbis, quando *accessit Iesus, & tetigit eos, dixitque eis, surgite, & nolite timere.* Quicumque sub timore est, humi reptat, & prostratus iacet, qui iubetur timore excusso sese in altum tollere, vt placiturus Deo non timeat; sed amet. Ita modò D. Anselm. prædicta præmens verba. *Cùm vos infirmitatem nostram agnoscentes humiliter iacemus, tunc virtute Spiritus sancti sancti tangimur, & ad robusta opera surgere præcipimur, quæ non per timorem; sed per charitatem faciamus.* Ille sese maximè tollit, qui per amorem, & charitatem operatur, qui amore Christi cruentam eius crucem amplexatur. Fœlices illi, quorum in manibus crux Christi non humi reptatur, & quasi per vim ægrè, & difficulter trahitur: sed sublimis effertur, hoc est, per charitatem, & amorem amplexata, quasi in altum sublata præeminet. Pulchrè Nazianz. *Beatus qui facultatibus omnibus, copijsque sui Christum emit, ac pro omnibus rũ opibus crucem habet, eamque sublimiter gestat.* Hucades tu, qui cruciformium dolorum pondere pressus humi reptas, qui & sub aquis amaricantibus mundi huius, & sub cruce prosternatus crebra mittis, & tristia suspiria. O quàm beatus eris, si didiceris qualiter crux sit tollenda. Non statim ille beatus qui crucem habet; qui crucem sublimiter tollit. Crux per vim, & metum reptata multum erit, si prosit; tunc beat portantes, & erigit, quando ipsa sublimiter per amorem, charitatem extollitur. O quàm sublimiter portabatur crux à Domino, quando eam illi non vis, non necessitas, non metus; sed summus Patris, & hominum amor impossuit! Vis scire quàm sublimiter à Domino tollebatur? Audi Drogonem sic cum Iesu crucificero loquentem. *O maxime Imperator! quomodo, aut quò portas imperium tuum super humerum tuum? Humerus tuus altus est, & pertingit vsque ad Patris confessum super omnem principatum. & potestatẽ, & virtutem.* Ecce tibi quàm sublimiter, quàm altê crucẽ portabat Christus Dominus, quando illam non tam ex Pilati prætorio, quã ex amantissimi Patris subibat præscripto, quando eam non humero timore ad terram prostrato; sed super omnia creata erecto, & ad Patrem vsque eleuato portabat. Sic altò in Deum humero, sic amore sublimi crucẽ tollamus, & prorsus inimicos superamus. Sic ille qui dicebat ad Galat. 6. *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini.* Quæ verba sic expendens

*Matth. 17.*

*Anselm.*

*Drogo.*

*Ad Gal. 6.*

Bernard. *Quid nos ad ista dicemus, quòd non sapit etiã nobis quæ pro Christo est tribulatio, quòd non gloriamur in cruce, quòd non gustamus manna absconditum? Sit gaudium in tribulatione, & non habet malignus, vnde iam alliciat, vnde deijciat. Nihil enim proficiet inimicus in eo, quem Christi crux delectat.* Ita Bernard.

## §. IIII.

### *Crux Christi eleuat, & sustentat portantes.*

MIRABAR contritam Christi Domini carnem, diriſque vulneribus confossam sub tanto crucis ligno vel gradum posse facere. Etenim post tot millia verberum, post spineæ coronæ cruciatum post vigilias funestissimæ noctis audio, & Iesus baiulans sibi crucē exiuit. Quid ni? Exibat crucem baiulans sibi, à qua & sustētabatur, & eleuatur infirmissima tūc Christi Domini caro. *Drog.* Id quod notauit Drogo, lib. de Sacram. Pass. his verbis. *Crux gloria tua est, crux imperium tuum est super humerum tuum, portas portantem te.* Ea est virtus crucis postquam Dei carnem prefsit, qua eleuat, & sustentat portantes. Audisti ferrum magneti applicatum illam induere à *Matth. 11.* magnete virtutem, qua & magnetem eleuat, & ferreos alios clauos? Sic crux cœlesti impofita carni illam eleuat, & sustentat, & simul omnes alios, à quibus portatur, facit in cœlestia reuolare. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*, aiebat Dominus, vbi expendendum illud, leue est, quandoquidem quod leue est, semper in superiora facit leuitare, sic iugum Christi, sic onus in cœlestia nos leuitare facit. Vt pulchrè D. *Paulin.* Paulinus, epist. 4. dicat. *Iugum Christi leue est, quia seruientes Christo operamur bona, quibus pennati in altum prouehimur.* Hæ sunt Christianæ cruces, Christianæ tribulationes, quæ non pondera ponant; sed alas addant, & in cælestia à terrenis faciant euolare. Scriptum est Genes. 7. de aquis diluuij. *Gen. 7.* *Leuauerunt arcam in sublime à terra.* Ad quę D. Anselmus ser. *Ansel. c. 60.* in cap. 14. Luc sic fatur. *Quid enim per aquas, nisi tribulationes, & quid per arcam, nisi Ecclesia figuratur? Aquis ergo inundantibus leuatur arca in sublime à terra, quoniam aduersis irruentibus separatur à terrenis cupiditatibus fidelis anima, & cœlo fit proxima.* Non nouum est ab aquis nasci alites, quæ quidem in principio ex aquis ortum hã bent, ne miremur quòd ab aquis tribulationum, & cruciatuū fideles pennati fiant, vt cœlestia scandant; & quando gigantes illi prophani gemunt sub aquis, nos acceptis alis ab aquis reuolemus in astra. Huc referam D. Anastasium Sinaitam, libro 7. Exam. sic loquentem. *Quas exeuntes de aquis volucres stupens Isaias clamabat, quinam sunt hi, qui vt nubes volant? Hæ sunt volucres, quæ rapiuntur in nubibus obuiam Domino in aerem.* Nimirum, qui à cruciformi tribulationum mari plumescunt, non humi reptant; sed pennati venturo in nubibus cœli Domino cum potestate magna ipsi in aere obuiam procedent coronandi. Vnde Chrysostomus homil. 62. ad populum, sic fatur. *Te vellem occurrere homini de theatro redeunti, & alteri de carcere egresso: videres vtique illius animam pauidam, tumultuantem, & verè ligatam, huius autem liberam, solutam, & pennatam.* Etenim cruces, & tribulationes pennas addunt humanis animis. *Ad Thes. c. 4.*

## §. V.

### *Nunquam Dominus spectabilior, quàm sub Cruce.*

HVMERIS accepta cruce non iam in domus secretò teneri vult Dominus; sed cõtinuò exiuit oculis conspicuus creaturarum. Non sic, quando decorem indutus est, quando splendentibus vestibus in Thabor radiauit, tunc oculos fugit hominum, & paucibus testibus secretum mãdauit. Hæc omnium Regum cura est maxima, quòd auro fulgidi obtenebretur domorum latebris, verùm ferro induti, hasta graues medium prosiliunt in campum ab omnibus spectandi. Id quod eleganter notat D. Chrysost. serm. 6. de Pass. his verbis. *Rex quando glorioſior, quando indutus purpura, diademate decorus, aſperſus auro ad põpam non parat ire; ſed hæc in ſecreto fiunt. Nõ ſic quando in campum conniuens vultu, honore vltimus, periculis primus, onuſtus ferro, grauis armis pro patria, pro ciuibus, pro vita omnium premit hoſtem.* O quam tunc amat videri! ò quam longè spectabilior sub ferro, sub hasta nitet! Ecce modò tibi Rex Regum, & Dominus dominantium Iesus, quando se vestit luce, quando gloriosus apparet, quando circundatur auro, *Chrysost.*

hæc

hæc ōmnia in secreto facit nunc honore vltimus, periculis primus, onustus graui pondere, hasta horridus crucis pro omnium vita premens hostem in lucem exiuit, & conspiciendus, & conspecturus, & quidem nunquam magis eius splendor regius aparuit, nunquam spectabilior, quam sub armis crucis. Vt meritò dicat Bernard. sermone 45. in Cantic. *Quam pulcer es Angelis tuis, Domine mi Iesu, in forma Dei, in Die æternitatis tuæ, in splendoribus sanctorum ante Luciferum genitus. Quam mihi decorus es Domine mi, in ipsa huius positione decoris. Etenim vbi te exinaniuisti, vbi naturalibus radijs lumen indeficiens exuisti, ibi pietas magis enituit, ibi charitas plus effulsit, ibi amplius gratia radiauit.* Quidmirum, quod tanto armorum pondere onustus amet Dominus spectari, vbi sic regales omnes effulgent virtes? quod tanta crucis hasta grauis nequeat domi teneri, sed in campum prosiliat, quandoquidem nunquam liberandorum oculis apparuit spectabilior, & pulchrior? Arnold. Carnot. tractat. de septem Verbis Domini charitatem sic commendat: *Ad portanda aliena onera vrgetur, vltro demisso poplite curuat scapulas, nec graue indicat eos pati, qui se ipsos ferre non possunt, sed de alterius miseria beneficiū ordinat, & liberalitatem exornat.* Quippe nunquam ornatior, & pulchrior diuina beneficentia, & liberalitatis, quam vbi sub alienis oneribus apparet. Hanc vnam Domini sub cruce pulchritudinem ostentabat illa quæ dixit Cantic. 1. *Nigra sum, sed formosa sicut tabernacula Cædar, sicut pellis Salomonis.* An Salomonis illius aurei, qui eburneo è solio stuporem Sabæ Reginæ indidit? Minime, vana enim erat illius gloria, & pulchritudo, & vincenda à quouis aruorum lilio. Hinc Diu. Paschas. lib. 3. in Thrinos inquit: *Non de Salomone illo, sed de Christo, cuius pelles sunt omnes sancti qui se mortificauerunt crucifigendo cum Christo carnem suam ad instar pellium mortuorum, quatenus possint in se Christi portare similitudinem passionis.* Quasi nulla sit pulchritudo spectabilis, nisi quæ Christi sub cruce se conformat pulchritudini. Illi conspicui sunt, illi nitidissimi effulgent, qui crucis diuinæ in se exprimunt similitudinem, & ad instar Christianæ pellis extensæ in cruce suam conformant, & effingunt vitam. Vnde defratre exilio multato verba faciens oration. 7. ait: *Ideoque beatus ille exul ad nos est egressus sine sanguine victor, & magis ignominia quam splendore clarior.*

Bernar.

Arnold.

Cant. 1.

Paschas.

## *Matth. 27.*

*Textus.* Exeuntes autem inuenerunt hominē Cyrinæum nomine Simonem: hunc angariauerunt vt tolleret crucem eius.

## §. VI.

### *Pauperes eleemosynis conducat qui crucis pondus cupit à se excutere.*

OPerarius Simon à villa veniens inducitur, vt ipse à grauedine crucis releuet Dominum Iesum. Qui ergo in tollenda cruce leuamen cupit, qui pondus laborum minuere desiderat, conducat operarios, qui leuent, adhibitis suis humeris. Sed iam cupis scire qui sint isti operarij? Accipe Diu. Laurent. Nauarr. homil. de Eleemosyna, vbi notat patrem familias, qui exijt primo mane conducere operarios, & sic inquit: *Ille adiutores sibi adiungit operarios, & multiplicat in terrena cultura, & tu agrum cordis tui dum solus colere vis, relinquis desertum? Homo, aduerte quod dicitur spiritualis est, non carnalis ista cultura, de eleemosyna conduc operarios. Quos? Cæcos, claudos, debiles, & alios his similes, hi sunt operarij parua mercede conducti.* Hos si conduxeris vide quid dicant: *Nos portauimus pondus æstus,* & vere conducti eleemosyna pauperes totum portant pondus tuum, & tibi maximum leuamen inducunt. O quam leuem crucem experieris, si operarios conducas pauperes! Huc referre libet Naziāzeni sententiam, qui orat. 2. in Pasc. dicit: *At tu libenti animo, iustis etiam rationibus, quæsitas opes excutias, atque in pauperum subsidium spoliaberis, vt leuiter crucem tollas.* Hac maxime ratione te ad facilè, & leuiter ferendam crucem poteris comparare, si pauperes adhibeas, quos eleemosynis foueas? Nullum iude crucis grauamen senties, imò talibus conductis operarijs, excusso pondere pla-

Laur. Na

Nazian.

cide & quietè quiescès, & vel quiescens, vel etiam dormiens alarum leuitatem acquires, qua in æthera voles. Psalm. 67. dicens: *Si dormiatis inter medios cleros*, vel (iuxta aliorum lectionem) inter medias ollas, inter medios cacabos, inter labia: *Erunt pennæ columbæ deargentatæ.* Is inter medias ollas seu labia degit, qui erogaturus eleemosynam, pauperum ad est intentus petitionibus. Is ergo si inter pauperum exsatiata domiat ora, erunt illi pennæ columbæ deargentat. Quid hoc? Pulchre Diu. Ambros. sermone 14. in Psalm. 118. ibi: *Etsi dormias, exurgent tamen pennæ tuæ.* Tu qui pauperes operarios tecum habes, dormi iam secure, non portabis pondus diei, ne longas instituas vigilias, quibus te exoneres, crucisque sarcinam deponas, etsi dormias, etsi somno indulgeas, te expenditum, & pennatum inuenies, vt sublimia quæque tranare possis.

Psal.67.

Ambros.

## §. VII.

### *Maximi amoris signum quod Deus aliquem ad crucis societatem accipiat.*

ECCE tibi repudiata Synagoga, nouæ sponsæ ex gentibus amores panduntur diuini, quando Simon Cyrinæus præeligitur, qui Dominicam accipiat crucem. Meritò Diu. Leo. sermon. de Passion. 8. *Non fortuitum, sed mysticum fuit, vt Iudæis in Christum sæuientibus, ad compatiendum ei peregrinus accurrerit, dicente Apostolo, si compatimur, & cum regnabimus, vt sacratissimo Saluatoris opprobrio non Hebræus, quisquam, nec Israelita, sed alienigena subderetur.* Papæ iam gentes Dominus amabat, iam diuini amoris in nationes argumentum clarebat, quando illas ad crucem suam euocabat ferendam. Non sic amat Deus alios qui vocantur ad regna, quibus integrum voluptatum paradisum præstat, quã cui vnam suæ crucis arborem credit. Nonne Matthæ. 16. dixerat: *Si quis vult venire post me tollat crucem suam?* Nec id diceret nisi maxime suos asseclas amaret, nisi hominum amoris flammis ardesceret. Hinc Diu. Basil. Seleu. orat. de Transfigurat. *Dixit Dominus, siquis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. Affectionem enim præbet crucis societas.* Datur crucis societas tunc solum, quando viget amor, vbi mutui amoris flammæ explicandæ sunt, Dominicæ crucis societas claret. Crucis enim morte Dominus honoraturus Petrum prius de amore longum interserit examen, adeo, vt dicat Ioann. capit. 21. *Quod contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio amas me.* Et post tam longum amoris examen, post trinam de amore interrogationem hoc innuit statim. *Cum senueris extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis.* Tunc iam promittitur illi crucis mors, tunc admittitur Petrus ad crucis societatem, cum amore suo ostendit quam dignus sit qui à Deo ametur vsque ad crucis participationem. Sic Diu. Eulgent. lib. 3. ad Trasimundum Regem cap. 24. inquit: *Cum ille tertio interroganti trinum amoris sui testimonium redidisset, statim Dominus Petro ponendi pro se animam elargitus est facultatem dicens, cum autem senueris extendes manus tuas, & alius cinget te.* Hoc reportant præmium quos æquus amauit Dominus, qui nati sunt ad amorem, solos, quos diuinus tenet amor, tenet crux, quæ ab Iudæis odiosis tollitur, & amatæ gentilitati porrigitur. Iam venit meditandum ad vmbratum illud Ioseph facinus Geneseos 44. vbi præcipiens seruo suo, ait: *Imple saccos eorum frumento quantum possint capere, & pone pretium singulorum in summitate sacci, Scyphum autẽ meum argenteum, & pretium quod dedit tritici pone in ore sacci iunioris.* Itaque triticum, & pretium omnibus dari iubet fratibus, verum calix quo ipse bibebat, vni Beniamin præ omnibus dilecto apponitur. Sic Dominus beneficia, & passionis suæ pretium omnibus communicat affluenter, at calicem suum, quem ipse in cruce hausit non nisi dilectissimis tradit. Huc spectat Ambros. lib. de Ioseph, capit. 11. fatus: *Triticum multis datur, Scyphus vni. Non enim omnes, sed Propheta dicit, calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Iam Petro tradiderat Dominus cœli claues, & mundi clauum, vbi autem ad crucem veniebatur ait Ioann. 13. *Quo ego vado non potes me modo sequi.* Quod Diuus Ambros. libr. de Isaac cap. 3. sic expendit: *Claues ei commisserat regni cœlorum, & sequendo se imparem iudicauit.*

Leo.

Matt.16.

Basil.

Ioan.21.

Fulg.

Luc.

*Luc. 23.*

*Textus.* Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabatur eum. Conuersus autem ad illas Iesus dixit: filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.

## §. VIII.

### *Solus Iesus ante mortem canere potest victoriam.*

MInime decent lachrymæ triumphum nec lamenta iocunda sunt triumphari, vbi triumphus peragitur, lamentatio, & væ depellitur, carmen, & io sonat. Et quidem iubentur merito à Domino tacere lamentatrices, quando cantu & plausibus celebrādus iam vibratur Dominus.

*Titus.* Hinc pulchre Titus Bostrens. ait: *Quia ergo illæ molestæ afflictæque eum lugebant, quem æquius erat plausu lætaque acclamatione excipere, quippe qui mortem iam tunc extinctam, diabolum debellatum, & infernum euersum, & conculcatum obibat.* Sanè in tentationum duello hoc omnibus hominibus innatum est, vt bellum, & obluctationem non euadant, ante quam perfungātur vita. Quis enim in virtute cōfirmatior, quā Petrus post ruinā? Quis sic mortē, potestatesq; omnes euicerat ac ille? Et tamē in crucis stadio erat, & adhuc ibi luctā & carnis bellum sentiebat. Sic illi Dominus Ioannes 21. *Cum senueris extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet quo tu non vis.* Expende illud, *quo tu non vis*, ea enim erat obluctatio, no illi suffecerat consenuisse in præliis, vicisse flagella, triumphasse de tormentis, anxie expectauisse martyrium, adhuc tamen illi, dum viueret, lucta erat & certamen. Id quod elegāter ponderat D. Prosper. lib. 2. de vocat. Gent. cap. 28. *Quam compugnatiam idem Beatissimus Petrus etiam in ipsa palmarum omnium consumatione perpessus est, siquidem hoc Dominus protestatur, & dicit, cum senueris extendees manus tuas, & alius cinget te, & ducet quo tu non vis. Quis ergo ambigat, quis ignoret hanc fortissimam petram, hoc desiderium semper habuisse, vt ei moriendi pro Christo constantia donaretur? Verum ita ineuitabilis erat obluctatio tripidationis, vt vir martirij auidissimus, adepturus quidem denuntiaretur victoriam passionis; sed non sine tentatione formidinis.* Nec prius finienda erat lucta, quam vita. Solus Iesus luctuosas conficit luctas, ante quam morti succūbat; vix arma capesit, & omnes prosternit inimicorum insultus. Cum primum in arenam descendit, & arma exerit crucis, crucis, lacrymas fugat, & debellata morte victor exultat. Vt dicat D. Leo semo. 10. *Cum ergo Dominus lignum portaret crucis, manifestabatur fidelibus grande mysterium, quoa glorioss simus diaboli victor, & inimicarum virtutum potentissimus debellator, pulchra specie triumphi sui portabat trophæum, & inuictæ patientia humeris signum salutis adorandum regnis omnibus inferebat.* Cū primum stadium ingreditur, & crucem amplexatur, debellatæ omnes rebelles potestates silent, & consopitis luctis, imo extinctis vniuersorum viribus victor procedit, posita iam quacumque formidine. Huc refero illud quod notauit Matth. cap. 26. nimirum quod initiaturus passionem, hortum ingreditur Dominus, *& progressus pusillum, procidit in faciem suam orans.* Sane dum se prosternit de victis hostibus: accipiendæ coronæ sese aptabat. Vbi enim se Iob appeti ab hoste vidit capit. 1. *corruens in terra adorauit.* Sed quæ fuit hæc nobilis athletæ ad terram inclinatio? Pulchre Origin. libr. 1. inquir. *Imperatores qui victores extiterunt non stantes, sed deorsum adorantes coronam accipiunt sic Iob in prima tentatione ad orationem se prostrauit, vt perfectas tolerantiæ suæ à Deo acciperet coronas.* Potiori iure hoc mediator in Iesu qui primo in limine certaminum sese postrat, vt certasiustitiæ accipiat coronas. Sic enim se in primo certāminis congressu gerit, vt ex inde victorem se prorsus astendat, & iam triumphali corona donatum.

*Leo.*

*Ioann. 21.*

*Prosp.*

(?)

## §. IX.

### *Passio & crux Christi Domini omnes in se dolores ebibit, vt nobis inferat lætitiam.*

PLangentes mulierculas dedignatur Dominus, non quia ipse non erat in luctu, sed quia accipiens ipse omnium nostrum lacrymas & dolores, exhibiturus omnibus erat gaudium & lætitiam. Ita in præsenti D. Ambrosi. inquit. *Ablaturus omnes lacrymas suæ beneficio crucis in passione propria futuræ instar beatitudinis lætitiam exhibebat.* Expendo illud; suæ beneficio crucis, vbi nescio quid suboleo agriculturæ. Enim vero quæuis planta terræ humorem ipsa exsugit, quo in se decocto, pro illo exhibet dulcem & maturum fructum, & sic beneficio arborum, amari, & lutei terræ succi, & insipidæ pluuiæ in dulcedines commutantur hominum saluti commodissimas. Ita Dominica crux dum in se lacrymas peccatorum & luctus exsugit, suæ beneficio virtutis inde nobis salutares calices lętantiaque vina propinat. Huc spectauit acumen D. Anastasij Sinait. lib. 3. exam. Vbi inquit. *Primum miraculum Christus fecit in aqua, quoniam tertio die aquam gentium congregauit in vnam congregationē cum ea transmutasset vera vitis ab aqua in vinum lætitiæ.* Ecce tibi vera vitis, nimitū crux Dominica omnium peccatorum aquas amaras in se ebibit, & transmutat in vinum lætitiæ, quando beneficio crucis, ablatis amaris lacrymis, cœlesti inebriamur lætitia. Quam ex cruce lætitiam innuebat Paulus, primo ad Corinth. 5. dicens. *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis.* Quasi diceret, quando quidem crux Dominica apparuit, arbor bona bonos fructus faciet, non iam veteres amaritudines manebunt, omnia plena dulcedine erunt, plena lætitiæ, plena epulis. Ita D. Chrysosto. homil. de Cruce & latrone. *Paulus præcepit propter crucem festiuitatem celebrari Pascha nostrū immolatus est Christus, itaque diem festum celebremus. Adiunxit causam, quia Pascha nostrum immolatus est Christus. Vides crucis intuitu perceptam lætitiam?* Hoc est maximū beneficium crucifixi amaritudines nostras in gaudia transmutare, amaros peccatorū luctus ipse sibi exsugere, & mortaliū corda cœlesti perfundere lætitia. Id quod percaluerat D. Zeno in Abrahæ decantissimo sacrificio, vbi in summo vitæ discrimine Isaacum & Abrahamum lætissimos sic depingit. *Lætatus est puer patre fideli, ipse quoque fidelior. Lætatur pater filio quoque gaudente, & cum gaudio vnici pignoris alligat manus, quas ille vinciēdas libentius offert.* Quis talia crederet in vnici filij funere? Qui pater, defuncto herede, domum non replet suspirijs? Qui filius vnicus moriens domesticus non afficit tristi luctu? Et hic filius occiditur à patre, & omnia læta sunt omnia suffunduntur gaudijs; sed non omnia sunt læta, ait Zeno, nimirum. *In illo sacrificio solus Deus doluit, qui aliam victimā procurauit.* Quid ni? Deus ipse immolandus ex tunc omnes lacymas, & luctus hominum sibi soli assumebat, vt hominibus lætitiam præstaret. Pater, & filius lætabantur, quia solus Deus dolebat, & victimam aliam procurabat, vt lætitiam illorum ex crucis & passionis Dominicæ intuitu perceptam esse constaret.

*Ambros.* *Sinait.* *1. ad Cor. 5* *Chrisost.* *Zeno.*

*Text.* Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres quę non genuerunt, tunc incipient dicere montibus, cadite super nos & collibus, opperite nos: quia si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?

## §. X.

### *Periculosè degit peccator post Christi Domini damnationem.*

VAE peccatori, ubi damnatur sanctitas, vbi tam cruenta pompa ducitur Iesus viride lignum ad supplicium. Ne putes fortuitū esse dictum illud. *Si in viridi ligno hæc fiunt*, sed magno pondere, & singulari supplicij exaggeratione. Quod vt teneas, propone tibi ante oculos formā seuerissimi tribunalis, quod in Hispania hæreticā prauitatē persequitur. Ibi sa pè quādo reus abest, sistitur figura eiꝰ lignea: flabrè cōposita, huius in conspectu crimina proponūtur absentis, quasi ibi in statua lignea adsit, fertur sententia, damnatur: tandem infa-

in fami præconio traducitur ſtatua, & carnificis manu immittitur ardenti rogo. An ex tunc reus liber euadit? an combuſta lignea illa ſtatua, perſona per illam repræſentata, quæ verè mala fecit, poterit iam ſecurè agere? Imò nunquam periculoſiùs, nũquam euidentiori ſuæ ruinæ periculo manifeſtabitur, vbi enim lignea eius figura flammis tradita eſt, ſolùm, vt iuſtitiæ tenor ſeruetur, auidiùs conijcietur perſona, ſi ſemel teneatur. Ecce tibi, ò homo peccator, Chriſtus Dominus non peccator eſt; ſed lignum viride, ſed lignea ſtatua peccatoris, hæc iudicio ſiſtitur, hæc de proditione, de ſacrilegio, de blaſphemia accuſatur, & barbarus Iudex ait: *Non inuenio cauſam in eo.* O demẽtia Iudicis, in ligno quæ rebat cauſam mortis! Ego ſum qui feci, homo eſt peccator & proditor, Ies⁹ lignũ, Ieſus peccatoris lignea ſtatua, quę crudeli dãnatur ſententia, millèque ludibrijs, & tormentis decerpitur. Fallor, niſi huc reſpexit Sap. cap. 14. dicens: *Benedictum eſt lignum, per quod fit iuſtitia.* Vel vt D. Chryſoſtom. oratione de Feſto Crucis ait: *Benedicite lignum, per quod fit iuſtitia.* Sanè lignum viride eſt Ieſus, in quo diuina iuſtitia totum ſuum rigorem exercet, in quo de omni hominum crimine vindicta ſumitur, iuxta riguroſiſsimas iuſtitiæ leges. Cùm Ieſum ligno comparo, ſcio latiſsimũ diſcrimen; etenim lignum non propriè ſatisfacit iuſtitiæ, nec reum liberat vllo modo: verùm Ieſus verè, & propriè fecit iuſtitiæ ſatis, & hominem verè liberauit, ſi ipſe ſapiat. Eſt tamen inter lignum, & Ieſum ſimilitudo in eo quòd in vtroque exhibetur pœna debita peccatis. *Sap. 14.*

Dicèt aliquis mentis inops, Ieſus de hominum criminibus iuſtitiæ diuinæ ſatisfecit: ergo ſecuri, & quieti iam viuant peccatores. Abſit à viro Chriſtiano tantũ piaculum: Ieſus equidem ſatisfecit iuſtitiæ, vt ſatisfacit lignum, quo iuſtitiæ, lege cõbuſto inſinuatur quantũ maneat ſuppliciũ peccatori. Niſi velis, quòd ille, cuius lignea ſtatua combuſta eſt, ſe iã liberũ putet. Imò nunquam periculoſiùs viuit, nunquam magis illi deſperata eſt res, vtpotè quia ſcit totum illum iuſtitiæ rigorem ſibi parari, qui in ligneam ſtatuam fuit effuſus. Hinc Abacuc cap. 3. ait. *Domine, audiui auditionem tuam, & timui, conſideraui opera tua, & expaui* Cur expauet Propheta, & timet ſola conſideratione operum Dei? Sanè viderat Ieſum lignum viride in ſimilitudinem carnis peccati efformatum, medium inter latrones, prophano iudici commiſſum, traduci in locum Caluarij. Vbi eleganter Rupertus ait. *Quiſquis ſeruorum eius hæc audiuit, & conſideranit, quomodo nõ timuit, quomodo non expauit? Puta quòd attonitus dixerit: Heu quid erit de nobis ſeruis malis, quorum propter ſe elus talem tantumque Dominum tam malè tractari oportuit?* Prudentiſsimus ille Latro hanc ſummam inſaniam obijciebat Latroni Chriſtum Dominum blaſphemanti. *Neque tu times Deum qui eadem damnatione es!* Iam ſumma eſt noſtra malitia & inſania non timere, non expaueſcere ad iuſtitiæ rigorem, videmus ligneam peccatorum imaginem, nẽpe Ieſum tormentorum flammis comburi. Quare non magis timemus qui in eadẽ damnatione ſumus? Quare non magis noſtrum expaueſcimus periculum, vbi in viridi ligno ſic cernimus noſtra caſtigari delicta? Prudenter admodum D. Athanaſius homil. in Paraſc. ait. *Non mihi in Iudæorũ impietatem reſpice, neque quòd benefactorem ſuum condemnarunt, maiorem homicidæ rationem habentes. Id ſolum intuere, quod reorum pœnam præter meritum Chriſtus ſubijt.* Id ſanè & horrendum, & metuendum peccatori, ſi conſideret, nimirum omnes Chriſti cruciatus, clauos, ſpinas, opprobria, maledicta, derelictionem, & maximorum dolorum ſegetem ſine adiutorio, ſine leuamine pœnas eſſe, iuſtitiæ ſententia in peccatores præſcriptas, Non lignum viride; ſed me vocant pœnæ iſtæ, me petit dãnatio hæc, ab his tormentis expector, niſi reſipiſcam. O vtinam hunc à Chriſti ſupplicio excipiamus fructum, quòd à rigore iuſtitiæ caueamus nobis, quandoquidem qui inſanus non eſt, hoc ex lignea ſtatua combuſta percipit commodum, quod cauet ſibi. De Chriſto Ieſu cruci affixo iuxta D. Auguſtin. & D. Hieron. ſenſum dicebat Sponſa. Cant. 1. *Botrus Cipri dilectus meus in vineis Engaddi.* Vbi illud, Engaddi, ſignificat Carthuſiano oculum hædi: eſt ergo Dominica crux vitis plantata ad hædorum oculos. Nil magis notandum in horum animalium genere, quàm prudens quædam cautela eſt, quaſi ſibi in alienis periculis cauent. Accidit enim, vt ſi capram vnam ex græge per mentum apprehenderis, ſicque reliquis obieceris, cæteræ ſtent veluti ſtupidæ ſuos in illam vnã oculos conijcientes. Vnde Plinius libr. 5. cap. 50. inquit. *Capræ mira prudentia cauẽt ſibi in aliorum periculis.* His caprarũ oculis amat Ieſus in cruce ſua videri, nimirum, vt omnes eius paſsionem ſtupentes caueamus nobis, & viam, qua tantum euadere peri-

*Athan.* *Cant. 1.* *Abac. 3.* *Plin.*

periculum poſſemus, meditemur.

*Textus.* Et poſt quam venerunt in locum, qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum, & Latronem vnum à dextris, & alterum à ſiniſtris.

## §. XI.

### *Dominica paſsio totum paradiſi malum extinxit.*

VOluptatis locus, commata, & pulchrâ arbor, ſerpens fulgidus hominum generi exitiũ attulere: pro his modò paratur horridus locus Caluariæ, id eſt, morte punitorum, cruentum lignum, quod nudus filius Dei, ſeu ſerpẽs ſcandit, vt deſtructa antiqua fallacia, veram, & immortalẽ vitam hominibus perſuadeat. O diuiniſsimi, & prudentiſsimi Serpentis aſtum! Sanè lignea virga verſa fuit Moyſi in ſerpẽtem, qui magicos ſerpentes deuorauit, Exod. 2. Cuius rei myſterium vt explicaret D. Anaſtaſius Sinaita, lib. 10. Examer. inquit. *Nunc quidem virgam Moyſis tranſmutans in ſerpentem, inde ſerpentem mortificans in ligno. Prius deſcribit, quod per lignũ crucis perdet, & morte afficiet paradiſi ligni conſultorem ſerpentem. Propter quem virga Aaronica ex ligno animata ſerpſit ſerpens, & falſas magicas in ligno ſerpentis operationes conſumpſit.* Ecce tibi ex Caluariæ latebris, ex crucis ligno prudentior Serpens proſilit Ieſus, qui conſultorem illum paradiſi arboris conſumit, omneſque eius fallacias, & magicas perſtigias vorat & deglutit. Nullum equidem præſtantius remedium potuit hominum generi inueniri, quam hoc quod diuini ſerpentis aſtus præmeditatur ex ligno crucis. Hinc miſſurus Diſcipulos ad ſanandum orbem ait illis, Matth. 10. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.* Cur ſicut ſerpentes, cum apud homines nomen ſerpentis & ſuſpectum eſſet, & inuiſum? Ibi D. Remigius. *Serpens decepit primum hominem, callidus fuit hoſtis ad decipiendum vos ſitis prudentes ad laudandum, laudauit ille lignum; vos laudate crucis virtutẽ.* Vnus qui ex ligno crucis ſerpens eſt deſtruet cõſilium, antiqua fugabit toxica mortis, & ſalutaris hominibus inſtilabit vitam. Eia agite quicumque vetus nocumentum innatum medullis, paradiſi venenum vultis expungere, & ligno crucis ſerpentes profilite, ex cuius ligni rigore ſerpſit ſerpens Chriſtus, qui ex ſufflato delitiarum paradiſi toxico, nobis vitam reſtituit. Quò referam illud Claudiani In victoria Stiliconis vbi delitijs enectum Glaucum memorans vitæ fuiſſe reſtitutum beneficio herbæ deductæ ex ſerpentis ore ait:

*Sinai.*

*Matth. 10.*

*Regim.*

*— Miræ nam munere ſortis*
*Dulcia mella necem, vitam dedit horridus anguis.*

Sanè horridus ex crucis ligno Anguis Chriſtus Dominus & mortem, & venena conſumpſit, quæ nobis intulerant voluptaris locus, amena arbor, ſerpens fulgidus. Ieroboamus, 3. Reg. 13. in Prophetam ſcandeſcens: *Extendit manum ſuam de altari dicens: apprehendite eum. Et exaruit manus eius* De quo in rem præſentem Chryſoſtomus oratione de S. Hiero. fatur. *Extendit manum ſuam Rex, & exaruit. Quando arida facta eſt, tunc fructum tulit. Conſidera mihi exemplum quod occurrit in ligno, quod in paradiſo fuit, & in ligno quod fuit in cruce. Quẽ admodum enim lignum illud cùm eſſet viride mortem peperit, lignum verò crucis cùm eſset aridum, vitam genuit, ſic manus Regis quando viridis erat, impietatem peperit, quãdo arida facta eſt tunc obedientiam produxit.* Sic de crucis ariditate correxit mala, quæ produxerat viridans & amena arbos paradiſi. Adeò efficax aduerſus hæc omnia crucis lignum extitit, vt meritò deſteat D. Paulinus epiſt. 8. hominis poſt hac infirmi vicem dicens. *Infælix ego qui venenatũ inimicæ arboris guſtum nec crucis ligno digeſſi.* Quæ voluptatum toxica non digerentur, immiſtaque ſudori ab intimis expellũtur medullis, vbi hoc Eoum ſenticoſum crucis lignum apparuit? Quæ ſerpentinæ iræ? Quis auſtus? Quę fallaciæ non vorantur, & conſumuntur ab horrido ſerpente Chriſto ex crucis ligno prodeunte? Difficilis erat Salomoni *viacolubri ſuper petrã,* Prouerb. 30. quia voluptuoſis hominibus in vitam apperuit viam vnus coluber, qui à ligno crucis exiuit. Hic ſolus anguis cruci innixus voluptates extinguit, ſalutem propinat, vt meritò Gualfridus prædicta expendens verba, dicat. *Vnum eis remediũ eſt, vnum conſilium, vt exaltatum in ligno ſerpentem pia conſideratione reſpiciant, & dum eius dolores attendunt, qui incarne mortali Deus erat æternus, ſuas omnes moleſtias parui pendant.* Hæc ille.

*Paulin.*

*Prou. 20.*

§. XII.

## §. XII.

### *Peccati horrorem & turpitudenem nudandam putet qui cupit sanari.*

ASCendit Dominus crucem nudus, maledictum & peccatū pro nobis factus,
2.adCor.5. iuxta D. Paul. 2. ad Corinth. 5. theologiā, vbi sic inquit: *Eum qui non nouerat peccatū, fecit peccatum pro nobis.* Peccati nimirum induens similitudinem, nudus, in cruce apparuit, nullò enim meliùs peccatum de medio tollitur, quàm si eius turpitudo, & fœditas reuelata nudatur. Hinc venturus Christus Dominus ad mortem infructuosam ficum fecit arerem. Cuius rei & pulchram, & veram rationem reddit D. Athanasius quæst. 22. inquiens. *Quia post transgressionem Adam accepit folia ficus, quibus obtexit suæ turpitudinis peccatum, & congeret, deleretque in cruce, arefecit operculum peccati, id est, folia ficus, quibus Adam tegebatur post transgressionem.* Nil priùs faciendum, vt peccatum deleretur, quàm omnia peccati opercula tollere duxit, & eius turpitudinem in omnium conspectu propalare. Summum, & incredibile virtutis suæ argumentum profert Nazianzen. quòd Athenis, vbi vitia & peccata sub diuinis & pulcherrimis titulis colebantur, ipse, & Basilius omnino mortui essent peccatis. Ait enim oratio in laud. Basil. *Quin potiùs, quod vix credibile est, hinc ad fidem confirmati sumus, ipsorum fraudem, & impostura cognoscentes, atque illic dæmones contemnentes, vbi in mirifica laude sunt dæmones.* Meritò dixit, quod vix credibile est, omnem enim euacuat fidem, quod fugias peccata & vitia, vbi hec intra diuinitatis velamina clauduntur, pulcherrimasque sui præferunt formas & figuras. Sanè peccatum dum pulchrescit, dum aureo fulget amictu, necessum est, vt viuat, summasque afferat suo veneno pernicies. Celebris est apud Diodorum Siculum, libro 5. Gambri Scytarum Regis ausus, qui & innoxium hospitem interfecit, & eius pellem templo appensam Apolini dicauit. Nescio an placuerit falso etiam Deo munus, quando quidem homicidam monet de periculis, ad quæ illum pellis oblata vocabit. Timet Rex scelestus, & piaculo addit piaculum, cupiens enim nefariam oblationem contegere, pellem auro multo deaurauit. Quid plura? Iam pellis aurea facta quas non traxit classes? quorum non incendit animos, vt mille prælijs, interempto Rege homicida, tantum thesaurum comparent? Hæc sunt picta & deaurata scelera: enim verò dum peccatum sub aureis peplis sacratur, exterhis opperitur pulchritudinibus, miro modo suum acuit venenum, millèque trahit mortes & pericula. Vnde ruinas hominum meritò
Psalm. 73. expaueſcens Psalm. 73. inquit. *Respice in testamentum tuum, quia repleti sunt, quia obscurati sunt terræ domibus iniquitatis.* Quæ verba sic apud Simacum in rem presentem explicantur. *Respice in testamentum tuum, quoniam repleta sunt tenebrosa terræ speciosis & pulchris, vel insignibus modis iniquitatis.* Quasi dicat, ò Deus immortalis! quandoquidem terrenorum hominum scelera & peccata auro cooperta fulgent, pulchris & speciosis obteguntur prætextibus, auerte ab illis oculos, ne fortè conciteris ad iram, & noua submersura orbem spuas diluuia. Respice in testamentum tuum, respice insignum fœderis tui, nimirum in sanctam crucem, ibi mundi peccatum visitur omni decore & prætextu nudatum, ibi horroris & fœditatis plenam conspicies similitudinem peccati in Dominica carne, quo humana obtinebitur salus. Vtinam id cum mortalibus omnibus actum esset, vt ablato auro, pallida, horroriſque plena illis proponeretur facies peccati. De interfecto pisce fellem seruauit Tobias, domum adit, capit. 11. *Tunc sumens Tobias de felle piscis liniuit oculos patri suo.* Inde Petrus Damianus epistola 12. *Cæcus itaque felle piscis oblinitur, & protinus cæcitas effugatur, quia cùm amaritudo diabolicæ versutiæ, nostris oculis ostensa proponitur, tenebrarum mox caligo propellitur: & lux interior, quæ velut ecclypsim passa est, reformatur.*

Nazi.

Athan.

Nudetur amaritudo, & fœditas peccati, & fugies illud.

(i)

## §. XIII.

### *Christus Dominus crucifixus mortificationem, & rigorem pœnitentiæ omnibus persuadet.*

STantis iuxtà crucem Magdalenæ virtutem, & miratur Diu. Hieronym. & illam his verbis comendat : *Sacerdotes, & Pharisæi crucifigunt filium Dei, & Maria Magdalena plorat ad crucem, vnguenta parat. Verè turris Libani, quæ respicit faciem Damasci, sanguinem videlicet Saluatoris ad sacci pœnitentiam prouocantem.* Dabo hæc verba alibi explicanda, modò solum expendo ab his quæ respicit faciem Damasci, sanguinem Saluatoris ad sacci pœnitentiam prouocantem : quibus hæsit Hieronym. in verbo illo, Damasci. Enim verò Damascus idem est ac, *propinãs sanguinem*, vt testatur Georgius Venetus in Armon. Cant. 3. ton. 7. cap. 13. Facies ergo Damasci à Magdalena respecta Diu. Hieronym. est crucifixi Domini facies, quæ crebro confossa vulnere, hominibus cunctis propinat effusionem sanguinis, nimirum mortificationem, & dolorum tolerantiam. Iniustè interfectus Teremanes à Cricio tyranno cum vas veneno plenum acciperet, totumque hausisset, relictam partem profundit in terram dicens, *Propino Criciæ.* Id quod memorans Cicero Tusculan. 1. ait: *Lusit vir egregius extremo spiritu, vereque ei, qui sibi venenum præbuerat, mortem est eam auguratus, quæ breui consequuta est.* Sic Dominus suffixus ligno passionis, & dolorum calice epoto, sanguinem vsque ad terram profundens hominum generi propinat, vereque mortificationem, similem dolorum tolerantiã exquirit ab omnibus illis, quorum causa ipse mortuus est. Quicumque peccasti, crucifixo Domino dolorum, & pœnarum calicem tibi propinatum existima, cuius propinationis lege vsque ad sanguinis effusionem obligaris Christo. Huc refert Tertullian. illud Euangelij, nimirum: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Quæ sunt Dei, quæ Deo reddi debent? Pulchrè ille de Fuga in Pers. inquit: *Quomodo reddam quæ sunt Dei, Deo? Vtique perinde imaginem, & monetam ipsius inscriptam nomine eius, id est, hominem Christianum? Quid autem debeo Deo sicut denarium Cæsari, nisi sanguinem, quem pro me filius fudit ipsius.* Hoc à me expostulatur, hoc exigitur, vt mactet, vt sanguinem fundam, vt propinanti Domino sanguineum poculum, correspondeam simile bibens. Sanè, vt meritò fatur Apolinaris, lib. 4. epistol. *Quantam licet nobis anxietatem vitæ præsentis propinet afflictio, parua toleramus, si recordemur, quid biberit Dominus ad patibulum.* Vbi te, Domine, in ligno crucis video felleum mare bibentẽ, cur propinatas nõ bibam mundi amaritudines? Vbi diuinissimum os ad incredibile tormentorũ pelagus applicari conspicio, parua mihi sunt quæcunque mihi pœnitentia propinat. Propinantem Regem periculosè contemnit miles, qui crucifixum propinantem refugit, metuo ne excludatur à bonis crucifixi. Id grauiter Tertullian. vbi suprà edixit: *Non potest qui pati timet eius esse qui passus est. At qui pati non timet, iste profectò erit in dilectione vtiq; Dei.* Sic ille. Vanus est qui in præsenti à Christo petit delicias, etenim saginaturus turbam, Ioann. 6. iussit homines sedere super fœnũ, at eamdẽ impleturus, Matt. 15. *Præcepit turbæ, vt discumberet super terram.* Sanè ij, qui super duram terram sedent, Christianos agebant. Vnde ait D. Paschas. lib. 7. in Matthæum: *Tanquam ipsius montis Christi soliditate locati, nullo fœno interposito emoliebantur.* Non enim sub Christo mollicies, sed dura, & acerba vita commendatur.

Hieron.

Cicer.

Tertul.

Apoll.

Tertul.

## §. XIIII.

### *Amatorij ludi sunt Deo crucis vehementissimi dolores.*

QVIS ardentissimi amoris flammas Iesu lambentes pectora explicare queat? Huc vos adestote ardentissima Seraphin, & alis obnubilate vestrum pectus, vt quod frigidum sit, & niuali rigidum gelu, si ignifero Christi pectori cõparetur. Iam cernite nouum amatorem Iesum, cui horrendum crucis lignum est pro nuptialibus tedis, spinarum spicula pro roseis sertis, clauorum lanceæque ictus pro oculis. Nonne hæc erat Sponsæ vox, Cant. 8. *Quis mihi det te fratrẽ meũ, vt inuentũ te foris, & deosculer?* Quæ hæc Spõsæ cupiditas? An expectabat Dominũ extra

Cant. 8.

tra vrbem actum, & ductum in Caluariæ locum? Sic putat Rupert. Proh Deus immortalis! Hæccine sunt Sponsæ oscula? Perforantur manus, transuerberatur pectus, totũ quatitur corpus, & hæc tam dira, tam inhumana vulnera habentur à diuino Amatore pro osculis. Id quod exprimit S. Philo Carpat. his verbis: *Tunc foris inuentus est Sponsus, & osculatus â Spõsa cum humanitate vestitus, & extra Hierosolymam crucifixus eam ipsam à sempiterna morte redemit, & per inefabilem charitatem soluto omni debito sibimet amantissimè reconciliauit.* Quid diuinius? Quid ardentius? Sic accipit Dominus vulnera, quasi oscula acciperet, extremam sustinet lanienã, & suauia ducit: totus sanguine madet, cruciatibus perimitur, opprobrijs appetitur & inter hæc sic deliciatur, quasi inter charissimorum amplexus, oscula exisferet. Vt dicat apud D. Chrysol. sermon. 108. *Claui isti non mihi infigunt dolorẽ, sed vestrã mihi infigunt altiùs charitatem, vulnera hæc non edusunt gemitus meos, sed magis vos meis visceribus introducunt. Extensio corporis mei vos dilatat in gremium. Venite ergo redite.* Ecce tota Dominici corporis lanienа in amatoria conuertitur officia: cruentum supplicium, compagum disruptio, membrorum dilaceratio nuptiales reputantur lætitiæ. Extulerat D. Zenò diuinæ charitatis præconium, id dicens: *Tuũ est, quod cum occiditur ab hominibus Deus omnipotentis Dei filius, nullus irascitur de duobus.* Et sanè maximum erat, quod tam ferè tractatus, tã diriter percussus filius Dei non irasceretur in hominũ genus: at maior est illius charitatis altitudo, qua non solũ non irascitur læsus, sed vulnera ipsa reputat delitias, & quod est crudelitatis insigne, id lætissimarum nuptiarum facit testimonium. Sic ausus prædicare D. Bernardus sermon. de Passion. inquiens: *Sedes sponsalis crux est, in qua verus Sponsus Sponsam Ecclesiam sibi copulauit, ipsam sibi proprijs sanguinis effusione subarrans.* Cur Bernardus hæc diceret, nisi ardentissimum Dei amorem prænosceret, quo tormento reputabat delitias? Huc retulerim vocem illam Iesu, qua labores, & tormenta sua promungribus reputabat. Ait enim Ioan. 17. *Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & ibi sint mecum.* Quos dedisti ait, dicturus verè quos summis cruciatibus emi: at tantus erat amor, vt crudele pretium exhibitum, putaret munus acceptum. Sic Ricard. Victorin. part. 2. in Canti. cap. 10. inquiens: *Ita tunc de ipsorum redemptione exultat, vt non reputaret magnum id quod pro eis obtulit, sed videatur eos, quos accepit, datos sibi potius in munere, quam emptos pretio sui sanguinis, & cõpensatione.* Proh Christi in suos charitatem!

*Phil.*

*Chrysol.*

*Zeno.*

*Bernard.*

*Ioan. 17.*

## §. XV.

### *Crux Domini durior, & acerbior, quam quæ ab hominibus sustineri queat.*

MEdius inter latrones crucifixus est Dominus, præter suam, alias præferens hominibus cruces, quibus ad cœlũ reuolare possint, intolerabilis enim esset generi humano crux Christi. Hinc adhuc viuẽs monebat: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam & sequatur me.* Non ait, tollat crucẽ meã; sed suam, quasi sciret Dominicam crucem esse hominibus intolerabilem. Enim verò ea est crux Christi, quæ summa innocentia toleratur & nihil amarius homini, quã si immeritus mulctetur supplicio, Iob. 2. aiebat Dominus ad Sathen: *Animaduertisti famulum meum Iob? Homo innocens, verus Dei cultor, abstinens se ab omni malo, & adhuc perseuerans in innocentia sua.* Notanter dixit illud, & adhuc perseuerans, vtpote maximum erat, quod vir innocẽs sub tam diris supplicijs non labaret. Id quod notat D. Hieronym. epist. 34. ad Iulian. his verbis: *Pulchrè addidit, & adhuc perseuerans in innocentia, quia difficile est pressam malis innocentiam non dolere, & hoc ipso fide non periclitari, quod se videat iniustè sustinere quod patitur.* Expendo vbi hominum fides periclitetur, vbi iniustas pœnas dat, hoc est, omnibus hominibus commune solatium in pœnis, quo se tres illi pueri Babylonici ad fortiter subeundas altissimas fornacis flãmas cõparabant dicentes Daniel. 4. *Peccauimus, iniquitatem fecimus.* Verũ vbi nullus peccati conscius homo pœnas dat, heu quanto id fidei illius periculo fit, mirum erit, si sustineai, si oneri tanto non succũbat. Id quod meritò lamẽtatur Hugo de Sancto Victore, qui dum expendit illud Paulianum ad Galatas: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini.* Triplicem differentiã crucis constituit iuxta numerum trium, qui in Caluariæ loco crucibus suffixi visebantur.

*Iob. 2.*

*Hieron.*

*Daniel. 3.*

*Ad Gal.*

*Hug.*

Tunc sic ait: *Dicunt homines quando pœnam sustinent si meruissemus, non erubescere-mus, nunc autem iniustè pati ignominiosum est nobis. Obloquim videtur, imo si pro culpa pateris, erubesce, si sine culpa, gloriare, latro magis esse vis, quam Christus?* Tanta est nostra malitia, tanta infirmitas, vt Christi Domini crucem pertimescentes, latronis crucem magis excipiamus.

## §. XVI.

## *Nullus homo securus à Cruce.*

QVis in hunc mundũ ingrediens fugit à Cruce? An qui amplã perditionis terit viam? An qui vitijs suis, & voluptatibus indulget? Proh dolor! Vide quid Lucas dicit: *Ibi crucifixerunt Iesum, & latrones, vnum à dextris, & alium à sinistris.* Nec ad sinistram declinare licet sine cruce, sine labore, sinistram reproborum semitam, qui sequitur, ibi habet crucẽ, ibi laborum mille cruciatus subit. Prou. 26. *Abscondit piger manum suam sub ascelia sua, & laborat, si ad os suum conuerterit.* Expende illud, & laborat, etiam qui labores fugit, qui manus ab omni opere otiosas custodiebat, ne minimo licet labori incumbat, is laborat, & dum indulgens otio ab omni opere feriatur, tunc illũ labor improbus cruciat. Fallor, nisi huc respexit D. Athan. orat. contra idola dicens: *Mens humana clausis oculis, effictis sua imaginatione malis, in his se exagitat ac monet, insciа interim se nihil agere, dum se maximè negotiosam præbet.* Ecce in nihil agendo sese humana excruciat, oculos habet clausos, vt quietis otio indulgeat, & sic diris exagitata curis laboriosior existit. Non me tempero, quin hic transferam figuram illã impiorum, qua D. Paulin. epist. 4. in Sansone obcæcato, & inimicorum farinam molente depingit: *Considera*, inquit, *huiusmodi mortalium viam, & tota tibi species iumenti volentis occurrat, vt ille pannis oculos corporis, sic iste sordibus vitæ suæ oculos mentis obsitus, per errores suorum sensuum, quasi per ambages molarum laboriosa miser statione versaturus, visu suo vacuus, & operosus alieno stat in via peccatorum compeditus vinculis cupiditatum suarum, & ipse sibi carcer est, in semetipso, pristim erga siulum patitur, saxum cordis sui pertinacia iniquitatis indurotum quasi molam versat, farinam hostibus suis de corrupta animæ suæ fruge conficiens.* Hæc ille, quibus vides proprijs coloribus impiorum vitam effigiatam, non enim per viã latam vitiorũ cruces fugiunt imò ibi labor, & dolor, & ærũna, & gemitus, & lacryma inhabitat. Habẽt suas cruces vitia, vel quod omni miseria maius est habent pristrini ergastula, habent saxeam molam, ad quam religati miseri sese conferunt, vt suorũ rabidissimorum hostium fiant pabulũ. Et quidem is est mundus, eæ sunt sæculi omnes, & voluptates, & dignitates, quæ non minores habeant cruces his, quos honorare, quã his quos onerare desiderant. Quos magis honorarent Ethnici, quã Deos suos? Quos magis cruciarent, quã nouellos tunc Chrianos. Accipite modò Tertull. in Apoc. cap. 12. pulchrè cõponentem Christianas cruces cum Gentiliũ Deorũ crucibus. Ait enim: *Re vera nobis, maxime qui propter Deos vestros plectimur, solatiũ pœnarũ esse possit, quod eadẽ & ipsi patiũtur, vt fiant. Crucibus, & stipitibus imponitis Christianos. Quod si mulacrũ non prius argilla deformat, cruci, & stipiti superstructa? In patibulo prius corpus Dei vestri dedicatur. Vngulis deraditis latera Christianorũ. At in Deos vestros per omnia mẽbra validius incũbunt asciæ, & rũciuæ, & scobinæ. Ignibus vrimur. Hoc & illi à prima quidẽ massa.* Pergit iste in plura, nobis sufficiat seml vidisse, quod mundiales, & cultũ, & supliciũ parant per cruces, nec sine labore aliquis honor paratur ab illis, quãdo, & idola non scandunt altaria, nisi per asciã, per ignẽ, vel crucẽ. Hinc rectè monet D. Chrysost. hom. 4. ad popul. *Nam etã si pulcherrimũ hunc laborẽ nõ desudes, qui circa pœnitentiã virtutẽ est, & in mundo omnino vel aliter laborabis. Sed si labor & hic, & illic, quare non hunc colligimus multũ habentẽ fructũ?* Vbiq; tibi cruces occurrunt, vbiq; labores, & dolores, gemitus, & lacrymæ, siue ad dexterã, siue ad sinistrã declines. Fuge ergo sinistræ labores, quibus cruciaris, quibus cæcus te conteris, vt hostes tuos faties, & cape labores dexteræ, labores pœnitentiæ, dolores Christiferæ crucis, quibus & hostes profliges, & immarcescibiles coronas capias. Sanè inclita illa fœmina Iahel de qua in lib. Iudic. ca. Israelitarũ hostẽ Sisarã domi excepit, lacteoque populo pauit, quo ipse securus se somno tradidit, dormientẽ Iahel aggreditur, & clauo ligneo transfodit tẽpora eius & miserè mactat. Quid plura? Ex quo facto pluchrè Card. Petr. Dam. ser. 40. monet, quid fidelis Christianus. *Quandiu gentillis*

*Prou. 26.* *Athan.* *Paulin.* *Tertul.* *Chrysost.* *Dam.*

*tilis populus iuxtà legem carnis voluptuosè viuebat: tanquam lac, ita vitæ suæ mollitiem, sitienti mortem nostram diabolo propinabat. At postquam sub spiritus se disciplina constrixit, innictæ mox crucis arma corripit, hostemque salutis humanæ, quem dudum voluptatis lacte potauerat, nunc pœnitentiæ munita præsidio ligno transfixit.* Nemo iam Christianus patiatur hostes suos pascere, nemo de labore suo, de dolore, de lacrymis, de gemitu lactet diabolum, sed siquidem vbi laborandum est, non laborer, nec gemat sub sinistra cruce, sub pistrini ergastulo, sed sub cruce Christi, qua transfigat hostes, & sempiternis potiatur gaudijs.

## §. XVII.

### *Vt iustitia diuina non in vindicando, sed etiam in parcendo consistit.*

ECce tibi vt diuinæ iustitiæ satisfaciat Dominus ab Hierosolymis in Caluariæ montē festinat, vbi sese iustitia Dei aduersus peccatores ostendit. Sed cur iustitiæ actio in monte extra ciuitatem peragitur? Crediderim humanæ iustitiæ rigores, qui in vlciscendis iniurijs exercētur, suspectos esse diuinæ iustitiæ, vt quæ etiā in parcendo consistit. Ita Oseæ 11. ait iustissimus Dominus: *Non faciam furorem iræ meæ, non conuertar, vt disperdam Ephraim, quoniam Deus ego sum & non homo. in medio tui sanctus, & non ingrediar ciuitatem.* Expendo quid à Deo caueatur, nimirum non ingrediar ciuitatem, quasi dixerit, alius ego abijs, qui iustitiæ seruandæ inuigilant in ciuitatibus. Ibi iustitia vindex est iniquitatum, ibi iustitia est iniquis parcere. Sic apud D. Hieron. *Non sum, ait, vnus de ijs, qui vrbibus habitant, qui humanis legibus viuunt, quibus ius summa est, mea autem lex, meu iustitia est saluare correctos.* Proh præclari iudicis ingenium! Tunc iustissimus iustitiæ satisfacit Deus, quando reis salutis pandit thesauros, non solum quando mundum submergit, non quando populos comburit, sed quando pro hominum salute profudit sanguinē. Ea est diuina iustitia, quæ correctos saluet. Pulchrè Dauid Psal. 84. *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt.* Iustitia, quæ gladios stringit, quæ ignes vomit, quæ profundit diluuia, tota osculis vacat, & nihil reis prius parat quam pacem, quā salutem, & incolumitatem. Sed quæ hæc iustitia est. Sanè iustitia sapientissimi Dei, qui tunc iustitiam exercet, quando in reos fontes, aperit pietatis. Sic loquitur Andr. Cretens. sem. de Annunc. Dei iustitiam cōmendans: *Iuxta quā*, inquit, *qui natura sua benignus est, iustissimè decreuit, vt filius eius proprius in nostræ simili comparens forma aduersarium nostrum condemnaret.* Non enim in fonte pietatis & benignitatis alia iustitia inueniri posset, nisi qua sciret iustissimis seueriſsimisque legibus per misericordiam satisfacere. Hinc etiam Psalm. 117. ait Christus Dominus: *Circumdederunt me sicut apes, exarserunt velut ignis in spinis, & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.* Sed ò Domine quam egisti vltionem tantorum hostium? Qualē de interfectoribus tuis sumpsisti vindictam? Sanè qualis decebat omniū Dominum illos à peccatis in gratiam suam transferendo. Ita Diu. Augustin. ibi: *Vltus sum in eos, quia & ipsi malitia, quæ in eis iustos persequebatur extincta Christiano populo societate fuit.* O nouum vindictæ genus! Tunc scelera Dominus se putat vindicare, non quando perdit sceleratos, sed quādo correctos saluat. Id notū habebat D. Leo. ser. 8. de Pas. exclamans: *O admirabilis potentia crucis! O ineffabilis gloria passionis, in qua & tribunal Domini, & iudicium mundi, & potestas est crucifixi! Traxisti enim Domine omnia ad te, & cum expandisses tota die manus tuas ad populum non credentem & contradicentem tibi, confitendæ maiestatis tuæ sensum totus mundus accepit.* Ecce vbi tribunal exhibetur Dei, nimirum in cruce, in qua misericordiæ fōtes aperiūtur, ecce vbi iudiciū à Domi no exercetur de mundo, vbi confitēdæ maiestatis sensum totus mundus accepit, quippe Dei iustitia est saluare correctos. Nec non Psalm. 71. dicitur: *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* Quasi iustitia eius eo spectet, vt correctis propinet pacis abundantia. Quare elegāter Chrysost. ibi ait: *Orta est ergo in diebus eius iustitia. Qualis est ista iustitia, nisi vt dominus carne induta, & hominē oculis humanis demōstraret, & diuinitatē occultaret? Quæ iustitia, vt traderet se pro omnibus hominibus, & pro Ecclesia vbique diffusa? Quanta iustitia nisi vt omnia toleraret iniustitia, ex improbitate Iudæorū, & suā iustitiā demōstraret ferocitati eorū? Ecce orta est in diebus iustitia. Quæ iustitia pietati cōsan*

*tia est, tolerantiæ conglutinata. Nulli malum pro malo reddere, cum omnibus hominibus pacem habere, por inimicis orare?* Plane huc etiam spectabat Psal. 30. vbi hæc verba à Dauide dantur: *Muta fiant labia dolosa. Quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem.* Iustus enim reputatur quatenus obloquentibus dolosis labijs parcit. Ita Nicephor. in Cat. Gre. ait: *Iustum se ipsum appellat, eo quod hostes suos nunquam affecerit iniuria.*

## *Ioann. 19.*

*Textus.* Scripsit autem titulum Pilatus, & posuit super Crucem: erat autem scriptum Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.

## §. XVIII.

### *Crux Christi corona, & diadema Imperij duraturi, & stabilis.*

CRucifixo Domino Regius titulus additur, quem non tellet Iudæorum malitia, quæ enim à cruce, & ærumnis exsurgunt diademata nullis inuidiæ, & malitiæ calumnijs subiacent. Enim vero cum adolescens Ioseph in Regnum subleuandus est, ne inuidiorum maledictis daretur locus, ex carceris nueruo ad diademas sumitur. Id quod expẽdens D. Greg. Niss. in cap. 6. 1. ad Corinth. inquit: *Permisit Deus tentationibus probari adolescentem, aures occludentijs, qui delectantur probris, & maledictis. Si enim non dedisset Iosepho probationem, dixissent maledici à cæca fortuna hæc fieri. Inter Ægyptios regnat Ioseph, barbaris dominatur adolescentulus, quã nam ostendis virtutem pro qua virtute hoc est assecutus? Ne ergo hæc de Ioseph dicerentur, in eum permisit tentationes, vt hæ iusto viro ferrent testimonium, obstruerent ora maledicorum.* Adeò firmæ, & fixæ sunt coronæ, quæ à cruce, & neruo nascuntur, quæ non fortuito, non casu venire, vel ab inuidis hominibus credũtur. Hac prouidentia Regium Christi trophæum cruci adscribitur, vt crux ipsa ferret testimoniũ iusto viro, & obstrueret maledicorũ ora. *Niss.*

Sic Chrysos. hom. 84. in Ioan. *Vt calumniantium os obstrueret tanquã trophæo cuipiam litteras insculpsit.* Quid proderunt, ò Iudæe calumniæ tuæ? Ecce à cruce fulgent regia stemmata Christi, ibi regius eius splendor micat, vbi non cæca fortuna, sed clara virtus & stabilis, & fixa coronas parturit. Sane crux ipsa corona est immarcescibilis, vt pulchrè dicat Gilibert. serm. 20. in Cant. *Mihi, inquit Paulus, absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: & quid vultis audire? Crux ipsa corona est gloriæ, diadema regni.* Nil magis conspicuum in cruce quã Regnũ, totum crucis negotium Regiam præfert gloriam, inter vulnera, inter sanguinem, inter tormenta ipsa crux non potuit non præferre Regium titulum. O quam percaluerat crucis gloriam Angelus ille, qui post gloriosam Christi resurrectionẽ mulieribus apparens ait illis Marc. 16. *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, non est hic.* Sic inter resurgentis glorias non pudet crucis meminisse, quasi in illa esset præcipua regni Christi immortalis corona. Id pulchè notat D. Cyrill. Hierosol. Cateches. 13. hæc verba proferens: *Non pudeat crucem Domini confiteri, Angeli gloriantur dicentes: Iesum quæritis crucifixum: non potuisti Angele dicere, scio quem quæritis meum Dominum? Sed considenter dicit, scio quod crucifixum, corona enim est crux, & non ignominia.* Meritò Iesus, qui alia sui corporis decora occultabat vsque in resurrectionis diem, vnum regni titulum manifeste propalatur in cruce, quippe, & crux, Regius titulus prædicabat Regnum Christi stabile, & permansurum, obmutescente ipsa inuidia. *Chryſoſ.* *Gilib.* *Marc. 16.* *Cyrill. Hieroſol.*

## §. XIX.

### *Christi regiæ virtutes adeò magnæ, vt superent omnem facundiam creatam.*

AB alienigena, & hoste summus Imperator creaturam gloriæ suæ titulos patitur exarari, ea enim est Regis nostri magnitudo virtutũ, quæ non egeat oratorum floribus venustari, sed ipsa perse euidentissimè pateat. Quod si magnis conferenda fuerint parua, iam mihi in præsentia intonuissent verba à B. Ennod. in Panegyrico Theodorici data, dum sic fatur: *Eat tunc & coturnatis relationibus Alexandrũ iactet antiquitas, cui famæ opulentiã peperit*

*peperit os loquentum, vt per adiutricem facundiam videatur crescere rebus mẽdica laudatio. Regis nostri merita solatium non postulant æßerentis, minora sunt eius veris actibus, quamuis aucta sint veterum gesta mendacijs. Simulastis pœtæ grandia, sed fateri vos conuenit præsentem Dominum gessisse potiora.* Verius de summo Imperatore Iesu hæc dicta capio, cuius merita & ingentes virtutes solatium non postulant asserentes, pulchriores sunt omnibus Rhetorum floribus, maiores omni facundia creata. Quid magis solẽne in Principum funere, quã sonantibus æribus, buccinis tonantibus, largisque oratorum acclamationibus defuncti Principis magnalia celebrari, vt per adiutricem facundiam videatur crescere rebus mendica laudatio? At in Iesu funere non clamosa æra, non loquacia pulpita, sed petræ scissæ sonant Matth. 27. Petræ sonus humilis est, abiectus est, sed qui incredibilem prædicet morientis magnitudinem, quæ non egeat asserentis solatium. Dauid Psal. 103. diuinæ laudis cantores notat aiens: *Super ipsas volatilia cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces.* Non floridis rhetorum, nec de conturnatis orationibus, sed de petris resonant diuinæ laudes. Id quod perpendens August. fatur: *Modo si dicam vobis credite, hoc enim dixit Plato, hoc dixit Pitagoras, hoc dixit Cicero, quis vestrum non irridebit me? Ero enim auis, quæ non de petra emitto vocem meam. Quid mihi dicis de Platone, & de Cicerone, & de Virgilio? Habes ante te petras montium, de medio petrarum mihi da vocem tuam. Audiantur quia petræ audiuntur, petra autem erat Christus.* Vbi audiendus est, vbi celebrandus est Christus, non Rhetorum bombos, nec Pœtarum ampullas requiras, sed de facili humilique sono eius extollitur gloria, & super omnes Imperatorum fabulas eius veritas illustrior percipitur. Vnus pro mille hic supponendus est Cyrill. Alexand. libr. 3. in Isaiam libr. 5. vbi sic loquitur: *Non propter nudam, & solam pœmatum magnificentiam, admirari decet vniuersorum Dominatorem Deum, sed propter ea quibus nos affecit beneficia, suæ serenitatis, & placabilitatis dans speciem. Seruauit enim mortales, genusque humanum omnino perditum à morte, à corruptione, à diaboli tyrannide asseruit.*

## §. XX.

### *Lectio sacra efficacissima ad conuertendos animos.*

BREVIS sanè scriptura fuit titulo crucis exarata, sed cuius vim effugere non potuit rebellis in primis latro, qui enim consortio Iesu ab Hierosolymis in Caluariam restiterat, vbi tituli litteras conspexit à lectionis efficacia clamauit: *Domine, memento mei, dum veneris in Regnum tuum.* Luc. 23. Sanè tituli lectio Regnum suggesserat, vilem latronem in regios spiritus transmutabat. Quod acutè notauit Arnold. Carnotens. de 7. Verbis Domini, vbi fatur: *Licet tam insignem titulum deleri perfidia Iudæorum clamose expeteret, obtinere nullo modo prævaluit. Iam ad hanc scripturam pertinebat latro crucifixus, & cum intra se illæ litteræ colligebant.* Arnold. Proh litterarum efficaciam! Paucæ litteræ rudem, & rebellem latronem ad Regnum trahunt, valent equidem litteræ in se colligere, & sibi assimilare cuiuscumque. Sic de B. Epiphan. lectioni sacræ incumbente scribit Din. Ennod. in eius vita aiens: *Pingebat actibus suis paginam quam legisset, si Prophetæ fuisset in manibus prophetãe videres, codice amisso, lectorem, si testamenti veteris recensuisset volumina, Moysi dignus æmulator incedebat.* Ennod. Adeo litteræ in se colligunt, & transformant animos legentium. Meritò miratur Diu. Isidor. Pelus. libr. 1. epist. 27. quod homo lectioni sacræ deditus, adhuc existeret profanus: *Etenim ait mihi valde mirari subijt quin factum sit, vt diuinus amor te minime fauciarit, neque ex assidua lectione voluntatis atque instituti mutationem effecerit, qui non modo alienã concupiscere vetat, sed etiam propria spargere monet. Quare aut legens agnosce, aut non agnoscens lege.* Isod. Pel. Hoc similiter ego consulam omnibus, qui suæ cupiunt infirmitati mederi, nimirum quod legant; præsentissimum remedium est lectio sacra ad omne malum depellendum. Filios Iob ruina domus Dæmon oppressit, quid nimirum? Ait enim nuncius capit. 2. *Filijs tuis, & filiabus comedentibus, &c.* Vbi Origen. in Cat. dicit: *Eos si offendisset legentes, & dæmon non attingisset, & ad interficiendũ locus defuisset.* Omni incursui malo occludit aditum sacra lectio, non potest malũ aduersus eũ,

qui ſacris libris eſt deditus. Id quod nouerit Ionathas ille Machabæus lib. 1. ca. 12. Vbi in epiſtola ad Sparciatas ait: *Nos autem cum nullo horum indigeremus, habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris, maluimus mittere ad vos.* Etenim ſuperioribus temporibus aduerſo Marte fracti Sparciati Iudæorum aux iliũ egentes, ad Iudæos amicitiæ gratia miſerunt. Quocirca Ionathas, vos ad nos miſiſtis auxilij egentes, nos autem mittimus ad vos nullo egeates, vt potè qui habemus ſolatio libros ſacros, quorũ lectioni quotidie ſtudemus. Puer ille Eliſæi 4. Reg. 6. à Propheta docetur non timere hoſter, nec requirere auxilium externum, cui Angelorum exercitus præſto erat. Ex quo D. Ambroſ ſerm. 1. in Pſalm. ſic loquitur: *Et tu lege Prophetam, vt viduas, lege, vt aperiat oculos tuos, ne te hoſtilis legio perterreat, obſeſſum eſſe te credas, qui liber es, qui munitus es ſpiritualibus turmis, ſi Prophetam non derelinquis.* Nullum non munimen inuenies in ſacrorũ librorum lectione, hac munitus, nullo egebis, vt hoſtes deuincas, vt auxiliante Dei gratia viam ſalutis curras inoffenſo pede. Dauid Pſalm. 118. *Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini.* Sanè beatitudinis radix immaculata vita eſt, & cum diuina lege conformatio, qui vita immaculatus fuerit iam totũ habet quo ſit beatus. Addit tamen Dauid aliud, nimirũ: *Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius.* Vbi Diu. Auguſtin. *Non mihi videtur aliud his verbis beatitudinis genus cõmemoratum, quã illud, quod antea dictum eſt, nam ſcrutari teſtimonia Domini, & cum in toto corde exquirere, hoc eſt, immaculatum in via, & in lege Domini ambulare.* Itaque ſcrutator ſacrorum voluminum is immaculatus in via & beatus eſt.

*Mach.* *4.Reg.6.* *Ambr.* *Pſal. 118.* *Auguſt.*

## §. XXI.

### *Ne ampliſsimos titulos, ſed ſimplicem virtutis veritatem amplexare.*

QVAM paucis diuinis Regis abſoluuntur tituli, ait enim Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum! Nonne Iſaias copioſus fuit agnominum, & titulorum eius enumerator? Vbi ſunt illa, & vocabitur nomen eius: *Admirabilis, Deus fortis, Princeps pacis, pater futuri ſæculi*? Cur de nullo iſto titulo Rex noſter agnominatur? Sanè qui veritatẽ habebat, non curat vocabula. Nil magis tritũ, quam quod Romani Cæſares Diui vocarentur, vt paſsim habes inter legislatores Diu. Iuſtinianum, à quo titulo primus abſtinuit Rex Theodoricus Italiam nactus. De quo pulchrè diſſerens B. Ennodius in eius Panegyr. ait: *Maiores noſtri Diuos votauerunt, quibus ſceptra collata ſunt: ſingulare eſt actibus implere ſanctiſsimũ, & venerãda nomina non habere. Rex meus iure dicatur alienus, vt Diuus vitã agat ex fructu cõſcientiæ nec requirat pompoſæ vocabula nuda iactantiæ, in cuius moribus veritati militant blandimenta maiorũ.* Non de nomine, ſed de veritate curãdũ, noſter enim Rex Chriſtus Dominus ampullatos titulos vitans, venerandaque nomina diſsimulans hoc egit, vt de diuinitatis gloriaretur veritate, non requiſiuit põpoſos titulos, ſed vt diuus agebat ex fructu conſcientiæ referens in ſe verã diuinitatẽ. Accinit Orig. hom. in Matth. 35. Vbi ponderans, quod Summus veteris legis Põtifex ineffabilis Dei nominis inſcriptione nobilitabatur, at Chriſtus nominis magni litteras diſsimulabat in ſe paternæ ſubſtantiæ veritatẽ, diuini Patris effectus receptaculũ, ita fatur: *Princeps quidẽ Sacerdotum ſecundũ litterã legis portabat in capite ſuo ſanctificationem Domini ſcriptã in metallo.* (Sic põpoſi Regum tituli, & glorioſa agnomina inſcribuntur auro, vt clariùs Principũ ſplen deſcant de cognominibus magnalia:) *Verus autẽ Princeps Sacerdotũ, & Rex Ieſus in cruce quidẽ habebat ſcriptũ. Hic eſt Rex Iudæorum, ſuſcipiens Patrem in ſe pro litteris, & pro nomine, qui nominatur, & habet eum coronam, & dignus eo effectus, & ſolus ſufficienter Patrem capere poteſt.* Contẽpto Regis Iudæorum titulo gaudet, dimiſsis diuinitatis agnominibus, habens loco ipſorum veram ipſam patris diuinitatẽ, nec requirit tituli pompoſa vocabula in cuius moribus veritati militãt diuini patris magnalia. Sufpecti inde ſint omnes creati ſplendores, omnes tituli nobilitatis, vna veritas virtutis firma, & conſtans eſt adamanda præ alijs. Nonne ſuſcepturus Dominus baptiſmum in Iordane omnia natiuitatis ſuæ decora demonſtrauit? Quid tunc ſupra eius caput effulſit? Lucas capit. 13. ait: *Deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum.* Expendo illud, *ſicut columba*, vbi quã plures expoſitores non veram columbã, ſed adum-

*Iſaiæ* *Ennod.* *Orig.* *Luc. 13.*

adumbratam interfuisse aiunt. Sed cur cum diuini Regis stemata pendebantur, non ad fuisset vera colūba, nouerat enim mundiales Principes de alitibus stemmata sua nobilitare? Equidem Dominus non titulos, sed veritatem solidam amat. Sic
*Ambros.* Ambros. lib. de Ijs, qui mysterijs initiatur cap. 4. rationem reddens cur colūba non interfuerit, ait: *Quid tam verum, quā diuinitas, quæ manet semper? Creaturæ autem non potest veritas esse, sed species, quæ facile soluitur & mutatur, simul quia eorum qui baptizantur in specie esse debeat, sed vera simplicitas.* Procul estote à filij Dei stēmatibus creata decora, perpetes alites columbæ de argentatæ, nutrimenta mendaciorum præclara, qui enim de veritate gaudet solam amat diuinitatem, de solo diuini spiritus halitu gloriatur. Sic à filiorum Dei oculis creaturæ amouentur, & vna Spiritus sancti maiestas manet, vt doceamur, non ad vmbratas gloriæ imagines, sed veritatem virtutum adamare.

## §. XXII.

### *Spectantium oculi leuamen afferunt patienti maximum.*

EXpendo tandem inscriptionem tituli, nimirum Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, quam inscriptionem, ait Eu-
*Eutym.* tymius Matth. 27. *Pilatus scripsit in patrocinium Christi.* Sed vnde ex hac inscriptione patrocinium Christi? An, quia regius splendor leuamen aliquod inter tot iniurias posset afferre? Imo maximā doloruū patrem regia Christi dignitas abfu-
*Sinait.* mebat. Audite quid prædicet Diu. Synesius lib. de Regno dicens: *Mihi crede regium corpus minime labore tentatur, quisquis enim palmam laborem capessit, nequaquam labore vincitur. Rege autem corpus exercente, atque in statuis, & sub diu agente, & in armis ætatē conterente omnes vbi vis homines quasi in theatro spectatores sunt.* Ecce vnde regij labores quantumuis maximi abfumuntur, nimirum ab spectato-oculis, quando Rex in omniū oculis versatur, nullis cedit laboribus, nullis ærūnis frangitur. Ergo Dominus non paruū potrocinum ex regia dignitate capit aduersus dolores, quos innumeris spectantibus oculis patitur. Sane hoc dolorum leuamen perquirebat Rex ille patientissimus Iob, quando à domus penetralibus egressus in patenti sterquilinij se posuit loco, ibique dicebat cap. 16. *Terrane operias sanguinem meum, nec habeat locum latendi clamor meus.* Quasi nihil tā timeret in ruina, quam dolorum suorum latebras, eo oblectandus fauore, quod eius mala, & *Chrys.* dolores noscantur. Ita Din Chrysost. in Cat. Gr. *Mos est eorum, qui in ærumnis versantur, vt nolint sua mala celare.* Nec aberranerit, qui infinitā illam Iudæorum multitudinē Hierosolymis, illis diebus manentē ad celebrandū Pascha, putet à Deo fuisse coactā, vt triūphatoris filij fa-
*Iob. 16.* cinus spectatores haberet. Danielis cap. 3. dicitur: *Nabuchodonosor Rex, misit ad congregandos satrapas, magistratus, & iudices, duces, & tyrannos, & præfectos, omnesque Principes regionum vt conueniret ad dedicationem statuæ* Hoc Rex perfidus intendebat, verum Dei prouidentia omnes hos congregabat, vt triū puerorum agon omnibus his fieret spectaculum. Ita Diu. Chrysost. oratio. de sanct. Meletio, dicens: *Quando tres pueri erant publico præconio renuntiandi, & celebrandi, extincta vi ignis, fastu tyranni conculcato, confutato omni genere impietatis: ex vniuerso orbe terræ erant eis congregati spectatores: nam qui vbique terrarum erant satrapæ, & torparchæ vocati quidē erant obaliā causam illos autē spectauerunt Athletas.* Sic etsi ex toto orbe viderētur Iudæi Hierosol. cōgregati obaliā causā tamen à Deo cōgregabantur. vt maximū Christi agonem spectarent.

*Textus.* Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius (& fecerunt quatuor partibus vnicuique militum partem) & tunicam, erat autem tunica in consutilis de super contexta per totum. Dixerunt erho ad inuicem non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit, &c.

## §. XXIII.

### *Nihil Ecclesiæ fideliū magis propriū, quā vnitas, siue charitatis vnio, sine qua periclitabitur eius salus.*

HOC cauent carnifices, ne scindatur incōsutilis tunica Christi, quod non

casu, sed mysterio accidisse crediderim.

*Cypr.* Id quod doceat Diu. Cyprian. de vnitate Ecclesiæ inquiens: *Hoc vnitatis sacramentum, hoc vinculum concordiæ inseparabiliter cohærentis ostenditur quando tunica Iesu non diuiditur, nec scinditur.* Absit ab animis fidelium qualis cumque diuisio, laniationem, & dilacerationem in se patienter sustinet Dominus, in fidelibus vero quibus ipse velut ornamento vestitur omnimodam diuisionē cauet, vt qui tunc Deificam speciem à mediatore reparatā præferant, quando arctissimo dilectionis vinculo apparent coadunati. Hinc D. Greg.

*Niss.* Niss. lib. de Creat. homil. cap. 5. naturam Dei in sapientia, & amore consistere supponens ita loquitur cū homine: *Inte & verbum est & intelligentia est, quæ imitatur mentem diuinam. Itē charitas fonsque charitatis, hoc enim ait Ioannes, charitas ex Deo est. Hanc autem nobis veluti personam Christus formator nostræ substantiæ conferens ait, in hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem. Quod si dilectio nobis ista defuerit, totius imaginis species, & figura soluetur.* Hanc Dei imaginem peccato in nobis deletam Dei filius patris imago in nobis reparauit, cum in arctissimam amoris vnionem vocauit. Nullo enim magis Redemptoris opus elucet, quam in vnione, & charitate fidelium: quantum ab ista distamus vnione tantum à reparatoris elongamur mercede. Stultus ille qui apud Lucam 12. adijt Iesum dicens: *Dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* Quod vt maxime ase alienum sic repellit Dominus dicens: *Quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos?* De quo eleganter Petr. Dam. Epist. 16. ait: *Vis ergo diuidere? Non habebis Iesum iudicem, aut diuisorem, sed potius diuisionis vltorem.* Vt pote cui sola indiuisio & vnitas inter fratres placere potest. Haud multum ab scopo aberraret, qui dixerit etiā in hostibus suis quandā speciem vnitatis dilexisse Dominum. Etenim Psalm. 2. dicitur: *Quare fremuerunt gentes: & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersum Christum eius?* Ecce in quantum scelus adunantur. Sed etiā tam nefaria adunatio est, aliquomodo diuinos oculos trahit. Id quod forte attigit D. Leo. sermon. 11. de Pass. vbi ait: *Furit in vnū populus & miseretur omnium Christus.* Proh Deum amatorē vnitatis, quando in nefariissimis hostibus vnitatem etiam nefariā notat, vt ad vnitatem fidelium traducat eos qui indelictis norunt aliquam præferre notam vnitatis. Nec vmquā longius à salute fuit populus ille nequam quam ex quo tempore illorum vnitas diuisa est, & ipsi dispersi erant per totum orbem terrarū. Quo circa eleganter Diu. *Neno.* Zeno sermon. 11. de Iudæis fatur: *Sane vultis scire quantæ sit populus Iudaicus sanctitatis? Quem mare sustinuit adunatum, non potest terra vaiulare dispersum.* Quippe vt ab vnitate, pro gressus maximos in virtutis curriculis facimus, sic à diuisione grauamur, & impedimur, ne iustitiam consequamur. De sanctissimis Præcursoris parentibus dicitur Luc. 1. *Erant ambo iusti apud Deum.* Quæ verba meditatus Diu. Petrus Chrysol. sermon. 9. ait: *Ambo iusti, quia ambobus erat vna iustitia.* Quia nequirent iustitiam pertingere, nisi eiusdem iustitiæ florerent vnitate. Ergo fuge scissionem quicumque in regnū Christi cupis cooptari, ama sanctissimā in omnibus vnitatem, coronam capies. Merito Diu. Paulus ad Corinthios cap. 9 aiebat: *Multi quidem currunt, sed vnus accipit brauium.* Cur vbi multi currunt, vnus brauium accipit? An quia sola fidelium vnitas Redemptoris sui mercedem adipiscitur? Ita plane Diuus Anselm. in ca- *Anselm.* pit. 18. Luc. inquiens: *Omnes quidem Christiani, & boni, & mali pro modo suo quisque, currunt ad brabium, sed vnus qui legitime currit, idest vnitas electorum percepit illud.* Heu quam fallitur qui separatus à fratribus salutem obtinere meditatur! Quomodo salutem attingit qui Saluatoris contēnit impressam imaginē? Vbi dilectio non est, vbi vnio non est, totius imaginis Saluatoris species, & figura de est, sola vnitas brabium accipit, adeo, vt vel corporalis, & inuoluntaria separatio, & diuisio à fratribus suspecta sit, & aliquomodo reputetur exitialis. Id quod Diu. Gaud. attingit in oratio. de *Gaud.* Martyr. 40. vbi animaduertens carnificum astum, quo semi viuum vnum separarunt à reliquis sic ait: *Relinquebat vnum qui adhuc viuere putabatur, si forte mutaret in peius ipsa solitudine voluntatem.* Adeo pernitiosa, & exitialis separatio à fratribus, vt hæc separati posset deflectere voluntatem, qum rigidissimum lacunæ gelu inuincibilem probauerat. Vide lib. 5. capit. 9. paragra. 2. & supra lib. 3. cap. 8. paragrap. 40. & alibi.

*Psal. 2.*

*Leo.*

*Matt. 17.*

*Matt. 27.*

*Textus.* Prætereuntes autem blasphemabant eum mouẽtes capita sua, & dicentes: Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo reædificas. Salua temetipsum, si Filius Dei es, descẽde de Cruce. Similiter, & Principes Sacerdotum illudentes eum Scribis, & Senioribus dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere: si Rex Israel est descendat nunc de Cruce, & credimus ei, &c.

## §. XXIIII.

*Qui Christianæ virtuti insistunt, nullis hominum clamoribus, nullo prætextu moueãtur, vt in afflictionibus etiam liberari præproperent, ac festinent, sed longanimi expectent à Deo finem.*

IAM Crucem subierat Christus, iam dolores inferni sustinuerat, contenti erant Iudæi, vt crederent, si tunc descenderet à cruce, imo illudebant, & blasphemabant; si non descenderet. Quis non descenderet nisi ille, qui summam virtutis, & perfectionis in se habebat, qui vt de Eleazaro, *Amb.* ait. Amb. *In moriendo tormentis factus cæteris perseuerantiæ, & longanimitatis magisterium?* Liceat in præsenti afferri verba strenui Ducis Quinti Fabij, qui cum à militibus reprehenderetur, imo ignauiæ, & pusillanimitatis notaretur frequentibus vulgi clamoribus, quod non statim prosiliret in hostem, *Silius.* hæc verba dedit apud Silium Italicum lib. 7.

*Feruida si nobis corda, abruptumque putassent*
*Ingenium Patres; etsi clamoribus inquit*
*Turbari facilem mentem, non vltima rerum*
*Et deplorati mandassent Martis habenas.*

Nec sane diuinus Pater deplorati hominis salutem mandasset Christo Domino, si eius mentem clamoribus turbari facilem nosceret, si abruptum ingenium, & feruida illi corda esse. At quantumuis turbæ, & Principes clament, quantumuis blasphement, etsi fidem spondeant, in cruce tamen ducit longanimus persistendum: nec antea descendet, mortalesque euadet laqueos, quam à patre, cuius iussu in mortem venit, ad vitam euocetur. Sic te cõpara quicumque Christianæ virtutis studiosus es, eam longanimitatem indue, qua non festines pro Deo periculis acceptis expediri; sed medijs illis virtutis cõsumationem expectes. Sanè Actor. 16. Paulus in carcere agens vinculis præpedit⁹ media nocte sen *Act. 19.* sit vincula confringi, portasque carceris diuina virtute aperiri. Quid tunc? Festinauit egredi? imo ibi quietus perseuerauit, donec Carcerarius accedens; *& tremefactus procidit Paulo, & Silæ ad pedes, & producens eos foras, ait, &c.* Hæc noua recentiaq; sunt, accipe etiam vetera, ex Dan. cap. 3. vbi conspicui sunt tres illi adolescẽtes, qui pedibus, & manibus colligati in ardentẽ fornacem missi sunt; sed ab igne blanditer accepti, consumptis vinculis, medias inter flãmas fornacis illæsi deambulabant. Liberi sunt in fornace ibique Deum laudãtes degunt, nec egredi tentant. Tunc accedens Nabucdonosor, ait *Sidrach, Misach, & Abdenago serui Dei excelsi egredimini, & venite, statimque egressi sunt.* Iam nolo amplius deberi D. Chrysosto. ponderationem, qui hom. 8. ad Ephes. hoc Pauli, & puerorum *Chrysost.* facinus sic exaltat. *Quẽadmodum itaque carcerem Paulus non egrediebatur, tametsi potuisset, donec qui illum conieuerat, ipsum euocaret, & educeret: ita neque hi tres pueri caminum egressi sunt, donec qui iniecerat, egredi quoque iussisset. Quid hic docemur? ne videlicet in afflictionibus liberari anxie festinemus.* Ne vllo prætextu, vlla spe festines tuam liberationem ab his periculis, quæ pro Deo virtuteque subijsti, ne te fallant difficultates obedientiæ; sed in omnibus longanimus expectes finem à Deo præscriptum. Huius virtutis vir erat Dauid, qui à Saule mille calamitatibus affectus errans in montibus, in speluncis, ibi crudelem hostem habuit in manus, 1. Reg. 24. quẽ si occidisset

periculis liberatus regni hæreditabat insignia. Maluit tamen in calamitatibus, & erũnis expectare à Deo Finem, quam hoste perempto festinare liberationem suam. Ita
Amb. D. Ambros. in Apol. Dauid, cap. 6. inquit. *Debitum sibi imperium diu distulit, quod sciebat Deo authori sibi deberi.* Merito cuius Deus author imperij futurus erat, hoc non festinabat præripere; sed diu in calamitattibus, & ærumnis existens expectabat à Deo mittendum calamitatum finem. Famescentibus turbis post vnius diei ieiuniũ Apostoli alimoniam procurant, at vbi triduanam sustinent inediam, tunc ipse Dominus, ait Matth. 15. *Misereor super turbam quia iam triduo sustinent me.* O ingentem expectationis virtutem, quę Deum allicis, vt tibi prospiciat! Accipite Diuu. Paschasiũ, lib. 7. in Matt. santem. *Non ipse Dominus recordatur in vno saltem laborantes die, sed discipuli. Hic autem ipse Dominus recordatur eorum, & misereri dicitur, causasque miserationis exponit, quia triduo, inquit, perseuerant mecum.* Expectemus ergo, & perseueremus sustinentes calamitates, & ærumnas dabit Deus his quoque finem. Sic adumbrabantur Christianæ virtutes, sic summi Imperatoris Christi explicabatur æconomia, qui vt ex Patris mandato libere, & spõtaneè ad mortem iuit factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, sciens sibi, patre authore, deberi hominum fidem, in cruce persistens, nullo prætextu, nullis clamoribus mouetur, vt festinet descensum à cruce; sed diu suam liberationem differt vsque à patre accipiat omnium malorum finem. Huc spectet qui populariburs mouetur ludibrijs, vt ab incepta virtutis via desistat, & huic fixus Dominicæ cruci, facilè superabit omnia ludibria.
Psalm. 51. Psalm. 51, aiebat. *Dilexisti omnia verba præcipitationis*, & quidem ea sunt opprobria, & contumeliæ, quæ valeant homines præcipitare, & deturbare à recta via. Tamen Diuus Augustinus posuit, *omnia verba submersionis*, & statim addit remedium aduersus illam, dicens. *Si non vis mergi tabulam apprehende, ligno portare, crux te perducat.* Vbi enim Christiferæ cruci arcte ligatus fueris, nullis dimoueberis à virtute hominum maledictis.

(?)

## §. XXV.

### *Præpropera, & efficax crucis virtus in liberandis hominibus.*

O INGENTEM Dominicæ crucis efficaciam, vix Dominus crucem ascenderat, & iam humani generis hostes aereæ potestates crucis virtutem expauẽt, & in destructionem crucis armantur! Huc spectabat ille popularis, & Pharisaicus clamor, *descendat de cruce, & credimus ei.* Quod dæmonum stratagema subodoratus
Hil. D. Hilar. ait, *dæmones hoc eis immiserunt, qui vellent, vt descenderet, statim enim crucis virtutem senserunt, & vires suas confractas.* Non vox illa erat crudelissimorum hominum, sed meticulosi, & percussi dæmonis, qui iam crucis acumina expertus, nullum non mouet lapidem, vt illius haberet efficaciam. Nec tunc primum; sed ex eo tempore, quo crucis audiuit vocabulum, territus fuit illius efficacia, & totis viribus curabat crucem de medio tollere. Quod in Iudæ pœnitentia, & in somnis vxoris Pilati,
Ignat. animaduertit D. Ignatius, epist. ad Polycarp. fatus. *Cum paranda esset crux, diabolus tumultuabatur, & pœnitentia immisit proditori, & mulierculam turbans insomnijs, vt à crucifixione cessarent, inducere molliebatur, suam ipsius perniciem sentiebat.* Hæc crucis virtus erat, quæ ex tunc pũgeret, & torqueret diabolos; non expectat crucis erectionem in Caluaria, iam vel ex notione vocabuli dæmon territatur, & perniciem suam, & hominum trophæa præsagit. Ad hæc notanda illa Domini verba suos monentis, cum
Matth. 16. adhuc viueret. *Si quis vult venire post me, tollat crucem suam.* Quæ ponderans D. Ti-
Timoth. motheus Antioch. orat. de Cruce, & Transfigurat. ait. *Orem admirabilem, nondum crux à Iudæis fabricabatur, & crucis trophæum fidelibus monstrabatur!* O almam crucis vim, & efficacitatem! Quid mirum si dæmones Iudæis iam clamantibus crucem, crucis virtutem præsentiant, si antequam crux in mentem Iudæorum veniisset, iam sub illius trophæis fideles inaugurabantur? De
Nazian. ante lucana crucis efficacia. Pulchrè Naz. Apol. 1. fatur. *Quibus armis aduersus diaboli insidias instruar? Quis hunc profligauit? Moses manus in monte extendens, vt crux adumbraret, & ante indicata victoriam ferat.* Quãdoqui-

doquidem crucis nondum fabricatæ virtus armabat fideles, quam modo cruce existente illa Christiana Ecclesia armabitur? Accipite D. Anastas. Sinait. lib. 11. Examer. Vbi sic depingit Ecclesiam armatam. *Non vides infracta, & inuicta arma, in quibus Ecclesia Dei conterit, & aufert caput serpentis? Crucem, inquam, & corpus, & sanguinem Iesu.* Hæc sunt arma, quæ vel à serpente adorata totum eius Imperium labefactantur, quibus munitus Christianus, vbique se ab hoste timeri facit. Sanè de Mirmilli scuto pulchrè aiebat Alciatus.

Sinait.

*Bina pericula vnis effugi sedulus armis*
*Cùm premerque solo, cùm premerque salo*
*Incolumem ex acie clypeus me præstitit: idem*
*Naufragum, & appensus littora ad vsque tulit.*

Quæ melius, & verius de cruce Dominica asserit Sophronius, his verbis. *Habeant crucem in terra simul grandientem, in mari simul nauigantem comitem tanquam salutis vtique largitricem, omniumque incommodorum profligatricem.* Hæc ille: quibus addere licet illud Psalm. 103. nimirum. *Hoc mare magnũ & spatiosum; ibi repentia quorum non est numerus.* Vbi D. August. sic loquitur. *Repentes tentationes quis numeret? Repunt, sed cauenę surripiant. Vigiletur in ligno, etiam in aquis in cruce nauigamus, etiam influctibus tuti sumus.* Et vbi non tuti si à cruce portamur? Habet equidem crux eam vim, qua nullis periculis parcat. Quid plura? Et lignum quodlibet, ob crucis cognationem, benefacturos Dei oculos à se rapit. Nonne inter multam turbam vnus Zachæus Deum sibi deuinxit? Cur is? Sane in arborem ascendit, & de cognatione crucis, nõ potuit, non placere crucifigendo. Ita D. Hieron. de vera Circunc. fatur. *Sycomorum qua Dominus erat transiturus ascendit: tunc velut de cognata necessitate à crucifigendo conspectus in arbore cognoscitur, & filius dicitur Abrahæ.* Equidem sola Christiferæ crucis similitudo potis est oculos diuinos rapere, vniuersaque mala profligare. Id prænotabat Moyses Exod. 17. de quo dicitur: *Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalech.* Quod meditatus D. Cyril Alexan. libr. 3. de Iustific. in Christo, ait. *Attollente manus Moyse, fortior erat Israel; remittente languebat, & superabat Amalech: neque enim à diabolo, neque à quouis alio hoste quamuis expugnandi cupidissimo, vinci vllo modo potest non modo vniuersus Israel, sed quicumque Christo conformes esse, præclarum duxerunt, eius opprobrium, id est, crucem illius venerandam perferendo. Cæterum qui cumque non acceperũt, crucem, ij quod auxiliatore carerent, hostium incursionibus patuerunt.*

Sophro.

Psal. 103.

## CAPVT V.

### De Verbis à Christo Domino factis, & alijs circa Crucem gestis.

SVFFIXVS Dominus cruci septies verba dedit, verba, inquam, virtute, & mysterijs plena. Interea deficiente solis luce, tenebræ opperuerunt terram, impiaque æternam timuerunt sęcula noctem. Iustum enim erat, quòd cœli lumina, & luminum patrem occisum parentarent, & occisores funestæ noctis terrore concuterent.

*Luc. 23.*

*Textus.* Iesus autem dicebat: Pater, dimitte illis, nõ enim sciũt quid faciunt.

### §. I.

*Christiani sanguinis propria virtus hostilibus animis inimicorum veniam largiri.*

HAEC propria Christi Domini vox *Ignosce illis*, etiam hostibus, etiam diris inimicis sub maximo iniuriarum inimicitiæ ardore. Hic sanguis noui Testamenti melius loquens, quam Abel, vt potè qui non vindictam; sed veniam, sed misericordiam, sed omnimodam indulgentiam clamet. Pulchrè Arnoldus Carnot. *Nullus omnino seuientati locus ibi esse poterat, vbi vulneratus Christus proprij mercedem sanguinis exigebat.* Hæc erat merces debita sanguini diuino, quod profussoribus parceretur, quo nullus manebat locus, nec dabatur actio, vt tanti facinoris patratores seuerè

Arnol.

plecti

plecti possent. Hinc Lucem capit locus Matth. 23. vbi rebelles Iudæos minatur Dominus, dicens: *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terrã à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum, & altare.* Quibus certum est commonefactos miseros Iudæos de excidio, & pernicie illius populi post Christi Domini mortem facta sub Tito, & Vespasiano, qua in eis vindicandum minatur omnem sanguinem iustum ab Abel, vsque ad Zachariam; quorum alter nouissimus est de interfectis ante aduentum Domini: sed post Zachariam occisus est Iesus, occisus est Stephanus, & Iacobus minor, & alij, cur ergo de sanguine istorum vindicando tacet? An Christianus sanguis non exquiritur, non vindicatur? An non perditus est ille populus ob facin⁹ in Iesum admissum? Hoc testantur scripturæ, hoc clamant Patres, hoc vniuersa Ecclesia pro certo habet. & quidem extincti sunt Iudæi ob profusum Christi sanguinem; sed non petente sanguine; imò reclamante, imo exigente contrarium, adeo, vt ex solius sanguinis Christiani prece, nulla daretur actio, nec locus seueritati in inimicos castigandos. Explico rem exemplo quotidiano. Est in populo homo nequam sicarius multorum homicidiorum reus, qui tamen Principum fauore sæpè sæpius à iudicum manibus ereptus ante sententiam latam. Tandem qua est homo feritate aggreditur nobilem, & spectatissimum adolescentem, tũc iudex summè iratus hominem arripit nefarium, protestans, & iurans illum sine vlla indulgentiæ spe fore trucidandum. Rogant veniam nefarissimi hominis patroni; sed repelluntur, cuius rei conscius adolescens ipse male percussus iudici adest, & iuridice percusoris sui postulat incolumitatem, liberaliterque admissum in se facinus condonat. Hinc patroni rei vrgent iudicem, vt seueritatem deponat, læsa ipsa parte condonante. & pars ipsa læsa etiam instat veniã percussori flagitans. Nec his iudex à sententia dimoueri potest, & dum se videt conueniri à parte condonãte, ne à decreto desistat, & tantus reus liber euadat, confugit ad vetera alia eiusdem scelera, propter quæ illũ ait, summa seueritate castigandum, quicquid alij expostulent, & reclament. Sic in præsenti Iudaicus populus multos occiderat Prophetas, innumera flagitia in sanctos perpetrarat; sed semper à seueri iudicis Dei manibus istorum oratione eripiebatur. Donec ausus est in Iesum adolescentem secundum, & in delitijs æterno Patris tunc iustitia diuina scandescens in Iudæos summam nefarij populi per Romanos decernit stragem. Verum ipse Iesus percussus iustitiæ astat, propriasque iniurias condonans, homicidis exorat incolumitatem, eaque instantia vrget iudicem, vt ipse decreto firmus condonantem videns læsam partem ad antiqua etiam scelera cõfugiat, protestans tunc saltem vindicandum summa seueritate veterum interfectorum prosum sanguinem. Dabit nunc, ait seuerus iudex, pœnas populus nequam, nũc sine miseratione vindicãdus est in illis sanguis omnis profusus à sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ. Id pulchrè attigit D. Hilar. canan. 24. dicens: *Idcirco sanguis Abelis, & Zachariæ super Iudæos veniet, quia iam in illis habitans Christus, & prædicans passus fuerat.* Hilar. Expende illud, quod idcirco castigatur populus, propter veterum sanguinem effusum, quia Christi sanguinem profuderunt nouiter, quia hac effusione sanguinis Iesu irata iustitia, & fixo decreto determinata ad perdendum tam nefarium populum, cum ex nouo Testamento sanguis Christianus condonans persequutores, clamet condonationem, vt firmum maneat seueritatis decretum, ne euadat re⁹, ad vetera confugit, veterumque iniuriæ expostulantur, quæ vindictam clamant sine misericordia. O seuera, & rigida vetustas ad perdendum homines nocuos! O benigna, & mitis nouitas, quæ crudelissimos quosque hostes cõdonas! Pulchrè D. Chrysostom. hanc Noui, & veteris Testamenti differentiam notat, homil. 8. ad Ephes. in tribus pueris fornace Babylonica inclusis, & in Paulo, & Syla nigrum in carcere cõiectis. *Psallentibus his motus est carcer, apertæque sunt illius ianuæ, & illis quoque psallentibus soluta sunt vincula, & pedum, & manuum. Hic apertus est carcer, & illic apertæ sunt ianuæ camini ardentis. Hic soluebantur, qui simul vincti erant; sed dormiebant; illic vero aliud quid ab istis accidit. Combusti sunt ministri, qui in caminum pueros istos iniecerant.* Ecce vobis sanctos viros in iustitia, patientia, & tolerantia persimiles, quam dissimiles sint in vindicandis illatis pœnis, qui nouum Testamentum Christi sunt sequuti, omnibus prosunt, etiam inimicis, etiam hostibus, à quibus in carcerem missi sunt, solutionem vinctis, & carceratio ipsi vitã largientes, qui vero sub veteri viuunt testamento pœnas suas in persequutores retorquent, & tormentorum ministros flammis ardentibus torrent. Non sic noui

Testamen-

Testamenti meditator Dominus, imò in necis suæ ministros veniam clamat, & misericordiam. Adeò vt nec Christi vmbra inueniri queat, quæ amorem, & charitatẽ in fratres non parturiat. De Iosephi fratribus dicitur Gen. 37. *Qui cum vidissent cum procul, ante quam accederet ad eos, cogitauerunt eum occidere.* Etenim non sinũt eum appropinquare, sed adhuc longe agentem volũt interimere, cur in procul stãtem insæuiũt? Pulchrè D. Amb. lib. de Ioseph, capitul. 3. *Ideo in sæuiebant, quia non appropinquauerat eis Christus. Nam si appropinquaret his typus Christi, fratrem vtique dilexissent.*

Gen. 37.

## §. II.

### *Sanguinis profusionem decorat, & cõronat inimicorum amor . & dilectio.*

MAIOREM charitatẽ nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis, aiebat Dominus aliquando; sed dum cruci sufficitur animam ponẽs nouam addidit suæ charitati pulchritudinem, nimirum inimicis misericordiam illargiens. Enimuero excitãte Domino suos ad iracundiæ depositionem iniuriarumque obliuionem Matth. 5. inquit D. Hilar. *Pulcherrimo ingressu opus legis cœpit excedere Dominus.* Quasi nil magis pulchrum Christiano esse possit, quam dimissis iniurijs, firma inimicos amplecti charitate. Hinc D. Aug. serm. 50. de Verbis Domini ait. *In hoc maximè innotuit Iudæorum cæcitas, dum ipsum pulcherrimum pro inimicis orantẽ non cognouerunt.* Eum illi decorem tribuebat oratio pro inimicis, ea pulchritudine illum exornabat etiam in passione deturpatum, vt vel ex tanta pulchritudine deberet Deus agnosci. Hinc Dominus medijs in cruciatibus positus dicitur Psalm. 44. *Speciosus forma præ filijs hominum.* Cur enim in cruce speciosus diceretur, nisi ob ingentem eius in inimicos misericordiam? Ita D. Pascas. ibi ait. *Humanitas etiam in eisdem passionibus, & iniurijs, misericordiarũ virtus esse commendatur, & ideo iure pulcher in cruce, pulcher in flagellis, pulcher in omnibus ab omnibus prædicatur.* Hoc pulcherrimũ est, maximeque decorum super illam charitatem qua effudit & profudit sanguinẽ. Vt merito de S. Stephano dicat Euseb. Emiss. *Deum pro impijs Deo plenus exorat, etiam de alieno peccato iustitiam suam cumulat, & coronam suam perfecta Christi humilitate multiplicat. Intelligamus quantum bonum sit dilectionis, quantæque res illa virtutis, quæ commendare adhuc potest passionem.* Quibus in verbis duo sunt maxime notanda. Alterũ, quod inimicorum amor martyrij coronam multiplicet: alterum, quod etiam martyriũ & profusio sanguinis commẽdetur, & pulchrescat ex affectu pro inimicis exorante. Itaque charitas illa, qua maior nulla est, nimirum qua homo suum profudit sanguinem, suamque ponit animam, hæc inquam, charitas coronas multiplicet, commendabiliorque reditur ex inimicorum indulgentia. Hinc D. Chrysostom. illud tractans 1. Reg. 24. quando Dauid infensissimum, & valde iniurium Saulem indemnem dimittens ab spelunca prosilijt, hæc inquit. *Egressus est igitur Dauid, dextram illam totius orbis pretio parem simul cum capite coronatam gestans.* Ecce tibi ex dimisso inimico Dauidis coronas adeò multiplicatas, vt non solũ caput; sed & dextera quæ sese ab inimico itẽ perauit cæde coronis redimita appareat. Quid plura? Dextera hæc par totius orbis pretio reputatur. Ecce quod totius orbis pretium? An Christi Domini sanguinis? Planè solus sanguis Dominicus totius orbis extitit pretium, quo redemptus est mũdus. Igitur vnius hominis dextera inimico parcens adeò par extitit Christi Domini sanguini, mundi pretio, vt vtriusque esset idem, & vnus sanguis, & in ipso Christo Dauidicus sese proderet sanguis persecutoribus, & inimicis veniam largiẽs. Nonne cæcus ille apud Luc. 18. ad Iesum clamabat. *Iesu fili Dauid miserere mei.* Cæcus filiũ Dauid explorat Iesum: quod notans Tertul. lib. 4. in Marcion. ait. *Nam si aliquando Dauidem in recuperatione Sionis offenderant cæci resistentes, quominus admitteretur: ideo Christus ex diuerso cæco subuenit, vt hinc se ostenderet non esse filium Dauid, & ex animi di diuersitate bonus cæcis, quos ille iusserat cædi? At quid, & hoc filius Dauid. Nam & qui Dauid offenderant cæci, nunc verò eiusdem indecoris homo supplicem se obtulerat filio Dauid, idcirco ei satisfacienti quodammodo placatus filius Dauid restituit lumina.* Sic sese prodidit Dauidicus sanguis in Iesu benefaciens generi hominum sibi infenso; sic cæci aliquando Dauidem persequuti, à Iesu beneficio affecti Dauidicum sanguinem parem totius orbis pretio deprædicant. Vtique inimicorum amor eiusdem sanguinis notam, & pulchritudinem in Iesu, & in Dauid ostendit. Nec mireris eos consangui-

1. Reg. 24.

Chrysos.

Luc. 18.

Tert.

neos

neos Iesu dici, qui bona pro malis retribuunt, quando quidem inde illos extollit
Chrysost. Chrysostom. quod sint lingua filij, & os Patris diuini. Ait enim homil. 52. ad Pop. *Cum itaque lingua tua tanquam Christi lingua sit, & os tuum quasi Patris os sit, quis iam huic fuerit æqualis honor?* Sic ille.

## §. III.

### *Inimicorum amor facit homines filios Dei.*

PRO inimicis oraturus Iesus ait. *Pater ignosce illis*, & merito tunc præcipuè Deum Patrem nominat, cum vix sit alia virtus, in qua magis filij Dei patrissent, diuinam que originem præferant. Arnoldus
Arnol. Garnot. reddens rationem huius Dominicæ orationis pro persecutoribus factæ inquit. *Poterat vtique accitis multis millibus Angelorum de tantis ludibrijs erui; sed qui præceperat percussori sinistræ maxilæ porrigi dexteram, & auferenti pallium præberi, & tunicam; se ipsum intra regulas suas concludēs voluit, vt à capite patientiæ forma procederet in membra, & in hoc æmulatio filiorum probaretur, si non se degeneres exhiberent.* At qui sapienter Dominus vt hominibus hanc virtutem persuaderet illud obijciebat Luc. 5. vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos quasi solis examen nobis proponere. Enimuero sicut ex solis conspectu probantur Aquilæ pulli de generes sint necne, ita ex imitatione solis qui æquali lumine vestit hostes, & amicos, probarentur de generes filij Dei. In hoc ergo æmulatio filiorum probatur, si non se degeneres exhibeant, quando benefacere iniurijs, & infensis hostibus placet. Ex duobus tantum hominibus iurauit Dominus naturalem filium suum nasciturum, nempe ex Abraham, & postmodum ex Dauid. Abramus tantum promissionem accepit, cum proprium filium Deo litaturus accepit. Sed Dauid quid magnum præstitit Deo, quo mereretur similem promissionem? rem pulchrè tractat Rup. lib. 4. de Victoria verbi Dei, cap. 27. his verbis. *Ratio docet non multo minoris fuisse meriti peperciss e inimico propter Deum, quam non peperciss e vnigenito filio. Hoc fecit Dauid inimico suo infensissimo quærenti animam suam, inimico Regi, cuius Regnum sine dubio se susceperaturum esse sciebat. Ob hanc maximè causam in ratum illi esse arbitramur, quod semen vel caro eius assumenda esset in filium Dei, quia maximè causa ista facit filios Dei, sicut testatur Dominus cum dicit diligite inimicos vestros, vt sitis filij patris vestri, &c.* Hoc maximè filij Dei patrissant, nec in vlla re magis filius Dei claruit, quam benigniter, & mansuete inimicos tractando Quis magis inimicus Dei, & hominum quam diabolus? Hunc tentatorem Iesus in monte sustinuit tanta benignitate, tanta mansuetudine, vt inde ille benignitatē in hostes quasi filiationis diuinæ latibulum expaueat. Id eleganter docuit D. Chrysosto. hom. 52. ad Pop. Chrys.
sic monens. *Hæc itaque reputās Domino fias pro tuis viribus similis. Te iam talem effectū diabolus ne contra quidem respicere potest. Regiam enim impressionem agnoscit, Christi nouit arma, quibus superatus. Quæ verò sunt hæc? Benignitas, & mansuetudo. Etenim cum in monte eum irruentem confregit, ac profligauit non innotescens quod esset Christus, mansuetudine cepit. benignitate fugauit.* Ex tunc vbi videt homines in hostes benignos, Regiam impressionem agnoscens, latentem filiationem diuinam timet, & ex pauet.

## §. IIII.

### *In ore tuo etiam inimicus se honoratum videat.*

QVIS inimicorū meminit, qui illos fœdis cognominibus non studeat fœdare? Ille proditor, ais, ille scelus me offendit, nec vnquam inimicum recordaris, quem fœdis cognominibus non deturpes. Non sic Dominus, imo fœdis, & iniurijs omnibus vocabulis dimissis tantum ait. *Pater ignosce illis*. Non parum honorans inimicos, cum illos meminit vt excusset. O vtinam discamus omnes à tanto Magistro, vt inimicorum nomen reuerenter, & magno cum honore tractemus. Sanè reprobus Saul 1. Regul. 20. Dauidem 1. Reg. 20.
requirens, vt humilem, & prosapia vilem notaret dicebat. *Vbi est filius Isai?* quasi dedignans eum nominare. At qui Dauid cum tantum hostem interimere posset, illi generose parcens cap. 24. rationem reddit. *Quoniam Christus Domini est*, sic hostē meminit, vt illum honoratiori, & præstantiori titulo nominaret. De quo eleganter D. Chrysost.

Chryſoſt. Chryſoſt. *Neque enim patris cognomento vocauit illum, quamquam is quoq; fuit humilis & contemptus, neque nudo ſimplicique nomine deſignauit; ſed dignitatis, & principatus titulo. Proinde tu quoque chariſſime, ne vnquã inimicum famoſis nominibus; ſed honorificis potius appelles. Etenim ſi os aſſuenerit eum, qui læſit honoris obſequijque nominibus apellare, & animus hæc audiens à lingua doctus non refugiet cum illo redire in gratiam.* Aſſueſcamus ergo omnes hanc inſignem virtutem exercere, & ſi ex animo inimicos diligere non valemus, ſaltem illos honoremus labijs, nunquam hoſtem meminerimus hoſtiliter, & iniurioſe, ſed cum honorificis cognominibus nomina eorum, & memoriam proſequamur, vt vel ſic à lingua mens edoceatur, & inclinetur ad habẽdam facilius illis gratiam. Hinc Sponſa Cant. 2. maximè placebat ſponſo dicenti. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filios.* Spinæ quid aliud facerent, quam pungere, quàm lacerare teneram roſam? E contra vero roſa, ſeu lilium neſcit non illuſtrare, & decorare ſpinas, vt meritò dicat Bernard. ſerm. 48. in Cant. *Lilium vtique pungentes ſe ſpinas illuſtrare, & venuſtare non ceſſat candore proprio. An non proinde lilium tibi imple re quodammodo Euangelij perfectionem, qua iubemur benefacere ijs, qui oderunt nos?* Equidem lilium à quibus pungitur ſpinas non ceſſat illuſtrare, & venuſtare: fœlix illa anima, quæ ſic inter inimicos vixerit, vt illos verbis non ceſſet illuſtrare, & venuſtare, vt ſic Deo Opt. Max. ſicut lilium inter ſpinas appareat. Hinc D. Ambr. libr. 1. Officior. cap. 29. à fidelium vſu docet peregrebuiſſe morem, quo inimici quique mollioris vocabulo nominabãtur. *Denique etiam aduerſarios molli veteres appellatione nominabant, vt peregrinos vocarent. Hoſtes enim antiquo ritu peregrini dicebantur. Quod de noſtris aſſumptum dicere poſſumus. Auerſarios enim ſuos Hebræi Alophilos, hoc eſt, alienigenas vocabant. Sic in libr. Reg. 1. cap. 4. Et factum eſt in diebus illis conuenerunt alienigenæ in pugnam ad Iſrael.* Huc vſque Amb. perget D. Chryſoſt. ſerm. de prod. Iudæ, vbi ponderat illud D. Matth. 25. *Tunc abijt vnus ex duodecim Iudas, qui dicitur Iſcariotes.* Cur ex patriæ vocabulo nominat proditorem, & non ex crimine? Equidem, vt illum aliquali honore afficeret. Ibi Chryſoſtom. *Quid mihi eius patriam dicis? vtinam ipſum quoque neſcire licuiſſet. Alter erat diſcipulus, qui Iudas Zelotes dicebatur, & ne appellatione cognominis fiat confuſio perſonarum: nec errore nominum proditor protegatur, hunc ab illo ſeparauit, & illum quidem de animi ſui virtute nuncupauit, iſtius malitiæ nomen abſcondit.* Inſuper Dauid 2. Reg. 15. dum monebat Ethai, vt maneret cum rebelle Abſalon, ſic ait. *Reuerte, & habita cum Rege.* Vbi Theodoretus, quæſt. 29 *Quem cum perſequeretur, & bello inuaderet execrandus filius, nõ eum nominauit parricidam, non fratricidam, ſed Regem.*

Cant. 2.

Bernard.

Amb.

Matth. 25.

Chryſoſt.

## §. V.

### *Beneficentia in inimicos efficaciſſima eſt ad depellenda omnia inimicitiæ mala.*

PVTAS, hanc Chriſti Domini orationem extitiſſe caſſam? Abſit. Vide quid dicat Gloſſa ad illud Iſaiæ 53. *& pro tranſgreſſoribus rogauit.* Vbi illa inquit. *Pater ignoſce illis: ad hanc vocem ſecundum Euangelium Nazaræorum multa millia Iudæorum aſtantium circa crucem crediderunt.* Iſai. 53.

Proh Deus immortalis! quos miraculorũ virtus non mouit, quos lingua illa lacte, & melle manans non tetigit, vox vna inimicis bona in precata in lacrymas, & compũctionem traxit? O benignitatis, & beneficentiæ in inimicos efficacia! Propone tibi ob oculos illud Dauidis facinus, quando hoſtem Regem in ſpelunca liberum dimiſit, 1. Reg. 24. Cuius Dauidis parcentem hoſti vocem audiens ipſe Saul paulò ab ſpelunca egreſſus, ait *Numquid vox tua fili mi Dauid? Et leuauit Saul vocem ſuam, & fleuit.* 1. Reg. 24.

Nolo hic deberi auream D. Chryſoſtom. orationem ſic facinus hoc decantantis. *Non iam ſuſtinuit Saul hanc vocem audire ſine lacrymis; ſed plorauit amariùs. Quid Dauide beatius, qui breui temporis momẽto ſic hoſtem è furore ad ſobrietatem conuertit? Et animum nactus ſanguinis, ac cædis ſitientem repente ad lamenta, & eiulatus compulit? Non perinde miror Moyſen, quòd ex ſaxo prærupto fontes eliciuit aquarum: vt admiror Dauidem, quod ex oculis lapideis fontes eduxerit lacrymarum. Ille vicit naturam; hic vicit animi decretum. Ille virga percuſſit lapidem; hic ſermone pepulit cor, vt purum maſuerum redderet.* Huc vſque aureum Chryſoſtomi os, vt inde tu Chriſti Domini oro inimicis rogantis ſtupeas efficaciam, vtpotè qui momento temporis rabidiſſimos furenteſq; hoſtes ad ſobrietatem tranſtulit, & nectus ſæuientem populum cruces cædeſque ſpirantem ad compunctionem, & lacrymarum lamenta traxit. Quippe induratorum animorum de

Chryſoſt.

creta mutauit, oleumque hauriuit de durissimis saxis. Validissima sanè est beneficentia in inimicos, docta emollire ad amãtes, odia consumere, inimicitiarumque damna penitus extirpare. Sæpissimè Israel Syrorum militũ sustinuerat impetũ, crebrò per singulos annos doluerat inimicorũ sub hastis. Tandem sanctus Eliseus, 4. Reg. 4. vniuersum exercitum Syrię virtute diuina in manus Israelitæ Regis tradidit, occidisset omnes iratus Rex, sed à Propheta cohibitus est, & iussus, vt potiùs iniurios hostes larga liberalitate pasceret Quid plura? Rẽ ponderat D. Amb. lib. 3. Officior. cap. 14. inquiens. *Epularibus refecti copijs quam postea in terram Israel piratæ Syriæ reuertendũ putarũt Vnde Eliseus gloriosus ignouit, quã perculit, & vtilius reseruauit hostes, quam ceperat.* O victrix beneficentia! O mansuetudo omnium simultatũ populatrix! huc adsit qui hostiles manus sibi velit esse subiectas, qui saxea inimicorum corda cupit sibi manare riuos olei, qui gloriose nititur triumphare, pascat hostes, beneficus sit in inimicos, & fœlix, & securus gaudeat.

4. Reg. 4.

Amb.

## §. VI.

### *Beneficentia in hostes regnum homini parat.*

NOn paruæ considerationis est, quod multi dicunt, nimirum cõuersionem Latronis natam fuisse ex hac Christi Domini oratione pro inimicis facta. Ita doctissimus Pater Salmeron in præsenti tract. 39. Enim verò orat Dominus pro inimicis, & hac oratione emollitus Latro huc vsque cõuitiator, ait. *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Meritò regnum manere Christo Domino tam humanè inimicos tractanti præsagit, quandoquidem beneficentia in hostes regia est virtus, milleq; regna parturit. An non simile huic euenit inter Saulem, & Dauidem, 1. Regũ 24. Sanè egressus Saul hostis accerrimus Dauidis ab spelunca, in qua facilè potuit à Dauide neci dari, vbi periculum suum agnouit, vbi se ab illo ipso, quem persequebatur, vidit liberatum à morte, vehementer commotus Dauidis charitate inter multa alia hæc illi ait. *Ecce agnosco quod regnas, regnabis, quòd regnum Israel constituetur in manu tua. Et nunc iura mihi per Dominum, quod non aboliturus sis semen meum post me, nec extinguas nomen meũ de domo patris mei.* Ecce tibi ex beneficentia in hostes cognouit Saul Dauidi regnũ parari, & illum etsi priuatè agentem, vt Regem deprecamur, & orat. Quæ eleganter attigit D. Chrys. aiens. *Sed dic, obsecro, vnde istuc scis? penes te sunt exercitus, penes te sunt pecuniæ, arma, ciuitates, equi, milites, breuiter vniuersa vis apparatus regij; hic contrà desertus ac nudus, nec ciuitatem, nec domum, nec familiã habens. Vnde igitur, te quæso, ista loqueris? nimirum ex ipsis Dauidis moribus.* Equidem is erat Dauid, qui hostem in manibus suis habitum dimittit, qui cùm se vindicare posset ab inimico potẽti, illi benigniter parcit, Dauidi ergo etsi nudo, etsi deserto, rectè Saul regnum præsagit, & vt Regem deprecatur, quãdoquidem fieri nequit, vt tãta hostium charitas regno vacet. Et quod regnũ? Sanè, quod ipsæ inanimæ creaturæ reuereantur. Numero. c. 16. quos subditos habebant Moyses, & Aaron, subitò hostes experti sunt, quorum rabiem dũ fugiũt sub nebula tabernaculi, ecce tibi ignis à cœlo missus miseros persecutores miserè vorabat, serpit ignis, crescit flamma, ardent ante Moysen, & Aaronem hostes, tũc Aaron de mandato Moysi, accepto thuribulo se inter flammas confert, vt percussoribus faueat: stetit ignis, & quasi regales veritus leges, non ausus est vltrà cremare. Id quod eleganter notat D. Aug. libr. 1. de Mirab. c. 30. dicens: *Et qui in corde proximorum culpas venialiter dimiserat, eius vestigio defensos ignis de cœlo missus vrere non audebat.* Vbi Aaronem viditerga hostes benignum, nouit ignis eius regiam potestatem, se subditum recognouit, nec ausus est vltrius suam ad præsentiam Aaronis demonstrare. Per hanc virtutem ipse Moyses principatus sui dedit auspicium, de quo dicitur ad Hebræos c. 11. *Fide Moyses occultatus est, eò quòd vidissent elegantem puerũ, &c.* Quæ hæc elegantia? Theophilactus refert, quòd recens natum parentes dum arripiunt, vt morti traderent, ipse placidè parentes occisores aspiciens risit, tunc illi placidum pueri vultum erga interemptores notantes, illum seruare curant, *adeò in ipso omnia diuina erant*, iam inde magna, & regalia puero præsagientes.

1. Reg. 24.

Chrysost.

Num. 16.

Augustin.

Ad Hebr. 11.

Theoph.

Tex. Vnus autẽ de his qui pendebant latronibus blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, salua temetipsum, & nos. Respondens autem alter increpabat eum dicens: neq; tu times Deũ, quòd in eadem dãnatione es? Et nos quidẽ iustè, nã digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit.

## §. VII.

### *Quèm non erudiat miserum stipendium à seruitute vitiorum perceptum?*

IAM diu gentium Doctor seruitutis humanæ vitijs exhibitæ declarat mercedem, inquiens, *Stipendium peccati mors*. Et si totum te vitijs deuoueas, nihilque magis ante oculos habeas ab ineunte ætate, quàm dæmonum extendere dominatum, huicque soli rei inuigiles, hoc vnum stipendij, & mercedis loco accipies, nimirũ mortis crucisque ruinam. Nonne Sacerdotes illi Baal deuotissimi erant sui idoli ministri? Igitur hi post obsequia, post seruitia multa exhibita feruentes Dei falsi adoratores pactum ineunt cum Elia, quòd ille habeatur Deus qui suorum preces exaudierit per ignem. Illucescit iam statuta fœderis dies, & ministri Baal antelucani de Elię licentia sacrificiũ instituũt: paratur magna strues lignorũ: petitur à Baal ignis: it sacrificulorum clamor irritus: addunt macerationes: venas nouaculis scindunt. Quid plura? Totum fermè consumunt diem, nec antè desistunt importuni, quàm Sol occubuisset. Tandem Elias post illos in occasu Solis accedit, & ignem de cœlo impetrat, quo miserè ministri Baal interficiũtur. Ad hæc non parui momenti exagitari solet quæstio, cur Elias veri Dei vates permiserit, quòd primi illi Baal sacrificuli litarẽt Deo suo, & in his fermè totum consumerent diem? Pulchrè respondet Theodoretus. *Ne pudore affecti ministri mendacij dicerent ægrè ferre Baal, quòd non imprimis acceperit munus, eis cessit primis partibus, & cedendo primis partibus, & totum ferè diem concedendo eis, circa occasum coegit populum, &c.* O summam Prophetæ sapientiam! Fortassè miseri sacrificuli, si non primi, si non antelucani accederent, ii integrum diem non cõsumerent, crederent ideò à suo Deo derelictos, & malè tractatos fuisse. Hinc prudẽter satis Elias cedit eis primas, permittitque, vt integrum diem consumant in suis precibus, ne vllum prætextum suæ habeãt calamitatis; sed clarè videant falsorum Deorum mercedem esse nullam præter extremam perniciem. O quoties id ipsum accidere videmus in mundo! multi enim sunt qui à Deo relinquũtur suis vitijs seruire, qui ab ineunte ætate se totos tradiderunt, vel Mercurio comparandi auri causa, vel Veneri ob voluptates, vel alijs idolis, in quorum cultu integram consumpsere vitam, postque maximos labores, post curas multas iam in occasu constituti nullum aliud stipendium tenẽt, quam mortem, quã ruinam. Vt vel tunc cogantur confiteri vitæ transactæ vanitatem, vitiorum impostu ram, idolorum mendacia, & amaritudinibus repleti ad Deũ verũ orationẽ fundere. Nonne Paulus ad Ephes. 6. vocat diabolos, mundi Rectores? Et cur mundus tradere- *Ad Eph. 6.*
tur regendus diabolo, nisi vt eius malignitate castigati mundani ad Deũ confugiant? Sic apud Luc. 16. introducitur villicus, pe- *Luc. 16.*
nes quem mundialium rerum sit administratio. De quo D. Gaudent. fatur. *Iniquitatis villicum diabolum puto esse, qui idcirco ob correctionem generis humani, huic sæculo dimissus est, vt immanitatem crudelissimi huius villici fugientes ad pietatem Dei suppliciter curramus.* Sanè permittit nos Deus sub vitiorum, & dæmonum tyrannide primi, vt vel malis in bonum erudiamur. 3. Reg. 13. Hierosolymitæ obsessi enixè à Deo liberari contendebant. Tunc Iosephus, libr. 8. cap. 4. ait. *Deus autem videns eos sic affectos, & peccata sua confitentes, per Prophetam denuntiat nolle se eos perdere: subditurum tamen Ægyptijs, vt experiantur vtrum commodius sit Deo seruire, an homini.* Quando nemo est, cui exhibiti creaturis seruitij stipendium, non sit mors, ærumnæ, ingentes cruciatus, & tormenta. Huiusmodi erat Latro iste à primis vnguiculis furtis deditus, post trãsactam vitam iam in occasu constitutus, vitiorum suorum stipendium mortem, crucemque recipiens ad veritatis accedit notitiam, & veri Dei prædicator efficitur, pum socium increpat, & dicit: *Neque tu timens Deum, qui in eadem damnatione es?* quasi innuat, quòd tantæ damnationis mercesilli oculos aperiret. Et quem non erudiret post longam seruitutem, post vigilias, post matutinas curas, in adorandis idolis tam cruentum stipendium perceptum ex vitijs? Pulchrè Diuo Zeno de Iona dicebat, quando illum audit à ceto deuo- *Zeno.*
ratum, & medijs ceti visceribus orantem. *Vigilat in ceto, qui in naui sternebat.* Sanè nauis tabulis securus Deo post tergum relicto fugiebat adeò securus, vt somno sepultus sterteret, verùm cùm in ceti faucibus sentit, ò quàm somnum excutit, & totus Argos, & totus vigil apertis oculis orationem ad Deum fundit, promittitque se pœnitentiam prædicaturum. Nouerat hoc agricola, qui in Euangelio rogabat Dominum, vt sibi permitteret sterilem ficum vltimò excolere,

facta fouea, immisſoque ſtercore per circuitum, Cuius rei ſenſum exprimēs D. Athanaſ. q. 35. dicit: *Multi enim demum reſipuere, qui per afflictiones foſſi, & per tentationes recepto ſtercore fructiferi facti protulerūt virtutem.* Quis tanto labore accepto non fructificaret? Quis tranſactis annis nullo dato, vel accepto fructu, tandem afflictionibus foſſus non reſipiſcit? Quis penè iam in mortis faucibus non euigilat, non noſcit vitiorum impoſturam? Quis poſt longam ſeruitutem à vitijs mortis ſtipendium accipiens non currit ad fontem vitæ Chriſtū? Sanè Elias, vt in principio vidimus, ad occaſum Solis coegit populum, & ſtruem lignorum multa aqua perfundens ignem à cœlo obtinuit, qui incendit ſacrificium, & inanes Baal ſacrificulos gladio dimiſit. Ita Chriſtus Dominus in occaſu conſtitutus inter Latrones oculorum ſuorū aquis perfundebat ſtruem lignorum, vt dicit D. Ambroſ. ſerm. 3. in Pſalmum 118. *Chriſtus in illo tentationis ligno conſtitus illacrymat populum, dicens. Pater ignoſce illis.* Quo ignis de cœlo deſcendit, inflammauit dextri Latronis lignum, relinquens ſiniſtrum enecandum gladio diuinæ iuſtitiæ.

Athan.

Ambr.

## §. VIII.

### *Extrema hominis miſeria, quem nec calamitates cogunt in vitam.*

MERITO increpat Latro Latronē, *Neque tu times Deum, qui in eadem dānatione es?* Nec damnatio, nec mortis duriſſimæ periculum te ad Deum cogunt recurrere? Nil magis moſtroſum poteſt inueniri, nullum extremæ perditionis clarius indicium, nihil maioris terroris, & horroris dignum. Sic Clemens Alex. in adhort. gētium malum exaggerabat, dicēs: *Non autē ex his, qui hic ſunt, carceribus fugientes, confugietis ad eam, quæ ex cœlis eſt, miſericordiam.* Ex carcere, ex vinculis, ex cruce, & damnatione non cōfugere ad cœlitum miſericordiam, ſummi doloris eſt, quandoquidem ea ſunt tormenta, & mundanæ afflictiones, quæ nos in cœleſtem viam cōpellant. Lucæ cap. 14. dicebat pater familias miniſtro: *Exi in vias, & ſæpes, & compelle intrare, vt impleatur domus.* Et quæ res tantæ poteſt eſſe virtutis, quæ homines in cœlum compellat? Vt verè ſic ſapienter Diuus Anſelmus ait. *Sunt qui in hoc mundo proſpera quærunt, & aduerſa inueniunt, & quò magis voluptates, & opes, & honores appetunt, eò punctiones, & ærumnas, & abiectiones ſentiunt. Hos igitur aduerſa compellunt, vt ad Dei cœnam veniant.* Miraberis, tam potentes eſſe calamitates, vt per vim trahant homines ad cœlum, vt eos compellant in Dominicam cœnam? Et fallor, niſi idem promiſerit Oſeas cap. 6. populo Iſraelitico, dicens: *Paſcet eos Dominus ſicut agnum in latitudine*, quaſi diceret, vidiſti aliquando, diſſipato, & perēpto ouium grege, vnum agniculum remanere, qui triſti valatu mōtis vaſtitatem per errans, priuatus maternis vberibus cogitur paſcere herbas. Ita cum populo nequam aget Dominus, ea illum calamitate afficiet, qua vndique repulſus compellatur perquirere paſcua Dei. Ita præter Theodoretum, & D. Hieronymum, explicat Rufinus, his verbis. *Gens ſubiecta hoſtibus truculentis per ſolitudinem ingredi cogetur, quam tamen non vſquequaque prouidentia diuina deſlituit, propter, quod dicit; nunc paſcet eos Deus; ſed vt impoſitæ calamitatis magiſterio intelligat.* Quam calamitatum potentiam ille noſcet, qui viderit latronem furtis deditum, vitijs innutritum ſic calamitatibus cicurari, ſic perfici, vt media in tempeſtate paſſionis, ſuæ fœlicitatis ſydus præuiderit, & ab arbore crucis ad manus reuolarit diuinas, vt meritò hanc ærumnarum vim ponderans, dicat D. Auguſt. ſerm. 120. de iuſto latrone, verba faciens. *Quem ſaluti culpa perdiderat, perditio inuenit, cruciatus abſoluit, damnatio conſecrauit.* Hinc vide quantæ malitiæ ſit huic ærumnarum virtuti reſiſtere, & contra tātos ſtimulos calcitrare, & medijs cruciatibus, tormentorumque fluctibus vſque in cœlum tollentibus perire hærens in limo profundi.

Cle. Alex.

Luc. 14.

Anſel.

Oſeas. 6.

Ruf.

Auguſt.

## §. IX.

### *Omnibus hæc virtus Chriſtianis innaſci debet, qua in aliorum ſalutem aſpirent.*

QVAM citò nouella hæc paradiſi plantatio Chriſti ſpiritum ebibit ſciens nil magis Chriſtianum, quàm proximorum perquirere ſalutem. De illo pulchrè Diuus Chryſoſtomus. *Non ſolùm intra ſe fuit; ſed & ſuas neceſſitates prætermittens aliorum vtilitatem cogitabat, & Magiſter pendebat in cruce, & ſanis perſuaſionib⁹ alium inuitabat ad vitam dicens, neque tu timens Deum.* Hæc prima Chriſtianorum virtus, ſi filios Chriſto pariat, ſi oues tanto paſtori

Chryſoſt.

pastori acquirat, si labore suo animarum se
1. Pet. 2. getem adaugeat. Nonne D. Petrus, 1. epist. cap. 2. Christianos alloquitur, illis verbis. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium gens sancta, populus acquisitionis.* Vbi Græcè habetur, *populus in acquisitionem*. Enim verò is censetur vnus è populo Christiano, qui anxiè curat acquirere Christi animas. Vnde D. Bernard. in serm. de S. Ioan.
Bernard. Bapt. ponderans præcursoris ardentem zelum, quo Herodem à vitijs nitebatur liberare, sic infert. *Ferueat etiam in nobis celus iste, charissimi, feruent amor iustitiæ, odium iniquitatis. Nemo, fratres, vitia palpet, peccata dissimulet nemo. Nemo dicat, numquid custos sum fratris mei? Nemo, quod in se est æquanimiter ferat, cùm viderit ordinem deperire, minui disciplinam.* Fallor, si Christiani saporem habet, qui hoc zelo non angitur, qui totis viribus non curat fratres custodire à peccatis, qui in vitia non scandescit, qui nouas oues Christiano gregi non curat addere. Sanè Dauid omnes inuitat Psal.
Psal. 28. 28. *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum.* Ex quo dulciter D. Petrus
Chrysol. Chrysologus, sermon. 10. ait. *Afferte, afferte filios arietum, quos sponte venire, aut necessitas vetat, aut ætas impedit, aut tenent vitia, aut delicta morantur. Adducite volentes, trahite nolentes, facite vobis de aliena necessitate mercedem. Seruum Dominus adducat filium pater offerat, non retardet. Vir coniugem deducat ad fidem. Amicus amicum attrahat ad salutem, vt de gratia diuina humanam comprobet charitatem. Peregrinum ciuis, possessor hospitē Dei ad mensam deducat. Nemo dicat, non vult, quia Abraham, vt filium offerret, colligauit; & Lot Angeli, vt subtraherent flammis, subtractum manibus subtulerunt.* Huc vsque Chrysolog. O quam tangebatur Paulus hac fratrum cura, cùm 1. ad
Chrysost. Thessal. cap. 3. ait. *Nunc viuimus, si vos statis in Domino.* Vbi Chrysost. homilia prima de Sancto Romano, fatur. *Vide quanto opere studebat, vt res fratrum rectè se haberent, qui nec se viuere existimabat, si illi salui non essent. Homo qui ad tertium cœlum raptus fuerat, atque in paradisum delatus, tantamque apud Deum fiduciam fuerat assecutus, illorum borum sensum non accipiebat, ni etiam fratres secum saluos esse vidisset.*

*Textus.* Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic verò nil mali gessit.

## §. X.

### *Peccatorum confessio ad salutem necessaria.*

NVLLAM magnam gratiam in Latrone mirabor, vbi sic audio illum sua peccata confitentem, & publicantem, non enim aliter ad Christum spectare audet, ni si Christiano more priùs humili confessione manifestet peccata. Id quod notauit D. Chrysost. dum ait. *Sponte sua peccata publicabat dicens, nos quidē iustè. Non est ausus dicere, memento mei; nisi confessione peccati sat cùm remisisset.* O bonus Latro, nōdum ad Christum locutus, & iam Christianū agis, & vel ex Christi conspectu discis, à nemine posse sperari veniam, qui non præmittat confessionē peccati. Sed forsan non mouet peccatores ista Latronis confessio, quā doquidem ille Præconis voce sua delicta publica nouerat, quorum pœnas in crucis supplicio dabat, cur non confiteretur peccata adeò nota. Igitur accipe sanctissimū Iob, c. 31. *Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meā.* Iob. 31.
Hoc erat sanctissimi viri asylum in omnibus peccatis, nimirum illorum confessio, & publicatio, aliquando culpa obrepebat eius animo; sed statim prodita confessione excludebatur. Ibi eleganter D. Greg. libr. Gregor.
22. Moral. cap. 14. *Qui se inter aduersarios nouerat viuere, & tamen non verebatur culpas voce confessionis aperire. Vnde certissimè quantæ munditiæ in omnipotentis oculis fuerit, qui & vitauit mala, ne committere, & tamen quæ eum committere contigit, hominibus non abscondit: quatenus ei, & iustitiæ sit gloria declinasse peccatū, & iustitiæ custodia, quod non potuit declinare, prodidisse. Videatur vir iste cuilibet magnus in virtutibus, mihi certè sublimis apparet etiā in peccatis suis. Mirentur in eo qui volunt continentiam, integritatem iustitiæ, viscera pietatis: ego in eo non minus admiror confessionem humillimam peccatorum, quàm tot sublimia virtutum.* Nec qui peccator est, aliter veniam obtinebit, nec Deo placebit; nisi facinera omnia sua humili confessione patefecerit. Sæpissimè miratus sum vltionem illam in Schimitis factam, ob Dinæ filiæ Iacob raptum: sanè Princeps Sichem rapuit Dinam; sed post raptum statim adit puellæ parentes, & fratres, illamque in vxorem expostulat, ingentemque dotem promittit, & quod maioris momenti est, circumciso præputio, Israeliticam religionem profitetur. Interea Simon, & Leui puellæ fratres,

arreptis gladijs religioſum, & improuiſum cognatum interficiunt, facta etiam in populo magna ſtrage, Et vt mireris, recordata Iudith, c. 9. hoc Simonis facinus, inquit: *Domine Deus patris mei Simeon, qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarũ*, puta in offenſionem, & perniciem Sichem, à Deo accepit Simeon gladiũ. Cur ita? Nonne Princeps Sichem plenam facinoris ſui ſatisfactionẽ ferat? Quæ maior ſatisfactio debebatur puellæ raptæ, quàm ea? Raptor homo nobilis, & Princeps regni illam petijt in vxorem, diuiti dote coemit, eius amore rigidam, & abſteram religionem accepit. Quid amplius debuit facere? Cur adhuc ſæuiens ira Dei in illum tradidit Simeoni gladiũ in vltionem? Dionyſius Carthuſ. hanc reddit cauſam, nimirum, quod Princeps ille nunquam inueniatur confeſſus fuiſſe ſuum facinus, nec ſe criminis reũ appellaſſe, & ideo nulla alia ſatisfactione, nec regalibus nuptijs, nec in genti dote, nec fœdere inito cum ſanctis, nec religione ſuſcepta potuit Deum placare, & ſe ab eius liberare. Veniat modo nobis in mentem Deus peccata caſtigans duorum hominum, patris, & filij, Adami, & Caini: ad Adam, inquit Dominus. *In operibus tuis maledicta ſit terra*, non tu maledictus; ſed terra, ad Cain vero, *maledictus tu ſuper terram*. Et ſane grauius fuerat Adami facinus, pernicioſius peccauerat, & multo minꝰ punitur quam filius, & à maledictione liber euaſit. Pulchre rem attigit D. Athan. quæſt. 72. veteris teſtamenti, dicens: *Eo quod Cain negauit, & à Deo abſcondit peccatum ſuum, maiorem in ſe pœnam deriuauit. Adam vero, quia confeſſus eſt magnum illud à ſe ſupplicium depulit.* Vide Adamum confitentem, mulier dedit mihi, & comedi, vide Cainum negantem nunquid cuſtos fratris mei ſum? quid mirum ſi confeſſus fugiat diuinam maledictionem, qua velut diploide veſtiatur, qui noluit confiteri peccata? Illud etiam oſtendit, quam Deo grata ſit peccatorum confeſſio, nimirum quod Deus adhoc ſignificandum relictis alijs Iacob filijs prioribus, ex Iuda carnem ſumpſerit, cuius nomen confeſſionem ſonat. Ita D. Paſchaſ. libr. 1. in Matth. fatur. *Forſitan ergo Chriſtus de Iuda, qui eſt quartus ab Abraham, idcirco naſci voluit, & tribus prætermiſsis fratribus, de quo veniret per carnem, hunc elegit, vt mox percepta gratia fidei, ſpei, ac charitatis ex noſtra Chriſtus confeſsione naſceretur.*

Iudith. 9.

Gen. 3.

Gen. 4.

Athan.

(?)

## §. XI.

### *Vtiliſsimũ homini eſt, quod cognoſcat pœnas à flagitijs ſuis in ſe profectas.*

O Latronis vox plena ſalutis, ait enim, *nos quidem digna factis recipimus*, prudẽter noſcens hos ſibi cruciatus veniſſe à Deo vleiſcente peccata. Quoties homines mala patiuntur, & illa vel temporis intemperiei tribuunt, vel inimico homini, vel alijs cauſis, nec cogitant illa ſibi immiſſa à Deo in vltionem peccatorum. Matth. 17. aiebat ille ad Ieſum illi obijciens filiũ à dæmone vexatũ. *Domine miſerere mei, quia lunaticus eſt, & male torquetur.* De quo elegãter D. Petrus Chryſol. notans malitiam, & aſtutiã diaboli, ſerm. 52. his verbis. *Aut humanæ naturæ, aut cœleſtis elementi, quod ſuæ artis erat, voluit dæmon tunc videri, aptans lunæ curſibus hominis paſsiones, vt eſſe lunæ crederẽt, quod erat diaboli criminis, & furoris.* Hic quotidianus dæmonis aſtus, qui totis viribꝰ curat, vt homines ſua mala cauſis tribuant naturalibus, vel fortunæ ſucceſſibus, vel improuidentiæ ſuæ, ne attendentes ea eſſe ſtipendia criminum, & diaboli, quærant à Deo ſanitatem. Vnde nil magis vtile hominibus, quam ſi noſcant mala omnia à peccatis ſuis parturiri, vleiſcente illa Deo. Numer. 22. curabat Iſraelitarum hoſtis, vt Balam ſacrificulus idolorum, & celebris veneficus malediceret populo Dei, ſed Deus territans veneficum, ait illi. *Non proficiſceris, neque execraberis.* Et quidem ego nõ parũ mirabar, quod Deus Opt Max. venefici maledictionem populo ſuo metueret, & illã curarit auertere. Quid ni, quod veneficus maledicat populo ſancto? ideo maledictus erit? ideo dabit maledictio pœnas? Cur ergo Deus tam anxie nititur ne maledicat? Quid ex illa maledictione metuit? Rem attigit Anaſt. Nicæn. quæſt. 32. his verbis. *Quã vim habebat vatis execratio, cui Deus prohibuerat, ne execraretur? Nullã quidem vim habebat, falſa enim tenebatur opinione. Sed quoniam populus continenter inique agens ſubſtinebat plagas à Deo immiſſas, ad eorum imbecillitatem hæc diſpenſauit. Nam ne à Deo caſtigati exiſtimarent ſe pervatis execrationem incidiſſe in calamitates, non ſiuit vatem vti execratione.* Adeo detrimentoſum eſt homini ſua mala alijs tribuere cauſis, adeo vtiliter quiſque moleſtias ſuas afflictiones, ægritudines, pericula noſcit eſſe ſuorum criminum fructus vleiſcente

Matth. 17.

Chryſol.

Num. 22.

Anaſt. Nic.

cente Deo patrata delicta. Huc refert illud Dan. 5. vbi iam iã castigandus Rex Balthasar inter pocula, vidit manum altrinsecus in pariete scribentem, ait enim: *in eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis.* Cuius rei rationem hanc elegantem excogitauit D. Isid. Pelus. lib. 3. Epist. 161. dicens: *Vt enim pictores rebus his quæ corporis expertes sunt, corpus tribuẽtes, manum solam pingere conantur, terrenorum capita corona, edimentem, quo imperium ipsis cœlitus datum fuisse demonstrent. Sic etiam illic Dei per indulgentiam se dimittentis consilio, manus visa est, vt illud ostẽderetur, omnium Regem, calculum aduersus tyrannum efferre, ac sententiam subscribere.*

*Textus.* Et dicebat ad Iesum, Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum. Et dicit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.

## §. XII.

### *Per Crucem, & labores securissime, & certissime ad Paradisum itur.*

MVLTVM debemus peccatores ærumnis, multum debem⁹ crucis doloribus, illi nos securissime, & citissime perturbulentum sæculi mare ad salutis portũ appellere faciũt. Vt merito dicat Amb. serm. 55. *Vtique latro diu oberrans, & naufragus aliter ad patriam redire non poterat; nisi fuerit arbori religatus.* Naufragus errabat miser vbique summergendus, vbique à fluctibus sæculi vorandus, incidit tãdem in crucis dolores, & nullũ metuit amplius naufragium. Sanè in huius latronis capite contemplatur Drogo, libr. de Pass. totius generis humani, & perditionem, & fœlicitatẽ. Sic enim ait. *Quis latro ille fuit, Adã? Qui ex quo in paradiso sui ipsius homicidium perpetrauit, tamdiu à Christo fugit reus, & abscondit se, donec in crucis articulo nouissime cõsumptus, & comprehensus fugere, & latere amplius, non potest.* Heu quam erraticus homo latitabat! quam erroneus mũdi delitias percurrebat, omnia moliebatur, vt Dei oblitus mũdi creatura frueretur. Vagus, & profugus perijsset; nisi crucis laqueis fuisset religatus; incidit in cruciatus, ingemitus, in dolores, & vniuersi illius errores medellã fuerũt nacti. In crucis inquit, articulo comprehensus fugere, & latere amplius nõ potest, crux nos Deo prodidit, crux nos educit è latebris, crux nos paradiso restaurat. Id quod eleganter ponderat D. Chrys. homil. de diuite, inquiens. *Crux clauis paradisi est, crux Christi aperuit paradisum. Nonne nobis dixit, quod regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud? Qui in cruce est non vim facit, nil mediũ est, & crux, & statim paradisus.* Equidem paradisus patet ex cruciatis, laborantibus, ærũnosis, quisquis paradisum appetis nõ in Ædem cõfugias; sed crucis angustias intrato, & continuo inuenies paradisum. Quisquis Deum quæris, ne longas ambages instituas, arborem ascende crucis, & omnia tenes. Pulchre Zachæi põderans fœlicitatem D. Laur. Nouar. homil. de Pœnit. inquit. *Zachæus pusillus corpore factus est præclarus opere, flagitiosus conceptus, fœlix subito nascitur. Modicus ascendit arborem, vt videretur à Christo, & publicaretur in mũdo. Arbor obtabilis salubri medicamine plena, quæ in solo aspectu subuenit peccatori, & sanctificauit prophanum.* Nescit tardari fructus, qui à cruce perquiritur, nescit perdi fœlicitas, quæ per crucem cõparatur. Vbi crucis amplectaris tormenta, non amplius aberrabis; non erroneus, & vagus traheris; sed securissime, & citissime optatos paradisi fines tanges. Celebris ille astus erat, quod Diodorum Sicul. libr. 6. pueri ita certo lapidem mittere docebantur, vt nũquam ab scopo aberrarent. *Imponunt*, ait, *supra erectum lignum panem, signum quod iactu petãt, nec ante cibum capiunt, quam panem lapide iectum pro cibo sumant permissu matris.* Iam etiam Dominus, vt nos doceat ab scopo nõ ab errare; sed certo optatos gloriæ fines attingere, omnia nobis bona super crucis erectum lignum posuit. An Mosi faciem Domini desideranti non dicitur Exod. c. 35. *Ego ostendã tibi omne bonum, posteriora mea videbis?* Sane posteriora Domini crux tenet, in qua omne bonum ponitur, vt dicat Chrysost. *Hæc omnium bonorum abundat largitio.* Fœlix qui omnia bona per crucem, per labores quærit, sane non ab scopo aberrauit; sed certissimè Deum inueniet. Enim verò, ait Drogo, libr. de Pass. *Circuire possum. Domine, cœlum, & terram, & aridam, & mare, & nunquam te inueniam, nisi tantum in cruce, ibi dormis, ibi pascis, ibi cubas in meridie.*

Amb.

Drogo.

Chrysost.

Matth. 11.

Lau. Nou.

Exo. 33.

Chrysost.

Drogo.

## §. XIII.

### *Oblata occasione salutis acquirendæ sine vlla mora arripienda.*

MEMINI austerum illud Domini ad discipulos præceptum datũ Luc. 10. nimirum, *Neminem per viam salutaueritis.* Quod non sine sapore adagij Abulẽsis, & Caietanus summã diligentiam in salutis negotijs agẽdis notãt. Etenim qui summi discriminis negotium agit non multum tẽporis terit in salutationibus ciuilibus; sed omnibus prætermissis rem aggeditur, ne, mora interposita, status rei peior fiat. Matth. 11. dicitur. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Expende illud violenti rapiunt, quippe nec milites vim inferendo de salutationum comitate curant, nec raptores consumunt tempus; sed quam citissimè possunt prædam arripiunt. Vnde Amb. D. Ambr. *Rapiamus ergo festinemus, nã pascha non manducatur, nisi festinanter.* Vidi aliquando rapaces iuuenes medijs plateis ciuitatis attente speculari, an mulierculæ vẽditrices frugum dormitent, & vis oculis conniuere sentiũtur, & ecce tibi rapax manus canistrum arripit, & occior ventis fecuritatem quærit. Quis medio hoc raptoris velocissimo cursu salutationem ab illo exquireret, vbi vel parua mora esset maxime nociua? Sic nos comparare debemus ad salutem obtinendam, quasi ex raptu habenda nobis sit, vbi nulla occasio prætermittitur, nec morosè, sed festinatissime arripitur. Hanc philosopsiam docuit sanctissimus Nissen. Latro, de quo D. Gregor. Nisse. orat. de 4. Martyr. inquit. *Animaduertit acutus, & ingeniosus fur thesaurum, & naclus occasionem vitam rapuit arte furandi pulchre, & solerter abusus?* Non moram fecit, non longis salutationibus tempus cõsumpsit; sed cum primum occasionem nanciscitur, more furum festinatissime arripit vitam. Tibi modo veniat in mentem regulus ille, cuius infirmabatur, Lucæ 18. Is Dominum adit, narrat filiæ periculum longis salutationibus exquirit, vt veniat Dominus in domum suã, annuit Iesus, arripit iter, sed dum iret; mulier hermorrhoisa secum tacens accedit, tangit fimbriam, & recepit salutem. O sapiẽs, & prudens negotiatrix cum Christo S. Ambr. lib. 3. in Lucam, cap. 17. *Dum Iesus ad filiam Principis Synagogæ tenderet, furtiuo quodam tactu sanitatis remedium prælibauit.* Ille dum salutationibus moratur Ambr. Christum, dum longam viam perquirit, audit mortuam puellam, antequam accederet Christus, hæc sapientior, deposita mora, dum nacta est occasionem adeũdi Christũ more furis rapit sibi salutem. Hinc Diuus Paulinus, Epist. 4. notans Dominum in domo Pharisæi recumbentem à peccatrice Magdalena fuisse quæsitum, quæ præ Pharisæo salutem obtinuit, ait. *Quoniam Spiritus vbi vult spirat, & audio vocem eius, & nescio vnde veniat igitur vbicumque auram captabo, vndecumque, vel tenuem halitum legam: vel indigni, vel in domo Pharisæi, audiam Dominum venisse contendam præripere hospitis gratiam, præripere si posem regnum cœlorum.* Sanè in cœlesti via etiam verum est illud quod viuitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus, & qui diligens est nullam occasionem prætermittat; sed attente inspiciat vbi cœlestis thesaurus hospitatur & omni mora exclusa, hospitis gratiam, & regnum cœlorum prærripiet. Huc specta bat illud Nazianzen. consilium ad Virgines carm. 3. Paulin.

*Æquora nec celeri sulcans infida carina*
*(Dum tibi flat Zephirus, nec magnas excitet vndas)*
*Cõmitte, vt cursũ ratis anchora iacta retardet.*

Imo dum spiritus diuini spiratio instat cõtinuo absque mora omni dimissa detentione cœlestis arripienda est via.

## §. XIIII.

### *Væ qui in finem vitæ pœnitentiam protrahit post Latronem.*

QVIS post spoliatam domum à latronibus accedit eodem securus? Sane pater familias qui sibi factum præsentiet furtum, vigilabit inde, nec secundo se spoliari permittet. De muliere Hemorrhoisa paulo ante dicebam, quod furtiuo tractu salutem obtinuerit. Ex quo prudenter monet Naz. orat. in sanctum Baptism. his verbis. Naz. *Ne alioquin sanguinis de fluuio labores, Christumq; iam suffurandæ salutis causa prehendere nequeas. Nec enim furto sæpius circumueniri Christus amat, tametsi clemens, & mire facilis sit.* Quid pulchrius? Quid verius? Sane latro ille fœlix furandi arte diligenter abusº rapuit à Saluatore vitã, caue tu deinde ne illas angustias expectes, ne te ad illud tẽpº serues, nec speres te simili modo furatũ ire salutẽ. Quãdoquidẽ Christus clementissimus est, & facilis ad ignoscendũ, tamen se furto circumueniri sæpius non amat. Fallor, nisi huc respexit D. Athan. dũ inquit. Athan. *Vides latrones; sed nõ ambo in eisdem. Alter regnum hæreditauit; alter ingehenam dimissus est.*

ſus eſt. Quippe non ſæpius, furto circunueniri Deus amat, vbi vsus latro ſalutem furatus eſt, iam cæteri caueant ſibi, nec eas tẽporis expectent anguſtias, quibus niſi furtim ſaluari nequeãt. Hoc enim periculoſum valde eſt, vt merito Dominus dicat Matth. 16. *Quam dabit homo commutationẽ pro anima ſua?* quaſi inueret, quod nullo poſſet anima redimi à tanto periculo. Vbi eleganter Ioannes Xiphilinus Patriarcha Cõſtantinop. orat. de Cruce, ait. *Aduerte quem admodum non dixerit quã dat homo cõmutationẽ pro anima ſua? Sed quã dabit? Tunc enim nõ habebit quod det. Cuius rei non neſcius doloſus hoſtis noſter ſemper mulcet nos vitæ ſuauitatibus, tempuſque paulatim pro craſtinãdo ſuffuratur. Mihi, inquit, diẽ da hodiernũ, Deo craſtinum; mihi tẽpus præſens, Deo futurum: vt ita tardantes ad pœnitentiam abripiat nos ſuperueniens, quãdo non eſt qui redimat; neque qui ſaluum faciat.* Ergo dum tempus habemus operemur bonum, nec nobis maiorẽ ſecuritatem inferat vnius fortuna quã frequens, & continuum fere omnium infortunium, quo pro craſtinantes pœnitentiã miſere diſpereunt. Legẽda in præſenti eſt D. Cyr. Alex. ſententia qui orat. de Exitu animæ, ſic loquitur. *Qui dicunt peccemus in iuuentute, & in ſenectute ad meliorem ſenſum redibimus; ij à dæmonibus illuduntur, ac deridentur: quoniam qui vltro peccant, eis ad ſanitatẽ redire non datur, ſed in iuuentute mortis falcẽ demetuntur: vt Ammon Iſraelitarum Rex.* Huius pater fuit Manaſſes impijſimus, & ſceleſtiſsimus adoleſcens, qui vbi canos pexuit, vitia exuit, & pietate clarus diẽ clauſit extremũ. Talem patrem, & exemplum nactus Ammon, dum iuuentutem ſuã peccatis, & ſceleribus implicat, forſan de patris exemplo, ſenectutem ſanctã meditans ipſo iuuentutis flore impenitens decerpitur è viuis. Omnia tempus habent, ſicque pœnitẽtia etiam habet tempus ſuum, quo dignos exhibeat fructus, nec amat vltimis arctari anguſtijs. Male aſtutus ille apud Matth. c. 25. vt libere, & ſecure iuuẽtutem agere poſsit, talentum quo vita negotiaturus erat, in effoſam iam humũ remiſit. O miſeram inſipientiũ hominũ conditionem! tẽpus negotiandi prætereunt, & remedium peccatorũ, tunc quærunt cum iam ſepultura effoditur, vt ſic pœnitentiæ talentũ terra obrutum, nihil parturiat fructus. Hinc pungebat Nazianzenus eos, qui Baptiſmũ differebant in finem vitæ, dicens oratione in ſanctum Baptiſma. *Latè atque hilariter Baptiſmus celebretur, ac non defleatur, negotiatione creſcat talentum, ac non terra obruatur. Inter gratiam, & mortem temporis aliquid intercedat.* Id quod tibi de pœnitentia dictum cape, ne de foſſa iam humo ſepultura talentum pœnitentiæ obruendum expectes, quando cum illo tibi eſt vita negociãda. Scitum illud D. Auguſt. libr. de vera, & falſa pœnit. vbi ait. *Oportet, vt pœnitentia fructificet ad hoc, vt mortuo vitam impetret.* Vide ſuprà cap. 3. §. 9.

Xiphi.

Cyril.

Auguſt.

## *Ioann. 19.*

*Textus.* Stabant autem iuxta crucem Ieſu Mater eius, & ſoror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ.

### §. XV.

*Maximæ virtutis inſigne, quod in communi omnium lapſu tu firmus ſteteris.*

OVIS vbi omnes decidunt, ipſe immobilis ſtabit? Quem non trahet labentium omnium multitudo? Pulchrè Tullius, 3. Tuſcul. humani caſus numerans cauſam ſic poſtremò fatur. *Cùm verò accedit eodem quaſi maximus quidam Magiſter populus, atque omnis ad vitia conſentiens multitudo, tum planè inficimur opinionum prauitate, à naturaque ipſa deſcicimus.* Adeò potens eſt labens multitudo, vt omnes ſecum trahat; ſed interea non ſolùm non trahi; ſed firmiter ſtare, maximæ vtique virtutis eſt teſtimonium. Superbiſsimus ille Nabucdonoſor, Dan. 3. erexit aureã ſtatuam, cui omnes Caldæi honorem diuinum exhiberent: vt autem viſa eſt ſtatua, muſicorumque inſtrumenta perſonuere *Cadentes omnes populi, tribus, & linguæ adorauerunt ſtatuam auream. Statimque in ipſo tempore accedentes viri Caldæi accuſauerunt Iudæos, dixeruntque; ſunt viri Iudæi Sidrach, Miſach, & Abdenago, viri iſti contempſerunt decretum tuum, Deos tuos non colunt.* Quibus illud ponderandum accipe, quod horum puerorum virtutem maximè extollit, nimirum, quòd poſtquam omnes populi, & tribus, & linguæ cadentes adorauerunt ſtatuam, ipſi ſoli in fide ſtabiles, & firmi adducantur. Id quod pulchrè notauit D. Chryſoſt. homil. 4. de patient. ad populum, his verbis. *Poſtquam cecidcrunt omnes,*

Tull.

Chryſoſt.

*& victi sunt, tunc in mediũ pueri soli agũtur, vt sic quoque victoria fiat clarior, cùm in tanta multitudine ipsi vincãt, & prædicẽtur. Hoc autem maximũ, & mirabile est, quòd cadẽtiũ multitudo ipsos non terruit, non soluit.* O maximã adolescentũ fortitudinẽ, vbi omnes ceciderũt, vos inuicti stetistis, nec ruentiũ infinita multitudo, nec populi ad vita consentientes à firma, & stabili fide vos deturbauit, nec labare fecit. Hinc iam pensare licet magnũ trium fœminarũ præconiũ, nimirũ Mariæ matris Iesu, Mariæ Cleophæ, Mariæ Magdalenæ, quæ vbi vniuersus Iudæorũ populus à paruo vsq; ad maximum in lapidem angularẽ Christũ offendebãt, ipsæ fideles cruci adstabant. Meritò D. Hieron. Magdalenæ vocabulo ludens, quod turrim significat, ait. *Hier.* *Sacerdotes, & Pharisæi crucifigunt filium Dei, & Maria Magdalena plorat ad crucẽ, vnguẽta parat, verè turris Libani, quæ respicit faciem Damasci, sanguinem videlicet Saluatoris.* Verè, inquit, Magdalena turris nomẽ adimplebat, verè ipsa fortissima q; turris, quãdoquidẽ vbi omnes Hierosolymitani, vbi Principes, & vniuersus populus corruens Dominicæ morti cõsentiebat, ipsa inter omnes stabat firma, & minimè perterrita à labentium multitudine. Meminerat Tert. lib. de cultu Fœm. quòd Dominus in Euãgelio suos assecias cõparat ciuitati supra mõtem positæ, ait enim: *Matth. 5.* *Non potest ciuitas abscondi supra mõtem posita.* Ex qua cõparatione sic ille argumentatur in eos, qui cadentiũ multitudine trahũtur ad vitia. *Quid nos Dominus ciuitati supra montẽ positæ cõparauit, si nõ stamus inter demersos.* Hãc quidem à nobis exigebat virtutẽ, quãdo ciuitati supra mõtem positæ cõparauit, vt cadentibus alijs omnib⁹ nos firmi, & imperterriti staremus. O quã verè sanctissimæ hæ fœminæ, & turrium, & ciuitatũ fortissimarũ implebant cognomenta, quãdo inter cadẽtium multitudines ipsę cruci adstabant immobiles. Bene enim ait *Chrysol.* Chrysol. ser. 107. *Difficile quidẽ est, sed gloriosius mundo præsenti luctari: & aduersus instructas delinquentes turbas aciem quãdam disponere sanctitatis*

## §. XVI.

### *Muliebris est martyrum omnium fortitudo ad Christi Domini comparata fortitudinem.*

ECce tibi, quæ proximæ notãtur cruci fœminæ sunt, quasi nullius virt⁹ in tormentis appareat, quæ fœminea non sit, dũ inuicto patientis Christi robori comparetur. Nõne aiebat ille apud Isai. c. 63. *Torcular calcaui solus, & de gentibus nõ est vir meũ?* Quippe nõ est vir in præsura passionis, *Isai. 63.* fœminea ibi martyrũ robora, vnus est sol⁹ inter omnes vir Iesus. Ille patientiæ miraculũ Iob, deuictis tormẽtis Sathanæ superior expertus, ait c. 3. *Pereat dies in qua nat⁹ sum, & nox in qua dictũ est, conceptus est homo* Expressiùs in Caten. Grec. dicitur, *& nox in qua dixerunt, ecce masculus.* Quasi offenderetur nobilis, & inuictus athleta masculus vocari: sed cur nõ diceretur mascul⁹, qui inuictus inter tot pressuras stetit? qui Sathanę tela sustinuit? qui amarissimos ruinarũ fluctus in se ipso confregit? Præuidit vir egregius Christi Dñi passionẽ, & fortitudinẽ, cui sua cõparans certamina virilem appellationẽ erubuit, vt potè cuius robur fœmineũ appareret in cõparatione patientis Christi, qui solus vir, & masculus debebat dici. Sic Olymp. in Cat. fatur. *Detestatur eos, qui eũ marẽ nuncupariũt, quòd crederet eiusmodi Dñm solũ fuisse, eiq; maris nomina propriè conuenire.* Vbi Iesus in arenam prosiliuit, & aduersus principes tenebrarũ decretauit, ipse solus de masculâ, & virili virtute potuit gloriari; cæteri omnes etsi inuictissimi athletę, etiã Iob ipse robur potiùs prætulerũt fœmineũ. Et cur nõ fœminæ dicerẽtur illi, qui strages suorũ flere nouerũt, non tamen in defensionẽ principes tenebrarũ ediscũt omnino debellare? Etenim ex hoc capite acutè pungit D. Synes. *Olymp.* *Synes.* Ptolomaides muliebres animos, dũ ep. 131. fatur. *Mulieres quidẽ vociferari, ac pectus plãgere, & comam vellere, visis, aut nũciatis hostibus tolerabilius videri potest. Quamquam ne tolerãdum quidẽ existimat Plato, quòd instar gallinarum ad pullos tegendos cuicunq; etiam validissimo sese nolint opponere.* Hanc mulierũ infirmitatẽ vnus Iesus deuitauit, qui solus non sui causa; sed vt pullos suos, nempè homines protegeret, sese validissimo hosti opposuit, & vsque ad sanguinis effusionẽ in arena pugnauit, ideoq; solus viri nomine debuit decorari. Hinc Prou. c. 8. cõstructa Ecclesiæ domo, *misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Ancillas, inquã, misit, vt cuius omnes ministri, etiã duces, qui mœnia scanderẽt, fœminei essent roboris, & infirmi ad Saluatoris parientis facinora comparati. Inde in sponsę genis martyrũ robur meditatus Dominus, ait Cant. 4. *Sicut fragmen mali punici genæ tuæ.* Ecce tibi cui cõparatur nobilis athletarum virtus, nimirũ fœminęę genæ, & huic sub figura fragminis mali, vt sic Christo patienti cõparati infirmi appareant. Id notat *Cant. 4.*

Ric.

Ric. Vict. Ricard. Vict. part. 2. in Cant. cap. 2. fatus: *Christus totus in pœna rubuit, quia non parua pro nobis sustinuit, sed tanta & tam grauia vt nullus vnquam dolor fuerit sicut dolor eius. Quia ergo tam grauiter, & multipliciter passus est Christus, ideo omnis electorũ afflictio, quã pro Christo pertulerunt, fragmini tantũ potest cõparari, quia respectu eorũ, quæ pertulit ille parua erunt quæ pati potuerunt, & parua pars eorum.* Hæc ille.

*Tex.* Cum vidisset ergo Iesus matrem, & Discipulũ stantem quẽ diligebat, dicit matri suæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde dixit discipulo: Ecce mater tua.

## §. XVII.

### *D. Ioannis super omnes lucra, eo quod nunquam à Iesu latere discesserit, vbi quam sit vtile bonis inhærere.*

QVicquid Marianum est latè expendimus lib. 1. modò non possum nõ mirari sanctissimi Ioannis præcellentiã super omnes Christi Discipulos. Ille in primis cęlestis thesauri sustituitur hæres vni

Arnold. cus, vt dicat Arnold. Carnot. *Ecce Ioannes pie hæreditatis susscipis testamẽtũ, eligeris, & in hoc præponeris omnibus.* Equidem ipse è Discipulis vnus nunquam à Magistri latere abscessit, vnus astitit Domino moribundo, quid mirum si hæreditatis susciat testamentũ, si proponatur omnibus?

Amb. Nolo in præsenti debere integrũ D. Ambros. locũ lib. 2. Officior. c. 2. inde exaltat Iesum Naue, quod Moysis fuerit perpetuus, & inseparabilis comes, sic enim ait: *Vbique igitur inter admiranda opera, & reuerenda secreta sancto Moysi indiuiduus adhærebat. Vnde factum est, vt qui fuerat Iocius conuersationis, fieret successor potestatis. Meritò vir huiusmodi eligitur, vt sisteret fluminum cursus noctẽ differret, diẽ produceret. Quod quidẽ Moysi negatũ est, solus eligeretur, vt populũ introduceret in terrã promissionis. Magnus vir fidei miraculis, magnus triũphis. Illius augustiora opera huius prosperiora. Vterque vltra humanã processit conditionẽ, ille mari, hic cœlo imperauit.* Hæc ille, quibus non minori elegantia Ioannis notantur prærrogatiuæ, qui vt inter admiranda opera secreta, imò & inter cruenta crucis mysteria Christo Domino semper adhæsit, sic eiusdẽ meruit declarari successor & præ omnibus eligi, vt piæ hæreditatis susciperet testamentũ. Magnus sanè vir, & operibus, & miraculis, & fauoribus. Si Christi Domino opera spectemus, augustiora quidem fuerunt, sed Ioannis opera apud homines prosperiora, vtpotè qui vitæ suæ dies longiùs protraxit. Christus Dominus, nec Iudæis petentibus signum de cęlo dedit, sed signũ de mari, signũ Ionæ Prophetæ, verũ Ioannes vbi in Pathmos relegatus fuit, cęlestẽ ciuitatẽ in terras traxit, milleque cælestia miracula nobis propinauit. Quid plura? Procopium Procop. addã, qui etiã de Iosue fatus ait: *Iosue iam quidem consuetudine Moysis initiatus ab eo accepit spiritũ regalẽ, vt domesticã eius administrationẽ obtinere posset.* Sic qui bonis viris iunguntur, ebibunt eorũ virtutes, vt vel ex consuetudine habita cũ Moyse, cõmendetur Iosue, quasi regalẽ spiritum nactus. Quo crediderim respexisse Arnold. Arnold. Carnot. ponderantẽ illa verba Domini ad Ioanem: *Ecce mater tua*, sic enim inquit, *Vices filij naturalis filius accepit adoptiuus, & transfunditur in ministrũ filialis affectus, firmaturque, & formatur in ambobus pietatis vnicæ gratus concorsque complexus non ex traduce natura, sed ex gratia.* Ecce indiuiduus Christi comes Ioãnes ab illo accipit transfusum affectũ filialem, vt sic Matris Dei domesticam administrationem obtinere posset.

## §. XVIII.

### *B. Ioannes præ omnibus superior tormentis, & cruciatibus mansit.*

IOnnes inter crucis pericula nouus Mariæ filius tãtũ omnibus mãsit superior cruciatibus, vt inde nil iam quod timeat, habeat, sed priùs in tormentis gaudeat, & exultet in supplicijs iliatis. Act. 16. vinctus Paulus inter vincula, & dolores carceris peperit Christo Domino carcelariũ, Act. 16. qui per Bapt. renatus, *lætatus est cum omni domo sua.* Id quod ponderans D. Chrysos. Chrysos. hom. 8. ad Ephes. inquit: *Vides quã exuberans sit vinculorũ gloria, quandoquidẽ non solum vinctũ Paulum, sed & eos, qui captiuitatis tẽpore ab illo nascebãtur illustres faciũt? Habent quidẽ præ cæteris aliquid qui in vinculis Pauli nascebantur, quod mox ab ipsis cunabulis, fideli scilicet instĳs ad hoc imbuebantur, vt huiusmodi rerũ calamitatibus gauderent, & exultarent.* Equidẽ hoc præ cæteris habuit diuinus Ioãnes, qui vt inter crucis Dominicæ tormẽta progenitus est, & natus Mariæ filius, sic ab ipsis cunabulis imbutus mansit, vt huiusmodi rerũ cala-

mitatibus gauderet, & exultaret, vt nullis iam angi posset cruciatibus, sed omnibus mortis angoribus superior factus in ferventi dolio securus, & sine dolore lætus ageret. De amaricãte passionis calice orabat Dominus dicens: *Transeat â me calix iste.* Quid ni, volebat se à passione excusare? Absit: accipite in sensu bono Diu. Hilar. canon 31. in Matth. *qui inquit, à se transeat, rogat, non vt ipse prætereat, orat, sed vt in alterum id quòd à se transit, excedat: transeat calix à me, id est, quomodo à me bibitur, ita ab his bibatur, sine spei diffidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis.* Expende illud Dominicæ orationis, nimirũ quod passionis calix, qui à Christo Iesu bibitur, transeat ad alterum, à quo bibatur sine sensu doloris, sine metu mortis. Et quis hic nisi Ioannes? Hic vnus calicẽ Domini bibit sine sensu doloris, sine metu mortis, hic cruci astans morientem Dominũ videns sic affectus est, vt nullos iã sentire posset dolores, nec mortem pertimescere. Vnde meritò illi Dionys. Areopag. scripsit epist. 10. *Et te quidem non adeò sum insanus, vt arbitrer aliquid pati.* Papæ Episcopus Christopol. in Magnificat, putat Ioannẽ, ex eo quod cruci adstaret, tyrannorũ cruciatibus non occubuisse, sic enim Dominus calix illum inebriauerat, vt quæcũq; alia tormenta potiùs reputarentur voluptates & delitiæ. Memine apud Liuiũ lib. 26. Annal. legisse de Lesio vltimo Cãpanorũ magistratu, qui suis cõsulẽs, vt post lẽthalem calicem hausissent, sic dixit. *Poculũ quod mihi datum est, vobis circũfertur, ea potio corpus â cruciatu, animum à cõtumelijs, oculos, aures à videndis audiendisque omnibus acerbis vindicabit.* Quæ verba spiritualiter sumpta licebit cuiq; aptare Ioanni astanti cruci, ibi enim Dominicũ poculũ amarissimæ passionis Ioanni defertur etiã & propinatur; sed tali potione madidus Ioannes cruciatus omnes excessit, & superauit. Adeò vt ipse de se caueret, c. 21 quod *non dixit ei Iesus, non moritur*, quasi ob miras suas excellentias iam vereretur haberi impassibilis, & immortalis. De Moysi scriptum est, Deuter. 33. *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini.* Id quod notans Iosephus, lib. 4. c. 8. ait. *In sacris autẽ voluminib⁹ scripsit se mortuũ, veritus ne propter excellẽtẽ eius virtutem à Deo raptũ prædicarent.* Potiori iure id verebatur de se Ioannes mortis horrores longè à se fecit. Imò sic gaudens accessit ad mortem, vt de illo mirentur Angeli, Cant. 8. dicentes. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto delitijs affluens, cnixa supra dilectũ suum?* Quæ ne dubites dicta de Ioanne, clariùs illi ea aptat Orig. hom. 1. in Cant. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto delitijs affluens, supra pectus recumbens dilecti sui?* Sic à cruce Domini per mortis desertum ibat Ioannes exultans & gaudens.

Hilar. Areopa. Liu. Cant. 8. Orig.

## §. XIX.

### *Crux Christi qualem pietatem commendat in parentes.*

NEmo Christianus parentum curã aspernabitur, nemo de parentũ debita pietate dimittet vllo prætextu, etsi crux tollẽda illi sit post Christũ, etsi mundo, & carni crucifigatur. Enim verò Christiana crux nil potiùs commendat, quã in parentes pietatem. Sic in præsenti D. Cyprian. fatur. *Considero te Domine, in cruce de matre sollicitũ, cui volenti loqui tecum cùm euangelizares, negaueras colloquium, & prætuleras matri auditores verbi dicens eos tibi esse pro matre, & fratribus, qui voluntati patris obtẽperant; nunc materno moueris affectu.* Qui aliquando austerus visus fuit matri, illi auditores verbi diuini præferens, vbi crucis subijt patibulum, sollicitum se ostẽdit de matre, vt occasionem auferat his, qui vt Christi adhæreant cruci, obliuioni putant tradendos parentes extremè egẽtes & desolatos. Absit hoc à viro Christiano, imò nil magis propriũ, & natiuũ Christiferæ crucis esse putẽt, quã sollicitã in parentes pietatẽ. Et quomodo crux pietatem non cõmendaret, quæ & summi Patris notitiã exerebat, & perfectissimæ obedientiæ palestra erat? Nonne impij hominis illa vox Gen. 4. *Numquid custos fratris mei sum?* Illã sic Ambr. exagitat fatus. *Quẽnã magis seruare debuerat, quã fratrem minorem? sed quo modo naturæ obedientiam non exhibuit? Recusat fraternæ munus custodiæ quasi exors naturæ. Quid miraris, si pietatẽ nõ agnouit, qui non agnouit authorem?* Ergo crux, quæ obedientiã & religionẽ præsefert, necessariò debuit docere erga cognatos pietatẽ. Noui plurimos merito requirentes in Euãgelio Ioannis omnia Christi Domini verba à cruce facta. Et quidẽ quando quidẽ Ioannes cruci astitit, cur singula ibi facta verba literis non mandauit? cur imperatorias illas præterit voces, quibus Saluator pro inimicis rogauit, & paradiso latronẽ donauit? Cur ipse qui hæc audiuit, nullũ illorum

Cypr.

rum mentionem facit, & solus de verbis Domini in cruce ad matrem factis, quæ alij reliquerunt, ipse agit? Pulchrè id attingit. D. Amb. in Luc. lib. 23. his verbis. *Solus ergo me docet Ioannes, quod alij non docuerunt, plures æstimans, quòd victor supplicium, victor diaboli pietatis officia diuidebat, quàm quod regnũ cœleste donabat, nam si religiosum est, quòd Latroni venia donatur, multo religiosius quòd mater honoratur à filio.* Equidem Ioannes id quod præstantissimũ erat in cruce attendit, vt scriptis mãdaret, nihilque tam dignũ, tam illustre, tam decorũ & gloriosũ crucifixo inuenit, quã solicitam illam pietatẽ in matrem. Sed vide quã sanctus hic affectus Iesu in matrem extitit, ait enim, *Mulier ecce filius tuus.* Cur mulier? cur non potiùs, mater mea? Sanè vt pietas in parentes sancta est, sic tenera quædã, & mollis in parentes affectio, qua vel de cognati nomine molescunt animi, damnosa est his qui currunt in perfectionis stadio. Strenuus ille adolescens Ioseph Genes. 37. per agros huc illucque errabundus obambulat, a quo si quæras causam, ait: *Fratres meos quæro.* Ecce efficax causa viris religiosis errãdi, nimirũ tenera & mollis affectio in cognatos. Ita meditatur D. Nilus in Ascetico dicens. *Obid etiam fortasse Ioseph errat in solitudine, dũ in fratrum nominibus perfectionis terminũ quærit.* Hinc Iesus dissimulans nomen matris, eam in parentes pietatem, vt doceat molles alios affectus aspernari.

*Ambr.*

*Textus.* Et ex illa hora accepit eã Discipulus in suam.

## §. XX.

### *Ioannes post Mariam Virginem in matrem acceptam præ omnibus matrissauit.*

REferant filij parentes necessum est, & naturæ imprimis familiare, quòd filij imaginem præferant matribus. Hinc Ioãnes vt filius Mariæ sic tantã matrem in suã referre curauit, in suam, inquã, accepit Mariam, quia quæ propriæ erant Ioannis virtutes, quæ dona spiritualia, quæ diuinę gratiæ, omnia Mariam Virginẽ matrẽ spirabant. Huc D. Ambr. spectauit in exhortat. ad Virg. fatus. *Quæ sua habebat Ioannes, qui mundana & sæcularia non habebat, quia de mundo non erat? Bonus verbi, sapientiæq; possessor, bonus receptor gratiæ.* Hæc sane erant Ioãnis propria, nimirũ virtutes, gratia, verbi, sapiẽtięque possessio, hæc inter sua Mariã habebat, quatenus in his præ omnibus referebat matrẽ, & iuxta matrẽ Virginem matrissabat. Illud quidem est maximè põderandũ, videlicet, quod dicitur, *Bonus verbi sapiẽtiæque possessor*, quasi hinc exprimeret propriũ Mariæ matris characterem, cuius virgineo aluo diuinum verbũ creditũ est. Vnde Rup. prolog. in Ioan. sic fatur de Ioannis virginitate & puritate. *Hanc margaritã dilector animarum Deus, dilectæ Ioannis animæ pro monimẽto dilectionis præcipuæ fixit in pectore, vt verbum, quod Maria Virgo sola protulit in carne, ipsum huius socia virginitas præ omnibus sanctis viua mortalibus promeret voce.* In hoc maximè Mariæ enituit virginitas, quæ meruerit à sinu Patris Verbũ diuinũ excipere; sed & Ioannes filius Mariæ Virginis adeò in hac virtute matrissauit, vt qua erat virginitate, verbũ ipsum diuinũ attingeret, illudq; mũdo edixerit. Quid Mariæ virginitati propinqui? quã Ioannis virginitas? Vtraq; verbũ diuinũ parturiens, vtraq; super omnes excellẽtissima Apoca. 14. dicitur. *Audiui vocẽ de cœlo tanquã vocẽ tonitrui magni.* Porrò Pannonius hanc vocẽ credit factã fuisse à Virginũ cælestiũ choreis paulò antea descriptis, vbi illud notatũ venit, quòd inter promiscuas omnium virginũ voces, quæ aquarũ instar sonant, vna tonitrui magni vox super omnes se extollat, quia nimirũ Ioannes Boanerges dictus, hoc est, tonitrui filius super omnes excellit virgines, & vnus matri diuini verbi appropinquat.

*Ruper.*

*Apoca. 14.*

*Luc. 23.*

*Textus.* Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terrã vsque in horam nonam: & obscuratus est Sol.

## §. XXI.

### *Crux Christi Domini lucidior Sole ad terras illuminandas.*

APparẽte Cruce Dominica, meritò omnia mundi lumina obtenebrantur, vt dicat D. Basil. Seleu. serm. de Transfig. *Videbit Sol quæ non priùs didicit, vt qui doctus sit abscondi alterius luminis illustratione.* Iam crucis lumẽ radiabat, iam crucifixi lãpades rabi-

rabidiſsimæ perſecutionis flabris excitatæ vniuerſam terram illuſtrabat, quo factum eſt, vt ſicut ſtellæ clauduntur ad Solis præſentiam, ſic ad crucis conſpectum claderentur magna mundi luminaria. In nouiſſimo die etiam Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuũ, & ſtellæ de cælo cadent Curita? Matt. 24. *Tunc parebit ſignũ filijs hominis.* Etpræſente cruce quæcunque alia lumina obſcurãtur. Præclare D. Laur. Inſt. in ligno vitæ cap. 4. fatus: *Conſidera quanta ſit virtus crucis, in die namque iudij Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuũ, vt diſcas quantũ, & Sole ſplendidior ſit, apparebit tunc crux.* O lumen crucis indeficiens! Sane homo medijs cæli luminaribus cæcutiebat, milleque tenebris errorum ſepultus huc illuc errans à veritatis tramite deuiarat. Verum cruce apparente, ſic illuminatus eſt, ſic luce perfuſus, vt videat quæ non viderat medio Sole, & vitæ ſemitam manifeſto indiget. Vnde Theologus Nazien. de externa hominis vilitate agens ſic fatur: *Ego, relictis omnibus rebus, crucem vnam habeo, quæ tanquã clariſsima quædam columna vitæ meæ præluceat.* Quas non ſubeant homines peccatores cruces? Quibus non ſcatent crucibus vitia? Et multæ ſunt & tenebroſæ, & graues cruces filiorũ Adã. Verũ Chriſtianus vnã Chriſti crucẽ habet eamq; clariſsimã ſplẽdidiſsimã quæ noctu diuque prẽluceat, & nos in viã paradiſi deducat. Gen. 32. Iacob cum Angelo manus cõſeruit, à quo vulnus in fœmore accepit, vulneris autem accepit nota crucem ſignificari ait Amb. Quid plura? Poſt nocturnã luctam, poſt vulnus cruciforme: *Ortus eſt ei ſtatim Sol.* Quocirca ille lib. 2. cap. 7. fatus: *Vnde non immeritò ortus eſt Sol ſancto Iacob, cuius generi crux Domini Saluatoris illuxit.* Ecce tibi vbi ſaluandorum per crucem progenies deſignatur, ſolarius ſtatim perfunditur radijs, quandoquidẽ crux Saluatoris omni lumine ſplendidior, & clarior erat prædicanda. Bene Dauid dicebat Pſalm. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Heſychius in Cat. fatur: *Lumen autẽ Chriſti crux eſt, quod orbem illuminauit, quo nos in frontibus ſignauit.*

Matt. 27. Laur. Inſt. Nazian. Gen. 32. Pſal. 4.

## §. XXII.

### Nil nocentius, quam peſsimum à præſtantioribus exhibitum exemplum.

QVem non moueat peſsimũ maiorum exẽplum? Mouet cœlum, & celeſtia omnia à diuinę legis mouet obſeruatione. Sic D. Athanaſ. de Paſſ. pondĕrat, quod nunc primũ cœleſtia luminaria audent à lege illuminandi deficere, cũ vidĕt homines tantum perpetrare nefas, vt mortẽ inferãt Deo rectori cæli. Ait enim: *Nec ipſe Sol hoc ſpectaculum tulit, ſed totus obtenebratus eſt, negligens iam præceptum de hominibus illuminandis, & nunc demum præuaricari audẽs, tum videret Dominum ſuum, qui hoc illi præceperat, ab hominibus excruciari.* Expẽde illud, & nunc demum prẽuaricari audens, adeo enim eſt magna vis mali exempli tãgens etiã cẽleſtia. Porrò Oſeas cap. 4. acriter pungebat Tribum Iuda, quòd malo ſuo exemplo impellebat Iſraelem: dicit enim iuxta Septuag. translat. Biblia Regia. *Turbo Spiritus tues in alis eius.* Id quod exprimens D. Cyrill. ait: *Aues cum ventus non ſolum impellit, ſed velut violentia ſua cogit, celerius volant, ſic videbat Iſrael Iudam lege eruditum eodem idolatriæ crimine teneri, ita factum eſt, vt celerius diſceret à Deo Iſrael.* Non ſic ventorũ turbo volantes aues impellit, vt præſtantioris malum exemplum alios rapit ad ſcelera. Hinc penſanda eſt grauis illa exageratio Petri Damiani, qui iniqui Prælati depoſitionẽ ſuggerens Gregor. 6. Pap. ait epiſt. 1. *Niſi enim prædicta Eccleſia de manu illius adulteri, inceſtuoſi, periurij, atque raptoris auferatur, omnis populorum ſpes, quæ de reparatione mundi erecta fuerat, funditus eneruatur.* Quaſi vnius Prẽlati malum exemplũ totum inficeret orbem terrarum. Ne miremur id quod dicit D. Cyprian. lib. de ſingul. Cleric. nimirum: *Non inuenient in iudicio Domini vllũ ſolatium, qui alienigenis & fratribus peccandi fomitem miniſtrarunt.* Et ſanè Moyſis percuſſurus petram, vt aquã hauriret, aliquando dubitans populo aiebat, Num. 20. *Nũquid de petra hac vobis aquam poterimus ſeruare?* Hinc dubiæ fidei reus tã malè apud Deum audit, vt ab ingreſſu terræ promiſſionis arceatur, ſed cur ob tã leue crimen tantum ſupplicium tantus vir patitur? Id explicat Diu. Chryſoſtom hom. 3. in Acta, his verbis: *Eius incredulitas multorum iactura fuit, quia excuſare poterant incredulitates ſuas.* Quid enim non auderet populus contra fidẽ, quando viderint Moyſen ipſum aliquando in fide nutaſſe? Ideo à Deo exilio damnatus, nullum habet in iudicio illo Dei ſolatium, imo ipſe ait Deuteronom. 3. *Iratus eſt mihi Dominus, & dixit, ſufficiat tibi, nequaquam vltrà loquaris de hac re ad me.*

Sic D. Athanaſ. de Paſſ. Num. 20.

(o.)

Matt. 27.

*Matth.* 27.

*Text.* Circa horã nonam exclamauit Iesus voce magna dicens: Heli, Heli, Lamasabacthani; quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, vt quid deliquisti me?

## §. XXIII.

*Maximè hinc panditur virtus, & fortitudo Christi Domini, quod ab omnibus in arena derelictus infinitas hostium turmas deiecerit.*

IEsus Dominus derelictus à suis, & à Patre vsque ad querellam derelictus suam virtutem, & potentiã maximè confirmat, dum adeò derelictus innumeros penè hostes prosternit. Sanè aereas potestate vt à cœlo deturbaret, prosiliuit Michael cũ integro Angelorum exercitu, verũ vt tenebrarum regna popularetur, & æreas mortis portas confringeret, vt mundi principatus interimeret, vt cœlestes reseraret seras, vnus Iesus à suis, & à Patre ipso derelictus in arenã descendit. Pulchrè Simon de Cas. ca. 57. in Matt. celebrat triũphum Christi Domini his verbis: *Nullum fuit ab orbe grauius bellum, quã in quo Christus captus est, nec vllus illustrius triũphauit, quã vbi ille relictus solus suos hostes prostrauit.* Hæc ille meritò ponderans virtutẽ Domini in prosternẽdis inimicis, quando à suis derelictus in horto captus fuit. Sane non is erat, qui magna egeret exercitus manu, qui spectabilia adiutoria requireret, ipse solus, quouis sensibili auxilio destitutus, relictus à discipulis, ab Angelis, à patre hostiũ turmas fugagauit, cœli claustra reseranit. Vt dicat Diu. Cyprian. *Considero te Domine in illo patibulo, vbi videbaris sine adiutorio, quomodo Imperatoria maiestate latronẽ præmittis ad Regnum.* Solus destitutus, omni viduatus adiutorio, medius inter cõfertissimos hostes Imperatorẽ agis, & præmissis inimicorũ spolijs, nimirum latrone, regnum petis. Iã de matre Virgine cruci astante fatur Ambros. lib. de Inst. Virg. cap. 7. *Præstolabatur si fortè etiã sua morte publico muneri aliquid adderetur. Sed Christi passio adiutore nõ eguit sicut ipse Dominus longè ante prædixit, & respexi, & non erat adiutor.* Qui triũphus vi-

*Sim. Cass.*

*Cypr.*

*Ambr.*

quã talis? Quæ victoria huic potest æquari? An Sanson ille Philisthæorũ terror, & ruina sic hostes suos prostrauit? Is captus erat, & medius inter hostes mille patiebatur ludibria, & amplexatus columnas domus perditurus hostes aiebat apud D. Ambros. epist. 70. *Moriatur anima mea cũ Philistheis, vt cognoscant sibi infirmitatem meã non minus quã virtutem fuisse exitialem.* Sic Sanson captus infirmatus hostes perdidit suos, at non erat solus: *Qui dixit puero regenti gressus suos dimitte me, vt tangã colũnas.* Iudic. 16. Verum Dominus omni destitutus adiutorio etiã à pueris suis, imo à patre derelictus solus manens cum hoste conflixit, exitioque dedit cunctas hostium phallanges. Non sic fugati sunt superbissimi Babelis ædificatores, ibi ait Pater ad Filiũ, & Spiritum sanctũ: *Venite confundamus linguã eorũ.* Non sic perditi sunt lasciui Sodomæ habitatores, etenim ibi, *pluit Dominus de Domino*, & Pater, & Filius intulerunt populo nequã tragẽ. At in crucis palæstra dum clamat se derelictum à patre eiaculato sanguine hostium prope infinitas turmas deuellauit.

*Ambr.*

*Iudic. 16.*

## §. XXIIII.

*Afflicti homines nec ad momentum differendi, sed citissime subueniendi sunt.*

DVrissimum est homini cũ doloribus, cum tormentis certamen, & multo durius si nullũ ibi leuamen sperat, nullũ suffugiũ respiciat auxilij. Nouit certamẽ Dominus, & ideo afflictis, & vexatis hominibus exẽplo docet, quã maturandũ sit auxiliũ. Ita D. Cyprian. serm. de Cœna Domini cõponens præsentẽ Iesu querelam cum cito auxilio latroni exhibito inquit: *Derelictorum personã gerens in cruce sequeritur derelictũ, & ne desperent etiã in vltimis constituti festinans in adiutoriũ illico adest, & re in arcto posita non differt beneficiũ, sed repente indulgentiæ celeris documentũ ciusdẽ statuit, & exẽplum, latroni inquiens, hodie mecũ eris in Paradiso.* Duas in presenti personas agit Dominus, vt omnes instruat, in primis afflicti, & derelicti hominis personã subit, qui tormentis pressus, & derelictione afflictus in querelam effunditur. Tunc optimi auxiliatoris siue parentis, siue Domini, siue amici personãinduens, vbi derelicti, & afflicti hominis querelam nouit, illicò ad auxiliandũ accurrit, nec putat his tutè

*Cyprian.*

differe,

differri posse beneficium, quin desperationis periculũ subeant. Ideò quã citò subuenidi, nec morã facit, sed afflicto inquit, hodie mecũ eris in Paradiso. Hac eadẽ animi benignitate in afflictos cum triduũ statuisset in sepulchro iacere, vbi suos maxima vidit afflictione vexari, orphanosq; ac derelictos in pœnis vidit, sic resurrectionẽ maturauit, vt cum primũ dies tertius illuxerit è sepulchro euolarit. Id quod notans D. Leo serm. 1. de Resurrection. ait:

Leo. *Vnde ne turbatos discipulorum animos longa mœstitudo cruciaret, denuntiatã tridui morã tam mira celaritate breuiauit, vt dum ad integrũ secundum diem pars primi nouissima, & pars tertij prima concurrit, & aliquantulũ tẽporis spatio decideret, & nil dierũ numero deperiret.* Sic tres illos dies circinnauit, vt quã citissimè solatium afferret afflictis, adeò detrimentosa est quælibet mora, quælibet adiutorij auxilijq; dilatio ijs, qui cum tormentis, mœrore, & desolatione cõfligunt. Quid plur? Totius dies vniuersi breuiabit Dominus, ne diu suos cruciari ab Antichristo relinquat. Ait enim Matt. 24. *Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Dilatio enim afflictionũ, & desolationum etiã in electis metuẽda, qua propter vt electis prospiciat Dominus vbi persequutionẽ sæuire viderit, leuamen maturabit, & dies ipsos orbis breuiabit. Hinc ad rẽ præsentẽ Arnold. Carnot. ait: *Quod autẽ derelictum se filius cõmemorat, mercedẽ obedientiæ postulare videtur, nec diu beneficiũ differri talerat. Et sanè psalmus ille, cui titulus est: in finẽ pro susceptione matutina, ex persona Christi sic incipit, Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Quasi enim proprio iure celeritatẽ auxilij exopstulat, qui cum tormentis, & desolationibus conseruit manus.

Matt. 24.

Arnold.

## §. XXV.

### *Perfectissimi parentis est scelectos filios obliuisci.*

PEccatorum & prodigorum filiorũ agẽs Dominus personam diuine cauet patrẽ nominare sed Deum: non enim est boni parentis degeneres filios agnoscere. Sanè odi homines qui sceleratorum filiorũ non erubescunt haberi patres, qui nesciunt expungere à filiorum albo, eos qui vitijs innutriuntur, & fœditatibus. Hi mittendi erant ad Aquilas vt discerent filios cognoscere & ignorare. De illis eleganti sermon. D. Ennodius lib. 1. epist. 20. ait: *Aquilas ferunt pullos suos in ipso vitæ limine, quo ouorum tunicis exuũtur ad solis ponere radios, & lucem seminis sui immensi splendoris obiectione cognoscere. Nolunt quemquã perire de fœtibus, sed suos esse qui cesserint non agnoscunt. Rectè enim illa, inter aues, sublimitas, genitrix putatur esse victorũ.* Sanè in trito Aquilarum more, multa dixit vir egregius nouo splendore. In primis quod lux generis ad radios solũ examinetur Solis, non enim quæuis filiorum flagitia sunt Deo Patri indecora, sed illa quæ patre vidente fiunt ad lumen Solis. De Noe dicitur Gen. 6. *Noe vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis.* Et tamen filius eius Chã peccauit, & maledicto subijcitur, dum publicat patris ebrij somnum, & nudata verenda. Qualiter ergo Noe iustus in generationib⁹ suis quando & filios habet peccatores? Equidẽ non peccat filius ad radios solis, sed patrẽ suo dormiente, ideo non adeo indecorus parenti filij error. Ita D. Ambros. lib. de Noe cap. 11. ait: *Laudem iusti intelligimus non præteriri, qui talem instituit domũ suam, vt virtutis fulgeret consortiũ. Nec repugnat quod filius postea offendit. Dormiebat iustus cum erraret filius.* At quando post mille patris vigilias filius ad solis radios peccat, eũ filium non nouit Aquilinum genus, quod quidẽ amat suos fœtus, sed quos cæcutientes videt, nõ putat suos, & repellit alienos. Quam longe Heli vidit filios sceleſtos, sacrilegos in ipsa luce solis, 1. Reg. 2. ait illis: *Notite filij mei, non est enim bona fama, &c.* Illos quidem reprehendit, sed quia filios agnoscit, ideo grauiter mulctatur: quod notat Petrus Damin. epist. 6. ad Nicol. 2. hic verbis: *Porro quos inimicos Dei videt, in perniciem suam filios recognouit, & quos hostili ferire gladio debuit, paternæ blanditiæ lenisate palpauit.* Vtinam ex hoc fierent parentes cauti, vt tunc se parentes ignorent, cum filios viderint adeo procaciter defecisse. Sic Iesus vbi factus peccatum in crucis supplicio erat, Deum nominat non patrem, nil enim patris debet manere, vbi scelera filiorum clarent.

Ennod.

Gen. 9.

Ambr.

## §. XXVI.

### *De prbatis, & reiectis hominibus, vnus Deus fauet*

AVdio Dominũ amatorias in Deũ querelas iacere, dũ ait: *Deus meus vt qui dereliquisti me?* Sanè & vniuersi homines immo

immo & amantiſsimi Diſcipuli eum derelinquerãt, & de his non queritur, ſed in Deũ ſolum ſuas excitat amatorias querelas. Vt enim de probatũ & reiectum relinquerent homines, minime nouũ erat, imo in mundo frequentiſsimũ & quotidianũ. At quod Deus eum derelinquat, quando vnicũ, & ſingulare eſt diuinitatis elogium, quod de probatis & reiectis faueat, id quaſi nouum, & inauditum deprecandũ. Equidẽ is eſt ſolus Deus qui deprobatos non derelinquit, ſed de is opem, & auxiliũ vnus nouit præſtare. Poſtquam Phitoniſſa illa, 1. Reg 28. audiuit ex Samuele Saulẽ Regem occidendum eſſe die ſequenti, deprobatũ Regem adit, & ait: *Nunc igitur audi & tu vocẽ ancillæ tuæ, & ponam coram te bucellã panis, vt comedens conualeſcas.* Quod mulieris facinus extollens Petr. Damian. epiſt. 34. inquit: *Quæ videlicet ad imitationẽ Dei, Saul tã bene tractatu, non modo regio iam culmine deſperatum, ſed & in craſtino Philiſthinorum gladijs perimendũ, & tanquã prudens iuxtà Euangeliũ ſerpens, illi præſtitit beneficium, à quo nullum ſe conſequi ſparabat emolumentũ.* Expende illud, *ad imitationem Dei.* Etenim qui deprobato & reiecto viro velit fauere, non habebit homines, non creaturas quas imitetur, ſed vnũ Deum, qui ſolus à culmine deiectis adeſt, imitatur. Ab hominibus id ego fieri notabã, quod ſeueriſsimi imo crudeliſsimi vltores ſint culparum, eius qui decidit à clauo, qui deprobatus à fauore Principis, & reiectus eſt. Quod præcauens Dominus vt Petrum amauerat, ſic poſt Reſurrectionem ſtatim feſtinauit illi claues Regni tradere. Sed cur adeo feſtinauit? Equidem per negationẽ deciderat Petrus à culmine, deciderat à fauore magiſtri quod ſi cæteri illum ſic abiectũ, & deprobatum inueniſſent, proculdubio ſeueriſsime in illum animaduerterent, qua propter illum ab hoc periculo eripere clauium traditione Dominus feſtinauit. Id quod D. Optatus Meliu. lib. 7. aduerſus Parmẽ. ait: *Intelligitur omnia ordinata eſſe diuina prouidentia Saluatoris, vt ipſe acciperet claues. Inter cluſa eſt malitiæ via, ne Apoſtoli animo licentiã iudicandi conciperent, & ſeuere contemnerent eum qui negauerat Chriſtum.* Væ tibi qui à culmine cadis, qui deprobatus es & reiectitius, eu quam ſeuere plectentur errores, quos vel nolens commiſſeris! Cuncti homines, totus mundus, amiciſsimi quique in te inſurgent, vnus Deus eſt qui nouit proſpicere deprobatis ac reijctis viris.

1. Reg. 28.

*Ioan. 18.*

*Text.* Poſtea ſciens Ieſus quia omnia iã conſumata ſunt, vt cõſummaretur ſcriptura dixit Sitio.

## §. XXVII.

### *Poſtquam Deus homines tot doloribus comparauit, eorum anxiè cupit ſalutem.*

ID omnibus ſolẽniſsimum eſt & maximè familiare, vt propter quẽ laborauimus, is proſpere & fœliciter agat. Ideo eleganter notans Tertull. lib. de Patien. quod Chriſtus Dominus inter furentiũ arma, inter laqueos Phariſæorũ cum ſe propter hominum ſalutem morti exponeret percuſsi Malchi auriculã curarit, inquit: *Sanitatis reſtitutione ei, quẽ non ipſe vexauerat, ſatisfecit, per patientiam miſericordiæ matrẽ.* Pulchrè vocat patientiam miſericordię matrẽ, quandoquidem tunc magis alterius miſeremur, tunc miora bona exoptamus alicui, quando eius gratia ſuſtinemus mala. Et ſanè nun quam Deus ſalutis humanæ auidior extitit, quam vbi noſtri cauſa dolores pertulit, & ſummos labores exantlauit. Ecce tibi Chriſtus Dominus triginta annis latuit in mundo, quaſi obliuiſcens ſalutẽ generis humani. Tandem in deſertũ abijt, de quo inquit Matth. cap. 4. *Et cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus poſtea eſurijt.* Sed quã famem cauſare tam longa inedia? Num quadraginta dierũ ieiunia fecerunt Dominum eſurientẽ panis? Equidẽ vera inedia cogere poſſet Dominũ vt cibum corruptibilẽ eſuriret, eſurijt tamen Dominus inedia doctus ſalutem animarum. Id quod eleganter aſſerit Ambroſ. ſerm. 36. de Quadrag. ſic aiens: *Continuatis quadraginta diebus hæc ieiunia non eſurię Dominus procurauit, ſed dicit illũ Euãgeliſta poſtea eſuriſſe. Quomodo ergo poteſt fieri, vt qui tot dierũ numero famem ſitimque non ſenſerit, poſtea eſurierit? Eſurijt enim non cibum hominum, ſed ſalutem, nec eſcarum ſæculariũ epulas concupiuit, ſed animarum deſideranit cœleſtiũ ſanctitatem.* Quippe ieiunia longa, labores in Eremo exantlati vehemente ſalutis humanæ famẽ in Domino excitarũt. Poſt ieiunia, poſt deſertũ, poſt vigilias, poſt durum lectũ, poſt mille moleſtias alias noſtri cauſa ſuſceptas, ò quã auidus noſtræ ſalutis! O quã fameſcit hominũ ſanctitatẽ!

Tertull.

Matt. 4.

Ambr.

O quan-

O quanta Dominum fames, & ſitis excruceat animarum! Accipite iam ilum in cruce poſt immenſos cruciatus dicentem, *Sitio*, quaſi oſtenderet anxiam & vehementem cupiditatem ſalutis humanæ. Nullum tormentorum dolorem manifeſtat, poſt tot cruciatus mirabili ſilentio obnubilatus ardentem exprimit ſitim, non ſitim potus ſæcularis, ſed ſitim animarum, quam à tormentis perpeſsis vehementer auctam non poteſt non manifeſtare. Vnde meritò Drogo de Paſſ. ait: *Domine quid ſitis? Ergo ne plus cruciat ſitis quam crux? De cruce ſiles, & de ſiti clamas, ſitio. Quid? veſtram fidem, veſtram ſalutem, veſtrum gaudium, plus animarum veſtrarum, quam corporis mei cruciatus me tenet.* Planè à cruce, à verbere, ab ſpinis, ab opprobrijs, quæ hominum amore pertulerat Dominus, non potuit, non cauſari vehemens ſitis animarũ. Etenim, vt multa profuſio ſanguinis ſitim ardentem cauſat, neſcio, an naturalius profuſus ſanguis propter alicuius amorem illius ſalutis anxius cupiditatem cauſet.

Drog.

## §. XXVIII.

### *Vel aquæ frigidæ potus exhibit pauperi diuini agni nuptias nãciſcetur.*

IAM illud in primis dubium eſſe ſolet Doctoribus ſacris, quæ ſcriptura vt conſumaretur, dixit Dominus, *Sitio*? An aliqua erat ſcriptura, quæ ſignificaret hoc verbum à Domino in Cruce dicendũ? Negat Toletus, & putat ibi intelligendã eſſe ſcripturam de fellis exhibitione, ſed ego etiã crediderim ſacratius aliquod ibi latere myſterium, quod vniuerſis ſcripturis inſinuatur. Nemini enim dubium eſſe debet, id quod D. Bernard. ſerm. de Paſſ. aſſerit, nimirum quod *Sedes ſponſalis crux eſt, in qua verus ſponſus ſponſam ſuam Eccleſiam ſibi cõpulauit.* Itaque totus ſcripturarũ ſcopus is eſt, vt reiecta Synagoga, noua ſponſa diuino agno conquiratur, quã ipſe in cruce ſibi acquirat & copulet. Ergo poſt cõſumata omnia, vt ſcriptura conſumetur, hoc eſt, vt celebrentur nuptiæ agni, & eius ſpõſa apareat, dixit, Sitio. Hoc ab ſcriptura teſtatum non eſt Gen. 24. Ibi Eliazer Abrahæ famulus quæſiturus ſponſam filio domini ſui Iſaac circa fontẽ ſedens ait: *Puella, cui ego dixero inclina hydriam tuam, vt bibã. Et illa reſpondebit, bibe, quin & camelis tuis potum dabo, ipſa eſt quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac.* Vbi hæc ſcriptura conſumata eſt niſi in Cruce? Ibi vt ſponſam internoſcat, & eligat, non famulus, ſed ipſe verus Dominus inquit, Sitio, vel in ſola exhibitione calicis frigidæ aquæ, quæ eligatur anima in ſponſam agni declarans.

Bern.

Gen. 24.

Proh egregium eligendę ſponſæ ſignũ! Quæ ſitibundũ adaquet, eligitur in ſponſa tanti primogeniti? Cur iſta? Pulchrè D. Chryſoſt. infinuat cauſam dicens: *Videſ ergo ui prudentiam. Nam quia ſciebat Patriarchæ hoſpitalitatem, & quia virginem inde ducendam conueniens erat eiſdem eſſe præditam moribus, quibus Dominus ſuus, nullam aliã quærit coniecturã, ſed caracterem virginalis animi ex hoſpitalitate vult agnoſcere.* Porrò nil magis diuinũ quã beneficentia, quã charitas, quàm miſericordia, his in primis elucet Deus virtutibus, his diuinum ingenium claret, & cum conueniens ſit, vt ſpõſa eiuſdem prædita ſit moribus, quibus ſponſus, nulla melior quæritur coniectura, quam ex beneficentiæ caractere per exhibitionem vel calicis frigidæ aquæ. Ad hæc Diu. Leo ſermon. 4. de collectis miratus, quod calicem aquæ frigidæ tanti æſtimet Deus, inquit: *Vnde exigua iſta impendia tanta æſtimari taxatione meruerunt? Cum amatur ab homine quod à Deo diligitur, meritò in eius aſcenditur Regnum, in cuius tranſitur affectum.* Quid magis ſpectabile in conſorte, quã parilitas affectus & amoris? Sanè ſapiens coniux hoc in primis exquirit, vt faciat habitare ſecum vnius moris in domo. Hinc non aliunde ſponſam vult dignoſci Dominus, niſi eo quod exhibet ſitibundo pauperi calicem aquæ. Fallor niſi huc reſpiciat aqua illa exhibita à Domini percuſſo latere, tranſodit enim latus Dominicum militis lancea, & *continuò exiuit ſanguis & aqua.* Ioan. 18. De quo in rem preſentem loquitur Diu. Cyprian. lib. de monte Sina, & Syon. *Sanguis, & aqua fluebat, vnde ſibi Eccleſiam ſanctam fabricaret*, quaſi innueret quod non eligenda ſit ſponſa quæ ſtet in dextero Domini latere, niſi quæ ſitibundos adaquet. Vt enim optimè notat Diu. Cæſarius Arelat. hom. 30. *Illos, qui ad dexteram futuri ſunt, ſola miſericordia liberabit.* Equidem ſtabit Regina, ò Chriſte, à latere tuo in veſtitu deaurato, ſed quam miſericordia poſuerit, ſed quæ vel frigidum calicem aquæ porrexerit ſitienti Domino in pauperе.

Leo.

Ioan. 18.

Cypr.

Cæſ.

Text.

*Text.* Vas ergo erat positum aceto plenum, illi autem spongiam aceto plenam hyssopo circum ponentes obtulerunt ori eius. Cùm ergo accepisset Iesus acetum.

## §. XXIX.

### *Marianum lac sic Christi Domini palatum indulcoraunt, vt illi etiam amaritudines & fel esset dulces.*

ACcipite modo Card. Tol. & aliorum interpretationem, qui ideo asserunt à Domino dictum esse *sitio*, vt scriptura de felle dando adimpleretur. Sitiebat ergo Dominus felles, & auidè amaritudines ipsas concupiebat perferre, labia enim Mariano lacte rigata & saporata etiã felles dulces reputabãt & concupiebãt. Quo spectabat D. Cyprian. orat. de Nat. Chr. aiens de illo. *Puer sugens vbera & sustinens conuitia.* Ecce vobis vnde conuitiorum tolerantia manauit, ex cœlestis irroratione succi, vbi Mariæ vbera hausit, ea profusum dulcedine mansit palatum, vt felles quasi fauos voraret. Et quidẽ Cant. 5. dicebat Dominus. *Vinũ bibi cum lacte meo. Id* quod acutè põderat D. Antonius de Padua Dom. 3 in Quadrag dicens. *Quare non dixisti Domine Iesu, bibi acetũ meũ cum lacte meo? Virginalibus enim vberibus lactatur.* Quippe vbi lac Virgineũ accepit, vbi ab vbere de cœlo pleno lactatus fuit Dominus, nihil amarum reputat, dulcescunt illi felles, & acetum optimi vini saporem refert.

*Cypr.* *Cant. 5.* *Ant.*

*Text.* Et dixit. Consumatum est.

## §. XXX.

### *Non decet mediocritas diuinum virum, sed perfecta consumatio.*

IAM diu diuina virtus mediocritatem odit *attingens à fine vsque ad finẽ fortiter*, nescit cadere inceptis, nescit media sistere via, nec desistit à cœptis, donec extrema perfectissimè attingat. Sic eos, qui descensum crucis petebant, vt diuinam prolẽ agnoscerent vt fatuos repellit, vt ait D. Athanas. *Neque descendendo de cruce voluit filius Dei agnosci; sed ex eo quod in Cruce permaneret.* Equidem nunquam filios Dei mediocritas decuit; sed consumata in omnibus ausis perfectio. Alij sunt & multi, qui incipiunt ædificare hoc solum contenti si excidant magnis ausi: at qui diuino aguntur spiritu, nulla gaudent gloria, nisi consumẽt, & perficiant optata. Pulchre de Saluatore & consumatore Iesu loquitur D. Anastas. Sinaita lib. 4. derectis fideidogmatibus fatus. *Quando enim egressus est in salutem populi sui, relicta quam apud patrem habebat ante mundi constitutionem, gloria, hanc salutem expensam & libratam oportebat per passiones perfici in eo, qui author vitæ nostræ est, quemadmodum docet Paulus dicens, eum vitæ authorem per passiones esse consumatũ: salus enim cœpti operis erat cõsumatio.* Quippe nõ qui à cruce descenderet; sed qui omnes passiones à malitia excogitatas patiendo consummaret: is erit humani generis Saluator, nec qui aliqua mediocri dolorũ tolerãtia contentus erat; sed qui vel extremũ patiendi apicem pertingeret, is filius Dei humanæque iustitiæ author declarabatur. De quolibet iusto aiebat Psalmus, 91. *quod iustus vt palma florebit.* Cur vt palma? Id innuit Hugo Victorinus lib. 1. Miscell. tit. 95. fatus, *Iusti conuersatio tanquã palma, plus finiendo peragit, quã in choando proponit.* Hoc habet iustitiæ æmulus, quo plus crescit, plus laboribus instat, donec omnes iustitiæ apices percurrat, nullũ alium sui profectus finem præscribit, quam consummationem ipsam. Equidem misere fallantur, qui opus iustitiæ aggressi putant licere sibi aliqua inaccessa prætermittere. O vana hominũ cogitatio: merito D. Amb. serm. 1. in Psalm. 67. põderans quod Deus mãdauerit mãdata sua custodiri nimis, eo refert perditionẽ hominum, quod aliqua prætermittant. Sic enim inquit *In Paradiso mãdauit Adæ vt custodiret mandata; sed fortasse non mandauerat custodire nimis, & ideo lapsus est, ideo deceptus erat à serpente putans, quod in parte aliqua recedens à mandato non penitus erraret, sed quia à semita mandatorum recessit, totam deseruit viam.* Heu miserã hominum falaciam, qua semper de virtutis operationibus conantur minuere, & aliquid promissis surripere! Aliter æmulus iustitiæ plus finiẽdo peragit, quam incoando proponit, omnia media odit, dum virtutum summam non attingit. Sic iustitiæ Sol non antea occidit, quã voti sui apices consumet, vt di-

*Athan.* *Anast.* *Pſal. 71.* *Hugo.* *Vict.* *Amb.*

Leo. cat moritūrus cōsummatū est, nimirum, vt ait D.Leo serm.4.de Pass. *Nil minus pertuli, quam me passurum esse prædixi.* Hinc Gaud. Diu.Gaud.tract.10.de māducatione agni affert illa Genes.1.verb.nimirum. *Requieuit ab omnibus operibus suis, quæ cœperat Deus facere:* quæ ipse sic legit,& statim expendit aiens. *Caute loquitur scriptura non absolute dicens requieuisse Deum ab operibus suis; sed ab operibus quæ cœperat Deus facere. Requies igitur Dei non laboris remedium; sed cœptorū finis est operum.* Nō enim Deo digna requies, vbi nō omnia quæ incœpit facere consummauit, sic odit mediocritates. Sane strenue & impigre vitæ cursum incepit Zaras dū præueniens fratrē ab vtero prætendit manū, qua purpurei pallij filū attigit, & inter progenitores Dei obtinuit numerari. Ait enim Matth.c. *Iudas* Matt. *genuit Phares, & Zaram de Thamar.* Sed cur a strenuo inceptore Zaragenus non duxit Saluator? An quia tādē primogenitus non fuit? Sed nec Iacob fuit primogenitus, & tamen ab illo genus duxit Dominus, Iacob, & Zara neuter primogenitus, vterque tamen ab vtero nititur primas rapere, vterque fratrem aggreditur; sed Zara quā præmisit manū iterū reuocauit, & liberū nascendi locū reliquit fratri. Iacob autem quam semel conseruit manum cum fratre, nunquam remisit, imo & nascens illū manu apprehensum retinere conatur non Chrys. dimittens, sed consumuans certamen. Ita pulchre notat Chrysost. hom. de Iacob & Esau, dicens. *Interea certamen nec nascentibus defuit, dū maioris plantæ innixus Iacob, aut prior nasci desiderat, aut se victorē tali gestu demonstrat.* Non qui nouit incipere, sed qui nullo certamine nullis periculis retro- Isai. trahitur nascituro Deo prætēdit carnem. Hinc Isais cap. 16. *Emitte Domine agnū dominatorē terræ de petra deserti* In petra deserti teste Hieron. Lyra, & alijs designatur Ruth Moabitis; sed cur tam anxie Propheta petit, vt nascatur Christus ex Ruth? Nonne aliæ illustrissimæ erant fœminæ in Saluatoris pro pagine, cur vnius Ruth meminit, illāque anxie ex postulat in Dei matrem? Fallor, nisi huius rei rationem in- Ruper. nuat Rupert.lib.2.in libr.Reg.cap.4. inquiens. *Orpha, & Ruth vtraque nurus fuerat Noemi: nam Orpha osculata est socrū acreuersa, Ruth adhæsit socrui suæ de cuius radice germinauit Dauid.* Quippe ambæ nurus socrū cœperūt sequi, sed Ruth ita cœptis adhæsit, vt nullis timoribus obiectis, nullis difficultatibus, nullis ærumnis, nec obiecta morte potuerit dimoueri. O quam præstans hæc virtus in Saluatore! O quam decens quod Saluator huius sanguinem & mores referat; nullis periculis impeditus, quominus consumet salutem cœptam. Hinc Seneca de Consol.ad Marcian.cap.6. *Turpis est na* Sen. *uigij rector, cum gubernacula fluctus eripuit, qui fluctuantia vela deseruit, permisit tempestati ratem. At ille vel in naufragio laudandus, quem obruit mare clauum tenentem & obnixum.* Præconium nulli conueniens; nisi consumatori Christo.

## *Luc. 23.*

*Text.* Et clamans voce magna Iesus ait Pater in manus tuas cō mendo Spiritum meum.

## §. XXXI.

### *Is Patrem Deum inuocare audeat; qui operosis illum obligat obsequijs.*

NObilis operarius Iesus post portatum pondus diei, & æstus in vinea Domini excolenda, Patrē Deū confidenter inuocat, nequis otiosus, & vagus homo de patre glorietur diuino. Prodigus ille filius Luc.15. in se reuersus ad patrem decreuit recurrere: *Surgā, & ibo ad patrem meū.* Sed Luc.15. quibus intendit patrē delinire, vt perditū filium admittat? Sane verbis illis, *fac me vnū ex mercenaris tuis*, quandoquidē tūc filius Deo patri maxime placebit, si mercenariorum, & operariorū more viriliter desudet, operosisque laboribus emat dici Dei filium Ioan.1. dicebat: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Vbi eleganter Chry- Ioan.1. sost. *Cur non dixit faciet eos filios Dei fieri?* Chrysost. *Vt ostenderet multa nobis opus esse diligētia.* Non qui otio indulget, non qui pigritans manus sub ascela abscondit, is filius Dei, is confidenter cœlestem patrē inuocat, sed qui in arena vitiliter pugnat, qui manus spolijs inimicorum refert plenas. Ideo Psalm.28. clamabat vates, *Afferte Domino* Psalm.28. *filij Dei.* Quibus expende quod non liceat filijs Dei accedere, quin manus donis afferant onustas. Sic ibi pulchre Dia. Chry- sol. serm.10. *Videtis quia cœlestis pater sen-* Chrysol. *tit amorem donis, datis affectum. Et re vera, fratres, filium se esse nescit, qui autorem vitæ suæ non obsequijs placat, non deuincit cultu, muneribus non honorat.* Merito ficus illa apud

pud Marc. ca. 10. arefit, quæ adeuntē Dominum nullo fructu valuit recreare. Sed nec erat tēpus ficorum, vt videant filij Dei quā reprobabuntur ſi quo tēpore exhibitis fructibus, & operationibus non honorent patrē. Ita Orig. hom. 16. in Matth. *Propter quod hominibus dicit, quoſcumque ad beatitudinē vocat: ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes, arguens eos qui nolunt eſſe Dij, nec filij excelſi: vos autē ſicut homines moriemini, quando enim ſecundū hominē ambulamus nihil operamur niſi vt moriamur.* Et quidē patentiſſimum hoc diſcrimē inter filios Dei, & filios hominū, quod filij hominū nihil operantes moriuntur, atque eam ſubeunt mortē, qua nullū opus bonum appareat: verum Dei filij, quū moriuntur, tunc operū illuſtrium fructus referunt patri.

## §. XXXII.

### *Moribundus meminerit Deum non tam iudicem, quam patrem ſuum, quo ſecure, & tute migrauit.*

ECce Magiſter noſter in vltimis conſtitutus, quæ docet à nobis inuocandū, vt facile & ſecure viam intremus vniuerſę carnis ad cœlumq; pernici euolemus volatu. Pater, inquit, in manus tuas comēdo ſpiritum meum, amat enim Deus vocari pater, non iudex formidari. Prodigo illi ad patrem reuertenti: *Ibo ad patrem meum.* Luc. 15. ocurrit feſtinus pater, in columque eius incidit, & oſculatus eſt eum. Vbi acute Chryſol. ſerm. 2. *Pater viſo filio cooperit mox reatum: diſſimulat iudicē, qui magis vult implere genitorem* Hoc Deus erga homines ambit, vt indulgentiſſimus pater habeatur, vt inuocetur pater, quo circa etiam cum prodigo, & cum ſubſtantiæ diſſipatore diſſimulat iudicē, faſceque iudicis occultata totus effunditur in oſcula, & amplexus patris. Id quod teſtatur D. Chryſoſt. hom. 16. ex varijs in Matt. locis ſic aiens: *Si conceperimus abinitio creati hominis cauſam, intelligemus, quia nimirum Deus ſe magis patrem voluit eſſe hominum, quā Dominum Non enim dixit tantum modo faciamus hominem, ſed faciamus hominē ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: ſimilari autem conuenit filijs ad patres ſuos, non autē ſeruis ad Dominos ſuos.* Sic innatum voluit eſſe hominibus, vt Deum haberent patrem, ſic curauit, vt homines in factore ſuo, & Dominum, & iudicē præterirent, ſolumque patrem agnoſcerēt, & patrē inuocarēt quaſi vel meminiſſe patris Dei ſufficeret, vt ſecure, tute reuolaremus in patriā. Nonne ille iam allatus prodigus dicebat: *Ibo ad patrē meum.* Et quanta in illo bona cauſauit ſola hæc memoria diuini Patris? Ea expēdit D. Thom. in Cat. *Qui poſtquā dixit ibo ad Patrē meum, quod ei attulit cuncta bona, non manſit ſed totum iter tranſiuit. Sequitur enim & ſurgens venit ad patrem ſuū.* O vos fœlices qui tantum obtinetis patrem! Cuius vel ſola memoria, vel ſola inuocatio ponit alas, vt ſecure & feſtine quod ad illum eſt iter conficiatur. Patrē dixit, & innumera excepit bona, & non amplius in malis manſit, ſed totum iter occior pertranſijt. D. Gregor. Niſſ. de orat. Dom. orat. 2, expendens quod Deus pater noſter eſſe in cœlis dicatur ait: *Licebat tibi ſtatim eſſe in cœlo, vbi Deum patrem in mente ſumpſeris.* Præteri Dominum, præteri iudicē, voca Patrē Deum, & te iam reputa cœleſtem ingredi aulam. Fallor, niſi diuidus pater inuocatus nos faciat in cœleſtia leuitare, quippe inuocatus pater à filio prodigo illi occurrit: *Et cecidit ſuper collum eius.* Proh Deus immortalis! Pater filij collū grauas? Acute Diu. Petrus Chryſol. ſerm. 3. inquit: *Cecidit ſuper collū, vt amoris onere onus tolleret peccatorum. Venite ad me, inquit, omnes qui laboratis, & onerati eſtis. Tollite onus meum ſuper vos, quia leue eſt. Videtis quia filius iuuatur iſtius patris onere non grauatur* Expendo illud, nimirum quia leue eſt, filius iuuatur iſtius patris onere, non grauatur, quandoquidem cœleſtis patris onus quia leue, leuitare facit filios & in alta euolare. Vtinam cœleſtem hunc parentem ſuſtineamus, quo grauedine peccatorum dimiſſa, in bona cœleſtia ſalubri, & ſecura leuitate euolabimus.

Thom.

Niſſ.

Chryſol.

Chryſol.

Chryſoſt.

### *Matth. 27.*

*Text.* Ieſus autem iterū clamans voce magna emiſit ſpiritum.

## §. XXXIII.

### *Chriſtus moriens in mortem victor inſultauit.*

IAM diu inimica mors Saluatoris potentiā exnauerat, iam ad ipſius vocē tremefacta diſſugerat, quippe vbi aggreſſa fuit Lazarū, ſuſtinuit pauēs Dominum incre-

pantem, & minantem, ait, Ioann. cap. 11. *Cyril.* *Iesus infremuit spiritu.* De quo Diu. Cyrill. lib. 6. cap. 18. fatur: *Minans aduersum mortẽ fremitum appellauit.* Enim vero vt Iesus vidit succubuisse amicum morti, vbi aspexit Lazarum à morte deuoratũ, in exarsit aduersus mortẽ, & fremens & clamans illam minis prosecutus est. Quid plura? Non solũ Christus Dominus, sed vel vmbra eius sanguinis Israelitici liminibus per fusi accedentẽ mortẽ vehementer minitans increpauit. *Arnold.* Id quod expendit Arnold. Carnot. tract. 7. de Verbis Domini in Cruce sic aiens: *Hinc est, quod exterminator Angelus primogenita quæque Ægyptiorum percutiens, viso hoc signo, à liminibus sanguine illitis quasi increpatus se cohibet, enecatisque Ægyptijs illæsi incolumesque manent, quorum latera frontemque terroris huius conspersio rubricauerat.* Expendo illud; quasi increpatus se cohibet. Etenim vmbra sanguinis Christi habet voces, quibus non cessat minis & increpationibus mortem in secta ri. Vnde cum ad extremum certamen venũ est, vbi cũ morte conserendæ erant manus, iterũ clamans voce magna expirauit, quasi iã diu morti minas factas tunc implẽ ret mortẽ euiscerando. Sane qui iratus in hostes dux illis insidias parauerat, cũ insidiarũ beneficio hostẽ habet in laqueis, tũc clamans irruit intrementẽ & pauidos. Sic Dominus insidias dũ morti parat, apud iudices tacet, & silentio tegit suã fortitudinẽ, at vbi mortem habet in manibus aperto iã Marte præliaturus clamat insecuturus illã trementẽ & pauidã. Fallor nisi huc respexit D. Athanas. dũ sic depingit Dæ- *Athan.* monem morienti Domino astãtem. *Cedere igitur iã inde parabat, & tergũ dare fugæ. Cernens enim Dominũ, & in cruce pendentẽ & mortẽ persequentẽ, in metu fuit.* Et quando vi sus est Dominus mortẽ persequi; nisi quando iã iam animam agens clamat voce magna? Equidẽ vt clamare solent victores ab insidijs hostes pauidos & victos insectantes. *Euseb.* Ita Euseb. lib. 4. de demost. ca. 12. *Cũ altius vocem emisisset solutus à corpore abijt, neutiquã expectans dũ mors ad illum accederet; sed illam cũctãtem & fugitantem ipse à tergo insequitur.* Sane & mors, & omnes aduersariæ potestates, & idolatria, & peccatum à primo cũ Christo Domino congressu terga verterunt, & sese fugæ dabant, quæ ex tunc ipse Dominus victor in sequebatur. Nonne de cohortibus Christũ capturis dictum est, quod ad vocem illius, *ceciderunt retrorsum.* Ioann. 19. Sed quid est quod retrorsum ceciderint, & in dorsis male habe rent? An quia fugientes hostes iam victor Dominus insequebatur? Ita D. Aug. lib. 2. de Mirab. scrip. cap. 7. põderans, quod Dagon ante arcam Domini iaceret dorso vulneratus ex 1. Reg. ca. 5. ait. *Spina dorsi eius truncata reperitur.* *Quod fugeret idolatria in aduẽtu Dominicæ legis monstrabat. Qui enim fugiũt percutienti dorsum dant.* Ita retrosum percutiuntur Christi hostes, quod fugeret idolatria, & mors, quas victor insequebatur. Quod item sic clamans se filium Dei ostenderit vide infra, parag. 36. *Augusti.*

*Tex.* Et ecce velum Templi scissum est in duas partes a summo vsque ad deorsum. Et terra mota est, & petræ scissæ sunt, & multa corpora sanctorum quæ dormierant surrexerunt, &c.

## §. XXXIIII.

### *Creaturæ omnes vehementer commoueuntur in Deicidas.*

CVR nocentissimos viros, & Deicidas vniuersæ creaturæ non inferrent bellum? Credo. quod à Deo ipso compeditæ creaturæ intra ipsos naturæ carceres cõmouebantur perditionẽ minitantes hominibus scelestis. Equidẽ Flaccus ille Israelitarun interfector iam scelerũ pœnas dans, his solicitarius discruciebatur mœstissimis vocibus apud Philonẽ: *Horum facinorum pœnæ me manent, sat scio, & diræ stant tanquã in carceribus, vt obice rupto, properent in meam perniciem.* *Phil.* Equidẽ sapienter, & verè scelestus homo meditabatur flagitiorũ vindices pœnas stare tanquã in carceribus, ibique cõmoueri, & violentis motibus mõstrare quã sint promptæ ad properandum, quã anxiè festinarent, si vel obex rumperetur. Proh dolor! Quales pœnæ vos manent, ò scelestissimi Deicidæ! Nonne videtis quã diræ stant tanquã in carceribus creaturæ? quã intra carceres ipsos mouentur, vt obice rupto, properent in perniciẽ vestram? Papæ rebellarat in patre Absalõ ille, & fugitiuum è bello terra à se depellit, mulus deserit, arbor detinet, vt enecetur. Id quod expendẽs D. Chrysost. inquit: *Chryſ.* *O nefandum meritum paricidæ! Iniuriam patris non pugnantis, gladius, non hostilis manus,*

*nus, nō iaculantis ictus defendit, sed vindicāt ligna, arbor vlciscitur, rami defendunt. Nec est vlla creatura, quæ non mota fuerit, cū ipsum senserit moueri in authorē* Iam nunc vide parricidæ Israelis nefandum meritum, non gladius exeritur ad scelus vindicandū, adhuc silet miles, & arma vacant, & fames non exit à tristibus cauernis, sed terra, sed lapides, sed cœlū, sed mortis ipsius vectes vindicant tantū scelus, & nō est creatura, quæ mota non fuerit vt vidit parricidas Iudæos in authorē suum cōmoueri. Vnde meritò D. Leo serm. 4. cap. 4. hæc in Iudæos dicit: *Cum ad tantā diuinæ Maiestatis inclinationē totius mundi cōpago quateretur. Cum facinus impium omnis sui confusione creatura damnaret, & manifestā in reos sententiā elementa proferrent. Quis vobis animus Iudæi? quæ conscientia fuit, quando & vos iudiciū vniuersitatis vrgebat, & reuocari ad se consumato scelere impietas vestra non poterat? Quasi confusio vos apperuit? Quæ cor vestrum pœna suscepit?* Libenter sanctæ Brigittæ assentior, quæ ex Dei reuelatione affirmat, inter hæc, ipsa Iudæorū, & carnificū præcordia vehementi, & amarissima tristitia fuisse effecta. Vt liceat huc transferre verba à Beat. Chrysost. data in sanctissimum Militum moribundū: *Quasit, sustinuisset videre Beatum illū, extremū emittentē spiritū? Quis sustinuisset videre illa supercilia oculorum deprimi, os que claudi, & mandata edere nouissima? Quis hæc aspiciēs non à se discessisset magnitudine calamitatis?* Orbis vidit vniuersus, ipsi viderunt hostes, & omnes à se discesserunt propter doloris magnitudinem.

Leo.

## §. XXXV.

### *A morte Domini mors despicitur, & contemnitur ab omnibus.*

VT creaturæ viderant Dominum in Cruce morientē iam pro minimo ducunt, si & ipse morti dentur, & despecta morte sese continuis, & violētis mortibus finire contendunt. Ita alibi datus Leo serm. 6. de Pass. inquiens: *Debebat hoc testimonium suo mundus authori, vt in occasu conditoris sui valent vniuersa finiri.* Iam qui omnibus tremendus erat finis & horribilis ab omnibus despicitur, & contemnitur, vt vident filiū Dei in Cruce finiri. Nulla est creatura, quæ non audeat in mortē, vt dicat D. Basil. *Deuorauit ipsum mors ignorās, qua propter etiā vt vilis mors cōtemnitur, eam non amplius vt leonem timemus, sed veluti leonis pellē conculcamus.* Perterrefaciebat quōdam mors gigātes sæculi, & ante illius horrorē ærea pectora soluebantur, atnunc vniuersæ creaturæ cupiunt finiri, & totius mundi cōpagines amant dissolui, & esse cū Christo. Infirmi pueruli, teneuæ virgines, quæ vel lacertæ aspectum diffugiūt pauidæ, tremendas mortis derident fauces. Hic D. Athan. de glorioso mortis Christi triumpho agens mortis prædicat infirmitatē: *Quis enim cum leonē videt ludibrijs exagitari à pueris, ignorat, vel mortuum esse, vel saltē omnibus viribus destitutum? Ita quoque à nemine ambigendū mortē, quæ à Christi fidelibus ludibrio habetur à Christo prædomitā esse eiusque luem ac vim corrumpendi extinctam.* Quibus maximè ponderandū, quod dicat mortē à pueris, à fidelibus Christi ludibrio haberi. Nec hoc nouum, nec mirandum, quandoquidem vel sola Dominicæ mortis suspicio dedit antiquitus mortē pueris conculcandā. Nonne tres pueri erant, qui Dan. 3. ob patriam Israelitarū religionē coniecti sunt in ardentē fornacē? Sed cur pueri ex tunc sic mortē contēnunt cur mors pueros verita fuit, illosque non ausa tangere, vehementer exorauit? Pulchrè admodū D. Chysost. hom. 18. in 1. ad Cor. *Iam enim mors contemptui habebatur, cū Christus esset venturus, & quemadmodū cum sol oriturus est, priusque radij erumpant, clara diei lux efficitur, iam eum Sol iustitiæ venturus esset, mors cessit. Quid hoc spectaculo esse posset illustrius? Quid hac victoria præstantius?* Tantum Dominica mors odorabatur, & iam inimica mors à pueris exsibilabatur, iam contēptui, & despectui habebatur. Adhuc ipse Chrysost. oratio. de SS. Bernice, & Prosdoce, memorans Iacobum, & Eliam ad mortis periculū pertimescentes, deinde Paulum ad Philip. 1. dicentē: *Cupio dissolui, & esse cum Christo, sic loquitur. Illis formidabile, huic melius: ac merito sane, olim enim mors ad inferos ducebat, nunc autem ad Christum mors transmittit.*

Athan.

Dan. 2.

Chrysost.

## §. XXXV.

### *A Cruce Domini mortificatio, & mors ipsa amabilis, & appetibilis.*

NON miror quod vniuersæ creaturæ amentfiniri, sesequemille conficiant

ictibus cũ viderint in cruce defunctũ authorẽ vitæ. Nonne Elias mortẽ ab Iezabel inferendã expauescens per vastissimos errabat mõtes? Sic de illo 3. Reg. 19. dicitur: *Timuit ergo Elias, & surgens abijt.* Quid plura? Post mille exanthlatos labores, post longos decursus ad iuniperi radices deiectus: *Petiuit animæ suæ vt morcretur.* O præclarum virũ mortẽ fugis, & vt iuniperi vmbrã nactus es mortẽ expetis? Quid modo in morte tibi placere potuit? Equidẽ eleganter Rupert. lib. 5. in Reg. cap. 10. ex arbore, ad quã Elias recurrit, ve natur causam cur mortẽ appetiuerit mortis fugitiuus: *Confugit*, ait, *ad viuificũ crucis lignũ. Illic ambit mortẽ, illic festinus cõmori Christo.* Adeò vel vmbra crucis redditamabilẽ, & expetibilẽ mortẽ, vt possit ipsi placere illi, qui vehementer ab ilia abhorrebat. Multi sunt Patres, qui arcu illo smaradino, qui in Apocal. Deũ vallabat, crucẽ, passionẽq; Domini cognoscunt, quod eo mihi plus arridet, quo sciã res horribiles, & metuendas ab smaragdo reddi pulchras aspectuq; delectabiles. Vnde vt fœdissimę gladiatorũ strages, vulnera tabo puluereq; deturpata aspici possent ab Imperatoribus Romanis, hæc illi horrenda festa videbant smaragdinis speculis interpositis, vt author est Plinius. O vtinã Christiani Principes ob oculos sibi ponerent smaragdinum speculũ, nimirũ passionẽ Christi, vel crucẽ. Equidẽ amassent mortẽ, & gratissimè aspicerent quãlibet mortificationẽ, & abiectionẽ humilẽ. A D. Chrysost. non sine ingenij acumine vocatur crux, *Philosophia Imperatorẽ*. Et quid hoc innuit? Est cõmunissimũ apud omnes triangulare vitrium smaragdi æmulum, quod vocant lapidem philosophem, quia ea Philosophiæ arte fabricatus est, quasi ob oculos ponatur, stercora, & fœtida loca tali pulchritudine facit apparerè vestita, vt instar paradisi oculos spectantiũ alliciant. Ea est crucis philosophia, quia humillima quæq; & horrida, & squalentia, nimirũ pœnitentiæ saccus, cinis, ieiuniũ, dolor, lachrymæ, & similia sic afficiunt videntes, vt Imperatorum etiam animos ad se alliciant. Nec vllus erit, qui crucẽ Domini, & passionẽ videat, cui dolor abiectio, & mors ipsa nõ videatur amabilis, & expectibilis. An huc reuocari posset Dauid in psalmis, dũ meminit: *Beneficti inuocantis sapienter?* Sanè sapientissime quis vtitur Dominica passione, ad omnes sæculi ærũnas, quas tortuosus peperit cõluber, exeantandas, vt faciles captu videantur. Sic D. Isidorus Pelu. lib. 4. epist. 79. de Domini doloribus loquitur: *Hisce quasi incantamentis quibusdam illatas vobis iniurias lenite atque cicurate, facile namq; cedent ijs, qui hæc aduersus eas occinent.* Vt enim serpentũ feritas sapienti incantamento cicuratur, sic de dolorũ Domini segete, omnes alios dolores excantabis, superabis. De hoc latiùs lib. 2. cap. 4. parag. 5.

3. Reg. 19.

Rupert.

*Textus.* Centurio autẽ, & qui cum eo erant custodiẽtes Iesum viso terræmotu, & ijs quæ fiebant timuerunt valde dicẽtes: Verè filius Dei erat ille.

## §. XXVI.

### *Summa omnium rerum potestas, quæ filium Dei decebat penes crucifixum Iesum apparuit.*

CVR velum tẽpli scinditur? Cur cœli luminaria recedunt? Cur omnia tenebris suffundũtur? Equidem in Thabor gloriosus dũ apparet Dominus inter Moysen, & Eliam ad vocẽ patris dicentis: *Hic est filius meus dilectus*, diffugiunt Moyses, & Elias, & discipuli timore quatiuntur. Cur id accidit? Prudenter D. Ambr. lib. 1. de Fide cap. 5. hanc excogitat causam, nimirũ, ait: *Recesserunt seruuli, vt solus Dominus qui solus designabitur, filius videretur.* Modò item in cruce existens Dominus filius Dei publicatur à Centurione, & militibus astãtibus, sed tunc filius Dei dicitur, cũ velum scinditur, cũ luminaria clauduntur, cũ omnia terra decora nigris tenebris se abdunt, nam hic quoq; diffugiunt seruuli, vt solus filius Dei Iesus appareat. Vt meritò dicat D. Athanas. de Incarn. Verbi Christi Domini crucifixi gloriam expendens: *Corpus in crucẽ exaltauit, non tamen per hoc obscurus, sed illustris permanens in se ipso, & talia opera patrans, eaque signa edens, quæ eum etiã eo tempore non hominẽ, sed Dei verbum declararunt.* In cruce erat Dominus, & tremore correptis seruulis, clarius, patentiùs ipse filius Dei videbatur, & prædicabatur. Non enim à cruce ignominiam, sed eam rerum capiebat potestatẽ, quæ vnum decebat vnigenitum patris. Non dicebat Dominus ad suos: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & terra?* Sed quibus brachijs accepit hanc tantam potestatem. Sanè à crucis brachijs, ibi enim & cœlestia, & terrestria omnia alterabat. Sic Anas-

Ambr.

Athanas.

Matt.

Si-

thaſ. Sinaita de rectis fidei dogm. lib. 4. fatus: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra: ac ſi manifeſtè diceret, authorem gloriæ iſtius crucē eſſe, & per crucē irrogatā mortē.* Dum clauis manus eius crucifiguntur, dum ligno adhæret ipſe totus ſaucius eam præſefert poteſtatē in cœlo, & in terra, qui meritò filius Dei habeatur. Curiā non exclamet D. Leo ſerm. 8. de Paſſ. dicatque? *O admirabilis potentia crucis! O ineffabilis gloria Paſſionis, in qua & Tribunal Domini, & iudiciū mūdi, & poteſtas eſt crucifixi!* Quā do crucifixus poteſtatē in cœlo, & in terra habuit? Quando homo à cruce cœli luminaribus eripuit lumen? Quando valuit elementa turbare? Hæc ſanè nō hominis, ſed filij Dei, ſed orbis hæredis opera ſunt, vt vel his crucifixus debeat filius Dei publicari. Hinc D. Cypria. de duplici mart. inquit: *Quid homine mortuo contēptius? Quis vel Cæsarē mortuū? Sed Chriſti morte quid efficacius? Velū tēpli ſciſſum eſt, terra concuſſa, Sol medio die obtexit faciem ſuam, nunquam per omnem vitam magis declarauit potentiam ſuam.* Hæc ille.

Leo.

Cypri.

## §. XXXVII.

### *Signum diuinæ filiationis, ex verbis, ex voce.*

Miraris à Centurione filiū Dei in cruce fuiſſe agnitū, vnde ne Ethnicus miles diuinam filiationē percaluit? An ex facile tabo palloreq; fœdata? An ex capite ſpinis coronato? An ex manibus perforatis? Sanè facies, caput, & manus Eſau erant, manus dānati cuiuſuis hominis videbantur, vox autē Iacob, nimirum veru peccati ſupplantatorē filiū Dei referebat. Pulchrè D. Bernard. ſerm. 28. Cant. *Vnde aduertis Centurio pulchritudinem crucifixi, & quod is ſit filius Dei, qui cū iniquis reputatus eſt? Videns quod ſic clamans ſpiraſſet, ait hic homo verè filius Dei erat. Ergo ad vocē credidit, ex voce cognouit filium Dei, non ex facie.* Equidē haud obſcure diuinū refert originē vox: ſæpè fallimus manibus, ſæpè facie, at ex abundātia cordis os loquitur, nec vllus certior index inhabitantis Dei in nobis ſumi poteſt, quā lingua & vox perfectè moderata. Duo nomina habuit pater ille credentium. Primò vocatus Abrā, & poſtmodū paucis additis dictus fuit Abraham. De quo Philo. lib. de Gigantib. *Eares magnū quid ſignificat, priùs nomen Abrā interpretatur pater ſublimis, Abrahā verò pater electus vocis.* Quid tunc myſterij? Quid magnū quod dicatur mutatus fuiſſe in patrē electū vocis? Ipſe inſinuat ſic pergens: *Ergo mutatio nominis ex Abrā in Abrahā ſignificat eum mutatum fuiſſe ex homine Philoſopho in hominē ſapientē, & planè diuinū.* Quippe vbi electæ vocis dicitur quis, non homo planè diuinus. Non enim vox electa & perfectè moderata egreditur niſi ab eo, in quo inhabitat diuinitas. Dicebat aliquando Dominus ſuis diſcipulis: *Non eſtis vos qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Vna lingua perfectè moderata refert ſpiritum filij. Vnde eliciebat Rupert. *O quam dulce, ô quam preclarū ea quæ loquimur talia eſſe, vt ea prudens auditor nequaquā dignetur aſcribere nobis, dicatque, non eſtis vos qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Proh ſœlix! Quē ſic lingua commendat, cuius vox non à tanto parente degenerē notat. Aquila ex viſu probat filios, ſed Deus ex verbis colligit qui reſpondeāt diuinę origini. Videt ergo quis quo orē inuocet patrē, os enim plenum verbis bonis, plenū dulcedine diuinam cognationē refert, verum os plenū dolis, plenum mendacijs, & amaritudinibus genus indicat demoniorum. Vnde D. Greg. Niſſ. in Orat. Dom. orat. 2. inquit: *Cuius animus eiuſmodi maculis, & notis infectus, & inuiſus eſt, ſi patrē inuocauerit, vter ei pater auſcultabit? nimirum is qui cognatus eſt inuocati, is autem non ille cœleſtis, ſubterraneus eſt. Cuius enim ſigna proximæ cognationis gerit ille ſuā omnino cognationem agneſcit.* Hinc eſt, quod moribundus Dominus patrē inuocat, cui ſuum ſpiritū cōmendat, patrem inquā, inuocat eo clamore magno, quo pro inimicis orauit, quo derelictorum cauſas egit, quo paradiſum largitus eſt, & inde ex vocis ſigno manifeſtè pater eius cœleſtis aſtantibus claruit. Sic ex voce diuinā in Ieſu filiationem explorabat antiquus tentator, apud Matt. cap. 4. dicens: *Si filius Dei, dic vt lapides iſti panes fiant.* Expende illud, *dic vt fiant.* Et enim vbi Pater per filium terrarum orbē cōdebat, ait textus, *dixitq; Deus fiat lux, &c.* Vt per verbū, *fiat*, à Dei ore procedens vniuerſa conderētur. Quo notato, Satanas ſimilia ſuggerit verba Ieſu, vt ex ſimili vocis ſono, an filius diuini Patris ſit exploret. Id caluit Diu. Paſchaſ. lib. 3. inquiens: *Nouerat cæcus ſcripturarum inſpector, Deū in principio dixiſſe, fiat, & ſic omnia feciſſe ex nihilo. Nec tamen intellexerat, quod hic eſſet illud verbū quod pater cuncta crearat: quod volens formidoloſius explorare, perſuaſit ei tenore dicendū vt lapides fierent, quo didicerat Moyſem literis mandaſſe, Deum vniuerſa creaſſe.*

Bern.

Phil.

Niſſ.

Matt. 4.

# CAPVT VI.

## Lancea transfigitur, & sepelitur Dominus

MORIS erat in occasu diei crucifixorum crura confringere, vt citiùs animam efflantes sepelirentur eodem die. Sed propter honorem tãti Sabbati, in quo Dominus passus est, crediderim aliquando ac celeratum fuisse crurifragium, vt citiùs deponerentur illo die. At diuini agni nullum erat os cõminuendum, & quia inuenerunt mortuũ, miles lancea latus eius transuerberauit, quo vulnere sanguis, & aqua distinctim exiuit, vt videretur, & notaretur ab Euangelista. Hinc Ioseph Abarimathia adit Pilatũ, quouis timore deposito, petit diuinum illud cadauer, quod ipse Ioseph & Nicodemus deponentes de cruce inuolutũ sindone, curatumq; aromatibus more gentium, nouo Sepulchro iã lapide exciso condunt. Interea Iudæi de licentia Præsidis custodes adhibent Sepulchro præcauentes resurrectionis mysterium, adeò nota erat omnibus resurrectionis prædictio.

*Ioann. 19.*

*Textus.* Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit.

### §. I.

### *Iesum mortuum etiam impij reuerentur.*

PLacet quod noster Barradas asserit in præsenti, nimirum quod Ethnici milites Dominum crucifixum reuerentes non fregerunt eius crura contenti lateris transuerberatione, ne fortè viuus deponeretur. Etenim quamuis eum mortuum putabat, non cuidens erat an penitus esset exanimis. O efficax effusi sanguinis testimonium! Cuius vita suspecta, & inuisa fuit impijs, eiusdẽ mors honorata & reuerita. Quẽ viuentẽ illuserunt, colaphis, sputis, opprobrijs repleuerunt, nouis cruciatuum generibus affecerunt, eundẽ mortuum venerantur, & honorant impijssimi carnifices. Et tẽpestas illa furentium quæ viuentis caput operuit, & submersit, mortui talos attingere veretur. Id quod meditatur D. Cyprian lib. de duplici mart. sanguinis clarissimum testimonium expendens his verbis: *Vita Domini plurimis fuit offendicula, ipsis etiã cognatis ac fratribus fuit detestabilis, cum dicerent illum in furorem versum, sed mors illius non solũ pijs, sed etiã impijs fuit admirabilis, nec alibi magis verũ fuit, quod Dei virtus in infirmitate perficitur.* Proh Deus immortalis! Ea erat mortui Domini facies, eæ virtutes media in mortis caligine radiabãt, quæ obcæcatum quemque illuminat. Ea vngunta percussa Saluatoris arbor sudabat, quæ ferocientium hominũ, imò tygridum linirent animos. Matt. 26. comprehensus fuit Iesus, tunc discipuli, *Relicto eo fugerunt.* De quo D. Athan. hom. de semente ait: *Fugerunt quidem à vino, sed ita vt pro eodẽ crucifixo mortẽ oppetãt.* Adeo venerabilis fuit mors Christi omnibus, vt qui propter metum, eius viui societatẽ cõtemserunt, eiusdẽ mortui current fieri socij, omni pauore contẽpto. Vnde rectè monet Christianos D. Fulgen lib. 3. ad Trasimund. Regẽ cap. 1. fatus: *Cum increduli milites detrahere ausi non fuerint morienti, quidã nunc sub Christiani nominis fuco, non metuunt derogare regnanti.* Proh nefas Christianorũ, qui nec mortuo, nec viuo Domino parcunt, nec regnantem in cœlo pertimescunt, nec in Cruce reuerentur exanimem. *Cypri.* *Fulg.*

### §. II.

### *Christus Dominus promptius, & auidius sanguinẽ fudit quã rabidissimi hostes exquirebant.*

MIratus sum rabiẽ Iudæorum Christũ Dominum persequentium, qui mille excogitatis vulneribus sanguinem exquirunt diuinum. Bis & ter Pilati prætorium Dominico sanguine rigant, dum flagelis totum candidissimi iuuenis corpus deturpant, dum spinis venerandum caput effodiunt. Et adhuc clamant, & exposcunt crucem, vt largiores sint sanguine fontes, & totius corporis excitentur fibræ. Qui tamen sanguis diuini cordis intrauerat arcem vltimo in spiritu vitæ, hunc ipse ex se Dominus propria, & supernaturali virtute vsus, post mortem per aperti lateris vulnus emittit, & quem crudelitatis non exqui-

exquireret ipſe liberalior effudit. Id graui ponderatione D. Cypria. notat de duplici mart. inquiens. *Quicquid reſederat in corde ſanguinis, Dominus emiſit.* Equidē nulla rabies à mortuo ſanguinē educeret, & quē non eduxiſſet rabies, ipſe potens Dñs libens emiſit hoſtilē rabiem confundens. Huc voco illud ſanctiſsimi Iobi ſacinus, quē cum inferorū perſequērētur furiæ, cū hoſtis filios eius perimeret, ſubſtantiāque totā euerteret, ipſe *ſcidit veſtimenta ſua.* Sed cur ſcidit? An vt homūciones faciunt in luctu? Abſit hoc à ſanctiſsimo viro. Accipite facinoris ratiōnē, ex D. Chryſoſt. homil. de Iob, & Abr. Vbi inquit. *Diſrupit veſtē non ingratus, neque indignā vocē emittens; ſed inſultās diabolo, & inexplebilē eius qui omnia abſtulerat, rapacitatem confūdens. Vnā quā habebat veſtē, & qua indutus erat diſrupit ac deponit, gloriaturq; cōtra tentantē, ei oſtendens, quod maiora illis ſuſtinere queat.* Liceat modo parua cōponere magnis, & ſtrenui militis ex facinore, ſummi Imperatoris glorioſam cātare virtutē. Is diabolico furori inſultans inexplebilē eorū, qui omnē ſanguinē hauſerant, rabiem cōfundit, dum paucas, quæ in cordis intimo remāſerunt, guttas emiſit gloriatus contra hoſtes eis oſtēdens, quā longè illis auidior eſſet & promptior ad effundendum ſanguinem pro hominibus, ne tota gens periret.

Cypr. Iob. 1. Chryſoſt.

## §. III.

### *Puræ miſericordiæ venæ ſeſe per lateris apertionem effundunt.*

Aug. VIgilāti verbo putat D. Aug. dictum eſſe, q̄ lancea latus eius aperuit, non percuſsit; ſed arpeuit. *Vt illuc quodāmodo vitæ oſtiū pāderetur.* Sed cur neceſsū eſt nouum vitæ oſtiū aperiri? Nōne patebat os illud diuinū, ex quo verba vitæ æternæ ſcaturierunt? Ex quo Magdalena miſericordiæ pelagus ebibit? ex quo ſanos Chriſtiani Sāſones perciperēt? Sed proh dolor! felleū erat iam os illud, vos ò Iudæi, tantorū bonorū fontē amaro in peccatores toxico repleuiſtis. Accipite Arnold. Carnot. de ſeptē verbis Dūi, vbi pōderat, quod Iudæi ſitiēti Dño ſelleū acetū porrigerēt, ſic inquiēs. *Perverſa mens carnaliū ſitis huius non intelligēs Sacramentū, ſancto ori amaritudinē applicat in calamo, & fonti miſericordiæ venēna propinat.* Tale quid faciūt rabidiſſimi hoſtes generis humani. cōtibus venēna diffundūt, vt populētur vrbes. Crudeliores Iudæi vnū, qui patebat mūdo, miſericordiæ fontē felleo veneno inficiūt. At viuidus vitæ fons, vt oris felles guſtauit, illo diuertit mellius miſericordiæ fluctus, & per oſtiū lateris, tota piētiſsima viſcera diffundit. Nō poteris, ò Iudæe felle vel amaritudine vincere dulcedinis fontē, nimirū os Chriſti: ſed eſtò illā venā pietatis amaricares, & veneno inficeres, aliæ innumeræ aperiētur, vnde puræ miſericordiæ manēt. Id circo magnū os in latere lancea demoſtratur: de quo D. Bern. ſer. 7. in Pſal. *Qui habitat*, ita loquutus eſt. *Dñs meus Ieſus poſt cætera inæſtimabilis ſuæ ēga me beneficia pietatis, etiam dextrū ſibi propter me, paſsus eſt latus fodi, quod videlicet nō niſi de dextra mihi propinare vellet, nō niſi in dextra locū parare refugij.* Hinc D. Iſid. Peluſ. lib. 1. epiſt. 193. pōderans illud Iacobi, qui vt paternā benedictionē obtineret, hædinis pellibus manus & colli nuda contexit, ſic de Chriſto loquitur. *Nihil iā hædinū ac ſiniſtro latere dignū in natura reliquit; verū terrenis ipſius mēbris morte affectis, Patri perpetua ſalutis noſtræ fame flagrāti, gratum cibū obtulit; nobiſq; in ſeipſo, nunquā eripiendā benedictionē, fontis in morē protulit.* Vbi puras miſericordiæ porrigit venas diſsimulatis felleis verbis, lateris apertionē pādit, qua omnes profluūt ſcaturigines pietatis. Fallor ſi huc nō reſpexit D. Cypr. ſer. de Reſur. Chriſti. inquiens. *Ex hoc fonte lateris nō ſolum ablutionis primæ vndas haurimus, ſed & cōpunctionis, & lacrymarū perēnes effluūrium, miſericordiarū ſuauitas, & totius pietatis affectus.* Ecce tibi ex ore diuino felle amarioraverba in peccatores profiliēt, infectum eſt os illud veneno, quis iā ſibi nō cauebit vel à verbo aſpero, nimirū, *ite maledicti in ignē æternū*; ſed ex fonte lateris, nil felleū, nil amarū manat; ſed miſericordiarū ſuauitas, & totius pietatis affectus. Quicquid ab hoc fonte ſcaturit dulce eſt, purū eſt, ſalubre eſt: vt dicat D. Amb. ſer. m. 3. in Pſal. 118. *Tunc in ligno compunctus eſt lāteā, & exiit de eo ſanguis, & aqua omni vnguento ſuauior, accepta Deo hoſtia per totum mundum odorē ſanctificationis effundēs.* O quā puri miſericordiarū riui ex apertione lateris dimanāt! quā dulces, quā ſuaues! O ſoelix qui ſe patulo huic fonti immerſerit, nil felleum; ſed ſuauiſsima quęq; ſecur⁹ præguſtabit. Vnde D. Aug. in Manual. cap. 23. inquit. *Longinus aperuit mihi latus Chriſti lancea, & ego intraui, & ibi requieſco ſecurus.* Nil quod timeā habeo vbi per apertum latus tota ſe effundunt viſcera miſericordiarū. O quāta cū inuidia patentē hunc miſericordiarū fontem reſpicit diabolus! ſanè Iſaię 6. Seraphin ſenis prædicti alis Deo adſtabāt, qui, vt ille alius igneo gladio paradiſum cuſtodiebat, ita extentis alis Deū occultabant, ne videretur à diabolo. Sed quid Dei occultabant? *Duobus, inquit, velabant faciem eius, & duabus velabant pedes, & duabus volabant.* Occultant Dei pedes, occultāt diuiniſsimū caput, pectoris nihilominus fontē, ex quo ſcaturigines miſericordiarū, manifeſtū relinquunt, & patulū, quo dæmonis inuidia in immenſum augeatur. Sic ſentētiā finit D. Ber. ſerm. 5. in locū allatū. Porro duabus volant, & mediā quaſi quandā lōgitudinē nudā, viſibilēque relinquunt. Longanimitatem dico Dei, &

Arnol. Aug. Amb. Aug. Iſai. 6. Ber. Ber.

benignitatẽ ad pœnitentiã homines inuitãtis. *Interim velatur caput, velãtur pedes, vt mediũ ei dẽ impio videndũ, ſed ad inuidendũ relinquatur.* Eu quã inuidit diabolus hominibus è medio pe ore diuino, ſcaturiginem, & dulceſcentem, & ſanantem.

## §. IIII.

### *Triumphatori maximo Ieſu de ſpolijs comparatis pulcherrima adoleſcentula in ſponſam ſeligitur.*

LIgneo tabernaculi clauo transfoſus Siſara dux fortiſsimus ſuo ſanguine obuolutus iacebat in Iahelis domo Iud. c. 5. Quid interea domeſtici eius dicebãt? Pulchrè vates Debora illorũ meditationes ridet, dũ inquit. *Per feneſtrã reſpiciens vlulabat mater eius, & de cœnaculo loquebatur: cur moratur regredi currus eius? quare tardauerũt pedes quadrigarũ illius? Vna ſapientior cæteris vxoribus eius hæc ſocrui verba reſpõdit. Forſitã nũc diuidit ſpolia, & pulcherrima fœminarũ eligitur ei, &c.* Sic in Siſara duce vanè effutiũt, at veriſsimè hæc cadẽ implentur in Chriſto Ieſu ligno ſuffixo. Planè iacebat ſũmus Imperator in Cruce defunctus transfoſsi lacẽa lateris oſtium patulũ præſeferẽs: interea per hãc lateris apertã feneſtrã reſpiciẽs, ò quã vlulabat mater eius! quæ halabat ſuſpiria! quos gemitus! iã dolorum finẽ exoptãs rediuiuũ Ieſum ſperãs anxia dicebat, cur moratur regredi currus eius? Quare tardauerũt pedes quadrigarũ illius? Cur tã lõga datur nocẽdi licentia? Cur adeò protrahitur vulnerũ dies? Sed matrẽ anxia ſapiẽtiæ plena vox per docebat, inquiẽs. *Nunc diuidit ſpolia, & pulcherrima fœminarũ eligitur ei.* Hæc per lateris feneſtrã vide, hæc inde meditare ligno ſuffixi, & lãcea tranſfoſsi Imperatoris facinora, quæ tunc diuidat ſpolia, quòd pulcherrima fœminarũ ſibi in ſpõſam exquirat. Huc ſpectat Ruper. lib. 2. de operibus Spiritus ſancti, c. 19. dicẽs. *De patefacto Chriſti latere ſanguis, & aquæ ſacramentum productũ eſt, & exinde ſtatim Eccleſia reformata. Nã ſtatim vniuerſa priſcorũ electorũ, quantacunq; ab origine mũdi collecta fuerit apud inferos redẽptionẽ ſuã ſpectans illo ſanguine, & illa aqua emundata atque huic viro copulata eſt.* Ecce verè qui lãcea trãsfigitur in cruce, dũ ſic transfigitur victor ſpolia diuidẽs, tenebrarum poteſtates ſpoliãs, ſibi electorũ Eccleſiã ſpõſarum omniũ pulcherrimã ſumit. Vt dicat Tertul. lib de anima, c. 43. *De iniuria perinde lateris vera mater viuentiũ figuratur Eccleſia.* O maxima Imperatorum triũphantium gloria Chriſtus! Siſte parum per triũphantium quadrigarum curſus, morulã in morte age, dum ſpolia à tartaro eripis, dũ pulcherrima fœminarũ Eccleſia à latere ibi ſiſtitur. Pulchrius hoc depingat Auguſt. *In habitu*, inquit, *iacentis, & dormiẽtis is ſecũdus Adã inclinato capite in cruce dormiunt, & vnde ei formaretur cõiux, quod de latere dormiẽtis effluxit. O mors vnde mortui reuiuiſcunt! Quid iſto ſanguine mũdius? Quid vulnere iſto ſalubrius?*

*Iud. 5.*

*Rupert.*

*Auguſt.*

## §. V.

### *Væ qui leui diligẽtia ſine carnis macerãtione volunt de magnis leuari criminibus.*

ECce tibi fons patulus miſericordiarũ, nimirũ diuinũ latus, quo piẽtiſsima Dei viſcera ſeſe in homines diffundũt. Fons, inquã, manãs ſanguine, & aqua nobis proponitur ad lauacrũ, vt iã diſcamus noſtra lauare peccata. Sũt enim qui, vt deicidia lauent, aqua, vt Pilatus, perfundant manus, hoc eſt, leuẽ, & facilẽ diligentiam adhibeant, omni cõtempta macerationẽ carnis, omni dimiſſa vitæ aſperitate. Neſcio an hi ad Moyſis tẽpora pertinere poſſent, quãdoquidẽ Chriſtiana nõ agũt? Sanè de Chriſto Ieſu loquitur Ioan. epiſt. 1. c. 5. *Hic eſt qui venit per aquam, & ſanguinẽ Ieſus Chriſtus, nõ in aqua ſolũ, ſed in aqua, & ſanguine.* Vanus eſt qui aqua ſolũ inueteratas cupit peccatorũ abſtergere maculas, addat, & ſanguinẽ, nimirũ vitæ aſperitatẽ, carnis macerationẽ, & ſic ſtolã ſuã de albabit in ſanguine agni. Pulchrè Ruper. lib. 2. de oper. Spirit. ſanct. c. 11. efficax ſanguinis teſtimoniũ exaggerat, aiẽs. *Quæ de latere Ieſu fluxit aqua lauit nos, ſed de ſocio ſãguine aqua hãc virtutẽ obtinuit, vt poſſet lauare nos: nã ſine ſanguine aqua prodeſſe nõ poterat.* Nõ pro leui ducas à peccatis lauare, quãdo nec aqua à Chriſto adhibita ſine ſanguine nos lauaret. Ipſe Ieſus venit in ſanguine, & aqua lauans peccata, & tu quicquid ſanguinis, quicquid doloris, & pœnæ obliuiſcẽs ſic vis deleri peccata, quaſi aqua delet puluerem manus? Heu periculoſa hominum fallacia! Huiuſmodi erat ille diues purpuratus, qui iã erat in tormẽtis, & ſcelerũ pœnas, vt deuitaret, has voces Abrahamo dabat. *Pater Abrahã, mitte Lazarũ, vt intingat extremũ digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguã meã.* Quid miſer expoſtulas ad tantã pœnã euitãdã? Memini ego legiſſe in vitis Patrũ, quòd quidã dæmon aereus ne ad infernũ deſcẽderet, promiſerat ſe cõtinuo motu aſcenſurum ſcalã igneã à terra in cœlũ pertingentem vſque in iudicij diẽ. Et tu pro tantorũ tormentorum cõpenſatione digito pura aqua madido pectis lauari? Præclarè Abbas Cellen. lib. de Panib. c. 15. de huiũ diuitis ſtoliditate fatur. *Sed parũ petijt, & ideò fortè nõ impetrauit. Parũ inquã, petijt, quia nõ in aqua, ſed in ſanguine flãma infernalis extinguitur. Nõ enim leui, & momẽtanea cõpunctione grauis culpa detegitur; ſed eò vſq; penetrare debet vis doloris, quo vſq; penetrauit iniquitas. Pleuã itaque manum*

*Ioan. 1. epiſt. 5.*

*Penitencia*

*Rup.*

*Luc. 15.*

*Cellen.*

*manũ sanguine Redẽptoris mẽ extremũ digitũ in aquã intinctũ exposcat cõscientia de grauibus confitentis, tingat digitũ in locũ clauorum, & mittat manũ suam in latus Saluatoris, vt sicut animã suã pro nobis posuit moriendo ipse Dñs; sic iste conscientiã suã pro se exponat cõfitendo, & pœnitẽdo.* Fugiam⁹, ò Christi fideles, leuibus velle lauari, suspectam habeamus, pœnitentiã, quæ instar aquæ leuiter, & momentaneè lauat. Sanguineas Christi flexuras, qui suo corpori insculpi per asperitatẽ vidit, is Deo probatur, quandoquidem, vt acutè notat Tertul. de Pœnitentia. *Si qui vendunt priùs nummũ quo paciscuntur, examinant, scalptus, neve rasus, ne adulter etiã: Dominũ credimus pœnitentiæ probationem priùs inire tantã nobis mercedẽ perennis vitæ concessurum.* Qui ergo sine vlla scissura rasus accesserit, vt Deo probabitur? Quã alius ille sanctissimus Iob, dũ ait: *Peccaui. Quid faciã tibi?* De quo D. Aug. lib. de vera, & falsa pœnitent. fatur. *Quasi dicat; adeò doleo peccasse, quod nõ velim cõtra me te nõ vindicare. Quæro enim in me, quid supplicij possim excogitare, quod tibi possit sufficere.* Verè pœnitens, qui non leuibus aquæ guttulis volebat lauari, sed, & scissuras, & asperitates meditabatur. De hoc sæpè aliàs.

Tertul.

Augusti.

## *Marc. 15.*

*Textus.* Venit Ioseph ab Arimathia nobilis Decurio, qui & ipse erat expectans Regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu, &c.

## §. VI.

### *Nulli non salutaris mors Christi, vt decebat tanti Imperatoris natalitium.*

QVantis gaudijs natalitia sua celebrant Imperatores? Quot populares ludi? Quæ publicæ lætitiæ? Quã solẽnes reorũ indulgetiæ? Nec dãnati ipsi carebãt his diebus aliquali beneficio, quorum cadauera à crucibus deposita mandabãtur sepulturæ. Meminit Philo aduersus Flaccũ Iudæorũ ruinã, sic inquiens. *Atqui uoni quosdã iam crucifixos, instante tali festo, de cruce depositos, & ad sepulturã ex more cognatis redditos quãdoquidem decebat, vel ad mortuos reddire aliquem fructũ ex Imperatoribus.* Hæc ille, & verè, & pulchrè, si summi Imperatoris Christi natalitia nouisset, quæ celebrata fuere in Cruce. Quorum fructus ad mortuos vsque pertingit, imò & sanctorũ animas apud inferos degentes exhilarauit, & damnatorum corpora aliquo affecit beneficio. Sic enim cauebat lex Deuterono. 21, *Quando peccauerit homo, quod morte plectendus est: & adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno; sed in eadem die sepelietur.* Cur quos sœdauerat cruce, honorabat sepulchro? Nonne ibi respiciebatur Christus? Equidẽ, quia omnium Imperator Christus deponend⁹ à cruce, & glorioso honorandus erat sepulchro, ideò decuit, vt ad omnes crucifixos rediret aliquis fructus ex tanti Imperatoris natalitijs. Hinc Rupertus lib. 13. in Ioan. cad. 19. inquit. *O mirabile, & antiquum crucifixi huius consilium, qui tanto antequam veniret, ita desepeliendo corpore suo dedit præceptum, vt profuerit omnibus crucifixis, scriptum pro se, uno legis mandatum.* Quis à fructu Dominicæ mortis, & sepulturæ vacuus existet, vbi damnatorum corpora propterea honorantur?

Phil.

Deut. 21.

Ruper.

## §. VII.

### *In Christo Domino fundati quàm impauidi, & securi aduersus omnes mundi tempestates.*

NON mediocris ponderationis est id quod Diuus Augustinus, libro 3. de Consilijs, cap. 22. notat de Ioseph, qui à Ioanne dicitur Discipulus occultus Iesu propter metum Iudæorum, & à Marco inducitur adeò fortis, & audax, vt furentium Iudæorum rabiem contemnẽs à Præside diuinum expetierit cadauer. Ecce quem Iudæorum murmur paulò ante turbauerat, modò nec ipsorum furiæ exagitatæ tangunt. Vnde hoc infirmitatis, & fortitudinis discrimen manauit? Fallor, si id non explicat D. Maximus, sermone 6. de Passione, inquiens. *Legimus in Propheta, sepulchrum patens est guttur eorum, si ergo sepulchrum patens est guttur hominum, vide ne forte Dominum Ioseph non tam in sepultura terrena posuerit, quàm in monumento sui pectoris collocarit.* Equidem iustus, & nobilis vir Iesum in suo pectore collocarat, quo fundatus firmissimo, & stabili lapide, curr i meat furen-

Matt.

furentes tempestates? Cur fortis, & audax aduersus omnes hostiles impetus non stabit? Non perdunt hominem tempestates, hostiles incursus; sed defectus fundamenti firmi, & stabilis, vbi enim firmũ tuo pectori inieceris fundamentũ, nimirũ lapidẽ Iesum, omnia aude, mundiales omnes deride tẽpestates. Id quod apud Mattheũ Dñs declarat duorũ hominũ ędificantiũ exemplo. *Matth. 7.* Etenim ait c. 7. de altero. *Qui ædificauit domũ suã supra petrã, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerũt vẽti, & irruerunt in domũ illã, & nõ cecidit.* Non ita fœliciter euenit alteri: *Qui ædificauit domũ suã super arenã, & descẽdit pluuia, & venerũt flumina, & flauerunt venti, & irruerũt in domũ illam, & cecidit, & erit ruina eius magna.* Quid sapiẽtius excogitari potuit, vt pateat, q̃ detrimentosus sit vnus defectus fundamenti? Heu vbi arenarũ thesauros respicis, quã te aduersitates omnes turbabũt; verũ si fundamentũ ipsum angularem lapidẽ Iesum habeas, quàm despicies mũdiales tẽpestates! *Chrysost.* Pulchrè D. Chrysost. hom. 4. ad populum, ait. *Vides, quòd non tentationum inflictus; sed ædificantium stultitia ruinam fecit? Etenim illic pluuia, & hic pluuia, & illic flumina, & hic flumina, & illic ventorum incursus, & hic idem, & ille ædificauit, & hic ædificauit, & eadem ædificatio, & eædem tentationes; sed non idem finis, quia non idem fundamentum.* Tota ergo humanæ fœlicitatis ratio est fundamentum. Caue tibi à terra, caue ab arena, caue ne fis labilibus his terrenorũ bonis multum fidens quia etsi in cœlum vsque pertingat tua ædificatio, vel impiorum Iudęorum metu pauebis, vel ingruente tempestate lababis. Verùm vt firmissimum Iesu fundamentũ intimis præcordijs collocaueris, omnia in tuto sunt, in tẽpestates, in flumina, in ignem aude. Accipite Diuũ Paulum, epist. 1. ad Corinthios, cap. 3. de Iesu *1. ad Cor. 3.* fundamento ponendo sic verba facientem. *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarauit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.* Proh dolor! Vbi ignis probabit opera, qui super fundamentum, & angularem lapidem Iesum superædificat ligna, fœnum, stipulas, peribit prorsus! Quid illi proderit tantum posuisse fundamentum? Nonne ab ipsis fundamentis inflammabitur? Absit, imò rectè addidit Paulus. *Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Expende illud, ipse autem saluus erit, quippe fundamentum hoc semel intimis præcordijs positum, & ibi manens omnem arcebit ruinam, te in bonis operibus charitatis confirmans. Id acutò perdocet Arnoldus Carnotius, tractatu de septem verbis Domini, *Arnold.* sic inquiens. *Etiam ipsos sacramenta, & fidei muniunt signa, quos constat non quantum expedit castis moribus conformari; sed solius fundamenti obtutu, cui quoquo modo inhærent; nec statim propter ligna, & fœnum, quæ superponi à negligentibus vident: irruunt dæmones in quoscumque carnales; sed reuerentur fundamentum, & disparent ad viuificum signum, nec temerè accedunt ad consecratam sanguinis balsamo domum.* Nota in primis illud, sed reuerentur fundamentum; fundamentum, inquam, fœno, & stipulis subiacens hostes etiam verentur, & fugiunt. Vtinam hinc discceremus summopere curare, hoc fundamentum, nempe Iesum, nostro pectore sepelire, quo nullam metuemus ruinam; nec ad vllos expauescemus incursus, sed religiosa audacia cuncta contemnemus pericula. Quam firmitatem nobis per Christum Dominum datam forsan notabat Sponsa, Cant. 1. dicens: *Botrus Cipri dilectus meus in vineis Engaddi.* Papæ Engaddi ortum est à Gad, quæ vox plurimis significat Fortunam, quasi vellet Sponsæ, quòd ideò venerit dilectus suus, vt volubiles humanæ fortunæ firmaret rotatus. *Cant. 1.* Hinc monebat Dominus: *Estote prudentes sicut serpentes*, vt sicut serpens caput, sic nos Christum Dominum custodiamus, quo solo mundialium bonorum volatiles orbes firmabimus. Pulchrè Paschasius, libro quarto in Threnos, ait: *Coluber cùm vrgetur, periculis caput abscondit, & in orbẽ se colligit, obiecta reliqua parte corporis. Ita & membra Christi, caput, quod Christus est, custodiunt, & primatum obseruant.* Nota similitudinis elegantiam, in illis verbis: *caput abscondit, & in orbem se colligit.* Capite enim suppositò, cui innititur, reliquum corporis in orbes notans, non metuit ictũ in orbibus, dum caput illæsum maneat. Sic nos supponamus nostrum caput, nempe Christum, huicq; firmiter innitamus, supra quo nulli humanæ fortunæ orbes non firmantur, non exponi possunt sine timore aliquo. Vide suprà cap. 1. §. 7. *Paschas.*

§. VIII.

## §. VIII.

### *Fœlix, cui frui datur communi thesauro salutis.*

NON sat est verbum diuinũ mortem pro omnibus appetiuisse, vt tu adipiscaris salutem; nisi quòd omnium cõmune est, tibi acquiras. Enim vero publicum, & commune ærarium etsi pro omnibus ciuibus stet, illis tamen solis proficuũ est, à quibus accipitur in proprios vsus. Hinc elegãter monet Nazianzenus, orat. 2. in Pascha. *Nazian.* *Sic Ioseph Arimathæus sis ab eo, qui in crucem subsiluit, corpus pete tuum fiat mundi pretium.* Ne fidas in eo, quod communis est thesaurus, quòd in medio terræ positus, vt omnibus esse possit proficuus, adhuc cura, vt quod omnibus stat, tuum fiat, & tibi in particulari detur eo frui. Hieremiæ, cap. 11. sic dicitur. *Sermo qui factus est ad Hieremiam à Domino.* *Hier. 11.* Quæ verba tractans Origenes, homilia 6. inquit. *Hoc autem scire debemus, quia hæc est vtilitas credentium, si sermo ad singulos quosque fiat. Quid enim mihi prodest, si descendat in mundum, & ego ipsum non habeam? E diuerso autem etsi ad vniuersum mundum non veniat, & ego fuero similis Prophetarum, habeo illud.* Quò circa vnus ille homo erit fœlix, qui ubi ipse nouerit exquirere thesaurum mundi, qui quod cõmune omnibus est, fecerit suum, vt liceat ex communi mundi ærario viuere. Iam de nostro Ioseph aiebat Matthæus, cap. 27. *Venit homo dives nomine Ioseph ab Arimathia.* *Matth. 27.* De quo B. Epiphan. oratione in rem præsentem eleganter disserit, his verbis. *Epiph.* *Verè dives, vtramque enim Christi substantiam à Pilato dono acceperat. Verè dives, siquidem margaritam illam, quæ omnem pretij æstimationem excedit, secũ asportare promeruerat. Verè dives, sacculum enim plenum gestabat, nempe ipsummet diuinitatis thesaurum. Quomodo enim is dives non dicatur, qui mundi vitam, & salutem adeptus fuerat? Quomodo Ioseph verè dives non erat, qui illum dono acceperat, qui omnes nutrit, omniumque absoluto imperio dominatur?* Ecce vnde fœlicitates, & diuitias Ioseph enumerat, nimirum, quòd ipse mundi vitam, & salutem adeptus sit, quod commune dininitatis ærarium sibi exquisierit. O fœlix, & dives ille, qui communes mundi thesauros faciat suos, thesauros, inquam, in quibus diuitiæ asseruantur æternæ salutis.

*Textus.* Pilatus autem mirabatur si iam obijsset. Et accersito Cẽturione, interrogauit eum, si iam mortuus esset. Et cum cognouisset à Centurione, donauit corpus Ioseph: Ioseph autem mercatus sindonem, & deponẽs eum inuolvit sindone, & posuit eum in monumẽto, quod erat excisum de petra, & aduolvit lapidẽ ad ostium monumenti.

## §. IX.

### *Christo Domino in sepulchro dormiente, & quiescente, inimicæ omnes potestates deuastantur, perduntur.*

PVLCHRE D. August. sepultum Iesum cum dormiente componit, non enim impigrior à sepulchro exurget, quàm dormiens à lecto, nec sepultus somno dissolutus, & desidiosus stertit; sed nunc mirapatrat facinora, inferni claustra penetrat, dormientes à sęculo illuminat, & ad vitam euocat. Sanè D. Ambros. epist. 60. vbi agit *Amb.* de sancto Acholio, sic inquit. *Est etiam Sanctorum somnus operarius, secundum quod scriptum est, ego dormio, & cor meum vigilat, secundum quod Iacob sanctus diuina dormiens videbat mysteria, quæ vigilans non videbat, de cælo ad terras aerem præuium Sanctis respicientem Dominum, & pollicentem terræ eius possessionem. Itaque breui somno dormiens impetrauit, quod magno labore postea acquisiuit.* Quid pulchrius in somno Iesu excogitari potuit? Erat quies illius, & somnus in sepulchro maximè operarius. Tunc diuina perficiebat mysteria, quæ per totam vitam largis initiauerat vigilijs. De cælo ad terras, imò ad tartara aerẽ replebat Angelis, electorum animas inuisebat, & viuẽtium terræ possessionem non pollicebatur, sed dabat; adeò, vt breui somno dormiens perfecerit, quod magno labore acquisiuerat. Huc spectauit D. Gaud. serm. 10. vbi probans Deum nescire à magnis facinoribus cessare, & requiescere, inquit. *Requieuit planè Dei filius ab omnibus operibus suis, quæ cœperat Deus facere, quando consumatis mirabilibus vniuersis, & impleto sexto die, omni opere pas-* *Gaud.*

*re passionis, die septimo, id est, die Sabbati requieuit sepultus. Sed quoniàm Dei operosa quies est, ipsa quies otiosa, esse non potuit, nam corpore in sepulchro depositto, diuinitas cum anima hominis ad inferna descendens vocauit de locis suis animas Sanctorum.* Qui somnus operosior? Quæ quies inquietior? in qua Dominus omni feriatus opere, mortali sepultus somno æreos muros expugnat, ferreos vectes confringit, & sæcularium carcerum portas, vbi asseruabantur fideles, prorsus euertit? Pulchrè D. Epiphan. in præsenti expendit illa Psal. 23. verba, quibus putat turbari inferorum potestates à sepulto, & quiescente Domino, nimirũ. *Tollite portas, principes, vestras.* Ipsi refugi spiritꝰ, ipsi rebelles iubentur suã pernitiẽ negotiari, Domino quiescẽte. *Non quasi Dñs* (ait Epiph.) *qui hic præstò est claustis ianuis si vellit ingredi non queat, verũ quia vobis fugitiuis seruis æternarũ portarũ sublationem, cõminutionẽ imperare maluit, quàm per se ipsum eas aperire.* O verè potens quies Dominicalo cessatio operis facinoribus plena! Quiescit sanè Dñus ab omni opere, quod patrarat, & qui lutum fecit, & visum restitueret cæco, qui manus, & pedes clauis perterebrãtibus dedit, modo manus denegans mortis cõfringendis portis sic dormit sic quiescit, sic ab opere cessat, vt hostiles potestates propriã ipsarum ruinam, & stragẽ efficere compellat. Memini Sanctonẽ, qui dum morti occũbit hostes perimit: de quo Amb. epist. 70. *Videtur, inquit, ad aduersariorũ exitiũ magis captus, quam quo ipse deiectior fieret, aut minor esset. Non est enim se expertus inferiorem, cuius sepultura præstantior, quã potentia fuit.* Sanè hoc Christo Domino optime conuenit, cuius absque dubio sepultura præstantior, quam potentia brachij carnei eius videbatur, quandoquidem eius brachij potestas in miraculis patrandis ipsa operabatur, ipsa lutum faciebat, ipsa peregrinabatur, ipsa crucem subibat, doloresque, vt vinceret accipiebat. Verũ ipsius sepultura adeo præstans ostenditur quoad nos, vt quiescente Domino, imo dormiente ab omnique feriato opere hostiles muri quaterentur, clausira inferni patefierent, ipsique rebelles hostes illius victorias, & triumphos meditarentur. Quod miratur D. Max. stom. de Resurrect. inquit. *Quis est iste, qui intra auidos ructus assumi potest, cõsumi nõ potest? Cuiꝰ est, corruptio nõ est? Traditur perditionis profundo, & seruatur ipsius mortis beneficio?* Mors ipsa, & truculentissimi hostes occupantur in parando Christi triumpho dum ipse dormit, & quiescit in sepulchro.

Psal. 23.

Epiph.

Amb.

Max.

## §. X.

### *Iustorum quies, & somnus magnis sacinoribus plenus.*

QVietem, & dormitionem Christi Domini adhuc sequitur myrrha, & aloes, & sepultum Iesum adhuc tenent ligamina. Sic enim ait Ioann. cap. 19. *Ligauerunt eum linteis cũ aromatibus*, vt innuerẽt qualis futura erat Christianorum quies, nimirum quæ laborum Christi odorem exhalet. Ita D. Amb. monet in Exortat. ad Virg. *Dormiat caro tua vigilet fides, dormiant illecebra corporis, vigilet cordis prudentia, membra tua redoleant crucem Christi, & sepulturæ odorẽ.* Multi quietem exoptant, & cupiũt in Domino ob dormire, sed nollent se in hanc quietẽ, & dormitionẽ condire. Delectamẽ tum sancti somni expectant quo audiunt iustos viros frui; sed respuunt mortificationis myrrham. Igitur qui sapiẽs est dormiat quidẽ. & requiescat; sed itavt inquiete ęmulętur Dominicã sepulturam, madeat myrrhæ amaritudinibus, perfundatur mortificationis vnguentis, non enim aliter quies, & somnus sanctorum obtinetur. De Apostolis in Thabor cum Domino existentibꝰ dicit Luc. c. 21. *Quod grauati erãt somno.* Vbi D. Anst. inquit. *Non simpliciter dormire; sed somno grauari dicuntur, quia non sine pondere laboris agitur huiusmodi dormitio. Sãcti enim viri, qui à mundi operibus non torpere, sed virtute sopiuntur, laboriosius dormiunt, quam vigilare potuerunt, quia in eo quod actiones huius sæculi deserentes superant robusto conflictu quotidie contra se ipsos pugnant.* Hæc est in sanctis viris quies, & somnus, non quo stertant; sed in quo pugnẽt, in quo sepulchrali Christi Domini vnguento perfusi luctas subeant, & victorias obtineant.

Ioan. 19.

Amb.

Luc. 21. Anst.

## §. XI.

### *Humilitate Dominus contrarias potestates debellauit.*

SCANDVNT Imperatores mænia, vt corruscent, bellicoque ardore correpti erubescunt videri alio, quam inter hostium murorum pinnas in eminentium turrium cacuminibus. Quam aliter fuminus Imperator Iesus suos instituit triumphos, non per mœnium altissima conspicuus, sed per subterraneos cuniculus obscurus, non arduus, & sublimis, sed humiliss vsque

ad

ad inferos penetrans,& tenebrosa loca præ sentia illustrãs. Proh Christiana humilitas vnica Principum tenebrarum deuastatrix! Apud Matth. dæmoniaci illi, qui sepulchra mortuorum in colebãt, hanc vnam Iesu humilitatem,& expauebant maximam, & deprecabantur, vt sibi exitialem, dum dicunt. *Quid nobis,& tibi Iesu Fili Dei? venisti ante tẽpus torquere nos.* Quæ verba acute
Chrysol. pensat Chrysol. serm. 16. *Quid dæmones clamarent audiamus. Quid nobis, & tibi Fili Dei? hoc est dicere, vitæ author, quid tibi cum mortuis? Habitator cœli, quid tibi cum sepulchris? Odor paradisi, quid tibi cum fœtore? Quos cœlo deiecisti permitte in habitare nos, vel sepulchra; etsi nos persecutione tanta digni sumus, tu tãta nõ dignus iniuria es.* Sane humilitas summa erat, quod habitator cœli, quod autor vitæ, quod odor paradisi horrẽda mortis limina intraret, quod sepulchralia, quod nigros inferorum carceres lustraret; sed qui posset cœlestibus de muris cõspicuus hostes conterere, captiuos eripere, maluit humilis descensus virtute triũphos cumulare. Sic cum illum adoritur hostis in deserto, aduersus superbiẽtis Angeli tellũ humilitatẽ in primis obijcit hominis. Etenim vbi illi ait, *dic vt lapides isti panes fiãt*, continuo respondit, *non in solo pane viuit homo* Cur hominis meminit infirmitatem? Cur non magis exerta diuinitatis potẽtia hostem confundit faciens ex lapidibus panem? Grauissime D. Leo, serm. 2. de Quadrag. ait. Poterat qu idem istud omnipotẽs, & facile erat, vt ad creatoris imperium, in quam iuberetur speciem cuiusliber generis creatura transire; sicut quum voluit in conuiuio nuptiali aquam mutauit in vinũ:
Leo. *Sed hoc magis saluti seris dispensationibus congruebat, vt nequissimi hostis astutia, non potẽtia Deitatis, sed humilitatis mysterio vinceretur* Totum Christi duellum, tota Christiana victoria, vnis humilitatis armis peragitur, quid magis humile, & abiectum conditori cœli, quam obscuros tyrannorum carceres visitare? sed superbiæ Princeps hac triumphatoris humilitate penitus deuastatur, eiusque carceres vacuantur. Inuincibilis ille Dei athleta Iob videte, qualiter se
Iob, 1. in prælium accingerit, c. 1. *Tonso capite corruens in terram adorauit.* Ibi eleganter Origen. lib. 1. *Prostratus*, inquit, *orauit Dominũ Iob, prostratus deiecit diabolum, altũ humiliauit, exaltatum supplantauit, confundit fortem deformauit elatũ. Super hæc autem omnia formam ostẽdit eius, qui de cœlo venit, qui vt granum tritici in terram cadens diabolum deiecit*
Matth. 11. *& fortem alligauit.* Hinc est, quod Saluator hanc in primis virtutem cupit ãdisci, dum Matth. 11. ait. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Vbi D. Leo, serm. 3. de Nati. Leo. dicit. *Formam nobis suæ mansuetudinis insinuans ea nos virtute imbuit, qua redemit.* Quod si Deus per humilitatem triumphauit; quæ est hominum vanitas, qui abiecta humilitate volunt ad gloriam peruenire? Deniq; stultus erit, qui iam voluerit in magnis ambulare, cum suum Rex inferorum ima per ambulet eum sane liberaturus, qui humilitatis nota fuerit decorat⁹. Vnde Paulus ad Philippen. 3. ait. *Saluatorem expectamus, qui reformauit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Expende quod corpus expectat reformatoris man⁹, videlicet, *corpus humilitatis nostræ.* Quo circa D. Bern. serm. 2. in c. 6. Isaiæ, fatur. *Te si* Bernar. *fueris corpus humilitatis, reformauit idem artifex, qui formauit. Illam si non despis præsto laberis manum, vt quod fecit ipsa reficiat.* Sic humilitas conciliat Saluatoris manum, sic Saluator humilitate aereas detriumphat potestates,& captiuos homines in libertatem filiorum Dei asserit. Hinc non abfre puto id quod Petrus Dam. obseruauit de humilitatis præstantia,& superbiæ damnis. Is enim epist. 114. sic fatur. *Nonnulli à pueris in religionis ordine constituti, sola in obedientia superbiæ mixta depereunt, cum in sæculo plurimi post immanium criminum perpetrata flagitia per humilitatis studium indulgentiam promereantur* Quod, vt exemplis fiat proponit ob oculos Dauidis, & Saulis pœnitentiam post peccatum. Saul namque totam confessus est culpam, dum ait, *peccaui.* Insu per Samuelis orationes pro se exquisiuit, illumq; valde obsecrauit, vt pro se oraret; Dauid solum dixit; peccaui, & statim hic Deo acceptus est; ille repulsus mãsit. Quæ discriminis ratio? *Ille scelus inobedientiæ spiritu superbiæ parui pendens nequaquam pleno corde pœnituit: hic autem pauca quidem protulit, sed eius viscera diuini timoris gladio transfixa, veri luctus amaritudo repleuit.* Eu superbiæ spiritus quos triumphos fædas! O humilitas victoriarum mater egregia.

## §. XII.

### *Ad Christi Domini præsentiam res hominum aduersus dæmones potenter promouentur.*

NOuisti diaboli tyrannidem in vniuersos filios Adam, nemo erat licet sanctissimus, licet omni præditus virtute, cui

egressus

egressus de mundo nigro in carcere non teneretur captiuus. Ibi vniuersus sanctorum Patrum exercitus claudebatur, ibi captiuitatem suam in principum tenebrarum ditione experiebatur. Sed ecce tibi vbi Christi Domini anima triumphatrix cæca illa penetrauit loca, captiuitas euanuit, tyranni terrore franguntur, & hominum pię mẽtes victrici voce incipiunt ex sibi lare tyrannos. Quid? Ingressus Dominus sanctos statim à carcere eduxit? Illo ne à loco in Sionis arcem transmisit? Minime gẽtium, eodem manentes in loco eiusdem terræ parietibus clausi, sub eisdem inferorum re pagulis manentes per integrum triduum mortis ad solam præsentiam Christi sic eorum res mutantur, vt non vincti; sed carcerarij, non captiui; sed victores existant nigrarum potestatum. O quam promouẽtur res humanæ, vel sola Iesu præsentia salutari! Matth. 8. dicit *Et cum venisset Iesus trãs fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes*. Ea erat dæmonij in miseros homines tyrannis, & crudelitas, vt viuos in sepulchris reconderet, & inter fœtentia cadauera opprimeret. At vix Dominus regionem illam sua præsentia decorat, & exeũt monumentis duo dæmonia habentes, & occurrunt Iesu. Sed cur ad Iesum veniũt hostes Iesu? Cur ad vitam recurrunt, quorum cum mortui amica erat conuersatio? Notãter, dixit: *duo habentes dæmonia*, non iam dæmonia habebant hominem; sed habebãtur. Habitabat paulò ante dæmon in hominibus illis tãquam possessor; sed vbi Christus Dominus regionem attigit, vt captiuus habitabat, & qui sepulchris clausi à tanto habebantur tyranno, iam de præsentia Saluatoris fulti, egressi è sepulchro dæmonia habentes, illa ad Christi pedes præsentabant. Rem attigit pulchris verbis D. Petrus Chrysol. ferm. 16. fatus. *Ad præsentiam Christi homines exeunt de monumentis, & versa vice captiuos ferunt, à quibus fuerant captiuati, sistunt pœnis quorum cruciatibus torquebantur, aptant ad sententiam, à quibus addicti fuerant sepulchris.* Vidisti aliquãdo hinc inde duos luctaturos concurrere, sese hostiliter amplexantur, lete rotant, tandem ambo in terra prosternuntur, qui superior existit alterum inter brachia habitum miserere cõprimit, & affligit: interea afflicto accedit familiaris, cuius præsentia confirmatus hostem sibi superiorem vehementer brachijs stringit, & ad terram deiecit, quo superior existit, & victoriam canit. Res eadem videtur spectari, in arena ambo apparent, ambo inter se implicati, & vterque alterius inter brachia; sed qui habebat habebatur, qui tenebat tenebatur, & illi qui opprimebatur, habet oppressorem oppressum, & tyrannum captiuum. Id D. Synesius in elogio Anysij meditatur, cum tanti ducis victoriam à Barbaris reportatam sic memorat. *Celeriter vbique locorum Anysius est, vincit autem quocumque ad fuerit. Vtinam posse videre spoliorum aceruum, & prædam mancipiorum Barbaricorum, atque eum, qui nuper Dominus erat vicissim alijs seruientem.* Sed procul sint Imperatorum victoriæ, vnus Christus Dominus inter omnes victor apparet, qui vbique locorum celeriter est, siue in cœlis, siue in terris, siue apud inferos, & quocumque astat vincit, cuius ad præsentiam sic militaris mutatur alea, vt eodẽ in loco, eodem in congressu, siue amplexu, qui modo captiuus à fero Domino tenebatur, iam ipse Dominus teneat ipsos captiuos tyrannos, & qui nuper Dominus erat, & rector tenebrarum, iam miserum mancipium eodem sub stabulo agat. Plane id nouerat Dauid Psal. 30. cum ait. *Eripe me de manu inimicorum meorum, & à persequentibus me.* Et quibus armis petit liberari? *Ostende faciem tuam super seruum tuum.* Vna Dei facialis præsentia sufficit pro mille armatorum phallangibus, vt res hominum promoueantur. Athanas. in Cat. Gre. *Postulo, vt in præsenti quoque ab hostibus eripiar. Hic autem mihi solus salutis modus est, mihi faciem ostenderis.* Ad faciem enim tanti redemptoris non possunt, non meliorari res humanæ.

Matth. 8.

Chrysol.

Syneſ.



LIBER

# LIBER QVINTVS,

## DE GLORIOSÆ RESVRRECTIONIS DOMINI MYSTERIIS.

IAM crucis tabula nos in ſalutis portum deducit, vbi poſt labiles fluctus auditur vox ſuper firmamentum, poſt ventorum rabiem zephyrus: ſuaue quid immurmurat, poſt bellum pax alma ſonat, poſt luctum iubilum, poſt mortem vita iterum introducitur. Iam genus humanum profundiſsimo mortis abyſſu immerſum caput extollit, dum noſtrum caput Chriſtus Ieſus à morte in vitam, ab ignominia in gloriam, ab inferis euolat in ſublime. Iam luminare omniũ maximum Deus de Deo, & lumen de lumine datum nobis eſt, in tempora, & annos, & dies, in dies, inquam, qui vt à nouo lumine facti ſunt, ſic noua nos perfundunt lætitiæ.

---

### *CAPVT PRIMVM.*

### *De Chriſto Domino reſurgente.*

QVAMLIBET noctem artificialem communiter in duas diuidimus naturales; ita vt nox, quæ incipit à veſpera vſque ad mediam noctem, ſit nox vnius diei, & à media nocte vſque ad mane ſit nox alterius. Quò facilè intelligitur, quòd Dominus fuerit in ſepulchro tribus diebus, & tribus noctibus, cùm ibi fuerit nocte feriæ ſextæ, quæ eſt à veſpera vſque ad mediam noctem, & tota nocte Sabbati, & nocte Dominici diei, nimirum, à media nocte, vſque ad mane. Quo illuceſcente, glorioſo fidelium, & Angelorũ conſpectu ſtipatus exercitu, egreditur viuus Dominus è ſepulchro, matriq; amantiſsimæ ſiſtitur. Interea ſtupefaciens Angelus ſepulchri cuſtodias, terræmotu præmiſſo, ingentem lapidem reuoluit, vt matutinas exploratrices fœminas certiores redderet de crucifixi vita. It fama ad Diſcipulos: accurrũt Petrus, & Ioannes, vident inane ſepulchrum, & linteamina poſita in ſignũ rediuiui Magiſtri.

*Marc.* 16. Et cùm tranſiſſet Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum: Et valde mane vna Sabbatorum veniunt ad monumẽtũ, orto iam Sole.

## § I.

### *Æternum duraturam vitam assumens Dominus in luce diei exurgit à tumulo.*

REctè Marcus historiam resurgentis aggressus incipit ab aurora diei, quæ prima erat Sabbati, quasi simul notaret, quòd ex tunc, & non antea totum resurrectionis peractum fuerit negotium. Etenim quãdo mortalem hanc, & defectibilem vitam Dominus subiuit, natus fuit nocte, vt vel à tẽporis obscuritate properantis mortis caliginem præsagiret. Verùm nunc minimè perituram vitam resumens, illucescente aurora rediuiuus coruscat. Potuit namque nobilis ille luctator Iacob, apud se nocturnis tenebris detinere liberatorem suum; sed ascendente aurora, confecta lucta radians exsurgit Dominus, & liberator noster ex sepulchro nunquam deinceps moriturus. Equidem rectè monebat D. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 2. dicens: *A qualitate temporis finis actionis exprimitur. Hinc est, quòd Salomon, qui sapientiam non perseueraturus accepit, in somnis hanc, & nocte accepisse describitur.* Plus quàm Salomon hic, vbi æternùm duraturam gloriam induit, non tenebris nocturnis, sed lucido, & coruſco mane regionẽ viuentium intrat. Hinc meritò sponsa illa fœlix, quæ indissolubili vinculo copulabatur Deo, illum noctu quęrens non inuenit. *Quæsiuit*, ait, *per noctes, & non inuenit.* Cur noctu quærens inueniret, quem sibi insolubili copularat vinculo? Rectè Aponius lib. 5. in Cãt. inquit: *Licèt laborem quærendo impendat, non tamen inuenit, quem requirit, nisi illuxerit dies. Nihil enim legimus in principio dum ornatu fabricatur mundi, Dominum operatum in nocte, sed lux per lucem, in luce dies omnia condidisse monstratur.* Et sanè, quando nondum mors intrauerat in mundum, quando duratura sæculi fundamenta iaciebantur, quando Deus nihil non immortale meditabatur, omnia in luce fiebant, & in tenebris factum est nihil. An Deus in principio interitum, & corruptionẽ intendebat? Pulchrè respondet D. Gregor. Nyssen. orat. 3. de Resurrect. *At vanum id consilium, ineptum propositum, & absurda fuisset intentio, ac vehementer sanè indignares est, talem cogitationem ad Deum referre. Puerulis enim hac ratione assimilatur studiosè ædificantibus, & celeriter structuram soluentibus. Contrariũ autem prorsus edocti sumus, quoniam eum, quem primum finxit, immortalem creauit.* Hinc meritò cauit nihil in tenebris; sed omnia in luce parturire, vtpotè qui nihil mortale meditaba tur. Vndè magno mysterij pondere eadem dies, quæ mundum nascentem suscepit, electa est, vt videret resurgentem, sic canente Sedulio, lib. 4. carm.

*Cœperat interea post trislia Sabbata fœlix,*
*Irradiare dies, culmen qui numinis altis*
*A Domino dominãte trahit, primusq; videre,*
*Promeruit nasci mundum, atque resurgere Christum.*

Vt eadem lux eandem nascentium primò, & iterum per Christum renascentium immortalitatẽ declaret, & primi Dei consilij immortale, quid meditantis, nunc in resurrectione instaurati testis fieret. Huc spectat Chrysol. *Chryſ.* serm. 79. expendens illud, nimirum, *Valde mane vna Sabbatorum.* Quid vna Sabbatorum valde mane? *Bene vna*, ait ille, *quia resurrectionis dies alteram nescit, resurgentium lux mori non potest, lux, quæ mortem delet, nescit extingui.* Ecce tibi à lucescenti die, & clara luce præsagiũ perpetuitatis desumitur. O fœlix, qui in luce vitam instituerit suam! illũ monet Apostolus ad Ephes. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Vbi eleganter Nazianz. orat. in sanctum Bapt. explicat: *Et illucescet tibi Christus peccati noctem discutiens, quandoquidem in nocte spes mala, vt testatur Isaias, ac mane accipi conducibilius est.* Quo circa mane exsurgit Iesus, vt bonas suorum spes impleat, vt æternum duraturam vitam post resurrectionem præfiguret. Non me tempero quin hic adscribam illud Psalm. 91. nimirum. *Dominus regnauit, decorem indutus est, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Bis ibi dicitur Dominus indutus fuisse, nimirum, primò vbi decoris plenam virgineam induit carnem in Maria: secundò vbi fortiter è sepulchro rediuiuus surrexit. At in primis indumento non dicitur se præcinxisse, solent enim, qui statim deponendas vestes induunt, minimè illas præcingere: verùm qui vestes induunt, non vt deponant, sed vt illis conspicui integrum faciant diem, illas, & diligenter aprant, & curiosè, & fortiter præcingunt. Ita Dominus, sic à sepulchro indutus est, vt iam nõ exuendus sit, ideò ex tũc, & indutus dicitur, & præcinctus. Totam hanc excogitationem, sic finit D. Epiphan. lib. 2. Aduers. Hæres. tom. 2. inquiens. *Quemadmodum enim is, qui super lumbos præcinctus est, adstringit indumentum ad lumbos, superfluam speciem firmas: sic primum decorem propter aduentum in carne, deinde fortitudinem induit; vbi resurrexit ex mortuis, non amplius ad passionem humanitas ipsius venit, non amplius ad flagella, non am-*

*Gregor.* *Cant. 3.* *Apon.* *Nyssen.* *Epiphan.*

*amplius crucifigitur.* Quippe ex tunc & induitus erat, & præcinctus.

## §. II.

### *Magnum Christi Domini præconium, quòd solis amoris vinculis trahat hominum corda.*

QVid Deo gloriosius, quàm quòd dum in morte, & in sepulchro videtur inutilis iacere, & infructuosus, ibi etiam quæratur, & summo mane, & medijs tenebris inquiratur? Accipite singulare Christi Domini præconium à Iosepho, lib. 18. de antiq. c. 4. exaratum. *Christus hic erat, quem accusatum à nostræ gentis principibus, Pilatus cùm addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio cœperunt.* Mudiales disparent amici, vbi sunt nubila tempora, vbi nil vtilitatis ex amicitia sperant, at hoc singularissimum in Christo Domino, quem cruci addictum, & inutile pondus iuxta infirmorum opinionem, clausum sepulchro, adhuc exquirunt deuotæ illæ amatrices. Nullũ aliud ab illis excogitabatur lucrum, quo adeò matutinæ salutatrices accederent ad sepulchrum, nisi vt vngerent Iesum; nisi vt pristini amoris conseruarent insignia. Sanè Dauid Psalm. 76. aiebat. *In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis.* Gratior diuina sponsa erat, quę Cãt. 3. dixit. *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea.* Quæ duo meditatus Gillibertus, sermon. 2. in Cant. meritò expendit, quàm gloriosiùs Deus quæritur ab sponsa, quàm à Dauide, quia nimirum, ille quærebat quem egebat, cuius brachio cupiebat à tribulatione liberari: hæc quærebat quem solùm amabat: *Longè differentior ratio quærendi nunc ab sponsa proponitur. Illam non compelit afflictio; sed trahit affectio. Ille in Psalm. quærit aduersus tribulationem; ista ad amoris vsum, & oblectationem: ergo multò potior in diligente, quàm in indigenti quærendi ratio.* Quòd nocturnas tenebras interrumpat infirmus, vt quærat Medicum, nil magnum est, etenim impellit afflictio, vt quærat salutem. Potior ratio quærendi est in diligente, quam in indigente, vt hinc pateat sanctarum fœminarum affectus, & gloria Christi. Dominum quærunt illæ satis matutinæ, imò antelucanæ, quas non impellit, imò repellit afflictio, sed trahit affectio; non aduersus tributionem; sed contempta tribulatione ardentissimi amoris vinculis feruntur ad Christum; à quo nihil recipiant; sed suum officium, & obsequium impendant defuncto. Sanè glorioſissimũ hoc Christo Domino tales dilectores habere, qui eum solum quærant sine spe, & metu, vt aiunt vulgò. Qui vt Deo honorificentiores, sic de raritate commendabiliores esse voluit Thren. 3. ait Vates: *Bonum est Domine, sperantibus in te, animæ quærenti te.* Vbi qui bonorum spe ad Deum currunt, pluraliter dicuntur per illa verba *sperantibus in te.* Qui sine spe aliorum bonorum solum Deum diligat, & quærat, is singularis est, rarus est, ideo ait: *Animæ quærenti te.* Id notauit D. Bernard. serm. 9. in Psalm. Qui habitat: vbi inquit: *Ipsam numeri descriptionem aduerte, quòd speranies quidem in eo pluraliter dixerit, quòd hoc videatur commune multorum, quærentem verò eum singulariter, quòd singularis sit puritatis, singularis perfectionis non modò nihil sperare nisi ab eo, sed nihil quærere nisi eum.*

Ioseph. Psal. 76. Cant. 3. Gillib. Bernard.

*Textus.* Et dicebant ad inuicem, quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?

## §. III.

### *Imperfecti non ad Dei magnalia statim ferantur, sed humiliora mortis, iudicij, & peccatorum meditentur, ruminentur.*

O Præclaras Christianæ perfectionis æmulatrices! Deum totis animis quærunt; sed imperfectæ adhuc, nihil meditantur nisi sepulchrum, nisi quod proprium humanæ infirmitatis est, quod peperit hominum culpa. De illis notanter Matthæus dixerat, quòd iuerint videre sepulchrum: de quo eleganter, & acutè, vt assolet Chrysolog. serm. 77. inquit. *Veniunt: quare? videre sepulchrum, & non Christum quærere: tantùm videre sepulchrum, reatus sui titulum, facinoris sui triste documentum, suæ cum diabolo præsumptionis, sui quæstus ferale commercium, vt inde recuperarent fidem, vnde perpetuum suæ prænaricationis sustinebant opprobrium.* O doctæ cœlestis Magistri discipulæ! O magnũ diuinorũ hominum magisterium! sunt profectò in via spirituali tyrunculi, qui de Moysi oratione dedignantur, nisi faciem Dei videre; qui nimis properè pigmæi adhuc ad magnalia Dei contemplanda festinant. O quàm sapit, ò quàm tutus ille est, qui in primis optat videre se-

Chrysol.

pulchrum, non maiestatem scrutari; sed reatum suorum titulos, & amaritudines, & feralia commercia cum vitijs prospicere, vt inde recuperet gratiam, vndè prævaricationum suarum opprobrium sustinet. Nefarius ille Pilatus Domini præsentiam nactus
*Ioann. 18.* statim exquirit. *Quid est veritas?* Quem
*Bernard.* meritò pungit D. Bernard. serm. 3. ad illud: Beatus qui inuenit sapientiam, vbi inquit.
*Prou. 30.* *Quid tu Pilate interrogas Dominum, vt tibi susurret in aure, quid sit veritas? Multum est ad te: non dabitur sanctum canis, nec margarita porco. Quare potiùs fidei gustum; satietatem intelligentiæ interim ne requiras. Merito reuerberata acie protinùs resiliit, & responsum non sustinens egressus est ad Iudæos, qui ambulare cœpit in magnis, & in mirabilibus super se, quid esset veritas percunctatus.* Non omnibus ad veritatis abstrusæ penetralia accedere licet, periculosum est tyronibus, & imperfectis magnalia Dei velle perquirere.
*Nazianz.* Enim verò sapienter Nazianzen. meditabatur arborem illam scientiæ boni, & mali, quæ tantum malum ingessit mundo, quando orat. de laud. Cæsarij, inquit. *Contemplationis, vt ipse assequor, hæc arbor erat, ad quam his solis tutus est accessus, qui animi habitu perfectiori sunt: nequaquam autem bona simplicioribus adhuc animis, atque appetitu auidiori præditis, quemadmodum nec perfectius, aut solidus cibus his conducit, qui tenera adhuc sunt ætate, lacteque opus habent.* Et quidem periculosè nimis altus se veritatis diuinæ ingerunt mysterijs, qui imperfectiores adhuc sunt, quippe hi non Deum; sed sepulchrum nitantur videre, scilicet suorum reatuum titulos, vitiorum pernitiosum quæstum, prævaricationum pericula, puluereum voluptatum finem prospiciant, vt illo in puluere sati à Deo in vitam germinentur. Is enim est Deus, qui vt inquit
*Ps. 304.* Psalmus, *educit nubes ab extremis terræ.* Quod
*Ps. 134.* elucidans Origen. hom. 5. in Ieiem. cap. 10.
*Origen.* ait. *Videsne quomodo ab extremis terræ educat Deus has corporeas nubes? Propterea si volumus nubes fieri, ad quas perueniat veritas Dei, nouissimi omnium fiamus, nam inquit Psalm. ve itas tua vsque ad nubes.* Ille veritatis diuinæ est capax, qui non vt Pilatus præpropere, & intempestiuè illam exquirit; sed qui priùs nouissima sua meditatus, vilitatemque scrutatus naturæ, nouissimus omnium sibi apparens in puluere sedet, nihil vltra miseriæ suæ fines meditari audens. Hanc sibi moderationem sequendam promittebat ille ve-
*Ps. 102.* locissimus ales Dauid Psalm. 102. fatus. *Renouabitur vt aquilæ iuuentus mea.* Quæ
*Max.* verba premens D. Maxim. homil. 5. de Resurrect. acutè notat similitudinem aquilæ se renouantis, dicens: *Senectutem aquilæ non sentiunt; sed plumæ. De nouo ergo se vestit, & pullulantibus pennis vetusta mater iterum renouatur in pullum. Pullis ergo tunc comparanda est, quando radiantibus plumis necesse est illi rudem meditari volatum, & alarum olim exercitata remigia, tànquàm nouella volucris, intra nidum pigra compescere.* Sic perpetes alites cùm iuuenescunt, infirmasque, etsi nouas, etsi splendentes plumas habent, non in sublime audent, sed intra nidum compescunt volatus. Sic qui sapit, non statim velit scrutari maiestatem; sed dum infirmus est, iaceat in nido propriæ infirmitatis, rudesque imprimis meditetur volatus.

## §. IIII.

### *Virtutis res plena est difficultatibus, vitio omnia famulantur.*

QVàm ardua, quàm difficilis est res virtutis! vix hæ fœminæ virtutis iter arripiunt, & ecce mille prosiliunt difficultates, quis, aiunt, reuoluet nobis lapidem? Vt vitium nascatur, omnes obstetricantur creaturæ; vt virtus vel concipiatur, hic opus, hic labor est. Vt caderet homo à fœlici statu serpens inuitat, paradisus allicit, pomum lenocinatur, aura, tellus, & omnia placido se se ostendunt aspectu: vt homo rediuiuus resurgat à tumulo quantus terræ tremor? quantæ difficultates? Nonne Matth. cap. 28. in-
*Matt. 28.* quit: *Et ecce terræmotus factus est magnus?* Accipite Chrysologum serm. 74. luculentissimè, & eleganter ponderantem in hæc
*Chrysol.* verba. *Modò te remotus magnus. O si tunc vel leuis turbo arborem mortiferam deiecisset! O si nebulæ fumus mulieris illius tenebrasset aspectum! O si tetra nubes lethalis pomi speciem caligasset! O si peccati diem tenebrasset nox iniusta, & lamenta mundi, & incrementa mortis, & creaturis iniuriam tunc tulisset; sed vitijs semper seruiunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis; virtutibus verò austera, & fortia sunt amica.* Quantis comparatur virtus tremoribus! quam metuendis circumcingitur spectris! Hoc sibi persuadeant quicumque virtuti student, quòd in arduis posuit nidum suum, nec aliter gustandus eius fructus, quàm mille luctis, mille difficultatibus deuictis. Nazianzen. carm. de virtute humana
*Nazianz.* pulchrè dicebat. *Virtus difficilis, ardua, profunda, incantata.* Equidè vir egregius lusit vocabulo illo, *incantata*, de prophanorum fontibus

tibus virtutis difficultates propinans. Quippe solemnissimæ sunt apud prophanos incantati thesauri, quos abruptis circumcinctos rupibus custodiebant ignipedi tauri; horribites dracones. Heu si quis audax homo accederet, macheris hinc inde prosilientibus se peti videt, montium, rupiumque tremoribus quatitur, horribilium custodum incursibus affligitur: quæ omnia superare debet, si incantato thesauro frui cupit, sic virtus incantata res est, nec aliter quàm per mille terrores, per difficiles horribilium custodum aditus, eius quibit obtineri fructus. Vt eleganter D. Ambros. dicat lib. 5. in Lucam, cap. 7. *Rapimus ex hoc mundo palmam salutis, & qua si excubantibus obsessos serpentibus fructus pernigili labore decerpimus.* Quid diuinius? Vigilandum quidem est virtutis studiosis, superandæ sunt illis rupes, & saxorum moles incredibiles, sopiendæ dracorum excubiæ, vt medijs his obtineri possit salutis fructus. An aliter illum obtinuit Christus? Accipite Tertull. Apol. ad Gent. cap. 21. sic resurgentis victoriam edissérens. *Die tertia concussa repentè terra, & mole reuoluta, quæ occluserat sepulchrum, & custodia pauore dissecta, nihil in sepulchro repertum est, præterquam exuuiæ sepulti.* Ecce tibi quantis tremoribus, quantis saxis superatis, quantis draconum excubijs deuictis, palmam prætulit nobis salutis.

*Ambr.*

*Tertull.*

*Text.* Et respicientes viderunt reuolutum lapidem, erat quippe magnus valde.

## §. V.

### *Quicquid nobis virtutis inspirat Deus, ipse in nobis perficit.*

DIuino instinctu mulieres ad sepulchrum Domini trahuntur, vt diuinum inungant cadauer, ad sepulchrum, inquam, ingenti occultum lapide, cuius impar pondus fœminæ nosscunt, non tamen desistunt, & dum pergunt obsequium præstare, saxi molem inueniunt reuolutam. Is enim est Deus Opt. & Max. qui magna à nobis petit, vt audientibus nobis, ipse perficiat. Accipite diuina in primordio præcepta. *Fiat lux, & facta est lux.* Iubebat quidem Deus; sed & nulla alia manus operabatur præterquam quòd manus imperantis ipsius. Pulchrè Tertull. lib. 2. contra Marcion. c. 4. *Et dixit Deus: fiat, & factum est, vt tibi totus Deus commendaretur, & dicere, & facere.* Quis iám expauēat præcepta diuina? Quis supremę virtutis consilia perhorrescat? Non soli nos qui iubemur, qui vocamur; sed Deus ipse perficit in nobis quęcumque expostulat ipse. Huc accedit D. Chrysostomi, homil. 2. in Psalm. 50. meditatio: ait enim. *Deus si dixerit adultero, iam nolo, vt adulteris, verba statim vertuntur in opera; si dixerit fornicatori, fornicari cessa ab immunditia tua, illicò mens eius in melius mutatur. Et vt scias, quia ita est, dixit: fiat cœlum, & factum est cœlum: volo fieri luminaria, statim facta sunt, & astris completum est cœlum. Volo fieri Angelos, & in puncto horæ tanta millia facta sunt. Et qui ex nihilo omnia fecit, si vult sermone suo tua peccata non valet soluere, & te in Angelicum constituere gradum?* Et quidem, vt omnia condens non solum præceptum dabat; sed & manus operi adhibuit; sic nobis non solùm præcepit, non solùm monet: sed & ipse facit, quicquid exigit, quicquid inspirat. Sanè Ezechiel cap. 2. visione diuina consternatus cecidit in terram, deficientibus viribus, sic pene enectus ait, se vidisse diuinum quendam spiritum. Et dixit ad me. *Fili hominis sta super pedes tuos, & loquar tecum. Et ingressus est in me spiritus, postquam locutus est mihi, & statuit me supra pedes meos.* Ecce tibi spiritus Domini iubet Prophetam stare; sed & ipse perficit quod iubet. Id quod eleganter ponderauit D. Gregor. PP. homil. 9. in Ezech. his verbis. *Iacenti Prophetæ Deus iussit, vt surgeret; sed omnino surgere nō posset, nisi in hūc omnipotentis spiritus intrasset.* Iussit igitur spiritus, vt leuaretur Ezechiel, & simul intrans in illo eum leuauit.

*Chrysost.*

*Ezech. 2.*

*Gregor.*

*Text.* Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem à dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt.

## §. VI.

### *A Resurrectione Dominica sepulchrū, & mors homini gloriosa, & experenda.*

HOmo paradisi honore priuatus, continuò damnatus fuit horrore sepulchri, cùm à Deo audit: *Terra es, & in terram ibis.* Quid sanè magis probrosū homini moderatu

turo orbem, quàm angustum sepulchrum? Paradisi Domino quàm inhabitatio cinerũ. Acturus D. Petrus apud Iudæos, qui Dominicam resurrectionem ignorabant de regio Dauidis sepulchro erubuit, & audaciæ crimen metuens, si tantum Regem memoraret degentem inter cineres, sic ait. Actor. 2. *Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam defunctus est, & sepultus est, & sepulchrum eius est apud nos vsque in præsentem diem.* Expende diligentius, vndè sibi videatur audax Apostolorum Princeps, nimirum, quod apud gnaros Dominicæ resurrectionis memoret Dauidem in sepulchro degentem. Quis enim tantum dedecus Regi nobilissimo inureret, quem non in paradiso, sed in sepulchro recumbere dicat? Auctor est D. Augustin. 18. de Ciuitat. cap. 5. quod Ægyptij colebant Apim in sepulchro conditum, cui assidebat Harpocratis idolum digito ori impresso silentium indicens, ne quis auderet inter diuinos honores Api exhibitos eius sepulchrum meminisse. Infame enim, & verecundum putabatur, quòd homo omnium sublunariũ facilè princeps sepulchrali clauderetur caligine, & inter cineres iaceret, cui famulantur omnia cœli lumina. Sed iam ex resurrectione Dominica nil gloriosius homini, quàm sepulchrũ, non terrestris paradisus, non regius thronus, non cœlum ipsum. Ad hæc D. Chrysost. in Psalm. 2. ponderat sepulchrum dignam, & gloriosam sedem, etiam Angelis dedisse, his verbis. *Vt ostenderent Angeli, Deum fuisse sepultum, ad sepulchrum, tànquàm apud cœlum manebant.* Non gloriosius in cœlo nitet, quam sedens Angelus in sepulchro, ex quo Dominus surrexit in vitam, adeò vt quælibet creatura etiam Angelis in dignitate superior gloriari possit, quod quietem intrauerit sepulchri. Accipite D. Ambros. lib. 10. in Luc. cap. 96. pulchrè in rem præsentem dissentem, ibi enim cum Principe Apostolorũ locutus, inquit: *Vndè te euocem, Petre? vt doceas me quid flens cogitaueris. Vnde inquam, te euocem? De cœlo, vbi iam choro insertus Angelorum, an etiam de tumulo? Quia non putas iniuriam, & ibi esse, vndè Dominus resurrexit.* Vbi sepulchrum, Christo resurgente, radiavit, non horror, sed honor est sepulchri, non dedecet sanctitatum Principes, & Angelorũ choris inseri, & seri sepulchro, nec magnus Petrus erubescit inter sepulchrales fauillas degere, quandoquidem Angelicæ naturæ nesciæ mori, relictis cœlestibus sedibus, ambiunt sedes sepulchri. Vt meritò dicat D. Chrysol. serm. 75. *Factus est lapis vas Angelica sessionis, schola vitæ, qui à Iudæis ad mortis ianuam, ad cineris seruitium, ad triste silentium fuerat constitutus.* Quidni? Quod probrosa hominum damnatio inuenerat sepulchrum, quò vindex Dei iustitia minata erat, hoc factum est vas Angelicæ sessionis, hoc sedes est vbi ambitiosè quiescunt cœlorum Principes.

Act. 2.

August.

Chrysost.

Ambros.

Chrysol.

## §. VII.

### *Christus Dominus clauso egressus sepulchro fecit, vt vincula, & clausuræ suis deinde fidelibus essent nullæ.*

ANGELVS apparuit sepulchri saxum reuoluens mulieribus introeuntibus, non Christo Domino exeunti, vt rectè notat D. Gregor. Nyssen. oratt. 1. Imò Dominus clauso egrediens sepulchro ostendit nihil esse sigillum, nulla esse mortis repagula ijs, qui in Domino moriuntur. Eleganter quærebat Epiphan. homil. de sepult. Domin. *Quomodo hominibus cœlestis regni ostia patefecit, qui clausis ianuis ad Discipulos introiuit? Quomodo ipse rorum portas confregit, qui monumenti signacula inuiolata conseruauit.* Sanè si ipse sibi non aperuit: sed & signaculis, & ianuis clausis egrediebatur, & ingrediebatur, quomodo credendus est nobis aperuisse ianuas? Non fecit portas esse apertas: sed esse comminutas, esse nullas: qui enim portas aperit, clausarum nescit impedimentum portarum, at qui illis clausis egreditur, sic portis vtitur, quasi non sint; sic relinquit signacula, quasi nulla essent. Vndè D. Chrysostomus, hom. in Cæmenter. & crucem, fatur. *Hodie portas æreas confregit Dominus, hodie vectes ferreos contriuit. Non dixit aperuit portas æreas; sed confregit, vt inutilis deinde carcer fiat. Nõ abstulit vectes; sed contriuit, vt custodia deinceps fragilis, & infirma reddatur, vbi neque ianua, neque vectis, & licet quis intret non tenetur.* Ecce vobis vbi Dominus, nec portas, nec sigilla sepulchri aperit, & portas, & sigilla nulla esse facit. Sic reddit portas inutiles, sic vectes ferreos afficit, vt nullum inde sigillum, nullus vectis, nulla ianua maneat, quæ detinere possit, & claudere. Accedat modo Athæus ille, qui Sapiẽt. 5. ex sepulchrorum sigillis resurrectionis spem existimabat inanem. *Non est, inquit, reuersio finis nostris, quoniam consignata est:* sed & Iudæi, vt Dominicæ resurrectioni obstruerent adytum, *signarunt lapidem cum custodibus*, quasi innuerent impossibilem esse eius reuersionem, quoniam consigna-

Epiph.

Chrysost.

Sap. 5.

signata erat. Imò, quia consignatum erat sepulchrum, egrediente Domino, inania reddũtur sigilla omnia mortis, inutilis vectis, custodia vana, quandoquidem corpus retinere non possunt humanum.

## §. VIII.

### *A Resurrectione Domini sepulchrum cœlestes homines parit.*

RESVRGENTE Domino, terreni illius Adami genus è mundo eliminatur, & cœlestium hominum regenerantur examina. Qui à vulua matris puluerulenti nascebamur, & mortales veteris patris referentes imaginem, à sepulchro rediuiui cœlestem & immarcescibilem iuuentutem auspicamur. Cur non obstupuissent fœminæ? Vident sepulchrum parturire iuuenem splendidum prima niuali stola decoratum, & merito stupẽt, & verecundantur, quod fœminæ iuxta veteris seminis seneſcentis Adami prolem pariãt.

*Aguſt.* Pulchrè D. Augustin. serm. 133. de Temp. Natiuitatis à sepulchro, cum Natiuitate ab vtero Matris comparat, sic fatus. *Glorioſior eſt iſta, quam illa natiuitas. Illa enim corpus mortale genuit; hæc edidit immortale. Poſt illam Natiuitatem ad Inferos deſcenditur, poſt hanc remeatur ad cœlos.* Stupeant iam fœminæ cum videant sepulchrum præstantius esse vtero matrum, vtpote quod potuit cœlitum, & incorruptibilium corporum genus instaurare. Sic quondam Abrahamo Dominus pollicebatur, dicens,

*Geneſ. 22* Genes. 22. *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris.* Sicut arenam multiplicatos Abrahamides video; sed quando Abrahami semen stellas pariet? Vnum sepulchrum stelliferum genus reponit Abramo.

*Nyſſen.* Id attigit D. Gregor. Nyssen. 1. de Resurrect. Domini, vbi Resurrectionis Dominicæ vtilitates præcurrens fatur. *Quæris Abrahæ benedictionem? præſentia contemplare, & habebis, id quod requiris. Cœli ſtellas non vides?* Quid non cum Saluatore è sepulchro pullulant? Vnum puluerulentum genus ibi manet, stelliferum germinatur. Sepulchrum absumit puluerem, stellas parturit, dum homines emittit in vitam immortalem. Vt dicat

*Dan. 22.* Dan. cap. 12. *Multi de ijs, qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt alij in vitam æternam, alij in opprobrium. Qui autem docti fuerint fulgebunt, tanquàm ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, tanquàm ſtellæ in perpetuas æternitates.* Voramur à sepulchro ignobiles, & inde glorioſi naſcimur: voramur prodigi ſubſtantiæ diſsipatores, generamur prima stola candidati, voramur puluis, & stellæ proſilimus inſtar firmamenti fulgurantes.

*Synaiti.* Id quod innuit elegans Anasthasij Synaita notatio, qui lib. 5. Exam. ait: *Prima reſurrectio ex aquis facta eſt per Ionam.* Itaque primum resurrectionis præsagium in Iona renascente ex aquis; vbi enim resurgimus non terrenorum; sed cœlestium omnium habemus matrem, & vt cœli astra ab aquis in sublime euolamus. Vt merito dicat D.

*D. Zen.* Zeno serm. 2. de Resurrect. *Hic eſt dies, quo à Domino noſtro cunctus redemptus eſt orbis, quo æthereo ſemine nouellus, ideſt, noſter viuificatus eſt populus.* Iam enim ex æthereo semine cœlestes à sepulchro nascimur.

*Text.* Qui dicit illis: Nolite expauescere, Iesum quæritis Nazarenum crucifixum surrexit: Non est hic.

## § IX.

### *In Christi Domini Resurrectione, tànquàm in flore sunt omnium hominum resurrectiones.*

ECce tibi arbor vitæ Christus introducitur ab Angelo totus floridus iuxta communiorem nominis Nazareni explicationẽ. Enim vero flores apparent in terra nostra, ex quibus æternæ vitæ fructus nanciscentur homines. Hinc Ecclesiasticus cap. 39. inquit.

*Eccleſ. 39.* *Audite me diuini fructus, florete flores quaſi lilium, & date odores.* Vbi maximè ponderandum est, quòd fructus iubeatur florere, nõne fructus nascũtur post flores? nonne cũ fructus accedit, euanẽt marcidi flores? Qui ergo isti fructus tam noui, tam inauditi qui non consumunt; sed parturiunt flores?, Idipse Sapiens edisserit illis verbis, *diuini fructus*, non enim fructus qui à mundialibus arboribus; sed fructus, qui á viuida arbore Christi, nempe eius resurrectio, & fructus est salutiferæ mortis, & simul flores explicat, quibus promittuntur hominum resurrectiones. Fallor, nisi huc spectent verba illa Diui Ambrosij orationeAmbr. de fide Resur. nimirum. *Quid dubitas de corpore corpus reſurgere? Granum ſeritur granum reſurgit; ſed flore granum induitur. Et hoc mortale oportet induere immortalitatem.* Et quod

granum veriùs dici poteſt reſurgere flore indutum quam granum illud frumenti, nimirum verbum diuinum cadens in terram, & inde totum floridum exſurgens? Hoc diuinum granum cecidit in terram, & mortuum fuit; ſed granum reſurrexit flore granum induitur, vt mortales homines induant incorruptionem. Sanè Iſaias cap. 11. floris in modum erumpentem præcinit Ieſum inquiens, *& flos de radice eius aſcendet*, ex quo hominũ glorias rectè præſagit Richardus Victorinus de cõparatione Chriſti ad florem; his verbis. *Quid flore formoſius? Quid flore fragrantius? Quid floreſructuoſius? In flore mellificatio, ex floreſructificatio. Ex flore itaque fauus, & fructus: in fauo mel, & cera, in fructu potus, & eſca ſi parua ſunt iſta, addo, quod in flore eſt medicina. Hic flos Ieſus factus eſt nobis medicina ex illo mel, & cera, in ipſo potus, & eſca: medicina in redemptione; potus & eſca in iuſtificatione mel, & cera in gloriſicatione. Ex hac medicina ſanitas incorruptibilitatis: ex eius eſca refectio internæ ſatietatis, ex eiuſmodi potu ebrietas æternæ ſecuritatis, de eius cera ſplẽdor ſummæ claritatis, in eius melle dulcor in deficientis fœlicitatis.* Ecce tibi è pulcherrimo Ieſu flore, & incorruptibilitas, & claritas, & ſaturitas, & fœlicitas hominum erumpit. Nec longè à Ricardi mente abeſt Rupert. ad cap. 4. Cant. Vbi expendit, quod reflorenti Chriſto per reſurrectionem ei obtulerint Diſcipuli Luc. 24. partẽ piſcis aſſi, & fauum mellis, quorũ reliquias Dominus dedit diſcipulis edocẽs, *poſtea ſecum conſurgentes fauo ſatiandos.* Sic totus floridus Ieſus dulciſsimos immortalitas fauos nobis propinat, & fructus noſtræ reſurrectionis præſagit, vt dicat. D. Maxim. ſerm. de Reſurr. *Refloruit caro Domini, cũ rediuiua de ſepulchro germinauit, & in floris modum cũctis hominibus immortalitatis efflauit odorem.* Quo ergo vadis homo? Mundi vniuerſæ vię plenę ſunt ſpinis, plenæ mortis, plenæ amaritudinibus, fœminarũ ſanctarum modo veſtigia ſequere; quære Ieſum Nazarenum, Ieſum floridum, in quo vno inuenies dulcem gloriæ guſtum immortalitatis odorem. Merito D. Bernard. ſer. de vitæ, ait. *Dabit Ieſus ſalutem, quia ſalutaris eſt; dabit Chriſtus regnum, in quo gloria cum diuitijs habetur, quia vnctus. Dabit Nazarenus delitias, quia florens eſt.* Sic ille. Ex florenti Ieſu deliciarum Paradiſi fructus hominibus auſpicatur; tamen omnium elegantiſsimè rem finit D. Gregor. Nyſſen. orat. 3. de Reſurrect. Chriſti aiens. *Effloreſcat, & emineat in omnibus ſicut flos, decor diei feſti. Nam ſi natalis dies hominis Regis carcerem aperit; dies victoria celebris, & illuſtris Chriſtus reſurgens afflictos oppreſſos, & conſtrictos non dimittet? Pauperes amplectimini veſtram nutricem, qui corrupta mutilatave corpora habetis curatricem veſtrarum calamitatũ diem ſalutate.* Ecce tibi iubetur eſſo reſcere paſchalis dies, vt inde ſęlicitatis humanę fructus naſcantur.

Iſai. 11.

Rich. Vict.

Rupert.

Nazianz.

Bernard.

Nyſſen.

## § X.

## *Chriſtus Dominus in reſurrectione omnium hominum, & Angelorum inducit coronas.*

VEre Nazarenus, hoc eſt, verè floridus è ſepulchro Dominus emergit, quandoquidem non ſuæ vnius reſurrectionis floridã præfert coronam; ſed in ſe vno omnium cœleſtium Principum oſtendit coronas. An hæreticorum ſomnijs poteſt aliquid ſubeſſe verum? Sanè veritatis radijs obcæcabantur illi, qui neſcio quem alium à verô Saluatore effingentes illum pulchreſcere dicebant accepto flore à ſingulis cœlitibus. Ita refert D. Irenæus fatus. *Quod autem Saluatorem dicunt ex omnibus Æonibus factum eſſe, omnibus in eum deponentibus florem ſuum, non extra Heſiodi Pandoram nouum aliquid afferunt.* Ecce tibi inimici veritatis lumen aliquod præbent veritati, quatenus illum credunt futurum Saluatorẽ qui omnium cœleſtium Principum floribus eniteat, in quo vno ſingulorum omniũ effulgeant flores. Talis proſiliuit à Sepulchro verus, & vnicus Saluator Ieſus, nimirum Nazarenus, totus floridus in ſe vno omnium triũphatorũ flores præmoſtrans. Illi à ſepulchro emergenti dicebat cœleſtis pater, Pſal. 131. *Immicos eius induam confuſione, ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea*, vel ſi mauis iuxta lectionem Hebraicam. *Super ipſum efflorebit corona mea.* Quàm floridam coronam premens S. Ambroſ. ſerm. 15. in Pſalm. 118. ait: *Quæ eſt corona: qua coronatur Chriſtus niſi corona gloriæ? Ioſeph coronam habuit Caſtitatis Paulus Iuſtitiæ, Petrus Fidei, ſingularum virtutum coronæ ſunt: ſolus Chriſtus habet coronam gloriæ. In hac corona omnes coronæ ſunt, quia gloria non portio vnius coronæ, ſed præmium omnium coronarum eſt.* O quàm floridus, poſilit Dominus à ſepulchro vbi non vnum, aut alium virtutis florem exhibet in corona; ſed omnium cœleſtium Principum floribus, & coronis effulget candidatus. Vt dicat D. Bernard. tractat. de Paſſ. *Florvit mirabiliter, & valdè ſingulariter, & excellenter vitis hæc Ieſus, non vno florum genere ſicut aliæ, ſed omnium florum ſpeciem in ſe continebat.* Sic ille.

Iren.

Pſal. 131

Ambroſ.

Bernard.

§. XI.

## §. XI.

### *Mors Christi omnem eiusdem gloriæ ambitionem in Resurrectione ostendit.*

NON inscius Angelus rediuiuũ Dominũ prædicaturus, eiusdem passionem, & crucem prætulit dicens Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit: surrexit quidem Nazarenus, surrexit floridus, qui mortis crucisque sustinuerat marcorem. Pulchrè Nicolaus D. Bernardi notarius, epist. 53. inquit. *Nicol.* *Sic Iesus de spina Passionis rosam protulit redẽptionis.* Etenim suæ virtutis, suæ efficacitatis, suæ gloriæ rosam à cruce, & morte resurgens Dominus explicuit, & manifestã proposuit. Immaturam adolescentis mortem sic depingit D. Hieron. epist. 26. ad Pammach. *Hieron.* *Quis parturientem rosam, & papillatum corymbum, antequam in calathum fundatur orbis, & tota rubentium foliorum pandatur ambitio, immaturè demessum æquis oculis marcescere videat?* Sic pallida mors floridos adolescentes, rubentes iuuẽtutis rosas demetit, antequàm tota rosarum pãdatur ambitio. Siccine demetit mors Iesum Nazarenũ? Absit: imò rosei Domini nunquàm patentior gloria, quàm à morte, à sepulchro refloruit; & dum in cruce moritur, quia sic moritur, totius rosei decoris, & & splendoris pandit ambitionem. Accipite D. Bern. D. Bern. lib. de Pas. cap. 41. hæc de florenti Iesu verba faciẽtem. *Sicut rosa frigus noctis clausa, Solis ardore surgente, tota aperitur, & foliis expansis in rubore demonstrat ardorem iucundum, ita flos cæli deliciosus optimus Iesus, qui multo tempore à peccato hominis quasi in frigore noctis clausus fuit peccatoribus, tandẽ radijs ardentis charitatis in omni sui corporis parte apertus est, & rosæ ardor in rubore sanguinis effusi refulsit. Vide ergo quomodo hoc flore rosæ floruerit rubicundus Iesus. Vide totũ corpus sicubi rosæ sanguineæ florem nõ inuenias.* Nõ demetitur à morte diuinus flos Iesus, antequã in calathũ funderetur orbis, antequam tota internæ pulchritudinis panderetur ambitio. Quinimo sic Iesus flos in morte apertus est, vt totam gloriæ suæ ambitionem per apperturas eiaculans cœlitum oculos obstupefaceret, qui mirabũ di dicebant. *Psalm. Augusti.* *Quis ista Rex gloriæ?* Id quod D. Augusti. serm. 178. perspicue attigit fatus *viderũt cœlites cũcti speciosum vulneribus Christum, & admirantes fulgentia diuinæ virtutis vexilla talibus concrepant hymnis. Quis est iste Rex gloriæ?* Quanta gloria ex apertis roseis vulneribus Iesu radiabãt; quãndo Angelos in admirationem rapiebat! Sanè viderant Angeli ab antiquo florem illum; sed viderant parturientem in sinu patris, & quasi papillatum corymbum, antequam in calathum funderetur orbis, & tota rubentium foliorum panderetur ambitio. At modo cum apertum illũ vident, totamque foliorum rubentium ambitionem patentem; ingentem inde pulchritudinis gloriam mirantur, & stupent. Sic reflo rescentis Iesu gloriam vulnera crucis exaltãt. Vndè elegantissimè D. Athanas. crucis fructus in Domino opponit Iudæorum perfidiæ, *Athan.* dum inquit orat. de Pass. & Cruce. *Saluatoris mors orbem terrarum in libertatem asseruit, cautamque dedit, vt gentes Deum glorificent. Iudæorum furor Iudæos cum ipsa ciuitate deluit, & in Dei cognitione obcæcauit. Mors Christi mortuos viuificauit, Iudæosque suæmet insidiæ vita spoliarunt. Crux Saluatoris Ecclesiam gẽtium cum deserta esset, habitatoribus frequentauit: Iudæi cõtra malitia orbẽ terrarũ sibi intercluserunt, inhabitabilemque reddiderunt, vt qui ne ciuitatẽ vllam habeant. Mors Saluatoris Regnum cælorum ostendit; Iudæi suo furore suos Reges perdiderunt, & Magnates amiserunt. Crux Domini Angelos hominibus consociauit, & interprès conciliatrixque eorum amicitiæ fuit. Iudæi contra insidiando contubernium, societatemque domicilij cum dæmonibus lucrati sunt.* Hucusque Athanas. glorioſos crucis partus manifestat, & Angeli mentẽ explicat, qua glorioſum Dominũ dicturus præmisit crucifixũ, vt ex causa ingentem Christi gloriam, & generis humani reparationẽ, & magnalia omnia Christiani Imperij recognoscerent.

## §. XII.

### *Resurgens Dominus egenorũm hominum curam habuit.*

RECtè ex verbis Angeli D. Greg. Niss. edũcit præproperam Christi Domin. Resurrectionem, non enim dicit, accedentibus fœminis, modo resurgit, sed iam antea surrexit. Et cur qui pias fœminas in aromatum obsequium impulit, earum officium nõ expectauit in Sepulchro? An fugit exhibendam sibi tantam olei impensam, vt reseruaretur in vsus pauperum? Pulchrè D. Bernard. serm. 12. in *Bernard.* Cant. inquit. *Prouide oh hoc Dominus Iesus paratam sibi confectionem expendi noluit in suo corpore mortuo, vt seruaret viuo; cum anticipans horam, & accelerans gloriam, mulierum deuotionem non eluſit; sed instruxit, non recusans obse-*

*quiũ, ſed reſeruans proficuum. In iſto ergo pepercit magiſter pietatis vnguentis optimis, quæ membris ſuis indigentibus cuperet exhiberi.* Inſtruebat, inquam, Dominus, quibus impendendũ erat obſequium à fidelibus, nimirum membris viuis, egenis, paupertate preſsis: in horũ vſus quicquid impẽdatur, gratiſsimũ accidet Redẽptori Chriſto. Hoc Ieſu bono cordi erat, vt pauperũ curam haberet, ob hoc gloriã reſurrectionis anticipat, vt doceat, pauperibus reſeruari ſubſtantiam, & illis impendi ſeruitia. Hinc D. Greg. Nyſſen orat. 3. de Reſurr. ait. *Chriſtus reſurgens afflictos, oppreſſos, & conſtrictos non dimittet? Pauperes amplectimini veſtram nutricem.* Quam diuine Reſurrectionẽ Dominicam vocat nutricem pauperum, vtpote quæ ſibi impendenda docuit pauperibus reſeruari; ideo enim maturata eſt reſurrectio, non vt obſequium refugeret fœminarũ; ſed vt matutinas refectiones egenis reſeruaret. Huc ſpectabat D. Hilar. hom. 6. de Paſs. aiens. *Reſurrectionis celebrãtes triumphum, fidem conuerſatione decoremus, miſericordiã in pauperes faciamus, imitemur Deum.* Hoc eſt fidei noſtræ decus, Summi Dei imitatio, Dominicæ reſurrectionis documentum, quòd miſericordiam in pauperes faciamus. Etenim in regeneratione, hoc eſt, in communi reſurrectione omnium cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, vanè ſibi quis miſericordiã titillabit, qui extitit crudelis in pauperes. Diues ille, qui ad præſentiam Lazari epulabatur quotidie Luc. 15. cum eſſet in tormentis vnam tantum aquæ guttam refrigerij cauſa implorabat, & vel vna gutta aquæ fuit illi negata. Id quod expẽdens D. Greg. Nyſſ. hom. de beatitudinibus, ait. *Dives ille diffluens delitijs mendici ad veſtibulum afflicti miſertus non eſt. Idcirco miſericordiam ſibi præcidit, miſericordia implorata non exauditus. Non quod vna gutta de magno Paradiſi fonte dempta, damnoſa eſſet, ſed quia miſericordiæ ſtilla commiſceri atque communicari cum inhumanitate non poteſt.* Ecce tibi regenerationis ſtatus, & exemplar, in regeneratione corporum, nec miſericordiæ ſtilla cum inhumanitate cõmiſcebitur, vbi reſurrectio mortuorũ fuerit, ille miſericordiam accipiet, qui pauperum miſertus fuerit. Enim verò reſurrectionis renouationẽ, vt Baptiſma ſic eleemoſynæ æmulatur lauacrũ. Vt merito dicat D. Laur. Nouar. hom. de Pœnit. hom. 1. *Prouidentia diuina aperuit nobis medicinæ armarium, vt faceret, & diuites, & pauperes, vt quoniam diuites per exuberantiam rerum proni ſunt ad vitia, haberent coniunctos ſibi indigentes tanquã fontem lauacri, vt plus dicam, tanquam flumen Iordanis, vbi Chriſtus tinctus eſt.* Non guttatim, ſed flumine pleno eleemoſyna miſericordiam inſtillat, & expendo illud, *tanquam flumen Iordanis*; quo non ſolũ ablutionem; ſed & renouationẽ, qua in regeneratione iuueneſcant iuſti, ſignificat.

Nyſſen.

Hilar.

Nyſſen.

Laur. Nouar.

*Textus.* Non eſt hic. Ecce locus vbi poſuerunt.

## §. XIII.

### *Chriſtus Dominus breui, & alieno loculo teneri non poteſt.*

NON equidem teneri poterat magnus ille cœli terræque Dominus arcto & anguſto hominũ ſepulchro, quis enim magnũ in paruo, omnium Dominum in alienis quærat? Ad dolentes parẽtes iam dudum dixerat Ieſus Luc. 2. *Neſciebatis quod in ijs, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Quaſi innueret ſe minimè in alienis inueniẽdũ, doleat licet, quiſquis Ieſum quærit, non inueniet in paruis, nõ inueniet alienis. Dicebat illa Dei amatrix. *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea.* Quærebat ſanè dolens, & non inueniebat, quia ſolum quærebat in lectulo ſuo. Id quod expendens D. Bernard. ſerm. ad illud Prouerb. 3. Beatus homo, qui inuenit ſapientiam, ſic inquit. *Fruſtra quærit, qui in lectulo ſuo quærit, lectulus eſt, & ibi gigãtẽ quæris? Tuus eſt, & ibi ſperas inuenire eum, qui diuerſoria ſemper ignorat?* Non in lectulo non in alieno loculo tenetur magnus ille Dominus. Moyſi rectè promittebat Deus in Exod. 33. *Ponam te in foramine petræ*, quaſi diceret iuxta Cyril. Ieroſol. Cat. 10. *Cũ exiguus ſis, in paruo circumſcriptus eris.* Conueniunt enim exigua exiguis, aliena ſeruis, at qui magnus Dominus eſt, fruſtra in alienæ petræ foramine quæritur. Hinc Diuus Cypr. præpropera Ieſu à ſepulchro reſurrectionem meditatus inquit. *Egreſſus de ſepulchro vacuũ locũ relinquerat, apertoque oſtio ingredi, nolentibus liberũ dederat aditũ: & quaſi monebat ſe alias quæri, qui illis anguſtijs non poterat occultari.* Non loculis clauditur immenſus, nec aliena gaudet occupare mundi Dominus. Vndè Angelus, qui reſurgentibus gloriam nuntiabat ſepulchri reuolens lapidem ſedebat ſuper eum, ne crederetur poſſe manere Dominum in loco, cuius erat ſeruus poſſeſſor. Id docuit Chryſoſtom. de Ioann. Bapt. ſatus. *Angelus ille, qui reuoluebat lapidem, & ſedebat ſuper lapidem quid oſtẽdebat? Lapis, cui ego inſideo, qui ſeruus ſum, ijs, non poteſt includere Dominum meum, cum prematur à ſeruo ſuo.* Non moratur Dominus in ijs, quæ ſunt ſeruorũ, ſed in ijs, quæ pa-

Luc. 2.

Cant. 3.

Bernard.

Exod. 33. Cyrill.

Cypr.

Chryſ.

patris eius sunt. Hanc sibi beatitudinem verè attribuebat Dei filius, quam Aglao cuidam tribuit Solinus cap. 6. fatus. *Solum certe beatum Aglaum quis iudicauit, qui in Augustissimo Arcadiæ angulo pauperis soli Dominus, nũquã egressus paterni cespitis terminos inuenitur.* Sanè Beatissimus Iesus terræ cœliq; Dominus in his solum adest quæ patris sui sunt. O te fœlicẽ, qui ad Dei pertines possessionẽ, sanè habebis Iesum, & in te morabitur Iesus. Sic Origen. hom. 20. in Luc. expendit. *In ijs, quæ sunt patris mei oportet me esse. Vnusquisque nostrum si bonus fuerit atque perfectus, possessio Dei patris est, habet in medio sui Iesum.* Hæc ille.

*Origen. Luc. 2.*

## §. XIIII.

## *Resurrectio gloriosa mortis sepulchrique euacuat horrorem.*

FEstinus Angelus intrà resurrectionis gãudia inter splendidas glorias inuitat fœminas ad sepulchrum videndum: nulla enim infirmitas mortem expauescet, vbi inde resurrectionis splendorem meditetur. Id quod D. Zeno serm. de Resurrect. exemplo solis, sic demonstrat. *Sol quotidie nascitur eademque die, qua nascitur moritur, nec tamen instantis finis sorte terretur, suos vt reprigret cursus, vt horas ac momenta producat, vt saltem paulò diutius diei sui demoretur in vita; sed fidelis semper, semper intrepidus ad sepulchrum noctis contendit, sciens in ipso se habere quod viuit.* Cur timeat mori qui à morte viuet? Cur expaueat sepulchrum, qui ex illo pulchrior renascitur? Sanè sol vbi nocturnis tenebris appropinquat, repigresceret, cursus tardaret; nisi in tenebris sciret se habere quod viuat. At dum futuram vitam è tenebris, auspicatur, intrepidus, nullâ facta mora noctis sepulchrum amat intrare. Sic de sole altero, & præstantiori, & diuiniori Iesu loquitur D. Paul. ad Hæbr. cap. 13. *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemta.* Quo circa D. Greg. Nyssen. orat. 3. de Resurrect. fatur. *Prius quam de cœlo descenderet, videt gentium perturbationem, duritiã Israelis, Pilatum pro tribunali sedere, Caipham vestẽ sibi discindere, & seditiosam plebem ira inflammari, & Iudam prodere, & petrum propugnare, & paulo post se ipsum per resurrectionem ad gloriam immortalitatis transformare, ac quicquid futurum erat cognitione præscriptum habens, non distulit beneficium homini præstare, nec in longiorem diem contulit earum rerum administrationem.* Enim vero vbi mortem resurrectionis gloria soluendam nouit, non distulit diem mortis, non reprigruit mori, sed intrepidus ad mortem euolauit. Fallor nisi Iob cap. 8. huc respiciat, quando iusti lætissimam mortem describit sub metaphora, arboris siue vitis, cuius palmes amat sepeliri, & vorari à terra, vt viuidior, & vegetior alibi repullulet. Sic enim ait. *Super acerbum petrarum radices eius densabuntur, & inter lapides commorabitur. Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & dicet, nõ noui te. Hæc est enim lætitia viæ eius, vt rursus de terra alij germinentur.* Sub fossa humo, negato primo loco, abit vitis lætans, & gaudens, quia inde feracior surrectura. Sic Iesu veræ vitis, qui veri fuerint palmites, non horrescent à terra absorberi, imò cum fossæ mandentur humo, hæc erit lætitia viæ illorum, qua viuidiores, & fœliciores resurgant. Vndè D. Ambros. orat. de obitu Valẽt. ex Iud. cap. 11. Christianorum luctus cupiẽs abstergere, sic inquit. *Ad deflendum suæ virginitatis florem duos sat esse menses Iepte filia iudicauit, & adhuc non venerat resurrectio.* Etenim quando creditur resurrectio, nullus in morte linquitur dolori locus, piaculum est lætis non aspicere mortẽ oculis. De Iob cap. 2. notanter dicitur. *Sedens in sterquilinio.* Vbi illo verbo sedens quædam alacritas animi exprimitur; qua sanctissimus vir in putredine sua de resurrectione instante lætabatur. Ita Origen. lib. 2. fatus. *Ipse sedebat super acerbũ stercoris plus sibi de ipsis vermibus, atque putredine quam olim de regni gloria complacens. Nam omnium illorum finem post hæc omnia, quæ gloriosa sunt, carnis mors expectat, & post omnem putredinem atque vermem, resurrectionem, carnis sperat.* Hæc ille. Quibus vides resurrectionis memoria quam saporet mortem. Quid plura? finiat Athanas. orat. in Christ. Ascẽs. fatus. *Resurrectionis memoria contra mortem arma hominibus ad victoriam obtinendam suppeditat.*

*D. Zen.*

*Ad Heb. 13.*

*Nyssen.*

*Iob 8.*

*Ambr.*

*Iob 2.*

*Textus*: Sed ite, dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam, ibi enim videbitis sicut dixi vobis: At illæ exeuntes fugerunt de monumento, inuaserat enim eas tremor, & pauor.

## §. XV.

### *Iniurias tibi illatas non ſtatim plectas, ſed locum dato iræ.*

venganza

REdiuiuus à ſepulchro Dominus Galileam reſpicit, quaſi Iudeæ immemor; Iudæos iniurios ſibi ſilentio præterit, feſeque Galileę regioni committit. Cur Domine ad Galileam ibis victor? Cur potius Ieroſolymis in hoſtes non deſæuis? Cur triumphum non agis de crudeliſsimis inimicis? Pulchrè Rup. lib. 2 de Oper. Spirit. Sanct. cap. 27. inquit. *Non contiRupert.*
*nuo peremtoribus ſuis manifeſtus efflagrans inſultauit, aut meritas vindictæ pœnas exegit, quod facere interdum minus prudentium hominũ eſt. Non eſt moris vel diſciplinæ eius contentioſa inuectione ſeu inſultatione feſtinatã rapere gloriam victoriæ de hoſtibus.* Diſsimulat iniurias, hoſtes obliuiſcitur aliquandiu, & alio pergit, nec cũ primum vacat ſe vlciſcitur, vt ſic vltio iuſtior appareat, & diuinior. Et tu quiſquis iniuriam pateris, ne te vlciſcaris cum primum potes, da, iuxta Apoſtoli præſcriptum, locum iræ, vindictam differ, ne ire feruore regulas excedas iuſtæ vindictę. Sanè Dauid homines illos, qui Miſphiboſeth occiderãt, ſtatim occidi iuſsit, verũ Abneris interfectorem Ioabum liberum reliquit, & poſt multũ temporis à filio ſuo Salomone iubet occidi. Cur qui adeo feſtinus in caſtigãdis nocẽtibus, adeo extitit tardus, vt trucidaret perfidum homicidam? Rationem reddit Theodoretus quæſt. 14. inquiens. *Ipſe*Theod.
*id in verbis oſtendit. Iſti, inquit, viri filij Seruiæ ſunt mihi duriores. Vnde eos tradidit Deo. Reddat, inquit, Dominus facienti mala ſecundũ malitiam ſuam. Nam vbi eſt ei facile iuſta vti ira, nulla vtitur dilatione, neque quicquam reuereretur. Eos enim, qui Miſphiboſeth occiderant, & eius caput abſtulerant extremis membris mutilatos egit in crucem.* Etenim in ſibi durum, & iniurium hominem non audet ſtatim inſurgere, veritus ne iuſtam excedat iram, ideoque vindictam differt, vt dilatione iuſtificetur vindicta. Hanc tenebat regulam ſponſus Mariæ Ioſeph, qui pregnantem animaduertens vxorem, cum eſſet iuſtus, locum voluit dare iræ, eius ſocietatem fugiens. Ait enim cap. 1.
Matth. 1. *Ioſeph cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.* Quo circa elegan-
Chryſol. ter Chryſolog. ſerm. 145. inquit Ioſeph merito iuſtus quia pius, dum pietatem cogitat, crudelitate caruit, dum cauſam temperat, iudicium cuſtodiuit, *dum vindictam differt, crimen euaſit.* O quam omnibus exiſtit fructuoſa dilatio vindictæ.

## §. XVI.

### *Inter conſpicuos virtute viros periculoſum eſt, ſi peccator appareas.*

FVlgentiſsimi Angeli conſpectum fugiũt fœminæ, nimio correptæ timore, vtinam ſic timeret ille, qui ſanctorum conuentum ipſe ſordidus intrauit. Nonne apud Matth. 22. ſponſum, & Regem maximè offendit, qui nuptiali feſto ſordidus aſtat inter conſpicuos principes? Sic D. Max. hom. in Vig. Nat. di-Max.
cit. Ille, qui in cœtu ſanctorum vocatus eſt, ad nuptias venire auſus eſt non habẽs veſtem nuptialem. Et cum alius niteret iuſtitia, alius luceret fide alius caſtitate fulgeret, ille ſolus conſcientiæ fœditate pollutus, cunctis ſplendentibus, de formi horrore ſordebat, & quanto plus ſimul diſcumbentium candebat ſanctitas, tanto magis peccatorum illius apparebat improbitas, *qui potuerat minimus diſplicuiſſe forſitan ſi in conſortium iuſtorum minimè ſe dediſſet.* Hæc ille merito ruinam hominis tribuit illius temeritati, qua ſordidus cum eſſet inter ſplendentes conuiuas auſus eſt diſcumbere. Tũc eius ſqualor magis apparuit, & Magis Regis oculos offendit, qui forſan inter alios ſordentes homines mundus poſſet reputari. Sanè mulier illa adultera à Phariſæis deprehenſa Chriſto Domino ſiſtitur Ioann. 8. Chriſtus autem, *digito ſcribebat in terra.* Quid plura? Eleganter Diu. Amb. Epiſt. 76. inquit. Ioann. 8.
Ambroſ. *Scribebat in terra: quid? Vtique dicens. Feſtucã quæ in oculo fratris tui eſt, vides, trabẽ autem, quæ in oculo tuo eſt, non vides.* Vnde adulteriũ à Magiſtro pudicitiæ reputatur feſtuca; niſi quia ab hominibus ſceleſtis deferebatur? Proh fœlix adultera! quæ nacta ſceleſtiſsimos accuſatores, inter illos apparuit quaſi munda, alioquin multo ſupplicio digna. Fugiendum illi erat virginum innocentium cũſortium, inter quas adulterium maximum appareret delictum, dignaſque pœnas lueret. Hinc conijcere licet, quam merito expaucãt iniqui iuſti ſanguinis pretij conſortiũ. Enim vero Iudas quos acceperat argenteos refudit, Phariſæi illos à ſe repellunt, de quo pulchrè D. Max. dicit. *Videte quanta vis Dominicæ ſit pe-*Max.
*cuniæ: quam inde Iudas reiecit, hinc Phariſæi in loculos non recludunt. Iuſti enim ſanguinis prætium pertimeſcit iniquitas poſſidere.* Cur non pertimeſcat iniquitas coniungi cum iuſti ſanguinis pretio? Numquam enim damnabilior

appa-

appareret, quam ex collatione cum illo? Metuat iniquitas in splendoribus sanctorum versari, metuat qui immũdus est apparere inter mundos, vt videas quam iusti timeant fœminæ incredulæ fidelis Angeli consortium frui.

3.Reg.17 3.Reg. 17. dicebat hospita ad Eliam. *Quid mihi, & tibi vir Dei? Ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum.* Eu quam crescunt ad pœnam peccata in præsentia sanctissimorum hominum! Sic Josephus lib. 8. cap. 7. *Quærebatur de aduentu hominis qui peccata eius detexisset, ideo mulctatam se filij morte dictitans.* Non quod Elias publicaret peccata eius, sed quod quæ in se latebant, ad præsentiam iusti maxima videbantur. Apud Luc. cap. 11. damnat Dominus ficulneam fructu vacuam. Sed quæ causa benignum Dominum impulit, vt ficulneam

Bernard. damnaret. D. Bernard. herẽs Gillibert. ser. 23. in Cant. sic fatur. *Forsitan, & ficulneam illam stellam, quam Dominus iussit succidi, fertiles de vicino vineæ condemnabant.* Caueat quisque fructu vacuus inter florentes, & diuites fructibus vitam instituere.

*Ex Ioann.* 20. Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum, quẽ amabat Iesus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum. Exijt ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum, currebant autem duo simul.

## § XVII.

### *Qui fide nititur in quauis rerum temporali iactura impauidus, & lætus agit.*

O Quam alij sunt fidei oculi, quam oculi carnei! qui carneis oculis vidit, quam inquietatur iacturis, quantis lachrymis prosequitur charorum amissionem! At qui viuida illuminatus est fide; tunc gaudet se inuenisse æterna cum vidit amitti tẽporalia. Accipi-

August. te D. Augustin. serm. 132. de Temp. pulchrè prædicta Ioannis verba enucleantem dum fatur. *Cum Maria Magdalena venisset ad monumentum, quam memorem Saluatoris, amissa fide, deuotio in lacrymas impellebat, videns reuolutũ à foris lapidem, cum non inuenisset in sepulchro Dominum cœpit acrius dolere, quod perdiderit, & defunctum. Mox autem ad Petrum pervolat, nuntiat inane sepulchrum queritur corpus ablatum. Petrus autem resurrectionis filij Dei, & ante crucem conscius, quam prædixerat ipse passurus sub tali nuntio non fleuit aut doluit. Ad sepulchrum celeri cursu festinat lætior rediturus si non inueniret quem quærebat.* O viuidæ fidei fulcimentum singulare! Credentem Petrum non tangit amissio tanti defuncti, imò quia credebat futuram eius vitam, lætior agit, cũ nõ inuenit sanctum quod quærebat cadauer. O te felicem, qui oculis apertis frueris fidei, hac fundatus nulla cades temporali iactura, deficiat humana substantia, euaneat salus, labet vita, ibi lætior ages, lætior viues. Pulchrè

Dionys. D. Dionys. Aroepag. cap. 7. de diuinis nominibus nobis obijcit fidelis mentis robur, & fortitudinem, tot myriades puerorum, adolescentularum, quæ tenero in corpore dura tormẽta, ferre os tyrannos superarunt. Vndè tãta teneris puellis in tormentis lætitia? Ait ille. *Etenim scit ad veritatem vnitus, vbi benè habet, etsi multi corripiant eum tanquam mente excedentem.* Scit qui fidei veritate fulcitur, vbi bene habet, scit quanta illi gaudia in futuro sæculo maneant! Quam æterna tranquillitas! Quam fœlix beatorum societas! Hinc quamcumque iacturam temporalem lætus aspicit, & quo vidit temporalia perdi, eo lætior ventura autummat. Hinc inclyti illi Machabæi apud Antiochũ eius spernunt promissa quorum ab ore aurea hæc promisit D. Gregor.

Nazianz. Nazianz. *Alius mundus nobis est, omnibus rebus, quæ oculis cernũtur, longe sublimior ac diuturnior. Patria autem cœlestis Ierusalem, quam nullus Antiochus obsidione cinget, quo circa res paruas nobis polliceri desine:* Sic humana decora dispiciunt, sic amant terreno splendore nudari, qui fidei oculis manentia bona perquirunt. Nec minus gaudent in omnium temporalium iactura, quam gaudet ille qui induturus regias, & splendentes vestes sese spoliari sordidis, & pannosis videt. De eisdem Machabæis in mortali strage lætantibus, pulchrè

Theoph. Theophylactus Alexand. epistol. Pasc. 3. inquit. *Et tamen inter hæc omnia* (tormentorum genera) *Paradisum animo deambulantes nõ sentiebant quod patiebantur; sed quod videre cupiebant.* Eo anheli aspiciebant, quo fidei alis ferebantur, lætiores extituri, si trucioribus adhiberentur rotis, Isaiæ 13. minatur. *Ecce venit* Isai. 13. *Dominus disperdere orbem terrarum.* De quo

Ambr. Ambr. lib. de Ælia cap. 21. ait. *Qui angusti est animi,*

*animi, illa non cernens, dolet, quod diſperdas orbẽ. Sed qui nouit expectare, quæ inuiſibilia ſunt, gaudet, vt venias, & omnes liberes.*

*Textus.* Et ille alius diſcipulus præcurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. Et cum ſe inclinaret vidit poſita linteamina, non tamen introiuit.

## §. XVIII.

### *Honeſtiſsima eſt de virtute æmulatio, & contentio.*

OVtinam ſic omnes virtutis amore exardeſcerent, vt indigne ferrent, ſe ab alijs præueniri: imò toto mentis conamine alios vincere, & ſuperare contenderent. Id monebat Nazianz. orat. 2. de Paſ. præſentem Ioãnis locum premens his verbis. *Petrũ, & Ioannẽ imitare, ad ſepulchrum propera ſimul ac certatim currens, ac honeſta æmulatione contẽdens.* Honeſtum eſt, glorioſum eſt, ſi non patiare in virtutis ſtudio vinci, imò ſi omnibus præferri ſtudeas. Nonne hanc æmulationem Dominus commendabat, cum Apoc. cap. 3. dixit. *Caue ne alius accipiat coronam tuam?* dixiſſet etiam conare alterius coronas præripere, dum omnes virtutis ſtudio ames ſuperare. Quis non frontoſum illũ Magdalenæ affectũ miretur, quo in domum Simonis ingreditur, vt ſibi Chriſtum Dominũ ibi diſcumbentẽ acquirat? Fœmina ſic audet intrare Phariſęi domum? Nonne expectaſſet, vt egreſſum Dominum conueniret? ſed inerat illi æmulatio, nec patiebatur Dominum ab alio preſsius poſſideri; ſed contendit illum ſibi præripere. Eleganter id attigit D. Paulinus epiſt. 4. ſic monens ex facto illo. *Quoniam ſpiritus vbi vult ſpirat, & audio vocem eius, & neſcio vnde veniat, igitur vbicũque auram captabo, vndecũque vel tenuem halitum legam; vel indigni, vel in domo Phariſæi audiam inſtum veniſſe, contendam præripere hoſpitis gratiam, præripere ſi poſſem Regnum cœlorum.* Fœlix contentio, & æmulatio! O quoties ſancta obtinet æmulatio coronas: quas pene longa deſidia eripuerat. Nouit hoc qui pigros, & diſsidioſos Iudæos repellens præfecit illis populum Gentilem. Proh Deus immortalis! Sic prædilecto populo pluris æſtimas gentes? Cur magis idôlolatras vocas ad coronas Abrahamidum? Sic Abrahamides odiſti? Imò quia Abrahamides amabat gentes vocauit, quas æmulatos traheret Hebræos efficacius ad gloriam, alioquin perituros. Sic D. Leo ſerm. 5. in Epiphan. loquutus: *Optandum nobis eſt, & ſtudendum vt, & hic populus qui ab illa ſpirituali patrum nobilitate deficit, ramis ſuę arboris inſeratur.* Multum enim nos Deo benevolentia iſta commendat: *Quia ideo delictum illorum nobis miſericordia locum fecit, vt eos ad æmulationem ſalutis recipiendo, fides noſtra reuocaret.* En tibi quantum valeat æmulatio. Imò tam potes eſt, vt eius vi Chriſtus Dominus duriſsimos Iudæorum animos ad aliqualem virtutem emollierit. Licet enim modo perfidi, & obſtinati inueniantur Iudæi, longe tamẽ à priſtinis gentis ſceleribus abſunt. Non enim ſacrificant filios ſuos dæmonijs, nec idola colunt, quod in eis perfecit Chriſtus, mediante ſua illorum, noſtri æmulatione. Ita D. Chryſoſt. in Pſalm. 8. dicens. *Quod vos lex nõ docuit, hoc ex redundanti copia fecit Chriſti potentia. Quandiu enim legem habuiſtis, & occidebatis, & filios mactabatis, & adulterabatis: poſt quam autem illuxit Sol iuſtitiæ, de veſtris malis multum deceſsit, & moderatius vitam inſtituitis, correcti per veſtram in nos æmulationem.* Vtinã noſtris animis hæreat hoc calcar, à nemine in virtute patriamur ſuperari. Sic omnes cõtẽdamus, ſic pugnemus vniuerſos antecedere, & gloriæ coronas alijs præripere è manibus. Sanè hoc cauebat Abraham, Geneſ. 18, quando in ipſo feruore diei excubabat ad oſtium tabernaculi, vt peregrinos tranſeuntes ſuo inferret hoſpitio. Quorum tribus viſis, *cucurrit obuiam illis.* Et cur cucurrit? ne quidem ſibi hoſpitalitatis fructus ab aliquo alio præriperetur. Vndè meritò D. Ambroſ. lib. 1. cap. 5. inquit. *Diſce quam impiger eſſe debeas, vt poſsis præuenire hoſpitem, nequis præueniat, & te boni muneris defraudet.* Sunt boni æmulatores, qui diuini obſequij occaſiones nituntur præoccupare, qui virtutum palmas, & coronas etiam aliorum, è manibus contendunt præripere; quare vigilandum eſt, pugnandũ eſt, currendum eſt illi, qui cupit corona ſua non fraudari. De caſu, & occurſu Abraham, pulchrè D. Chryſoſt. ait, *Currit & volat ſenex, vidit enim prædam, quam venabatur. Non vocauit famulos, quaſi diceret. Magnus theſaurus eſt, magna negotiatio, per me ipſum hanc mercedem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum.* Neminem expectare debes, ſi brauium rapere cõcupiſcis. An qui in ſtadio currunt expectant ſe ſe, an ſinguli eo ſpectant, vt cæteros anteuertant, & brauium præripiant? Et hi quidẽ, vt corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam.

Nazianz. Apoc. 3. Paulin. D. Leo. Chryſoſt. Geneſ. 18 Ambroſ. Chryſoſt.

## §. XVIII.

### *Væ qui in virtutis curriculo breuem, & determinatum finem sibi præfigunt, in quo semper progredi deberent.*

ECce tibi in Ioanne currente, & non introeunte sepulchrum, illi notantur, qui in virtutum prosequutione currunt quidem, & fatigantur, nunquam tamen virtutis recreantur fructibus, quia certos sibi fines præfigũt, quos dum nolunt præterire, quasi in gyrum currentes nunquam proficiunt. Meritò isto Ioannis exempli monebat illos Nazianzen. *Nazianz.* orat. 2. de Pas. inquiens. *Quòd si celeritate anteuertaris, studio vince non circumflexo corpore, in monumentum prospiciens, sed in ipsum ingrediens.* Sanè Ioannes præcurrens Petrum vbi sepulchrum attigit, non processit; sed corpus rotauit, & circumflexit, vt de foris prospiceret. Proh inanis cursus, qui in orbem deficit! is quidem cursus & te vexat, & frangit, nihilominus tamen nullum in stadio profectum acquirit. De his pulchra similitudine dixit D. *Basil.* Basil. in Const. cap. 9. *Multi serpũt, nihil promouent, similes iumentis, quæ ad molas deligata, cum ingredi continenter non cessant, eodem tamẽ vsque in spatio semper reperiuntur, & fracto laboribus corpore, ipsa tamen vltra exigui loci fines egressa non sunt.* Quid pulchrius? Compone tibi iumenti ad ergastulum religati speciẽ; sanè duris fustibus agitur, flagella sustinet, toque conamine currit, & post mille cursus intra loci breuissimi spacium inuenitur. Interim alia pedetentim octo, aut amplius leucarum spatium superarunt, & oblatam requiem inuenerunt. Cur hoc discrimen? quia illud cursus sui determinatos fines præscriptos habebat, per quos circumagebatur, ideoq; post cursus, post labores nõ proficiebat. Heu quot sunt, qui ante lucani sese ad currendum accingunt, & fracti cursibus, & laboribus exigui spatij metam nunquam excedunt, nec inde proficiunt! Vtinam hi lentiori gradu serperent, vtinam tantum ambularent, dum non deficerent, dum circumflexo corpore nunquã sisterent; impositio virtutis termino, sed semper ad anteriora pergerent; sanè obtinerent *Aristid.* brauium. Sapienter dixit Aristides in p. Platonica. *Quin etiam in Gymnicis certaminibus non eos, qui primi nomen dederint, victoriam reportare, verum qui id, ad quod nomen dederint optimè factis comprobarint. Idque vbique obtinet, vt in ipsis quòque præmijs, adeòque cursus ipsius, non ijs, qui initio retulerint, sed qui præterierint signum detur.* Quid enim tibi proderit, quod ante lucanus in stadio omnes alios præueneris, & quod præcurreris, si intra certum spatium cursum tuum definis? Quid iuuat maturasse salutis cursum, si breues tibi statuis virtutum fines, vltra quos nullis calcaribus ageris. Sanè præmium virtutis non datur ijs, qui velociores, & primi sunt, sed ijs, qui prætereunt, & vsque in vltimum finem non cessant proficere, qui semper profectui studeant. Hinc mirari desinam vocem illam Christi Domini apud Matth. cap. 18. nimirum, *Matt. 18* *nisi efficiamini sicut paruuli non intrabitis in Regnum cœlorum.* Quid in paruulis reperitur, sine quo cœlorum Regnum non attingitur? Sanè hoc naturalissimum habent paruuli, quod omni tempore siue dormiant, siue vigilent, siue ludant, siue otientur, semper tacitis augmentis corporis accrescunt, & proficiunt. Horum igitur est Regnum cœlorum, qui semper virtutum augmento, & accretioni studeant. Ita Tertullian. lib. 4. in Marcion. inquiens. *Ecce Christus diligit paruulos, tales esse docens debere, qui semper maiores esse velint.* *Tertull.* Non qui incipit, & cessat; sed qui nunquam à profectu desistit, is cœlorum teret limen. Nonne mysterio dicitur, Genes. 12. *Proficiens crescebat Isaac?* *Genes. 12.* Accipite de hoc Nyssen. homil. 2. in verba faciamus hominem, &c. Vbi sic fatur. Augmentum fit contemplatione, pietatis cultu, dum ad meliora progredimur, dum quod præcessit post nos relinquimus, & ad id pietatis, quod reliquum est contendimus. *Talis erat Isaac, de quo scriptura prodit, quod proficiens crescebat, donec magnus effectus est: neque enim consistebat, neque paululum auctus decrescebat; sed magnis semper spatijs progrediebatur. Crescebat virtutum studijs, & officijs, crescebat iustitia, & pietate.* Fœlix, qui magnis spatijs progreditur, qui crescere non cessat, donec in Regno cœlorum magnus efficiatur. Huc referam illud D. Zenonis serm. 3. ad Neophyt. Vbi sic. *Beatus est semper, qui meminit, quod renatus sit; beatior, qui non meminerit fuisse, antequam renatus sit; beatissimus, qui infantiam suam prouentu temporis non mutauerit.* Nihil enim magis beat hominem, quam in ea manere vita, qua semper, & indesinenter crescat, nec desinat progressus facere. Hanc spiritualem infantiam senibus Baptistæ parentibus tribuit Lucas, cap. 1. dicens. *Ambo iusti ante Deum incedentes in omnibus mandatis.* Vbi eleganter Chrysolog. sermon. 91. *Incedentes dixit, vt eos ostenderet cucurrisse, virtutibus non sletisse; & ambulasse in via iustitiæ.* *Chrysol.*

*ſtitia: nec remanſiſſe in itinere mandatorum, ſed ad mandatorum plenitudinem peruenisse.*

*Textus.* Venit ergo Simon Petrus ſequens eum. Et introiuit in monumentum: & vidit lintea mina poſita,&c.

## §. XX.

### *Contemplatio addit alas; ſed actio coronat opus.*

COmmuniter in hoc Ioannis facto notant Myſtæ contemplationis,& actionis efficaciam; volant quidem & præcurrunt cõtemplatiui; at qui feruentes in actione viuũt, in requiem Domini fœlicius ingrediuntur.

*Nicet.* Ita Nazianzen. Scholiaſtes, orat. 2. in Paſc. *Studio autem contemplationis alumnum ſuperat, qui actiua virtute inſtructus eſt, vtpote laborioſior.* Quam volauit Paulus dum contemplationi inſtitit? non ne raptus dicitur vſque ad tertium cœlum, & inde gloriam Dei rimatus eſt? Ad tertium vſque cœlum peruenit; ſed non cœleſtia penetralia intrauit, quin iuberetur operi, & labori incumbere, & viriliter in ſtadio decertare. Id quod

*Cyr. Iero.* attigit D. Cyrill. Ieroſolymit. Cathec. 14. fatus. *Imò deſcendit Paulus iterum, non quod dignus non eſſet conuerſatione cœleſti; ſed vt guſtatis ſuper cœleſtibus, honoratus deſcendens Chriſtum prædicaret, & pro ipſo moriens coronam martyrij potiretur.* Potuit contemplatiuus perpeti volatu cœleſtia attingere; ſed non admittitur ad coronam, niſi qui in ſtadio deſudauerit. Quippe perfectionis coronę laborantibus,& deſudantibus offeruntur. Id quod eleganter

*Iſai. Abb.* notauit B. Iſaias Abbas, orat. 5. dum enim in Rachele contemplationem, & in Lia actionem conſtituit, ſic inquit: *Cæterum Rachel filios non genuit, antequam pareret Lia, & Iacob ipſe ſeruiret. Ex quo intelligimus hominem, niſi prius labores in excolendis virtutibus pertulerit, non poſſe ad veræ perfectionis libertatem aſpirare.* Ille intret in gaudia Domini, ille intima perfectionis penetralia luſtret, qui laboribus pro virtute acquirenda innutritur, qui actiuę ſollicitudini indefeſsè, & ſtrenuè incumbit.

*1. ad Cor. 12.* Nonne dicebat Paulus 1. Corinth. 12. *Non poteſt oculus manui dicere, opera tua non indigeo?* Nunquam ſanè oculus immarceſcibilem coronam attinget; niſi laborantes præmittantur manus. Rectè D. Gregor. Nyſſen. hom. 14. in Cant. *Non poteſt oculus manui dicere non mihi te opus eſt: nam tunc maximè vis oculorum conſpicitur, quum ipſa opera teſtimonium oculorum acumini perhibent, per ſtudium præclararum rerum egregiè ſe duci declarantia.* Sanè Petrus teſtimonium Ioanni perhibet, ipſe intra ſepulchrum introens, ſic actiua, ſic operum labor teſtimonium dant ſpeculationi; dum per egregia facta coronas prætendunt immortales. Nonne Moyſes in monte orationi inſtabat? tamen victoria ex Amalec, illius reſpondebat manibus. Rem ponderat D. Baſil. in

*Nyſſen.*

*Baſil.* 1. Iſaiæ fatus. *Moyſi manus dimittente præualebat Amalec, hoc eſt, noſtra operatoria, & actiua facultas, ſi quando fatiſcet, ac poſternetur aduerſus nos præualent aduerſaria potaſtes. E diuerſo, cum manus fuerit in ſublime expanſa per diſcretam operum diſtinctionem, tũc mentis noſtra perſpicitas aerioris reſumit vt res.* Itaque non oculos, non mentem, ſed manus, nimirum, actiuam victoria commitatur.

---

# CAPVT II.

## *Chriſtus Dominus reſurgens Matri, & Magdalenæ apparet.*

OCEANI amarulẽtos fluctus Sol roſeus Chriſtus relinquens, altiſsimum perfectionis mõtem Mariam lætis radijs illuſtrat. Deinde cryſtallinis lacrymantis fontibus præſentatus matutinum almæ. Veneris ſydus Magdalenam præmittit noui ſplendoris nouique ortus nuntiam.

## §. I.

### *Virgo Maria prima triumphatoris filij gloriam ſpectauit.*

QVos oculos priùs requireret nobilis, & diuinus triumphator, quàm & matris, & Reginę creaturarum oculos? Equidem eleganter D. Chryſoſtom. homil. 3. in cap. 2. *Non*

*Chryſoſt.* *vides aurigas, qui præcurrentes totam illam ſtadij partem, qua vniuerſa ciuitas è ſublimi ſpectat ſedes in equeſtri certamine; ibi contendunt concertatorum currus ſubuertere, vbi Cæſarem vide-*

*viderint ſedentem, & vnum oculum digniorem, cui fidant, ducunt, quam tot hominum vultus?* Quippe ea omniũ hominum eſt natura, qua in facinoribus ſuis ſpectari gaudent â regalibus oculis; & vnum aſpicientis Regis oculum digniorem, cui fidant, habẽt, quam multitudinis cõſpectum. Nec crediderim triumphatorem Orci alio priùs ſpectaſſe, quam vt ſeſe creaturarũ Imperatrici præſentaret; eo primo contendit triumphalem omnem gloriæ ſuæ pompam conuertere, vbi Mariam nouit ſedentem, vtpotè oculos digniores, quibus placeret, ducebat, quam omnium creaturarum etiam Angelicarum vultus. Vndè Rup. lib. 7. de diuin. Officijs cap. 25. aſſerit. *Rediuiuus filius, illi ante omnes mortales, materno Virginem non defraudans honore, victoriam ſuam annuntiauit.* Quibus in verbis illud eſt ſingulare, nimirum; materno virginem non defraudans honore, etenim apud profanos vbi ſeuera lege à triumphis, & certaminis olympiacis conſpiciendis fœminæ vniuerſæ arcebantur, vna tamen Phærenices admiſſa eſt, cuius oculis ſe ſe olympiones præſentarent. De quo Alexand. ab Alexand. lib. 5. Genial. cap. 8. dicit. *Neque ad ſpectandum mulieres admitti lex cauet, præter vnam Phærenicem, quæ mater, & filia, & ſoror olympionicarum fuit.* Vbi ergo Maria, & filia, & ſoror, & mater triumphatorum extitit, ne materno fraudaretur honore, admitti prima debuit ad glorioſum, & filij, & parentis, & fratris triumphum, & ſpectaculum. Præterquam quod cœleſtibus, hoc eſt, innatum corporibus, vt matri, à qua originem ducunt primas cedant, & maximo in honore habeant. Quod ſubtiliter obſeruatum inueni in corporibus cœleſtibus, quandoquidem terrena corpora à terra nata matrem ſub pedibus calcant infimoque loco habent; verum cœleſtia, vt ab aquis originem ducunt, ſic matrem extollunt, eique primas cedentia aquas ſuper cœlos collocatas habẽt. Hinc rediuiuus Saluator, totuſque cœleſtis factus ante omnes mortales matrem honorans illi primas ſui triumphi glorias dedicauit Fallor, niſi huc reſpexit illa Methodij ad Virginem ſalutatio, nimirum. *Salue humanitatis filij fons, ſalue Spiritus ſancti vmbroſe mons.* Vt autem pateat, quo ſale dicatur Virgo humanitatis filij fons, videndum eſt quam aptè dicatur Spiritus Sancti mons. Enim verò vbi Maria Apoſtolicis omnibus comitata viris Spiritum ſanctum expectabat, tunc quaſi mater terrenarum, & mortalium, ſic præpoſitis filijs ipſa vltimo, & infimo conſidebat loco. Ait enim Lucas, Act. 1. ſingulis percenſitis Apoſtolis. *Hi omnes erant perſeuerantes in oratione cũ mulieribus, & Maria Matre Ieſu.* Quod miratus S. Bernard. ait. *Ita nè, & mulierum ſeſe vltimam exhibebat, vt nouiſſima poneretur?* Quid ni? Tunc terrenorum matrem agebat in infimis filiorum conſtituenda. Vndè præclarè tunc à Methodio dicitur mons, at verò in Saluatoris glorijs non mons; ſed fons notanter appellatur, vt cœleſtis filij erga matrẽ comitas notaretur. Sicut enim aquæ eo ſunt in honore filijs ſuis cœleſtibus, quo primas inter illos habent, ſic Maria aquarum æmulata glorias eum filiũ protulit, à quo præ omnibus ipſa extolleretur.

Rupert. Alex. ab Alexand. Orat. in hypop. Domini. Act. 1. Bernard.

*Ex Ioan.* 20. Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum. Et vidit duos Angelos in albis ſedentes, vnum ad pedes, vbi poſitum fuerat corpus Ieſu.

## §. II.

### *Qui externis acquirendis bonis ſtudet, non expers erit fletus.*

PVlchrè vocauit Caſiodorus magna externorum bonorum ornamenta, *& timida, & tremula*, neceſſarij enim illorum caſus nil poſſidenti certius pariunt, quam timores, quam lacrymas, quam lamenta. De inclyta illa Prouintiarum Principe Ieroſolyma, ſic Ieremiæ dixit flebilis camena Thren. 1. *Sordes eius in pedibus eius, nec recordata eſt finis ſui: depoſita eſt vehementer non habens conſolatorem.* Ecce tibi tota ciuitas luctibus, tota fletibus tradita abſque conſolatore, ſed vndè fletus hi euenerunt? Cur & conſolatorem in luctu perdidit? An lamenti cauſam inſinuat dum ait, ſordes eius in pedibus eius? O vtinam gloria eius filiæ Regis eſſet ab intus, non ad terrena, & lutea bona egrederetur; ſed intima, & cœleſtia bona deſpiciens pedes in acquirendis bonis externis ſordidauit, & ex inde non potuit effugere lamenta, ſeſe luctibus, & lacrymis dedit Accipite Rupert. lib. 1. in Ierem. cap. 21. *Sordes, inquit, eius in pedibus eius. Quæ recorda re debuiſſet finis ſui, vt terram ſordidam non tãgeret pedibus, non ambiret terrena; ſed corpore* Thaen. 1. Rupert.

*hic exulans mente conuerſaretur in cœlis. Non ſic fecit; ſed diſpoſita eſt vehementer amando terram, & obliuioni tradendo altitudinem cœli, non habens conſolatorem.* Sanè ſcaturiunt lamenta ex puluere pedum, vbi pedes affectuum domi ſe continent, intimis animi bonis figuntur, intrinſecus ſtant aſpicientes in cœlum, ibi exſiccata eſt lacrymarum vena. At cum primum pedum ſordes eorum egreſſum ad exteriora notare cœperint, tunc patulo ſe ſe ore promunt ea lacrymarum fluenta, quæ nullo conſolatore impediri queant. *Ambr.* Hinc eleganter S. Ambroſ. lib. 3. de Virginib. premit illa Ioannis verba, nimirum, *Maria ſtabat ad monumentam foris, plorans*, quaſi inde fieret, quod tota inhiaret externis bonis, ait enim. *Quæ foris eſt plorat, nam quæ intus eſt plorare non nouit.* Neſcit lacrymas qui internis animi bonis dat operam, verum Maria hæc ſolum corporalia, & exteriora bona requirens fletibus, & lamentis immergitur. Sic *Luc. 13.* ex Luc. 13. ait Tert. lib. 4. in Marcion. *Illic erit fletus, & frendor dentium. Vbi? foris ſcilicet*, quippe forenſia bona omnigenis fletibus ſudant. Hanc in mundialibus bonis fletuum ſcaturiginem nouit qui di- *Pſ. 101.* xit. Pſalm. 101. *Dies mei ſicut fumus tranſierunt.* Quæ verba ſic in rem præſentem *Chryſ.* tractat S. Chryſoſtom. homil. 2. in Matth. fatus. *Nonne vides etiam corporis oculos, cum in fumo remorantur, lacrymas ſemper effundere ſi vero potiantur florentibus pratis, & hortis virentibus multo maiore aciei fulgore rutilare? Talis profectò eſt, & mentis oculus, ſi in pratis ſpiritualis paſcatur eloquij, erit totus purus, & lucidus; ſi vero in fumum ſæcularium negotiorum fuerit ingreſſus, ad innumera prorſus mala lacrymabitur ac flebit.* Fumus cum ſint externa omnia decora, corporalia quæque ornamenta, procul ſepara ab illis oculos tuos, ni velis lacrymis, & lamentis moueri. Quippe externis bonis opulentiſsimi hominis meminit S. Lucas his verbis. *Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus ager attulit, & cogitabat apud ſemetipſum quid faciam?* Spectarentur forſan in diuite meſſe cantilenæ, verba lætitiæ, & iubili plena, at non hæc; ſed quæ anxietates, & moleſtas curas ſonabant, ait enim totus anxius, & miſera- *D. Zen.* bilis. *Quid faciam?* Quo circa S. Zeno ſerm. de duplici tentat. gen. ait. *Quia inquit faciam? Quis non talem miſeretur? Quis non infœlicitatem eius doleat? Angustiatur ex abundantia, conſtringitur ex opulentia, infœlix in præſentibus bonis, infœlicior infuturis. Et, vt video, ager ei non tam reditus largiores, quam gemitus attulit grauiores.* Hos parturiunt fructus agri omnes terreni, hæmetuntur ſegetes ex præſentis temporis bonis, & ſemen, & meſsis plena lacrymis, plena lamentis.

*Text.* Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis: quia tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum.

## §. III.

### *Quum Deus nobis per peccatum auferetur, maximè timendum, eo quod ignoremus, an in æternum auferatur.*

HÆC iuſti in Magdalena planctus cauſa, non ſolum, quod ablatus ſit Dominus; ſed quod ignoret vbi poſitus accubet, *& neſcio*, ait, *vbi poſuerunt eum.* Diuini ſpiritus mores hi ſunt apud Ioannn. 3. *Spiritus vbi vult ſpirat, & neſcis vnde venit, aut quo vadit.* *Ioann. 3.* Ex quibus verbis merito nobis magnum timorem de abſentia Dei innuit Alfredus dum *Alfred.* inquit. *Neſcis vnde veniat, cum neſcis, vtrum amore an odio dignus ſis, & vtrum miſericordiã præroget, an mercedem reſtituat, an exerceat iudicium ſcire non poſsis. Neſcis, & quo vadat, vtrum videlicet è vicino ſubſiſtat poſt modum reuerſurus, an longius eat poſt multum temporis rediturus, an offenſus recedat nunquam denuo reuerſurus.* Timenda res, & maximis fletibus digna, quando abeunte Domino, neſcitur vbi ſubſiſtat, & qua redeundi voluntate ſit. Sæpius Magdalena abſentem habuit Dominum; ſed quem facilè lieris repetebat, vt Lazarũ fratrem ſuſcitaret; etenim ſciebat quæ loca Saluatorem tenerent. Modò tremens abſentem plorat, quia neſcit vbi poſitus requieſcat, an eo migrauit, quo rurſus venire nollet. O quam ſapien- *Nazianz.* ter monebat Naz. orat. in ſanct. Bapt. ſuſcitatũ Lazarũ cernẽs, his verbis. *Caue, ne rurſus emoriaris, fumibuſque peccatorũ cõſtringaris, incertũ eſt enim, an rurſus ad vitam excitãdus ſis.* Quaſi diceret, dũ ſcis facilè Dominũ è vicino reuocari poſſe, ne animũ mortuũ expaueas, ad vita proculdubio reuocaberis. Sed caue iterum mori, caue iterum peccatis vitalem Chriſti ſpiritum abigere, incertum eſt enim quo abeat, vbi ſubſiſtat, an venire iterum ad te vellet,

vellet, per congruam cogitationem, vel in æternum te derelinquet. Ponite vobis ob oculos fallax illud consilium, quo nisus Sanson
*Iud. 8.* misere in hostium manus deuenit. Iud. c. 16. qui Dalidæ Lænocinijs captus, in eius gremiu, & somno, & laqueis secure semel, & bis, & ter se dedit, & toties incubãte crinibus suis spiritu à somno, & laqueis facilè se expediebat. Factum tandem est, quod dum iterum fallaci gremio se dormiturus committeret, eius dormientis crines abraderentur, tunc inimicorum clangore excitatus, *de somno consurgens dicebat in animo suo, egrediar, sicut antea feci, & me excutiam; nesciens quod recessisset ab eo Dominus.* Duo in his verbis expende. Alterum, quod nesciret absentiam irreuocabilem Domini; alterum quod sic nesciens diceret egrediar sicut antea feci. O communis hominum perditio, eo quod aliquoties se à laqueis mortis liberauerint, dante Domino, non dubitant iterum illaqueari nescientes quod Dominus recesserit, & an vellet iterum reuertere per congruam cogitationem. Sic
*Ambr.* pulchrè de Sansone fatur D. Ambros. epist. 70. *Ex somno experrectus faciã (inquit) sicut so leo, & excutiam me super aduersarios; sed neque animi sui alacritatem, nec virtutem agnouit, nec vigor erat, nec gratia manebat.* Vtinam nemo Sansonem æmuletur, & sine conscientia assistentis gratiæ Dei, qua se ab hostibus possit excuterè, se commitat somno, & peccatorum
*Matt. 24.* retibus. Monebat Dominus, *orate ne fuga vestra fiat hyeme vel Sabbato.* Quod premens D.
*Cæs. Arel.* Cæsar. Arel. hom. 42. inquit. *Quasi aperte dicat, videte ne tunc quaratis peccata fugere, quãdo iam non licet ambulare.* Sed potius omnes Magdalenam æmulemur, quæ dum nescit vbi quiescit ablatus Dominus, nil aliud sibi faciendum putat quam lugere.

*Textus*: Hæc cum dixisset conuersa est retrorsum; & vidit Iesum stantem, & non sciebat quia Iesus est. Dicit ei Iesus: Mulier quid pluras?

## §. IIII.

### *Humilitas carnis nostræ Deum gloriosiorem Angelis reddidit.*

VNdè nouit Maria retrorsum aliquem venire, ad quem videndum conuersa est? Iuxta D. Thom. in Cat. vidit Maria Angelos assurgẽtes, & figura, & inspectione, & motu nouum alicuius ingressum notantes. Porrò Angeli dum ad sepulchrum sederent, Deũ claro intuitu videbant, & tamen sedebant, & cùm primùm Iesum accedentem vident, statim assurgunt, & figura, & motu corporis nouam animi reuerentiam notantes. Cur hoc? An humilitas Saluatoris, & vilitas nostræ carnis Deum venerabiliorem, & glorioſiorẽ reddebant Angelis? Ita planè Isaias cap. 6. vi-
*Isai. 6.* dit Dominum Angelicis spiritibus stipatum, etenim illi aderant Cherubin senis condecorata alis, *duabus velabant faciem.* En ante Dominum, ante filium hominis Cherubin astantia velant facies alis, à Deo vili carne induto splẽdidiores gloriæ radios fulguratos minimè ferentes. Accipite D. Chrysostomum homil.
*Chrysost.* 2. ibi sic fantem. *Alas vice murorum abijciunt non ferentes radios illinc proficiscentes, & tamen id quod apparebat ad nostram imbecillitatem sese demittebat. Quid ait, dimissio erat quod videbatur? Erat, sed Dei.* Etenim Deus humilitate radians intolerabilem protendebat gloriam oculis creatis. Ea est humilitatis, & submissionis vis, quæ supra modum cæteras glorias extollit, & radiare facit. Miraberis? Sed ecce tibi apud Danielem cap. 8. Angelus
*Dan. 8.* hominis indutus habitu vati apparuit, quo viso, ait: *Cùmque venisset pauens corrui in faciem meam.* Itaque apparente Angelo in figura hominis Daniel pauidus ad terram dimittit
*Chrysost.* faciem. Vndè eleganter Chrysostomus vbi suprà. *Etenim si Daniel non sustinuit Angelũ sese ipsi demittentem videre; sed pronus iacuit quid mirum si Seraphin expauefacta sunt non sustinẽtia maiestatem illam intueri,* nimirũ dimissam, & humiliatam. Humilitas iuncta angelicis perfectionibus sic extollit, sic illustrat Angelum, vt eius gloria oculos opprimat humanos. Humilitas ergo, & vilitas nostri habitus iuncta Deo sic Deitatis acuit gloriam, vt eam venerabiliorem, & fulgentiorem oculis angelicis faciat apparere. Hinc Paulus ad Phi-
*Ad Phil. 2.* lipp. 2. *Humiliauit semetipsum, inquit, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod, & Deus exaltauit illum, &c.* Quæ verba premens D. Am-
*Ambr.* bros. serm. 20. Psalm. 118. *Laborauit Apostolus demonstrare quanta sit humilitatis gratia, quantus eius profectus accipe ergo argutis auribus si putas, quod Christo profuit humilitas sua cui ergo non proderit? Si illum exaltauit, quem non augebit?* Ambiamus igitur nos hanc humilitatem, & demissionem, quę ipsum Deum Angelorum oculis venerabiliorem facit.

*Text.* Illa exiſtimans, quia hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, vbi poſuiſti eum, & ego eum tollam.

## § V.

*Vnus ille verè dolet abſentiam Domini, qui propriis operibus inuenire laborat, vbi verus dolor de peccatis oſtenditur.*

O Quàm verè dolebat de ablato Domino, quæ nulli parcit labori, vt inueniat, quæ nullum locum expauet; ſed ait: *Dicito mihi, & ego eum tollam.* Vbi eleganter Origen. *O inefſabilis mulieris audacia, nullum locum excipit nullum anteponit, ſine timore dicit, abſolutò promittit, dicito mihi, & ego eum tollam!* Sic ſunt affecti, qui verè amiſſum per peccata Dominum dolent, imò hinc elucet quantus ſit in animo dolor, ſi ad paruum laborem ſubeundum expauet, ſi ad operis exhibitionem pigreſcit, ſi diligentiam recuſat adhibere. Multi dicunt, ſe de amiſſo Deo dolere, & maximè dolere, à quibus ſi quæras quam diligentiam adhibuerint, quem laborem in ſumpſerint, vt perditioni ſuæ inferrent medellam, nihil prorſus ab illis inuenies factum; ſed nec facere in tendunt. His ſeſe ipſos fallunt, dum ſe verè de pec Geneſ. 22 catis credunt dolere. Ecce tibi Abraham iuſſus iugulare filium, gladium exerit, & Iſaac iugulandus ceruicem animoſus prætendit, in quo conflictu Deus arietem obiecit, & Abrahami dexteram, & Iſaaci ceruicem auertit. Quem horum imminentem iam Iſaaci mortem magis verè doluiſſe credis? Sanè Abrahã pater erat, nec dubito, quin in vnici pignoris internectione vehementer affligeretur; ſed & Iſaac iuuenis ſub gladij acie doleret. Quid plura? Accipite D. Zenonem pulchrè rem diffinientem his verbis. *Solus Deus doluit, qui aliam victimam procurauit.* Vbi expendo vndè concludat, Deum ſolum doluiſſe, nimirum qui aliam victimam procurauit. Sanè etſi patris, & filij viſcera ſub gladio tranſfigerentur, nullum eorum dolor putatur, qui nullam fecere diligentiam, vt funeſtum illud ſacrificium auerterent. Ille ſolus, nimirum Deus doluit, qui vt vidit periculum appropinquare, arie-

Origen.

D. Zen.

te oblato, illud procurauit auertere. Non verè de peccatis dolet, qui remedium non procurat peccatis, qui ſeſe non offert labori, & ſudori, vt tantum malum abigat, & ſibi Dei gratiam quibuſcumque periculis tollat. Proh quàm falsè dolebat de ſceleribus ille diues epulo cùm iam poſitus in tormentis aiebat Luc. 15. *Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aqua, & refrigeret linguam meam.* Quid miſerabilius, nec vt à tantis tormentis liberaretur, ipſe laborare volebat, nec digitum intingere aqua? Hinc grauiter monet Abbas Cellenſ. de panib. cap. 25. *Plenam itaque manum ſanguine Redemptoris non extremum digitum in aqua tinctum expoſcat conſcientia de grauibus confitentis: nec alterius tamen; ſed proprio digito velit mouere, & amouere pœnam, quam malè animum mouendo ſibi admouit.* Expendo illud, nec alterius; ſed proprio digito velit amouere pœnam, quippe dolor confitentis peccata ſua, nec laborantis, nec ſatisfacientis proprio labore, vbi facultas eſt, nec ingens difficultas, is dolor futilis eſt, falſus eſt, epulonis impœnitentis eſt; at veræ pœnitentiæ dolor, & digitum, & manum, & pedes proprios adhibet, vt pœnam debitam peccatis amoueat. Solus enim ille dolere cenſetur, qui aliam victimam pro anima ſua procurat, nimirum, mactationem affectuum animalium, qui nulli labori parcit, vt Deum ſibi acquirat. Qui ex toto animo ait, dicito mihi, vbi poſuiſti eum, & ego eum tollam, id eſt, dicito modum inueniendi Deum, non refugio laborem, non expauefco dolores vndecumque eum quæram, & tollam. Ita Magdalenæ voce D. Chryſoſtomus. *Si tuliſti eum tantùm per te oſtende locum ego paro humeros meos, & tollo tecum.* O verè pœnitentis præparatio, ego paro humeros meos! Vide verum dolorem, & pœnitudinẽ illorum, qui adèò miſericordiam ambiunt, vt pœnæ impoſitæ ipſi addant maiorem. Apud Ionam cap. 3. dicitur. *Crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis à maiori vſque ad minorem.* Quod meditans D. Hieronym. ait. *Viri non prædicant ſaccum, ſed ieiunium tantum, at verò ij, quibus pœnitentia indicitur, conſequẽter ad ieiunium, ſaccum copulant, vt ambitioſius Dominum deprecentur.*

Luc. 15.

Abb. Cel.

Chryſoſt.

Ion. 3.

Hieron.

§. VI.

## §. VI.

### *Vbi Iesus adest, omnia virent, & florent.*

VIsus fuit Magdalenæ Iesus hortulanus, & meritò quandoquidem Iesu præsentia marcidæ virtutes florent, & sterilis terra humani cordis virenti honore vestitur, & mille frugũ partus concipit. Pulchrè D. Greg. ait. *Forsitan nec errãdo hæc mulier errauit, quæ Iesum hortulanũ credidit, an non ei spiritualiter hortulanus erat, qui in eius pectore per amoris sui vim summa virtutũ virẽtia plãtabat?* Vndè marcescẽs fides Magdalenæ viresceret; ni diuini sensisset culturam hortulani? Hortulanus Iesus, qui vt accedit sterile solum fœcundat, floribus condecorat, ditat fructibus. Quid magis sterile, quàm peccatoris cor? Et tamen ad præsentiam Iesu terrena corda peccatorũ salsugine deturpata, florenti fœtuum spe pinguescunt. Allata fuit mulier adultera ad Iesum, Ioann. cap. 8. imò vehementer à legis Doctoribus accusata; Iesus autem accusationem audiens inclinauit se, *& digito scribebat in terra.* Cur, Domine, in terra scribis? Iudex tanti criminis statueris, & tu dimisso iudice terram aras? An videri magis optas hortulanus terram sterilem excolendo, fœcundando, quàm iudex damnando, populando? Accipite D. August. serm. 37. de verb. Domin. ita fantẽ. *Quid aliud vobis significat, ò Pharisæi, cũ digito scribit in terram? Digito enim Dei lex scripta est; sed propter duros in lapidem scripta est. Nunc Dominus in terra scribebat, quia fructum requirebat.* Quasi diceret Iesus, quid causami ni legem adulterio fœdatam? lapidea sunt humana corda, quibus seuerus Deus legem suã inscripsit, quid mirum, si lex in lapide scripta cõfringatur? Nunc ne vltorem Deum exposcatis, sed humanum; ne seuerum iudicem, sed sapientem hortulanum, qui non confringit lapides; sed excolit terram, & absteriliscente corde dulces virtutum fructus facit pullulare. O sapiens hortulanus, cuius ad præsentiã sterile peccatorum solum, adulteræ fœminæ mens exculta fructificat, & cordibus lapideis ablatis, terrena humanæ mentis arua fœcundãtur, & videmus sterilem in domo matrem filiorum lætantem. Liceat ex prophano Helicone aliquid tanto hortulano propinare: sic enim apud Theocritũ, nescio cuius virginis aduentus celebratur.

*Omnia tunc vernant, tunc omnia pascua florent.*
*Omnia plena boues vbera lactis habent.*
*Cùm virgo huc formosa venit; postquã illa recessit.*
*Flauescunt herbæ, pastor, & omne pecus.*

Tu vide quàm verè dictum in morte Domini, in eiusque decessu, quòd virtutes flauescerent, quòd pastores orbis, quòd omne pecus. At vbi benignitas Saluatoris iterum apparuit, & eius humanitas stola immortalitatis formosa venit, omnia tunc vernant, tunc omnia pascua florent. Fallor, nisi huc spectarit Isaias cap. 26. vbi alloquens non mortuorum cadauera, sed iuxta Forerij explicationem, mortificatos, & afflictos fideles, inquit: *Expergiscimini, & laudate qui habitatis in puluere, quia ros lucis ros tuus.* Quæ verba ex Hebræo, sic sonant, *quia ros olerum viridantium ros tuus.* Quippe vt ad matutinum rorem virescunt olera floresque viuidis coloribus vestiuntur, sic ad matutinum Saluatoris aduentum ex sepulchro omnia vernant, omnia florent, omnia virtutum sata vigent, cordaque humana exhalant odorem agri pleni, cui benedixit Dominus. Ideò in horto resurrectio fuit peracta Dominica, vt mauult D. Maximus, homil. 2. in Pentecost. dicens. *Ergo in hortulo Saluator rediuiuum corpus assumit, & inter florentes arbores, & candentia lilia carne iam mortua reflorescit; & ita germinat de sepulchro, vt germinantia, & nitentia cuncta reperiat. Sic enim post hyemalis rigoris frigidam sepulturam pullulare elementa omnia festinarunt, vt resurgente Domino, & ipsa consurgerent. Vtique ex resurrectione Christi aer salubrior est, sol candidior, terra fœcundior, ex eo surculus virescit in fructicem, herba crescit in segete, vinea pubescit in palmitem.* Sic ille, & sanè, & pulchrè.

Gregor. Ioann. 8. August. Theocr. Isai. 26. Max.

## §. VII.

### *Christus Dominus è sepulchro rediuiuus totus exhalat vitam hominibus præstandam.*

MAgno totius generis humani bono Christus Dominus à sepulchro resurgẽs hortulani speciem Magdalenæ præfert, quasi iam inde vitam omnibus hominibus præbiturus. Memini enim Caini actum, quo vt vitam Abeli eriperet, illum in agrum duxit, ait namque Genes. 4. *Eamus in campum.* Id quod eleganter ponderans D. Ambros. lib. 2. cap. 8. inquit. *Meritò dicit, eamus in campum, non dicit, eamus in paradisum, vbi poma florent, non in aliquem cultum, & fructiferum locum, quia videtur veritus; ne largior boni terra prouentus triste facinus impediret.* Equidem non aude-

Genes. 4. Ambr.

auderet mortem inferre iuſto, reclamantibus rediuiuis frugibus, & hinc inde horti germinibus prole fœcundis vitam halantibus. Meritò ergo Dominus cùm deuicta morte vitã hominibus reparat, non eremi cultor, non incola Caluariæ; ſed frugiferi paraſtiſi hortulanus appatet, vt mortis facinus impeditum monſtretur, & vitæ ſpem à ſatis germinibus ebibamus. Hinc humanę reſurrectionis facũ
1. ad Cor. 15. diſsimus teſtis D. Paulus 1. ad Corinth. cap. 15. tanquam apertiſsima illius ſigna, & exẽplaria fœcunda ſeminibus proponit arua. *Inſipiens*, ait, *tu quod ſeminas non viuificatur; niſi prius moriatur, &c.* Id quod elaganti ſtilo, vt
D. Zen. aſſolet à Paulo hauſtum decantat D. Zeno ſerm. de Reſurrect. his verbis. *Præterea granũ vniuſcuiuſque frumenti in terra interit. Et tamẽ in eo id quod intus eſt, reuiuiſcit, nec mortem medullitus capit ſed vetuſti corporis ſuperficie deleta, imò in melioris naturæ iura trãſmiſſæ, fœlix caput foliis virentibus redimitum, quaſi ab inferis emerſum in ſuperna ſubſtollit perennitatis gloriam fructu populoſo tenturum. Hoc Paulo firmante, ſtulte tu quod ſeminas non viuificatur, niſi mortuum fuerit: ſic & reſurrectio mortuorum ſeminatur in interitum, ſurgit in perpetuitatem; ſeminatur in ignobilitatem, ſurgit in gloriam.* Ita D. Zeno prudenter cum Paulo exſatorũ germinibus vitę glorioſæ, & immortalis exẽplar auſpicatus. Quot enim ſunt frugiferi horti, tot ſunt teſtimonia, tot voces, quæ futuræ reſurrectionis gloriam faciunt ſperare. Iam
Iſai. 26. inde aiebat Iſaias cap. 26. communi Doctorum explicatione. *Viuent mortui tui, interfecti tui reſurgent. Expergiſcimini, & laudate qui habitatis in puluere, quia ros lucis ros tuus.* Vbi Adamus habet, ſicut ros, quem apud nos videmus, vitam affert ſatis, & plantis, ſic ros diuinus vitam adfert defunctis. Equidem nulla res illuſtriorem renaſcituræ vitæ ſpem conciliat, quàm ſemel, & iterum refloreſcens planta, & horti pleni germinibus pullulantibus.
Cant. 8. Nonne illa Sponſæ vox, Cantic. 8. apud Septuag. *Qui ſedes in hortis, amici auſcultant?* Sed quid à ſedente in hortis amici auſcultarent? Cur ſedentis in hortis vocem adeò concupiſcerent? Pulchrè D. Gregor. homil. 14. in
D. Greg. Ezech. ait. *Amici auſcultabãt, videlicet omnes electi, qui vt ad cœleſtem patriam reuiuiſcant, verba vitæ audire deſiderant.* Iam hortulani in hortis recumbentis vox deſideratur quæ iubeat electis vt reuiuiſcant, deque hortorum exemplo, reſurrectionis ſpem ſollicitet.

*Text.* Dicit ei Ieſus, Maria: conuerſa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur Magiſter. Dicit ei Ieſus, noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum.

## §. VIII.

### *Terrenis imbuta mens nequit Deo approximari, certamque patitur repulſam.*

MAria voce Magiſtri delectata, adhuc terrenam conuerſationem procurans, ad Dei pedes adolat, nihil non terrenum, & antiquum meditata in illis. Quid mirum ſi reijciatur? Quid mirum ſi patiatur repulſam? Qui enim ſeminatus fuerat corporalis, ſurgit ſpiritualis, & de more ſpiritus ab ijs ſolum attingitur, qui ſeſe terrenis his norunt excutere. Iudic cap. 16. fortis illis Sanſon gremio
Iud. 16. Dalidę indormiens ſemel, & bis ligabatur funibus; verùm cùm excitatus reſumpto ſpiritu ſic rumpebat vincula, quaſi filum de ſtupa tortum ſputamine. Tertiò autem cùm eius dormientis crines ligati fuerint ad clauum terræ fixum, pauore ir[illegible] excitatus non adeò facilè reſumpſit ſpiritum; ſed *conſurgens à ſomno extraxit clauum cum crinibus, & licio.* Equidem non priùs accepit ſpiritum, quàm clauum, cum erant ligati crines à terra extraxit. Id quod acutè notans Abbas Ioa-
Ioach. chimus. 1. p. expoſ. in Apoc. inquit *Vndè, & in præmiſſis duabus pugnis à principio excitato à ſomno deſcribitur ſpiritus adfuiſſe, hic nõ à principio; ſed poſtquam à terræ viſcere clauus eductus eſt.* Non enim diuinus ſpiritus terrenis implicatæ menti communicatur, excutè terram quiſquis, & adhærere, & placere cupis diuino ſpiritui. Primorum fratrum munera Deo exhibita ea fuerunt, vt cuilibet liceret prænoſcere, quę grata, quæ exoſa Deo eſſent futura. Ait enim text. Geneſ. 4. *Factum eſt autem poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quòque obtulit de primitiuis gregis.* Nonne vides Abelis munera ſpirantia vitam, & ſpiritus: Caini verò munera, nihil niſi terrenum præferẽtia? Hinc Deo placuerunt illa, & hæc deplorant repulſam. Accipe Ambroſ. lib. 1. cap. 10. prædicantem Abelis munera. *Conſidera, quia non de inſenſibilibus, ſed de animantibus obtulit. Plus eſt enim animalis, quàm terrenus, ſiquidem animalis proximus ſpiritualis eſt. Quod animale ſpirat, habet vitalem ſpiritum: non ita quod de terrarũ fructi-*
Geneſ. 4.

*fructibus*. Exosa est terrena mens, terrena cogitatio diuino, & purissimo spiritui, non placet obsequium terrena cogitantis Domino, ideoque Magdalena donec terrenam mentem excutiat, repellitur à Domino tam à terrenis omnibus separato, vt tantum non ascendit ad Patrem diuinum. Sic explico illud, noli me tãgere, quia nondum ascendi ad Patrẽ meum hoc est, quia tantùm non ascendi ad Patrem meum, sic terrena obsequia fastidio, sic à terrenis sum purus. Ita Epiphan. Hæres. 26. *Saluator hoc dicit Mariæ, vt ostenderet puritatem non participantem corporibus*. Hæc ille. Deus enim vt purus spiritus est, sic terrenis desiderijs grauatas refugit, mẽtes. Moysem subditorum curis inseruientem liberat socer â tanta mole dicens, Exod. 18. *Nunc audi me, & consilium dabo tibi, & erit Deus tecum*. Sanè putabat Deũ minimè esse in homine terrenis curis pleno. Id quod expendens Augustin. lib. 2. quæst. 68. ait. *Vbi mihi videtur significari nimis intentum humanis actionibus animum Deo quodãmodo vacuari, quo fit tanto plenior, quanto in superna, atque æterna liberius extenditur*. Hæc ille. Iste enim est Deus, qui fugiat terrenis desiderijs deditos.

Epiph.

Exod. 18.

*Textus*. Vade autem ad fratres meos, & dic eis. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deũ vestrum.

## §. IX.

### *Res est maximè detrimentosa, quòd cæteris præferaris fratribus, & imperio fulgens humiles despicias, amicos, & cognatos.*

HVC reuoco omnes illos, qui cæterorũ amant dominari, & se super omnes etiã suos superciliosè efferre concupiscunt, quorum stultum fastum diuinè damnat & Princeps omnium, & vniuersorum Creator. Is est qui debellatis hostibus, spolijs diues, regno Patris potitus, & super omnia exaltatus, etiã tunc se inter suos vnum, inter fratres numerum prædicat, & designat. Dic, inquit, ad fratres meos, ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum, nihil sibi præ cæteris assumit, sed quasi præteriens diuinitatis præcellentiam moderaturus vniuersos suis se præmittit æqualem. Cæteris imperaturum animal cùm conderet diuinus Artifex, ait Genes. 2. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudidem nostram, & præsit piscibus maris*. Ecce strenui moderatoris exemplar, quibus præferri, & super extolli iubebatur, *piscibus maris*, quod pulchrè notat Nyssẽni acumen ibi oratione 1. & ait. *Vbi est imperandi vis, illic, & imago Dei. Præsit piscibus, primum nobis imperij datum est in ea, quæ habitatione à nobis seiuncta sunt. Non dixit, præsit animantibus, quæ simul cum ipso sunt educata: sed piscibus qui vitam in aquis degunt*. O quã longè à diuino exemplari abest, qui inter suos sese extollit, qui præ his, cum quibus naturam, & habitationem participat, imò & educationem, efferri, & superferri auet! Vrget diuinus halitus dum Gen. 9. sic instruit filios Noe. *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ*. Quæ verba sic ponderat D. Gregor. lib. 21. Moral. cap. 11. *Non ait sit super homines, qui futuri sunt; sed sit supra cuncta animalia terræ, vt ab animalibus, & non ab hominibus timeatur, quia cõtra naturam superbire est ab æquali velle timeri*. Te etiã in summo fastigio cõstitutum nouerint tui parem, paueant extranei: sed fratres fratrem ament. Proh quam periculosè nonnulli ab hac norma deuiarunt! Licet alio data verba D. Ambros. serm. 14. in Psalm. 118. millies ponderare, & singulas illorũ notas percẽsere. *Ioseph sciuit sibi ipsi obfuisse, quod prælatus erat fratribus, & iam pius amor miseriam prælationis inuenit. Prælatio armauit fratres, humilitas conciliauit extraneos*. Sanè pijssimus Iacob merentem iuuenem præferebat fratribus, sed nihilominus is pius, & iustus animus non effugit prælationis damna. Nec effugiet quicumque caput attollit inter fratres, vndè qui sapit, Christi Domini exemplo se se æqualem suis exhibeat, nihilque præ cæteris sibi velit arrogare. Hinc D. Bernard. lib. 3. de consid. monet. Præsis vt prosis: præsis vt fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Ad quod? vt des illis escam in tempore, hoc est, vt dispenses: non imperes. *Hoc fac, & dominari ne affectes hominum homo; ne dominetur tui omnis iniustitia*. Expẽde illud; hominum homo. quippe inhumanum est, quod super homines efferri nitaris.

Gen. 2.

Nyssen.

Genes. 9.

Gregor.

Ambros.

Bernard.

*Text*. Venit Maria Magdalene annuncians discipulis, quia vidi Dominum, & dixit mihi hæc.

## §. X.

### *Cantatiſsima vbique eſt celeritas in obſequijs præſtandis.*

POſt vinculorum nubila inuentus Ioſeph à fratribus glorioſus in Ægypto factus hæc illis apud Philonem verba facit. *Nunc properandum eſt vobis ad Patrem, vt à verbis potius, quam à fama accipiat lætum de me inuento nuntium.* Sanè, qui ocaſionem dederant fletibus, & ærumnis, nullo magis ſuum facinus tegerent, quam ſi ipſi properi, & feſtini lætum de inuento fratre efferant nuntium. Hac prouidentia Dominus poſt mortis ſuæ tẽpeſtates rediuiuus, gloriaque apparens redimitus fœminæ, quæ in paradiſo hominem perditioni dederat, de ipſo inuento lætum nuntium Apoſtolis ferendum committit. Sic que nefarium fœminæ facinus celeritas fœminæ in annunciando Chriſtum obtegit, & eliterat. Quid hac celeritate in adimplendo munere magis decantatum? Quid Deo magis acceptum, & iocundum? Duo illi gemelli Iacob, & Eſau, in vtero matris ſeſe implicabili pugna perſequebantur, vicit tandem Iacob inimicum; etenim ait Oſeas 7. *In vtero ſupplantauit fratrem.* Quid tunc? Vires reſumens Eſau curauit primo naſci, vt celeritate naſcendi obtegeret infamiam primæ ruinæ. Accipite D. Chryſoſtom. hom. de Iacob, & Eſau, ſic de hoc aſſerentem: *Eſau quærit prior naſci, ne & in hoc poſsit à fratre deuinci: cupit pudorem properantia tegere, deſiderat ignominiã feſtinatione mutare.* Et quem non commendat feſtinatio, & celeritas in adimplendo munere? Quem non obtegit pudorem? quam non depellit ignominiam? Pudibunda Magdalena ob primæ fœminæ facinus, magis pudibũda ob propriam incredulitatẽ, vt inuenit glorioſum, & rediuiuum Chriſtum, feſtinatione læti nuntij pudorem obtegit, & fœdam incredulitatis ignominiã properãtia pulchreſcere facit oculis diuinis. Hinc Philo Caini tardũ munus condemnans nos monet. *Faciũt igitur ſuum munus obedientes filij, qui naturam patris Dei imitando, incunctanter cum omni feſtinatione, quod bonum eſt, agunt, qui nihil pulchrius facere poſſunt, quam quod honorent Deũ ſine dilatione.* Notiſsimæ ſunt fœminis pulchritudines, quibus naturæ decorant incurias, ideo pulcherrima fœmina Magdalenà omnes ad ſepulchrum contractas ſordes, lætum nuntium feſtinanter ferendo, decorauit.

*Philon.*

*Oſe. 7.*

*Chryſoſt.*

# *CAPVT III.*

## *De eo quod apparet Diſcipulis euntibus in Emaus.*

POST fœminas viris duobus è diſcipulorum aluo euntibus in Emaus tragœdiam Ieroſolymis actam referentibus, itineris ſocius adeſt Ieſus. Recipiũt illi ignari nouum comitem, cui triſte Phariſæorũ facinus aperiunt, à quo ignorantię caſtigati de ſcripturarum lumine illuſtrati tandem illum infractione panis recognoſcunt. Proh ingens gaudium! euanuit notus Dominus, at ipſi ſurrexerunt, & abeuntes Ieroſolymam Apoſtolorum lætitiam, ſua lætitia cumulauerunt.

*Text. ex Luc. 24.* Et ipſi loquebantur inuicem de ijs omnibus, quæ acciderant. Et factum eſt dum fabularentur, & ſecum quærerent. Et ipſe Ieſus ibat cum illis.

## §. I.

### *Paſsionis Dominicæ commemoratio certam Ieſu præſentiam infert.*

QVis Dominicas dolorum ſegetes animo ſuo mens, ipſius Ieſu præſentiam non ſuſtineat? Cuius in mente cogitationes meditata Domini paſsione purpuraſcunt, & illis cœleſtis Rex non hæret ligatus? Cui ſunt labia coccineis Dominici cruoris nobilitata vittis, quem non comitetur Dominus? Diſcipuli duo interſe dolores Domini, & cruciatus referebant, nec aliud poterant meminiſſe, niſi id quod intimis erat infixum animis, nimirum, crux, verbera, & Domini opprobria, & ecce Dominus illis adeſt. Duo ex Cant. 1. rectè in rem præſentem perpendit D. Bernard. homil. 43. in Cant. Alterum illud eſt, quod ſponſa Dominum meditata illum celſiſsimo maieſtatis ſolio radiare videns ait. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuauitatis.*

*Bernard.*

*Cant. 1.*

*tis.* Ecce tibi quàm longe discumbebat Rex, quàm à creaturis separatus apparebat, in sublimi erat solio maiestatis, in arcano suo accubitu: sed protinus addit: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus inter vbera mea commorabitur.* Qui modo remotissimo in accubitu erat, iam in sponsæ sinu latitat, iam sponsæ hæret lateri, nec potuit ab illa abesse, vbi in eius pectore, mente, & ore doloris, & myrrhæ segetes vidit colligari. Pulchrè Bernard. *Ante in accubitu regio, modo inter sponsæ vbera: & qui longè erat in breui factus est prope.* Vndè in breui factus est prope? quo carmine possem remotissimum Dominum ad me trahere? Pergit ille. *Tu quoque si sapis imitaberis sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum fasciculum de principatu tui pectoris, nec ad horam patieris à velli; amara illa, quæ per te pertulit semper in memoria retinens, & assidua meditatione reuoluēs.* Vel hoc carmine Deum à cœlo trahes, & tibi sociaberis, & quem noscis super pennas ventorum euolantem, altissimis Cherubinorum humeris substolli, in breui approximantem, & lateri tuo in hærentem facies. Ausim dicere, quod vel hinc deberet infallibilis Christi Domini præsentia in Eucharistia prænosci, quod præ cæteris sacramentum hoc viuificæ passionis Dominicæ sit memoriale. Vbi cruciatuum, & dolorum recolitur memoria, quomodo ipsemet Dominus non adesset? Audite D. Gaudēt. serm. 2. de Manducat. Agn. Pasch. sic de Eucharistia loquētem: *Verè istud est hæreditarium munus testamenti eius noui, quod vobis ea nocte, qua tradebatur, tànquàm pignus suæ præsentiæ dereliquit. Voluit enim animas pretioso sanguine suo sanctificari per imaginē propriæ passionis.* Ecce vobis Eucharisticū calicē, vt imaginē passionis tradi à Christo Domino tanquam pignus præsentiæ suę. Etenim nullū certius pignus infallibilis Christi præsentiæ, qua est in Eucharistia, proponi nobis visibile potuit, quam ea res, quæ effusi sanguinis erat imago, & commemoratio. Vbi dolores eius commemores, vbi acerbissimos cruciatus, crucem, effusionem memineris sanguinis, iam pignus præsentiæ illius habes, iam tibi adest, tecum est, & tecum obambulat.

*Bernard.*

*Gaud.*

*Text.* Et ait ad illos, qui sunt hi sermones, quos confertis adinuicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens vnus, cui nomen Cleophas, & dixit ei: Tu solus peregrinus in Ierusalem, & non cognouisti, quæ facta sunt in illa his diebus.

## §. II.

### *Vere peregrini nullam ciuitatem in terra permanentem habentes hi tenebrarum triumphatores existunt. Vbi de B. Xauiero.*

QVid cum nobili triumphatore peregrini habitus? Nonne Imperatori Maximo debellatori mortis, & inferni decentior esset romphæa acuta, aureus baltheus, quam scipio? Proh Deus immortalis, nulla res tā metuenda est, tam exitialis tenebrarum tyranno, quam vel peregrini aspectus. Ausus est hostis crudelis in sanctissimum Iob; sed mini mé ausus est in Abrahā, Isaac, & Iacob. Cur ita? Præclarè Rupert. de Victoria Verbi Dei, lib. 3. cap. 5. *Iobum considerans Satan circumeundo terram, quomodo etiam non considerauit Abraham, Isaac, & Iacob, fidem promissionem habentes, & propter illam spem peregrinando de gente in gentem, & de regno ad populum alterum transeuntes? Planè considerauit & istos, sed quid ageret?* Vt certa domo, & patria carentes illos vbique peregrinos vidit, prorsus desperauit, & sua arma fragilia aduersus illos habuit sibique cauit. Nil quod ageret habuit aduersus peregrinos; fœlix, qui sic se nouit in terra comparare, vt nullibi ciuis; sed in omnibus peregrinus sit, & extraneus, is omnium terribilissimus existet tenebrarum potestatibus. Et quidem Dei filius, vt omne regnum peccati deleret, vt æreos mortis muros expugnaret, vt dæmonum contereret carcerem, vt romphæam igneam à paradiso eliminaret, hæc solum sumsit arma, nimirum, peregrini habitum. Sic D. Greg. Nyss. orat. 1. de Resurrect. factus. Nullo negotio malitiam deleuit. Neque enim superioribus cataractis patefactis, abyssisque proprios terminos transilientibus, & tumefactis, aquarum immensa vis ingruit, quę terram obruens vniuersam, montesque transcendens, & montiū fastigia superans orbem tanquam nauigium simul cum ipsis nautis, atque victoribus demerserit. Neque vt Sodomitarum temporibus contigit, ignis & flammarum imber, quod corruptum erat pugnans expiauit. Neque aliud quidquam accedet huiusmodi. *sed*

*Rupert.*

*Nyssen.*

*ſimplex quædam, & in comprehenſa peregrinatio, ſola vita luciſque præſentia in tenebris, & regione vmbræ mortis conſidentibus tenebras omnes diſpulit, & mortem ipſam interfecit.* Expende quo telo tranſuerberata mors ſit, nimirū quædam in comprehenſa peregrinatio mortem, & regnum interfecit peccati. Vbi filius Dei relicta patria cœleſti, paterna domo, non habuit vbi caput ſuum reclinaret, ſed peregrinatus ſit de gente in gentem, de terra ad inferos, hæc incomprehenſa peregrinatio exitialis prorſus fuit, & morti, & peccato. Qui ergo habitus decentior mortis, & tenebrarum triūphatori, quam peregrini habitus? Quo telo deuicit hoſtem, eo victor diſcipulis apparuit. O vim & poteſtatem peregrinantium maximam! Iam nolo mirari, quod Ieſuitarum exemplar Indiæ Apoſtolus poſt Thomam Franciſcus Xauerius, tam ingentes glorias reportarit. Sanè vicit regnum peccati, idololatriæ vires confregit, quadringenta miliaria animarum propria manu Deo ſacrauit, mortis vectes confregit dum decem & ſeptē mortuos viuis donauit, in mortis faucibus virentia, & vegeta membra ſui cadaueris conſeruauit. Quid mirūm? Vniuerſum mūdum peragrauit peregrinando de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Pertranſijt benefaciendo Italos, Luſitanos, Bracmanos, Indos, Iapponios, Chinas, qua pene incomprehenſa peregrinatione interfecit mortem, & peccatum. Hunc peregrinum, & ſocium, & congenerem ſibi acquiſiuit Dominicus ſanguis, quando eius pretio emtus fuit ager, *in ſepulturam peregrinorum.* Quorum peregrinorum. D. Ambroſ. ſermon. 51. ait: *Iſtos peregrinos quos eſſe dicimus, niſi deuotiſſimos Chriſtianos, qui renuntiantes ſæculo, & nihil poſſidentes in mundo in Chriſti ſanguine requieſcunt.* Sanè Dominicus ſanguis hos ſibi congeneres tumulat, & amplectitur peregrinos. Hinc iam nota ingens prodigium decantatiſsimum in Xauerij arce, apud Vaſcones, vbi in imagine crucifixi viſus eſt ſanguis Dominicus efferueſcere, quoties B. Xauerius graue aliquod periculum ſubibat in conuerſione animarum. Nonne hoc ſimile eſt protento illi, quod noui apud aliquas nobilium familias in Hiſpania familiare? Quando quis illorum morti approximat, commune familiæ ſepulchrum ſentitur in ſe commoueri, & turbari, quaſi iam pararent locum oſſa congeneri cadaueri. Sic Dominicus ſanguis, vt cœleſtium peregrinorum tumulus efferueſcebat, & commouebatur congeneris peregrini Xauerij notans periculum, & calamitatem.

Ambr.

## §. ....

## *Miſericordia in pauperes Chriſtum Dominum reddit nobis inuentu facilem.*

PEregrinus acceſsit, qui ſe ſe optabat manifeſtare diſcipulis, vt in peregrino diſcipulorum charitas ſibi Deum acquireret, & reſurgentis gloriæ arcanum præſciret. Nonne peregrinātis Domini vox eſt illa Gen. 18. nimirū: *nū celare potero Abrahā quæ geſturus ſum?* Gen. 18 Enim verò vbi peregrinus Dñs hoſpitij gratiam fuit expertus, non poteſt, non manifeſtare hoſpiti totos ſuarum gratiarum theſauros. Sic monebat Paul. ad Epheſ. 5. *Surgi qui dormis, & illuminabit te Chriſtus.* Quæ verba dum examinat D. Paulinus Epiſt. 12. pro *illuminabit*, legit ipſe, & attinges Chriſtum: in ſuperaddit ipſe eadem verba commentans: *Diſcute carnalis inertiæ ſomnum à mortuis curis, hoc eſt, à conuerſatione carnali erige mentem, & attinges Chriſtum operando præceptis eius, videbis eum in omni egeno, & tanges eum in omni paupere.* Ecce tibi vbi reuelatur Chriſtus, vbi attingitur; in omni egeno, in omne paupere, quando pauper præmittitur, quando peregrinus accedit, ſigna Deum noſco, per ſua Chriſtus adeſt, imo adeſt oculis hoſpitis reuelandus. Paulin. Hinc meritò D. Fulgent. quaſi Chriſtum indigitaturus ad Gallam, epiſt. 2. cap. 9. inquit. Fulgent. *Attende Lazarum in paupertate diuitem, in vulneribus ſanum, & quidem ſine domo; ſed non ſine Domino; ſine veſte, ſed non ſine fide, ſine cibo; ſed non ſine Chriſto.* Nō potes non clarere Chriſtus illorum oculis, qui amice excipiunt, & intuentur pauperes. Non diuertamur alio, ſed in his ipſis diſcipulis huius rei videamus exemplum ſingulare, vbi peregrinum Dominum amice in ſuum hoſpitium receperunt, vbi illum pane cibarunt, iam ſe ſe illis occultare non potuit: ſed pane accepto ſe illis palam videndum reuelauit. Vndè S. Auguſtin. ſerm. 144. expendens illa verba inferius ponenda: *Mane nobiſcum Domine, quoniam adueſperaſcit, ſic fatur. Tene hoſpitem, ſi vis agnoſcere Saluatorem. Quod tulerat infidelitas, reddidit hoſpitalitas. Dominus ergo præſentauit ſe ipſum in fractione panis. Diſcite, vbi Dominum quæratis: diſcite, vbi habeatis: diſcite, vbi agnoſcatis. Panem frangimus, & Dominum cognoſcimus.* O quàm amauit diſcipulos, quando ſe illis peregrinum moſtrauit, acceſsit peregrinus, vt citiùs agnoſceretur Dominus, compendioſam, & facilem viam etiam infidelibus demonſtrauit,

ſtrauit, qua Deum tenerent. Benè Haymo ſatur. *In peregrini ſpecie apparuit, vt eorum mentes ad miſericordiam reuocaret, & eum, quem Deum non cognoſcebant, ſaltem vt peregrinum amarent.* *Haym.*

## §. IIII.

### *Deus is eſt cuique, qui vnuſquiſque ſibi eſt, nulluſque eſt peccatori moleſtior, quàm ipſe ſibi.*

TV ſolus, aiunt, in Ieruſalem, & hæc ignoras? Reprehenſionem ſonant hæc verba Euthymio, qua diſcipuli illũ hominem dignum putabant. Et meritò reprehendendus erat peregrinus tantorum myſteriorum expers; ſed diſcipuli erãt illi peregrini, & ſtulti, & ignorantes, & reprehendendi. Sanè Dominus in ſe eam referebat formam, quam illi diſcipuli incredulitate ſua habebant; ait enim D. Gregor. hom. 23. in Euangel. *Hoc egit Dominus in oculis corporis, quod apud ipſos agebatur intus in oculis cordis, quod ipſis in animo ſuo erat, hoc illis videndum in ſe Dominus extrinſecùs, & manifeſtè exhibebat.* Ad eos, qui credide rant, dixit D. Paulus ad Epheſ. cap. 2. *Fratres, iam non eſtis hoſpites, & aduenæ; ſed eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei.* Verùm diſcipuli hi quatenus in infidelitate erant, nondum ciues, nondum domeſtici Dei cenſebantur, adhuc aduenæ, & peregrini ſtulti, & ignorantes manebant, quapropter illis Deus appropians hanc ipſam ſpeciem aduenæ, & peregrini referebat. Pulchrè Agapetus Diaconus ad Imperatorem Iuſtinianum explicat, quis ſit Deus vnicuique hominum. *Sicuti exquiſita ſpecula tales monſtrant vultuum apparentias, qualia ipſa archetypa; nitidas, videlicet, nitentiũ, triſtes autem triſtantium; eodem pacto iuſtum Dei iudicium noſtris actionibus aſſimilatur. Qualia enim ſunt, quæ à nobis præſtantur, taliaipſe nobis par pari referens exhibebit.* Quid aliud tibi monſtrat ſpeculum, quàm te ipſum? Quem vides in ſpeculo, niſi te? Tu tibi per ſpeculũ, vel places, vel inimicaris? Facies decora, & gratioſa, quæ tibi in ſpeculo arridet, tua ipſius eſt ſic accidentis facies, fœdus ille vultus, qui te ab ſpeculo diuexat, & angit, tuus vultus eſt. Nil aliud præſtat ſpeculum, quàm te ipſum tibi obijcere; ita Deus Opt. Maximus ſpeculum eſt, & mirè pellucidũ, in quo es is tibi referretur vultus, qui tibi fuerit, qualis acceſſeris Deo, talis tibi Deus exhibebitur, nihil in Deo acerbum, nihil moleſtum, nihil peregrinum niſi tuum, eam ſolùm vultus apparentiã in hoc lucidiſſimo ſpeculo inuenies, qua tu acceſſeris. Cauſaris in Deo miſericordiarum pelago, peregrinum iuſtitiæ opus? Tu ipſe es ille peregrinus, qui te angit, qui te ab ſpeculo, recutitis radijs diuerberat. Non ſanè ſpeculum, non Deus, aiebat ille: *Sed peccatum meum contra me eſt ſemper.* Nemo crudelior fœditatum accuſator, quàm ipſe fœdus homo ſibi eſt dum ad ſpeculum accedit. Vndè D. Ambroſ. præfata premens verba in Apol. Dauid, cap. 9. ait, quòd ſapiens ſe ipſum in Dei iudicio maximè timet. *Grauem ſibi, ait, ſe iudicat, ſe ipſum arbitrum refugit, nec ſeſe ſibi audet committere.* Nil magis ſæuum, & crudele in ſe aſpicit turpis fœmina, quàm ſe ipſam in ſpeculo, nil magis acerbum, & hoſtile peccator videt, quàm ſi ſe ipſum videat. Vndè argutè ſatis ſceleſtos quoſque minatur D. Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 382. dicens. *Sin autem ſermones mei turpes veſtras actiones coarguunt, tanquam ſpeculum fœdo, ac deformi reperior. Quamobrem, aut deformitatem mutate, ac ſanitatem renouate, aut ſpeculum vobis perpetuò ero.* Imò hoc erit in inferno maximum tormẽtum reprobis, quòd cuique ob oculos ponet Dominus ſimile; in quo ſe ipſum cernens peccator ſuorum ſcelerum carnificem ſe habeat, quo ſæuior nullus poterit excogitari. Id quod expendit D. Cæſar. Arelat. hom. 42. Etenim ex eo, quòd paterfamilias in Euangelio iubet zizaniorum faſciculos alligari, vt comburantur, ſic ille fatur. *Alligate faſciculos ad comburendum, hoc eſt, homicidas cum homicidis, adulteros cum adulteris, rapaces cum rapacibus, & qui hic ſimiles fuerunt in culpa, ibi ſimiliter alligati erunt in tormentis.* Ne quò vertat oculos miſer, quin ſe ipſum videat, & ſui figura vexetur, & crucietur amplius.

Gregor. — Ad Eph. 2 — Tom. 2. Bibliot. — Ambro. — Iſid. Pelu. — Cæſ. Arel.

*Text.* Quibus ipſe dixit. Quæ? Et dixerunt de Ieſu Nazareno, qui fuit vir Propheta potens in opere, & ſermone coram Deo, & omni populo.

## §. V.

### *Stultiſſimus gentium error credens plus paſſionibus Domini, quàm miraculis, & virtutibus.*

QVis non lugeat hanc communem in gẽtibus ſtultitiam? Audiunt prædicari Ieſum

ſum ſurrexiſſe à mortuis, aſcendiſſe in cœlũ, mira opera egiſſe, verbo infirmos curaſſe, mari, & ventis imperaſſe, mortuos ad vitam reduxiſſe, corda hominum in melius commutaſſe, & tamen quia audiunt ſimul paſſum, & crucifixum fuiſſe, adeò paſsione hac nitũtur, vt diuinitatem tot virtutibus patentem exſufflent. Matth. 8. cùm Dominus naviculã eſſet ingreſſus, ecce tibi ſæua tempeſtas, furẽtes venti, tumentes fluctus naviculam impetunt perituram. At Ieſus imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Quid tunc nautæ? Procubuiſſent ſanè ad pedes Ieſu, illiuſque adoraſſent, & prædicaſſent diuinitatem. Proh hominum ſtultitia! Ecce aiũt ſtupentes: *Qualis hic homo, quia venti, & mare obediũt ei?* Id quod & refert, & indignatur D. Hilar. Hilar. expendens quàm barbari, quàm ſtulti, quàm cæci erant nautæ iſti: *quia piaculi gentilis, miſerrimique erroris ſtultitiam demonſtrat, quòd eum ex humilitate paſſionis hominem potiùs nuncupent, quàm ex virtutibus Deum.* Noſcunt eius in mare, & ventos imperium, & tamen, quia humanum vultum cernunt, nihil in illo vltra hominem exiſtimant. Quid magis ſtultum? His ſimillimi ſunt diſcipuli, qui in Emaus pergunt, immenſam fatentur Ieſu poteſtatem, incredibilem vim norant eiuſdẽ ſermonum, & tamen eum ex humilitate paſſionis hominem potiùs nuncupant, quàm ex virtutibus perſpectis Deum, aiunt enim, Ieſus, *Vir potens opere, & ſermone.* Meritò D. Auguſt. Auguſt. ſerm. 144. hunc diſcipulorum errorem cum gentium componit ſtultitia fatus. *O Diſcipuli, Propheta erat Chriſtus Dominus, Prophetarum Iudici nomen Præconis imponunt, ad alienigenarum verba deuenerant. Recolite, quòd quando ipſe Ieſus ait diſcipulis ſuis: quem dicũt homines eſſe filium hominis? Reſponderunt opiniones alienas. Alij dixerunt, quòd Elias es, alij quia Ioanes Baptiſta, alij quia Ieremias. Verba iſta alienorum erant, non diſcipulorum. Ecce ad iſta verba diſcipuli venerunt. Nunc ergo vos quẽ me eſſe dicitis? Reſpondiſtis mihi opiniones alienas, fidem veſtram volo audire. Tunc Petrus: Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Adimpletor Prophetarum, Creator Angelorum: Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Hactenus Auguſtinus. Alienigenarum vocem, & verè diſcipulorum explorat; qui barbarus eſt, qui ſtulto gentium errore tenetur, & Ieſu virtutes miratur, & nihil in eo credit ſupra hominem: at verus diſcipulus, verè ſapiens ex virturibus eius diuinitatẽ auſpicatur, & prædicat. Imò quò Dei filius ſe dimittit, vt hominem oſtendat, eò illum de virtutibus Chriſtianus extollit, vt Deum manifeſtet. Etenim vbi Dominus ait, Matth. c. Matt. 16. 16. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Strenuè, & diuinè Petrus reſpondens. Tu es Chriſtus filius Dei viui. Ille ſe filium hominis dicit; hic illum filium Dei prædicat. Rem ponderat D. Fulgent. lib. 3. ad Tranſimund. Regem cap. 15. in hæc verba. *Neque hoc prætereũdum exiſtimo, quòd Chriſto primum ſe filiũ hominis nuncupanti Petrus dicit: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Etenim Dei filius carnis humanitate ſuſcepta debuit in ſe Sacramentum magnæ pietatis oſtendere: homo verò redemptus debuit in hominis filio veram diuinæ natiuitatis ſubſtantiam prædicare, vt dum à Redemptore beneficiũ gratuitæ miſerationis oſtenditur, à redempto diuinæ cõfeſſionis obſequium redderetur.* Equidem vt Domini fuit ſe ſe ad noſtram infirmitatem dimittere, & paſsionibus ſe filium hominis oſtendere, ſic hominum debet eſſe, vt eius virtutibus notatis innatæ diuinitatis prædicatores fiamus. Quis homo potens? Nonne vniuerſa vanitas omnis homo ſtans? Ieſus vir potẽs, cur non magis Deus? Sane poteſt fortis imbecillitatem aſſumere, ſed imbecillis attingere fortitudinem nequit, ſtultus igitur & cæcus eſt, qui ex paſsionis infirmitate Ieſum hominem nuncupat, & non ex virtutibus Deũ. Fulg.

*Text.* Et quomodo tradiderunt eum ſummi Sacerdotes in dã nationem mortis, & crucifixerunt eum: nos autem ſperabamus, quia ipſe redempturus eſſet Iſrael.

## §. VI.

### *Horrenda facinora minimè euulganda, & prædicanda ſunt populo.*

HOrrendam Sacerdotũm rabiem, ſtupendam Principum malitiam vide, quam modeſtis vocabulis in hac re prudentes diſcipuli obnubilent. Aiunt enim, quomodo tradiderunt eum Sacerdotes, verè dixiſſent, quomodo illum voranerunt; ſed euulganda non ſunt pio populo maxima athæorum facinora. Eo deuenerat Iudæorum audacia, vt verbo Dei dicerent, Ioann. 8. *Samaritanus es, dæmonium habes:* quo ſcandeſcens D. Cæſarius Naziãz. frater, orat. in Nat. ſic in perfidos inſurgit. Quouſque, ò Iudæe, in Deum tuum blaſphemus exiſtes? *Num Samaritanum quod vocas? nam quod ſequitur tacebo?* Sane prud- Ioann. 8. D. Cæſar.

tiſſime

tissimè è duabus blasphemijs minorem tantùm refert, & arguit, maximam alteram, nimirum, *dæmonium habes*, nec vt reprehendat, voluit meminisse. Audacissima hæc facinora prorsus tacebãtur obnubilãda, ne vel aspectu mundum inficiant. Cùm referret Dominus apud Lucam ingens illud supplicium Sodomitarum, qualiter igneis è cœlo fulminibus fuerint cuncti percussi, nihil de illorum peccatis meminit; sed solùm dicit, quòd quãdo ignea exceperunt iacula, emebant, vendebant, plantabant, ędificabant. Vndè meritò his scandescit Tertull. lib. 1. ad vxorẽ. Hæccinè tota est causa supplicij, *emebant, vendebant, plantabant, ædificabant, & pluit ignem de cœlo, & perdidit omnes.* Nonne alia fuit occasio tanti supplicij? An non satius esset, vbi ingens supplicium, & inauditum explicatur, quod etiam numerarentur ingentia crimina, horrenda Sodomitarum facinora? Sanè inquit illi, *cùm dicit, nubebant, & emebant, insigniora carnis, & sæculi vitia desint.* Verùm quę horrenda sunt crimina, non euulganda nudè sunt, sed honestis vocabulis obtegenda, & obnubilanda. Id quod docuit D. Zeno serm. de Patient. vbi impatientissimorum hominum censum, sic claudit. *Sed impatientiæ hactenus exempla prolata sunt, neque enim studiosè, vt arbitror, memorandum, quod optaueris compescendum.* Etenim summa flagitia vix memorãtur sine scandalo, quapropter ille erit concionator prudentissimus, qui ab extraordinarij delicti reprehensione abstineat, vel si reprehendere debeat, illud sub nominibus communibus obijciat. Namque pulchrè ait D. Pacian. in Parænesi, *Melius fuerit Attici Solonis exemplo tacere de magnis sceleribus, quàm cauere; eòvsque progressis nostratium moribus, vt admonitos se existiment, cùm vetantur.*

*Tertull.*

*D. Zen.*

*Pacian.*

*Textus.* Et nunc super hæc omnia tertia dies est hodie quod hęc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris exterruerunt nos, &c.

## §. VII.

### *Patienter, & longanimiter expectandus Deus in suis promissionibus.*

IMpatientissimi homunciones, nec triduo Deum norunt sustinere, vanissimis temporalium bonorum mendacijs fixi nulla mora desistent, & vbi ad vera solidaque bona oculos conuertunt, triduana expectatione penitùs fatigantur. Pulchrè Isaias, cap. 5. hos notat dicens. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum. Qui dicitis festinet, & citò veniat opus eius vt videamus; & appropiet, & veniat consilium sancti Israel.* Ecce vobis in trahenda iniquitate, & vanitate quàm largos submittant funes, quàm longa consistant pertinacia, trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, quasi assuendo funiculos funiculis, vt longissimus, & sine fine funis efficiatur. Verum vt Deum trahant, dicunt, festinet, & citò veniat, & appropiet consilium sancti Israel, nullam Dei moram ferunt, nihil à Deo volunt non festinantet, illum repellunt, si tantisper tardet. Hunc Isaiæ locum eleganter componit Rupertus lib. 1. cap. 21. cum illo Luc. 23. vbi crucifixo Domino Ierosolymitani Principes triduanam resurrectionem promissam fastidiẽtes dicebant: *Si Rex Israel est, descendat de cruce, & credimus ei.* Longissimi illi expectatores temporarij Regis, tridui moram non sustinent, vt per resurrectionem Rex, & Saluator Israelis verus manifestetur. Hinc Rupertus inquit. *Qui dicitis festinet, væ vobis. Quid enim? Numquid non multum festinauit, & citò venit opus sancti Israel? Numquid non citò resurrexit post tres dies? Quid amplius festinare voluistis dicendo, si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credemus ei? Quid tam citò venire voluistis opus eius? imò quã nequissima festinatio fuit.* O quàm nequiter plurimi á debita longanimitate declinant, & nimium festinant nullam Dei moram sustinentes. Tertia die se resurrecturum Saluator promiserat; sed hostes triduam expectationem recusant, & discipuli cùm iam tertium attigerint diem impatientes morulæ triduanam expectationem compleri non sustinent. Et nunc, aiunt, super hæc omnia iam tertius dies est, ò nequissimam, & præproperam desperationem! tertius dies est? an prętierijt? an effluxit? Absit, adhuc dies est, sed iam expectatione defatigantur. Expectassetis paululum, & gloriam potiremini exoptatam. Isaias, cap. 28. monet: *Qui crediderint, non festinet.* Quæ verba apud Septuag. sonant, *qui crediderit, non confundetur.* Vtrumque iunctim explicat eleganter Forerius, his verbis. *Qui credit, ne festinet, scilicet, videre quod hic pollicetur Dominus, quod si festinauerit, pudefiet, non reperiens, quod se inuenturum putabat.* Longanimitati, & expectationi datur optatorũ fruitio, at festinatæ, & præproperæ impatientiæ pudor restat, & amissio eius, quod sperabat. Vtinam vel à cœlo ipsa hanc ebiberent discipuli longanimitatem, &

*Rupert.*

*Isai. 5.*

*Isai. 28.*

*Forer.*

expe-

expectationem. Quis maiore ardebat desiderio Christiferæ humanitatis, quàm cœlum? Et tamen longanimè expectauit vltimum diuinæ dispensationis terminum. Sic eleganter
Athan. S. Athanasius, orat. in Ascension. ponderat. *Quid, quod ad eius partum cùm in lucem ederetur, per stellam respiciebat cœlum, quasi ante tempus maturaret complecti eum, qui in spelunca latebat; sed dispensationis opportunitatem, & terminum obseruari oportebat.* Maturauit sanè complecti eum, sed vltimum obseruauit terminum, & finem dispensationis. Cucurrit in primum ortum eius; sed festinationem coercens expectauit terminum. Vtinam hanc expectationem habuisset primus homo, qua quia caruit, noxam ebibit generi suo. Quem
Tertull. sic pungit Tertullian. lib. de Trinit. inquiens. *Mortalitatis inuidia vtique in hominem redit, qui cùm illam euadere posset de obedientia, in eãdem incurrit, dum ex consilio peruerso Deus esse festinat.* Itaque vna ad deitatem festinatio Adamum perdidit. O expectasses homo virtutum tuarum consumationem, & Deo persimilis existeres. Annon dictum est hominibus: *Ego dixi, dij estis?* Sed miserè currit, dum Deus esse festinat.

## §. VIII.

### *Maximus metus, & terror debet esse viris peccantibus, quòd fœminæ sibi adiunctæ bonæ sint.*

NOn sine mysterij pondere dictum est, *sed & mulieres exterruerunt nos.* Cur non magis lætificauerunt? Cur non magis gaudijs perfuderũt? Enim verò fœminæ illæ deuotione in Iesum feruentes lætissimam eius resurrectionem præuiderant, cuius haud ingratum discipulis futurum nuntium referebant, quo illos maximè crederent exultaturos. Et ecce vobis illi non lętitiam; sed metũ, sed terrorem capiunt, & meritò, quandoquidem viri deplorati vehemens signũ est, quòd illo relicto Deus conuertatur ad mulierem
Ath. in. sociam, eique suæ largitatis thesauros cõmittat. Hoc crediderim cogitatũ esse à D. Athanasio orat. de diuinit. Christi in coniuge Pilati Dei filij magnalia prædicante, sic enim inquit. *Lauanti manus suas Pilato, ac Iudæorum calumnias recipienti nullum vlterius verbum ei fecit Dominus; sed potius vxori oraculum edidit.* Sanè quando salus Pilati non adeò desperabatur, quando ipse Iudæorum calumnias respuebat, & se se Iesu ostendebat defensorem, illi sermonem Dominus faciebat, regnùmque suum diuinum ostendebat. At vbi Iudæorũ ille calumnias probat, ac se se comparat ad Deum perdendum, nullum ei verbum facit Dominus; sed ad vxorem conuersus, illi sociã adhibet halitu diuino præditam, quasi deplorati viri argumentum manifestum. Notanter dicitur Iudic. cap. 4. *Erat Debora Prophetes vxor Lapidoth.* Nec maius posset ferri testimonium miserrimi illius populi, & per tot annos à Deo derelicti, quàm quòd Deus oracula sua, relictis viris, fœminæ crederet. Ita meditatur Theodoret. quæst. 11. dicens: *Existimo enim Deboram in contumeliam virorum prophetiæ donum adeptam esse. Nam cùm ex viris nullus inueniretur dignus, qui Spiritum sanctum promeretur, hæc donum sanctissimi Spiritus est consequuta.* Exosum populum, infensos viros castigat Dominus, illos derelinquens, & fœminas oraculis illustrans, quæ Dei fauoribus acceptis sint quotidie in contumeliam virorum constitutæ. Cur ergo non exterrantur discipuli, dum audiunt, rediuiuum Dominũ mulieribus apparuisse; veriti ne id esset reprobatorum virorum indicium.
Iud. 4. Theodor.

*Text.* O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suã. Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturas, quæ de ipso erant.

## §. IX.

### *Securiores, & præstantiores fructus per crucem, & ærumnas acquiruntur.*

SAnè oportebat Principem, & Ducem hominum, nos in illam gloriæ vitam vocare, qua securiùs, & præstantiùs fructibus ditari possemus. Et vbi securiùs, quàm in cruce, quàm medijs plantati ærumnis, & periculis. Nonne apud Lucam aiebat Dominus, cap. 24. *Sic oportebat Christum pati?* Ibi
Luc. 24. Theophylactus inquirit. *Quomodo sic? per mortem crucis.* Fallor, nisi huc spectauerit Dominus quoties, & se vitem appellat, & nos iubet
Theoph. esse

esse palmites vitis. Nulla planta vite fructuosior, nulla ditior vite, sed videre licet, quo suos & parturiat, & seruet vitis fructus. Id elegantissimè explicat S. Zeno in Psalm. 79. his verbis. *Palmes in scrobem dimittitur, vt animatus ibidem nutriatur, auxiliare illi necessariò iungitur lignum: cuius tutela defensus se se subtollat. At vbi adoleuerit in vitem perfectam, eius omnes crines luxuriosi tenduntur, nodis adstringitur, nec à ligno, quo portatur, vel cuius ducatu in vberes fructus longiùs inuitata producitur, vi aliqua separetur. Tum solemniter plorans clementer imbre suo rorat, statim oculis apertis folia radiata procedunt, quibus subiecti, ac sese commendantes sequaces fructus arridents; quos Solis ardores, pluuiæ, ventique exercendo prouehunt, ad maturitatemque perducunt.* Hactenus ille. Ecce tibi vndè vitis trahat dulcissimos aureosque fructus, nimirum, ex petrosa scrobe, ex imbribus, & ventis, ex lacrymis, ex gemitibus, insuper ex adhibito sibi ligno, cui innixa à terra extollitur, aureosque fœcundatur in fructibus. O vera vitis Iesus tunc admodum fœcunda, tum verè diues, cùm adhibito crucis ligno exaltaris à terra. Quisquis huius vitis palmes es, vide quibus promoueri, & sustolli glorioſius debeas, auxiliare tibi lignum necessariò iungendum est, nempe crux, lacrymæ, ærumnæ perpetiendæ, vt sic præstantiùs, & securiùs glorioſos producas fructus. D. Augustin. serm. 120. de Tempore, meminit Apostolos miris virtutibus eruditos, tamen circa fidem labasse, & latronem medijs crucis pericùlis in fide conualuisse. Sic enim ait. *Ecce inter signa, atque virtutes, attestantibus miraculis, & acclamantibus, aliquoties in discipulis mens iam robusta titubauit, & nunc Christi supplicijs quodammodo cõtradicentibus in latrone fides nouella conualuit.* Cur non cõualuisset nouella fides, vbi crucem nacta est auxiliantem? Cur tanto fulcro adhibito inter petrosas scrobes tormentorum vitis non conualuisset Christiana? Annosæ, & robustæ illæ inter acclamationes virtutum, inter ipsa miracula titubant, imò & cadunt, non enim aliter vitis diuina aureis palmites suos fructibus cumulat, nisi ab ardore, nisi à pluuia, nisi à fulcro crucis. Hanc si vel ore apprehendat, summitatem cœlorum permeauit. Nonne animaduertisti post diluuium à luto, & fimo candidam columbam in arcam euolare? Sed non adeò illam volare à fimo faciebant alæ, quàm oliuæ ramus, qui ore portabatur. Vbi crucis vim meditatus Berengosius Abbas de myster. lign. Domin. ait: *Columba sibi ramum deferebat oliuæ, designans, quòd virtutum pennis nullus euolare valet ab imis ad summa; nisi ramum studeat reportare cum columba.* Ecce qua via cœli attinges summitatem, si ad gemitus columbæ Dominici ligni addas cruciatus, & tormenta. Non tam cæteræ virtutes in altum ducent, quàm lignũ crucis, quàm cruciformis labor. Crux enim hoc habet cum cæteris virtutibus commune, quòd in gloriæ coronas extollat suas, insuper & aliud habet singulare, nimirum, quòd coronas partas acerrime defendat, & custodiat. Id cantabat Psalm. 6. dicens: *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Quasi diceret, eam dedisti nobis coronam, quæ custodita sit, & propugnata vndequaque mille scutis. Quod notans Origenes in Caten. Græc. ait. *Idem est scutum, & corona. Vt qui scuto circumdatus est, coronetur, & qui coronatur, scuto circumdatus sit.* Origen. Sanè nulla res magis patere solet telis, quàm corona. Ornat corona caput, at mille insidijs exponit totum hominem. Eu quoties ruina, & perditio additum per coronam inuenit. Id quod lamentatur D. Gregor. nota illa historia Eleazari, qui à victoria oppressus interijt. Quæ ergo corona hæc est, scutis protecta, & custodita. Eam insinuat Didymus in Caten. aiens. *Scutum & corona crux est.* Itaque crux coronas quas parturit, perenniter protegit, & custodit.

## §. X.

### *Ingens Saluatoris gloria à passione.*

QVot ærumnæ, quot vulnera Saluatorem Iesum impleuerunt, tot testes eius ingentes glorias, & potestates decantant. Is enim est Iesus, qui contradicentibus cunctis valet glorioſus euadere. Nonne gloriam suam ambitiosè commendans aiebat, Cant. 2. *Ego flos campi*, non paradisi floribus; sed campi flori se se gloriatur assimilari. Cur non potiùs purpureo regij paradisi flori? Cur non cœlesti hyacintho? Cur non florentis horti pulcherrimæ rosæ? an rusticus flos campi ornatior? Sanè hortos regios florere faciunt hortulani sapientis culturę, & vigiliæ, & custodiæ, aliorumque flores, vel cœlum sudum ostendit, vel manus ignota perdit, vel nebulæ fumus deuastat. At campus, vt notat D. Ambros. à feris calcatus, & pastus, *quibuscumque siccitatibus agri omne illud quod aliter in florem quadam virtute gentali ex se se, atque in se succi semper manentis animatur.* Cant. 2. Ambros. Medijs temporum iniurijs, media conculcatione animalium, medijs Solis ardoribus; ex intrinseco succo flos campi suo tempore pullulabit. Ea est Domini gloria, qua quibuslibet siccitatibus, quibuslibet

D. Zen.

Augustin.

Ber. Abb.

bet iniurijs,& ærumnis,virtute intima diuini ſucci ſemper manentis,ab ipſa mortis aridi tate in viuidum florem animatur. Hanc Ieſu gloriam admirabatur quicumque dicebat: *Egredimini filiæ Sion,& videte Regem Salomonem in diademate,& c.* Quæ verba, ac ſi à Domino dicerentur diſcipulis his,qui in Emaus pergebant,explicat Gillibertus Abb.ſerm.20 in Cant.fatus.*Egredimini filiæ Sion de cauernis litteræ, de anguſta & ignobili intelligentia. Egredimini, & videte Regem Salomonem in diademate. Videte iam quomodo benedixit coronæ anni benignitates ſuæ,quomodo campi eius repleti ſunt vbertate.*Sic Dominus diſcipulos erudiebat de ſua gloria,ſic interpretans Scripturas,de anguſta,& ignobili intelligentia illos ad excellentiorem ſapientiam trahebat, qua viderent gloriam reſurgere de ignobilitate,& virtutem perfici in infirmitate, & noſcerent, quòd oportebat Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.Quomodo ita? Vt annus ex glaciali intemperie, ex hyemalibus moleſtijs floridas vestis corollas ſibi parat: vt campus quibuſlibet ſiccitatibus genitali virtute manentis ſucci in florem animatur.Sic eodē modo videte,quomodo Ieſus benedixit coronæ anni benignitatis ſuæ,quomodo campi eius, id eſt,caro eius à ſemper manente viuido diuinitatis ſucco per intemperiem in florem, per mortem in vitā animatur. Equidem huc ſpectabat ſenex ille Iſaac, cùm benedictionē impertiturus filio, ait: *Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni.* Quæ benedicentis verba rumi natus D.Ambroſius ſtatim meminit Chriſti feri agri per preſſuras fructificantis, & ait: *Hos fructus redolebat Iacob, qui Deum per pericula ſequebatur.* Hi ſunt fructus,& flores,quibus omni paradiſo ambitioſius ornātur agri, & campi,imò Chriſtianæ gloriæ extolluntur,prædicantur.Iam ob oculos ſit currus ille Ezechieli monſtratus,planè triumphis coruſcus,totus de firmamento conſpicuus,de igne clarus,de gemmis radians,de Cherubinis glorioſus.Hunc ſic commendat Vates cap.1. *Et hæc viſio ſimilitudinis gloriæ Dei.* Longè aliter S.Ioann.Euangel.crucis extulit magnalia, qui poſt Ieſu miracula,poſt Deum ſuffixum cruci,ſic ait:*Hæc dixit Iſaias quando vidit gloriam Dei.* Iam expendo, quòd hîc gloria Dei videatur,cùm ſuperiùs ſola Dei gloriæ ſimilitudo.Cur ergo ille vmbram,& ſimilitudinē, hîc veram gloriam à ſe viſam fatur? Sanè in glorioſo curru ſola adumbratur gloriæ imago & Iudæorum infidelitate, è cruce vera Dei gloria radiat.Pulchrè S. Gregor. homil. 8.in Ezech. fatur. *Quid eſt quod ille ſimilitudinem gloriæ, & hic Dei gloriam vidiſſe deſcribitur? Sed cum Ioannes prius miracula Ieſu narrauit, atque infidelitatem Iudæorum poſt modum ſubdidit,hanc Redemptoris noſtri gloriam, Iſaiam vidiſſe manifeſtat.* Et quidem hinc,nimirum, ex Iudæorum infidelitate, ex cruce vera gloria coruſcat Saluatoris.Adde illud Pſalm.101 vbi dicitur.*Quia ædificauit Dominus Sion: & videbitur in gloria ſua.* Potrò apud Sionem diſcipulis congregatis poſt Reſurrectionem apparuit Dominus,illiſque vulnera in paſſione accepta oſtentauit,vt emedijs vulneribus ingens eius gloria ſplēdeſceret.Annuit Chryſoſtom. ibi dicens. *Cum Sion extructa fuerit, omnes ſummum Deum in priſtina gloria conſpicient, tum nimirum, cum in Apoſtolorum cætu medio ſtabit. Nam tum in ſua gloria,hoc eſt, in paſſionum ſignis cernebatur. Aiebat enim ad Thomam: infer digitum tuum huc, & vide manus meas.*

Cant. 3.

Gillib.

Pſ. 101.

Chryſoſt.

Geneſ.

Ad id Cāt. 2. Aduro pos.

Ezech. 1.

Gregor.

## §. XI.

### *Chriſtiano ſanguini claustra cœleſtia aperiuntur, reſerantur.*

OPortuit equidem Chriſtum pati, & ità intrare in gloriam ſuam, nullus aditus patebat ad gloriam niſi in ſanguine agni. Vituli mactati ritus præſcribens Dominus Leuit.4.inquit.*Inferet ſacerdos, qui vnctus eſt de ſanguine eius in tabernaculum teſtimonij, tincto digito aſpergens ſepties contra velum.* Et tamen hac ſanguinis aſperſione velū manebat clauſum,reſerandum ſanè erat velum ſanctuarij in ſanguine;ſed ſolum in ſanguine agni immaculati.Hinc eleganter Abbas Cellenſ.in cap. 15.de Panibus, hæc verba facit. *Ecce agnus agniculus,ecce vitulus ſaginatus Ieſus iugulatur & occiditur.Tinge igitur digitum,& aſperge ſepties contra velum ſanctuarij,vt ſit tibi clauis reſerationis cœli, ſanguis paſſionis Domini. Non obſirmabunt valuas ſuas cœli, cum viderint ſanguinem ad ſe leuari de viſceribus Saluatoris. O quanta reuerentia reueretur, imò cedit velum Angelicarū virtutum digito, agni ſanguine madefacto;imò procūbens tremit in occurſum cruoris Dei,& creatoris ſui. Feſtinant reſerare clauſa.*Sic ille.Sic ſanè agni diuini ſanguini Angelicarum virtutum cedit cuſtodia, ſic vel ad aſpectum ſanguinis diuini hædi reſerantur adamantinæ valuæ, ipſe Dominicus ſanguis arduum gloriæ introitum fecit in vias planas. Vt meritò dicat Paulus ad Hebr. 10. *Habentes fiduciam in introitu ſanctorum, in ſanguine Chriſti, quam initauit nobis viam nouam,*

Leuit.4.

Abb.Cel.

Ad Heb. 10.

*nouam, & viuentem per velamen, id est, carnem suam.* Auia erant cœlestia omnia, obseratus, & occlusus introitus; sed Dominicus sanguis obseratum, & auium introitum fecit nobis viam tritam, & complanatam. Ita D. Anselm. explicat inquiens: *quam viam, id est, quem introitum modo factum viam tritam in patriam ip se initiauit.* Arduus erat paradisi introitus, Cherubini romphæa, posset sanè Iesus sine sanguinis effusione, etiam modo, dato de saluandis hominibus per sanguinem pacto, volare super Cherubim, & cœlesti se se immergere gloriæ; at id efficeret ianuis clausis, & immota custodia. Verum sanguinis sui aspersione custodiæ rõphæa extincta est, patentes fores, introitus & complanatus, quo ipse intrãs nobis initiauit introitũ. Vndè ipse Dominus nos apud Bernard. serm. de vite vrget. *Collige tibi flores meos sanguineos, vt paradisi illius possis ianuam introire, ante cuius fores Cherubim collocatus est cum gladio flammeo, & versatili. Flores ergo sanguinis mei gladij versatilis flammas horrendas, ac tibi formidabiles exirahant.* Nulla custodia nullum velum, nulla obseratio non paret diuino sanguini, quando ipsæ Angelicæ virtutes se se effundunt in occursum Dominici cruoris; relictis gloriæ patentibus valuis.

*Anselm.*

*Bernard.*

*Textus.* Et coegerunt ipsum dicentes: mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit; & inclinata est iam dies: & intrauit cum illis.

## §. XII.

### *In fine vitæ maximè curandum, quòd tibi Iesus adsit.*

ODI qui nec dum aduesperascente, & inclinata vitæ die interemptorem mortis Iesum exquirunt, vt mortales tutò peruadãt fauces. O quam prudenter discipuli instant mane nobiscum, Domine, & quæ huius instantiæ ratio? Cur alio euntem Dominum instanter detinetis? Cur cogitis? Sanè, quoniam, aduesperascit, & inclinata est iam dies. Iam vmbræ humanarum fœlicitatum, quam longissimæ apparent, iam dies declinauerunt, & inutiles facti sunt, iam fumãt funeræ mortis faces. Ergo tenendus Iesus, ergo cogendus Dominus, nec à corde, nec ab ore dimittendus. Tenebat Iacob, de quo D. Ambros. lib. 2. cap. 9. fatur. *Dicat nunc aliquis non beatum Iacob, cum in ipsis mortis diebus esset, qui plura cum Deo, quam cum hominibus alloquia miscebat?* Totus Deo innixus, vni Deo intentus mortem expectabat. Sic fœlix Dei Sponsa, Cantic. 1. ait: *Fasciculus noster floridus*: quibus verbis in mortis accubitu ex floridi Iesu præsentia ingens sibi meditabatur leuamen. Etenim aliter transferens, & commentans eadem verba Philo Carpat. inquit. *Accubatio nostra in vmbra: cum enim inclinamur ad mortem. Ad te Iesus, solum refugium nostrum, & protectio, tu nostra vmbra, tu defensio, tu certa salus, & vita. Dicamus cum Dauid, & si consistero in medio vmbra mortis non timebo mala, quoniã tu mecum es.* Nihil præter Iesum quærendũ in vitæ inclinatione. Iesũ solum spectandum, & tenendum putet, qui velit sine metu mortem expectare. O quam timenda illorum cõditio, quibus nec tunc licet à sæculi negotijs vacare. Nonne quinque apud Matthæum virgines fatuæ dicuntur? Cur fatuæ? Sic dicit de illis. *Dum irent emere, venit sponsus.* O meritò fatua virgo, quem inclinata iam die aduesperascente vitâ, instante Domini aduentu, pergit ad vendentes, adhuc apud sæculum negotiatur. Vidi plurimos imo, & plãxi, quos animam agentes vrgent negotia sæcularia, tunc maximè illis res est cum vendentibus, cũ mercatoribus, tunc pecuniarium rationes, tũc æris alieni compositio totam hominis cogitationem peruadunt. Metuo, ne sic Domini priuentur ingressu; fœliciores discipuli, qui aduesperascente die, relictis alijs vnum curant, vt secum Dominum habeant. Quam dulciter ille senex Luc. 2. *Accepit Iesum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit: nunc dimittis seruum tuum Domine.* Vndè sic omes nos monebat Origen. homil. 15. *Si quis egreditur è mundo, si quis è carcere vinctorum dimittitur, vt ad regnandum vadat, sumat Iesum manibus suis, & circundet eum brachijs suis, totum habeat in sinu, & tunc exultans ire poterit quo desiderat.* Metuat sine hoc lumine mortis caliginem intrare, at si Iesum manibus detineat, dulcibus constringat, & licet amplexibus, mortis vmbras non timeat; sed exultans migrabit. Charissimum sibi filium Ioseph um in Ægypto regnantem videns Iacob Genes. 46. *Irruit super collum eius, & inter amplexus fleuit: dixitque pater ad Ioseph, iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo.* Quæ verba pulchrè in rem præsentem trahit Rupert. libr. 9. in Genes. c. 17. hisque putat morituris verũ mũdi Saluatorẽ salutaturos, & amplexuros esse.

*Ambr.*

*Cant. 1.*

*Phil. Car.*

*Psal. 22.*

*Matt. 25.*

*Luc. 2.*

*Origen.*

*Genes. 46*

*Rupert.*

Ait enim. *Quando Christiane, defungeris, dic vnico Dei Patris filio saluatori tuo: iam latus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo. Videmus enim nunc per speculum in enigmate, & in hora qua quisque nostrum moritur superstitem illum relinquimus, qui solus depositis nostris corporibus, & animabus curare sit idoneus.* Hactenus ille.

*Text.* Factum est autem dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, ac porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum.

## §. XIII.

### *Christus Dominus rediuiuus hominum genus in primæuæ natiuitatis decus reparauit.*

*Iob 28.* MEritò sanctissimus Iob cap. 28. agilem Dei hominis carnem considerans à laqueis mortis euolantem nationis prauæ cæcitatem lamentans fatur. *Semitam ignorauit auis.* Auis hæc D. Gregorio est Christus à sepulchro in æthera subleuatus, auis, inquam iam non super pullos infirmata; sed expandens alas, & super eos volitans, vt pristinos discant immortalitatis volatus. Huius auis diuinæ æconomiam circa hominem, cuius & filius verè dicitur, naturaliter expressam reddit Vpupæ auis natura. De qua eleganter notat D. Antiochus homil. 108. *Vpupa*, inquiens, *si quando parentes suos viderint consenuisse, & persennium hebetiores esse visu; filij alares pilos parentum conuellunt, deinde alambunt oculos illorum, mos ipsos parentes suismet alis subiectos excalfaciunt, ac refouent atque ita demum eos quasi pullos recens editos reuocant ad florem ætatis.* O noua diuini altis circa genus humanum charitas! siccine renouat Iesus veteres homines? Ecce miro è sepulchro rediuiuus volatu veterna cæcitate discipulos affectos conuenit, & sub alis subiectos diuinè excalfacit, ac refouet dicentes, *nonne cor nostrum ardens erat cum loqueretur nobis?* Illorum item allambit oculos, visum acuit, vt cæcitate depulsa primæuæ ætatis ad florem iuuenescant. Cuius status recuperationem in præsenti Christi Domini cum discipulis ad mensam recubitu agnouit D. Anasthas. Sinaytà lib. 10. Exam. his verbis. Factum est autem, cum ipse recumberet cum eis accipiens panem benedixit, & fregit, & dedit eis, eorum autem aperti sunt oculi. *Ecce habes escam: habes etiam per eam visus recuperationem, & Dei agnitionem quem per escam ignorauerunt protoplasti. Deinde quid fit post sumptam escam?* Surgentes ipsa hora reuersi sunt in Ierusalem. *Ecce etiam à casu excitatio; ecce etiam pulchra ab errore reuersio.* Tantum non dixit ecce in pristinum florem restitutio. Sic parenti homini veterascenti accubat diuinus ales, sic oculos allambit, sic excalfacit, sic refouet, sic, vt pergit Synaita, *simul accubuit, vt surgeret qui ciderat.* Calefactus namque homo & visu renouatus veter, nam exutus maciem in floridam, & immortalem exsurgir vitam. Vt dicat D. Chrysostom. *Domini resurrectio induxit mundo lætitiam. Quanto fulget in aspectu, tanto feruet in affectu. Vetus homo migrauit, nouus aduenit.* Sic ille.

*Synait.*

*Chrysost.*

*Textus.* Et cognouerunt eum; & ipse euanuit ex oculis eorum.

## §. XIIII.

### *Christus Dominus, vt peccatoribus adest.*

NImium Deus peccatores amat, quam sæpe differt iustorum fauores, & tardat illis afferre leuamen quasi peccatorum consortio, & colloquio occupatus. Componit Diuus Chrysostom. Christum Dominum iuxta fontem Sichar, cum muliere Samaritana loquentem, cũ eodem apud Emaus discipulis adhærente, & inquit. *Cum oculos eorum aperuit, tunc ex ipsorum conspectu ablatus est, seipsum illis voce non reuelauit, & mulieri dicit: ego sum. Paulo se manifestauit è cœlo dicens, Saule, cur me persequeris? Saulus verò respondit, dicens, quis es Domine? Tunc ille: ego sum Iesus Christus, quẽ tu persequeris: hoc & nũc Samaritanæ dicit; Ego sum qui loquor tecũ. Quod multis ex Apostolis nõ reuelauit, hoc meretrici palã reuelat.* Is est Dominus erga peccatores, sic peccatorũ saluti inuigilat, vt quasi præ illis iustos obliuiscatur, & despiciat. Sanè nõ cõponamus nos discipulos hos cum peccatrice; sed cum se ipsis, dum tristes ab Ierosolymis abscedunt, & in fideli stultitia expectationem

*Habetur tom. 8. Biblioth.*

*Chrysost.*

nem suam emortuam promunt, tunc Iesus illorum adest socius infidum animum pungens, ignorantiam tollens, placidis verbis illorum corda refouens, & incendens in Dei amorem: at vbi oculos aperiunt, vt veritatis diuinæ attingunt cognitionem, ex templo disparet, nec vllam cum illis iam sustinet moram. Sed cur modo tam citò disparet? Euthym. respondit, *ne amplius tardarent; sed citius ad discipulos reuerterentur; volebat enim eodem die simul omnibus apparere.* Quod modo disparet, anxiæ illius erat curæ, qua gregem suum cupiebat visitare; quod antea apud illos morabatur, illius erat amoris, quo circa peccatores ferebatur, quorum causa iustorum gregem videbatur obliuisci. Ioseph ille vbi à fratribus suis cognitus fuit, seseque omnibus manifestauit, hæc illis verba dabat Genes. 46. *Festinate, & adducite patrem ad me.* De quo pulchrè Rupert. lib. 9. cap. 22. & dubitat, & fatur. *Qui sic iusto patris desiderio nunc festinat, quomodo tantas hactenus potuit perpeti moras? Videlicet, quia si patrem prius inuitasset, quam congregatos ad se fratres suos omnes sub spe solidissima composuisset, grandem nimis in domo patris sui turbationem concitasset.* Nimirum, vbi fratres venditionis rei audissent apud patrem esse Iosephum turbati metu, patris domum minimè introissent. Hinc sui patris vehementer amator desiderium patris sustinet, & moratur amplexus, dum singulos fratres à metu liberat, at postquam fratres omnes spe sublenat, & confirmat, iam nec vllam patris videndi sustinet morulam: festinate, inquit, & adducite eum. Ita Iesus verus mundi Saluator anxius gregis sui, si choro Apostolico sese manifestasset, errones nonnulli discipuli infidelitatis rei non auderent se illi iterum coniungere: quapropter desiderium distulit singulos, qui aberrauerant visitans, at vbi illos in fide confirmatos vidit, nec mora ab oculis eorum disparet, & in amantissimum gregem festinat, quem propter errantes aliquas oues quasi fuerat oblitus.

*Euthym.*

*Genes. 46*

*Rupert.*

*Text.* Et dixerunt adinuicem, nõne cor nostrum ardens erat dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Et resurgentes regressi sunt eadem hora in Ierusalem, &c.

## §. XV.

*Algent prophanorum sapientium verba: quæ autem è sacrarum literarum penu sunt, incendunt corda, & ædificant in fide.*

LIcet Christiano Doctori vasa ab Ægyptis quærere, hoc est, prophanorum sapientũ testimonijs doctrinam suam confirmare? Nõ abnuo, at qui velit animos inflammare, ardentem flammam intimis imprimere visceribus, non è prophanorum, sed è Christi pharetra iacula iaciat. Taceat Seneca, taceat Plato, loquatur Christus, & cor audientium inflammas conuerteretur. Miratus sum pulchram illam vicissitudinem columnæ nubis, & columnæ ignis, è quibus Deus populum gubernabat in deserto. *In columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem:* Exod. 13. Enim vero quos columna nubis gubernabat in die, eosdem in nocte, & columna ignis illuminabat nocte, & calefaciebat. Nimirum quos per nubeam Christi carnem perdocebat Dominus, eos intimi Spiritus sancti virtus igniebat. Ita eleganter Drogo lib. de Sacram. Pass. in hæc verba. Nubes ergo per diẽ, & columna ignis per noctem, quia & caro tua diuinitatis æstum temperat, & Spiritus sancti lux tenebras nostræ mentis illustrat. Igitur dum loquereris in via duobus discipulis, & nubes peregrina faciem tuam obtegeret, *nonne*, inquit, *cor nostrum ardens erat in nobis? Ardebat nimirum intus columna ignis, quia foris columna nubis loquebatur ad eos.* Sed vlterius expendo, quod verba hæc non solum incendium inferant internum; sed totum hominem fulciant columnis: columna ignis, & columna nubis, loquitur hæc, & incendit illa, & vtraque fulcit, & reddit cor humanum in fide stabilitum. Iam huc spectat Psalm. 126. *Nisi Dominus ædificauerit domũ in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* Sanè exterorum sententiæ, & gelidæ, & infimæ sunt; quæ ignem eructant, & stabilitatem, & firmitudinem suggerunt, hæc sunt sacrarum scripturarum verba. Nobiscum consentit D. Zeno inter alia, sic hunc Psalm. locum commentans. *Caterum in ædificandis animarum ciuitatibus humanæ artes vacant, inanes enim sunt Philosophorum vigiliæ, & otiosæ sollicitudines, & frustratum in inuestigandis naturæ secretis, & perscrutandis mundi laboribus studium; sed lapsu-*

*Exod. 13.*

*Drog.*

*Psal. 126.*

*D. Zen.*

*lapſuram citò domum operatio talis ædificat. Domus ergo ædificanda per Dominum eſt, nec doctrinis ſæculi ædificata conſiſtet.* Vna Chriſti Domini verba induunt humanis cordibus colũnam ignis, vt ardeant,& firmiter in fide conſiſtãt. Igitur Dei verba columnæ igneæ ſunt, quæ muniant mentem incendantque,& illuminent. At prophanorum verba nihil humanis cordibus meditantur, præter excidium,&
*Ioſue 7.* ruinã. Ioſue 7. expugnata Iericò, miſerè corruebant Iſraelitæ, quæ ruinæ cauſa? Sortium deſignatione manifeſtatus Achan inter alia, inquit, *regulamque auream concupiſcens abſtuli.*
*Origen.* Origen. ad hunc locum perueniens hom. non dicit regulam; ſed linguam auream ablatam putat, cuius cauſa ingens illa graſſabatur pernicies. Tũc ſic monet. *Si Poetam legeris modulatum verſibus, & perfulgido carmine Deos, Deaſque texentem, ne delecteris eloquentiæ ſuauitate. Lingua aurea eſt: ſi eam ſuſtuleris in tabernaculo tuo, ſi introduxeris in cor tuũ, ea quæ ab illis afferuntur, pollues omnem Eccleſiam Domini.* Vt videant quãta mala cauſent religioſi viri, qui vaniſsimorum hominũ ſtudẽt libris.

## §. XVI.

### *Qui etſi in peccatis lapſus bona exercitia, & orationes non deſerit, citò ſe à peccatis liberat.*

VBi dictum eſt, quod regreſsi ſunt in Ieruſalem eadem hora, rectè monet D. Ana-
*Synait.* ſtaſ. Synaita ſupra allatus. *Ecce pulchra ab errore regreſsio.* Etenim quaſi deſperata ſalute per Ieſum hi diſcipuli abibãt à reliquis; verũ protinus relicto errore iterum ad gregem regrediuntur. Vndè tam fœlix & propera re-
*Euſ. Emiſ.* greſsio? Cauſam redit Euſebius Emiſ. in præſenti. *Beati, cum quibus ambulat Ieſus, beati cũ quibus ambulat ſalus, & vita, qui quoniam cum luce vadunt diu errare non poſſunt.* Per infidelitatem ex corde Ieſum eiecerant, tamen quia vel extrinſecus cum Ieſu ambulabant, cõſuetos de Ieſu miſcebant ſermones, eum præſentem habebant, celerem obtinuerunt ab errore reuerſionem, diu errare non potuerũt. Horum ſimiles ſunt omnes illi, qui & ſi peccatis obtenebrati ſunt, externa orationis, & ſanctorum exercitiorum opera non deſerunt, in ore & præoculis Deum trahentes, hi nõ diu errabunt; ſed citò ad Deum conuertentur, Da
*Pſalm. 50* uid Pſalm. 50. *Tibi ſoli peccaui, & malum corã te feci.* Expende coniunctionem, nimirũ, malum coram te feci, quaſi diceret; nec peccans tuum conſpectum fugi, orationes minime deſerui, te in ore, & præ oculis etiam tunc cabam: hinc pœnitentia ductus ad te reuertor. Sic Origen. hom. 11. in Exod. *Qui pleniorem ſcientiam Dei accipiunt, etiam ſi malum faciant, & in conſpectu eius faciunt. Sicut ille, qui dixerit: tibi ſoli peccaui, & malũ coram te feci. Quid ergo plus habent, qui malum coram Deo faciunt? Illud profectò, quod continuo pœnitent, & dicunt peccaui.* Iam qui ob humanam fragilitatem in peccata ruitis, ne omnino Deum deſeratis, ſed quando ab intimis animi receſſerit; tamẽ eius memoria preſens vobis occurrat in oculis, in ore, in operibus ſanctis, vt vel ſic diu errare, nequaquam poſsitis.

---

# CAPVT IIII.

## *De apparitione facta diſcipulis congregatis ſine Thoma.*



VDAEORVM metus Chriſtianum gregem intra domus clauſtra coegerat vbi diuinus paſtor circa ſolis occaſum ſuos viſitat, & fouet agniculos. Metuẽtibus vulnerum præſefert cauernas, vt ibi à malis incurrentibus cuſtodiantur. Lętus conueſcitur, fabulatur, & ideo ex cruce reſurrectionis gloriam oriri commemorat, vt nemo peccator, niſi ex pœnitentiæ mortificatione nitatur ad cœleſtia gaudia euolare.

*Text. Ioann.* 20. Cum ergo ſero eſſet die illo vna Sabbatorum, & fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati propter metum Iudęorum venit Ieſus, & ſtetit in medio.

## §. I.

### *Metus ſæuientium Rabidorumque hominum, vt cadat in conſtantiſſimos viros.*

METuunt ſæuientes Iudæos Chriſti Apoſtoli, an ideo meticuloſi dicentur, & puſilla-

pusillanimi? Abnuit D.Cyrill.in Ioann. lib. 12.cap.53.imò vel ex hoc metu prudentissimos,& fortissimos viros Apostolos autummat.Quis prudens non timeat rabidissimi hominis furorem? Sæuiēte Herode in Messiam, mandat Dominus per Angelum ad Ioseph,
Luc.2. Luc.2. *Accipe puerum: fuge in Ægyptum*: circa quod,& venustus,& elegans fatur Chry-
Chrysol. sol.serm.150. *Persequente homine Deus fugit, sæuiente terra cœlum trepidat,& volitante pulue re pauore turbantur Angeli,& pauor patris filio fugiente monstratur.* Ea est enim furia humani cordis,quæ sola nullius carceribus constringitur,quæ sola omni exorbitat à lege.Ferociē tia maria certis legibus concluſit Dominus, nec mare vnquam transiliuit fines suos, sic omnium creaturarum iras intra certos carceres frænauit,quos minime transilient. Vnum hominem reliquit in manu consilij sui, vna hominum feritas præpositos naturę carceres rumpit,terminos transilit,& à legibus exorbitat diuinis.Furente igitur homine,suis legibus,suis finibus præscriptis,timet Dominus, quis etiam non timeat etsi prudentissimus, etsi fortissimos? Hanc reddens rationem D. Athanas.de fuga sua,cur strenui Christi milites, fortissimique religionis Christianæ duces aliquando à persecutoribus se se subducebant,inquit.
Athan. *Illis curæ fuit, neque præsentiam eius temporis reformidare,neque decretum à prouidentia terminum ante capere,aut dispensationi diuinæ repugnare, ad quam se reseruari certi erant.* Is timor fortissimos homines vexabat, ne præscriptus à Deo terminos transiretur,ne diuinæ dispensationi repugnaretur, cui quia sola furia hominum repugnare valeret,ideo à furentibus hominibus cabebant,qui intrepide morti,tormentisque se traderent. Pro qua re affert ipse Athanas. maximorum virorum
Idem. exempla in hæc verba. *Siquidem Patriarcha Iacob,qui antea Esau fugiebat,idem vbi mortem præsentem videbat minime, expauit, quin eo potissimum tempore singulis Patriarchis pro cuiuscumque meritis omnia benedictionesque irrogauit. Magnus item Moyses ille,qui se antea Pharaoni occultauit,& ad Madianitas abijt,acceptis Dei mandatis,in Ægyptum sine metu rediit. Petrus quoque, qui ob metus Iudæorum in latebris se habuit,gestiebat se mactari.* Ecce vobis contemtores,imò amatores mortis metu delitescentes,& ab hominum rabie se abducentes,quo metu tam Deo erant grati, vt interea cœlestibus visionibus recrearentur. Id quod
Idē Atha naſ. notat deinde ipse Athanas.fatus. *Certè Iacob inter fugiendum pluribus visionibus, ijsque diuinis dignus est habitus. Moyses item Deo charus cum in fuga esset,tum demum vidit illam magnā visionem, ereptusque à persecutoribus Propheta in Ægyptum remissus est.* Sic modo timentes Apostolos,à Iudæorumque oculis se subducentes recreat Dominus rediuiuus,eosque lætitia cumulat,& gratijs.

## §. 11.

### *Nulla res magis Deum illicit, quam mortis eius imitatio.*

ECce ad discipulos congregatos in Cœnaculo festinus,Iesus aduolat;sed scire cupis quem præseferrent tunc discipuli Dei illicem, quo Deum ad se festinato cursu traherent. Eum notat D.Chrysol.serm. 83. *Erant,* Chrysol.
*inquit, clausi propter metum Iudæorum; non erat domus illa,sed carcer,sed sepulchrum: tunc tota ad discipulos pœna Dominicæ transierat passionis & non solum lateribus eorum, sed & cordibus doloris lancea tota figebatur, tunc tristitiæ clauis affixæ manus eorum,pedesque tenebantur.* O veros Domini amatores,& amicos,qui vt amicum,& Dominum sepulchro conditum,eiusque pedes,manusque transfossas norunt, sic se ipsi afficiunt,vt domi sepulti transfixis pedibus teneantur. Sanē amici Iob illius ærumnam obtupescentes,cap.2.*Exclamantes plorauerunt,scissisque vestibus sparserunt puluerem super caput suum in cœlum: & sederunt cum eo.* Iob 2.
Id quod expendens Origen.lib.3.sic ex illo- Origen.
rum mente loquitur: *Quæ fecisti, inquiunt,ò Iob facimus,& quæ gessisti gerimus, vestimenta nostra scindimus,& terram super capita nostra spargimus, sic nāq; & tu fecisti ante paululū, vt aiūt,ò Iob! & vtinā cæteros dolores tuos tecū dividere possimus.* Sic amici eadem, quæ in Iob peracta noscunt,ipsi in se faciunt, quantumque potest fieri illius in se miseram conditionem transcribunt. Quo expendo illud, *& sederūt cum eo,* quasi similitudine dolorum eius mercati societatem,& præsentiam. Itaque Iesu amatores,& discipuli in formam dilecti sepulti,& transfossi se se transfigurantes, domi vt in sepulchro se condunt, & fixis pedibus præ tristitia tenentur clausi. Per hæc Dominicæ mortis stemmata Dominum ad se trahunt,quandoquidem nulla res sic Regnatorē Iesum illicit,quā eius morientis imitatio. Volantes aues sollicitat,& trahit similis auis infixa ramo, sic à sepulchro,& cruce auolantem Dominum sollicitant, trahunt ij, qui mundo crucifixi, mortis illius, & sepulturæ induunt imaginem. Hunc sibi effinxerat illicem,quæ dicebat Cant. 5. *Surrexi,vt aperirem dilecto meo, manus meæ distillauerunt myrrham.* Meritò cuius manus fuda- Cant. 5.

bant myrrham, hoc eſt, cuius opera Dominicam referebant mortem ſepulturam, exſurgit aperire dilecto Chriſto, veniendum illi certo certius erat, cum ſuæ mortis immitatores videat. Vbi myrrhæus Dominicæ mortis olet puluis, patentia ſint hoſtia iam iam aduentat Dominus, neſcit enim morari, ſed liberũ per talem mortis ſuæ imitationem nactus ingreſſum, ibi hoſpitandus accedit. Ita D. Ambroſ. lib. de Iſaac, cap. 6. præfata commentatur verba. *Surrexit, inquit, aperire, & opera eius, & facta mortificata ſunt mundo. Talis enim debet eſſe anima, quæ verbum eſt receptura, vt moriatur mundo, & conſepeliatur Chriſto. Sic enim Chriſtus inuenitur, & tale quærit hoſpitium.* O vtinam ſic vniuerſi diſceremus commori, & cõ ſepeliri, ſic manibus pedibuſque domi figi, vt pœnam Dominicæ paſſionis accipientes, prę ſentiam frueremur Dominica, & nulla interpoſita mora noſtris manibus glorias tractaremus illius. Sic erat affectus D. Paulus ad Galat. cap. 6. his verbis. *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Ecce in Paulo imaginẽ crucifixi, ecce in homine Dominicæ paſſionis pę nam tranſlatam. Vndè ſic loquitur D. Chryſoſtom. de compunctione cordis, lib. 2. *Dixit Paulus, quia mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Vides ergo quantum longe erat, & quantum peregrinabatur ab ijs, quæ agũtur in terris? Vides quomodo ſuper terras incedens ipſum tenebat verticem cæli?* Et cœli vertex, & cœlorum Rex inclinatur ad eos, qui imaginem induũt Dominicæ mortis, & ſepulturæ, inter quos glorioſæ vitę claritas maxime effulget, & apparet.

*Ambr.*

*Chryſoſt.*

## §. III.

## *Chriſtus Dominus maximum habet honorem ijs, qui compatiuntur.*

EAdem Iudæorum rabies, quæ Chriſtum Dominum extra ciuitatem eiecit, & in putreſcentium damnatorum loco mulctauit, diſcipulos de morte Domini triſtatos, doloreque transfixos intra domum clauſit. Id ſanè crucifixus, & iactus Dominus prouidebat eorum, qui compatiebantur conſulens honori. Iob 2. dicitur de illius amicis, quod *ſederũt cum eo:* Sed Iob ſedebat extra ciuitatem in ſterquilinio numquid & amici eodem in loco manſerunt? Accipite Orig. lib. 3. Non tanta multitudo dolorum inundauerat Iob, vt ille honorem ad ſe venientium non intelligeret, vt dignitatem præſentium non conſideraret. Quam diu ergo venirent illi, illo vſquè foris erat in murana inſtracta omnibus euidenter oſtendens paſſionem ſuam. *Poſtquam vero memorati viri venerunt deferens honorem ſinceritati eorum, & honorificans perſonas introiuit in ciuitatem, & ſedit in domo.* Non paſſus eſt ſi mul dolentes in ſterquilinio manere; ſed ipſe ſe ſe ad domum recepit, vt illos honoraret, quod quam verum ſit tu ipſe meditare. Verũ non ſuperat hęc cura illam, quam Dominus habuit de ijs, qui compatiebantur, cum enim ipſe ſolus ſine conſolatore extra ciuitatẽ mortem ſubiret, mortificatos diſcipulos domo excepit, ibi ſeruauit, & honore habuit. Quid mirum, quod compatientium honori modo Dominus proſpiceret? Is eſt Ieſus, qui multo ante ſuæ paſſionis imaginem Ionam Prophetam fecit in ipſa morte à nautis honorari: ait enim Text. cop. 1. *Et tulerunt Ionam, & miſerunt in mare.* Vbi Remigius Altiſiodorenſis expendens illud verbum tulerunt Ionam, fatur. *Tulerunt, id eſt, quaſi quodam cum honore, & obſequio portantes, non præcipitantes, miſerũt in mare.* Ecce tibi quanta prouidentia compatienti Ionæ, & Dominicam paſſionem præfiguranti in ipſo mortis articulo honor fuit habitus. Sanè vbilibet proſequitur Deus eos, qui compatiuntur, honore maximo.

*Origen.*

*Remig.*

*Text.* Et dixis eis. Pax vobis: & cũ hoc dixiſſet oſtendit eis manus, & latus.

## §. IIII.

## *Infidelitatis Regnum cadit, vbi pax introducitur.*

SIne Bacho, & Cerere, aiunt, friget Venus, & quidem ſine Marte tota infidelitas euaneſcit. Bella fouent hæreſes, nec nouit error progreſſus facere, niſi vbi rixæ, bellicique tumultus affleant. Vndè prudenter monet D. Cyrill. Ieroſ. præfat. ad Catechum. fatus. Cæterum Draco circa viam tranſeũtes, obſeruat, caue ne te veneno infidelitatis inficiat. Videt tot ſaluatos, & quærit quem deuoret. Ad Patrem ſpiritum ingrederis; ſed per Draconem tranſis, *quomodo igitur illũ præteribis? Induc pedes tuos apparatu Euãgelij pacis, vt etſi te mordeat, non nocere poſſit.* Expẽdo illud, vt etſi te mordeat, non nocere poſſit; quaſi inſinuet, quod etſi in fidelitatis veneno imbuatur, quis per Draconis morſum, tamen dum pace gaudeat, illaque fuerit armatus, nullum ab infidelitate

*Cyr. Ieroſ.*

litate damnum diuturnum capiet. Non adolescit error infidelis inter pacificos, sed protinus euanescit, vt meritò dicat D. Chrysost. homil. 16. *sicut cœlum splendor solis, ita Ecclesiam fulgor pacis illuminat. O quam desiderabile nomen pacis, quam religionis Christianæ stabile fundamentum. & altaris Dominici cœlestis armatura.* Exsurgit Christiana fides, mirumque in dies capit augmentum, hac vna subiecta pace, à qua & fulcitur, & armatur Ecclesia, vt errorum de pulsis tenebris, certam suæ celsitudinis obtineat mensuram. Huc spectat Psalm. 71. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna.* Benè stabile pacis fundamentum supponitur, vt mobilem varietatem suam auferat Luna, vel si mauis lege, *donec extollatur Luna*: vt simul per pacis exhibitionem decretio errorum, & Ecclesiæ Christianæ explicetur augmentum, & sublimitas. Sic Diu. Augustin. *Donec extollatur Luna, tanquam diceretur; orietur in diebus eius iustitia, siue contradictionem, & rebellionem tollat, & fiat pax in tantum crescens, & abundans donec Luna extollatur, id est, eleuetur Ecclesia per gloriam resurrectionis cum Christo regnatura.* Ecce à pace Luna auferitur, & extollitur Luna, quod vanum est, quod errorum tenebris obscurum ex templo tollitur, quod clarum, quod luminosum est procedit, & crescit vsque in perfectum diem. Rectè Genes. 15. dicitur. *Ibis ad patres tuos in pace*; quasi pax sit, quæ in beatitatem prouehit cunctos. Sic Richard. Victor. de diff. sacrif. Habr. & Mar. fatus. *Ergo ad pacem properabat, qui in pace iturus erat. Ibat per pacem, & ad pacem, per pacem internam ad pacem æternam. Per pacem illam, quæ mutuo sibi conciliat omnem sensum, ad pacem, quæ exuperat omnem sensum.* Vndè vt ostendat pacis vtilitatem egregiè. Optatus Melinit. lib. 7. aduers. Parmenianum fatur. *Apostoli pro bono vnitatis, noluerunt à communione Petri recedere, eius, scilicet, qui negauerat Christum. Quod si maior esset amor innocentiæ, quam vtilitas pacis dicerent se non debere communicare B. Petro qui negauerat Magistrum.* Adeò sanctum debet esse ius pacis, vt propter illam quandoque connieam us ad peccata castigãda. Hinc diuinus Pastor Christus inter fidelitatis tenebras enitentẽ erumpere lucem fidei, in discipulorum cordibus excitat, & afflat, & cõfirmat, dũ pacis nouæ prœconium edicit. Nouit enim rabidissimi lupi astum, qui vt Christianas oues perderet, nihil illis citius immittit, quam dissidia, ait enim Ioann. 10. *Et lupus rapit, & dispergit oues.* Quid est dispergit? Pulchrè S. Anselm. *Dispergit*, inquit, *oues, quia dissipat eius actiones, vt omnia quæ fecerit sint in cõpositæ, & incongrua, & dissidentia.* Itaque lupus dissidium seminat, vt oues eripiat, ecõtra Pastor bonus pacem suggerit, & cõcordiam, vt exibilatis lupis, fiat vnum æterno duraturum Christi ouile.

De recipiẽdo Seueria uo.

Psal. 71.

Augustin.

Gen. 15.

Rich. Vict.

Anselm.

## §. V.

### *Præposteræ omnia fiunt per discordantium suffragia.*

ECce primis renascentis Ecclesiæ comitijs, quid magis omnium princeps statuat, & commendet, nimirum, pacem, & concordiam. Equidem nũc primo vniuersam Ecclesiam conuenisse videns Dominus, nihil prius duxit illis commendandum, quam pacem sine qua fieri nequit, vt rectus ordo familiæ componatur. Eleganter enim notans D. Petrus Chrysolog. serm. 84. bonum pacis exhibitæ Apostolis iunctis in vnum inquit. *Quibus nisi pacem suam Christus dedisset, & Petrus, qui primus erat omnium putaretur inferior, & sequens indebite fortasse tolleretur aduersus primum.* Papæ; hæc sunt discordantiũ vniuersa suffragia, quæ semper norint, & extollendum dẽprimere, & deprimendum extollere. Vbi in quauis familia discordias videris, & dissidia pullulare, iam inde puta primos viros in sentina sessuros, & nouissimos ad puppim collocandos, & nulla morum mutatione facta, erunt quotidie nouissimi primi, & primi nouissimi. Id quod egregiè expendit, imò plorat Nazianz. orat. 3. de Pace, qua ab Ecclesia exhibilata inquit. *Ipsa calculorum inuersio est: nam cum deprehensi conuictique fuerimus* (puta pacis turbatores) *tum pij, atque orthodaxi sumus, falsoque ad veritatem cõfugimus, quasi pro fide simulates feramus.* Vnus cunctos beat affectus, si ambitioni placeo, pius, & sanctus sum, sapientiaque omnimoda versatus; si alio pergo statim, & sapientiam amitto, & sanctitatem. Pergit Naz. hæc indignãs. *Quisquis es qui ita afficeris stolidissimè, & vaecordissimè, hic tibi hesterno die pius erat, qui fit ita, vt idem hodie impius sit, cum nec verbo, nec scripto quicquam, vel addiderit, vel detraxerit; sed in eadẽ fidei sententia hæreat, eũdem aerẽ exhalet, eisdẽ oculis eũdem solem intueatur. Atq; etiam tibi hodie libidinosus, & impudicus est, qui hesterna luce Ioseph ũ, castitate referebat, & Iudas hodie, vel Caiphas, qui heri Eliam, vel Ioannẽ moribus exprimebat. Quin etiã pulchrũ illũ magnarũ virorũ florem, hoc est, pallorẽ, aut vocis moderationem, & tranquillitatem heri sapientiam, hodie vanitatem inanemque gloriam nominamus, atque eandem aduersus mãlos spiritus potentiam*

Chrysol.

Nazianz.

*tiam nunc Domino Iesu, nunc Beelzebub ascribimus, & ad iniquam prorsus contentionis normã has res exigimus.* Hæc ille discordiæ narrans pestigias, quibus nouissimi apparent. Vtinam nulla Christiana familia huius rei experimentum caperet, quod Dominus præcauens suis pacem commẽdauit, vt ordinis matrem, vt veritatis assectam.

## § VI.

### *Christiana pax non expers est belli, imò est pugnax, & belligerans.*

QVem non moueat, quòd Dominus commendet pacem discipulis, eo præcipuè tempore, quo inituri sunt bellum cum toto orbe terrarum? Illos mille bella expectant, mille exercitus vocant, gladij, lanceæ, ignea fulmina petunt, & in hæc strenuè profilituros pace armat Saluator. Quæ pax inter hostes, inter inimica arma? Sanè hæc est pax verè Christiana, quæ non dissidiosos, sed acres, sed belligerantes facit. Reuocate in memoriã sanctissimum, & religiosissimum Iudæ Regẽ Isaiam. Is 4. Reg. cap. 22. vehementer dolens legem à maioribus conculcatam, misit præcipuos viros, qui Prophetem consulerent, quæ sic respondit Regi. *Pro eo quod audisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino ::: idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace.* Expende Dei infallibilem promissionem Iosiæ exhibitam, quod moriturus erat in pace. Nihilominus tamen Rex Iosias duro in bello sauciatus occubuit: sic enim habet c. 23. *In diebus eius ascendit Pharao Nechao Rex Ægypti contra Regem Assyriorum ad flumen Euphratem; & abijt Iosias Rex in occursum eius, & occisus est in Mageddo.* Cur ergo dicitur moriturus in pace, qui dimicans, & pugnans aduersus hostes occubuit? Sanè sanctissimum, & religiosissimum Regem non decebat pax dessidiosa inermis, & infirma, sed pax gloriosa, quę minimè hostes secum admittat. Enim verò Ægyptius Rex aduersum Syriã per Iudam transire cupiens fœderã pacis â Iosia requirebat, qui bellicos tumultus in Regno suo recusans, dum illos nititur expellere, in bello occubuit, ea pace, quæ decet strenuos viros, quæ omnia aduersantia recusat. Huc spectat Nyssen. in Ecclesiasten, hom. 8. sic monens. *Pacem habeamus apud Deum, propterea quod hostili, & infesto animo fuerimus aduersus aduersarium.* Itaque tunc Christianãm, & deificam obtinemus pacem, quãdo hostiliter aduersus Dei inimicos paramur; hostilis, & pugnax Christianorũ animus cõtra aduersantes cupiditates, cõtra grassantes errores, is est pacificus animus, qui decet sanctos, qui decet filios Dei. De hac pace gratulatur Dauid cœlesti Ierusalem Psal. 147. cum ait, *qui posuit fines tuos pacem.* Sanè qui finiunt, & terminant ciuitatem muri sunt, muri, inquam, qui bellorum impetus substineant, & frangant, vbi enim muri dicũtur quid hostile, & bellicũ explicatur. Quo circa S. Cæsar. Arel. hom. 11. prædicta Dauidis verba memorans pulchrè educit. *Ergo Ierusalem illa cœlestis muros de pace constructos habet.* Non enim pax quæ decet cœlites in lectis stertit, in plateis ludit, in hortis dessidiosa vagatur; sed fines percurrit, vt hostes arceat: sed pro muris excubat, hostilẽ, & infensum animum præseferens aduersarijs. Hinc Dominus veram Christianorum pacem vocauit gladium apud Matth. cap. 10. fatus. *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium,* nimirum non mitto pacem inermẽ otio torpentem; sed pugnacem, quæ vera, & sola pax est. Id quod insinuat S. Chrysostom. homil. 39. in Matth. his verbis. *Si bella venis mittere cur te nascente cantatur pax? Certè quia tunc vera pax cum proijcitur quod erat tabidũ.* Sic ille. Rem tandem finiat S. Synesius qui libr. de Regno, sic de pacifico Imperatore loquitur. *Bellicosus quidem omnium maximè pacificus fuerit, soli enim illi pacem colere licet, qui lacessentes vlcisci, ac male afficere potest. Eumq; Regem dixerim omni ex parte rebus ad pacẽ attinentibus instructum esse, qui cum iniuriam inferre nolit, populsandæ iniuriæ facultatem sibi comparauit.*

4. Reg. 22

Nyssen.

Pſ. 147.

De diligend. inimicis.

Matt. 10.

Chryſoſt.

S. Syneſ.

## §. VII.

### *Christi Domini cicatrices manentes testimonium perhibent ipsius virtutis, qua se ipsum excitauit.*

QVI sub Diui alicuius nomine salutem, aut vitam accepit, ipsi sanatori, aut suscitatori funereas sindones, siue scipiones sacrat, quæ sint in monumentum receptæ vitę, seu sanitatis. Itaque quot sunt in templis appensa mortuorum linteamina, tot sunt monumenta, vel Deiparæ, vel alterius Diui virtutem & potestatem prædicantia. Quid plura? Cicatrices, mortis vulnera viuido Christi humanitã-

nitatis templo permanẽtia, monumenta sunt ipsius Domini virtutis, & potestatis, qua se â mortis puluere in floridam, & immortalem vitam reuocauit. Hoc inter alios caluit fides acuta Thomæ, qui vt vulnera vidit, à se ipso notauit surrexisse Dominũ, & inde eius diuinitatem credidit, & confessus est. Quod põderans S. Hilar. libr. 7. de Trinit. ait. *Videns Thomas credidit, & quid aliud credidit quam confessus est? Dominus meus, & Deus meus. Resurrexisse enim per se ex mortuis in vitam; nisi natura Dei non potuit.* Ecce vt vidit vulnera, Dei virtutem ibi latere credidit, quia vulnera ibi manentia testimonium perhibebant virtuti, per quam ipse ex se resurgeret. Hinc sponsa resumptam Christi Domini gloriam extollens inquit. *Manus eius tornatiles plenæ hyacinthis.* Vbi pro hyacinthis communiter alij cũ Nysseno ponunt, *plenæ Tharsis*: sed quid Tharsis? S. Hieronym. cum Hebræis, vt refert Pintus ad cap. 1. Ezech. putat per vocem Tharsis significari mare non turbidum, & procellosum; sed serenum, & placatum quod solaribus percussum radijs hyacinthinum refert colorem aureos fulgurantem splendores. Sic manus rediuiui Saluatoris plenæ sunt Tharsis, nimirum passionis referunt mare minimè turbidum, & obscurum; sed vulnera halantia decorem, splendentesque emittentia radios, virtutemque, & potestatem, qua se ipse Dominus suscitauit, publicantia. Huc adest S. Nyssen. hom. 14. fatus. Cum ergo duplex sit vocis Tharsis significatũ, & vero cuiuis pateat meliorem in partem hic eam accipi; ordo postulat, *vt hoc consideremus in manibus, qua laudantur quod sponte sua quasi tornando detritis omnibus quacumque supernacanea corporea in eis erant, ad sortem diuinam transeant.* Alibi alia huius loci verba expensa sunt, nunc solum restat expendendum illud, nimirum, quod passionis maris reliquiæ in manibus Saluatoris manentes indicent illum sponte sua, vi sua è sepulchro ad immortalitatem euolasse. O diuinum Christianæ virtutis monimentum! O viuida viuentis Dei testimonia: Iam hinc licet in maxima S. Thomæ Apostoli stultitia, & ignorantia præstantissimum omnigenę sapientiæ argumentum recognoscere. Etenim ille vt audiuit Christum à mortuis surrexisse, ait. *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in loco clauorum & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Proh ingens hominis stultitia! Si audis viuere, cur requiris illa vulnera, quæ illum dederunt morti? Vita quomodo est nisi à sanatis plagis? nisi ab obtusis vulneribus? Pulchrè in Thom. Chrysolog. serm. 84. *Resurgentis ad gloriam tota mortis est mutata conditio, mors fugit, vita redit, caro amplius casum nescit, natura surrexit, & cur tibi Thoma sola vulnera præsentari in indicium fidei nimis callidus explorator expostulas? Quid si ista cũ alijs abolita fuissent? Nulla pietatis monumenta, nulla Dominicæ resurrectionis inueniri existimas potuisse documẽta? Prophetia sanè magis quàm cũctatio fuit.* Vt pulchrè, & verè hominis ignorantiam, & Dei sapientiam, extollit, quandoquidem resurgens Dominus, sine vulnere cãreret glorioſissimis suæ virtutis monumentis, esſetque vt magnifica templa aurum miniumque vndique radiantia, quæ tamen dum non ornant funereæ sindones, cereæ manus, ferreæ catenæ, & similia mortis miseriæque spolia profiliẽtis virtutis carent testimonijs. Decebant ergo Dominicam resurrectionem hæc inhabitantis diuinæ virtutis monimenta, & clarissima, & firmissima, quæ Iesum propria à se virtute excitatum prædicarent. Vndè S. Ambros. in Psalm. 43. ait. *Thomas vbi tetigit manu propria latus Christi, respondit Dominus meus, & Deus meus. Deus, qui non solum resurrexit; sed etiam ipse se suscitauit.* Hæc ille.

Hilar.

Cant. 5.

Nyssen.

Chrysol.

Ambros.

*Text. Ex Luc. 24.* Adhuc illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Et cum manducasset coram eis summens reliquias dedit eis, &c.

## §. VIII.

### *Diuinæ sapientiæ maximo amicitiæ vinculo nectuntur, qui se se domi continent clausuraque gaudent.*

SAnè valde amicabiliter excipit Dominus clausos hos, domique manentes Discipulos nullum enim maius amicitiæ signum, quam communio panis. Et quem panem communicant clausi hi cum Domino? Panem vitæ, & intellectus, quo sapientiam sacramque scripturæ doctrinam mandunt. Pulchrè Rupert. lib. 7. in Genes. cap. 7. in Iacobi maximè à Rebecca dilecti, vtpotè qui habitabat in taber nacu-

Rupert.

naculis, allegoriam tractans per Rebbecam vnificantem scripturarum spiritum notans, sic fatur. *Singulariter quemque nostrum tanto hæc Rebecca plus diligit, quanto simplicior quisque habitat in tabernaculis. Nam è contra quanto quis plus habet Esau, tanto minus à Rebecca diligitur, idest, quanto amplius foras euagatur, tanto minus sacræ Scripturæ lactatur vberibus, intusque reposito pane cibatur.* Quisquis diuinæ sapientiæ studiosus est, hoc sibi dictum capiat, tunc intimam amicitiam cum sapientia habebit, tunc maximè à sapientia, amabitur, & intra scripturarum thecam recondi panis dulcedini communicabit, cum se se infra domum contineat, clausuræque solitudine gaudeat. Et quidem Prou. 9. vt diuina sapientia, *miscuit vinum, & proposuit mẽsam*, sic in primis, *ædificauit domum*, quasi ex tunc ad amicitiam, & panis communionem admitteret solos illos, qui se intra claustra continent domus. Quo spiritu agebantur illi, qui Cant. 3. inquiunt. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem.* Circa quæ verba S. Bernard. discipulus Gillibert. Abb. serm. 20. in Cant. sic fatur. *Illi enim habentur digni hac læta visione, qui se quadam lege pœnitentiæ concluserint. Vis nosse quam bona sit conclusio? Hortus conclusus, fons signatus. Surge propera amica mea, & veni. Vides iam quomodo eam inuitat, & amicã vocat, quæ se ipsam concludere nouit?* Minimè egredi ad Salomonem iuberentur, in clausi essent, nisi rigida clausuræ lege intra domum se continerent, & qui sic se continent intimam cum sapientia amicitiam lucrantur; qua reconditi panis dulcedinis obtinent communionem. Nonne Matthæus ille publicanus sapientiæ diuinæ maduit nectare? Nonne inijt cum sapientia amicitiæ plenum conuiuium? Sed accipite quid notanter dixerit Luc. cap. 5. de hoc Matth. conuiuio cum sapientia incarnata celebrato: *& fecit ei cõuiuium magnũ Leui in domo sua.* Cur adderet, *in domo sua*, nisi mysterium sapientiæ innueret, cuius conuiuium ille participat amicabiliter qui domi se se nouit continere. Huc Rupert. de Oper. Spirit. sanct. lib. 4. de intellect. lib. 1. cap. 14 sic inquiens. *Matthæus, & ipse vitæ atque intellectus pane cibatur, & eodem intellectu magnum in domo sua Iesu facit conuiuium, magna vere secundum nomen suum gratia donatus. Huiusce conuiuij diuinitus prouisum fuit illud præsagium, quod sicut ait Lucas, vocatus cũ sederet ad Theloneum, & sequens Dominum fecit ei conuiuium magnum in domo sua.* Quasi ex eo quod intra domus suæ claustra verum Regem Salomonem præstolaretur Christum, se aptaret diuinæ sapientiæ dapibus.

Prou. 9.

Cant. 3.

Gillib.

Luc. 5.

Rupert.

*Luc. 24.* Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas. Et dixit eis, quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, &c.

## §. IX.

### *Vera salus obtinenda per pœnitentiæ, & mortificationis opera, à Christi Domini morte persuadetur.*

QVA fronte prædicarent mundo pœnitentiam, & carnis mortificationem Iesu ministri si ipse à se dolorem, & maceratione nem depelleret? Et quando nec ipse Iesus gloriam corporis attigit, nisi per crucem, quis insanus veram salutem, nisi per mortificationem sperat? Sic Dominus ad Moysem fatur Exod. 25. *Facies, & propitiatorium de auro mũdissimo ::: præcipiam, & loquar ad te supra propitiatorium.* Expendo illud inde præcipiam, cur nõ potius ex columna nubis, ex claro cœlo præciperet? Cur magis ex propitiatorio? Rem attigit Rup. lib. 4. c. 6. fatus. *Propitiatorium namque nobis idem incarnatus Deus est; sed per passionem, & mortem suam.* O diuinã Dei præcipientis sedem! Tunc ex mortis passionisque suæ propiciatorio præceptorum se pollicetur Dominus, & non aliunde nequis sibi aliam propitiationem effingat; nequis oracula diuina contemnat, etiam si per desertum eundum est, etiam si fames si mortis pericula subeunda. Asperam vitam Dominus præcipit, fames, dolores, omnimodam mortificationem, rigidam pœnitentiam, sed ex propiciato mundi peccato per largissimam sanguinis effusionem dum præcipit, quis contemnat? quis aliter salutem, & propitiationem meditabitur? Naufragus ille Propheta sepulturæ, & resurrectionis dominicæ exemplar singulare; vbi à ceto euomitus Niniuitis supplicium prædicauit. Protinus illi indicto ieiunio, indutis sacco ardentibus suspiriis salutem à Domino deposcunt: id quod eleganter ponderans S. Zeno inquit. *Non pecudum iecoris spirantes consulunt fibras, nec per varios auium volatus flatum plumeæ salutis inquirunt; sed à suo corde remc-*

Exod. 25.

Rupert.

Ionas. 6.

D. Zen.

*remedium salutare deposcunt, spiritumque suum contribulatum ambitiose sacrificant.* Quid pulchrius? Sanè hi dum à vittatis fulgentibusque vatibus perdocentur, volatus dextros vel sinistros auium notabant, vanam plumeamque salutem, quam solam plumæ dare poterant, aucupantes; verum vbi à nauf rago, vbi ab euomito è ceti vtero concionatore diuinũ illis cœpit oraculum tonare; non à fibris pecudum, non à perpeti alitum volatu, sed ab intimis præcordijs; sed á vera carnis suę maceratione, à sui ipsorum spiritus sacrificio verã salutem exquirere pręsumunt. Huc traho pulchra D. Hilarij verba hom. 1. hic. Vbi sic matutinam diuini Solis à sepulchro egressionẽ salutat. *O pulchra lux, quæ de candido cœli fastigio promicasti, & inter fluenta purpurea sedentes in tenebris, & vmbra mortis subita claritate visitasti.* Expende illud inter fluenta purpurea, quippe vbi Sol oriens purpureis nubibus suũ nobilitat ortum, teste Virgilio, crescẽte die, omnia in luctu & mœrore sunt, nubes pluuiali fletu rorant, largique riui per terram fluũt. At vbi Sol purpureus occumbit, sequens dies lætissima serenitatẽ ęternat. Ecce igitur quicumque per alitum volatus per astra inanem salutem meditaris, vbi veram, & duraturam salutem possis diuinare. Sol iustitiæ purpureus occubuit, interque fluenta purpurea matutinus resurget; ne veram salutem ęternamque serenitatem quæras; nisi per sanguinis effusionem, per luctus, per lacrymarum fluenta. Vanus est, qui à purpureo Solis exortu, nimirum, ab immortali gloria Iesu obtenta per sanguinis effusionem, salutem duraturam sperat nisi per lamenta, per cordis contritionem. Vanissimus, qui vbi vidit sanguinolentum occubitum veri Solis, aliter in lætissimam trãquillissimam glorię diem ipse ire præsumit. Hinc Psalm. 93. *Qui fingis laborem in præcepto;* nimirum, quia quot subijt labores Dominus, tot præcepta sunt nobis patiendi, & maceran di carnem. Ita D. August. *Formas, inquit, laborem in pracepto, id est, de dolore præceptum facis, vt ipse dolor præceptũ sit nobis.* Christiani equidem labores, & sudores sunt, è quibus vera hominum salus est aucupanda, non ex auiũ volatibus. Cui consonat illud tritum Iobi, nimirum: *homo natus ad laborem, & auis ad volandum.* Quasi dum ostẽdit hominum fortunam fortemque in veris laboribus sitam, rideat eos, qui in auibus aliud curant inuenire, quam volatus. Eisdem sic irridet D. Cyrill. Alexand. lib. 6. de seru. & char. in Deum fatus. *Nos autem Deos non esse dicimus, apostatas angelos, à quibus ad nos præclari Præphetæ, & rerum futurarum præscij legantur, arguta cornix, & perpes accipiter, & variæ plumbes, & cæteræ aues; dignos, scilicet, talibus dijs Prophetas. Vos etiam fœlices, ac beatos, qui tales Deorum interpretes nacti sitis.* Sanè per auium volatus plumea salus promittitur, ast quibus vera, & æterna mandatur salus, purpureus extortus; dolores, ærumnæ Christianæ dantur in præcepta, in Prophetas in Diuinos.

*Hilar.*

*Psal. 93.*

*August.*

*Text. Ex Ioann.* 20. Gauisi sunt ergo Discipuli viso Domino: dixit ergo eis iterum: Pax vobis, sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflauit, & dixit eis. Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, &c.

## §. X.

### *Vera lætitia, & gaudium ex Iesu.*

VNus Iesus potuit lætitiam, & gaudium inferre in terram, qui mœroris exsiccans fontes, festos dies gaudiorum plenos induxit. Dixerat D. Lucas cap. 2. quod duodecimum agens annum Iesus Ierosolymis inter festiua, & solemnia Pascha gaudia visus est. Id quod põderans Eusebius Emiss. hom. in Dom. 1. post Epiphan. *Erat igitur simul cum cæteris Iesus in solemnitate, qui totius erat causa solemnitatis.* Vbi sol aderit, lucidissimi prosiliunt radij, tenebræ fugiunt, vbi Iesus venerit, labore & tristitia expulsa, visuntur solẽnia, festi dies, placidissima, & iucũdissima gaudia. Pulchrè Nazianz. orat. in sanct. lum. incipit. *Rursus Iesus meus, & rursus mysterium.* Quoties enim Iesus apparet, toties solemnitates, & gaudia, quippe mysterium pro gaudijs festisque positum est, vt Nizetas satua. De Iesu præcursore verba faciens sanctus Nilus in Ascetico, sic ait, in solitudine versabatur, & ciuitates, *ipsæ*, cum hominibus ad eum confluebant, qui sericis vestibus induebantur ad zonæ pelliceæ spectaculum concurrebant. Subdio incommodè manere non recusant, qui domos auratas incolebant, super arena cubare non grauabantur, qui in lectis, gemmis distinctis quiescere consueuerant. *Nam videndi viri cupiditas omnẽ sensum molestiæ abstergebat, virtutisque spectaculum labores, & incommoda leniebat,*

*Luc. 2.*

*Euseb.*

*Nazianz.*

*Nilus.*

niebat. Ecce vnius iusti hominis spectaculũ, quot labores, quot ærumnas, quot incommoda saporabat. Quid vbi Iesus videretur? vbi appareret diuinissimus Saluator omnium? Planè huius spectaculum vniuersas ærumnas absorbebat, faustissimaque gaudia instillabat, imò effundebat. Aiebant Angeli apud Luc. c. 2. *Euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo.* Sed scire cupis à quo illud magnum gaudium, an à mundi bonis? At momẽtaneum, & leue est quod delectat, à quo ergo magnum gaudium? Pulchrè S. Cæsar. Arel. hom. 19. gaudij causam indigitans ait, *statim subiecerunt, quia natus est vobis Saluator, qui est Christus Dominus.* Vnus Iesus vniuersos populos valet suffundere gaudijs; vnus Iesus mœstitudinis radices è vellet, vnus veram lætitiã trahit. S. Ambros. lib. de Isaac, & Anima cap. 1. Iesu glorias prænoscens in Isaac adumbratas, sic ex huius nomine ad Iesum trãsit. *Isaac risus, risus autem insigne lætitiæ est. Quis autem ignorat, quod is formidolosæ, vel pauore compressõ, vel mœrore sublato, factus omnibus est remissio peccatorum* Cur non gauderent discipuli viso Domino? Vident enim in Iesu mortis pauorem, & aculeum confractũ; vident aboleri peccata eius diuino halitu, & toti effundũtur in gaudia, & præsurarum immemores medijs in periculis, vndequaque hostibus cincti tripudiãt. Magnus ille Ioseph Ægypti Saluator, sic de se in testamento fatur suo. *Cum vinctus iacerem in cõpedibus, hilari voce gaudens glorificaui Deum meum solum, quod per hanc occasionem amouebar ab Ægyptia.* Ecce sanctissimus vir è vinculis magnum capiebat gaudium, eo quod dum vinctus ageret ab occasione peccãdi, diriscque lasciuiæ telis liberabatur. O quam gauderent Apostoli, à quantis gaudijs perfunditur orbis Christianus, quãdo rediuiuo Christo, visis vulneribus, accepto halitu, per horũ occasionem se à mortis faucibus, à peccati rabie liberos meditantur. Vnus hic, qui mortis & peccati malũ tollit, veris gaudijs, verisque lætitijs mundum restaurat. Hinc noueris Herodis astum quando post auditos Magos de Iesu sciscitantes Matth. 2. congregatis Senioribus, & Scribis diligenter, *sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur?* Sed cur hoc à Iudæis sciscitabatur, qui sui Regis, aduentum velent occultare tyranno? Rectè S. Pascah. lib. 2. in Matth. ait: *Vt cautus eos exploraret, si Rex eorũ ex lege promissus tristes, gaudentesve faceret.* Et enim præsenserat sciolus ille de Iesu præsentia, non posse ingentem lætitiam, non manare, quæ suorum statim vultus exundaret. Psal. 103. dicitur, *illic naues commeabunt*, quasi Christianorum vita, de nautarum vsu procellis sit semper replenda. At ibi S. Augustin. ait, *Non timeant naues, non valde attendant vbi nascantur, sed à quo gubernentur. Illic naues commeabunt. Quem commeatum inuenient, triste, quãdo gubernatorem sentiunt Christum:* Interea notandum est tempus, quando lætitia à Iesu in suos profiscitur. Ea enim est lætitia Christiana, quæ minimè datur, nisi post lõga virtutum facinora, post prælia mille. Miraberis quantum festinauerit Iesus ad lætificandum Ioannem Præcursorem suum. Adhuc Ioannes vterinis tenebris tenebatur, & iam de præsenria Iesu perfundebatur lætitia. *Vt facta est vox salutationis tuæ, in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* Sed quod mitere magis animaduerte, quam prius indicta sunt Ioanni ieiunia, asperitates. Sanè lætitia illi datur adhuc existenti in vtero, at ieiunia indicuntur antequam in vtero concipiatur. Sic enim Angelus Gabriel, ait Zachar. Luc. 1. *Vxor tua pariet tibi filium ::: vinum, & siceram non bibet.* Non enim aliter venerit lætitia Christiana, ni si prius virtutũ facinoribus prænotatis. Hinc S. Chrys. hom. 6. de Res. fatur. *Exultemus Domino sed in tremore, nõ remissa securitate: quia & Ioan. Præcursor exultauit in vtero, sed qui vinũ non bibit præcepto Angeli Gabrielis.* Itaque prius ieiũnijs dedicatur, vt postea perfundatur lætitia Christiana

Luc. 2.

Cæs. Arel.

Ambros.

Luc. 1.

Matth. 2.

Paschas.

Augustin.

## §. XI.

### *Non imperiosis; sed amicis, & charitatis plenis verbis trahendi subditi sunt in obsequia dura, & laboriosa.*

ODI imperiosos seueroscque Prælatos, qui imperio ad dura, & aspera seruitia subditos addicunt; non sic verus, & naturalis omnium Dominus Iesus, qui vt ventis & marinouit imperare, sic cum in prædicationis ærumnas, & labores suos mittit, immemor imperij amicum agit. Nonne ait, *sicut misit me pater, ego mitto vos?* Ad hæc accipite S. Chrysolog. serm. 84. sic fantem. *Sicut misit me pater non Dominus; sed pater; sic & ego mitto vos. Non auctoritate adhuc inbentis; sed toto diligentis affectu mitto vos ad tolerantiam famis, ad onera vinculorum, ad squalorem carceris, ad præferenda omnia genera pœnarum, ad subleuandum cũctis execrabile mortis ingũ: quæ omnia charitas vtique humanis mẽtibus imperat, non potestas.* Disimula imperium, exere amicitiæ vincula, tende amoris retia, & trahens ad fames, ad pericula, ad sudores, ad carceres. Age patrẽ, & mitte

Chrysol.

& mitte filios in prærupta montium, in sirtes, vt derelictorum insudent animabus saluã dis, vt in hospitalia loca incolant, vt degant apud Barbaros, quæ omnia charitas iubet; nõ potestas. Redeuntem filium prodigum, vt vidit diuinus Pater Luc. 15. accurrit; *cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Ecce collũ premit, & osculatur, quid hoc? Pulchrè S. Gregor. Nyssen. in orat. Dom. 2. *Accurrit ad eum, & osculo collum appetijt, quod rationale iugum significat, per traditionem Euangelij homini per os iniectum.* O leuissimum, & dulcissimum summi Regis iugum: Expende quæso qualiter ad iugum indomitum iuuenem traxit; & appetijt collum, inquit; vbi collum appetit, ad iugum trahere prætendit, sed qua vi? An per crines reptans? An duros adhibens stimulos? Absit hoc ab Euangelico Domino; sed osculo collum appetijt, hoc est, amicis & allectorijs verbis, blando, & amorem spirante sermone ad aspera, & ardua Euangelij pellexit obsequia. Vndè eleganter monebat S. Athan. in Exort. ad Monachos fatus. *Magis benignitatis adhortationibus, & alliciente blandimento, via veritatis ostensa, nubem erroris aperite, vt non trahi incipiat vnusquisque sed sequi præcedentem.* Igitur per os plenum osculis, plenum charitate quantum uis asperum inijcies iugum dominibus, & maximè imperium confirmabis, vt benè consulit Agapetus Diaconus Iustiniano Cæsari his verbis. Existimà tunc demum te tutò regnare, cum volentibus imperas hominibus; quod enim inuito animo subijcitur, seditionibus fluctuat capta occasione; *quod vere vinculis beneuolentia regitur, stabilem seruat erga Rectorem obedientiam.* Nil tam dulce hominibus quam si corde capiantur, quam si verborum dulcedine saporentur, nil ram durum, & incomportabile, quam si ceruice domentur. Ecce quare apud Augustinum serm. 42. de Verbis Dom. repellant iugum crucis superbi homines. Quibuscunque ista displicet Domini passio, superbi sunt, nolunt descendere, *Et ego inquis crediturus sum Deum crucifixum? Absit, vt hoc credam de Deo, indignum est, cor loquatur, non ceruix.* Videbant duritiem iugi, notabant lignum crucis, non cernebant oscula imponentis, & ideò iam suis ceruicibus timebant. Cor loquatur, nõ ceruix dicebant, quasi accepturi iugum, quod per os blandè, & amicè loquens inijceretur, non illud quod solùm duritie sua ceruices premeret. Vide infra, c. 6. paragr. 8. & 11. & alibi.

Luc. 15.

Nyssen.

Athan.

Agapet.

Augusst.

## §. XII.

### *Ministrorum suorum auctoritati sic Deus consulit, vt nolentibus non pareat vlli.*

QVIS non miretur illa Dei Opt. Max. ad suos verba, nimirum. *Quorum retinueritis peccata retenta sunt?* Sic summa Dei pietas, Deus misericordiarum immensæ charitatis vifcera ad hominis sententiam stabit in capitalibus? Ecce tibi igneus ille Elias vbi Regẽ Achab innocentis Naboth sanguine cernit fœdatum, acriter in illum scandet, mortem, crucemque minatur: dolet Rex, illlumque vehementer sui pœnitet facti, & ira Prophetæ stupefactus sacco obtectus Deum adit, diuinamque misericordiam lacrymis, suspirijs, longisque sollicitat eiulatibus. Quid tunc Deus, qui vel vnius publicani voce tangitur? Parceret sanè si diuina solum moueretur voluntate: ac decretum erat Regis supplicium per Eliam, sic nihil de sententia immutans per se Deus Prophetam adit, cui fatur. *Vides Achab humiliatum coram me?* Vbi S. Cyrill. Hierosol. catech. 2. expendit, *quasi persuadens Dominus ira accenso Prophetæ, vt subueniret pœnitenti.* Qui index natura est, aduocatum agit, nec de sententia ministri, illo non consentiente, vult immutare. Adeò sanctum est quicquid Dei ministri decernunt ad vlciscenda hominum peccata. Reuoco in memoriam alterum Moysi factum, & alterum Christi. Vtriusque meminit Tertull. lib. 4. aduers. Marcion. his verbis. Ecce planè diuersum exemplum Moysi, & Christi. Moyses rixantibus fratribus vltrò intercedit, & iniurioſum increpat. Quid proximum tuum percutis? & reijcitur ab illo. *Quis te constituit magistrum, aut iudicẽ super nos?* Christus vero postulatus à quodam vt inter illum, & fratrem ipsius de diuidũda hæreditate componeret, operam suam, & quidem tã probæ causæ denegauit. Sed enim optimi Dei Christus ait. *Quis me constituit iudicem super vos?* Expende modo qua voce se excuset Dominus à componenda hæreditate inter fratres; nonne ipse constitutus erat Rex vt homines componeret, rixarumque causis ex sufflatis concordiam, & pacem seminaret inter fratres? Cur ergo ab hoc opere se excusat? Imò cur excusans ait, quis me constituit iudicem super vos? Sanè altamente reposta manebant verba, quibus reiectus fuerat minister instituendus legis Moyses à rixantibus fratribus, quibus similiter docet reiectum

4. Reg. 21

Cyr. Ieros.

Tertull.

ctum fuiſſe Deũm, vtpotè cuius nulla alia ſit ſententia, nec vox; niſi quæ eſt ſententia, & vox ſuorum miniſtrorum. Ita Tertull. in hęc verba. *Indignè tulit hoc dicto fugatum Moyſem ideoque in cauſa pari diſceptantium fratrum voluit illos commemoratione eiuſdem dicti confundiſſe.* Quaſi diceret, dum miniſtri mei ſententia à fratribus reiecta eſt, quid à me petunt fratres? Si ille nõ iudex, nec ego iudex vnum meum, & illius tribunal, quod ille ſancit, ego ſancio; quod ille componit, ego compono, & non aliud.

Tertull.

---

# CAPVT V.

## De Apparitione facta Diſcipulis cum Thoma.

DAM Thomas Chriſtiani gregis caules intrauerat, Dominum reuixiſſe ſociorum è calculo didicerat, imò non didicerat, quãdoquidem fidem dictis non adhibebat, adhuc adhibiturus ſi clauorum, lanceæque foramina, quibus occubuit mortuus Dominus, ſibi monſtrarentur in viuo. Inter ea Saluator adeſt cũctos de more ſalutat, & errãtem ouiculam ad vulnerũm ſpecus deducit, vt ſugat mel de petra, & oleũ de ſaxo duriſſimo. Adeſt ſtupefactus Thomas, pectoris vulneri inhæret, & cùm vilis vermis accederet de virgineo pectore, ales euolat, & Cherubicis inſertus aliſfaciem admiratur diuinam.

*Text. Ex Ioann.* 20. Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, nõ erat cum eis, quando venit Ieſus. Dixerunt ergo ei alij Diſcipuli, vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, &c.

### §. I.

### *Auguſtiſſimum Dei viuentis teſtimonium, quòd in mortis vulneribus viuat.*

O Summi Imperatoris triumphum! O maximam imperialis arcis gloriam, quãdo victi hoſtis labaro rutilat, & hinc inde ſciſſis inimicorum ſignis decoratur. Quod ſplendentibus auorum ſtemmatibus fulgeas humanum eſt; at quod inimica ſtemmata hoſtium ſigna te extollant, tuam prædicent inuictam virtutem, hoc ſupremum eſt, & diuiniſsimũ. Fallor, ſi potuit quid diuinius excogitari de Chriſto, quàm id quod excogitauit Thomas quæ ſummũ bellatorẽ oſtentarent, non ſanè eſſent propria ornamenta; ſed inimica vis circumcirca inanis. Hãc cupit Thomas in Chriſto videre, vt quę decebat Deũ gloria coruſcaret. Enim vero dũ Lazarum reſurrexiſſe vidit, hominem ab inimica morte mirabatur ereptum; ſed cùm in illo nullum mortis ſignũ animaduertit manſiſſe, credidiſſet forte à morte ſua ſigna colecta, vt iterum irruens hominem expugnaret. At Imperator, & victor mortis vt debellatam, & ſubditam mortem relinquebat, ſic vniuerſa eius ſigna, arma, ſpicula, ſibi affixa ſeruabat, quæ eius immortalem gloriam æternarent. Hinc Chriſti reſurgentis gloriam miratus D. Maxim. hom. 1. ſic fatur. *Quis eſt iſte qui intra auidos rictus aſſumi poteſt. Cibus eſt, corruptio non eſt. Traditur perditionis profundo, & ſeruatur ipſius mortis obſequio?* Quippe mortis arma, ſpicula, ſigna, non iam infirmant; ſed confirmant Imperatorem, Chriſtum eius immortali corporis templo appenſa. Iam mortalia ſigmata non inſequuntur moriturum; ſed obſequuntur regnaturo inter illius rutilantia trophæa. Huic pulchrè accedit S. Hilar. hom. 8. inquiens: *Spoliata eſt fragilitas, exinanita mortalitas, ſola in cicatricibus permanent reuerendæ teſtimonia paſſionis. Nimirum reſurrectio vnde erat credẽda, non abſtulit.* Quippe vulnera viuenti contraria iam non ſunt; ſed quaſi ſpolia appẽſa extremam mortis debellationem prædicant, & declarant. Nonne mortis vis exinanita, quando vniuerſa eius arma, nimirum ipſiſsima vulnera, & cordis perfoſsio inuictiſsimi Imperatoris inſerta triũphis, apparent eius viuidæ virtuti prædicandæ famulari.

Max.

Hilar.

### § II.

### *Citiùs pluribus, quàm vni ſoli Deus adeſt.*

MAximũm ſanè eſt emolumentum ſocietatis, vbi multorum eſt in Domino cõgregatio, illicò Deus etiam non petentibus adeſt, qui etiam exoratus ad vnum venire tardat.

tardat. Cõgregaris Apostolis cum apparuerat Dominus ipsa resurrectionis die, vnus Thomas abfuerat, cuius optatis per octo dies differtur diuinus fauor. Id quod expendẽs Chry-
*Chrysol.* sologus serm. 84. ait. *Denique sponte præstitit cæteris, quod iste tardius implorat.* Etiam non vocatus; sed spontesua citissimè multis illis apparuit, quod vnus Thomas, quia vnus longis prolatis suspirijs per octo dies tardat implorare. Quam sapienter hunc Deo morem gere-
*Cant. 1.* bat illa Cant. 1. aiens. *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum.* Expende illud, *trahe*, & illud, *curremus*: qui trahitur ægrè, difficulter fertur, at qui currit facilè, velociterque breuium prendit. Itaque vbi singularis, & vna Deum exquirit, ò quàm difficulter & ægrè tunc trahiturtait enim, *trahe me*: cùm autem sodalibus se interserit, ò quam velociter ad Deum peruenit, tũc merito dicit, curremus in odorem vnguentorum. Huc accedit
*Bernard.* S. Bernard. Paraphrasis serm. 21. in Cant. dicẽs. *Nõ curra ego sola, etsi sola me trahi petierim, current adolescentulæ mecũ.* Etenim velocitatẽ apud Deum non singularitas; sed multorum communio tenet. Vbi multorum causa est, quam velociter Deus habetur, adeò, vt mulieribus ad sepulchrum flentibus, quòd diuinũ fuerit ablatum cadauer, nullum clarius signum dari potuit velocissimi rediuiui ad illas aduentus, quàm pluralitas ministrorum ad ipsum sepulchrum inuenta. Ait enim Luc. cap.
*Luc. 24.* 24. *Ecce duo viri steterunt secus illas.* Quid ergo fletis, ò fœminę? Non videtis Dominum sed vobis iunguntur duo cœlestes viri, & vbi adest multorum congregatio, statim ipse Dominus aderit; expectate paulisper, non moram faciet, non tardabit. Ita eleganter Tertull.
*Tertull.* lib. 4. in Marc. fatus. *Corpore autem non inuẽto, sublata erat sepultura eius de medio.* Quidni manebit etiam ipse æternũ sublatus? Nulla nouis pes deinde illũ habendi? Absit: *Sed & duo ibidem Angeli apparuerũt, tot ferè laterensibus vti solebat, in duobus testibus consistens Dei sermo.* Vbi testiũ pluralitas, vbi recipientiũ copia est, nõ tardabit Dei verbũ cõmunicari, sunt plures congregati, sunt plures, qui expectẽt? Signa Deũ nosco per sua, Christus adest, non tardabit Dominicũ leuamen. O quoties quis singularis perijt, qui posset de cõmunibus beneficijs saluari. Hinc Iudã pũ-
*Leo.* git D. Leo serm. 11. de Pass. ponderans enim illud Luc. 23. *Pater ignosce illis*, cõtinuò subiungit. De cuius orationis potẽtia fuit, vt prædicatio Petri Apostoli, ex his qui dixerunt, sanguis eius super nos, & super filios nostros, multorum ad pœnitentiam corda conuerteret, & vno die baptizarentur tria ferè millia Iudæorum. *Ad hanc indulgentiam Iudas pertinere non potuit, quoniã perditionis filius, prius in desperationem transijt, quam sacramentũ Christus redemptionis generalis impleret. Nam mortuo pro omnibus impijs Domino, potuisset etiam fortè hic consequi remedium.* Eu quam perniciosè abest Christianus, quando generalia beneficia, & mysteria ab omnibus capiuntur, qui cũ omnibus posset saluari. Hinc sapienter Abra-
*Gen. c. 18* ham de Sodomitico excidio commonefactus instãter pro gentis multitudine exorat, vniuersamque vrbem precibus contendit eripere flammis, habebat enim ibi habitantem nepotem Lot: sed orasset pro Lot tantùm, nonne citiùs salutem vnius iusti obtineret, quàm vniuersorum peccantium? Pulchrè D. Chry-
*Chrysost.* sostomus, ait. *Manifestè propter fratris filium dicere non audebat, communes pro omnibus facit preces volens cum alijs, & hunc liberare.* Sanè supplici tempore instanti; nõ audet vnius instare saluti efficacius motiuum diuinis objicit visceribus, quando communem omnium salutem deprecatur, nulla enim re citiùs allicitur Deus, quàm vbi multi possint saluti dari.

*Textus.* Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus, ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit. Pax vobis.

## §. III.

### *Non parua est peccatoris commendatio apud Deum, quòd lateat, quòd se celet.*

INcreduli extiterũt Apostoli Dominicæ resurrectioni, incredulus extitit in primis Thoma; sed hoc in illis commendandum, quòd dum incredulitate laborabant, domus latebris abdebantur, nemo exterorum nouit discipulos dubitantes; sed eorum dubia fides, seu incredulitas domi latebat. Nonne sic ait, erant discipuli intus, & Thomas cum eis? Ille generis humani secundus Sator Noe ebrietate correptus iacuit nudus; pudendis fœdè manifestis. Sed vide quid de illo notet text. Genes. cap. 9. *Et nudatus in tabernaculo suo,* *Genes. 9.*
&c.

Ambr. &c. De quo elegánter S. Ambros. cap. 29. *Et secundum literam cautio est, & secundum sapientiæ altiorem sententiam laudatio est. Cautus est qui etsi nudatur, in domo tamen sua nudatur; vbi experimenta non desint, & quædam tegmina ebrietatis, vt vitia sua norit abscõdere.* Sane venia vilis est casus, imò (si fas sit loqui) laudabilis, quem non necesse est sciri à vicinis, qui intra domum latet, nec exteris communicatur. Id quod argutiùs adhuc ponderauit Procopius in hæc verba. *Licet Noe parum caute, & pudicè iacuerit; non tamen id venit in publico; domus sua eum nudum conspexit; est enim sancti viri se neutiquam extra domum suam nudare.* Quis nunquam glorię stolam deponet? Quis nunquã pudenda opera præseferret? Sed qui sanctus est, in hoc cognoscitur, quòd non foris nudetur, quòd apud exteros saltem pudenda reuelare cauet. Nonne stultissimi hominis est infirmitatem suam hostibus aperire? Hanc stultitiam lamentatur Nazianz. Apolog. 1. grasari in suæ gentis ciuitate, dicens? *Alij alios impietatis damnamus, ac iudicibus vtimur his, qui à Dei cultu abhorrent, atque hostium vota miseri sedulo explemus.* Proh miserã hominũ stultitiam, qua hostium votis seruimus, infirmitates nostras, in quibus sibi complaceant, illis publicamus. Pulchrè cauebat Michæas cap. 1. ne suorum spoliatio pateret vicinis hostibus. Ait enim. *In Geth nolite nuntiare, lacrymis ne ploretis, in domo pulueris puluere vos conspergite:* quasi hoc haberet calamitatis solatiũ quod ipsa intra domum occultaretur, nec necesse fuerit, vt ad hostium vicinorum aures perueniret, ideò petit, vt domi maneant, nec sese Gethæis aperiant. Vbi S. Hieronim. *Ne audiant, & lætentur inimici.* Lætantur sanè hostes fidei, hostes religionis, & pietatis, cùm sanctorum infirmitates, & casus noscũt, non igitur hostium vota expleamus de nostris miserijs. O quàm diuinè Psaltes ait. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Et quis tegit peccata? Explicat Nazianz. orat. in sanct. Bapt. aiens, *quorum intima mentis partes nondum purgatæ sunt*, & hi quidem prædicantur beati, vt potè qui canent hostibus suam nuditatem reuelare, qui infirmitates suas non prædicant, ne exterorum vota satient. Quid proditore Iuda sceleſtius? Tamen hoc habuit laudabile, quòd oſculi velo nissus est tegere turpitudinem suam. Ita S. Anselm. Anselm. in cap. 26. Matth. ponderat illud, quemcumque oſculatus fuero, ipse est. *Habet adhuc*, inquit ille, *de verecundia discipuli, qui non eum palàm tradidit persecutoribus; sed per signum oſculi.* Quasi hæc esset discipulorum nota, quòd puderent reuelationem infirmitatis suæ. Quàm aliter illi, quos pungit S. Cyprian. epist. 2. ad Donatũm latũs. *Consentire iura peccatis, & cœpit licitum esse quod publicum est*: miserè peccabant; sed miserius ipsa peccata de publicitate beabant.

Cypr.

*Text.* Deinde dicit Thomæ inſer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.

## §. IIII.

### *Quot Christi Domini vulnera, tot aduersus perfidiam ora.*

OS Christi obruere dira perfidia, quo vapulabat, inflicta morte curabat; sed dum sanctissimum corpus vulnerat, quod vulnera infligit, tot vocalissima ora addit, quibus misere tunditur, & ab orbe penitus eliminatur. Ideò Rupert. lib. 12. de Victoria verbi, cap. 28. aiebat. *Plagarum cicatrices idcirco in corpore suo retinuit, & reseruauit, vt victorias suas semper loquatur illis quasi linguis.* Vnum Eliam vatem non sustinens Rex idolatra Manasses, iubet illum dẽtata serra medium scindi: quid plura? inde duos incipit habere mastiges regia idolatria. Accipite S. Zenonem serm. 6. de Isaia, sic fantem. *Propheta egregius, & illustris inter resupinatos sectores, tamdiu immobili incõcussi corporis perdurauit statu, quandiu duo esse inciperent, qui figura gentium cum suo persecutore damnarẽt.* Ecce tibi scissus medius Propheta non perijt; sed duplex factus miserum persecutorem debellabat, qui dum vnum vult opprimere, duos facit, â quibus perfidia verberetur sua, & exterminetur idolatria. Hoc sonabat S. Paulus, quãdo de Christianis vulneribus vocalissimis, sic inquit ad Galat. cap. 9. *De cætero nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini mei in corpore meo porto:* quasi dicat, caueant hostes mei hominem vulneribus affectum, sacris Christi ditatum stigmatibus: vocalissima hæc sunt, & mille modis tyrannos diuexabunt. Ita S. Chrysostom. expendit fatus. *Hic sua vulnera iactat, neque secùs quàm solent milites vexilliferi, hic exultat vulnera circumferens: sed quam ob causam hoc dixit? Quouis sermone, quauis, inquit, voce clariùs per hæc me purgo. Hæc namque vocem tuba clariorem,*

Rupert.

D. Zen.

Ad Gal. 6

Chrysost.

*riorem, & sublimiorem emittunt aduersus eos, qui mihi contradicunt.* Stertoris voce sublimiores voces sunt, quæ à vulneribus Christianis tonãt in tyrãnos, Christi stimmata Paulo cõmunicata hominem inuinctum reddunt tormentis, & victorem idolatriæ, cur in ipso Domino eadem vulnera, tot labia ignem, glandesque ignitas halantia aduersus peccatum, tot ora errores confundentia, & fidem prædicantia; vtmerito Christus Dominus dicat Thomę apud Chrysologum serm. 84. *Infer digitum tuum huc, vt effundant toto orbe, iterum te aperiente, hæc vulnera fidem: quæ aquam in lauacrũ sanguinem in omnium pretium iam fuderunt.* Expẽdo illũd, *vt effundant hæc vulnera fidem*, quæ vnius ab ore tonabat fides intra Iudæorũm terminos, multiplici ab ore vulnerum Christiano replent orbem beatu. Sed age, proferamus D. Cæsar Arelatens. homil. 27. sic diuinarum cicatricum clamores aduersus scelera ponderantem. *Prima erit*, ait, *in reos intoleranda sententia, reuerendarum præsentia cicatricum. Quid igitur illo tempore facturi sumus, quando contra illos, crucifixi Domini liuores, nostra peccatorum nostrorum, & maculæ libidinum proferentur. Aut quo putas vultu respiciat redẽptio nostra perditionem nostram? Tanto graviora erunt humana delicta, quanto maiora se ostenderint diuina beneficia. Verendum est autem, ne illam vocem resurrectionis, pratiosæ crucis vestigia protestantis, etiam in iudicio suo ad vasa iniquitatis prolaturus sit. Scilicet, infer digitũ tuũ huc, & vide manus meas, affer manum tuam, & mitte in latus meum, & agnosce quæ pro te impio pietas diuina perpessa est.*

Chrysol.

D. Cæsar.

*Textus*: Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.

## §. V.

### *Deus datur fidelibus in possessionem, vndè his patens, & manifestus est Deus.*

O Dignam homine fideli vocem! *Dominus meus, & Deus meus.* Datur equidẽ Deus fidelibus suis, vt ipsi illum possideant, habeãtque tanquam propriam rem, propriumque thesaurum. Sanè Dauid Psalm. 84. dicebat Deo, *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Salutem hominibus ostendi petit; sed salutis fontem Christum Dominum eum petit fidelibus donari. Id quod expendens Cassiodorus, ait. *Da nobis, id est, concede nobis salutare tuum, quasi amplectendum, quasi possidendum. Perfidis enim tantum apparuit, nõ etiam datus est. Da ergo dicit, vt cum in mente nostra cœlesti dono recipitur, nullis tentationibus auferatur.* Hoc est datum optimum, & donum perfectum fidelibus à patre luminum exhibitum, cuncti enim homines à Deo multa in dies accipiunt, verum fideles Deum ipsum accipiunt possidendum, quasi illorum ditissimam possessionem, feracissimum fundum. Hinc Thomas vbi fidelis esse iubetur, hanc primam vocem emittit, nimirum. *Dominus meus, & Deus meus*: quasi in Deum ius aliquod acquisijsset. Quippe Psalm. 32. inquit. *Beata gens, cuius est Dominus Deus eorum.* Ergo Dominus Deus possessio alicuius est? Cuius nisi fidelis? Pulchrè D. Augustin. ad hæc. *Qui fecit, vt esses, qui etiam malis præstat solem, præstat pluuiam, præstat fructus, fontes, vitam, salutem, seruat tibi aliquid, quod non det nisi tibi. Quid est autem quod tibi seruat nisi se? Compesce iniquitatem, audi veritatem. Beata gẽs cuius est. Quid? Beata gens cuius est Dominus Deus eorum. Hoc ama, hoc posside, hoc cum vis habebis, hoc gratis habebis.* O te fœlicem; qui tanta possessione ditaris, qui amplecteris manibus, qui Deũ ipsum possides, à quo vniuersi thesauri à quo mũdiales cœlestesque gazę proueniunt. Alios ditant horti, paradisus, montes feraces, ripæ, opida; sed fideles ditat Deus ipse ferax suorum possessio! Vt dicat D. Augustin. de salutar. docum. cap. 10. *Quid potest esse in mundo fœlicius, quam cui efficitur suus Imperator, & Redemptor census, & hæreditas dignatur esse ipsa diuinitas.* Quis tantam homini concedat fœlicitatem? Quis tantum bonum sibi præsumeret? Sanè præsumpsit Thomas, præsumsit & ille qui dicebat Psalm. 118. *Portio mea Dominus*, quæ verba pulchrè expendit Amb. inquiens. *Portio, dicit, mea Dominus non ab hoc decimas quæro, non fructibus, non dona, non munera, ipse mihi promereri est ipse est pro tributo. Non in possessione sua munificus mihi: sed ipse mihi possessio: ipse meus fructus ipse meus census.* Quid igitur de meo non faciam? Quid mihi non licebit circa meum? Ipse Christus Dominus in cruce agens, sic apud Patrẽ quærebatur. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Id quod premẽs Arnol. Carn. tract. 1. de septẽ verbis ait. *Deũ suum dicit, vt nobis minimè formidandũ iudicẽ intimet, quẽ sicut suum flectere possit, & ad eũ tutum esse accessum, quem non vt alienum appellat, sed suũ.* Erenim quando suus erat, licebat flectere,

Psalm. 84

Cassiodor.

Augustin.

Augustin.

Ambros.

Arnold.

vel deflectere suum. Fœlix ille, cuius fuerit Deus possessio, fœlix Thoma, qui ad Deum tutum habet accessum, quem non vt alienũ appellat, sed suum. Sanè Ionas cap. 2. iam iam à ventre ceti in lucem vomendus, ait: *& aſcẽdet de corruptione vitam meam Domine Deus meus.* Vbi eleganter D. Hieronym. notat. *Cõmunem Deum omnium, beneficij magnitudine quaſi ſuum proprium ſenſit Deum.* Hieron. Nescit tanta possessio fraudare fructibus possessores suos, suas hæreditates noscunt homines ex fructibus acceptis, sic ex fructibus ex beneficijs à Deo in nos profectis nosco Deum meum, qui vt meus est, sic me beneficijs cumulat, sic eius fructibus viuo.

*Text.* Dicit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma credidisti: beati, qui non viderunt, & crediderunt.

## §. VI.

### *Illæ præstantior fides, quæ obsequijs, imò & beneficijs accipiendis præit.*

CHristi Domini vulnera vidit Thomã, & credidit Saluatorem, vidit & tenuit crucifixum, & credidit Deum. Vndè ergo hæc visio officit fidei? Sanè vndè præmium antecedens officit præstantiæ subsequentis obsequij. Illiberalis est, qui nisi prius accepto præmio non præstat obsequium: ingenuus ille, & præstans, qui maturat obsequium, antequam præmiũ recipiat. Vidit Thoma, imò amplexus est Christi carnem, & tanto fauore prius accepto obsequium non adeò ingenuũ præstitit fidei. Apud Matth. cap. 9. ait Dominus ad cęcos postulantes visum. *Creditis, quia hoc possum facere vobis? dicunt ei vtique Domine.* Matth. 9. Ad hæc D. Hilar. inquit. *Cæci quia crediderunt viderunt, non quia viderant, crediderunt. Ex quo intelligendum est, fide merendum esse quod petitur, non ex impetratis fidem esse ſumendam.* Hilar. Non ingenua fides est, quæ emitur à Deo nobis exhibitis beneficijs, ille ingenuè credit, beatusque est, qui ante omnia opera, antequam tẽdat supplices ad Deum manus, iam fide ducitur. Huc refero illud Exodi 13. Vbi Deus de Pascha loquens, sic præcipit. *Erit tibi in ſignum ſuper manum tuam.* Exod. 13. Cur Pascha super manum? An quia in Pascha fides exhibetur Christi? Ita sanè, & fides Christi manibus præfigenda est, ne tendas manum, quin prius imbutus sis fide: de quare elegantissime disserit. D. Aug. quæst. 48. in Exod. lib. 2. inquiens. *Pertinet Paſcha propter occiſionem ouis ad fidem Chriſti. Hæc autem fides operibus præponenda eſt, vt ſit quodammodo ſuper manum: de qua re Apoſtolus loquitur, & nullũ, ait placere Deo poſſe ſine fide, qui fidem operibus ſic anteponit, vt ex illa pendeant bona opera, atq; ab ea præueniantur, non vt ipſa velut meritis bonorum operum tribui videatur.* Hæc Aug. August. quibus videre licet, quam maturanda est fides, & exhibenda ante omnia, adeo, vt nec ad Deum tẽdamus manus, quin prius ducamur fide, non Thomam secuti, qui & manus tetẽdit, & cœlestem thesaurum attigit, vndè cumulatus bonis Deum cõfessus est; sed potius cœcos illos, qui prius imbuti fide cõfitentur potestatem Christi, & inde affecti sunt oculorum beneficio. Inde namque Petri de Christi diuinitate confessio maximè celebratur, quod vel motum labiorum eius antecesserit fides animo insidens. Ita Tertullianus lib. 4. in Marc. *Nec enim accepiſſet Petrus, dicere: Tu es Chriſtus antequam audiſſet, & credidiſſet Moyſi, & Prophetis à quibus ſolis adhuc Chriſtus annuntiabatur.* Tertull. Ecce tibi Thomas ait, Dominus meus, & Deus meus, & Petrus inquit: Tu es Christus filius Dei viui; Thomæ dicitur: quia vidisti credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt. Petro dictum est: Beatus es Simon Bariona. Sanè fera fuit Thomæ confessio, & tactu, & visu exorta, cur beare-retur illa? Sed fides Petri beatur, vt quę antecesserit confessionem, & ex Prophetis scripturisque hausta obsequeretur Christum.

---

# CAPVT VI.

## *De apparitione ad mare Tiberiadis.*

FINITA Paschæ celebritate, Petrus, Thomas, Nathanael, filij Zebedęi, & alij duo in mare se conferunt piscandique piscibus per totam noctem operam nauant. Iam lux matutina inanes eorum operas publicabat, & ecce Iesus ignotus illis à littore maris iubet retia mitti in dexteram nauigij partem. Quæ vix iacta sunt, & statim ingenti piscium captũ â iubentem Dominum manifestant. Prę monitus à Ioanne, Petrus non sustinens nauigij tarditatem

sese

sese mari committit, vt Dominũ primus adoraret. Tandem omnes accedunt, quos amice excipit Dominus, cibis recreat, nouisque beneficijs exornat.

*Textus ex Ioann.* 21. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari: dicunt ei: venimus & nos tecum.

## §. I.

### *Qui Christo nomen dederunt, auitam mediocritatem ne excedant in corporis cultu.*

OQuale proponunt exemplum Christi discipuli religiosis viris, ne in colendo, & sustentando corpore extra auitæ mediocritatis chorum prosiliant! Gentilis erat Petro, & condiscipulis piscatorum ars, & cultus, quem referunt etiam dum militant summo Imperatori Christo. Iam resurgentis gloria bis, & ter illustrati erant, iam diuinis visionibus ditati, in magistrosque orbis designati, nec tamen victum habitumque nisi qui piscatores deceat exquirunt. Metuo ne iam inde noten tur hac nostra tempestate qui à Diu. Hieronym. notabantur iu sua dum epist. ad Heliod. dicit. *Nummum addant nummo, & in marsupiũ suffocantes matronarum opes venentur obsequijs sint ditiores monachi, quam fuerant seculares, possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerant, & susciperet Ecclesia diuites, quos tenuit mundus ante mendicos.* Hieron. Sanè lacrymandus est religionis abusus; quãdo, & qui tenui victu apud suos viuebat, apud Christum ciborum meditetur delitias & qui sub paternis cunabulis rudi amiciebatur amictu, sub cruce Domini disputet de colore vestium, de pretio, de delitijs: & qui in mundi fabula, media obscurabatur in plebe, vbi Christifera representatur tragœdia ambiat videri Princeps vel nobilis decurio. Domi nudus, & in agone vestitus, in sæculo macer, in religionis angusto pingis. Meritò scandescit Bernard. in dictum Petri Matth. 19. *Quis raput ab ore Apostolorum temporis huius verbum gratiæ, verbum fiduciæ. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Ecce enim vt populus sic sacerdos. Similiter volunt in hoc sæculo fieri diuites, similiter imo abundantius suam hic præripiũt consolationem.* Bernard. Proh fœdam hominũ conditionẽ! Populares aures captas vno fundatus lapide Christo? Communia sacri ordinis fastidis, nihilque nisi egregium meditaris gregali natus vulgi cõsuetudine. Reuocate in memoriam Agaris ancillæ factum siue fastũ, humilis de ancillarũ more accessit ad Saræ seruitium; sed Abrahamo data in coniugium eõ cepit ex illo Genes. 16. *At illa videns concepisse despexit dominam suam.* Genes. 16. Seruile quod vis respuebat officium, vni sibi clamabat deberi domus curam. Ad hæc D. Gregor. lib. 21. in 1. Reg. cap. 3. sic militantium Christo præcipitium effigiat. *Agar quippe concipit, quando reproba mens subditi, aut per eruditionem scientiæ se proficere; aut per vitæ conuersationem credit. Quæ profecto prægnans dominam despexisse dicitur, quia iam præpositi sui voluntati subdi dedignatur: sed quæ dominam despicit ancilla esse perhibetur.* Greg. Nec enim vnquam magis appareret cõditio seruilis obscurus natalis cuiusuis, quam vbi contẽptu religiosæ disciplinæ, sæculi bonis eminere quis præsumit.

*Textus* Et exierunt, & ascenderunt in nauim, & illa nocte nihil prendiderunt. Mane autem facto extitit Iesus in littore, non tamen cognouerunt discipuli, quia Iesus est.

## §. II.

### *Laboret oportet is, qui trahere cupit Christum.*

FAlli vellim in eo quod mihi suspecta est illorum sanctitas, quæ otio nutritur. Vidi aliquoties mulieres per templa tota die vacãtes, reuelationibus habendis insudare habituras satius, & citius inter calathos, inter fusos, si domi clausæ quasi operosæ apes labori vacarent. Et quidem Apostoli sacris illustratis visionibus de Dominoque passim apparente solliciti non otio torpebant, sed proprijs laboribus victui parando insudabant. Id quod D. Chrysost. in præsenti notauit: *Laborabãt*, inquit, *& laborãtibus astitit Iesus.* Chrysost. Antiquus fuit Angelorum error per otium diuinam visionem sibi velle vsurpare. *Sedebo*, ait ille, *in lateribus Aquilonis, similis ero Altissimo.* Isai. 6. Ecce sedebo inquit otiari tentat, & simul Deo approximari. Proh stultitia! otiũ equidẽ nullam

creaturám beat: quòd eleganter meditatur D.Bernard. dum ponderat illud Iſaiæ: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & Seraphin ſtabant.* Deus ſedet Seraphin ſtat: ſtat, inquam, Seraphin, hoc eſt, ſumme mouetur, quandoquidem vt docet Mercurialis de Arte Gymnica nullo labore magis mouetur homo, quam ſtando: tunc enim ſingulæ corporis partes dùm grauitant motum, & laborem patiuntur. Hunc Bernard. ſerm. 3. ait. *Bernard.* *Sola ſedet Trinitas, quæ ſola habet immutabilitatem: ſola eſt apud quam non eſt tranſmutatio, neque vicisſitudinis obumbratio: Seraphim ſtant extendentes ſe, & intendentes in eum, in quem proſpicere concupiſcunt. Qui ſedere præſumſit, ſe ipſo voluit eſſe contentus. Tu ſedere tentaſti, ò impie propterea tui mouti ſunt pedes, & effuſi ſunt greſſus.* Nemo circa Deum immobilis, nemo otioſus, quia nemo eſt, qui vicisſitudinibus non ſubiaceat, qui non poſsit mutari, ideo qui Deo vacant fugiant otium, operi, & labori incumbant, proficient laborantes, peribunt ſedentes: illius, qui ante Deum ſedere tentabat, hoc eſt, otioſam vitam agere, pedes moti ſunt, & effuſi greſſus. Sanè quos victus parandi gratia piſcantes vidit Dominus, hos *Matth. 4.* ſibi ſocios vocat aiens, Matth. 4. *Venite factã vos piſcatores hominum:* non à labore ſeparat, imò, quia nouerint laborare, ideo vocat quaſi *Chryſol.* laboribus plaudens. Acutè Chryſolog. cap. 28 *De labore tranſeunt ad laborem, quia labor neſcit laceſcere meditatus. Hinc eſt, quod Apoſtolos ſuos dominus humanis laboribus exercere voluit, vt eos indefeſſos redderet in diuinis. Voluit eis Deus manere fortitudinem, de exercitio præſtare virtutem, voluit eos labores non perdere, ſed mutare.* Sic qui Deo placeant humanis laboribus exerceantur; de exercitio honeſto virtutem accipiendam putent, nec labores obliuiſcantur, quod Deo vacent; ſed ſciant labores non perdere, ſed mutare, quatenus eos vertãt in diuini obſequij gratiam. Dixerat Matth. cap. 4. *Quod ductus eſt Ieſus ab ſpiritu in deſertum, vt tentaretur à diabolo.* Vbi Chriſtianos ſudores meditatus D. Paſchaſ. lib. 3. inquit: *Ad hoc quiſque de turba ſæculi exiuit cum Chriſto in ſolitudinem non vt torperet otio, ſed vt tentaretur cum eo, tentatus vinceret, victor coronaretur.* Sic otiũ à ſuis intendit elimniare Chriſtus. Equidem Iſaiæ 1. iuxtà lect. D. Baſil. ait Dominus. *Ieiunium, & otium & Neomenias veſtras odit anima mea.* Vbi ſtatim commentatur ipſe Baſil. dicens: *Primum igitur, & maximè proprium humanæ conditionis ſtudium eſt, vt operetur, ita vt iners otium ſit præter hominis naturam, qui initio ſuæ conditionis poſitus eſt in paradiſo, vt operaretur, & cuſtodiret illud.* Hinc viri perfecti tam ardenter otium fugiunt, ſeque operi dant. De D. Paul. dicitur Actor. 18. quod manſit apud quendam Iudæum. *Eo quod eiuſdem opificij eſſet, & operatus eſt.* Sed miraberis, quod Apoſtolus deſtinatus conuertendo orbi apud coriarium ſedeat, arti coriario daturus operam? Defuiſſet ne tanto viro nobilis quædam domus apud quam maneret, & incumberet muneri concionatoris? Multæ ſanè eſſent Paulo eiuſmodi manſiones, verum nulla aptior viſa fuit illi quã hæc in qua præ manibus haberet opus ad declinãdum otiũ. Pulchrè S. Chryſoſt. ibi ait: *Apud illum igitur manet, & non confunditur manere, ſed manet. imò propter hoc ipſum manet, quia cõmodum diuerſoriũ nactus erat, & quauis regia magis idoneum. Et operabatur prædicans. Erubeſcamus nos, qui etiam abſque prædicatione viuimus otioſe.* *Actor. 18.*

*Text.* Dicit ergo eis Ieſus: Pueri numquid pulmentarium habetis? Reſponderunt ei: Nõ. Dicit eis: Mittite in dexterã nauigij rete, & inuenietis. Miſerunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium.

## §. III.

### *Obedientia victrix, & ſubiugatrix omnium.*

QVi tota nocte nihil prendiderant, vacuaque millies iacta retia receperant, nunc piſcibus mare populantur, ipſique præda diteſcunt. Quæ rei cauſa? An quia modò operam dant obedientiæ? Obediunt, & citiſsimè obediunt ignoto Domino, & ipſi piſcandi gnari penuriam piſcium experti, laboribus fracti, nihilominus ſine mora ignotæ voci obtemperant, inde neceſſum erat, vt mare popularentur. Meritò Rupert in præſenti diſcipulorum felicitatem obedientiæ tribuit, his verbis. *Et bene, quia citò acquieuerãt dicenti, mittite in dexteram naulgij, ſicut manſueti, qui ſecuti fuerant magiſtrum manſuetudinis, ſtatim cognorunt eum.* Hæc eſt obedientium felicitas, qua omnia poſsint, qua omnium dominentur, ignorabat Dominum Apoſtoli; & per integrã noctem piſcantes vacui erant, & vbi imperanti acquieſcunt, diuinique ſequũtur moderamen imperij, & capta præda triũphant *Rupert.*

phant,& Dominum exultantes cognoscunt. Quàm verè illud celebratum est, nimirum; *vir obediens loquetur victorias.* Quàm verè Reuocate in memoriam sententiam diuinam in Chananæos districtam. Iusserat namque Dominus populo suo, vt Chananæos penitus exterminarent, quod dum nititur facere populus mille bellis eos exagitant, at illi tandem bello fracti fœdera pacis poscunt,& promittunt se in omnibus Israeli parituros, quo pacificè apud Israelitas sinuntur viuere. Rem
Ios.7. narrat Iosue, c.7. his verbis. *Postquã filij Israel inualuerunt, & fecerunt Chananæos obedientes; exterminio autem eos non exterminauerunt.* Ad hæc pulchrè D. Augustin. lib. 60. qq. q. 30. miratur cur Deus non castigauerit Israelitas, quòd Chananæos pacificè exciperent. Sanè qui de Iericò bona quædam seruauerat, lapidibus obruitur,& Saul, quòd Regi hosti parceret, Regno priuatur,& modò Israelitæ parcunt hostibus Chananæis à Deo in morem proscriptis, illosque in societatem adciscunt, & nihilominus non malè audiunt apud Dominum? Quæ rei adeò nouæ causa? *Timuisse,*
August. ait August. *credendi sunt, ne forte paratis obedire si parcere noluissent, eos superare non possent. Hunc ergo eis humanum timorem Dominus noluit imputare.* Quid pro victrice obedientia dici potuit præstantius? Vbi Chananæi obedientiam promittunt Israeli, meritò ab Israelitis timentur,& reputantur insuperabiles. Quare Deus non castigat, imò nec ad culpam imputat Israeli, quòd metuat eos, qui obedire parati sunt; metus enim hic in viros constantissimos potuit cadere, quandoquidem obedientia nescit superare; sed in omnibus victrix,& insuperabilis euadit.

*Text.* Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus Petro, Dominus est. Simon Petrus cùm audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. Alij autem discipuli nauigio venerunt, &c.

## §. IIII.
## *Petrus omnium Ecclesiarum labori præficitur.*

NOn arctatur Petrus vnius naunculæ præfecturæ, non singulari puppi insidet, cla uoque vnius nauigij mouendo insudat, toti se committit mari,& vastissimo,& inquietissimo. Proh Deus immortalis! Petrus non vanè dicebatur Bariona, hoc est, filius columbæ, quia diuini alitis morem secutus vniuersis incubat aquis, vt cœlestia repleat alitibus. Petrum mari cubantem vniuerso, vt vidit D. Bernard. lib. 2. de consid. inquit. *Quid illud?* Bernard.
*Nempe signũ singularis Pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quique suam; sed sæculum ipsum suscepisti gubernandum.* Habuit aliter Apostolus Nilum, alter Gangem, vnus Petrus circa vniuersas aquarum congregationes habuit principatum, & dominium. Vbi orbis fundamina ponebantur, & pannis infantiæ mare adhuc inuoluebatur, ab omnipotentia diuina aiebat Dominus, Genes. 1. Genes. 1.
*Congregentur aquæ in locum vnum,* & congregationes aquarum vocauit maria. Quid tunc? Pulchrè Anastas. Synait. lib. 3. Exam. inde Synait.
fatur. *Christo ergo Domino valde conuenit dicere, congregetur aqua, quæ est sub cœlo in vnam congregationem. Congregetur aqua, piscatores enim parati. Congregetur aqua, Petrus enim iam crucem tanquam remum intingit in mari mundano.* Vni Petro congregatio paratur aquarum, vnus Petrus vastissimum sæculi pelagus sibi subijcit, suoque remo parere facit. Hinc meritò D. Chrysost. nec sine acumine Chrysost.
Moysi Petrum præfecit, dum homil. 57. in Matth. sic fatur: *Nam etsi mare Moses scidit, sed Petrus per maria deambulauit.* Expende pulchrum discrimen in illo; Moses mare scidit, quandoquidem vt Moses populum saluum faceret, eleuata virga mare diuisit in duas partes hinc inde, nec nisi diuiso mari graditur. Etenim vni Petro integrum sæculum seruabatur, vni Petro non diuiso; sed congregatio seruiebat aquarum, vt potè qui supra vniuersum sæculum habet potestatem, vastissimumque pelagus mundi per crucem valuit domare. Huic referam, quã Titus ad Egesippũ, lib. 5. Titus;
c. 46. de Excidio Ierosol. Romanorum ingentem gloriam ad Iudæos iactabat fatus. Quis murus resisteret, quibus Occeanus non restitit? aut quæ ciuitas nostræ obsidioni inexpugnabilis foret septa præsidio murorum, cùm Britannias quoque Romana arma penetrauerint muro frementis circumuallatas elementi? substratus est nobis ille præruptus aquæ mons. *Patres vestros rubri maris vnda muri specie transeũtes circumuallauit: Romana fortitudo murum Occeani perfregit. Non inuideo vobis aliena beneficia. Viderit vos mare, & fugerit, quia prærũpere hostem nõ poteritis, nec sustinere. Nobis fuga Occeani dãno fuisset, si fugisse. Gessimus autem bello cũ fluctibus, insanũ marè ante superauimus, quàm ad hostem accederemus. Excepit*

*nos Britannia iam victores elementorum. Quibus illi fidebant, nos ſubegimus, vt ad triumphi cumulum ipſe Occeanus accederet.* His ſuperbiebat Roma ethnica: ſed vbi Titos Veſpaſia nos exuit, & Petrum induit facta Chriſtiana, ô quàm verè omnia illa iactaret! Subactus à Petro eſt prærruptus aquæ mons, penetratæ inſulæ frementis elementi muro vallatæ, Petrus non mare ſcindit, nec fugauit, damno eſſet Petro, ſi ſcindatur mare, ſi fugæ ſe trá dat, nimirum, qui aquarum congregationibus imperet, qui ſæculi inquietum pelagus domet, cuius ad triumphi cumulum ipſe accedat Occeanus.

## §. V.

### *Per aquam Chriſtus.*

NOuit Petrus iter ád Chriſtum, nouit vn dé poſſet Chriſto appropinquare, & ſe ſubmergit aquis, non vt vellat coralia; ſed vt Chriſtum habeat. Nonne Tertullianus aít, lib. de Baptiſmo, *Nunquam ſine aqua Chriſtus?* Nullus enim acceſſus ad Chriſtum, niſi per baptiſmi aquam, vbi aqua mediat, Chriſti Domini gloria candicat. Vt Chriſtum damnaret Pilatus, lauit aqua manus. Quid plura? Sic ſtatim effatur. *Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius.* Sanè Chriſti virtus non potuit non apparere per aquas. Ita D. Auguſtinus ſerm. 21. de Tempore, inquit. *Aqua manus lauat, dicens: innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius. Illuminatur per aquæ myſterium iudicis ſenſus, & Chriſtum iuſtum pronuntiat.* Quippe aquæ myſterium fuit, quòd cœcus homo publicaret Chriſti innocentiam, quòd à tam nefario iudice videretur innocens Chriſtus. Quà ergo Petrus citiùs veniret ad Chriſtum, quâm per aquas? Quà citiùs illuminaretur, vt noſceret Dominum? Quà aptiùs initiaretur, vt Chriſtum annunciaret mundo? Nonne ad Iordanis ripas Pater cœleſtis acceſſit, vt filium ſuũ prædicaret mundo? Nonne ibidem ſpiritus diuinus venit indigitaturus Dominum Chriſtum? Sed qua forma de Chriſto præconia edunt? Sanè Pater ſub nube, Spiritus in ſpecie columbæ, & nubes, & columba ab aquis genus ſuum ducunt, vna enim aquæ natura optima eſt, vt per illam & habeatur, & demõſtretur Chriſtus. Accipite modo Auguſt. lib. lib. 3. de mirab. ſic ſantem. *Idcirco in nube, & columba imagine Pater, & Spiritus ſanctus ad Baptiſmum veniunt, quoniam aquatica natura illæ aliquid haberent.* Vt iam diſcas quà tibi quærendus ſit Chriſtus, qui per aquam à Petro quæritur, quem nec demonſtrare volunt Pater, & Spiritus ſanctus, niſi per aquatiles naturas.

*Tertull.*

*Auguſt.*

*Auguſt.*

*Textus:* Dixit eis Ieſus: Venite prandete. Et nemo audebat diſcumbentium interrogare eum: Tu quis es? & venit Ieſus, & accipit panem, & dat eis, & piſcem ſimiliter.

## §. VI.

### *D. Petri paſcua ſupra omnia mundialia præſtantiſſima.*

IAm Petri aſſeclæ videte quali excipiantur conuiuio, queis dentur paſcuis, qui ſub tanto Paſtore viuunt. Sanè habent panem viuũ, qui de cœlo deſcendit, piſcem, nimirum, filiũ Dei per paſsionem aſſum, item habent miniſtrum ipſum Chriſtum. Hæccinè ſunt ſummi Paſtoris paſcua? Noui ſanè, quę parentur ſem per D. Petro conuiuia: enim verò cum Actor. 10. eſuriret: *Vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initijs ſubmitti de cœlo in terram.* Ecce tibi dum Petrus eſurit, totum cœlum cinditur, vt ſuperorum dapes effundat, vt nouerit Paſtor omnium, quo oues ſuas deducat. Hæc pulchrè Ambroſ. ſerm. 68. enucleat. *Pranſuro Petro deſunt cocorum apparatus: deſunt obſequia famulorum; ſed quod eſt melius, miniſteria diuina non deſunt, & vtilioris communione ſancto viro, quod deeſt in terris, abundat in cœlis. Vt reficiatur enim Petrum non cellarium ſollicitè reſeratur: ſed cœlum ipſum protinus aperitur. Legimus ſanctum Eliam coruis miniſtrantibus paſtum: quantò melius Petrus, cui non paruam eſcam tetra auis porrigit: ſed integrum conuiuiũ multitudo Angelica ſubminiſtrat.* Sed quomodo multitudo Angelica? Sanè Petrus ad eam paſcuam oues ſuas minatur, quæ non Angelicis, ſed ſolis diuini Patris manibus, communicatur. Eſt in cœlo ſublimis quædam paſcua, eſt ſecretiſsima menſa, menſa, inquam, à Sapient. cap. 9. Prou. elaborata, ait enim, *poſuit menſam.* Huius ferculà, & dapes docet Anaſt. Nicæn. eſſe: *Trinitatis cognitionem*: de qua mẽſa, ſic cauet Abb. Celleníſ. de Panib. cap. 1. *Procul abſiſtat creatura omnis ab hac adminiſtratione, quia beſtia, quæ tetigerit montem, lapidabitur. Manum ſubtrahat Seraphim, quia munus huiuſmodi*

*Tertull.*

*Cyr. Ieroſ.*

*Actor. 10*

*Ambr.*

*Prou. 9.*

*Anaſt.*

*Celler. ſ.*

*modi manum aliam non admittit, quam solius dexteræ Dei, nemo enim nouit Filium, nisi Pater.* Et quidem quæ Patri paratur mensa, & à Patre ministratur, eam summus omnium Pastor attingit, & de illa saturus, de illa item oues suas procurat sagmare. O quàm anxia dicebat illa Cât. 1. *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paschat.* Ad quæ verba Aponius D. Petri excellentiam, sic decantat: *Manifestum est vbi pascua Apostolorum Principi reuelata est Petro, dum interroganti Christo respondit: Tu es Christus filius Dei viui.* Sanè quam solus Pater attigit mensam, Petrus pascit, nec ipse solus pascit, sed omnes de pastoris beneficio pascimus. Hinc pergit Aponius. *Ecce quomodo oues ad vocem veri pastoris pascua vitæ æternæ in Petro inueniunt, & ideo Petrus tantis laudibus coronatur, cùm ei dicitur: Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelabit tibi, sed spiritus Patris mei, quia in ore eius reuelante Spiritu sancto gloriosa pascua, & requiei sempiternæ cubilia Ecclesiæ indicata sunt.* Fœlices oues nactæ tantum Pastorem, à quo non ad fœnum mundanarum voluptatum, non ad poma discordiarum seminaria, sed ad eam pascuam ducimini, cuius & conuiua, & ministrator est cœlestis Pater, à qua sibi lupus, & fera quæuis cauet.

Cant. 1. Aponius. Idem.

*Textus.* Cum ergo prandissent dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei etiam, Domine, tu scis quia amo te: Dicit ei: Pasce agnos meos, &c.

## §. VII.

### *Propriæ vtilitatis memoria vtilissima cuiuis Prædato.*

NOtanter dixit Dominus, Simon Ioannes, & non Simon Petrus, ne qui orbe præficiebatur, ortus sui obliuiscereturvtilitatem; sed antiqui nominis tinnitu ob oculos haberet auitam pauperiem, angustam parentum domum, quo se se maximè in virtute firmaret, ac confirmaret. Hi namque orbis columnæ aptantur à Deo, qui nunquam hæreditariam tenuitatem obliuioni tradunt. Quippe ait 2. Regum 1. *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* Hæc meditans D. Hieronymi translatio posuit explicatiùs, *super afflictos terræ.* De quo, & verè, & acutè Rupertus, lib. 2. de Operibus Spiritus sancti, cap. 28. ait. *Et afflicti terræ, qui sunt nisi humiles, & contriti corde? Super illos planè, qui huiusmodi sunt, Dominus orbem posuit. Quia super eos, qui præteritam infirmitatem memoriter tenentes humilis apud se conscientiæ sunt, Dominus Ecclesiam suã collocauit.* Ecce vobis orbis columnæ, qua cælatura à Deo poliantur, nimirum, memoria pristinæ infirmitatis, hæc ob oculos sit, hæc animæ humilitatẽ foueat, & te sic confirmabit, vt totius orbis sis firmissimum sustentaculum. Hinc salis nomine Apostolos nobilitans Dominus simul ait Matthæi, cap. 5. *Vos estis sal terræ,* quod sic sonat Hilario, quasi diceret vos estis sal ex terra factus. At sal minimè fit ex terra; sed ex aqua: cur ergo in salis excellentia Apostolis aptanda obiecit illis Deus vilem, & humilem originem ex terra? Iam respondit D. Hilarius, cuius fuit dubitatio, sic enim ait. *Verùm quia homo mutationi subiacet, & solus beatus, qui vsque in finem perseuerauerit, ideo eos sal terræ nuncupatos monet traditæ sibi potestatis virtute persistere.* Quasi in accepta dignitate firmitatem vndè procurandam esse docuerit, nimirum ex consideratione, & memoria abiectæ, & infirmæ originis. Sic terrenæ originis memoria fulcit Ecclesiæ magnates, cuius defectu adolescentes illi, qui ad munera Ecclesiastica festinabant, miserè deperibant, apud Nazianzen. Apolog. 1. dicentem. *Verendum ne periculosa hæc celeritas, præcepsque studium seminibus illis non absimile sit, quæ in petras ceciderunt, & quia terræ profunditatem nõ habebant, statim exorta ne primum quidem Solis calorem ferre potuerunt.* O quam illis iuuaret terræ profunditas, ne ad Solis radios aridi deciderent! O quàm sapienter Abraham hinc suas glorias firmabat! quippe ad summi Dei colloquium admissus ingentium bonorum promissione muneratus, sic fatur. *Loquar ad Dominum, cùm sim puluis, & cinis.* Quam viri humilitatem, vt basim, & columnam ingentium gloriarum, sic extollit D. Cyrillus Ieroſolymit. Cathec. 6. *Cùm ad Deum respexit Abraham, tunc inquit ingenuè confitens, ego sum terra, & cinis. Non dixit terra, & tacuit, ne se ipsum magnum elementum terram appellare videretur; sed addit cinerem se esse, vt vilitatem, & imbecillitatem suam ostenderet.* Et hoc inter colloquendum cum Deo, inter gloriosissimas promissiones Dei, quibus saluti orbis iam ipse subsciebatur. Non sine ingenti admiratione Ezechiel. 1. gloriæ Dei, Saluatorisque nostri triumpha-

Hieron. Rupert. 2. Reg. 1. Gen. 18. Cyr. Ieros. Ezech. 1.

lem currum meditatus ait: *Et ſimilitudo ſuper capita animalium firmamenti.* Proh myſteriũ! Animalia mobiliſsima erant, rapidiſsimè hinc inde ferebantur, cur ergo in illis firmamentum ſtabilitur? Sanè ſubiectæ firmamento erant rotæ apertis oculis circumcelatæ, vt nullo in motu quo circum voluantur, oculi deficiant qui ad terram reſpiciant; vbi ergo terra præ oculis eſt, firmiſsimum gloriæ, & maieſtatis ſtabit ſuſtentaculum. Dauid aiebat 2. Reg. 7. *Quis ſum ego, quòd talem gratiam inuenerim in oculis tuis?* In quibus ſic S. Chryſoſt. philoſophatur particulari homil. *Nouerat ſe paſtorem eſſe ouium, & non genere nobilem. Sed quando factus eſt nobilis, agnouit ſe ex nihilo fuiſſe ſublenatum: & quia non eſt oblitus quis natus erat, perſeuerauit in culmine regali.* Ecce qualiter tota dignitatis firmitudo innitatur in memoria priſtinæ vilitatis. Rem finit Iſai. cap. 6. vbi immenſam Dei celſitudinem ſpeculatus aſtantia Seraphin, & glorioſum thronum, ſic notat. *Et ea quæ ſub ipſo erant, replebãt templum.* Vide quibus templum occupãdum dabatur, non ijs, qui ſuper omnes ſe ſe efferebant; ſed qui ſubter iacebant, in imis propriæ adhærebant infirmitatis, hi templum Domini occupabant. Vndè ad illum locum Bernard. ſerm. 2. ait. *Vt intelligas non eam altitudinem commẽdari, qua extollitur aduerſus Deum; ſed eos in templo, ſiue in ſolio fore, qui ſub ipſo ſunt alios excelſos ſtabilitate ſolida, alios ex imo lenatos miſeratione diuina.* Ita Bernardus.

Iſai. 6.

D. Bern.

## §. VIII.

### *Non vi, & rigore; ſed beneficijs potius, & amore homines in Dei ſeruitium ducendi.*

NOuerint vniuerſi paſtores, vniuerſi qui hominibus præſint, quà vi debent ſibi creditas oues gubernare, nimirum paſtu, beneficijs, amore. Ait enim bis, & ter, paſce oues meas, non gaudet Dominus ouibus, quæ fuſte aguntur; ſed quæ ex paſtu, & beneficijs incrementum capiunt. Reuoca in memoriam duos illos celebres fratres Iacob, & Eſau. Alter paſcebat oues, alter feras venabatur: vterque parenti affert cibũ: ſed Iacob benedictione cœleſti ditatur. Non poſſum non iſtud mirari; nonne magis glorioſum homini eſt, ſi feras capiat, & vel ſagittis, & arcu territas, imò occiſas Deo parenti libet, quàm ſi gramine obiecto oues trahat? Cur ergo qui feras domuit ſagittis, repellitur, & ille eligitur, qui agnos ex paſcua parauit? Pulchrè S. Ambroſ. lib. de Iacob. cap. 2. fatur. *Vicet manſuetudo diuitiem, dum aliter venatu aſpero prædam quærit agreſtem, hic teneræ manſuetudinis, atque pietatis pio patri dulces epulas miniſtrauit.* Nemo iã in immenſum glorietur Præſul, qui vel fuſte, vel ſagittis, aſperoque venatu agreſtes morũ domuerit feras, & ad Deum traxerit. Is enim Præſul Deo placet, qui manſuetus exiſtit in greges. Ideò Demophilum de aſperitate in peccatores ſeſe gloriantem pungit. S. Dionyſ. Areopag. his verbis. *Doceri quippe ignaros decet, non ſupplicijs affici, ſicut & cæcos non erucia mus, ſed ad manum ducimus. Atque hoc eximiæ in ſe dilectionis argumentum capit Deus, ſi oues eius modeſtiſsima gubernatione paſcamus.* Non ſi aſperitate, & rigore ſuppliciorum, vel mores ferinos mactemus. Sanè vbi Deus ſupplicijs populum ſuum in cáules curabat reuocare, quibus illum paſtoribus tradebat? An electis principibus? Imò reprobis tyrannis vel ab Ægypto, vel à Babilone conductis. Cum verò ipſe electos, & ſibi gratos paſtores præficiebat, hæc erat illis lex ſancta, ne ſupplicijs, ne aſperitate; ſed modeſtiſsima gubernatione oues agerent. Nonne Moyſes, & Aaron electi á Deo ſunt, vt hominibus imperarent? Sed ecce vbi iubentur interfici Ægyptiorum rebellium primogeniti, & illi iubentur domi ſeſe continere, & celebrationi Paſchæ vacare; ſanctos enim paſtores decet populi paſcua, ſupplicium, & cædes reprobis ſæpe miniſtris commendatur. Hoc pulchrè notauit Auguſtin. lib. 1. de mirab. cap. 19. vbi ponderans quòd cæteræ plagæ factæ ſunt Moyſi, vel Aaronis manu, ſic fatur. *At verò quando humanæ mortis exitus à Deo diſpenſatur, non homini; ſed Angelo miniſterium illud committitur.* Alterius proculdubio naturæ eſt homines ſuppliciorũ aſperitate vexare, humanus præſul paſcha faciat cum ouibus, illaſque paſtus beneficijs minetur, non fuſte, non gladio. En ipſe paſtorum exemplar Dominus qualiter diſperſas oues colligebat, nimirum, paſcuam illis proponens ad epulas inuitans, & vix apparet rediuiuus, ſine conuiuio; nonne in præſenti ait: *Pueri habetis pulmentarium?* Hæc illius apparentis prima ſunt verba, circa quæ D. Chryſolog. ſerm. 87. *Vt humanitas ad gratiam, panis ad fiduciam, pulmentum reuocaret ad fidem.* Hæc ſunt quibus à veris & electis paſtoribus trahuntur ad cáules oues Chriſtianæ. Vide infrà, paragr. 11. & ſuprà, cap. 4 paragr. 11. & alibi.

Ambroſ.

Dion. Ar.

Auguſt.

Chryſol.

*Textus.* Amen, amen dico tibi, cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas. Cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet te quò tu non vis.

## §. IX.

### *Seniores in religiosa obseruantia, & virtutum conflictu emineant.*

MIror diuinam sapientiam, à qua seni homini ætate, & laboribus confracto durissimum religionis certamen reseruatur. Iuueni Petro voluntaria conceduntur, verùm seni omnino repugnantia, & durissima parantur: ait enim. *Cùm senueris, alius cinget te, & ducet te quò tu non vis.* Proh Deus immortalis! quando senes non donatur rude. Sanè in religionis stadio, in causa virtutis prosiliendum senibus est in durissima certamina, medios inter confertissimos hostes standum illis, nemi-
nem tam decent arma, quam senem. Accipite
*Chrysost.* D. Chrysostom. præfata expendentem verba isto modo. *Quomodo cùm dixisset, cùm esses iunior, subdit, cùm senueris? Vt significet in rebus secularibus iuuenem vtilem esse; senem inutilem non ita in diuinis; sed cum aduentarit, inquit, senectus, tunc fortior eris, atque præstantior, nihil te ætas impediet.* Non gladium condat senectus, sed acuat, nec prætextu senilis infirmitatis certamina fugiat, non enim benè esset à Deo consultum Petro seni, si senectus nõ vegetior, & præstantior fuisset ad debellanda spiritualia nequitiæ. Sanè fœdum est, quòd senex ærumnosæ vitæ diem, vt agat, hosti succumbat, vel religioni detrahat, quare nemo nudior, & expelitior in arenam prosilit virtutis, quam senex. Non calebat firmam senum virtutem Antiochus ille Iudæorum strages quare vt fortissimos Machabæos debellaret, primò aggreditur Eleazarum senem, & religiosum virum. Non grande certamen videbatur futurum cum sene, vt ad esum traheretur carnis Suilæ. Quid quòd qui in religione in legum obseruantia consenuit, vt summos dolores fugiat, parum de prophanorum cibis sumat. Non vult sumere? Saltem simuler, & sic cũ venia legũ suæ infirmitati prospiciat, & iuuenibus dura tormentorum certamina relinquat. Hæc dicebant falsi amici Eleazaro, canorum miserentes; at ille inter acerbissimos cruciatus, sic apud D. Ambr. lib. 2. de Iacob, *Ambr.* cap. 10 amicis, & hostibus respondit. *Nõ sum ita senex, vt mihi non iuuenescat animi fortitudo. Nequaquam contingat mihi, vt fiam senex incentiuum erroris iuuenilis, qui huc vsque eram forma salutaris instituti. His ergo ludibrijs vt paululum viuam, luctabor, & totius vitæ labores addicam breuis viatico senectutis? Senectus portus debet esse, non naufragium vitæ superiori. Non te negabo lex patria: non adiurabo vos sancta institutaque maiorum.* Sic senes nouerunt dimicare pro religione, ne vel diuinæ legi, vel maiorũ institutis in minimis officiant. Nolim falli cùm huc refero, quod Paulus se iam senem cum vinculis luctantem proponat imitãdum Philemoni, dum ait 1. cap. *Sis talis, vt Paulus* *Ad Phil.* *senex, nunc autem, & vinctus Iesu Christi.* Sanè 1. senescentium certamina cum hostibus in virtutis stadio, vt expeditiora, & præstantiora, sic vniuersis hominibus spectabiliora sunt. Huc referam quod in Niniuitarum pœnitentia notaui, de quibus ait Ionas, cap. 3. *Vestiti* *Ion. 3.* *sunt saccis à maiore vsque ad minorem.* Ecce pro virtute certamina vndè auspiciunt capiãt, à maiore, inquit. Id quod premens D. Hiero- *Hieron.* nym. ait: *Maior ætas incipit, & vsque ad minorem peruenit.* Et sanè quando exemplum à maioribus venit, quasi per decliue currit, & percurrit omnes, verũ cùm à minoribus incipit, idè est, ac si per acclive graue pondus feratur, quod parum proficit, & passim recidet. Crudeles in adulteram accusatores, sic repellit Dominus. Ioann. cap. 8. *Qui sine peccato est ve-* *Ioann. 8.* *strum, primus in illam lapidem mittat.* Quo audito, notanter addit Ioann. quòd *vnus post vnum exibant incipientes à senioribus.* Ecce tibi seniores incipiunt, vt qui in vitæ emendatione alacriores esse debeant. Accipite D. Ambros. epist. 58. sic notantem. *Incipientes à senio-* *Ambr.* *ribus, quia priores vim intellexerunt sententiæ, quasi prudentiores, & cæperunt sua magis peccata deflere, qui alieni criminis venerant accusatores.*

*Text.* Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui recubuit in cœna supra pectus eius, & dixit: Domine, quis est qui tradet te? Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit: Domine, hic autem quid?

## §. X.

### *Indecorum pastori, si non per se ouibus prospiciat.*

QVis hanc maculam multis pastoribus inusit, qui causantur per se ipsos, oues curare, & ducere, & tunc in glorij putantur, quando hoc munus non mandant vicarijs? O fœda pastorum conditio! ô inglorij præsules! Equidem & Petrus cùm adhuc inglorius, & rudis ageret, dum audit ex Apostolorum grege ouiculám à lupo vorandam, noscere cupit miseram ouem, & curat eius luē patefacere, forsan vt medellam capiat. Rectè huc vsque agebat; sed in hoc non adeò benè quod sollicitudinem mandat Ioanni, vt ille inquireret de oue: iam præstantior factus in præsenti, vt se supèr omnes Dominicos greges videt constitutum, non amplius alterius vtitur diligentia; sed ipse sollicitus per se ipsum ouis salutem tractans dum ait, hic autem quid? Sic pulchrè, & eleganter Chrysostom. homil. 173. in Ioannem fatus. Qua gratia recubit usillius meminit? Non absre; sed vt ostēdat Petri post negationem fiduciam. *Qui enim tunc non ausus Iesum interrogare; sed id muneris alteri delegauerat.* Proh pastoris infirmitas! *hic commissa sibi fratrum cura non modò alteri vicem suam non mandat; sed ipse magis trum interrogat.* Expēde, quòd vbi clarius suę curæ commissos fratres cernit, nullius salutem alteri delegat procurandam; sed ipse per se ipsum immediatè illam procurat, & de illa agit, quasi sibi indecorum iudicans, quòd grex sibi commissus alterius beneficio fiat sanus.

*Chrysost.*

Sed age, obijcies mihi strenuos, & diligentissimos vicarios, qui pastorū munera summa exequuntur laude. Et hoc puto maximè esse inglorium pastoribus; pro quo vnus mihi stat Arnoldus Carnot. tractatu de septem Verbis, vbi Diuo Petro fugillat, quòd cùm ipse claues cœlorum acceperit, sine illo latro gloriam paradisi fuerit nactus. Sic enim ait: *Ne tras caris Princeps Apostolorum, tibi dico Petre, cui claues regni cœlorum commissæ sunt. Nec ibi Apostolica auctoritate veteris, vbi ad innicem fixis iuxta crucius, priuata miscēt colloquia Saluator, & peccator. Absens eras, & ministerij tui claues (quod pace tua dixerim) modò nō proferis, supplet vicem tuam summus sacerdos Iesus.* Expende illud: quod pace tua dixerim, quasi enim de re Petro in gloria, & indecora dicturus sic apud veniam, vt dicat non per Petrum, sed eius quasi Vicarium agente ipso Domino, & vero Principe, latronem ad salutis portum peruenisse. Quis iam præstantior Vicarius, quam Iesus? Et tamen hoc gaudens Petrus Vicario inglorius manet, dum non per seipsum, vel vni latroni cœlum aperit. Quid mirum, vt post hæc nullius curam Petrus alteri mandet, sed per se ipsum de ouibus sollicitus Christum adeat. Vtinam vel hic esset innatus mos vniuersis prælatis, cunctis Rectoribus, quod ipsi subditorum morbos per se viderint, per se visitauerint, ò quam aliter veniret subditorum salus. Postquam Elias dura fame totum Israelem confecit, hoc à Deo ipse responsum accipit, 3. Reg. 17. *Surge vade in Sarepta Sidonia, & præcipiam viduæ, vt te nutriat illic.* An non poterat Deus Prophetam in Israele nutrire? Cur illum ad externos mittit alimenti gratia? Vt cogeretur populorum miserum videre statum, & afflictos inedia proprijs cernere oculis, & sit de eorum subleuatione ageret. Chrysostom. homil. in 55. Petr. & Hel. ait. *Nesciebat Helias quomodo apud alias nationes res se haberet. Cum enim in vno loco sederet, neque orbis terrarum calamitatem cernere posset, quomodo omnia arefacta essent, paludes, fontes, fluuij, plantæ, fructus. Cum inquam, hæc ignoraret, & volucrum aliarumque rerum interitum, puerorum mortes, & matrum vlulatus; tantam denique orbis calamitatē nesciret; excitans illum Deus fecit, vt multam terram peragraret illuc ad Sidonem vsque profoiscēs, vt ita saltem cum vidisset Elias quo pacto res se haberent, rogaret deinceps Dominum suum, vt pluuiam dare vellet.* Et quidem maximè proficerent Reipublicæ status si Principes per se ipsos subditorum tangerent necessitates.

3. Reg. 17

*Chrysost.*

## §. XI.

### *Ioannes Euangelista præstantissimus præsul supra pectus Iesu recumbens initiatur, vbi de paterno præsulum munere.*

ECce quibus in sulis decoretur præsul nobilissimus, quibus notis commendetur præsulis Ioannis præstantia, quando ait, *qui & recubuit in cœna supra pectus eius*, quasi inde insinuaret quo incitatus aculeo Petrus inquireret futuram dignitatem Ioannis. Etenim vbi iubetur Petrus pascere gregem Domini, hoc est veri pastoris, & patris munus subire, & exercere in orbem, meminit statim discipuli

puli accubantis supra Iesu pectus, & inde illius optimum pastoritium ingenium præsagiens illum sibi comitem in vita, & morte procurabat. Sanè ibi in diuini parentis sinu optimi quique præsules inaugurantur. Nonne Dei filius omnium præstantissimè, & Regis, & Prælati munus impleuit? Sed vndè hoc habuit filius Dei, vt Regem, & Prælatum perfectissimum ageret? An ex eo quod erat in sinu patris? Ita planè. Id quod meditatur
*Cant. 1.* Sponsa Cant. 1. dicens. *Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suauitatis.* Vide quo diuinus Rex inauguratur, nimirũ in accubitu suo, à sinu patris vbi filius accubat, Rex proponitur cæteris omnibus longè
*Bernard.* præstantior. Gustate Bernard. mella serm. 42. in Cant. sic aientis. *Accubitus Regis sinus est patris, quia semper in patre est filius. Nec dubites Regẽ hunc esse clemẽtem, cui perennis accubitus est paternæ benignitatis diuersorium. Meritò clamor humilium ascendit ad eum, cui fons pietatis est mansio, cui ideo totum quod est, de patre est, vt nihil prorsus in Regia Maiestate nisi paternũ humilium trepidatio suspicetur.* Itaque patris sinus Regem nobis facit præstantem, quale humana infirmitas eget, qualem requirit agniculorum trepidatio. De patris sinu pariendi sunt optimi quique Reges, & Prælati, vt nihil non paternum, & amatorium habeãt. O quã meritò dicimus de Ioanne hic autem quid? Hic qui fuit in sinu communis patris, qui accubuit pietati fonti, qui in pectore diuino diuersorium habuit? Hic sanè præstantissimus Præsul erit, dignissimè præficietur curæ animarum: nec dubites præsulem hunc esse clementem, cui accubitus est paternæ benignitatis diuersorium. D. Gregor. Nyssen. ponderans illud Cant. 1. *Meliora vbera tua super vi-*
*Cant. 1.* *num*, hom. 1. Ioannis charitatem extollit, qua in proximorum amorem liquefiebat, & nocentissimos perditissimosque peccatores ardentissimè amabat, nilque magis curabat, quã hunc amorem omnium animis inserere. Vndè illud in ore eius versatissimum, *filij diligite alterutrum.* Quid mirum initiatus est Rex, & præsul in accubitu suo, in paterno Iesu pe-
*Nyssen.* ctore. Ita Nyss. ait. *Verbi amauit vbera qui supra pectus Domini in Cœna recubuit, & veluti quandam spongiam cor suum apposuit fonti vitæ, & ex ineffabili quadam traditione repletus Christi mysteriis nobis quoque exhibet mammillam à verbo impletam, nosque implet bonis, quæ ei à fonte sunt indita.* Cur non amantissimus hic Pastor totus fieret vbera, totus exhiberetur mammilla subditis, qui inter Dei vbera, fuit initiatus? Cur non appareret totus mammeus, totus pater, cui accubitus fuit paternæ benignitatis diuersorium? Cui fons pietatis fuit mansio: Ita expendo illud, *nobisque exhibet mammillam, nosque replet bonis*, quasi à mammillis à pectore, cui insideret, hoc hauriret, vt fieret verus subditorum pater, dulcissima Ecclesias gubernatione præ alijs moderatus. Numquam (mihi crede) paterna exuet, viscera, qui à sinu patris inauguratus est. Furia licet, & feratum sumat formas, vt reos puniat, tamen de patris pectore multum exhibebit. Audi Dei verbũ
apud Oseam dicentem cap. 5. *Ego quasi Leæna* *Ose. 5.*
*Ephraim, & quasi catulus Leonis domui Iuda. Ego ego capiam, & vadam, & tollam, & non est qui eruat: vadens reuertar ad locum meum.* Ecce quam efferus Dominus, quam Leone sæuior, sed inter seruiendum ait, reuertar ad locum meum. Qui eius locus? Pulchrè D. Hie-
*Hieron.* ronym. lib. 1. *Reuertetur ad locum suum, de quo dicit Ioan. 14. Ego in patre, & pater in me, & eos spernet, donec deficiant in impietate, & quærant eum per pœnitentiam.* Sanè qui à sinu patris fit Rex inter sæuiendum, inter lanienã, non deserit natalem locum, semper de patre hauriens paterna viscera premit, vt nihil in percussore suo, nisi paternum ipsi rei suspicentur.

Non sic creantur à paterno Dei corde, qui in supplicium, & minas, & percussiones suscitantur. Hi enim â ferarum prẽcordijs vomuntur, in illisque accubant, vt nihil non ferum exhibeant. Nonne Ionas in Niniue suppliciũ mittitur? Nonne iubetur dira illis minari, strictam iudicis framea, fulmen paratum? Sed vbi talis Propheta initiatur, nisi in belluę prẽcordijs, vbi accumbens triduo post euomitur? Id quod acutè perstringẽs Naziãz. orat. *Nazianz.*
in Basil. ait. *Mitto in ventre ceti peccantem fugitiuum Prophetã, atque ex bestiæ præcordijs quasi è thalamo prodeuntem.* O misera hominũ cõditio, quando illis præficitur, non cui accubitus fuerit paternæ pietatis diuersoriũ, sed bruti feralia præcordia! Quid non ferum, quid nõ durum, & crudele præseferret ille qui nõ in patris pectore; sed in bestiæ corde initiatur? Stultissimi Israelitæ dum sibi nescio quem dũcem præficere tẽtant, materiem auream in ignea fornace mittunt, & dignus tali accubitu fit dux, nimirum singularis fera quæ mactet eos. Accipite Nicetam in orat. 2. Pas. aientem. *Nicet.*
*Vitulus aureus conflatilis qui temerè, & fortuito in huiusmodi speciem informatus est, vt Iudæorũ contumaciã argueret. Ob hanc enim causam bobis, & non alterius animalis forma igne conflata est, quoniam hoc animal, & dura carne est, & neruis, & ossibus, quemadmodum Hebræi duri.* Vbi durissimus dux in eorum mulctam est formãdus erat, iure paratur fornax, vt ex fornacis corde eum ducẽ acciperent, in quo nihil

non

non igneũm ácerbũm, dũrum & exitiale in ſe meditarentur.

*Text.* Dicit ei Ieſus: ſic eum volo manare donec veniam, quid ad te? Tu me ſequere.

## §. XII.

### *Detrimentoſum Prælato, qui in amicis, vel conſanguineis promouendis occupatur.*

HEũ quàm ſemper graſſatur hæc lues per Prelatorum animos, quibus hoc primũ in mentem venit, quid conſanguineis ſuis, quid amicis poſſint præſtare. Huc prælaturæ curas, huc vigilias, huc omnem ſollicitudinẽ impendunt, quomodo ſuos promoueant, nihilque magis in vniuerſa officij adminiſtratione pre oculis habet. Quam hoc damnoſum ſit nemo nõ videt, quanta mala pariat, vix eſt in Eccleſia familia quæ non experiatur. Quã aliter Chriſtus Dominus; & conſanguineis, & amicis valde Ioanni, & Iacobo proſpexit? Optabant illi ab amico, & affine præſule pri-
*Matt. 20.* mas obtinere in Regno, quibus ille: *non eſt*
*Ambr.* *meum dare vobis.* De quo D. Ambroſ. lib. 5. de Fide, cap. 2. ait. *Quod eſt, non eſt meum qui veni humilitatem docere; non eſt meum qui veni non miniſtrari; ſed miniſtrare.* Equidem fœdum eſt quod is, qui ex officio debet verum mundi contemptum docere, veras animi virtutes perſuadere, ſaluti ſubditorum inſudare, is occupetur in amicis, & conſanguineis promouẽdis ad dignitates. Parum vrgetur muneris ſui cũris Prælatus, cui vacat ſuorum temporalis prouẽtus meminiſſe. Hinc Petrũ de amico Ioanne ſollicitum Dominus pũgit, dicẽs: *ſic eum volo manere, quid ad te? Tu me ſequere.*
*Chryſoſt.* Vbi eleganter D. Chryſoſtom. fatur in rem præſentem. *Hoc autem dixit, vt intempeſtiuum affectum, & conſuetudinis deſiderium tolleret. Idcirco inquit: opus ſuſcepiſti, id conſidera, perfice, labora, & te certaminibus expone. Quid ad te? Tu officium tuum cura, & exequere.* Non eſt Prælati, non eſt Dei Vicarij amicis, & conſanguineis inuigilare, ſed ouibus; non pertinet ad illum amicorum prouentus temporalis; ſed gregis vniuerſi ſalus,
*Cant. 8.* & vtilitas. Aiebat illa, Cant. 8. *Amici te auſcultant. Fuge, fuge dilecti mi.* Et quidem ſapienter timuit dilecto præſuli ab amicis, quæ fugam perſuadebat, ne in tempeſtiuo amicorum affectu negotia populorum fraudarentur. Qui habet amicos auſcultantes credat mihi, & Prælaturam fugiat: hoc innuebat ipſe Dominus, cum Petrum de amore ter examinat, antequam oues committat, ſed do vobis Bernard. ſerm. 76. in Cant. per ter- *Bernard.*
refacientem prælatos, his verbis. *Non otioſe toties repetitum eſt, Petre amas me in commiſſione ouium, ac ſi illi diceret Ieſus. Niſi teſtimonium tibi perhibente conſcientia, quod ames me, & valde perfectèque ames, hoc eſt, pluſquam tua, pluſquam tuos, pluſquam te, & huius repetitionis meæ numerus impleatur, nequaquam ſuſcipias curam hanc, ne te intromittas de ouibus meis, pro quibus ſanguis meus effuſus eſt.* Expende illud pluſquam tua, pluſquam tuos, pluſquam te: vt ſcias quam fugienda ſit prælatura ab ijs, qui intempeſtiuum affectum in ſuos nõ exuerunt. Iam quando apud D. Hieronym. audis Dauidem dicentem. *Tempeſtiuitate tua intende proſperè procede, & regna.* Reuoca in memoriã *Pſalm. 44*
intempeſtiuum affectum amicorum Prælatis noxium à Chryſoſtom. notatum, qui ab ijs, qui aliorum curam ſuſcipiunt longè abigẽdus eſt. Nec quicquam eſt magis detrimẽtoſum Prælatis quam ſi amicis, & cognatis promouendis incumbant. Audiſti Eli, Sacerdotis filios. 1. Reg. 4. exoſos valde Deo, tamen ab illo toleratos, donec arcam fœ- *1. Reg. 4.*
deris in cognatorum auxilium á ſanctuario dimouerẽt. Tunc, & arca fuit capta ab hoſtibus, & illi Sacerdotio, & vita priuati iacuerunt. Rem ponderat Theodoretus orat. 1. in *Theodor.*
Dan. ſatus. *Poſtquã Ophni, & Ophinees Eli Sacerdotis filij impij, & deteſtabiles arca ſecum aſſumpta ad ſuppetias cognatis ferendas exiere eorum impietatem arguit Deus, nullaque eos prouidentia dignatus, digna cæde interficiendos curat, arcam verò alienigenis tradit.* Multa quidem alia fecerant antea crimina, multis ſe delictis obſtrinxerant; ſed poſtquam à ſanctuario in cognatorum auxilium temporale educunt arcam, tunc Deum maximè irritant, eius prouidentia nudati trucidantur. Væ præſuli, qui in amicorum, & cognatorum auxilium temporale inclinat dignitatem! Non enim immerito Chriſtianum ſacerdotium dicitur ſecũdum ordinem Melchiſedech, quem memorat Paulus ſine Patre, & ſine matre, & ſine genealogia recenſeri, quaſi inde piaculum eſſet Chriſtianis ſacerdotibus ſi in ſacras dignitates conſanguineis ſtudeãt promouendis. De quo eleganter D. Leo ſerm. 2. in An- *Leo.*
niu. Aſſumpt. ſuæ, inquit. *Denique huius diuini Sacerdotij Sacramentum, non per generationum tramitem currit, nec quod caro & ſanguis*

*ſanguis creauit, eligitur: ſed ceſſante priuilegio, & familiarum ordine prætermiſſo, eos rectores Eccleſia accipit, quos Spiritus ſanctus præparauit.* Solus ſpiritus ſit qui verſetur inter Eccleſiæ Principes, nihil ſanguinis, & carnis appareat amicum. Apud Matth. cap. 8. Petri Socrus recens ſanata, *ſurrexit, & miniſtrabat ei.* Sed cur ipſa à morbo aſſumitur ad miniſterium? Nonne eſſet alia, que poſſet miniſtrare? Rectè id notat Chryſolog. ſerm. 18. *Sic in domo Petri non erat vernula, non miniſter, non familiaris, non propinquus.* Digna tanti prælati domus, in qua propinquorum, familiarium ve non viſebantur affectus.

Matth 8

Chryſol.

Hæc de celebrioribus apparitionibus dixi, alia enim vt breuiſsimè ab Euangeliſtis perſtrictæ, ſic à me inter alia paſsim enucleabũtur, dum ad vltimam in die Aſcenſionis factam gradum facio.

---

# CAPVT VII.

## De Chriſti Domini Aſcenſione mirabili.

DE victis tenebrarum hoſtibus, expugnatis æreis Infernorũ muris, cœleſtis tuba receptui canit, & conſtipata Angelorum milia feſe fundunt per aera, vt nobilem triumphum victori maximo parent. Adeſt tellus oliuis coronata, Apoſtolorum choro additur nõ parua iuſtorũ hominum mulierumque ſanctarum phalanx. Olympiona Virgo, & mater aſtat, nec mora; Dominus Ieſus, ridente cœlo, lugente terra Æthera ſcandit, intimaque cœleſtiũ ſubiens penetralia debitam ſuæ virtuti occupat ſedem ad dexteram Patris.

*Ex Marci* 16. Recumbentibus vndecim diſcipulis ſuis apparuit illis Ieſus, & exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia ijs, qui viderant eum reſurrexiſſe à mortuis non crediderunt.

### §. I.

### *Seueritatis leges æqualiter omnes mordeant.*

SAnè inter Apoſtolos chariſsimos præ alijs habebat Dominus Petrum, Iacobum, imò tenere Ioannem diligebat, verum vbi ad reprehenſionem ventum eſt, nullum excipit; ſed medius omnes æqualiter pungit, & mordet. Etenim frequentiſsimus hic apud homines inuenitur error, quo rigores, & ſeueritates minimè exercẽt, quin multos eximãt. Ab hoc maximè cauit Moyſes, cum Exodi 32. inquit Leuitis. *Ite per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum.* Vt enim nullus liber erat à ſcelere, ſic nullum â iudicis gladio iubet liberari; ſed potius cupit, vt æqualiter per omnes diſcurrat ſupplicium. Ita fatur Hugo Victorinus lib. 1. Miſcel. tit. 92. *Increpando diſcurrat per medium caſtrorum cum tanta æqualitate, vt in culpam deliquentium nullius odio, vel fauore declinet.* Quis hanc mentem prælatis omnibus & iudicibus donaret, vt per medium ſubditorum increpando diſcurrant, nec ad dexteram vel ſiniſtram odio, vel fauore declinet? Vt quicquid ſeuerum eſt, & durum obſeruantiæ æqualiter per omnes exerceant? laudatiſsimus Abraham volentem imò cupientem filium Deo litaturus. Geneſ. 22. illum fortiter prius ligat: etenim dicitur. *Cumque alligaſſet Iſaac filiũ ſuum, poſuit eum in altare ſuperſtruẽ ligno rum.* Sed cur adeò voluntariam victimã ligat? Nonne vincula inuenta ſunt, vt reniten tes coerceant, repugnantes teneant? Quid vincula cum eo, qui minimè reſiſtit, imò potius lætus, & libens ſe dedit ſacrificio? Ego ſto à ſententia illorum, qui notant hanc fuiſſe legẽ omnium victimarum, quod ligatę litarentur, nullus aries, nullus vitulus imponebatur aris niſi ligatus, vt vincula eorum obluctationem inter ſacrificandum coercerent. Vndè ſtrenus hic ſacrificus vt communes ſacrificandi ritus obſeruet etſi rigidos, & pœnales, etiam filio vincula nectit, & cum amata, & voluntaria victima impleuit quicquid auſterum, & rigidum pro victimis communiter leges cauebant. Fallor niſi hinc cum filij incolumitate Dei ingentia beneficia percepit. Id quod mihi notaui, cũ primum veni in illa verba Iſaiæ 6. nimirum, *& factum eſt anno, quo mortuus eſt Ozias Rex, videbam Dominũ ſedentem in Throno excelſo.* Vbi illud animaduertẽdum, quod cum frequẽtiſsimum ſit in ſacris litteris prophetias

Exod. 32.

Hug. Vi.

Geneſ. 22.

Iſai. 6.

phetias aliorum Prophetarum percenseri cũ vita Regum, vt dicant regnante hoc vel illo factum est verbum Domini ad talem vel talem Prophetam, in præsenti capite nobilissima omnium visio coniugatur cum morte Oziæ Regis. An, quia cum Ozia non seruatus fuit rigor Israelitarum legum? Planè is cum ausus esset sacerdotum munus inuadere, subitò correptus fuit à lepra, cui leproso populus pepercit, ne extra ciuitatem fieret, vt communiter fieri solebat, Hinc populus beneficia prophetiæ nõ accepit à Deo nisi mortuo Rege: pro quo accipite D. Chrysostom. homil. 4. ad illum locum Isaiæ dicentem. *Vetus erat mos omnem leprosum è ciuitate eijcere; nunc verò nõ idẽ fit. Exiuit ergo Rex cum lepra, non tamen eiecerũt eum de ciuitate, diadema illius regiamque dignitatem reueriti. Quid ergo? Deus irascens Iudæis interrupit prophetiam. Cum ille mortuus est tum vidit Dominum: nam antea Deum non videbat illis iratum; venit mors impuri, & soluit iram.* Adeò damnosa est exemptio in seueritate legũ obseruanda, vt nihil liceat obtinere à Deo nisi iunctum cum morte exempti. Quod cauens Abrahamus de vetusto victimarum more voluntario filio vincula dura nectit, & minimè illum ab hac lege eximens cum incolumitate illius innumera beneficia à Deo percepit. Nec non in Pauli facinore, quo persequebatur Ecclesiã, hoc inuenitur religiosum & sancti zeli æmulum, nimirum, quod æqualiter in omnes sæuiret. Quando enim rabidissimi Iudæi viros Christianos ligabant, verberabant nihil de fœminis curantes: vnus Paulus in fœminas, & vires æqualiter sæuiebat, vt qui aliquid religiosi zeli haberet. Sic Act. 8. dicitur. *Saulus autem deuastabat Ecclesiam: per domos intrans, & trahens viros, ac mulieres.* Id quod expendens Chrysostom. hom. de ferendis repreh. Sic fatur. *Neque naturam reuerebatur, neque sexus miserebatur, neque infirmitatẽ respiciebat. Zelo tamen, non furore hæc faciebat. Et ob hoc venia dignus fuit; cum Iudæi quidem accusatione erant digni. Nam Iudæi quid respexerint, ipsi manifestabant, nempe quod omnia honoris, & gloriæ gratia fecerint. At Paulus nõ sic, sed zelo Dei tametsi non secundum scientiam. Et hinc est quare Iudæi mulieres quidem dimisserũt viris autem infesti fuerunt: hic autem ob zelum erga omnes talem segerebat.* Non est diuinus zelus acceptor personarum, sed in similes peccatores similiter irascitur. At qui alijs aguntur affectibus, in nullo sciunt æqualitatem tenere. Hos succenset Iosephus lib. 6. cap. 10 fatus. *Sauiunt nõ in quos oporteret, sed in quos ipsis sæuire est facile.*

Chrysost.

Act. 8.

Cassiod.

## § II.

### Vt celebranda conuiuia.

NOn me cõtineo, quin vos, ò sacri Dei discipuli, laudibus prosequar, non solum dum in oratione per noctantes noui; sed etiã dum mẽsis assidentes cerno. O vtinã ea Christiani conuiuia dicerent instituere, quæ non fœdarent; sed illuminarent animum, vt Deũ etiam inter epulas viderent. Deum suæ mensæ assidentem vidit Abraham; sed erat mensæ accubitus sub illice Mambre, quæ interpretatur visio seu perspicacia. Id quod ponderans D. Aug. serm. 1. post. 1. Dom. in Quadr. ait. *Vides qualis sit locus, in quo Dominus potest habere conuiuium? Delectauit eum visio, & perspicacia Abrahæ.* Erat enim mundus corde vt posset Deum videre. Fœlix, qui inter epulas munditiem cordis nouit retinere, mentisque perspicaciem incibo, & potu meminit. Huic Deus aderit etiam prandenti, is ab ipso discubitu, vt ab oratione diuinis visionibus aptus erit. None tale fuit Annæ illius Samulis epulum? 1. Reg. 1. dicitur. *Surrexit Anna postquã illi comederant, & biberant in Silo, & constitit in conspectu Domini.* Inusitatum sanè conuiuiũ hominibus mundanis, quod mẽtem præparat ad conspectum Domini; sed santissimæ fœminæ familiare, quæ à mensa ab epulis digna euolat diuinis fauoribus Pulchrè D. Chrysostom. homil. 1. fatur. *Post conuiuium occurrens ad supplicationem fontes lacrymarum emisit, mẽtemque præsetulit sobriam ac vigilantem, ac post epulas adeo intente orauit, vt donum acciperet supra naturam.* Sic epulandum viris religiosis, non vt dormiant, sed illuminentur, nonne Ionathas vt Regum etiam fert historia à prãdio faui illuminatus est? & nos ob tenebrabimur? Quin potius sic mensis insideamus, vt ab illis diuinis visionibus aptemur. Primà quæ legitur accidisse D. Petro visio cœlestis, inter escarum illi accidit odores. Sic enim habet Act. cap. 10, *Et cum esuriret voluit gustare: parantibus autem illis cecidit super eum mentis excessus.* Sic Christiani discipuli mensis accurrebant, vt interim ad cœlestes visiones raperentur.

August.

1. Reg. 1.

Chrysost.

Act. 10.

Ter-

*Text.* Et dixit eis: Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Quid crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit, qui vero nõ crediderit, cõdemnabitur.

## §. III.

### *Qui proximorum saluti insudant prorsus moriantur mundo necesse est.*

NOn securus mundanis immiscetur hominibus, qui mundi illecebris irretitur, qui mundi bonis inhiat: mundanas cupiditates in te macta, morere mundo, huius mundi principes nihil inueniant in te suum, quicumque niteris Christo mundum subigere. Acutè sanè notauit D. Chrysolog. serm. 83. qualiter erant affecti discipuli, cum eos Dominus iubet ire in mundum vniuersum prædicare omni creaturæ, erant intra domus septa concluſi iuxta Ioann. cap. 20. recumbebãt de mortuorum figura, vt notauit Irenæus, omnia externa illis terrori, & horrori erant, & sic diuinissimè parabantur, vt mitterentur in mũdum. Ecce Chrysolog. fatur. *Sæculo mortui, sepulti mundo vnam domum illam, vnum sibi omnes credebant iam sepulchrum. Hinc est, quod eos Dominus videns exemisse se mundo ad mundum reuocat, remittit in mundum dicens: Ite in mundum vniuersum, prædicate Euangelium vniuersæ creaturæ. Venite in mundum, vt qui putatis vos in vno omnes domicilio iacere, subiacere vobis omnem mundum repente videatis.* Quid pulchrius? His qui se mundo eximunt, qui sæculo prorsus renunciant, qui mũdanis cupiditatibus moriũtur, hi eliguntur, vt subigãt mundum, vt vniuersum sæculũ Christiano imperio submittant. Huc referã verba illa 2. Reg. cap. 23. quibus iuxta Isidor. Clarium, Vatib. & Interl. non ipse Dauid; sed eius præstantissimus miles diffinitur, nimirum: *Sedens in Cathedra sapientissimus, Princeps inter tres, ipse est tanquam tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos inter fecit vno impetu.* Crediderint melius aptari hæc verba spiritualibus Christi militibus, quorum arma non tam Vulcani, quam cathedræ opus; & maximè expendo qualiter miles hic in arenam aduersus mundum prosilierit, scilicet, *tanquam ligni vermiculus.* Quippe si ligni vermiculus mundiali hac luce frueretur, & sub diei luce ingentem pinum prospiceret, an pinum prostrare pusillus ipse niteretur? Minime: quid tunc? Ipse vermiculus se se in primis luci eximit; intra lignum se condit, vbi quasi sepultus, & mundiali omni vsura priuatus pini robur conterit, & ingentem illam molem prosternit. Sic spirituales Christi Domini milites tunc mundi victores mundum subigunt, quando ipsi instar vermiculi se mundialibus splendoribus eximere norunt, quando mundo mori, & sepeli sciunt. Accinit Isaias, cap. 41. de ijs, qui ad Apostolatum assumpti sunt iuxta Diu. Cyrill. sententiam lib. 3. locuti: *Noli timere vermis Iacob, qui mortui estis ex Israel; ego auxiliatus sum tibi, & redemptor tuus sanctus Israel. Ego posui te quasi plaustrum triturans nouum, habens rostra serrantia, triturabis montes, & comminues.* Ecce tibi Apostolorum victorias, quibus mundi tiranni subijciuntur, vt paleæ subijci solent ferreo, & acuto rostro. Sed quo armorum apparatu exultabunt? Iam dixit illis verbis. *Vermis Iacob, qui mortui estis ex Israel*, nimirum, mundo, & sæculo mortui, vermiculi instar sepulti mundum vniuersum detriumphabunt. Sic in Moysi parabantur spirituales triumphatores quando Exod. 2. dictum est illi. *Solue calceamenta de pedibus tuis.* Vbi pulchrè D. Ambros. lib. de Isaac, cap. 4. fatur: talis Moyses, cui dicitur solue calceamentum pedum tuorum, *vt vocaturus populum ad Dei regnum, prius carnis exubias deponeret, & nudo spiritu vestigioque mentis incederet.* Exuat mundialem vitam, mundiales cupiditates, & affectus quisquis mundum Christi iugo, subacturus est. Quo se modo composuerat ille Cant. 5. cuius oculi dicuntur, *sicut columbæ*, hoc est, viuido diuinitatis spiritui conformati. Sic D. Gregor. Nyssen. homil. 7. fatus: *Quoniam ergo qui non amplius aspicit ad carnem, & sanguinem, ad vitam aspicit spiritualem, ac de causa fertur testimonium de anima libera à corporali affectione, quod habeat speciem columbæ in oculis, hoc est, caracterem vitæ spiritualis.* Sic ille.

*Chrysol.*

2. *Reg.* 23.

*Isidor.*

*Cyrill.*

*Exod.* 2.

*Ambr.*

*Nyssen.*

*Text.* Signa autem eos, qui crediderint hęc sequentur. In nomine meo dęmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, &c.

§. IIII.

## §. IIII.

### *Summum hominibus leuamen, & robur eſt nominis Domini ſui recordatio.*

PVlchrè Dominus eripiendus mundo auidiſsimiſque reddendus cœlis, ſuos Apoſtolos conſolatur de nominis ſui dulci recordatione dicens, in nomine meo dæmonia ejcient. Etenim nihil tam mœrentes cõſolatur, debiles roborat, infirmos curat, afflictis, ægriſque leuamen, & medellam importat, quam crebra, & frequens vſurpatio diuini nominis. Equidem Dauid, 2. Reg. 1. vehementer triſtatus de morte Saulis, & Ionathæ paſsim ore verſabatur hæc verba. *Saul, & Ionatha amabiles, & decori vita ſua.* Quæ expendens D. Chryſoſtom. hom. de Dauid, inquit. *Quoniã præſentia illorum corpora non licuit amplecti, nomina illorum coniuncta complexus eſt, ſuum dolorem hiſce modis quatenus licuit leniens, & calamitatis magnitudinem mitigans.* Nouit inanis nominis vſurpatio fallere mundiales amatores; non mihi crede fallet nos diuinum nomẽ, quando abſente Domino, qui iam pedes eius tenere minimè poſſumus, eius teneamus nomen quod omnia miniſtrabit nobis. Sanè Moyſi de facie Dominica ſollicito reſponſum eſt, Exod. 33. *Ego oſtendam tibi omne bonum, & vocabor in nomine meo coram te*, quaſi vna nominis diuini inuocatio omnium bonum loco haberi debeat. Quippe vbi diuina facies abſconditur, vbi Dominicus aſpectus nos fugit, & ſe intra cœli aulam recepit, hoc nobis cuncta impertietur bona, ſi crebro nomen eius inuocemus. Vide quo ſe medijs periculis conſoletur diuiniſsimus Iob cap. 1. vbi enim in ſe cœlum, & terram proſpexit armatam, vbi duriſsimos dæmonum in curſus paſſus eſt, inter hæc ait, *ſit nomen Domini benedictum.* Quod eleganter elucidans Orig. lib. 1. in Iob, ait. *Nomen Domini*, inquit, *propter quod omnia ſuſtineo, atque ſuffero, propter quod omnibus, quæ mihi obuenerunt ſuperior exiſto: ſit nomen Domini benedictum in ſæcula: quod cum vidiſſent leones in Daniele in agnos immutati ſunt, quod cum ignis agnouiſſet in Anania, Azaria, & Miſaele foras à fornace fugit, atque eos qui extra fornacem erant combuſſit, vtpotè non habentes in ſe ſanctum nomen Domini: illis autem qui intra fornacem erant non appropinquauit, quia terribile nemen Domini in illis conſpexit: Hæc etiam & cetus cum videret in Iona obſtupuit, atque illeſum eum quem de nauiſuſceperat, reddidit, intaminatum remiſit, quem viuũ ſuſcepit.* Pergit adhuc Origen. multis alijs nominis diuini decantare efficaciam in periculis deuincendis, indepellendis malis in muniẽdis, & confirmandis pijs, & impijs debellandis, quæ lectori non iniucunda forent. Sed ſcire cupis, cui diuinorum nominum tot munera, & facinora accepta referas; ſanè nomini Ieſu, de quò Paulinus Aquileienſis, lib. 4. contra Felicem fatur. Meritò virgini ſalua ſunt omnia, quæ genuit omnium Saluatorem. Et vocabis nomen eius Ieſum, quia in hoc nomine Deitatis adoratur tota maieſtas. Omnes qui commorantur in cœlis, vniuerſi qui habitant in terris, cuncti qui in profundo tenentur inferni, huic proſternuntur nomini. *Hoc eſt, quod dedit cæcis viſum, auditum ſurdis, clandis curſum, vitam mortuis, totamque diaboli poteſtatem de obſeſſis corporibus virtus huius nominis profligauit.* Hæc ille. Paul.

## §. V.

### *Noxia lingua prior index eſt viri diuinum conſortium potiti. Et de bonæ linguæ diuitijs.*

ECce Deum halantis hominis perſpicuus index, nimirum, quod vt notat in præſenti D. Gregor. vitæ veteris ſæcularia verba obliuiſcens ad limam ſemel, & iterum linguam traheret, ſermonibuſque vtatur iuxta rationis normam expolitis. Miraberis hominem maledicum ſerpentina vtentem lingua ſubito melle manantem ex ore, vbi ſemel in Dei colloquium incidit. Is erat Baalam peſtifer ille maleficus, & maledicus, cuius maledicentiæ plus fidebat Rex Aſſyrius aduerſus Iſrael, quam comparato armatorum exercitui. Igitur Baalam à Rege accitus, vt antiquo linguæ veneno Iſraelitas feriret ipſe dulcia præcinens, ſic inquit Num. 24. *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael, &c.* Num. 24. Vndè venefico homini tam mellita lingua? Vndè ab ore ſerpentinũ virus halante ferarum rabies imitante, adeò dulcia decora, & ſuauia verba beneficentiaque plena? Iã explicat ipſe cauſam dum ſic exorditur. *Dixit Baalam filius Beor, dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem omnipotentis intuitus eſt.* Sanè venefícus auguriorumque conſultor linguam exereret ſerpentinam, at cum primum diuini fit particeps colloquij, veròque Deo aſſlitit, iam non potuit non melle fudare eius lingua, nõ

potuit

potuit, non vetustum exuere venenum, & nouis tonare linguis. Quibus ego libenter expendo, id quod expendit Orig. in præsenti hom. 18. nimirum, Mago, & Venefico huic non concedi: *dicere, quod Prophetis esse in vsu solet, hæc dicit Dominus; sed ait: dixit Balaam, dixit homo verè videns, dixit auditor sermonum Dei.* Et meritò, vt ostendatur, quæ trahat mella maledicentissimi, & viperini hominis lingua ex colloquio diuino; quandoquidem vbi primum sermonibus Dei inter fuit, non potuit meditatis vti maledictis, sed beneficentiæ plena verba emittere. Vndè Moyses, Exod. 4. linguæ suæ exagerans malitiam aiebat Deo. *Non sum eloquens, neque ex quo cœpisti loqui famulo tuo.* Equidem existimarat vir prudens à colloquio diuino subito è lingua humana mellitos & suauitatis plenos sermones debere scaturire. Id quod notauit D. August. li. 2 in Exod. q. 7. fatus. *Tanquam ostendens fieri potuisse, vt qui ante eloquens nõ fuisset, repente fieret ex quo cum illo Dominus loqui cœperit.* Digna, & vera præsumptio, nihil enim qui Deo afflatur, Deoque impletur prius exuit, quã omnimodam linguæ malitiam. Nonne aiebat Psaltes 44. *Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi?* Sic dulcissimi à sapientia diuina exhibiti cõuiuij reliquias meditabatur, vt aiunt Theodoret. Basil. Hieron. D. Thom. & alij. Quid tunc? *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Ecce, meditati diuini Verbi, & colloquij cum omnium Rege index præclarus, nimirum lingua instar calami facta nihil non limatum, non electum proferens. Vndè monet Hilar. in Psalm. 51: *Lingua tãquam calamus scribentis nihil in compositum, nihil in certum agat; sed ijs, quæ aut cogitata, aut lecta fuerint obtemperans, ex rationis consilio obsecundet.* Obene noua lingua, quæ instar calami est ad limam, & censuram crebrò recurrens; solũ electa proferens; hæc hominem de diuinis colloquijs saturum Deumque halantem plane indicat. Insuper vna bona lingua potens est in hominibus ingentes parturire thesauros. Dominus Iesus apud Matth. 17. auri stateræ Cæsareis ministris tributurus, vndè educeret aurum quæritabat. Et vndè educeret aurum, qui aurea omnia à se depulerat amore paupertatis? Sic ait ad Petrum: *Eũ piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius inuenies staterem.* Meritò ab ore piscis quærit aurũ, cum vix auri fodina inueniatur feracior, quam lingua eius, qui nouit verba sua sanctitatis tutrina ponderare. Ita D. Ambr. lib. 1. epist. 1. dicens: *Hic stater in ore piscis inuenitur, illius piscis, quẽ capiũt piscatores hominum, illius piscis qui ponderat sermones suos, vt igne examinatos proferat.* Nullus thesaurus ditior est, quam lingua bona à quâ nascuntur aurei, vndè quando de impijs dicebat Psalm. 5. *Sepulchrum patens est guttur eorum*: monebat Chrysost. *Nesit ergo, os tuum sepulchrum, sed thesaurus.*

Origen.

Exod. 4.

August.

Psal. 44.

Theodor. Basil. Hiero. 1. Thom.

Hilar.

Ambros.

*Text.* Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis assumtus est in cœlum, & sedet à dextris Dei.

## §. VI.

### *Terrena bona maxime contemnenda sunt ijs, qui spiritu Dei aguntur.*

IEsus ille mundi domitor, terrenarum fortitudinũ confractor, Orci expugnator terrena cuncta despiciens ad cœlestia contendit. Id celebrans D. Paul. ad Ephes. 4. ait. *Qui descendit ipse est, qui ascendit super omnes cœlos.* Non tanter dixit illudi: qui descendit, vt summam admirationem incuteret omnibus, qui auidissimum Dei ad terras descensum animaduertissent. Cœlestia omnia tenebat Dominus, & deterrarum desiderio affectus, descendens à regalibus sedibus in mediam exterminij terram prosilinit durus debellator, & expugnator acerrimus. Quid plura? quo arbedat potiundi terras desiderio, illarum principes, & tyrãnos aggreditur, misere debellat. O incredibilem mutationem! is ipse terrenorum imperij auidissimus, quod tot bellis, tãm largo sangui ne coemit, quis credat? Ipse despiciens acquisitas sanguine terras hodie in cœlestia fertur. Sic iuxta Pauli sensum, inquit Hieron. de Iesu ascendente. *Omnia corporalia cõtemnens, atq; despiciens, æterna contemplans super cœlos, id est, super inuisibilia stetisse credendus est.* Adeò glorioſum est terrena habere despectui; quæ vt despiciantur meritò possint, vel sudore, & sanguine diuino emi. Animo pensa illũ Pharaonis metũ, Exod. 1. Timebat enim maximè sibi, & Regno Ægypti à captiuo populo Israelita, & quid timebat? Ipse explicat dum ait Satrapis suis; timeo ne populus iste in nos rebellet, *expugnatisq; nobis egrediatur de terra.* O dignũ de gente sancta timorẽ! Timebat Rex vafer post vniuersi Ægypti expugnationem Israelitarũ ab Ægypto egressum. Vbi vt acutè, & eleganter Rup. ait. *Non addit expugnatis nobis, obtineat terram; sed egrediatur de terra.* Sanè qui terram, qui Regnum aliquod expugnat, ibi figit tentoria, ibi sedet labores manum

Ad Eph. 4.

Hieron.

Exod. 1.

Rupert.

nũum ſuárũm mãndũcaturus. Sic vniuerſi qui regna expugnarunt, in illis manſerunt, clauum ibi tenentes, cur ergo nõ timeret Pharão, quod captiui, & peregrini homines, expugnata terra Ægypti ibi incolæ, & Domini facti manerent? Is erat Dei populus, ea ſuperioris promiſsionis mouebatur ſpe, vt de illo non poſsit timere, quod remaneret in expugnata terra; ſed quod mille bellis, mille periculis, largo ſanguine terram deſpectui emeret, & habitam deſpiciens glorioſus egrederetur. Hoc ſibi perſuadeant Principes tenebrarum, mundi huius rectores (pergit Rupert.) quod Chriſtiani hoc ſolum emolumenti habent in poſſeſsionibus terrenis, quod illas deſpiciamus, *expugnatiſque vobis egrediamur de terra, quia cœlum nos expectat.* Quàm gloriam in Ieſu floridam, & immarceſcibilem decantat Auguſt. hom. 5. in præſenti, his verbis. *Chriſto aſcendẽte, pauet omne cœlum, mutantur aſtra, vident Regem ſuum viuæ carnis manubias reportate, atq; hoſte debellato hominem in ſuperna conſcendere.* Non apud ſubiectas terras manere, quas duris certaminibus deſpectui coemit. Radiantis huius gloriæ vmbram fallor, niſi inuenias in inclito illo Iſraelis Imperatore, qui promiſſam patribus expugnauit terram. Is eſt Ieſus Naue, qui poſt acquiſitam terram, vt bellis imperauit, ſic in pace à terreno Imperio abſtinuit, & cæteris diſtribuens terram, nihil ſibi retinuit. Rem põderat Orig. hom. 24. fatus: *Ipſe qui eos introduxerat in terrã ſanctã, nõ ſibi ipſe permittit ſumere ſortem terræ; ſed expectat, vt accipiat portiunculã à populo, & accepta portiũcula Ieſus, dignus hoc nomine, ædificat locũ ipſum, vt eũ faciat dignũ munere Dei, & hæreditate diuina.* Sic inclyti Imperatores certamina pro terra ſubibant, illi uſque tyrãnos acerrimè deuellabãt, nõ vt terrenis incubarent; ſed vt terrena deſpicerent, vt ab expugnata, & habita terra egreſsi triumpharent hæreditate diuina. Indignè enim ſanctorum certamina terrenis munerarentur; imò hoc vnum illis pro ſumma gloria erat, quod vel per duriſsima certamina ſe à terrenis poſſeſsionibus poſſent excutere. Sanè Moyſi poſt exanthlatas vaſtiſsimi eremi ſollicitudines obijcitur ob oculos terra promiſſa; ſed ad ſancti viri gloriæ cumulũ iubetur à terris abire. Sic habet Num. 34. *Vidiſti eam oculis tuis, & non tranſibis ad illam, mortuuſque Moyſes, &c.* Hæc erat glorioſiſsimi viri corona, quod deuictis difficultatibus terræ potiundæ, iuberetur ſeſe ab illa excutere in cœleſtia iturus. Ad hæc Cellenſ. Abb. lib. de Panibus cap. 11. *Quid eſt Domine? Hoc eſt illa prædicata vbi gentium amicitia tua ad amicum tuum Moyſem? Ita ne remunerantur, qui in caſtris tuis vſque ad mortem militantes merentur? Si Moyſes fraudatus eſt deſiderio ſuo, cuius ſpes non pendeat in dubio? Omnipotens ergo, & miſericors idcirco terram morientium negat, quia ad cœlum animum ſubleuat. Deus hoc in præſenti ad purum excoquit, quod ad æternitatẽ veniendi eſſe impedimentum præneſcit.* Ne mirer mur quod ſtrenui militiæ Chriſtianæ duces, poſt luctas, poſt certamina terram faſtidiant, vt cœleſtia, & æterna decoris ſubeant.

Idem.

Auguſt.

Origen.

Num. 34.

Cellenſ.

## §. VII.

### *Dominus Ieſus ægrè, & difficulter auellitur à ſuis.*

IGitur mirabundus Paulus aiebat, qui deſcendit humani conſortij auidiſsimus, cuius delitiæ erant cum filijs hominum ſaliens in montibus, tranſiliens colles, ipſe eſt qui aſcendit. Res planè mirabilis! & quæ vel Angelos percellebat. Sic D. Cyrill. in Exag. ad Acacium, aſcendentem Dominum depingit. *Ad cœlum vnigenitus Dei vna cum carne ſibi vnita redit, eratque nouum hoc in cœlis ſpectaculum. Obſtupuit enim ſanctorum Angelorum multitudo, aiebat enim quis eſt iſte qui venit de Edon, id eſt de terra?* Expende quam nouitatem ſtupebant, non ſanè Dei hominis miſturam, non reportatam gloriam, quæ ſæpiùs animaduerterant; ſed quod de terra Dominus veniret; de terra inquam, adeò amata, propter quã olim à cęleſtibus deſcenderat. Cur ergo venis à terra? Cur te adduxiſti, vt relinqueres terram? Pulchrè reſpondit D. Mar. *Dominus Ieſus aſſumptus eſt in cœlum*: quaſi non ipſe iret; ſed ferretur, non quod portioribus egeret ales Chriſti virtus, vt ſcanderet in cęlum: ſed vt oſtendatur, quam hominũm conſortio gaudebat, à quo non tam abit, quam ægrè, & difficultet aſſumitur, auellitur. Huc ſpectat Paul. 1. ad Timot. cap. 3. *Manifeſtè magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtum eſt in carne ::: aſſumptum eſt in gloria.* Iam Theodoretus expendit illud manifeſtum eſt in carne, nimirum, *homofactus ſe ſe hominum aſpectibus obiecit.* Equidem magnum pietatis Sacramentum, quod Deus homofactus ſeſe hominibus obijciebat, adeò illi delitijs erant homines, vt ipſe ad illos curreret; verum vt ad cœlum remeandum eſt, *aſſumptum eſt in gloria*, non ſeſe obijcit, non currit ipſe, ſed ægrè, & difficulter fertur. Quare aiebat Pſaltes, *aſcendens in altum captiuam duxit capi-*

Cyrill.

D. Mar.

1. ad Tim. 3.

captiuitatem? Id ăttigit eleganter Augustin. lib. de Essentia diuinitatis fatus. *Filius Dei carnem de nobis assumptam in cœlum velut captiuã duxit, sicut est in Psalm. captiuam duxit captiuitatem.* Ecce tibi cum capta præda nauis piratica soluit, ingens captiuorum dolor, naui feruntur, & notis in hæresĉunt oculis, ales fugit nauis; at illi quos norunt campos respectant, & animo cognatorum figũtur in portis; ah quoties dum licet te torquent oculos ad fugientia littora, & medullitus adhærentes patrijs arenis alite nauis cursu auelluntur. Sic ait Augustin. Captiuæ instar ferebatur in cœlum Christi humanitas à suis à patrio terræ solo auulsa eo amore, eo viscerum pondere in amatam sobolem relictam terris propendens, vt ni aperto cœlo, clara luce, in conspectu omnium ferretur, raptim, & vi diceretur assumpta. Ideò Bern. lib. de gradib. hom. c. 1. ponderat notatũ à Luca, quôd videntibus illis eleuatus est, dum inquit. *Non subitò raptus, non furtim sublatus; sed videntibus illis eleuatus.* Is enim erat Iesus eo affectu propendebat in suos, sic terrenam sobolem suspirabat; vt merito crederetur raptus furtimque sublatus, ni in conspectu omnium videretur assumi. Sed age ascendentis à mundo Christi affectus, vt penitus caleat, vide qualem se se depingat D. Synesius dum bello rum tumultu cogitur ab vrbe sua discedere. Ait enim in Catastasi. *Cum ad nauem conscendendam quispiam vocauit, paulisper vt expectet ab illo petam. Primum enim ad Dei Templum accedam; tunc altare circuibo pretiosissimum pauimentum lacrymis perfundam. Non prius abscedam, quam ianuam illam, thronumque illum osculatus fuero. O quoties cancellis manus injiciam! sed vehemens quædam res est, ac violenta necessitas. Cupio somnum oculis meis nullo turbarum strepitu interruptum concedere. Quo tandem vsque ad murorum propugnaculum stabo? Quousque turrium interualla custodiam? Defessus sum excubias disponens.* Hæc ille, rectè pingens hominem, & bellicis laboribus fractũ, & ægre ac difficulter ab vrbe militari discedentem. A quibus dum auferas quod sonat imperfectionem, sic poteris meditari affectum Domi num.

August.

Act. 1.

Bernard.

S. Synes.

## §. VIII.

### *Nullare tam ditantur, & augentur homines, quam cœlestium bonorum desiderijs.*

VIdentibus Apostolis Dominus ferebatur in cœlum, vt eorum desideria illuc deduceret, vndè solum bonis ditari possent auitis. Hæc semper in optatis erat Domino Iesu, vt sui præ oculis haberent patriam, à qua exciderant, vt primi parentis hæreditatẽ requirerent, ideò oraturos monet, vt dicant. *Pater noster qui es in cœlis*, quasi cęlestis patria memoria optatis sit responsura. Pulchrè D. Nyssen. in orat. Dom. 2. vt expedit quãto orãtis bono dicatur Pater noster qui es in cœlis, adducit illud ex Luc. 15. Vbi prodigus ille ad se reuersus crebro repetebat suspirio. *Pater peccaui in cœlum, & coram te.* Ecce peccatoris arcton, quo erigitur, & dirigitur, nimirum, cœlestis patriæ memoria, & recordatio. *Quẽadmodum illic reuersionis ad patriam sedem, paternæ humanitatis recordatio, adolescenti causa extitit (patria enim sedes cœlum est, in quo se peccasse ad Patrem dicit:) ita hic mihi Dominus dum cœlestem Patrem inuocandum esse docet, bonam illam patriam in memoriam redigit, vt vehementiori bonorum iniecto desiderio sistat te rursus in via ad patriam reducendi.* Ita Nyss. hoc vnum, & efficacissimũ inuenit medium, quo homines auitas recuperent diuitias quo omnium bonorum segete cumulentur, si eis patria sedes objiciatur, nimirum, cœlum, ex cũ ius conspectu ardeant cœlestibus desiderijs. Id bene caluerat vafer ille, & astutus tẽtator, cum ait Matth. 4. *Mitte te deorsum*: Cur ô impiè non petis potius, vt sursum euolet? vt se se in cœlum vsque subtollat, qua magis cœlestẽ originẽ propallet? Adeò vtilis est cœlestis aspectus hominibus, vt cũ vel per tentationẽ surgerere caueat diabolus. Ita D. Max. ho. 2. de ieiunio Quadrag. dicens. *Inimicus cœli, ne tentando quidem ascensum vult suadere cœlestẽ, sed deorsum, & in ima prouocat.* Sanè non est diaboli potestas in eum qui in cœlo spes suas habet locatas. Iob 2. iuxta catenam Græcam, dixit diabolus coram Domino, *cum persuaserim eam, quæ sub cœlo est.* Vbi eleganter Euagr. ait. *Id circo Iobum non perambulat quia non est sub cœlo, cum in cœlo vitæ suæ positas habeat rationes.* Non timeat antiqui serpentis astũ, qui cœlestibus inhiat, qui in cœlum mente, & desiderio rapitur, imò ingentes inde diuitias sibi aduenturas speret. Hinc meritò Elias Elisæo omnia duplicia præsagiebat, 4. Reg. 2. dũ modo ab illo ad cęlũ raptus cerneretur. Sic enim ait. *Si videris me quando tollar à te fiet, quod petisti.* Quod expẽdẽs D. Bern. serm. 6. de Ascẽs. ait: *Duplicauit spiritũ visio abeũtis, cũ eum dẽter raptus in cœlũ vniuersa pariter eius desideria secũ tulit, vt inciperet ipse quoque iam sapere quæ sursum sunt, nõ quæ super terram.* Hoc habuit emolumẽtũ Elisæus ex eo quod viderit Eliam ascendentem, quod eius desideria, cum illo ascenderent, & traherent inde duplica-

Luc. 15.

Nyssen.

Matth. 4.

Maxim.

Iob. 2.

4. Reg. 2.

Bernard.

plicatam mercedem. Sic etiam ditabat suos Christus Dominus in eorum conspectu ascẽdens vsque ad Patris dexteram, vt dum ibi constituit eorum desideria, multiplicia inde in illos dona plueret. Hinc iã de Petro apud Ioppem oraturo notatur, Actor. 9. quod *ascẽdit in superiora*; quod ponderans D. Cyrill. lib. 7. in Leuit. ait: *Non ex superfluo superiora delegit ad orandum; sed vt ostẽderetur, quod Petrus, quia mortuus erat oum Christo, quæ sursum sunt quærebat, vbi Christus est in dextera Dei sedens, & non quæ super terram.* Quippe sedens Christus ad dexteram Dei vniuersa suorum desideria secum tollit, vt ex tunc contemptis terrenis bonis, cœlestibus superioribusque inhiantes diuitijs à forti, & triumphanti matre familias cœlesti Ierusalem duplicibus vestirentur, ditarentur.

*Act. 9.*
*Cyrill.*

## §. IX.

### *Ascendens Iesus integram Mariæ curam, & sollicitudinem nobis donauit.*

*Abac.*

ASCendentem Dominum præuidens Abacuc iuxta D. Gregor. lectionem, inquit. *Altitudo manus suas leuauit, eleuatus est Sol, & Luna stetit in ordine suo.* Quippe ad diuini Solis eleuationem, Lunæ splendens auxilium experti sunt omnes mortales; sublimen sui ortus remeauit ad gloriam Sol iustitiæ Christus, & sub Patris dextera apparens, nobis Mariam matrem, vt Lunam reliquit suo in odine constitutam. Sed quid est, *Luna stetit in ordine suo?* Theodoretus rem explicans ait, *quinam eius ordo est nisi illustrare terras?* Existente Iesu in sæculo, Maria pulchra, vt Luna vniuersum naturæ ordinem supergressa Dei filio munus præstabat matris, verum vbi filius Dei Patris dexteram obtenturus scandit cœlum curis maternis minimè indigus, iubet Lunam esse in ordine suo, hoc est, Mariam terras illustrare, & mortalibus filijs hominum maternum præstare munus. Hinc ascendenti Domino pulchra illa verba aptantur, quibus Cant. 6. loquitur ad matrem hoc modo. *Auerte à me oculos tuos, quia ipsi me auolare fecerunt.* Quippe ideo ad Patrem aduolat Dei filius, vt maternas curas, & sollicitudines á se in filios hominum transferat. De quo libet transcribere pulchram horum verborum â Guillielmo Delrionis scriptam paraphrasim. Ait enim. *Quia ergo vetera transierunt, & nouitas iocunda illuxerit, noli me aspicere ò pia Mater, vt olim vt mater, auerte à me maternos oculos; sed aspice me velut amica, & sponsa. Iam ascendi ad Patrem; habeant materni oculi vacationem, sed ad me; porrò ad mea membra vacare eos nolo. Auerte à me ad fratres, & filios meos. Ne claudas illos, sed auerte à me: trãsfer maternam pietatem à me in meos: à me, quia assumptus ad Patrem à matre non debeo amplius tenere diligi; in meos autem conuerte, quod oportet me ab illis assumpto maternæ tuæ pietatis teneritudine confoueri. Non ergo tepescat materna pietas tua, non extinguatur; sed à me in meos integrè transfundatur. Illos iam tenerè, vt mater dilige; me iam intuere, vt sponsa, & dilecta. In Cruce pro salute hominum agonizans vnum tibi adoptaui Ioãnem dicens: Mulier ecce filius tuus. Porrò cum triumpho Resurrectionis ascendens ad Patrem multos tibi vice mei adoptaui, & reliqui filios, Mulier ecce filij tui quos diligas, & piè cõfoueas. Sic auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt, hoc est, propter ipsos auolaui à te in cœlum, vt â me in meos transferres teneritudinem maternæ pietatis.* Sic Ille: quibus aliquid subtrahere piaculum duxi, tu vide qualis sit materna pietas Mariæ, quando vt integram illã nobis reliquerit filius Dei, maturauit ascendere ad Patrem. Sanè hoc semper Dominus maximè curauit, vt materna felicitas integrè suos sectatores foueret. Apud Lucam aiebat illa. *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Quid tunc Dominus, beatissima matris viscera plena felicitate sibi reseruauit? *Imò ait, beati qui audiunt verbum Dei.* Quasi beatitudinem halantia matris viscera ad suos inclinaret integra sectatores. Ita Tertullian. lib. 4. in Marc. fatus. *Proinde felicitatem ab vtero, & vberibus matris suæ transtulit in discipulos, à qua non transtulisset, si eam non haberet.* Et quidem, quia vescera matris beatitudinem scaturire nouit, nil prius sibi faciendum duxit, quam hæc inclinare in discipulos, quod profecto fecit, quando ipse ab eius oculis in cœlum fuit assumptus.

*Theodor.*
*Cant. 9.*
*Guil. apud Delr.*
*Luc. 11.*
*Tertull.*

## §. X.

### *Christus Dominus ascendens seuerum hominibus iudicium indicit.*

INter Domini gloriosos triumphos quicquid audio mihi seuerissimum iudicij diẽ sonat: etenim dum iuxta Psalm. *Ascendit Dominus in voce tubæ*, nouissima Paulituba videtur resonare, in cõsessu ad dexterã Patris meditatur D. Cypr. in præsenti *humilitatẽ carnis nostra throno iudiciario honoratã.* Hinc subitò vo-

*Vide Orig.*
*Cyprian.*

Actor. 1. volant duo illi præcones Actor. 1. horrendum iudicis: aduentum publicantes dum clamant, *sic veniet, &c.* Proh Deus immortalis! Humana decora, hominum appropinquantes gloriæ, nil primo præseferunt quam durum, & seuerum iudicium. Sanè Ioannes Baptista, vt homines perterrefaceret ad pœnitentiam cla
Matth. 3. mabat apud Matth. 3. & 4. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim vobis Regnum cœlorum.* O gregia terroris causa, nimirum appropinquatio Regni cœlorum, quia potius gauderent ipsi metuque posito, & tristitiæ omnis oblivione cœlorum appropinquationem susciperent. At metuo ne quid horrendum tremendumque in Regni cœlestis appropinquatione lateat. Enim verò numquam gloriæ diuinæ pãduntur, numquam cœleste Regnum nouit hominibus patere, quin prius seuerum præmittat iudicium. Id quod notans Tertullian. lib.
Tertull. 4. aduersus Marc. inquit. *Scitote tamen appropinquasse Regnum Dei; si hoc non comminationis gratia mandat, vanissime mãdat. Quid enim ad illos si appropinquaret Regnum; nisi quia cum iudicio appropinquat.* Non Regnum patet sine iudicio, minimè cœlestes gloriæ hominibus propinantur, quin seuerum etiam præmittãt
Aug. ser. iudicium. Vndè S. Augustin. serm. 5. in Ascens. sic de Christo Domino ascendente, inquit. *Recepit se intra velamina diuina cum carne maiestas, didicit cœlum portare hominem, atque sub pedibus Christi famulantia æthera iacuerunt.* Expendo duo illa, nimirum, didicit cœlum portare hominem, & recepit se intra velamina maiestas; quid glorioſius homini, quam quod cœlum eius oneri portando assuesiat? Quid horribilius homini, quam quod simul maiestas se intra velamina recipiat? Illud summæ beneficentiæ est; hoc strictissimi iudicij. De
Clem. Ro. veterum forma iudicij fatus S. Clem. Rom. lib. 2. Const. Apost. cap. 56. inquit. Iudices, *per plures dies quæstionem exercent cum multo consilio, & velo interiecto, is qui sententiam mortis pronuntiaturus est, sublatis manibus aduersus Solem se innocentem ab illius sanguine contestatur.* Ecce modo in gloriosa Domini Ascensione vniuersa strictissimi iudicij signa: per plures dies quæstionẽ acturus integerrimus iudex recipit se intro velamina, & dum cœlorum interijcitur velum, ipse qui pronuntiaturus est sententiam mortis, manus subsstollit
Act. 1. ad Solem, de illo enim, ait Lucas: *Eleuatis manibus benedixit eis, & factum est dum benedixerit recessit ab eis, & ferebatur in cœlum.* Ferebatur, inquam, ea forma, qua benedixit, nimirum, eleuatis manibus; & cur eleuatis manibus? Vtpotè se innocentem à damnatorum sanguine contestaus. Quasi ex tunc cœlestia astra, & vniuersas creaturas testaretur, nullũ à suis manibus in rebelles homines iactum fulmen; sed potius immensa beneficia dilapsa; nemini mortem, perditionem ortam á manibus illis, sed vitam & incolumitatem. Salientes in vitam riuos propinaui, se culpet, qui iudicium ebibit, & flammas.

## §. XI.

### *Felicem hominum genesim, sub ascendentis Domini glorijs auguramur.*

RESurgentis Domini inter glorias pulchrè ab Ecclesia iubemur, quasi modo geniti infantes concupiscere lac rationale. Quippe
1. Petr. 1. S. Petrus 1. epist. cap. 1. aiebat. *Benedictus Dominus, qui regeneranit nos in spem viuam per Resurrectionem Christi ex mortuis.* Itaque resurgente Domino repueraſcimus, & vetustate abolita in nouæ vitæ spem reparturimur. Sed cuius erit tantæ natiuitatis felicem genesim præsagire? Rem aggreditur
Zeno. Diu. Zeno, serm. 5. ad Neophitos, sic dicens, *Paruulis morem geram, sacrique horoscopi paudam tota breuitate secreta.* Igitur, fratres genesis talis est vestra. Primus vos, qui in se credentem reprobat nullum, non *Aries*, sed Agnus excepit, qui vestram nuditatem velleris sui niueo candore vestiuit. Idem non tumidus ceruice non minax cornu, *Taurus*, sed optimus, & mitis vos admonet, *vitulus*, vt nulla vllo in opere captantes auguria, eius sine malitia succedentes iugo, terram vestræ carnis domando fœcundantes, lætam diuinorum seminum messem cœlestibus horreis inferatis. Et admonet prosequentibus, *Geminis*, id est, duobus salutare canentibus tectamentis, vt principaliter idololatriam, impudicitiam, auaritiamque fugiatis, quæ incurabilis, *Cancer*. *Leo* autem noster, sicut Genesis protestatur, Leonis est catulus, qui ad hoc recubans obdormiuit, vt vinceret mortem, ad hoc euigilauit, vt beatæ Resurrectionis suæ in nos munus immortalitatis conferret. Quem competenter, *Virgo*, prænuntians, *Libram*, vt nosceremus Dei per filium, qui incarnatus processit ex Virgine, æquitatem iustitiamque terris illatam, quam qui constanter tenuerit, non dicam *Scorpionem*; sed sicut Dominus ait, omnes serpentes illæsa planta calcabit. Sed nec ipsum quoque diabolum, qui verè est *Sagittarius*, formidadit vnquam varijs, atque igneis sagittis armatum. Is enim in felicibus nõ nunquam immittit, *Capricornum*, vultu de-

formem, qui captiui tota miſerabiliter per membra deſęuit, alios amentes, alios furioſos, alios homicidas effĭcit, ſed omnes ſalutari pro fluens amne, noſter Aquarius delere conſueuit, quem neceſſario vna ſequuntur duo, *piſces*, in ſigno, id eſt, duo ex Iudæis, & gentibus populi baptiſmatis à qua viuentes. Ecce ex viuida Domini reſurrectione renatorum felicem horoſcopum pulchrè hucuſque â Zenone deſcriptum. Sed dum ipſe cœleſtia percurrit ſigna, aſcendentis planetæ gradus omnibus innoteſcit, dum Sol iuſtitię Ieſus ſuper omnes cœlos hominibus, & benignus, & magnificus aſcendere viſitur. Quid plura? Ptholo-
*Ptholom.* mæus tract. 3. cap. 2. de felici Geneſi hæc fatur. *In prima re, in quæ magis confidere debemus eſt gradus aſcendens, hora exitus creaturæ.* Quicumque renatorum gloriam, & felicitatẽ præſagitis huc oculos conuertite, & aſcendenti ſupra omnes cœlos gradus, & greſſus metimini. Quis ſit aſcendentis gradus, quis prædominantis Ieſu greſſus in cœleſtes orbes notandus eſt, vt renatorum natiuitas ſit omniũ decantatiſsima. Vndè & Theologorum, & Aſtrologorum facilè Princeps Moyſes, Deu-
*Deut. 33.* ter. 33. in Aſſeris benedictione multa, & inaudita bona populo renatorum prænuntiãs hanc omnium bonorum radicem aſsignat, nimirum, *aſcenſor cœli auxiliator tuus.* O quam felix renaſceris Chriſtiane, quando ſub tanto aſcendenti, & prædominante æternam ederis in lucem. Aſcendit, & prædominator tui Dominus Ieſus, qui ideo aſcendit ſuper omnes cœlos, vt omnium dominatum in homines benignus manifeſtet. Quippe aſcendentis omnium mortalibus feliciſsimus quinque dignitates, ſiue dominatus ſunt apud Ptholomæum, de quibus ſingulis breuiter nobis agendum.

## §. XII.

## *Aſcendentis Domini ſublime exaltationem paſsio efficit.*

SIt in primis felix aſcendens, ait Ptholom. *Dominus triplicitatis*, Item *Dominus exaltationis*, vt ex vtroque aſcendentis Ieſu gloria coruſcet, & humana felicitas notetur. Quippe abſconditus triplex perſonarum diuinarũ aſpectus, in primis ſub Chriſto Domino clarere cœpit, quando aſcendens in cœlum mit-
*Matt. 28.* tit ſuos baptizaturos gentes. Matth. 28. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Hic Dominus Ieſus, Dominus triplicitatis fuit manifeſtus, hoc eſt, triplicem præmittens perſonarum diuinarum aſpectum. Fuit item tantæ Dominus exaltationis, quantam nec capere poſſent portæ cœleſtes. Vnam & alteram Domini dignitatem rimatur Iſaias, cap. 6. ibi Do- *Iſai. 6.*
minum ſupra thronum excelſum, & eleuatũ mirãtes Seraphim, ſic trinũ perſonarũ celebrant aſpectum, *Sãctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* Sed vix à Seraphinis ter ſancti ſonuit præconium, & apud Æthera auditur fragor, quaſi portas rumpentium, ait enim. *Commota ſunt ſuper liminaria à voce clamantis.* Vbi enim trinum Dominus præmiſit aſpectum ſub ea celſitudine, & exaltatione apparebat, qua non caperetur, niſi ſublimiores multo fierent portæ cœleſtes. Hinc Dauid Pſalm. 23. *Attollite portas principes veſtras, & introibit Rex gloriæ.* Vide triplicitatis *Pſalm. 23*
Dominus quantam exaltationem nactus fuerit, quando attolli portæ ad illum excipiendum iubentur. Id quod S. Nazianzen. orat. in
Paſ. notans, inquit, pio Chriſtiano. *Si in cœlos* *Nazianz.*
*aſcendat ſimul aſcende, atque vel commitãtibus, vel excipientibus Angelis te adiunge. Portis vt attollantur, ac ſublimiores fiãt impera, quo Chriſtum à paſsione ſublimem capiant.* Expendo illud: quo Chriſtum à paſsione ſublimem capiant; etenim cum te: ô bone Ieſu, in Cruce ſupinum reclinare notaui, laqueiſque manibus, & pedibus iniectis hinc inde à feris carnificibus diſtendi, vt foſſuras ligni pertingeres, ô quam magnus mihi futurus apparebas, quam altus, quantæ exaltationis Dominus aptabaris, quam neceſſarium iudicabã cœleſtes portas attolli, vt ſic in cruce extenſum poſſent capere. Accinit Nazianzeni Scholiaſtes Nice-
tas, fatus. *Nõ dicunt aperite, ſed attollite. Atque* *Nicet.*
*hoc loco explicat illud, factus obediens vſque ad mortem, mortem autẽ crucis, propter quod Deus exaltauit illum; ac proinde in ſummam ſublimitatem prouectus ſublimiores, quoque portas fieri poſtulat ad ipſius exceptionem.* Sic paſsio crucis ſublimẽ fecit aſcendentis Domini exaltationem, ſic aſcendens apparuit Dominus triplicitatis, Dominus exaltationis, vt renatorum ſpes funiculo triplice appenſa ab altitudine diei timere non poſſet. Eandem tunc Ieſus ingentem ſuam gloriam ex paſsione oſtendit, quãdo proſtrato Paulo, Actor. 9. ait: *Ego ſum* *Act. 9.*
*Ieſus quem tu perſequeris.* Hærebat Paulus attonitus, cupiebatque noſcere illum, à quo vox audiebatur. Tunc Ieſus, vt ſui oſtenſione traheret, & ſuperbum Pauli animum, inquit: Ego ſum Ieſus quem tu perſequeris. Pulchrè D. Chryſoſtom. homil. de ſe-
*Chryſoſt.*
rendis repreh. ad dubitat. *Quare non dixit: Ego ſum Ieſus, qui ſedet ad dexteram Dei: ſed, ego ſum Ieſus quem tu perſequeris?* Sanè

nullo

nullo alio monstráret ingentem suæ gloriæ magnitudinem, quâ mêtes alliceret; quam ex passione, & tolerantia persecutorum. Ideo alia dimittens, hoc vnum meminit, vt Paulum caperet, nimirum. Ego sum Iesus quem tu persequeris.

## § XIII.

### *Ab ascendente Domino cœlestes aulæ implendæ sunt terrenis hominum corporibus.*

TErtia ascendentis dignitas iuxta Ptholem. est, quod sit *Dominus domus:* quippe duodenis domibus vanissimè partiuntur Astrologi creaturæ genesim; in prima hominis ingenium, & affectus constituunt, altera sibi fortunas vendicat, & sic singulæ vsque ad exitum. Ecce tibi quã feliciter renascuntur Christiani sub ascendente Iesu, qui verus & vnus Dominus est domus, ideoque cœlestium hodie dominatur orbium, vt suis ascensuris pareret, & locum, & felicitatum domum. An id
*Ps.103.* meditatur Dauid Psalm. 103? Ait enim cœlestes Paradisos speculatus. *Illic passeres nidificabunt, Herodij domus dux est eorum.* O vos felices passerculi, qui modo penè reptatis, iam crescentibus plumis vitales gloriæ arbores scãdite, ibi nidos pulchrè elaboratos vobis inuenietis. Cuius spei ea est causa, quia Herodij domus dux est eorum, omnium passerculorum Princeps Iesus, cœlestis dominatur domus, ad quam omnium rapit spem renatorũ. Per nomẽ Herodij inrelligit Pausanias apud Pierium Ciconiam, vndè nonnulli sic verba Psalmi concinunt. *Ciconia domus dux est eorum.* Quod si natura Ciconiæ ea est, quæ serpentibus inimicatur, adeò, vt hinc ascendentis Saluatoris innotescat sollicitudo, qua suos aduersus serpentinos armat morsus, dum ait, *serpentes tollent.* Insuper Ciconia, vt grandem prolẽ à patrio nido euolasse nouit, teste Rau-
*Raul.* lino, serm. 7. de Ascensione, nidum terra implet, ne vacuus permaneat. Nonne diuinus ales Dei filius in cœlesti nido alites etiam spiritus reposuit? At magna horum alitum pars, dum nimium sublime volant à cœlesti nido æternum decidunt. Tum ales Deus, ne tantus nidus vacuus esset, in terram descendit, sublataque terreni corporis mole, nidum ascendit illum repleturus de terrenis hominum corporibus. Huc accedit D. Greg. fatus. *Illa natura, cui dictum est, terra es, & in terram ibis, hodie & in cœlum iuit. Pro hac ergo nostræ carnis subleuatione B. Iob Dominum auem vocat.* Quia, nimirum de more alitis Ciconiæ à reprobis spiritibus vacuatum nidum terra implet, assumptis in illum hominibus. Vt merito dicat D. Augustinus serm. 178. de tempore. *Ascensionis Dominicæ inclytum, & regale mysterium, quòd Christus terram leuauit ad cœlum.* Et de terrena substantia supremum Angelorum aulæum repleuit. *Augustin.*

## §. XIIII.

### *Ascendens Iesus manifestus Iudex omnium factus, suos iudicij timore leuat.*

QVartã ascendentis dignitas est, quam à Ptholomæo vocatur Dominus termini. Proh Deus immortalis quàm hinc lætari possunt fideles! Verè Iesus est Dominus termini, vtpotè qui in vniuscuiusq; vitæ terminũ dominatũ exercet, & in vniuersi mundi termino iudex viuorum, & mortuorũ est habendus. Hac Domini dignitate exhilarunt Angeli Apostolos in huius mundi pressuris post Dominum manentes, dum dicunt Actor. *Act. 2.* 2. *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet.* Vni illi reseruati sunt omnium vestrorum termini, de quibus iudicaturus est. Nullo quidem iusti in mundi maligno constituti magis lætantur, quàm eo quòd sciant venturum Dominum iudicium exercere. Inde carceris molestias soporaturus diuinus Præcursor Ioannes mittit discipulos ad Iesum, Matth. 11. vt interrogarent. *Tu es qui venturus es?* *Matt. 11.* Quasi de secundo ad iudicium aduentu requirebat, qui primum videbat, illiusque vel commemoratione fortiter vincula gerebat. Vt merito dicat Psalm. 95. *Tunc exultabunt omnia ligna syluarũ à facie Domini, quia venit, quoniã venit iudicare terrã.* *Psal. 95.* Quis bonus inter fallacia creaturarũ iudicia non mœreret? Quis ad tyrannorũ tribunalia iniustitiæ plena non paueret? Sed vos felices iusti, qui Iesum cœlorũ ascensorẽ veracem iudicẽ nacti estis, de cuius aduentu securi, & læti vanã omnia contemnitis. Hinc iustorum gloriam extollit D. Athan. de Pass. & Cruc. Dom. fa- *Athan.*
tus. *Mirabile est, & magnũ in rerũ natura homines ad mortem properare optãtes aduentũ Domini, cùm miser interea diabolus Saluatoris aduẽtũ reformidet, & iudiciũ exhorreat.* Formidat sanè mũdi tyrannus veracẽ iudicẽ, pauet malus ad Domini vitæ, & mortis aduentũ, verùm iustus, & pius ideo viuit, quia sperat Dominũ termini, ideo patitur immania tormenta, nec

frangitur, quia nouit terminum à verò iudice imponendum, quia ſcit ab Aſcenſore cœli ſe iudicandum. Meritò D. Chryſoſtom. hom. 26. in Acta docens noctem oraturis aptiorẽ eſſe, ait: *Si autem tunc cœlum videris quaſi innumeris interpunctum oculis omni voluptate frueris.* Expendo vndè voluptatem capiendam promittat iuſtis, nimirum, ex eo quod videant intempeſta nocte cœlum innumeris oculis diſtinctum: non ſic impij, qui cœleſtis Iudicis oculos refugiunt, at iuſti tunc magis gaudent, quùm pluribus oculis à cœleſti Iudice omnia examinanda eſſe autummant.

*Chryſoſt.*

Quis pius in termino vitæ nun extollat, caput, dum nouerit non recentem, & nuperũ tyrannum, ſed antiquum dierum Ieſum vnicum termini ipſius Dominum ibi præſidere? Equidem ille, cuius meminit Lucas cap. 11. lætus, & ſecurus accurrit, vt miſericordiam expoſtulet ab amico Deo: *Et ibit ad illum media nocte*, nimirum, in ipſo vitæ termino, quã do ſeuero Dei iudicio fatuæ virgines excluduntur; & coronãtur prudentes. Sed cur adeó ſerus implorator miſericordiam conſequitur? An quia ab illo petit, qui etiam antiquitus præſidet illi tempori? Qui antiquitùs Dominus eſt ipſius termini? Ita prorſus, vt mens eſt Tertulliani, libro quarto in Marcionem, his verbis. *Etiam cum ſerò pulſaturi, Creatoris eſt tempus; illius eſt ſerum, cuius eſt ſæculum, & ſæculi occaſus: ad Deum autem nouum nemo ſerò pulſaſſet.* Fœlices vos, qui eum iudicem nacti eſtis in vitæ termino, qui ſit Dominus, & factor ipſius termino, penes quem ſint omnia tempora, & prima, & vltima, & antelucana, & ſera. Ad hunc modò peruenietis, etiam ſeri, etiam in ipſo termini ſecuri, & læti eritis de venia; æquè enim Dominus eſt termini, quàm principij, imò vtpotè per excellentiã Dominus eſt termini, ſic amat ſe oſtentare in ipſis terminis. Vndè dicitur: *Ipſe iudicabit extrema terræ.* Quæ verba põderans Eucher. in libr. 1. Regũm, ait. *Iudicabit extrema terræ, id eſt, extrema hominis, quia non iudicabuntur quæ in melius, vel in deterius medio terræ comitantur; ſed in quibus extremis inuentus fuerit, qui iudicabitur.* Hæc ille; quibus docere vult, non quod opera bona, vel mala facta â primo rationis lumine non ſint iudicanda, etenim omnia hæc ſubibunt examen. Sed extremus hominis ſtatus ſolus attendendus eſt, vt pro omnibus coronetur, vel puniatur. Qui apud nuperos, recenteſque Deos, vel tyrannos rem agit, caueat ne ſerus accedat; at nos, qui Deo viuo, & vero omnium temporum Domino ſeri etiam, & termini Principi ſeruimus, æternùm lætemur qui vel in vltimis cõſtituti, vel in ipſis extremis â Domino termini recipiẽmur. Nonne Elias, 3. Regum 18. vt ſupra notaui, litaturus Domino bouem permiſit, vt ſacrificuli nouitij Dei Baal priùs illi litarent, & poſt omnes ad Solis iam occaſum ipſe ſuũ ſacrificiũ incepit? Cur ita? Benè datus Theodoretus. *Ne pudore affecti miniſtri mendacij dicerent agre ferre Baal, quod non in primis acceperit munus.* Quippe, hoc eſt, omnium nouitiorum tyrannorum decus, quòd primas ferant, & cum finis non dominentur, væ qui ad illos in fine accedit. At Dominus Ieſus omnium Creator temporum; vt Dominus termini, & ſeri, etiam ſeros, & vltimos adoratores recipit, imò ſæpiùs nouiſſimos in primos conuertit.

*Eucher.*

*Tertull.*

*Luc. 11.*

3. *Reg. 18*

*Theodor.*

## §. XV.

### *In Aſcenſione Ieſu gloria maximè innotuit.*

QVinta Aſcendẽtis dignitas eſt Ptolomęo apparitio, quæ accidentalis Planetæ aſcendenti dicitur: *Vt accidat quod Planeta ſit apparens ſub radijs Solis.* Sic nobilis Aſcenſor Ieſus radijs vndique diuinitatis coruſcus fulgurat; numquam magis ſub radijs Solis, numquam magis manifeſta eius virtus, nec quando hominum ſatiabat myriades, nec quando vectes mortis confregit, & eſt populatus infernum. Stupefactos Apoſtolos de euidenti Aſcendentis gloria ſic monebant candidiſſimi, imò candidati immortalitate viri. *Quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis, ſic veniet.* Conuenientiùs ad rẽ noſtram ponit hæc verba Diuus Auguſtinus Pſal. 46. dicens: *Hic eſt Ieſus*, & ſtatim ſubdit, *Quaſi illi non ſcirent, quia ipſe erat Ieſus. Paulò ante eum non viderant, ſecum loquẽtem non audierant, ipſi ergo neſciebant, quòd ipſe eſſet Ieſus?* Et quidem nullis antè actis facinoribus adeò Ieſus innotuerat, quamuis viderant illum Apoſtoli miraculorum patratorẽ, mortis deſtructorem, inferni debellatorẽ, adhuc neſciebant Ieſum. Quid mirum ſi modò illis oſtendatur Ieſus, vbi eius patentiſsimæ fulgurant gloriæ? Vt verè dicat D. Hilarius. *In hoc die fidem manifeſtiſsimæ diuinitatis aſſeruit.* Quam peculiari modo in præſenti ſit Ieſus, oſtenſum eſt pluribus, lib. 2. cap. 5. à paragr. 8.

*Auguſt.*

*Hilar.*

## §. XVI.

### *Ab Ascensione Domini Angeli magis debent hominibus prospicere.*

NOtasti post Dominicã in cœlum Ascensionẽ, quãm citi Angeli derelictis discipulis astẽt. Equidẽ dicit textus, Actorum capit. 1. *Ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis*: quasi ex tunc potiori iure Angeli hominibus teneantur occurrere. Post raptum Eliam curru igneo mansit Elisæus solus, & patris præsentia destitutus, at qui secũ Patrẽ rapuere Angeli, hij vni Elisæo alacriores inuigilabant. Etenim cùm puer Elisæi Domini deleret in periculis orbitatem, 4. Regum. 6. *Vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitum Elisæi.* Cur tot ignei currus circa Elisæum? An quia illi ijdem Angeli qui Magistrum rapuerant (& rapuerant sub ignei currus forma) derelictum discipulum tueri magis tenebantur? Sic Diuus Ambrosius sermone. 8. *Ergo Eliam Angeli ad cœlum perferunt Elisæum Angeli, qui Magistrum portauerant, discipulum tuebantur; & notitia quadã, obsequia quæ patri exhibuerant, etiam filio deferebant.* Hinc credo post acceptum in cœlum Dominum, maximam esse Angelis curã pro hominibus tutandis, & qui secum, & Patrem, & Mgistrum nostrum raptum habent, id præcipuo iure curare, vt nos tueantur, & obsequia quæ patri exhibuerant, etiam filijs deferant. Adeò vt si molestiam capere possent, ex nulla re maiorem caperent, quam si iubeantur aliquando hominibus duras inferre plagas. Paulus ad Romanos cap. 8. ita de Angelis etiam asserebat. *Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit.* Et de quo ingemiscerent Angeli? D. Ambrosius epistola 21. sic explicat aiens. *An ipsos quoq; Angelos: qui in istius mundi laboribus, diuersa sustinent ministeria, non ingemiscere credimus, cùm adhibentur pœnarum, & excidiorum ministri?* Sanè quo ardent in nos amore, qua nostri cura tenentur, ingemiscerent punientes quos tutari debent, si qui gemitus beatissimam illorum vitam possent tangere.

Actor. 1.

4. Reg. 6.

Ambros.

Rom. 8.

Ambr.

## CAPVT VIII.

### *De magnifico Iesu dono, nimirum Spiritu Sancto.*

ASCENDENS Christus in altu dedit dona hominibus, hoc est, promissum sæpè Spiritus sancti donum, vt super suos aduenire; maturauit. Nec mora, dum discipulorum chorus absente Domino vacat, ecce intonuit cœlum, & totam Ecclesiæ nauim occupat ardentissima diuini spiritus lampas. Pluit Dominus à Domino, nõ, quo prostituatur castitas, imbrem aureũ; sed ignem, quo mortalium corda ad superos possint euolare.

## §. I.

### *Christo Domino absentẽ, debebatur aduentus Spiritus sancti, vt omnia repleret.*

AVIVIS Christus Dominus abscesit; & ecce tibi tota mundialis machina alteratur, mundi cardines, vniuersi firmissimæ columnæ magis, commouentur. Et quò mirere magis, quam obstupescebant Areopagi commotionem vt insolitam, vt protentis plenam, eandem prædicat naturalem Sanctus Anastasius Synaita, libro 4. de Rectis fidei dogmatibus. Ait enim post enarratam cœlestium, & elementorum turbationem; *Neque aberrauerit quis, si dicat tacito naturæ cõsensu id contigisse.* Cur non potiùs violento naturæ motu? Cur non verius dixisset, manifesta naturæ coactione id factum fuisse? Cur potuit credere id naturæ consensu accidisse? An aliquando natura à se in tam protentosam prosilit alterationem? Sanè id maximè à natura obseruatur, ne vacum detur, quod vt repleat, omnia mouet creata; lapis discit volare, subtilissima elementa ad terrenam grauedinem deprimuntur, supera, & ima sese miscent, & confundunt. Quid plura? Numquam orbis maiorem timuit vacuitatem, quàm per absentiam Christi Domini, & inde omnia orbis elementa quasi propriæ naturæ consensu

Synait.

protentosam illam præseferunt alterationem & proprias deserentia sedes eò tendunt, vt orbis vacuitatem, quo possunt modo vel ostendant, vel nitantur fugere. Hinc Sol stupet, cœlum stat, lapides quatiunt sese, monumẽta aperiuntur, terra tremoribus affligitur, omnia vanè, ni subtilissimus spiritus proprias etiam sedes relinqueret, & ad terras dimissus vacuitatem repleret diuinitatis suæ diuitijs. Ait enim Actor. 2. hunc diuini spiritus aduentum notans. *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* Fallor, nisi huc respiciat Isaias cap. 6. vbi ascendentis ad cœlum Domini gloriam, incredibilemque maiestatem miratus ait. *Vidi Dominũ sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea quæ sub ipso erant, replebant templum.* Iam ima hæc Dominus liquerat, iam super cœlos eleuatus sublimem ad Dei Patris dexteram consessum tenebat, nec mora, ab ipso descendẽs spiritus vacuitatis inimicus omnia replet humana. Sic Rupertus in Isaiam, libro 2. cap. 28. Prophetæ explicat visionem, fatus. Ergo vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, id est, vidi Dominum Iesum Christum Redemptorem nostrum propter acerbissimam passionem mortis gloria, & honore coronatum, super omnes cœlos eleuatum, & receptum in paternæ dexteræ consensum: & ea, inquit, quæ sub ipso erant, replebãt templum. *Postquam Dominus ascendens in cœlum sedit super illud paternæ maiestatis solium excelsum eleuatũ, quæ deinde sub eo sunt? Nimirum dona, quæ dedit Apostolis. Hæc implent templum.* Nonne vides sursum Dei filium ascendentem, & deorsum Spiritum sanctum vergentem? Ille supra nobis erectus est; hic subter nobis immissus: ille præsentiæ suæ nos vacuos effecit, hic vacuitate obsistens aduolat pernix, & omnia replet; replet, inquam, omnia hominum corda, quæ absente Iesu, vniuersa mundialis machina non repleret. Richardi Victorini libet transcribere verba dulcedine manantia, sermone de Spiritu sancto, sic eius ingentem, & potentissimam virtutem edicentis. *Audacter affirmo, quod, sola vna huius mellis stilla potest, quòd totus mundus non potest. Cor quidem copia mundi non satiat, vna huius dulcedinis gutta plenè inebriat.* Certè magnus ille Alexãder, qui vniuersum terrarum orbem subiugare potuit, desiderio suo satisfacere non potuit. Nam si subiugato sibi mundo, si alius adhuc esset mũdus, quem sibi subijcere posse confideret, non minori auiditate in illum subijciendum sibi aspiraret. Et si illo item subiugato, alij, & alij adhuc superessent, cordis illius inglubiem irritare potiùs quàm satiare potuissent. Cogita ergo quanta sit latitudo illius orbis terrarum, qui intus est, quem exterior iste orbis terrarũm quãtumcumque dilatatus, vel quotiescumque multiplicatus satiare non potest. Nonne Philosophi videntur errare, qui hominem microcosmum, id est, mundum minorem dixere? Nonne meritò maior mundus dicendus est humanus ille animus, qui mundo vtique maior est, quem totus mundus nulla sui dilatatione, nulla sui multiplicatione satiare potest? Si enim orbis iste terrarum latitudini cordis vnius comparetur, quid aliud in capacitatis illius, vel auiditatis comparatione, quam *parua quædam buccella esse videtur, quæ in illud interioris hominis os iniecta penitus implere non valet imò pene nõ comparet. Sed si ad illam internã & supernam dulcedinem inhias; si ad veram Spiritus suauitatem suspiras, audi quid tibi diuinitùs præcipitur, dilata os tuum, & implebo illud.* Vsquè huc Richardus, quibus vides, quã parua sunt creata omnia, vt vacua corda hominũ impleant: quo circa abeunte Domino Iesu, ne renascẽtis mundi pulchritudo vacuo fœda retur, à propria sede dimissus spiritus vnus illa omnia implet, & humana corda penitus satiata relinquit,

Act. 2.

Isai. 6.

Rupert.

Ric. Vict.

## §. II.

## *Fletu, & lacrymis non potest, non trahi diuinus spiritus.*

QVicumque diuinum spiritum cupis trãhere, hoc cura, vt largos profundas imbres lacrymarum, nil enim magis collumbam pellicit, quàm gemitus, nil magis requirit ignea lingua, quàm aquam. Vndè D. Augustin. tractat. 6. in Ioann. sic monebat. Columbam vnam vides super caput Christi, linguas vides in toto orbe terrarum, idem spiritus per colũbam, idem per linguas. *Si per columbam idem spiritus, & per linguas per totum orbẽ terrarum datus est, à quo te præcidisti, ne gemas cum columba?* Aliquis fortasse vt gemitus, & lacrymas fugeret, nõ ad columbam; sed ad igneas respiceret linguas, & ex igne se se ad gaudia compararet. Hanc esse fallaciam, ait Augustinus, vbi enim, vel in igneis linguis, vel in columba spiritus apparet, nihil est quod nos à gemitu excuset, quandoquidem, & columba, & ignea lingua riuos amant plenos lacrymarum. Vndantes Iordanis fluctus dum attigit Christus Dominus, ecce tibi diuina columba cœlo elapsa ad eius aduolat caput. Et cur non aduolaret columba ad riuos aquarũ? Accipite Guarricum serm. 2. de Pentec. sic dicentem.

Augustin.

Guarr.

centem. *Nescio, & Spiritui sancto, qui in columba apparuit, alia vox familiarior gemitu, aut gratior sit. Puto quia neque in Apostolis locũ inueniſſet paraclyti consolatio, niſi quia lugebant ſe desolatos.* Et tamen ad Apostolos igneus venit verũm siue columba sit, siue ignea lingua riuos amat, nec inueniri potest sine lacrymis.

3. Reg. 18 Nonne Elias 3. Reg. 18. holocausta aquis rigauit, quo ignem de cœlo traxit? Ait enim, *Cecidit antẽ ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquam quæ erat in aquæ ductu lambens.* Sollicitant aquæ igneam linguam, sollicitant gemitus columbam; gemas ergo madidus lacrymis quicumque igneum, & columbinum spiritũ procuras trahere. Strenuus ille luctator, & fratris supplantator Iacob mille luctis, mille prælijs diuini spiritus ingentes bene dictiones sollicitabat, obtinuit tamen cũm primùm sudat

Oſe. 12. lacrymis. Ita Oseas c. 12. *Inualuit ad Angelũ, & confortatus est fleuit, & rogauit eum, non dimittam te, niſi benedixeris mihi, & benedixit eũ.* Cur non rapere spiritus benedictionem, qui flebat? Resisteret ille luctis, resisteret precibus, ad vbi ad lacrymas ventum est nõ potuit non aduolare columba, non potuit, non lambere aquam ignea lingua. Pulchrè Rupert. lib.

Rupert. 2. de Processi. Spirit. Sanct. cap. 21. notat. *Non potuit Deus ſe continere flente illo, quin de multitudine viſcerũ ſuorum Spiritum paracletum effunderet in eum.* Proh Deus immortalis! Quàm illiciunt lacrymæ diuinum spiritum, qui negabatur bellatori, imò debellatori, non potuit negari flenti. Qui nulla vi extorquebatur, vna lacryma vsque ad effusionem sui pellicitur. Ea enim est lacrymarum potestas, quæ sibi etiam subdat personas diuinas. Excitaturus Iesus Lazarum, Ioann. 11. vt sorores illius lacrymantes vidi, & ipse, *lacrymatus est.* Cur Iesus lacrymatur excitaturus amicũ?

Chryſoſt. Chrysostom. homil. de Lazaro suscitatur, inquit. *Flebat Deus mortalibus lacrymis, nõ quod ante ſe mortuum periiſſe cognoſceret, ſed quod ſororum fletibus obtemperaret.* Ecce tibi tot, vel mulierum lacrymis Deus ipse subditur,

Ioann. 11

## §. III.

## *Spiritus diuinus semper nobis præsentissimus adstat.*

O Vos fœlices animæ, quæ tanto sponso nubetis, æternum eius fruemini præsentiam: ait enim Actor. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum.* Vbi expendo illud, *ſedit*, ex quo præsentissimam spiritus inhabitationem, perpetuoque nobis cum duratũram cognosco. Illam crediderim spectatam à D. Iacobo, sic in Canon. locuto. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum, apud quem non eſt transmutatio. &c.* Sanè, & dator munerum, & luminũ pater, igneus spiritus est; apud quem hoc notatur singularissimum, nimirum, quod nõ inueniatur transmutatio: quippe vnus ille odit transmutationem, vt qui perpetuo hominibus iuuandis addictus sit. Id quod diserti-

Iacob 1. sime omnium attigit. D. Athan. quæst. 79.

Athan. in hæc verba. *Et Dei quidem filius Deus poſt impletam totam diſpenſationem tandem aſſumptus eſt. Spiritus vero ſanctus ſuper Apoſtolos veniens & ſuper omnem carnem effuſus non eſt rurſus aſſumptus; ſed in generationes tranſit in omnes, etſi quemlibet hominum inuenit habitat ſuper eum.* Non quidem est apud diuinum spiritũ transmutatio, qui semel hominibus adhæsit, nunquam ad superos remeauit, semper hic adest, & omnibus præsentissimus est. Dei Verbum vt accesit, recesit, in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est; sed tandem locũ mutauit, & ab hominibus ad dexteram diuinæ

Rupert. consessum se recepit. Pulchrè Rupert. lib. 1. de Oper. Spir. sanct. cap. 4. componit duo inter se loca. Alterum ex Ioann. 8. Vbi de se loquẽs Dei filius inquit. *Ego ex Deo proceſsi*: alterum eiusdem cap. 15. vbi de Spiritu sancto dicitur, *qui à Deo procedit.* Igitur processus filij ad extra præteritus explicatur; verum processus Spiritus sancti præsentissimus omnibus dicitur. Cur ita? Accipite Ruperti acumen. Notandum, ait, quod de ipso loquens præterito tempore vsus est: ego enim, inquid, *ex Deo proceſsi*, item alibi, *exiui ad patre.* De isto autẽ spiritu non præterito; sed præsenti dicit: qui à Deo procedit. *Etenim aliter ipſe à Deo proceſsit naſcẽdo, videlicet, ante ſæcula, vt conderet mundum quòd ſemel factum eſt; ſiue aſſumendo carnẽ quod itidem ſemel factum eſt. Aliter ſpiritus iſte procedit cum ſubiectæ creaturæ gratiam impendit, quod toties fit quoties viuificat ea quæ mortua erant, & replet ea quæ vacua erant.* Quippe verbi actiones præterierunt, dum post perfectam orbis cõditionem Deus ab opere quieuit, dum post dispensationem humanæ salutis peractam ad patris penetrale se recepit. At Spiritus sancti operatio non quiescit, non præterit, semper nobis præsentissima est, nos requirens, mortua humana corda viuificans vacuitates cunctas præsentissime replens. Quid plura? Rem finiet. D. Athanas. epist. ad Epitectũ vbi exponens quam præsens sit diuinus Spiritus, quam præ manibus habeatur, ait, *Spiri-*

Ioann. 8.

Athan.

*tus*

*tus ſanctus, progreſsio patris ſemper eſt in manibus patris, qui eum mittit, & in manibus filij, qui eum geſtat, per quem omnia repleuit.* Hoc ſingulariſsimum huius diuini doni eſt decus, quod præ manibus ſit, non ſic creata omnia bona, imò illis Iob 21. ſugillans inquit. *Verum tamen, quia non ſunt in manu eorum bona ſua, non conſilium impiorum longe ſit à me.* Quippe nullum creatum bonum adeò præ manibus habetur. Etenim vt aliquod à Deo hominibus exhibendum eſſet tota euoluenda aliquando, & euertenda domus orbis fuit; nonne vt daret victoriam Ioſue, ſalutem Ezechiæ totam domum euertit ſolem iubēs ſtare vel retroferri? Equidem non ſunt caduca dona præ manibus, ſed quaſi obliuioni data; hoc diuiniſsimū donum ſi expetas, ſi expoſcas præſentiſsimū eſt, præ manibus eſt: habet pater, habet filius in manibus, vt continuo petentibus detur. Naz. Quo lucem accipit locus Nazianzen. orat. in Pentec. vbi ait diſtinguens à prophanis feſtis ferias Chriſtianas. *Feriamur ipſi quoque, verum vt ſpiritui gratum eſt: nec feriari noſtrum quicquam eſt aliud, quam animæ theſaurum alij quem earum rerum condere, quæ firmæ ſunt ac manibus tenentur, non autem ſuffugiunt ac dilabuntur.* Ecce quos nobis feſtos agit diuinus Spiritus eos dumtaxat quibus, quæ manibus tenentur res, nobis comparare nitamur.

## §. IIII.

## *Spiritus ſanctus odit pro humano libito gubernari.*

ID maximè notarim in aduentu Spiritus ſancti, nimirum, quod repente aduenerit, & quod inſtar linguarum tanquam ignis inſederit ſupra ſingulos eorum. Inſedit, inquam, ſupra ſingulos non eorum ſeruiens libito; ſed libero deſpoticoque dominatu omnia modorans, & diſponens. Hanc primam eius notionem explicuit Dominus Nicodemo Ioann. 3. de plurimorum Patrum ſententia, dum ait. *Spiritus vbi vult ſpirat.* Ex quibus ſic acutè Theoph. elicit Theophylactus. *Confundatur ergo Macedonius impugnator Spiritus, qui ſeruum Spiritum ſanctum aſſeruit.* Quomodo ſeruit qui nullus libitum obſeruat? qui nihil facit niſi pro libito ſuo? Confundantur etiam qui Spiritui ſancto præſcribunt leges veniendi, & ſpirandi, & cupiditatibus ſuis illum ſeruire concupiſcunt. Proh Deus immortalis, quam fallun tur miſeri! Audiant modo Nazianzenum Nazianz. Theologum orat. 2. in Pentec. *Profectò aderit Spiritus ſanctus heriliter non ſeruiliter, nec inſſum aut imperium, vt quibuſdam videtur, ſpectans; ſpirat enim vbi vult, & ſuper quos vult, & quando, & quantum.* O quam periculoſe errāt qui libito ſuo tempus aduenienti præſcribūt Spiritui ſancto, & quaſi ile ſeruus ſit, ſic iubent, veniat in ſenectute, in periculo mortis, in ſibilo auræ lenis, non in commotione, non cum æruminis, & laboribus; ſed totus manās gaudijs, & delitijs. Hi ſibi perſuadeant, quod veniet Spiritus ſanctus, quod omnibus aderit heriliter, non ſeruiliter; vt ſupremus omniū Dominus; non vt ſeruus illorum iuſſum, & placitum ſpectans, odit iam ab initio humanas cupiditates. Id quod notanter inſinuat Textus ſacer, quando in Saul is reiectione, & Dauidis allectione 1. Reg. 16. ait. *Et receſſit Spi* 1. Reg. 16 *ritus Domini à Saul, & ferebatur in Dauid.* Etenim qui dat regna Spiritus Domini eſt vndè neceſſum erit, quod oderit eos, qui cupiditatibus propris aguntor, eos amet qui faciunt, & admittunt omnes eius voluntates. Itaque Rupert. lib. 1. de Proceſſ. Spirit. ſanct. cap. 11. red *Rupert.* dens rationem cur præcipuè in præfato loco non dicatur Spiritus Dei, nec Spiritus Sanctus; ſed Spiritus Domini, inquit. *Vbi dona ſua diſtribuit, ibi ſcribitur Spiritus Domini, exempli gratia, vt illic: Et receſſit Spiritus Domini à Saul & ferebatur ad Dauid.* Quippe Saul Dominū ipſe gubernare volebat; verum Dauid diuino maximè in ſeruiebat impulſui, quo dominatorem Spiritum ad ſe traxit. Hinc D. Paul. 1. ad Corinth. 12. poſt gratias vniuerſas recē 1. *ad Cor.* ſitas, poſt dona cuncta in homines à Deo pro 12. fecta enumera, ſic finit. *Hæc omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus diuidens ſingulis pro vt vult.* Id quod expendens D. Chryſoſtom. fa- *Chryſoſt.* tur. *Pro vt vult, inquit, non pro vt iubetur, diuidens, non diuiſus, auctorem ſe præbens non auctoritati ſubiectus.* Sanè is eſt diuinus ſpiritus, qui auctor velit eſſe, & Dominus qui ſubditos, & ſeruos ſpectet; non qui ſuſtineat imperioſos; qui eos implet, qui non præſcribunt leges, ſed eius ſubijciuntur, arbitrio; parati pergere, ſine vehementi ſpiritu conterantur, ſiue aura leni, & placida recreentur. Nonne ſic ſpiritum expectabat illa quæ Cantic. 4. aiebat. *Surge Aquilo, veni Auſter, & perfla* Ca... *hortum meum?* Ecce tibi Aquilo vehementiſsimus, & procelloſsimus eſt Auſter autem blandus, & ſuauis vtrumque ait D. Paulin. Epiſt. *Paulin.* 3. ad Afrum vocat ſponſa, veniat inquiens, procelloſus Aquilo, & blandus Auſter. Sed cur vocans Aquilonem, & Auſtrum dicit perfla, & non perflate? Sanè ipſa vnum Spiritū Dei vocabat, vnum Spiritus ſancti flatū deſiderabat; ſed quia is in ſpiritu auræ lenis venire ſolet, ſiue in ſonitu aduenientis ſpiritus vehemē

tis,

tis, ipsa non præscribit modum non dat leges venturo; sed dum veniat totam eius se tubijcit voluntati, siue procellosus vt Aquilo, siue blãdus vt Auster venire velit. Quod innuit Origi-
Origen. lianus, his verbis. *Quoniam in duobus vnus aduertitur non ait perflate; sed perfla. Aquilo, atq; Auster sunt diuersa vocabula vnius Spiritus sancti insinuant dona.* Itaque expetitur: sed sub duobus diuersis, imò contrarijs nominibus; quasi dicat siue Aquillo procellosus veneris me contriturus, siue Auster leuis mihi uis venire, vt me recrees, id tuo committo arbitrio, ego quouis modo te sequor, quouis modo tuo placide ferar impulsu.

## §. V.

### *Spiritus sancti linguæ per omnium ora sonat, in qua diuisæ linguæ collecta cœlestia attingere possent.*

PRæclare nobiscum actum est, quo die per omnium ora Apostolorum apparuerunt dispertitæ Spiritus sancti linguæ tanquam ignis. Ait enim: *apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, insederitque supra singulos eorum.* Vbi expedẽdũ duxi illud, *apparuerũt linguæ*, & illud, *insedit*, quasi inde notarit vnius Spiritus sancti vocem; per vniuersas fidelium linguas in sonare eiusdemque vnius esse, quæcũque gratæ Deo sunt linguæ, & voces. Similimodo fidelium gemitus, & continuæ voces, vt explicarentur, dicitur Cant. ca. 2. *Vox turturis audita est in terra nostra.* Quæ verba ex-
Bernard. pendens D. Bernard. serm. 59. in Cant. fatur. *Cæterum si multi gementes, quid sibi vult vnius expressio? Vox turturis, inquit, quare non turturum? Forte Apostolus id soluit, vbi ait, quia ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Ita est. Ipse inducitur gemẽs, quia gemẽtes facit, & quãlibet multi sunt, quos ita gemere audias vnius per omnium labia vox sonat.* Vnius per omnia labia lingua sonat placitura Deo, nullus sonus percipitur aure diuina, qui ab hoc diuino Spiritu non procedat, ideo vnus inducitur plurimis linguis medius, vtpote qui fidelium omnium linguas in vnum collectas monet, & voces diuinis auribus dignas
Cyprian. efformet. Vt dicat Cyprian. *Nemo nisi suspirys huiusmodi præcedentibus, & inspiratione diuina mouente potest ad cœlestia aspirare, vt suspiratio, & inspiratio, & aspiratio à sancto Spiritu, & causam habeant, & effectum, & materiam, & prouentum.* Et quidem cum eo tendit hominum audacia, vt ædificatã turri cœlestia quoque pertingere tentarint; ne tam altum saperent confudit, & diuisit Deus linguas eorum. Genes. 11. qua linguarum diuisione facta nemo remansit qui amplius ædificij culmine ad cœlum posset aspirare. Iam inde omnis inspiratio, & aspiratio ab vno spiritu expectabatur, qui diuisas linguas in vnum colligens, causam, & effectum, & materiam, & prouentum cœlestis operis ministrauit. De quo Rupert. lib. 5. de gloria Trinit. & Proces. Spirit. sanct. cap. 20. fatur. *Denique vbi* Rupert. *plaga confusionis illius sananda erat, filius loquẽs Apostolis suis, & ego, inquit, rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis. Et hoc ita factum est; ita linguarũ diuido, quæ propter superbiã acciderat reformata est per eiusdem paracleti Spiritus sancti aduentum.* Quippe dispertitis, & diuisis linguis infertur spiritus, sed vnius per omnes facit sonare vocem, vt cum labij vnius sit terra incipiat, & perficiat ad cœlestia pertingens opus. Porro cum aio per omniũ ora, vnius Spiritus sancti vocem personare, visus sum aliqualem lucem dare verbis illis, quibus Sapiens cap. 1. diuini Spiritus munia ex- Sapient. 1.
tollit. Ait enim. *Spiritus Domini replenit orbem terrarum; & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Quid est, scientiam habet vocis? An quod ars dirigendi, & commensurandi voces, penes illum sit, vt penes Magistrum & Coriphæum? Equidem in canentium choro vnus est Choriphæus, qui vocum numeros perfectissimè calet, qui omnes dirigens per omnium ora videtur canere, adeo vt sine illo insuauis, & in concinuus sit cantus, ille enim facit vt vox grauis suam grauedinem non excedat, vt acuta ad sublime pertingat. Finge tibi modo ex vniuersa Ecclesia chorũ, in quo diuersissimæ conueniunt voces; aliæ acutæ quæ summam perfectionem pertingũt, aliæ graues quæ in infima obseruatione præceptorum versantur; aliæ mediæ, harum omnium numerum Spiritus diuinus calet, singulosque in singulis statibus moderatur, & gubernat, vt quisque se intra numerum suum cõtineat, ne quid exurgat in ordinatum. Huc respiciebat. Hieron. Thren. 3. aiens. *Defecit* Hieron. *gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster.* Quasi ex eo laudet pœnitudinem, & dolorem de peccatis, quod etiam in lugendo numerus seruetur vocis, vt imperfectissimo choro. Quasi dicat non ordinate planximus nec doloris vi extra chorũ saltauimus, imò eum numerum seruabamus, qualis decebat statum, & ordinem nostrum. Non enim decet coniugem ob pœnitentiam Heremitarum nuditas, siue conspicuus horroris habitus. Est suus cuique numerus tenẽdus, & har-

monia

Paſchaſ. monia ſeruãnda. Accipite D. Paſc. lib. 5. in Thren. *Quod autem conuerſus eſt in luctum chorus noſter, perfectæ pœnitentiæ luctus deſignatur, quando virtutum chorus harmoniam tenet lugendi quod amiſimus, & concentum ſeruat paniendi.* Cuius cõcentus, & armoniæ in ſeruando numero Spiritus diuinus Magiſter eſt, & Choriphæus maximus.

## §. VI.

### *Spiritus ſancti aduentus, & pungit ſimul, & vngit.*

APparuerunt, ait, diſpertitæ linguæ vel vt Cypriano placet, diuiſæ; & cur diuiſa vtitur lingua Spiritus? Si Diodoro Siculo lib. 2. c. vlt. fidem habere velis, in Occeani inſula homines naſcuntur, qui vt linguis fiſsis, & medius diuiſis vtũtur, ſic eiuſdem ſpiritus impulſu, ſimul cũ duobus verba faciũt, alterique crucem mortemque minantur; alteri dulciſsimos, & ſuauiſsimos dant ſermones. Quid plura? Is eſt diuini Spiritus mos, & conſuetudo: neſcit ſolum iraſci, neſcit ſolum amare: diuiſam habet linguam, & dum hinc dulcedine manat, illinc ſimul felles ſpargit. Id quod notans D. Greg. lib. 5. Mor. cap. 26. fatur. Gregor. *Sanctus Spiritus cum ſe notitiæ humanæ infirmitatis inſinuat, & ſonitu vehementis ſpiritus & voce auræ lenis exprimitur, quia videlicet, & vehemens eſt & lenis. Illuſtratione enim ſua nos leniter tangit; ſed inopiam noſtrã immaniter concutit.* Fallor ſi hic Spiritus apparuit Eliæ, quãdo non igne, neque in commotione apparuit ſed in ſibilo auræ lenis ibi erat Dominus. Porrò Spiritus ſanctus, & in vehementi commotione, & in aura leni eſt ſimul, vehemens, & lenis, pungens, & vngens vrens, & illuminãs. Quam conſuetudinem ex igneis linguis adu-
D. Leo. xit D. Leo ſerm. 1. in Pent. vbi ideo apparuiſſe docet Spiritum ſanctum ſub igneis linguis. *Vt verbum Domini lucidum, & eloquium conciperetur ignitum, cui ad creandum intellectum, conſumendumque peccatum, & efficacia illuminandi, & vis in eſſet vrendi.* Ne illuminatione recreet quin pũgat vſtione, ne lenis lucem perfundat quin vehemens vrat, ſimulque, & gaudia doloribus, & dolores gaudijs temperet
Exech. 35 & miſceat. Hinc Ezechiel cap. 35. iubetur vocare ſpiritum verbis illis. *A quatuor ventis veni Spiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos.* Expendè illud veni à quatuor ventis, quaſi nollet Spiritus diuinus venire ab vno, eoque leni, ſed ſimul, & Boreali, & Zephiro, & Aquiloni, & Auſtro ſimilis inſufflet. Id quod attigit Galfridus fatus. *Deſiderandus eſt ſpiritus, & à quatuor ventis euocandus. Non ſolum ab Aquilone, & Auſtro; ſed ab Oriente, & Occidẽte ſalutarem ſpiritum expectemus. Tunc enim ab Oriente ſpiritus venit, cum ex diuinorum beneficiorum memoria ad charitatem Dei irreuocabiliter animamur, tunc ab occidente ſi peccatorum recordatione ſalubriter compungamur.* Galfrid. Ecce tibi Spiritus ſanctus ſimul lenis, & vehemens, nec vrit ſine lucis perfuſione, nec illuminat ſine vſtione, ita felles ſpargit, vt meliſluis trahat illicibus; ita mella inſtillat, vt felle etiam compungat.

## §. VII.

### *Cæleſtis linguæ vel halitus potentiſsimus, & efficaciſsimus omnium ad trahenda hominum corda.*

VT rebellem, & repugnantem mũndum traheret Spiritus Domini, ecce quæ exerit arma, quæ ſpicula torquet, nimirum igneas linguas. Quaſi ipſius ſibilus, vel halitus potentiſsimus omnium ſit ad conuertendum mundum. Ea equidem eſt cęleſtis lingua ſanctis viris infuſa, quæ ſola poſſet, quæ armatas manus vix potuiſſe crederem. Memi-
nit D. Hieronym. epiſt. 4. facinus illud, quos Hieron. Ieſus flagello ſumpto, ementes, & vendentes eijcit è templo; indeque deſcendens ad virtutes D. Exuperij decantandas, ſic finit. *Nihil illo ditius, qui auaritiam eijcit è templo; qui abſque flagello, & increpatione cathedras vendentium columbas, id eſt, dona ſancti Spiritus, menſaſque ſubuertit mammonæ.* Ecce tibi vnius Sancti lingua in auarorũ cordibus perfecit, quòd ægrè & difficulter perfeciſſent flagella, ſeu armatæ mãnus. Danielis 2. vt aureæ ſtatuæ tibias ferreas comminueret, abſciſſus eſt lapis à monte ſine manibus. Eu parue lapis ſine manibus abſcinderis? imò tibi emendæ eſſent mille manus, vt ferreum poplitem quateres! Cur in ferrum audetur ſine manibus? Equidem vnã diuinæ linguæ aſpiratio potentior eſt, quàm mille manus, vt ferrea hominum corda quatiat. Sic acutè Richard. Victor. lib. Rich. Vict. de erudit. int. hom. part. 1. cap. 27. aiens: *Ecce lapis ſine manibus abſcinditur, vndè ferri duritia conteratur. Et quidem rectè. Quæ enim manus talem lapidem concidere poſſet, qui ferrum conterere valeret? Sed quæ non poteſt humana opera, fit in ſola voluntate diuina. Sed quid quæ-*

*ſo eſt,*

*so est, qui hoc potuit facere, manibus minimè hæc voluit perficere? An forte in huiusmodi ferreis, & obduratis mentibus melius operatur inspiratione quàm percussione; corrigiturque sæpè interna illustratione, quem non possent flagella corrigere?* Hinc mundiciem orbis, quam non valuit afferre tota inundatio diluuij, igneis linguis aggreditur Dominus, quorum vel halitus potè tissimus est, vt grandia quæque perficiat. Vt pastores ad puerum adorandum perueniant, Angeli loquuntur; vt Magi relictis regijs stabulū intrent, stella interne loquuta est: quod
*Paschas.* meditans D. Paschas. lib. 2. in Matth. dicit. *Pastoribus Angeli; Magis verò stella Christum demonstrat: vtrisque loquitur linguacælorū, vtrisq; cæli enarrant gloriam Dei; vt hi qui propè, & qui longè erant, simul cæli cives fierent.* Proh efficacia cœlestis linguæ! Ea potest superbissimos quosque transferre in humilitatem Christi, & Babilonis mancipia cœlestis Ierusalem annumerare ciuibus. Semel ostendam cœlestis linguæ efficaciam, si composuero ingentem illam instrumentorum musicorum multitudinem, quam Nabuchodonosor congesit, vt suæ statuæ adorationem persuaderet; cum cantico trium puerorum, qui inter flammas con
*Theod.* cinitur. De his Theodoretus orat. 3. sic loquitur. *Optimam suam symphoniam, & admirabilē hymnorum cantum, concentui illi, qui statui adhibeatur, opponunt.* Vide hinc auream statuam, circa quam Babylonici vniuersi erant chori, tota musices armonia, dulcissima modulamina: illinc ardentem fornacem media qua tres soli existebant pueri laudantes Dominum. Et sanè qui ad totum illum concentum superbus sederat, vbi puerorum tangitur cantu. *Tunc Nabuchodonosor Rex obstupuit, & surrexit propere, &c.* Vbi eleganter Theodoretus
*Theod.* pergit fatus. *Talis fuit hic Sanctorum hymnus, qui cùm agrestem, & immitem perculisset Regem, obstupefactus è throno regio surrexit, atque vtrò currere festinauit.* Sic sonans Deum lingua superbissimos quatit, & in Christi conuertit humilitatem.

## §. VIII.

### *Spiritus Sancti munus, & donum in Sacerdotum operibus euidens, & conspicuum sit.*

REuoco in memoriam illud à D. Iacobo in Canonica dictum de Patre luminum sine de igneo Dei Spiritu, nimirum, omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, *neque vicissitudinis obumbratio*; scire cupis quid sit, nec vicissitudinis obumbratio? Benè Euchumenius ait, *nec conuersionis obumbratio.* Clarius idem posuit D. Hieronymus, lib. 2. contra Pelagianum, cap. 3. dicens, *nec conuersionis vmbraculum.* Etenim duæ conuersiones considerari possunt in fidelium Ecclesia quotidie contingere. Altera est, qua creatura panis cōuertitur in corpus Christi: altera, qua peccator per Spiritus sancti impulsum transit in sortem diuinam. Prima subspecierum vmbraculo contingit, nec se vllis patentibus prodit signis, at Spiritus Sancti mos is est in suis conuersionibus, vt non amet latebras, nec quærat vmbras; sed mille amet prodi, & manifestari signis. An poterit abscondi in suu actiuissimus, & lucidissimus ignis? Hanc mihi mentem suggessit D. Basilius, libro 5. ad Eumon. fatus. *Per Spiritū sanctum etiam quilibet Sanctorum Deus est; Deus Deorum, id est, Sanctorum loquutus est, & videbitur Deus Deorum, id est, Sanctorum in Sion.* Ecce tibi quàm nullum sit conuersionis vmbraculum, quando quidem in faciendis Dijs ex hominibus non sub vmbra; sed patens videbitur Deus Deorum, id est, Sanctorum in Sion. Vt meritò dicat de illo D. Bernard. serm. 17. in Cantic. *Ducit nos, & reducit de claritate in claritatem tamquam Domini Spiritus, quandoque rapiens ad se in lumine suo, quandoque contemperans, & illuminans tenebras nostras siue supra nos, siue apud nos semper in luce, semper vt filij lucis ambulemus.* Non amat obtenebrari dona sua, non amat abscondi talenta quæ impertitur, nil magis cupit, quàm vt quisque acceptum donum promat, & manifestet in omnibus operibus suis. Sic vniuersæ columen Ecclesiæ; & fundamentum D. Petrus à diuino Spiritu Sancto imbutus, Actor. 3. doni, & muneris accepti ferens iudicium, claudū hominem consolidatis plantis sanitati restituit. Sed cur primum facinus à plantis constabilitis instituit? Pulchrè D. Ambrosius, sermone 69. rationem insinuat, dicens. *Si ergo Petrus petra est, super quam ædificatur Ecclesia recte prius pedes sanat, vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita in hominem membrorum fundamentum confirmet.* O te fœlicem, in quo sic respondet opus officio; sic in operibus tuis proditur à Deo acceptum munus. In fundamento Ecclesiæ quid nisi fundamenti opera expectari licet? In ijs, qui vngente Spiritu, sacros ordines attingunt, ordo in omnibus eorū operationibus effulgeat. Sic monebat D. Dionysius Areopagita, cap. 1. de Ecclesiæ Hierar-

*Hieron.*

*Basil.*

*Bernard.*

*Act. 3.*

*Ambros.*

*Areop.*

chia,

chia, dicens. *Qui Sacerdotem dicit augustiorẽ, prorsusque diuinũ, insinuat virum totius sanctæ conscientiæ paratissimum. In quo liquidò, ac perspicue sacratus omnis ordo suus, & perspectus sit, & possit agnosci.* Sic diuini Spiritus conuersiones luce ipsa clarioresfiant, vt qui à Spiritu inunctus est, nihil efficiat quod sacram non redoleat vnctionem, diuinum non referat munus. Iuxta hęc claret. D. Athanasij acumẽ qui in Exort. Monach. sic monebat. *In omni igitur actu vestro quasi speculo relucente fulgete.* Quid est fulgere in operibus, quasi in speculo? Sanè speculum propriã, cuique refert formam, & speciẽ. Sic viri boni actus, & opera, specula sunt, in quibus munus, & dignitas, & status operantis velut in speculo fulgida appareant.

Athan.

## §. IX.

### *Post Spiritus Sancti aduentum amor hominum erga Christum, vt maximè Deum commendauit, & celebrauit.*

SCIRE modò gestio, cũr igneum amoris hunc Spiritum Christus distulit communicare, vsque dum redemptionis opere confecto ipse requiesceret ad dexteram Patris. An necessum fuit, quòd humanitatis nubes è terra eleuata superis regionibus obijceretur, vt tantum fulmen in terras parturiret? An præsens in mundo discipulorum in se amorem fastidiebat, quem absens communicato Spiritu accendebat, & exoptabat? Sanè, & glorioſiùs & commendabiliùs amabatur post longissimas curas, post durissimos labores exãtlatos, & ideò honorificentissimum sibi amorem humanis incordibus inserit, cùm omnia salutis beneficia perfectissimè cõfecisset. Is namque amor Deum maximè commendat, qui antiquatis beneficijs extorquetur. Apud Matthæum quærenti de maximò præcepto, & ijs, qui toti erant in meta decimanda, hoc responsum dedit Christus Dominus. *Diligis Dominũ Deum tuum ex tota anima tua, &c.* Quasi iam Saluator mundi, verusque Deus amorem ab humano pectore requireret. Vndè acutè, & eleganter Tertull. lib. 4. conuincit Marcionem de vetustate Christi, quòd minimè nouus, & recens Deus tunc existeret: sic enim inquit. *Cæterum nec tempus admisisset, vt Christus tam præcoquam, imò tam acerbam adhuc dilectionem expostularet, nouo & recenti Deo nec dixerim nondum palàm facto.* Quippe dilectio, quæ tunc primum nouis, & à Deo nouo datis beneficijs incipiebat extoqueri, non tanti honoris, non tantæ gloriæ erat ipsi nouo, & recenti benefactori, sic & ab illo non magni æstimaretur. Quando illa solum dilectio ab hominũ corde ex torta dignè afficit Deũ, illumque maximè commendare queit, quæ per antiquis, & largis beneficijs sollicitata venit. Ecce tibi quo nomine condecoret, & illustret Deum ipsum amatrix Sponsa eius, Cãt. 1. *Indica mihi quem diligit anima mea.* Non vocat, maxime Deorum omnipotens, & immortalis, & alia eiusdem; sed omnibus his gloriosis cognominibus reiectis, id memorat, quod glorioſius, & honorabilius Deo accidere prænoscebat, ait enim. *Quem diligit anima mea.* Quod pulchrè elucidans Nyssen. homil. 2. fatur. *Nomen ergo tuum, quo tua cognoscitur bonitas, est mea animæ erga te beneuolentia. Quomodo enim te non diligam, qui me sic dilexisti, etiam si adeò nigra essem, vt animam tuam posueris pro ouibus: quas tu pascis.* Glorioſissimũ Deo cognomen est, quòd ab homine dicatur dilectus; sed quo amore? an nuperis beneficijs, & recentibus extorto? Absit; sed & nuperis, & antiquis, quòd nos dilexit antiquitus Deus, quòd modò nos pascit: sed & quòd Agnus ab origine mundi occisus animam suam pro nascituris posuerit. Ante nos sanguine Agni perfusos nouimus, quàm natiessemus: ante mundi originem salutis nostræ consumatorem diligimus. O honorificentissimum Deo amorem! Gloriabatur Deus Optim. Maxim. de obtento amatore Cyro Rege, vtpotè ait Isaias cap. 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexterã, &c.* Et quidem Cyrus populo Israelitico fauit, cui & Alexander, & Romani, & alij Reges faueresed de nullo ita gaudet, & gloriatur Dominus, vt de Cyro. Pulchram huius rei rationem reddit Rupertus lib. 8. de Glor. Trinitat. & proceſſ. Spiritus sancti, cap. 10. fatus. *Et quidem nihil altius Cyrus intellexit, nihil supra quàsiuit, & hoc sufficit ad captandam eius beneuolentiam populo illi, quòd Deus eorum ante tot annos per Prophetam suum, de ipso, videlicet, Cyro tam magna prædixit, vt ea semetipsum facturũ illi promisit.* Glorioſa, & honorabilis accidit Cyri beneuolentia, vtpotè extorta vetuſto, & antiquato beneficio, antequam Cyrus esset, iam Deus illi parabat imperium: quod ſtupens Cyrus in tanti numinis amorẽ exarsit, qui amor Deo ex causa extitit gratiſsimus, & honorificentiſsimus, quando extortus erat vetuſtiſsimis beneficijs. Hinc Salomoni filio Deum commendabat Dauid apud Ioſephũ. lib. 7.

Matth.

Tertull.

Cant. 1.

Nyſſen.

Rupert.

lib. 7. cap. 11. dicens. *Ergo quandoquidem à Deo designatus es Rex antequam natus, da operam vt alioquim etiam dignus sis eius prouidentia.* Nulla enim re sic affici debemus, quàm præpropero, & antelucano in nos Dei amore. Siquidem Deus ea sibi facta seruitia pluris æstimat, quæ antiquissmis præmissis beneficijs extorsit. *Ioseph.*

## §. X.

## *Spiritus sanctus Dei similitudinem perficit in homine.*

HVC reuoco illùd semel, & ter ex D. Iacobo dictum, vbi à Patre luminum, siue igneo Spiritu profectũ dicitur, omne datum optimum, & donum perfectum. Quippe Spiritus sanctus est, qui omnia complet, omnia decorat, ad perfectionemque deducit. Sic Pater 2. Genes. loquebatur. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, quasi in hoc summa esset hominis perfectio constituta, quod ad imaginem, & similitudinem Dei fieret. Igitur homo factus est: num illam similitudinis diuinæ perfectionem attigit? Sanè imagine decoratus diuina, similitudinem, quæ per bona opera, iuxta Basil. perficitur, non obtinuit, donec Spiritus sanctus se se illi infudit. Etenim ait textus: *Et creauit Deus ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum:* nec verbum facit de similitudine: quod obseruans Rup. inquit. *Non peruenit ad similitudinem Dei, quia non imitatus est donum Dei. Memor igitur hic Spiritus sanctus illius propositi, ecce venit ad partem suã operãdã, ad facturã hominis perficiendã, vt perduceret hominẽ ad similitudinem Dei.* Hæc enim est Spiritus sancti pars, vt Dei opus perficiat, vt diuinam in homine similitudinem collimet, & perfectè exprimat, quandoquidem imperfectũ est quicquid hunc diuinum halitum requirit. Fideles illi, qui in Apost. Act. baptizati aqua inquiũt. *Neque si Spiritus sanctus est, audiuimus.* Meritò iterum ad Baptismã accipiũtur, vtpotè imperfectè Christianitati adscripti. De quibus D. Hieron. in cap. 2. Ioelis sic fatur. *Iterum baptizantur, imò verum baptisma accipiunt, quia sine Spiritu sancto, & mysterio Trinitatis quicquid in vna, vel altera persona accipitur, imperfectum est.* Hoc Spiritu perfecta Dei similitudo terrenis cordibus imprimitur, & exprimitur, adeo vt ipse Deus homo Christus sibi substantialem Dei similitudinẽ inustam, & perfectissimè per vnionem hypostaticam impressam ostendit ab operatione diuini Spiritus. Ait enim Psalm. 61. *Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit me.* Ecce tibi sacrosancta Christi Domini humanitas ex eo quòd assumpta est à persona diuina, totoque sanctitatis, & perfectionis vnguento delibuta ostendit in se diuinũ Spiritum operantem. Sed quid tunc diuinus Spiritus? Doctè D. Athanas. epist. ad Serap. inquit. *Ipse autem Spiritus, & sigillum, & vnguentum est, in quo omnia inungit, & sigillat verbum.* Et quidem ad duo inuentum fuit sigillũ officia: primo operis perfectionem, & vltimam manum imprimit; altero imaginem, & similitudinem exprimit opificis. Pater, & verbũ opifices sunt omniũm rerũ; omnia enim per verbum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Tantorum opificum sigillum est Spiritus sanctus, cuius est, & perfecti onem, & similitudinem Dei rebus creatis imprimere. *Genes. 2.* *Rupert.* *Act. 19.* *Hieron.* *Psal. 61.* *Athan.*

## §. XI.

## *Spiritus sancti munera timorem maximum nobis debent incutere.*

MAgno Ecclesiæ bono Spiritus sanctus sua largitus est munera sub specie ignis, vt quò quis de munere effertur, eò timeat sub igne. Honestaturus Deus populum Israelis, & lege sua nobilitaturus, totũ Sina montẽ igniuit: quod notans D. Cyrillus Alex. in hom. Ephesi habita, inquit. *Descendit vniuersorum Deus in monte Sinai in specie ignis, & cur quæso in specie ignis? Sanè quando illis promulgaturus erat legem, tunc salubriter admodum in ignis specie descendisse visus est, nempe quo hinc transgressores illius intelligerent, rẽ sibi cum igne fore.* En quàm salubriter Spiritus diuinus infunditur Ecclesiæ sub specie ignis, vt sibi caueãt quicũque eius dona, & munera participãt, scientes rẽ sibi cũ igne fore. O quàm sibi cauent quicũque tractant ignem! quàm metuitur ignis periculũ! sic metuant ne necessum est Spiritus sancti munera: fallor nisi Spiritu diuino cãdidatos monebat illud 3. Reg. 20. nimirũ. *Non glorietur accinctus, æquè ac discinctus:* quasi periculũ sit in accipiẽdis muneribus, vt rectè explicat Abb. Cell. lib. de Panib. c. 7. his verbis. *Securè namque gaudet de munere, cui ipsum nihil posse perdere datum est in cœlesti remuneratione; periculosè autem exultat de dono, cui maior accrescit sollicitudo cum dono.* Expendè ab illis, periculosè exultat, vbi prudentissimè periculum notat illorum, qui ad Spiritus sancti functiones, qui ad Ecclesiæ *Cyrill.* *3. Reg. 2.* *Cellens.*

munera læti áccedùnt neſcientes rem ſibi cum igne futuram. Non exultandùm, ſed timendum, ſed trepidandum eſt ijs, qui diuini Spiritus muneribus funguntur, quaſi qui tractent ignem. O egregium Nazian-
*Nazian.* zeni Antiſtitem Gregorium: is cùm Pontificali apice decoraretur, inter populi plauſus, inter feſtos dies ait de ſe. *Eodem modo affectus eram, quo pueri circa fulgetras, ex quarum ſpectaculo coniunctam cum admiratione, ac ſtupore voluptatem capiunt.* Meditabatur ſanctus Antiſtes ſplendens munus, ſed igneum, & quanto rapiebatur ſplendore, tanto timebat ſub igne. Nonne perſtrepentibus fulgetris, & euolantibus exultat puerorum turba? Et tamen quia ignem eiaculant, ſub metu pueri ipſi ſunt, ſicque ſe comparant, & componunt ad ignea gaudia, ne pro gaudijs dolorem accipiant. Ita quicumque ſapis, diuini Spiritus habeto munera, in quibus maximè extimeſcas ignem. Quod pulchrè idem Nazianzenus monet, oratione in ſanctum Baptiſm. fatus. *Dum ſecundo vento nauigas, naufragium time, & minus naufragium facies, adiutorem ac ſocium tibi timorem aſciſcens.* O
*Idem.* quàm ſidus ſocius timor eſt! O quàm ſine timore res eſt plena periculis! Huc re-
*D. Zen.* fert D. Zeno, ſerm. 1. in Pſalm. 118. cauſam, cur Dauid toties pepercerit Saulli, vel in manibus habito, vt videlicet illo viuente, ſecum ſemper haberet timorem ſocium fidiſsimum. Etenim ait: *Dauid Regem aliquoties à Deo in manus traditum ſibi, mauult ſemper timere, quam occidere.*

## §. XII.

### *Nemo vni ſibi Spiritum veritatis aſſumat in doctrinis tradendis.*

NON me contineo, quin in præſenti ſubijciam diſcrimen illud, quo diuinus Spiritus ſuper Chriſtum Dominum apparuit, & quo venit ſuper diſcipulos. Equidem ad Dominum ſub integra, & perfecta figura columbæ ales volabat, quia Chriſto Ieſu vni, & ſoli integra, & perfecta inerat Spiritus plenitudo. Verùm Apoſtoli non integri alitis figuram, ſed ſolum linguas, eaſque diſpertitas, ſiue diuiſas receperunt ſinguli: etenim poſt Eccleſiæ caput, qui ſunt membra Chriſti non ſibi tantum doctrinæ arrogent verba; imò putent doctas linguas diuidi à Dei Spiritu inter plures. Fallor, niſi hucreſpiciebat Hierem. dum monet. *State in vijs Domini, & interrogate ſemitas Dei æternales, & videte quæ eſt via bona, & ambulate in ea.* Expendo, quod viæ bonæ indicium non vnius ori credidit; ſed per plura diffudit; ſtate, ait, in vijs, & interrogate ſemitas, non dixit, ſtate ſolùm in via aut huius, aut illius Doctoris ſapientiſsimi; ſed ſtate in vijs, nulli enim membro poſt caput integra veritas credita eſt; ſed veritatis ſpiritus diuiſim perplures effuſus eſt. Ab hoc ſenſu ſtat D. Zeno, qui allata Hieremiæ verba ſic expendit in Pſalm. 117. dicens. *Multæ itaque viæ interrogandæ* *Pſal. 117*
*ſunt, & in multis inſiſtendum eſt, vt vnam, quæ bona eſt, inueniamus, per multiorum, ſcilicet, doctrinam, vnam viam vitæ æternæ reperturi.* Vna eſt veritas, vnum vitæ æternæ bonum; ſed qui ad veritatem optat peruenire, non ſe vnius adſtringat linguæ, nec extra vnius linguàm mendacia diſſeminata putet, imò per plurium linguas veritatis, ſpiritus ſonat; & plures adeundæ ſunt viæ, vt integer veritatis acquiratur ſpiritus. Odi ſemper eos, qui ſub Chriſti iugo cùm ſint, adeò ſibi creditam veritatem putant, vt cæterorum omnium reputent mendacij linguas. Hos pungit, & ſapientiſsimus, & modeſtiſsimus Nazianzen. oration. de Moderat. in diſput. ſerù inquiens. *Turpe eſt profectò cùm in veſte, ac victus ra-* *Nazian.*
*tione non munificentiam, ſed vtilitatem amplectaris, ac genum callo, & lacrymarum fontibus, ieiunijs item, & vigilijs humilitatem, infirmitatiſque tuæ ſenſum oſtendas, ac præ te feras, in diuinis diſputationibus principatum ac tyrannidem tibi vendicare; nec cuiquam omnino faſces ſubmittere, ac ſupra omnes legis Doctores ſupercilium attollere: vbi humilitas non ſolum gloriam habet, verùm etiam ſecuritatem.* Quàm longè aliter Moyſes, & vnicus erat legis Doctor, & ſolus populo fundebat oracula; tamen audiuit à Domino, Num. 11. Congrega mihi ſeptuagi- *Num. 11.*
ta viros de ſenioribus Iſrael, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint, ac magiſtri, & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, & facies ibi ſtare tecum. *Vt deſcendam, & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis.* Nec indigne tulit, quòd doctrinæ ſpiritus per plures diuideretur, imò tunc præclarè actum eſſe putauit, cùm non ipſe ſolus oracula fundebat. Id quod meditatus Rupertus libro 6. de gloria Trinitat. & proceſs. Spirit. ſanct. cap. 19. inquit. *Mira* *Rupert.*
*pietas Dei, mira benignitas Moyſi. Quo enim alio modo melius ſatis populo facere potuit,*

*quæ-*

*quatenus viderentur non velle solus gloriari?* Noluit solus doctrinæ gloriam habere; sed gauisus est, quòd doctæ, & sapientes spiritus linguæ per plures diuiderentur, quo & modestiam suam, & Dei benignitatem circa populos maximè commendauit.

## §. XII.

### *Spiritus veritatis per humanas linguas Sanctorum PP. hauriendus.*

VNus Dominus mentem alitem à cœlo accepit, cæteri omnes per humanas sunt informandi linguas, vt certæ veritati possint habere fidem. O quam errat, qui hominum calculum fugit in concinnanda doctrina, ecce tibi spiritus diuinus doctrinæ publicandæ instrumenta, nempe linguas per Sanctorum Patrum ora distribuit. Quis mentis compos aliunde veritatem inquiret? Gentium Doctor Paulus, & in cœlum raptus est, & ibi arcana verba audiuit, tamen Apostolos adit, cùm quibus vtiliter confert doctrinam. Id quod expendens D. Bernard. in vita Malach. inquit. *Nonne Euangelium suum, quod non ab homine acceperat; sed à Christo; cum hominibus tamen censuit conferendum, ne forte in vacuum curreret, vel cucurrisset?* Vbi Spiritus sancti linguæ per Ecclesiam effusæ sunt, metuat quisque illis ab ore hominum auscultandis non incumbit. Nonne hoc fidelium indicium dederat ipse Paulus ad Ephes. cap. 2. nimirum, quòd sint *ædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Iesu Christo?* An respuet quis humanas manus, hominum ædificationem, vt per se immediatè adhærescat angulari lapidi Iesu? Doctè D. Pacian. illud explicat fidelium indicium epist. 2. ad Sympronianum, dicens. Iam illud attende, an hæc potissimùm ædificata sit in fundamentis Prophetarum, & Apostolorum ex angulari lapide Iesu Christo. Si non illa migrauit, *si non sibi magistros, & propria instrumenta constituit, si quid insolitum argumentata est, si quid noui iuris inuenit; planè tunc à Christo recessisse videatur, tunc extra Prophetas, & Apostolos confluisse.* Vbi Doctoribus, Patribusque despectis insolita argumenta infert, noua sibi à Deo infusa præsumit, ò quàm à verò quisque deficiet! Oseas cap. 12. ait Dominus. *Ego visiones multiplicabo, & in manu Prophetarum assimilatus sum.* Quasi edicat vndè sunt sumenda diuina oracula, nimirum, è manibus Prophetarum; non è proprio cerebro, non ab alite è cœlo delapsura expectanda; sed per opera, & doctrinas Sanctorum fugenda. Quo premit Origenem, S. Theophyl. Alexand. epistol. Paschali 2. fatus ex illo Oseas. *Nec Prophetarum chorus hæc eum instituit; sed ipse suæ mentis arbitrio furori dæmonum seruiens, & blando cogitationum errore deceptus, gregem, & vt ita dicam, examen dogmatum peruersorum per totum orbem immisit: vsus est enim auctore pessimo, aura populari.* O vtinam vteretur duce igneo Spiritu! duceretur enim ab illo, non ad blandum suarum cogitationum errorem; sed ad linguas per Sanctorum ora resonantes, à quibus hauriret sanam, & securam doctrinam. Caue tibi à cogitationibus tuis, caue ab aura populari, attende igneo Spiritui, stude Sanctorum linguis, quicumque securus cupis existere. Ecce quem Paulus prædicabat: dicit enim: *Inuenimus illum, de quo scripsit Moyses, & Prophetæ.* Non enim ausus est de Iesu verba facere, sine Patrum calculo. Vbi D. Athanas. aduersus eos, qui nec quærendum, nec loquendum ex Scriptura præcipiunt, sic fatur. *His vocibus Paulus ad stabiliendam veritatem vsus est. Quòd si Paulus, is qui arcanorum mystam egit; is qui Christum in se habuit loquentem priuata sibi auctoritate citra sacrarum literarum testimonium nihil simpliciter sumpsit; cui non periculosum nunc fuerit curam diuinæ legislationis abjicere, & natas in cerebro nostro opiniones proferre?* Hæc ille, & sapienter: accinit Psalm. 103. *Super illas volatilia cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces.* Tunc enim pennata ingenia placent, quando de medio petrarum, de Apostolicis resonant testimonis D. Augustin. *Audiantur ergo de medio petrarum dantes voces. Nihil suauius tali voce alitum; illæ sonant, & petræ resonant. Resonant petræ testimonia, respondent Scripturæ.*

Oseas.

Theophyl.

Athanas.

Psal. 103.

August.

# CAPVT IX.

## De manifestato à Domino mysterio Trinitatis.

FINEM Christianis laboribus imponat diuinissimæ Trinitatis manifestatio, hoc enim triplici funiculo Dominus acquisitum sudoribus populum colligauit, ne vlla hostilis irruptio timeretur amplius. Ecce tota Christi œconomia paucis describitur. 2. Reg. 23. *Sedens in cathedra sapientissimus Princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.* Quippe debellatis aereis potestatibus, iam regnans à ligno Iesus Virgine satus esse vnam è tribus diuinis personis publicat, perspicuamque beatificæ Triados perdocet cunctos mortales doctrinam. Euge, Christe sapientissimè orbis Magister! Te monstrante, Apollinis euanuit tripos, nobisque vnus, & trinus Deus illuxit, à quo & vera oracula funduntur, & omnigenam fugimus virtutem.

2. Reg. 23

*Ad illud Matth. vltim.* Baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti.

### §. I.

### *Quæ in salutem propinantur simpliciter, & perfectissimè colenda, argumentatrici rationi minimè commendanda.*

ECce de abscondito Trinitatis mysterio integram materiam, quàm paucis tradat omnium magister creaturarum. Quippe ait, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, triplicem personarum aspectum sub vno claudens nomine, & essentia Deitatis. Cur non de personarum notionibus; de Patris innascibilitate, de generatione Filij & Spiritus sancti, siue actiua, siue passiua aspiratione, ex tunc pullularunt longissima commentaria? Cur ex tunc non numerati sunt Theologis aspiratores? Cur non explicatum generationis, processionisque discrimen? Cur perspicuis rationibus non propalata consubstantialitas? Dabatur Triados mysterium non ingeniorum examen siue periculum; sed in salutem animarum, & ideo vt simpliciter tradebatur, sic sincerè excipiendum, & credendum erat; non scrutandum. Prouerb. cap. 9 dicitur: *Sapientia ædificauit sibi domum*: nimirum, parturiuit doctrinæ plena per totum orbem gymnasia, *scidit columnas septem.* Hæc sunt doctissimorum magistrorum subsellia, & cathedræ, vt latè probat eruditissimus noster Pineda, lib. 3. de rebus Salomon. cap. 28. Quid tunc? Erectis gymnasijs, cathedris institutis per orbem, *immolauit victimas suas: miscuit vinum, & proposuit mensam.* Iam hanc mensam, eiusque sapidissimos dapes explicat Anasthas. Nizenus, *cognitionem Trinitatis.* Proh Deus immortalis, non è columnis, non è cathedris Trinitatis effulget mysterium; sed è mensa datur saporaturum affectus humanos. O quam macrescunt inter Sciolorum argumenta, quæ ad saginam dantur animarum. Me in præsenti sustineant sapientes dum explico D. Paciani locum, epistol. 2. ad Sympronianum Nouatianum. Vbi sic prudentissimus Theologus. Age inquies certemus exemplis, & ratione pugnemus. At ego hucvsque securus ipsa Ecclesiæ seriè, congregationis antiquæ pace contentus; nulla discordiæ studia didici, nulla certaminum argumenta quæsiui. Tu postquam à reliquo corpore segregatus es, & à matre diuisus, vt rationem facti tui redderes, *totos librorum recessus assiduus scrutator inquiris: occulta quaque sollicitas, quicquid exinde securum est inquietas. Nostri nihil vltro disputauere maiores, nuda est apud nos ipsa securitas.* Hæc Pacianus: rectè notans argumentorum certamina circa salutaria instituta, & mysteria inquietanda non à pijs, sed ab impijs introducta esse. Qui vt securissima salutis præcepta, & mysteria inquietarent, totos librorum recessus scrutabantur, si qua eliteratæ paginæ vetustate, & absoluti vocabuli ponderatione nouam suam doctrinam facerent canescere. Nonne sic vsque modo multi, sapientes dicam an Scioli? præcepta diuina, salutaria Eccle-

Prou. 9.

Pined.

D. Pac.

siæ, siue religionis institutæ fastidientes, quæ magno animi bono sincerè ad amussim seruarent; ea vt corrodant totos librorum recessus inquirunt, occulta quæque sollicitant, & quicquid ex inde securum est inquirant? Sanè maiores nostri nihil disputauerunt; sed ad amussim omnia seruabant, omnia perfectissimè implebant; nos per librorum recessus salutaria instituta instillata fugentes heu, quàm miserè macrescimus. Iam ex Hieronymi versione adest locus Ecclesiastici 12. sic monentis. Verba sapientium, vt stimuli, & quasi claui in altum defixi, habentibus cœtus: *data sunt à Pastore vno. Et amplius ab ipsis fili mi cauè faciendi libros multos, quibus non est finis: & meditatio plurima labor est carnis.* Expende à quo tradantur salutaria dogmata; nimirum, *à Pastore*, hoc est, non ab eo, qui quærat examen; sed qui pabulum salutis paret. Non pro rostris, non pro cathedris; sed pro mensis; sed pro pascuis accipienda diuina mysteria, & instituta salutaria. Quod à pastore in augmentum salutis accipis, ne argumentum duellis tradas, ne pugnaci librorum myriadi committas. Sic locum, & rem explicat D. Hieronymi. dicens: *Exceptis his verbis, quæ ab vno pastore sunt data, nihil facias, nihil tibi vendices, maiorum sequere vestigia, & ab eorum auctoritate non discrepes. Alioqui quærenti multa infinitus librorum numerus occurret, qui te pertrahat ad errorem, & legentem multa frustra faciet laborare.* O quam viuida primitiuorum Christianorum fides, vbi diuina mysteria simpliciter, & sincerè hauriebantur, nec discordiæ studia, nec certaminum argumenta, nec commentatorum longitudines noscebantur. Ibi Deus, Trias, Lex, mensa erat, Pascua erat, nutriens, & perficiens animas. O quàm vigebant Religiosorum ordines, vbi à pastore suo acceptis institutis nihil addebant, neque eripiebant: sed omnia sincere seruabant. Vbi ad commentaria ventum est, vbi disputatrici licentiæ instituta tradita, infinitus librorum numerus profilit statim in certamen, qui te in errorem trahant. Heu quoties dolui, qui sacris institutis per totos librorum secessus scrutantes detrahebant occulta quæque in obsoletis codicibus sollicitantes, & quicquid securum est inquietantes!

Hieron.

## §. II.

### *Vnitas maximè necessaria saluandis.*

REnascentibus ex aqua in vitam immortalem meritò obijcitur in primis sub arctissimo vnitatis essentialis vinculo personarum diuinarum pluralitas. Quæ rei ratio? Pulchrè eam insinuat Diu. Anasthas. Synaita, lib. 1. Exam. fatus: *In primis discimus mysterium Trinitatis in baptismate, cum quo mysterio vitam quoque Deo gratam discimus.* Sanè apud exteros eo habitu Dij objiciebantur, quem sibi in adoraturis pergratum fore maximè significabant. Vnde Lacedæmonij, & Deos, & Deas armis horrentes effingebant, vt visis Dijs, ait Alexand. ab Alexand. *Ne inuenies nisi armati deprecarentur*; rati armatis Dijs minimè placere sine armis. Hinc mentem elicio Anasthasij: initiamur enim Christiani sub Deo vno, & trino, vt vitam Deo gratam discamus, & ne quid ab eo Deo petamus, in quo est cum pluralitatis differentia perfectissima vnitas; nisi perfecta animorum vnitate coarctati. Plures personæ sunt vnus Deus, quicumque huic Deo & trino, & vni inseruiunt, hunc induant vnitatis habitum. Hinc veri Dei cultores perfecti antiquitus Catholici vocantur: cuius nominis explicationem tradens D. Pacian. epistol. 1. ad Sympronianum, sic fatur. De Catholico nomine multa respondi facilè; atsi vim nominis postulares quodcumque illud esse mirificum, *seu vnum in omnibus, seu vnum super omnia, seu quod ante non dixi filius Regis, id est, populus Christianus.* Expende quam diuina sit nomenclatura populi Christiani, dum Catholicus dicitur, nimirum, *vnum in omnibus*, sub quo vnitatis habitu Dei in Trinitate vnius veri adoratores prædicantur, sine quo nihil ab illo auderent expectare. De Annæ matris Samuelis coniuge dicitur 1. Regum, cap. 1. *Erat vir vnus de Ramatha.* Quæ verba præmens Origen. homil. vnic. contendit hoc esse solemnissimum iustis viris, quod omnes vnus vocentur. Ait enim de iustis; omnes competenter vnus dicuntur. Et cur non omnes vnus dicantur, quorum cor, & anima vna describitur? *Vnde meritò, & ipsi omnes non solum vnum, sed vnus dicuntur, sicut*

Anasth.

Pacian.

1. Reg. 1.

1. Cor. 9. cut Apostolus designauit. 1. Cor. 9. dicens, omnes quidem currunt; sed vnus accipit palmam, vides manifestè, quia omnes iusti vnus est, qui accipit palmam. Et quidem salutis palmam non accipiet, nisi qui hac vnitate vixerit. Quem perditam minabatur Dominus in salutis caulè, sed nihil illi prius suggerebat, quam hanc intimam cum proximis vnitatem. Sic Matth. 26. de Iuda proditore aiebat. *Amen dico vobis quia vnus vestrum me traditurus est.* Quid ais Domine vnus vestrum? nonne proditor iam à discipulatu discesserat? non sese dederat in membrum diaboli? cur adhuc à te dicitur vnus Discipulorum? Pulchrè D. Ans. ait. *Ex magnitudine misericordiæ suæ voluit Deus proditorem Discipulum ad pœnitentiam reuocare, occultis videlicet notationibus, minis, Sacramento vnitatis.* Relicturus saluti aditum, hanc illi suggerebat viam, quod vniretur fratribus; ille enim desperare solum potest de salute obtinenda qui sese elõgat ab vnitate fratrum. Quo vnitatis habitu induti respulsam, non patimur à Deo trino & vno, imo ei similes, eius consortio fruimur. Nõne audis septẽ filios Iob, & tres filias æterna esse beatitudine candidatos? Sed quæ illorum narratur virtus? quæ facinora, ob quæ repẽtino interitu rapti putentur cœlestem gloriã adepti fuisse? Sanè audis illos quotidie vnanimiter conuiuijs vacare, & exinde suspectos fuisse parenti, qui veritus conuiuiorum pericula Deo anxius pro filijs litabat, si fortè peccauissent. Et tamen nõ dubitans ad salutem illos peruenisse, solo quidem suffragio vnanimitatis manifestato. Sic Orig. lib. 1. in Iob dicit. Septem filij Iob, & tres filiæ. tanquam vna anima indiuisi conuixerunt in vnanimitate, quæ tanta fuit, vt inuidus dæmon facilius omnes pariter interficeret indiuisos, quam diuidere, atque dissociare benignam eorum vnanimitatem posset. *Erat namque cor eorum, & anima vna. Propterea cum sanctis in perpetuo nominantur, propterea cum iustis in æternum requiescunt, propterea cum Angelis indeficienter laudabuntur.* Sic ex solo vnitatis fraternæ suffragio interempti à dæmone filij Iob beatitudinem adepti reputantur. Vide lib. 3. cap. 8. §. 40. ex lib. 4. ca. 4. §. 23. & alibi.

Anselm.

Origen.

## §. III.

### *Tenax recti, & sibi semper constans, & vnus sit vir.*

PRoh immensam diuinæ Essentiæ perfectionem nulli varietati subiectam, nulla differentia variabilem! Ea proculdubio est diuinitatis perfectio, quæ & in innascibilitate Patris, & in generatione filij, & in processione Spiritus sancti, media tanta personarũ, notionumque varietate, illa eadem, & sibi constans vndequaque manet. Accipite Theologum Nazianz. orat. in Bapt. Vbi sic fatur. Fidem in Patrem & Filium, & Spiritum sanctũ tibi hodierno die committo. Hanc tibi do totius vitæ comitem, & tutricem: *vnam diuinitatem, & potentiam in tribus coniunctim, vndequaque æqualem, vndequaque eandem. Non secùs atque vna, & sibi constans est cæli pulchritudo, & magnitudo.* Ecce inter quã diuersas, inter quã appositas personarum differentias, & varietates Essentia diuina eadem, & sui similis per omnia appareat. Nonne ex quacumque mundi regione, ex mari, ex terra si cælum spectes, idem cœlestis color, eadem amplitudo, & pulchritudo tibi obijcitur? Post noctes, post conglomerata nubila, post eclypses, non idem cæli aspectus tibi sistitur inuariatus? Sic Essentia diuina inter oppositiones personarum vndequaque eadem effulget, & apparet æqualis. Iam hinc D. Zeno, serm. de Patient. deplorat vnius hominis miserandas vices, qui cum naturæ diuinæ æmulus conditus sit, vnus inter omnes creaturas ab inuariabilitate diuina abest, quam longissimè. Ait enim: Sol quamuis mira celerirate alternans mundi metas illustret, tamen nunquam dilectam, verecũdamque auroram anteuerterit; quidquod, maius est duodenis, non dicam spatijs, sed momentis horarum æquabiliter se partiri non posset, si impatientia suos cursus vrgeret. Luna quoque, quæ quibusdam errare videtur curriculo mẽstruali, solemnes suæ ignes ætatis, quod nunquam præroget importunè, nec derogat, quid aliud intelligi datur, quã sui opificis moderationi deseruiens peritissima insignis patiẽtiæ disciplina? Sed & mare ventis lacessitum quum irascitur, quamuis reciproca vicissitudine, nunc pulsatibus cœlum, nunc requirentibus terram æstuantibus vndique vitreis armatum montibus, violentis vndarum sæuientium cumulis, toto corpore insaniat, tamen extremorum pallido ex recur-

Naz.

suo-

su voluminũm quasi ius terræ cognoscens, ac violare deuitans mira patientia in se frangitur, eisdemque fluctibus quibus cogitur frænatur. Hęc germinantibus pratis, messibus flauis; vitibus curuis, semipallidis oliuis felicitatem præstat, & gratiam, cum vniuscuiusque temporis fetus partu crudo in alterius contumeliam impatientia non finit præcipitare. Quid animum diuersarum decora commercia littoreaque? Quid arduis volatilibus aeria grues? Quid piscium dissimilium cum suis sibi ductoribus gradatæ ætatis innumerabiles cunei? Nonne cum inuitationi temporum parent, solemnisque remigis speciosо discursu, vel aquas sulcant, vel aera distinguunt, & patienter veniunt, & patienter excedunt? *Solus homo præceps, solus impatiens, prauis quotidie mobilitatibus gaudet, varietatibus fluctuat: miserum se putat, si ipse sit.* Heu miseram hominis conditionem, qui solus debebat naturæ diuinæ se qui inuariabilitatẽ! solus ipse varius, & multiplex efficitur, solus ipse laborat mobilitatibus; & huc spectat singulis momentis, ne ipse sit; sed vt alius, & alius fiat. Hanc pũgebat mãlitiam Moyses, Deut. cap. 6. fatus. *Audi Israel Dominus Deus tuus vnus est.* Quæ verba præmens D. Ambr. epist. 1. ait. *Et tu ergo ad similitudinem Domini vnus esto. Nõ hodie sobrius, cras ebriosus, hodie pacificus, crastina die litigiosus. Esto sicut imago indidracma immutabilis eũdem habitum seruans quotidie.* Cur te multiplici figura varias? Cur insultæ Dei imagini in animo tuo detrahis? Sanè nil Deo gratius, quam vna, & sibi constans natura, nil dæmoni similius, quam multiplex in vno homine vultus? Audi summum de iusto viro elogiũ, 1. Reg. cap. 1. *Fuit vir vnus de Ramathain Sophim, de monte Ephraim, & nomen eius Elcana.* Nõ parua laus viri, quòd sit vnus, namq; peccator crebris, & multiplicibus sese variat vultibus, tot quotidie induit personas quot mores, modo leo, modo sus, modo aper apparet, modo diuinus æthera scandit, iã brutus terreniscupiditatibus inhiat. Nõ sic iustus, sed semper idẽ, & sibi cõstans semper vnus, *& nomen eius Elcana.* O dignum nomen viri, qui vnus & idem est! Enim verò Elcana idem est, *ac possessio Dei.* Accipe modo Orig. in lib. Reg. hom. vn. sic differentem. *Certum est quod ille, de quo dictum est, quod vnus esset vir, possessio Dei est, & non possessio dæmonum. Quem enim dæmones possident non est vnus, sed multi, sicut & ipsi dæmones de eo quem possidebant responderunt dicẽtes, quia legio nomen est ei.* Troiano equo similimus peccator armatis grauis legionibus incompositam multitudinem præsefert, felix ille vir, qui inuariabilis, & vnus semper in Dei seruitio perseuerat, huius possessor est Deus.

Deut. 6.

1. Reg. 1.

Nonne decem leprosi ad Iesum sanitatis obtinendæ causa venere? ab illo ad Sacerdotes remissi sunt, & dum irent salutem acquirũt. Tunc notat Luc. c. 17. dicentes. *Vnus autem ex illis, vt quia mundatus est regressus est cum magna voce magnificans Deum.* Quippe decẽ Christum conuenere, decem à Christo mundati sunt; sed nouem post salutem Christum obliuiscuntur, in alia discedunt. Vnus ex illis vir ante salutem, & in ipsa acquisitione salutis, & post salutem acceptam manet vnus, & idem in prædicando Christum perseuerat. Ita D. Anselm. *Quod dicitur vnus, intelligendum est non diuersis se voluntatibus varias, sed in vna Deo placendi voluntate perdurans.* Sic veri diuinitatis æmulatores sibi constantes, & ipsi sub quacumque rerum varietate perseuerãt. Quo itẽ spectauit Dauid Psalm. 118. dum dicit. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes, quãdo consolaberis me.* Expende quod oculi dicũt quando consolaberis me, cur non potius nos? Sanè iam inde percutietur spõsus in vno oculorum istorum. Pulchrè D. Ambros. serm. 11 num. 2. inquit. *Si oculi isti significati sunt,* quibus cernimus dicere debuerunt, quando consolaberis nos; hoc est, non singulariter, sed pluraliter, sed quia oculus mentis, & oculus carnis vnus oculus fiunt, & tunc homo consolatione fulcitur, cum caro & mens diuersa non cupiunt: *sed vnum desiderant; vnum requirunt, ideo intenti ad eum qui ait, ego & pater, vnum sumus, isti quoque vnum esse se confitentur, quia vno eodemque desiderio funguntur.* Hactenus ille.

Luc. 17.

Anselm.

Psal. 118.

Ambr.

## §. IIII.

### *Respice cognationem naturæ, etiam in hoste, & illum amabis.*

DOceor in primis à summã trium diuinãrum personarum concordia inter se, erga proximos meos eundem concordiæ nexũ obseruare. Pulchre enim Damascen. serm. de defunctis loquitur. *Hæc felix diuinæ bonitatis imitatio est, dum quis alijs non minus, quam sibi gratiam exposcit; & tunc consumatæ charitatis terminus, ac beatitudo attingitur, dum in proximo animæ suæ benefacit.* Sicut enim totus Patris amor in filio est, & Spiritu sancto, nullaque absoluta bona sibi soli reseruat Pater, quæ non communicet pignoribus charis; sic ille perfectæ charitatis metas attingit, qui in proximo suo sciuit animæ suæ benefacere.

Damasc.

Nec hoc tibi arduum, & difficile videatur, dum vt iuberis diligere proximũ ſicut te ipſum, ità te ipsũ in proximo noueris eſſe. Quis ſe ipſum non amet? Noſce ergo te in proximo, & illũm licet inimicum, & contrarium amabis. Accipite D. Leonem ſermon. 10. de Quadr. ita fantem. *Pulchrum valde eſt, & diuinæ benenolẽtiæ comparandum, ſui quemquam in altero meminiſſe, & amare propriã etiã in hoſte naturam.* Quippe in diuinis perſonis ſi vniuſcuiuſque reſpicis proprietates, ſeſe maxime opponunt; viget tamen, inter maximas oppoſitiones perſonales; ſummus vnius ad alterum amor, ea non contemnenda ratione, quia altera ſuam propriam naturam videt in altera, quo nulla oppoſitione poteſt amor interrumpi. His proculdubio aſsimilabitur quicumque ſui in altero meminerit, & propriam naturam in hoſte eſſe notauerit, quam tunc non poterit non amare. Hinc cũ iuberis diligere proximũ tuum, ſicut te ipſum, præcepti facilitatem vrget Chryſoſt. in Pſal. 5. fatus. *Si enim dixiſſet: Vos cum homines ſitis, diligite beſtias, præceptum fuiſſet difficile. Si autem qui homines ſunt; homines amare inſsit, vbi & ſubſtantiæ ſimilitudo, & cognatio, & ipſius naturæ admonitio plurimum momenti afferunt ad diligendum, quid nam habeat difficultatis?* Diuinarũ ergo perſonarum inſtar, noſtram in proximis videamus naturam, & nulla oppoſitione nulla contrarietate impediente, facile amabimus illum. Id quod de D. Paulo Chryſ. hom. 8. fatus. *Nemo ita dilexit inimicos, nemo inſidiatoribus ſuis ita beneficus fuit, nullus pro afflictoribus ſuis tãta perpeſſus eſt. Nõ illa enim quæ patiebatur, ſed naturæ copulã cogitabat.* Sanè beatus ille fuerit, Deoque maximè cõparãdus, qui id in hoſte etiã videat, quo nõ poſsit non amare illũ. Qui magis hoſtes in Chriſtianos, quam Nerones, Domitiani, & hijs ſimiles? Attamẽ primitiui Chriſtiani, ſic affecti erant, vt cæcutientes ad hoſtiles Imperatorum animos, aliquid videbant in illis, quod etiam ſummo ſtudio amabant. Id oſtẽdit Tertull. lib. ad Scapul. cap. 2. inquiens. *Chriſtianus nullius eſt hoſtis, nec dum Imperatoris, quem ſciens à Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt vt illum diligat.* Hoc curet homo perfectus, nimirum, proximos videre, non qua hoſtes ſunt, & inimici, ſed qua boni, qua Dei fœtura, qua noſtræ naturæ participes, & ſic neceſſario illos diliget. De hoc etiã dixi, lib. 3. cap. 7. §. 6.

D. Leo.

Chryſoſt.

Tertull.

## §. V.

### *Paternitas in Deo neceſſaria, nè creatura periret, vbi quam ſit miſcenda in Principe manſuetudo cum ſeueritate.*

QVIS ſuſtineret illud in primis à Moyſe exaratum? Hoc eſt: *Heloim creauit cœlum, & terram*: Heloim iudices ſonat, & ſanè ominoſum eſſet creaturæ, quod creator iudex appareat. Verum cum creatoris nomina, & proprietates recognoſco in primis ſeſe offert, & nomen, & proprietas patris, quo deitas à ſuis effectibus facile ſuſtentatur. Stupendum Dei Tribunal Iſaias miratus, vt nos mi remur amplius addit, *& Seraphim ſtabant.* Quid magis mirãdũ? Ad cõſpectũ Angeli, homines cõſternãtur, & iacẽt, & ſi fortiſsimi, & ſi à Deo afflati, & nũc Seraphin totã ſuſtinẽt Dei Maieſtatem ſtantes? Nec preſsi onere cadunt? Nec flectunt genua? Vndè hæc Seraphinis conſtantia? An de diuina notione Patris? Accipite D. Cyrill. Alexand. in Apolog. ad Theodoſ. fatus: *Diuina & incorrupta natura tametſi ſummè glorificata ſit, & omnem admirationem ſuperet, Patrem tamen, ac correſpondentẽ excellentis huius potentiæ magnitudini, manſuetudinem habet. Generata ſiquidem natura fortiſsimam illam, & immẽſam vim ac poteſtatẽ nõ ſuſtinuiſſet niſi manſuetudine mixtam.* Niſi pater in diuinis adeſſet, corruerent vniuerſa creata, quippe quomodo creatura poſſet coram illo Deo ſtare, cui inter infinitas virtutum phalanges, nihil ineſſet Patris? Hinc meritò dolet Paul. gentium miſeriam, qui cum naturæ lumine vnum Deum cognoſcebant, nihil patris in illo meditabãtur. Ait enim ad Eph. c. 1. *Propter quod memores eſtote, quod aliquando vos gentes eratis in carne: promiſsionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mũdo.* Vbi Anſelm. explicat: *Sine Deo, id eſt, ſine Dei Patris agnitione in hoc mundo tam malo, qui totus in maligno poſitus eſt.* Sanè detrimentoſum homini eſt, quod cum ſit poſitus in maligno, vbi tot occaſiones lapſus, vbi tot præcipitia, vbi etiam iuſti ſepties in die cadunt, nihil in Deo patris agnoſcat. Felices Chriſtiani, quibus Deus innotuit pater, & is pater qui naturaliter inſit Deitati, cuius patris conditio nunquam â Deo poſsit obliterari. Apud Lucam, cap. 15. ille iuuenis penè deploratus, tamen ait, *Ibo ad*

Cyrill.

Ad Eph. 1.

Luc. 15.

Pa-

*Patrem meum.* Cui argute Chrysol. serm. 2. ait. *Quaspe? Illa qua pater est. Ego perdidi quod erat filij; ille quod patris est non amisit.* Indelebilis est in Deo proprietas patris, nunquam non pater Deus etiam si nos è Dei filijs conuertamur in mancipia diaboli. Scădescit Deus, irascitur, mortem crucemque minatur, fulmina iacit, nec quod patris est amittit. Ad nata est celsimæ naturæ proprietas patris, vt in tăto orbis moderatore nunquam iudicis ira appareat sine mansuetudine patris. Mihi credăt qui clauum tenent, & imbibant â Deo hoc dulcissimum nomen patris, numquam enim magis flectent subditos, quam vel mansuetudine, vel facilitate ad mixta seueritati. Ille sapiens Nathan. 1. Reg. 16. iussus fuit Dauidem peccatorem castigare, at ille Dauidem adit totus festinus, & lætans, proponit fabulam de Ouicula. Quo delinitus Dauid cum fuerit, & quasi palpatus, statim Nathan exerit gladium aiens: *Tu es Rex, qui hæc admisisti.* Chrysost. Psalm. 47. *O sectionem non gladio, sed breui coarguitione doloris sensum amputantem. Cum enim oportebat fabulam agebat. Cum autem coarguendus ille fuit, statim ferit, atque vlcus abscidit, sic tamen vt haud magnum dolorem efficeret.* Bonus vates iudicis seueritati miscuit patris humanitatem, & comitatem, simulque melleis vtitur fabulis, & ancipite verbi gladio. Similiter ipse Dauid vbi Psalmum 144 replet virtutum regulis, præfixit in titulo: *Psalmus Dauid.* Cur Psalmus dicitur, & cantătur, qui felleis virtutum asperitatibus scatet? Ibi Chrysostătem fatur. *Lex bonarum actionum cum numero, & suauite vocis oblata. Quăobrem? Vt virtutis asperitate temperata vocis modulatione, iocundam, & acceptam reddat admonitionem. Vt Dei legum contemptores per cantus suauitatem bonos, & attentos auditores efficiat; vt lingua tanquam calamo, & tanquam visco; melodia auditorem aucupetur.* Sic vniuersi rigores, & admonitiones de patris pectore dulcescant, vt fructuose excipiatur. De hoc fæpius sit sermo in hoc opere.

Chrysol.

1. Reg. 16

Chrysost.

## §. VI.

### *Deifica Trinitas Angelis, in prædicando tanto mysterio superiora reddidit animalia.*

OBstupuit ales ille diuinus Ioannes incredibili visionum magnitudine, & cur non obstuperet? Etenim inter alia Apocalyps. 4. vidit sub smaragdino arcu omnigenam Dei maiestatem regia in sede fulgere. *Et in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante & retro. Et animal primum simile leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens faciem quasi hominis, & quartum animal simile aquilæ volăti. Et requiē nō habebant dic, ac nocte dicentia, Sănctus, Sănctus, Sănctus.* Quid admirabilius, quă animaliū ore venerabile, & abstrusissimum Trinitatis mysteriū decantari? Sic docent D. Damasc. D. Felix PP. Concilij Chalcedon. & Constantinopolit. relati ab Alcaç 1 in præsenti. En cœli decorare replentur, & voce, & cantu animalium, vt dicat D. Dionys. Areop. *Fortasse nō desit, qui arbitretur cœlestia illa leonum, & equorum agminibus plena, vt pro laude mugitus resonēt.* Proh egregia Dei laus! Vbi ergo Angelorum cunei? Vbi diuinorū Spiritum cantus? Canunt sanè Angeli; sed Angelorum cantu naturali non attingitur reconditum arcanum Trinitatis. Ita D. Augustin. serm. 1. componens duo nota Isaiæ, & Psalmi locum dū fatur: *Trinitatem Angeli in cœlo scire nōn possunt; quod enim dicunt Angeli in cœlo, quis est iste Rex gloriæ? Similiter in Isaia dicitur, quis est iste qui ascendit de Edon? Vide quid dicunt, pulchritudinem prædicant, de natura tacent.* Non enim creditur naturæ in Trinitate simplicitas Angelorum ori altius est hoc mysterium quam ab Angelis posset celebrari, illi pulchritudinem diuinam victorias [illegible]rtas potentias fœlici concinunt ausu, at T[illegible]tatis abstrusa nec cogitare norunt. Proh D[illegible]as immortalis! Quæ fugiunt Angelos Trinitatis penetralia, leonum, & cæterorum animalium agminibus prædicanda dantur, & quæ subtili Spirituum voce non attinguntur, inter mugētia bruta resonant publicata. Fecit hoc verbi incarnati, sapientia, quæ animalium, hoc est, rusticissimorum hominum ora tanto aptauit arcano publicando. Fecit ipsa potentia Trinitatis quę per rudes animalium linguas voluit innotescere creatis. Huc Areopag. de mystica Theol. cap. 1. aiens. *Trinitas diuinæ Christianorum sapientæ præsul.* Sanè animalia sedē calcant cœlestem, & ad numerum docta canere, quod sublimius est, & præstantius diuinæ harmoniæ, nempe Trinitatē pulcreis extollunt linguis, sed ipsa ducente, & docente Trinitate. Memini legisse apud Ælianū lio. 1. hist. animalium stupefactam Romam ingenio, & arte cuiusuis hominis. Qui ita laborauit, vt duodenos Elephantes musica imbutos ad numerū fecerit saltare; quod vbi cōparatum est ipsum canora cithara insignem sequebantur

Apoc. 4.

Areop.

vaſtiſsimæ illæ Elephantorum moles voce, & ſaltu adeò ſubtiliorem citharę numerum obſeruantes, vt Romanis exiſterent ad miraculum. Maiora his vidit Chriſtiana Roma quãdo animalium choros & qui ab Angelis non attingebatur Triados numerus, pro dignitate obſeruari, & publicari voce animalium, hoc eſt, hominum ruſticiſsimorum prędicatione. Quid mirum Trinitas ipſa erat præſul, & præſule Trinitate Angeli vincuntur ſapientia, & dexteritate ab animalibus, *quæ habentes citharas Dei.* Apocalyp. 15. tanti præſulis ſubtilioręad numerũ proſilientes ſibi ſtupefactũ traxerũt orbem terrarum. Vt clamet Abacuc c. 3. apud Septuag. *Domine, audiui auditum tuũ, & timui, conſideraui omnia opera tua, & expaui: in medio duorum animalium cognoſceris.* Ecce tibi totum numinis arcanũ ore animalium decantatum, ecce animalia ſapientioria Angelis, & totius huius ſapientiæ, & miraculi præſul ipſa eſt Trinitas beata.

Apoc. 15

## §. VII.

## *Patri Deo in abſcondito orandum & pro illo in publicum depugnandum eſt.*

MIratus Trinitatis eminentiam per orá illuſtrem, animalium, miror magis dum ſingula perpendo animalia. *Primum animal Leo*, cur Leo adhibetur Trinitati euulgandæ? Duo hæc in Leonum æconomia ab Æliano c. 7. obſeruantur. Alterum eſt, quod Leo vbi ab ſpelunca proſilit, veſtigia nõ ſinit integra: *ſed partim obliterat, ne venatores luſtrum, vbi cum ſuis catulis habitat, inuenire poſsint.* Alterũ ipſe etiam docet cap. 6. quòd nimirum Leo ſenio grauis non prædas perſequitur, id ſibi officium aſſumunt eius catuli, qui præda capta, *rugitu edito parentem ſuum, vt conuiuium ineat, tamquam conuictores ad prandium conuiuam inuitant.* Hæc ſi Theologorũ penu cõſulas in diuinũ patrem, inque prolem diuinam inuenies mirifice conuenire. Nonne omnes creaturæ veſtigia ſunt Patris diuini? nonne effectus ſunt illius? Sed tamẽ hæc in creaturis diuini Patris veſtigia partim obliterata ſunt, ne Trinitatis arcanum manifeſtum excreaturis fiat deturque mundo diuinarum prolium notitia & ne luſtrum, vbi cum catulis ſuis habitat reperire poſsimus, *lucem habitat in acceſsibilem*, vt ait Paul. 1. ad Timoth. 6. ex ſententia D. Aug. 1. de Trinit. c. 8. ſic abinitio amat Pater latibulum proli ſuæ.

At poſt longa ſæcula hominum fameſcens, generoſus Leo ſalutem, ipſe quietus pignora chara mittit in prædam animarum. Nonne è tribus illis, qui Geneſ. 18 apparuerunt Abrahæ: duo in domum Loth perrexerũt? ſic enim habes. *Venerunt duo Angeli in Sodomis veſpere.* Cur duo tantum? & qui duo? Pulchrè Aug. ſerm. 2. de Trin. cap. 12. ait. Quas duas perſonas has hic intelligimus? An Patris, & Filij, an Patris, & Spiritus ſancti; *An Filij, & Spiritus ſancti? Hoc forte cõgruentius, quod vltimũ dixi, miſſos enim ſe dixerunt, quod de filio, & Spiritu ſancto dicimus: nam Patrem miſſum numquã ſcripturarũ nobis notitia occurrit.* O quã miſsi diuini catuli, verbum, & Spiritus in prædam proſiliunt, ille curuum crucis parat arcũ; hic ignea ſpicula; factaque præda, & rugitu edito in voce tubæ parentem ſuum, vt conuiuium ineat, innuitant. Id quod expreſsit Paul. 1. ad Cor. 15. *dicens deinde finis cũ tradiderit regnũ Deo, & Patri. cũ euacuauerit omnẽ principatum & poteſtatem.* Sanè debellato mundi tyranno, prædam captam, nimirum, vniuerſam electorum fidelium ſegetem Patri tradet, & regale agetur conuiuium. Notanter dixit, *Deo, & Patri*, qua enim pater quieſcebat, Filius, & Spiritus prædabantur, quas hominum prædas Patri libarent.

Augusſ.

1. Cor. 15

Sed age; cur pater, qui catulis ſuis abinitio meditabatur latibulum, cum illiſque in abſcõdito eſſe gaudebat, vbi adprædam vẽtum eſt illos ipſe mittit, & pallam facit publicari per mundum? Sanè hæc eſt cœleſtis Patris æconomia, vbi contẽplationi diuinique meditationibus, vacandũ eſt amat in abſcõdito cum chariſsimis ſibi pignoribus eſſe; cum actiuæ incumbendo tunc omnia manifeſto fiant. Ita Matth. 6. dicitur. *Cum oraueris intra cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrẽ tuum in abſcondito, & pater tuus, qui vidit in abſcondito, &c.* Hoc enim ſolemniſsimum eſt cœleſti Patri velle cum pignoribus ſuis in abſcondito miſcere colloquia, vbi inter parentem, & pignora contemplationis negotium agitur, latibula obſeruari neceſſum eſt. At ijs, qui actioni inſtant ſimiliter dictũ eſt Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Decet Chriſtiana opera lux, at contemplationem ſemper latibulum decet. Id quod attigit Naziãz. orat. in Max. fatus. *Ieſus ipſe vt actiones multitudini, hominumque frequentiæ, ita preces quieti, locisque ab hominum cõmercio ſemotis ferè tribuebat.* Ita & tu in abſcondito Patrem ora: ſis in oratione Leonis catulus, qui cum patre agens minimè videaris, nec noſcaris. At in animarum ſalutẽ ea oſtẽta opera, quibus Patri tuo depræderis vniuerſum

Matth. 6.

Matth. 5.

Nazianz.

uersum orbem terrarum. Fallor nisi ideò benedixerit Iacob Iudam Genes. 49. his verbis. *Catulus Leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti.* Quæ verba de Deo Patre, & filio eius interpretatur Ambros. *Leo, inquit, ille, hic catulus,* & vere Leonis catulus, quando ad patrem loquens semper latibula meditabatur; verum vbi ad prædam ventum est, vbi prædam facere oportebat, ad prædam fili mi ascendisti, in mediam exterminij terram prosiliuit durus debellator.

Genes. 49

Ambros.

## §. VIII.

### *Quo à pluribus participatur gloria cœlestis eo in singulis abundantior, accidentaliter.*

IAm secundi animalis Trinitátem decantátis aspectus venit notandus ait enim. *Secundum animal simile vitulo.* Quid tardum vobis pecus ad triadis Sacramentum? Imò quid non conferat bobi numerus diuini ternarij? Superstitiosa illa obseruatio à Geoponio lib. 18 tradita, quando ait, *numerus gregis semper sit impar, vt qui naturalem vim habet ad gregis ipsius salutem, & durabilitem permansuram.* Si naturam spectes nil superstitiosius, at iuxta mores humanis nihil diuinius potuit excogitari. Nonne diuinissimus sapiētissimus pastor Iesus hunc Triadis imparem numerum renascentium gregum multitudini mandat inuri? Et quidem ait. *Baptizantes eos, in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti.* Quippe vnus hic ternarius, quo signamur, & imtiamur vim habet maximā ad Christiani gregis salutē multiplicandam. Dat quidem ternarius hic salutē gregi Christiano, dat fœlicitátem, dat permā suram beatitudinis durabilitátem, imò beatitudinis gloriam in beatis adauget. Recolite illud à Romanis, teste Tito Liuio, inuentum, vt cumulatissimæ annonæ memoriam æternarent. Bobem effingunt aureum, quem ad Trigeminam portam constituunt monimentum æternum incredibilis abūdantiæ. Maiori sanè sapientia bonus pastor Iesus totū Christianum gregem ex aqua renascentem Trigeminæ obijcit portæ, vt profluis felicitatis augmentis inde præbeat præsagiū. Has crescētis felicitatis portas sibbi aperiri clamabat, Psaltes 118 fatus. *Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini iusti intrabunt in eam.* Expendo quòd portas aperiri postulat, & subdat; hæc est porta Domini, quasi per pluralitatem, & vnitatem Trigeminam ineffabilis mysterij portam indigitaret. Has trini Dei portas perat aperiri, quibus intret in gaudium Domini sui, quibus beatitudine æterna fruatur. Sed cur Trinitatis portæ aperiendæ sint ad beatitudinem cau sandam? Nonne sufficeret, si vel vnius diuinæ essentiæ porta aperiatur, vt sit quisque beatus? Sufficeret forsam vnius essentiæ diuinæ visio ad creaturas beandas, imò ad beandum ipsum Deum de multorum non ignobilium Theologorum calculo, quorū princeps est Sotus 1. dist. 1. quæst. 2. & distinct. 49. q. Sed nemini dubiū esse potest, quod ad gloriæ cumulū maximè cōducat personarū pluralitas. Quot personę beatitudinis glorijs perfundūtur, tot aperiuntur ianue quibus noua accrescant gloriæ gaudia beatis. Equidem, & in Thabor vt gloriam suam Iesus faceret scintillare, ternionem fecit cum Elia, & Moysi, quo cum discedentes videret Petrus, vt retinere posset ait Luc. 9. *Bonum est nos hic esse, faciamus tria tabernacula tibi vnum, Moysi vnum, Eliæ vnum.* Quasi etiam manente Domino metueret vnum externiona perdere. Sic insinuat D. Ans. aiens: *Petrus ad ea quæ cernebat respondit: bonum est nos hic esse, viroſque iam discedentes cupiebat ibi retinere noua tabernaculorum ædificatione.* Cur sic Petre? Si Deum glorioſum habes, cur quęris retinere creaturas? Manentis Iesu gloria persunderis, sine, habeat quo velit Moyses, discedat Elias, quid de consortio hominum speras? O acutū piscatorem! Rectè ipse præsagit tot portas gaudij claudi, quot diuini ternionis personę deficiūt; imò quot absunt à glorię participatione creaturæ. Hinc elegāter Ansel. concludit. *Si cum duobus tantum sanctis Moysi scilicet, & Eliæ transfiguratam in monte hominis Christi speciem videre bonum maximum duxit, quis sermo explicare, & quis sensus valet comprehendere quanta sint gaudia iustorum cum accesserint ad Sion montem, & ad ciuitatem Dei viuētis Ierusalem cœlestem, & multorum milliū Angelorum frequentiam, ipsumque ciuitatis artificē Deum facie consperexerint?* Sanè quo plures apparuerint gloriæ pârticipes, eo plures apparebunt gaudiorum portę patentes, gaudiorum, inquam accidentalium, eo abundantius erit gaudium singulorum. Fallor si hoc materiali exemplo explicatum non vidi erat speculorū multitudo ardentem facem vndequaque cingens ea situs positione, qua facis radius singula specula attingeret, quo factum erat, vt facis pulchritudo multiplicaretur, & crescceret ad speculorum numerum. Sic qui ad vnius facis ardentis aspectum lætabantur, tot ex illa percipiebāt lętitias, quot addebantur specula, in qui-

Sot.

Luc. 9.

Psal. 118

quibus vnâ,& eâdem fax multarum adimplebat gaudia,& lætitias. Non meum commentum erit, ſi hoc ad cœlitum gloriam transferam; fuge illud ex Nazianz. in carmine Virginitatis. Vbi ſic cœleſtem ciuitatem depingit. Nazianz.

*Ac chorus ingens.*
*Carpere quem nequas Regem latiſſimus ambit.*
*Cœleſtis, ſtudioque omni Deus eſſe laborans*
*Chriſtifer atque crucis ſeruus, mundique ruentis*
*Contemptor, tota meditans cœleſtia mente.*
*Proſpicuum lucis ſpeculum, lux fulgida mundi,*
*Quique Dei, cuiuſque Deus, quem cernit aperte.*

Ecce tibi cœlorum Regem innumera agmina vt cingunt ſanctorum, ita vt ſpecula lucem Deum induunt, vt ex ſingulis gaudia, quæ à Deo ſunt multiplicentur, & in infinitum creſcant.

## §. IX.

## *In Trinitate beatifica corona eſt, & complementum fœlicitatis.*

TEne mundialia omnia, tene cœleſtia, tene deitatem ipſam tamen dum Trinitatem non apprehenderis, coronam perfectam mini mè tenes, ad huc tibi eminentiſsimum fœlicitatis faſtigium ſubeundum reſtat. Dionyſ. Areop. pag. de myſt. Theolog. c. 1. ait. *Trinitas ſuper ſubſtantialis deitate, ac bonitate ſuperior, ac præſtantior.* Hæc eſt fœlicitatis corona, & complementum, cuius cauſa diuino illi triſagio addebatur homo, dũ dicitur, *tertiũ animal ſimile homini*, in quo Regiæ Trinitatis magnitudo exprimebatur. Nonne hæc erat vox Trinitatis diuinæ Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram?* Ità docent D. Gregor. PP. D. Baſil. Ambroſ. Auguſtin. Euſeb. Cæſar. & alij Quid ergo eſt in homine quo beatificæ aſſimiletur Trinitati? Sanè ait Nyſſen. lib. de Opific. hominis cap. 4. *Nihil eſſe putandum aliud, quam regium ei decus in ipſa creatione tributum.* Homo quidem creatur, vt Triados ſupra omnia creata, & increata Regiã teſtetur altitudinẽ, quã ipſa ſola cumulat, perficit, & coronat cuiuſcumque felicitatem, & beatitudinẽ. Quoties audis à viris iuſtis Regnum Cœlorum ſpectari, quoties à Domino idem cœlorum Regnum ſanctis promittitur, id intellige perfectè conſtitutum in vna fruitione Trinitatis. Sic Theologorum Pater Nazianz. orat. in plagam grandinis exprimens integerrimi iudicis ſentẽtiam, quia dicet, *percipite Regnum, quod vobis paratum eſt*, &c. Ità fatur; illos lux omni oratione maior excepturа eſt, & ſanctæ: *Regiaque Trinitatis*, purius iã clariuſque colluſtrantis, totamque ſecum tota mente miſcentis contemplatio, *quam quidem ego vel ſolam Regnum cœlorum potiſsimum eſſe arbitror.* Dum ad Trinitatem non accedis, & ſi deitatem videas, adhuc curris nondum Regnum nondum coronam plenè prehendis. Illa eſt quæ regios auſus homini inſitos explere poteſt: illa quæ â lucta iubet quieſcere, & coronam porrigit pugnatoribus. Ideo Philippus vnus ex ijs, quibus Regnum cœlorũ promiſſum erat ſuper omnia ſe tollens inquit Ioann. 14. *Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.* Quippe regnaturis, & ſi oſtendantur vniuerſi cœli terræque theſauri, & ſi oſtẽ datur ipſa deitas, non ſufficit eis, adhuc inhiãt adhuc ad coronam anhellant; ſed oſtenſo Patre, oſtenſo nimirum, Trinitatis myſterio, nil vltra ſpectant. Ad hæc D. Cyrill. Alex. lib. 1. Theſaur. cap. 6. dicit. *Si Patris nomen non eſſet dignius in Deo, quam ipſum nomen Deus, cur cum diſcipulos Saluator ad prædicandum mittit, non iuſsit, vt in nomine Dei baptizarentur. Sed quaſi maiorem diuinæ naturæ oſtendens dignitatem, in nomine Patris, inquit, & Filij, & Spiritus ſancti: Philippus vero cum diuinã curioſe ſcrutari naturam vellet, oſtende nobis Patrem dicebat, non oſtende nobis Deum.* Adeò à mente fideli Triados requirebatur aſpectus, quaſi vel ad Patris præſentiam ſolius ſummam poſſet fœlicitatis acquirere altitudinẽ. Iam memini prodigi illius filij gratiã â Trinitate perceptã: de quo Luc. 15. dicitur. *Surgens venit ad Patrem ſuũ.* Vbi Chryſol. ſerm. 3. expendit illud ſurgens, & ad Patrem, inquiens. *Surrexit iſte mentis, & corporis de ruina, ſurrexit de profundo inferni cæli alta contingens: apud cœleſtem Patrẽ filius ſurgit plus deuenia, quã corruit de reatu.* Quam filius, viſo Patre, non pertingeret altitudinem, & Regni ſublimitatem? Vt hinc pateat quãtã ſapientia Dominus educturus filios per aquã â peccati ruina in Regni hæreditatẽ illos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, baptizari iubet, vt apud Patrẽ ſurgentes plus de venia, quam ceciderant de ruina cœli alta pertingant, regioque throno inſideant.

Greg. PP. Baſil. Ambroſ. Auguſt. Nyſſen. Areop. Geneſ. 1. Cyrill. Luc. 15. Chryſol.

## §. X.

## *In mortis duello triumphabimus Trinitate armati.*

QVãm victrix ad ſuperos euolabit illius anima, qui Trinitatis diuinæ ardenter

ter armatæ caractere munitus mortis adierit pericula! Nonne hoc Trisagium sibilans victrix ales annũtiat? Etenim inquit, *& quartum animal simile Aquilæ volanti.* Non sic Romanæ Aquilæ victricis gentis. Labarum decorabant; non sic Imperatoria stemmata hostes deterrebant medias inter inimicas phalanges ad victorias volantia; vt Trinitatis diuinæ cultor, & adorator, & amator euolat ad triumphos immortales Christianæ sapientiæ, vt periculum faceret tentator præcipitium suggerens aiebat Matth. 4. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te:* hic sistit, quod reliquũ erat Psalmi conticuit, minime illud addidit, nimirum, *super aspidem, & basiliscum ambulabis: conculcabis Leonem, & Draconem.* Cur primum obijciens de Angelis hoc postremũ tacuit? Sanè hic victricis expauit trophęa Trinitatis Pulchrè D. Nazianz. orat. in sanct. Baptist. ait. *Id suppressisti, nimirum, quod super aspidem, & basiliscum ascendam, & conculcabo serpentes, & scorpiones, Trinitate, videlicet, septus, & communitus.* Oquam alte volat victrix ales Trinitate suffulta! Non sic victrices buccinæ, & tympana exarmat hostes, vt anima diuino trisagio repetito mortales deuincit terrores, & in astra volat. Sic olim Imperatoria iusta perficiebantur, tres pyram cõstituebant gradus, è quorum summo Aquila emittitur, quæ in cœlum euolans volantem Imperatoris animam notaret. Auctor est Pier. lib. 19. sed beatiori præsagio ad trinum deitatis aspectum effertur quartum animal simile Aquilæ volanti, vt notet quantum conferat è vita migrantibus deuotus cultus Trinitatis. Sanè in Phœnice alite id etiam accedit notãdũ, quod viuidum, & victoriale Sepulchrum non sibi pareat; nisi ex veneratione Trinitatis sanctæ. Accipitè Lactantij carmina, quibus ad Orientem conuersam Phœnicem, sic depingit.

*Matth. 4.*

*Nazianz.*

*Lactant.*

*Illa ter alarum repetito verbere plaudit,*
*Igniferumque caput ter venerata filet.*
*Tunc legit aereo sublimen vertice palmam,*
*Vitalique throno membra quietæ locat.*
*Constituit illa sibi seu nidum siue sepulchrum,*
*Depositi tanti, nec timet illa fidem.*

Ecce ex alarum trisagio, ex trina veneratione ad Sepulchrum volat, ex quo mortis victrix exurgat. Equidem diuinæ compellatio Trinitatis potens est sepulchrum ipsum vitali rore perfundere, & inter mortis angustias interfectis peccatis hominem in vitam nunquam defecturam transplantare. Nouit hoc qui dũ figuram mortis in baptismo componit, ad viuidam regenerationem addit compellationẽ Trinitatis aiens, *baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Expendè illud, *baptizantes*, hoc est sepeliẽtes, dicit enim Paul. ad Roman. 6. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita, & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Itaque baptismus quędam est mortis imitatio, cuius è faucibus in vitam euolamus, & summersis hostibus vi ui nos cœlestia littora acquirimus. Id quod innuit D. Zeno serm. 4. ad Neoph. fatus. *Sacri gurgitis vnda sepelimur, vt sepulchri nido vi uificati resurrectionis iura gustaremus.* Sed quo id auxilio peragimus? *Per gloriam*, inquit, *Patris*, hoc est, Trinitate auspice. Vnus id expendat D. Cæsar. Arelat. hom. 5. in Pas. qui sic baptismi prædicat miracula. Mira Domini clemẽtia, quæ irreuocabile scelus, & infectas criminum maculas ad infectum reuocat, & peccatorem, peccato moriente viuificat. Homo fonte demergitur, & sola secreto munere culpa hominis damnatur, criminosus tingitur, & solum crimen extinguitur. *Ostendit hoc in loco magnificentia tãti muneris beatã præsentiam Trinitatis.* Quippe vbi inter mortis simulacrum extinctis criminibus, homo in vitam anhelat, manifestè ostenditur beata præsentia Trinitatis. Quisquis vel vmbram mortis attingit hoc Beatifice Trinitatis caractere armator, quo hostes contemnes, vulnera curabis, & æternum viuentem te æthera beabunt. Vt victricem Ecclesiam de omni malo incursu ostendat D. Irinæus lib. 4. aduers. hær. cap. 37. expendit liberationem Raab, quæ exploratores acceparat suo hospitio, & statim subdit. *Sic autem, & Raab fornicaria semetipsam condemnans, quoniam esset Gentilis omnium peccatorum rea, suscepit autem speculatores, qui speculabantur vniuersam terram, & apud se abscondit, Patrem, scilicet, & Filiũ, & Spiritum sanctum. Et cũ vniuersa ciuitas, in qua habitabat, concidisset in ruinam Raab fornicaria conseruata est.* Ecce tibi vndè mulier peccatrix seruata est nimirum, quod intra se suscepit speculatores Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.

*D. Zeno.*

*Cæs. Arel.*

*Iren.*

Totam huius tractatus historiam finiat nõ Iuppiter ab igneo globo clamans, vt moris erat apud priscos prophanos; sed tribus è luci dissimis globulis beata Trinitas Francorum ciuitatem Nansacensem defendens à tyrannis. Iam ea ciuitas, Sigiberto, & Vincẽtio lib. 21. cap. 39. & Raulino serm. 1. de Trin. Arrianam pestem depulerat, Hunorum exercitu á se propulsato; & cum se se in Templum reciperet Deo immortales gratias ageret: ecce tibi à Templi tecto tres splendentes globuli nixi sunt descẽdere, mira adstantium admiratione, & alacritate. Tres, inquam, globuli figura, claritate, splendore, & pulchritudine, & pondere omnino pariles: quidum ad Prælati

oculos accedunt, sic se intimè penetrant, & vniunt, vt vna ex illis simplex margarita videretur conflata. Hanc sumit Prælatus, & dum mediam in crucis aureæ lapidibus pretiosis insignis meditullio collocat, ipsa cruci hæret; sed cæteri omnes pretiosi lapides relictis sedibus cadunt. Quid plura? Morbi, vulnera, fames, mors ipsa, & scelera ex tunc ad præsentiã illius crucis expauent, & fugantur. Et quidem vbi passionis Dominicæ signo beatæ accedit memoria Trinitatis, cũcta mala diffugiunt, vnaque nobis plaudit vita immortalis.

Huc me deduxit, qui me duxit in vehemẽter amatam Iesu Societatem: quo beneficio constrictus dum Societatis emolumenta ostẽdunt mei mores, vtinam vel prædicem calamo. Habet quique sua emolumenta Societatis: ego Iesu socius maximum emolumentum duxi, si tanti socij virtutes, & mores exararẽ, vt fœliciores alij fructibus possint saginari. Liliatam Christi vitam habetis, qua ipse, & omnes, & me pascat, dum eius facinora, sermones, & parabolas alijs expendo commentarijs.

FINIS.

ELEN-

# ELENCHVS AD CONCIONES VESPERTINAS DOMINICARVM QVAD. IN QVO ANTICHRISTI HISTORIA SEX CONCIONIBVS ELVCIDATVR.

## CONCIO PRIMA

### De Antichristo.

SANCTISSIMVS ille Patriarcha Iacob singulos, quibus filiorũ vita erat agenda præsentiens casus eos prædicturus, Genes. 4. *Congregamini* (ait) *& audite filij, vt annuntiem quæ ventura sunt vobis in tribus nouissimis, congregamini, & audite filij Iacob.* Prodat quis memoriæ posterorum aliorum facinora iam obliuione consepulta, emortuos annosa vetustate euẽtus calamus exsuscitet scriptoris, seu ne intereant, qui nouiter casus contigere, monumentis suis quisque conseruet: vos verò filij Iacob, nec antiquata, nec noua, sed quæ extremis temporibus vobis euentura præsciui, paterno excepturi ab ore conuenistio. Insistẽtes nos Iacob vestigijs Christiane lector, nec tibi vetusta damus, nec quæ notam possint subire commenti; futurorum historiam teximus, quæ diuinam exigũt credulitatem, quæ iam iam morituro euenient mundo, naturãque agitabunt, & affligent humanam. Id autem exequi non auderemus ni Iosiæ nos confirmaret exemplij. Ardenter cupiebat Rex futuros regni sui euentus prænoscere: hac de re consulendam, *Misit ad Holdam Prophetidem.* Sed cur magni consilij vir Ieremias, quem habebat non aditur à Rege, & fœmina Prophetisa consulitur? Præstabat fœmina præscientia virũ? Puto cum Lyra Ieremiam plurimo Holda extitisse scientiorem: ideo tamen fuisse consultam, vt terribilis vaticinij, quod Rex formidabat rigor blanda fluens per labia fœminæ aliquãtulo leniretur. Sic ego bella scripturus, quæ Antichristus cũ Christi nus gereret, subortas inde fames, regum omniũ vnico tyranno subiectionem, execrabilem huius vesaniam, Eliæ, & Enoch iugulationem, accensant Dei in peccatores iram, horribles terræmotus, Antichristi ruinam, vniuersam hominũ stragem, mundi euersionem, extremum iudicij diem Mariam Prophetidum reginam diuinantem, & fauentem voco, per quam durissima hæc mala illabentia mittescant; eius ope breuiter commemorata perstringam casurus animo, si lenissimæ huius vatis, carerem auxilio.

*Genes. 4.*

Prius quam initium narrandi faciam ope ræpretiũ duxi præmonere huiuscemodi historiam, quę Genes. 49. Prophetia Danielis Pauli epistolis, Ioannis Apocalypsi carptim latebat, ex antiquioribus in lucem protulisse Lactantium, Hieronymum, Chrysostomum Hippolytum, Irenæum; ex recentioribus Maluendam Dominicanum, è nostra Societate Soarium, Pereyram, Lesium, Acostã, & alios. Nec inutile laboris putauere pensum tanti viri, quæ ad extremũ mala pateretur orbis, perscrutari, horribilem huius creaturæ mortem nobis præsagire, certi nullo strictiori fræno offrænatam hominum licentiam, quam supplicij

plicij venturi memoria, metuque posse coerceri.

Homines cum hominibus de peccato cer-
Amos 1. cabant. Amos 1. *Tria scelera Damasci, tria scelera Gazæ: tria scelera Tyri, tria scelera Edon, tria scelera filiorũ Ammon.* Exercebant homines vitam flagitijs, augebãt quæ amplexi fuerant: omnes negligere Deum, probitatem, neque natura, neque lege sequi: auaritia minui abundantia nescia, pessimi cuiusque materies, fomesque luxuria, fallax animorum ambitio durissime humana corda premebant, etiã electos hęc pestis inuaserat, & vexabat maximè. Tot tantisque malis medicinam parare tentans Propheta persona qua sit tuba sumendũ
Amos 3. à Deo de peccato supplicium. *Si clangerit tuba in ciuitate, & populus non expauescet.* Quisque ad canori bellici instrumenti sonitum sistitur, aures arrigit, vt attrahat sonum: Cæterum, ais, timet nemo, sonitus enim ille militares spiritus ingenerat, animũque ministrat; tamen inficiàs quis ire potest bellicam tubã, & armorum fragorem nobis portendere multi sanguinis effusionem, mucrone cædendos alios, alios sagittis transfigendos, plures in ora pronos, resupinos, plures equorum obtritione pressum spiritum halaturos, lugubrem deuictorum superstitum clamorem, imò vincentium non modicam stragem. At quem resista non terreat? Expauescet sanè populus ad clangorem tubæ: contremet etiam electus ad
Ruperti. futuri supplicij vaticinium expressum per tubæ sonum. Id quod sensit Rupertus, sic inquiens. *In collectione electorum, operatur etiam fortissimæ iudicij terror, sequitur enim si clangerit tuba in ciuitate, & populus non expauescet. Tuba namque belli signum reuelationem iræ designat venturæ.* Efficacissima est cuiuis, quamtum uis insanabilis videatur, plagæ medicina venturæ calamitatis alte fixa memoria, turpẽ hominum licentiam percuncta vitiorum genera effrænate vagantem, nil arctius comprimit, nil magis terret, quam extremi iudicij lubris recordatio, ipsi etiam electi huius memoria, & consideratione pauescunt.

Genes. 7. Huc reuoco illud Genes. 7. Fabricauit arcam Noe viuentium in commune refugium homini domum, antra feris, auibus nidum. *Et de animantibus mundis, & immundis duo, & duo ingressa sunt ad Noe in arcam.* Iuuencæ sociatus incedebat Leo, Aquila passeribus commixta volabat. Ast immanem, & horrificum Leonem, prouida quem armauit natura.

*Vngue pedes, & terga iubis, & dentibus ora,*
*Qui mollem stabuli decus armentiq; iuuencũ*
Claudian. *Arripiens, crudis nudatam pectora fodit*
*Vnguibus, & rabiem totos exegit in armos:*
*Stat crassa turpis sanie, nodosq; iubarum*
*Excutit, & viles pastorum despicit iras.*

Quis ferociam deponere coegit, quis iuuencæ comitatum pergere? quis regalem belluã, quæ vastas syluas, montium iuga, & ima vallium habitare cõsueuerat in tam angustũ cõpulit domicilium? Bellatricem, & victricem Aquilam, quæ

*Fulua tonantis,*
*Armigera ad liquidum cunctis spectantibus Æthram,*
*Correptum pedibus curuis innexuit hydrum,*
*Dumq; reluctantem morsu partitur obunco,*
*hæsit in vngue caput, truncatus decidet agnis.*

Imperiosam alituum regnam, quam
*Innumera comitantur aues, stipatq; volantem* Idem.
*alituum suspensa cohors, exercitus ingens*
*Obnubit vario late conuexa meatu,*
*Nec quisquam tantis è millibus obuius audet*
*Ire duci, commune facit reuerentia fœdus.*

Velocissimam omnium auem, quæ perniciori cursu reliquas præstans radit iter liquidum, celeres neque commouet alas, quæ eminentioribus in scopulis nidum cõstruit, quis vili cuinis passerculo iunctam in arcã sine fastu, sine comitatu confluere volitando coegit? Quis pro stricta, & obscura domo camporum planiciem, aeris vastitatem, & lucem cõmutare, & libertate contemta angustissimo teneri spatio, imò concludi carcere, inibi ædificare nidum gaudentem traxit? Equidem commune, quod aucupabantur venturum supplicium, potentissima futuræ calamitatis decreta vis, toti incubitura orbi, inundatura alluuies, vel ipsas feras collegit in arcam, insitus à natura mali timor inter dissimilis, & inimicæ speciei animantia commune confecit fœdus luuencæ coniunctus Leo, Aquila passerculo, feritate relicta, deposita maiestate in vnum recipi confluxere. Venusta sanè mens, & venusto carmine decantata à S. Alcimo. En illum. S. Alcimo.

*Tunc ipsa accurrunt volucres, tunc bestia quæq;*
*Consuetum linquens syluoso tegmine lustrum,*
*Depositæ feritate venit, sesecq; tenendum,*
*Ingerit occurrens, & libertate relicta*
*Includi gaudet, tantum decreta futuri*
*Vis valet.*

Mirum non est pertimescant homines iræ vẽturæ præsagio, quando ferocissimę belluæ trepidare cernuntur diluuium præsentientes. Quid si homines belluino insæuientes more mitteſcant, quando ipsæ feræ innatam exuũt ferociam? Quid si ad meliorem frugẽ, ad arctiorem se redigant, viuendi normam, quando animantia ipsa & aues camporũ, & aeris vastitatem incolentia in tam strictam recepere se domum? Quid si tantum apud homines valeat diuinata Dei ira, quãdo erga ipsa bruta ratio-

rationis expertia diluuij tantũ decreta futuri vis valuit, vt mitteſcant, includi gaudeãt foris manere formident.

Inſultãte dæmone, vitijs corrupta natura, euerſa Roma, in decẽ orbis Reges partito imperio, Babylone cõcipitur Antichriſtus, dæmonijs qualitatibus fętũ diſponente, quæ futurum eius inſtrumentum decebant. Iudæos ex Tribu Dan habebit parentes. Vbi primũ naſcetur, in ſuam illum tutela infernus recipiet, ijſque artibus imbuit, quæ intento à ſe fini aptiores videbuntur: obſcura erit, & egens educatio pueri, & qualẽ abiecta parentum, qui ſerui erant, exigebat conditio. Quo magis ille creſcet, maiori de ſingulari eius acumine, & parẽtes, & Babylonis ciues expectatione replebuntur. Cũ ingenij calliditate, & verſutia elatũ iã adoleſcens animũ pateſaciet. Incredibili ſtrenuitate, magica arte, quã perfectiſsimẽ callebit, vtetur; quæq; mente cõcipi nequeunt aſtutiæ, machinamenta, fallaciæ, ſua intelligendi celeritate conſequetur. Iudæorũ cultũ exterius profitebitur, cũ adoret dæmonẽ. Sanctitate, & bonis moribus vitã ſimulabit imbutam, cũ turpiſsima ſit. Caſtimoniæ, & pudicitię ſe ſe cultorẽ mentietur, atque opẽ pauperibus ferendi ſtudioſum; & quod caput erit ad populi in ſe fidẽ, & amorẽ trahendũ, ingẽtibus miraculis coruſcabit. His artibus, dæmonũ auxilio, quam latiſsime eius fama vagabitur, nouis alijs fictionibus de ſe iam conceptæ fomitem ipſo miniſtrante, omnes ad ſe afferet gentes, populum præcipue Iudaicũ, qui promiſſum ſibi Meſsiam eſſe credentes ſub eius imperio ſlabunt alacres. Arrogans, & elatus ille totum orbẽ expugnare contendet; maximum, luciſsimũq; exercitũ coget, initoq; tribus cũ vicinioribus Regibus ſanguineo prælio illos debellabit, occidet; quæ reſtãtã Antichriſto gloriã pariet, vt omnes terræ reges annua illi ſoluere tributa non dubitent. Vnicus ille orbis imperator tandem exiſtet. Iura dabit, & leges ponet rã quæ ad politicã gubernationẽ, quam quæ ad Religionẽ ſpectant. Aduerſatur Chriſtianæ; iactat ſe Deũ, præcipit adorari; vtque id conſequi facile poſsit dæmonũ ope iuuabitur: ex his alij mentientes Angelos vbicũq; ſe Antichriſtus contulerint, comitabuntur: alij milites, ac duces agent rebellibus Antichriſto mortẽ minitantes; alij concionatores inducnt omni ſuadentes populo, vt imperatori ſuo diuinos honores deferãt. Hic Chriſtianorũ aras euertens, vt in eorundẽ tẽplis adorentur, ſibi ſtatuas erigit, blaſphęmat Chriſtũ, & vt Ioannes in Apocalypſi ſcribit: *Aperuit os ſuum in blaſphæmias in Deum, blaſphemare nomen eius, & data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, & adorabunt eum.* Apoc. 13.

One fandã, & ſacrilegã linguã! O peſtẽ terrimã, quæ non ſolũ tribũ inuadis, ſed ſerpis in populũ, inficis linguas, & gentes. Ieremias 1. ſui vaticinij capite: *Extendit*, ait, *Dominus manum ſuam, & tetigit os meum.* Iſaias vero c. 6. ſic inquit. *Volauit ad me vnus de ſeraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum.* Vbi iſta legi mihi inceſsit ſtudiũ huius diſcriminis cauſam agnoſcendi. Nõne ſicut Ieremias Propheta, & ſanctus Iſaias erat? Ita plane. Cur igitur labia Iſaię nõ tangũtur Dei manu, nec manu Seraphim, ſed forcipe tracto igne mundantur: at os Ieremiæ non forcipe non manu ſeraphim, ſed ipſa Dei manu contrectatur? Placet quod, & placuit Orig. *Quoniã Iſaias confeſſus eſt non habere immunda facta, ſed verba non extendit Dominus manũ ſuã, neque vnũ ex Seraphim manu ſua labia eius tetigit, ſed forcipe ſolum tangens.* Dixerat Iſaias, *vir polluctus labijs ego ſum.* Id non dixerat Ieremias. En tibi cur huius os, non illius manus diuina tetigerit, timet linguæ vitia Seraphica manus, timet eius infici, & inquinari veneno: eaque eſt huius mali vis, huius peſtis irreptio, vt ipſe Deus, quaſi ne inficiatur eius fugiat attactũ. Fuge ſacrilegã, & periuratẽ linguã, ô tu qui humanã participas concretionem, quando illius expers cœleſtis ſpiritus polluta labia non audet attingere; nec te inficiri non poſſe præſumas ad blaſphemæ linguæ corruptionẽ, quando infinita Dei ſanctitas tãgere impura labia recuſat. Inde etiam agnoſce eum, qui intrepide, & ſine vllo metu eius ſuſcipit verba, præſentiſsimum ignorare venenum, quod tribus, populos, linguas, gentes, totum orbem inficere, & corrumpere ſerpendo poteſt. Nouerat illud ſanctiſsimus Dauid in pollutæ linguæ conſortium nunquam ſe dedit. Pſalm. 1. ait. *In cathedra peſtilentiæ non ſedi.* Cathedra autẽ peſtilentiæ hæc eſt, frequentes circuli, vbi omnia, quæ circũferũtur, periuria ſunt, iuramenta, blaſphęmiæ. Hæ veſtræ coronæ, quas ſæpe contexitis, quid ſunt aliud quam peſtilentiæ cathedra, vnde omnia vitia linguæ docetis: ſedilia illa, quibus domi ſedentes crebra euomitis iuramenta, blaſphæmias eructatis, ſedilia ſunt hoſtiũ Chriſti, peſtilentiaria cathedra: ſceleſtæ quas effunditis, voces peſtis ſunt totũ aerẽ inficiens, per quæ ſerpit, omnia corrũpẽs. Habes hoc à Tert. lib. de ſpectat. *Num ergo fugies ſedilia hoſtiũ Chriſti illã cathedrã peſtilentiariã, ipſumq; aerẽ, qui deſuper incubat, ſceleſtis vocibus conſtrupatũ.* Nulla cõtagione magis conſtrupatur aer, nulla peſtilentiori inficitur qualitate, quã venenoſis, infectiſ ſimiſque vocibus tuis. Ieremi. 1. Iſai. 6. Origen. Pſalm. 1. Tertull.

Vis quid eis facias vno verbo cognoſcere? Id facis, quod diabolica non fuit auſa perpetrare malignitas. Affectauit hæc æqualẽ Deo

Isai. 14. gloriã. *Ascendã in cœlũ, super nubes exaltabo soliũ meũ, sedebo in lateribus aquilonis, similis ero altissimo.* Non vides vt Dei nomen non assumat in ore? Sed cur? Chrysost. *Sustulit Deũ, & posuit altissimũ, timens quẽ tã offenderat, nominare.* Timet dœmon Dei à se offensi proferre nomen, & tu non times Deũ ipsũ, & offendendo nominare? Ipsa dæmonis impudentia erubuit Dei nomẽ in ore assumere, & te illud blasphemare non pudet? Quid dicã tibi? nisi quia quodãmodo irreligiosior es dęmone impudẽtior es dęmone, qui Dei nomen pronuntiare non audet, cũ tu illud periurare, & blasphæmare non erubescis.

Pergo vlterius. Antichristus blasphæmare non desistit, solius Dei sibi arrogare gloriã, sui adorationẽ cunctis imperitare gentibus; parẽtibus polliceri salutem, præmia maxima, reluctantes supplicijs atrocibus afficere. Tyranide Antichristi fere iacebat Ecclesia, cũ prouidentissimus eius procurator, & sponsus tot flagitiorũ vindices, fidelium salutis assertores Eliam & Enoch iterũ introduxit in orbẽ. Hi ardore spiritus, efficacia verbi tyranni fallacias detegũt; ficta illius miracula, veris, quæ magna cũ populi admiratione patrabãt, penitus in obscurant. Adhæsit eis innumera hominũ multitudo. Furit imperator inferni ministris, cõcitatus. Eliã, & Enoch adstrictos vinculis conijci præcepit in carcerẽ: cuius dicto prõpte obtẽperantes occisimè illud executũ accurrũt dęmones. Sed sancti viri oribus flãmas expirãtes illos fugant: hi rubore suffusi Antichristo renuntiant, vires suas infirmas esse ligatum robus, in Christianorũ duces prævalere se minime posse.

Et quid mirũ non lædat infernus, quẽ protegit Deus, fugiãt dœmones, quẽ sua illũ virtute firmauit. Quid mirũ, si Elias, & Enoch nil timeant, mala cuncta propellant, qui Deo cultũ, veritati præstabant obsequium, qui fidei augendæ, & conseruandæ seruiebant. Ecce vobis Iordanẽ, qui rapidus flueb at in mare, cum primũ fœderis arcã prospexit, totis stetit aquis quasi rei nouitate perterritus; imò retro agẽs cursum refugit vnde fluxerat: idẽ vero cũ sui aluei ripas Baptistã terentem cernit, aquas filij Dei baptismo ministrãtes, cœlũ intonãs voce Patris, cũ totã Trinitatẽ præsentẽ habet, intrepidus fluit, securus labitur, tot ac tanta mysteria non stupet, non sistitur, fugã retrorsum non rapit. Quæ rei causa? luculenter eã tradit Chrysol. Chrysol. qui, & dubitationẽ proponit serm. 5. da Epiph. *Quid est* (ait) *quod Iordan, qui fugit ad præsentiã arcæ legalis, ad totius Trinitatis præsentiã non refugit? Quid est? Quia pietati obsequitur incipit non timere.* Non est quod paueat, qui totus est in prædicando Deũ, qui ad veritatis viã cõpellit gentes insuperabiles inferni vires frãget, audaciã reprimet, detriũphabit dęmones, vt detriumphabit Elias. Metuant qui virtuti aduersantur, qui resistũt Deo, qui vitijs obsequuntur, qui vero se Deo cõmisit, metuat nihil, in ipsa acie nouaculæ securus stabit. Audi Athanasiũ serm. de Passione, elegantissima id notatione monstrantẽ, cũ scissum tẽpli velum cũ tunica Christi in consutili integra conseruata cõponit. *Dominus nãque crucifixus carnifices deterrebat, ne tunicã scinderẽt, vt ea manente maneret Iudæorũ opprobriũ, quod nõ multo post accidit, nimirũ, cũ velo scisso, tunica Christi, ne à carnificibus quidẽ diuisa est, sed integra mansit.* Athan. Tunica in carnificũ manus data scindi non timet, sanguis militũ gladijs exposita scissurã non patitur, illæsa conseruatur, conseruata triũphat; & velũ, qp in Iudęorũ tẽplũ sanctissimũ erat, quod soleti cura seruabatur, multo Sacerdote custode, multo excubante leuita, scinditur mediũ, quin illud custodes, vigiles, & locus defendisse potuerint? Sane incõsutilis tunica Christo tegendo inseruierat, ideo *ne à carnificibus quidem diuisa est*, sed integra mansit. Fuerat obsequuta Deo? Hostes quantũuis truces deuincat necesse est. Impauidi, quia obsequium præstabant Deo sancti Elias, & Enoch dœmones profligarunt, & impanidietiam nos per medias hostiũ acies victores transiremus, si Deo, ac virtuti prompte pareremus.

Metuimus vero, plurimis periculis exponimur, laboribus plurimis subiacemus, quia hominibus inseruimus. Egens fidelis ille centurio diuini auxilij, nimirum, vt puer quem domi habebat infirmũ, pristinę redderetur saluti, Regũ Regẽ, creaturarũ Dominum Christum adiens, sic alloquitur: *Domine puer meus iacet in domo paralyticus.* Admiratur Chrysol. serm. 15. hominẽ inurbanũ, & rusticũ. *Et quomodo* (ait) *hic Centurio, qui, sic cognoscit Dominum, puerũ suũ ausus est profiteri, quasi nescions serui peculiũ ad Dominũ pertinere.* Nõne aptius diceret Cẽturio, Dñe seruus tuus, quã seruus meus? Ecquis dubitat hoc exigere maiestatẽ diuinam Christi dominatũ, hoc illi humilẽ Centurionis debuisse comitatẽ? tamẽ rusticitatis notari quã iacentẽ seruũ Deo adscribere Cẽturio maluit, & dicere seruus meus quia iacebat, *meũ dico quia iacet* (subiungit Chrysol.) *si tuus esset Domine non iaceret.* Sciebat serui peculiũ ad Dominũ pertinere, & sciebat infirmi, & iacentis serui ad Dominũ creatum, ad increati vero seruitium non iacentis spectare dominiũ. Qui enim iacent mutationibus acti, miserijs oppressi, rectissimè hominũ serui dicuntur, quorũ hæc stipendia sunt, solum enim quod homini famulatur, siue cęleste sit, siue incorruptibile, & ipsi etiam Angeli, quia in hominis ministe-

Matth. 8. Chrysol.

rium

rium facta sunt omnia, parturientium doloribus affliguntur, luctibus, & gemitibus subiacent. Crede Apostolo: *Vanitati creatura subiecta est, scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc.* Vides vt non excipiat vllam creaturam, sed in discriminatim in gemiscere, & parturire de omnibus dicat Apostolus. Nec cœlos excludit, nec Angelos, vt eleganter notauit Gregor. orat. 1. in Iul. sic *Creatura omnis, & cœlestes huiusmodi rerum sensu afficientur, nec enim semel tantũ ingemiscit, & parturit corruptioni seruiens, hoc est iis, qui in terra nascuntur, & intereunt homines.* Nec existiment Angeli, quia nobiliori eos Dominus ornauit natura, humanis affectionibus carituros; nec, quia incorruptibile, cœlum corruptioni seruiturũ non esse putet, necessum enim est vt gemitus patiantur etiam Angeli; presuras sustineat etiã cœlũ, vbi hominũ addicũtur seruitio, subiacent ministerio.

Ad Ro. 8

Nazian.

# CONCIO SECVNDA

## De Antichristo.

ACCENDEBANTVR magis, magisque in dies in Eliæ, & Enoch interitum, Christianique populi ruinã Antichristi studia: ira, & metu anxius eorum executioni quæritabat remedia, non inuenit: inferni sapientiam in consilium vocat; plurimis illa consultationibus exhauritur: & adhuc in certa sententia non consistitur; nec de hominum damnatione, licet optata, decernitur. Rabiosus, & arrogans cœtu egressus nefario arcanorum suorum recessum, idolorum intrat theatrum, ad eorumque pedes prouolutus, lacrymis madens, in tanta animi deiectione dæmonis sui implorat auxilium. Turpe est (ait) duos homunciones vnico mihi orbis imperatori tantum facessisse negotij, honorisque mei, gloriæ, famæ impedimento esse, de quibus parta victoria, nec esse debuerat incremento. Fieri sic potest, vt noster animus sollicito angatur metu, sollicitudine crucietur assidua? Da ô Deus tot malis finem, nobis victoriam, hostibus necem. Vbi hæc dixit impio edocetur oraculo. Christianos Eliæ, & Enoch præsentia roboratos vi opprimi non posse, fame posse. Responso accepto statim decretum fit, palatijque foribus fixum primo mane conspicitur: vti è suis nemo ad victum necessaria largiri, vendere, mutuare audeat, nisi eis, quos Antichristi effigiem collo suspensam, pectore gestare præuiderint. Itane, qui expugnari ferro non poterant victus presi charitate peribunt? Terreno quidem carebunt alimento, sed cœlesti gratiæ pabulo firmabuntur, quod etiam nobis salutatione Angelica postulantibus credimus elargiendum.

Siccine pijssima Dei nostri conditio peccatores vult esse satures, esures suos, iniustos diuitijs cumulat, iustos rerũ omniũ affligit inopia. Nec inæqualitatem admiror, quia certè necessum est diuersitatẽ apparere donorũ vbi discretio fuerit personarũ. illud verò maximè in bonos pro improbis stare discrimen: hos rerũ omniũ gaudere copia illos in fame versari. Sanè Dei viscera improborũ salutẽ ardentia facilè hanc suorũ infirmitati vitiorũ adhibent curationem, temporalia illis bona, & diuitia large profundunt, vt ipsi ex acceptis bonis famosam in Christũ, in pauperes largitionem facientes iudicis valeant amouere furorẽ, sua scelera tegere, diuinã ad se trahere volũtatem. At quomodo eleemosyna, diuinum furorem amouet, nec sinit quod iudex misericordis hominis peccata videat? Ecce tibi Matth. 2. Angelus Iosepho in somnis apparens loquitur. *Tolle puerum, & Mariam matrem eius, & fuge in Ægyptũ.* O miseri Ægypti habitatores, quibus ante aduẽtũ Iudicis ad voluptatẽ omnia veniebãt; quibus tellus Nyli fœcũdata fluẽtis nõ tã concedebat necessaria naturæ, quã luxuriæ, & libidini obtemperabat malo possidentium vsu factis fomentis vitiorum, quæ incitamenta debuerant esse virtutum; modo vero venientis iudicis seueram passuri sunt suorum peccatorũ cẽsuram, graue supplicium. Profecto nil est quod timeant Ægyptij, quia & si iudex aduentat, venit inops, manus protẽdens, ab ijs quos iudicaturus, est, domũ accepturus & cibũ, quæ si ipsi largiantur, securi erunt, excœcant enim eleemosynæ nostrum iudicem, impediũt ipsum ne videat peccata. Id quod eleganti exemplo explicat Chrysostomus apud Damascenum lib. 2. Parallelorum c. 16. aiens. *O singularem eleemosynæ vim! Sola ad diuinũ tribunal irrepit. Nei dicem timeamus, ante iudicis manus*

Matth. 2.

Chrysost.

*manus protendentem.* Qui videre non vult ante oculos manus protendit. Sic iudex ad munera manus protendens ante oculos illas ponit; ne largientis peccata cernat. Præstat hoc eleemosyna. Sola ad diuinũ tribunal irrepit, facit vt diuinus iudex manus protendat, & sic peccata nõ videat. Si cupis de tuis criminibus cõceptũ iudicis lenire rigorem, si tua ab illo peccata abscondere, ne illa videat, protende manus ad eleemosynam pauperibus erogandam, sicut enim nõ videt iudex, si suas ipsius manus ante oculos protẽdat, sic etiã illũ nõ videbit, qui ante se suas manus protenderit.

*Ioann. 8.* Accinit illud Ioann. 8. Scribæ, & Pharisæi fallaci animo mulierem in adulterio deprehensam Christo adducunt, derisuri eum, quasi pietatis, & misericordiæ, quam frequenter commendabat, & suadebat immemorem, si adulteram decerneret lapidari, damnaturi vero tanquam legi aduersantem, flagitiorum fautorẽ, si mulieri diceret ignoscendum. *Iesus autem inclinans se deorsum digito scribebat in terram.* Quid scribebat? Ferebat ne sententiam damnationis in mulierem lege damnatam? Ponderabat sceleris magnitudinem? Docebat legem stricte seruandam, eius transgressores seuere fore puniendos, vt homines à peccando retraheret? Minimé. *Scribebat vtique dicens*, pulchrè fatur Ambrosius lib. 9. epist. epist. 79. ad *Ambr.* Stud. *Festucam, quæ in oculo est fratris tui, vides; trabem autem, quæ in oculo tuo est, non vides.* Bone Iesu puritatis, & iustitiæ fons tantum scelus, quod impurissimos Scribarũ, & Pharisæorũ oculos offendebat fœditate sua festucam appellas? Quid trabẽ iudicas, si adulteriũ festucam dicis? Aduerte vbi hæc dixit Iesus, *Ioann.* & protinus desines admirari. *Hæc verba*, ait Euãgel. *loquutus est Iesus in gazophilacio.* Quærit Ambrosius, quid est gazophilatium? Respondet. *Collatio fidelium, sumptus pauperum, requies egenorũ.* En tibi quanto iure adulteriũ Christus festucam appellet. Vbi pauperibus subuenitur, vbi eorum sustentationi incumbitur, vbi egenorum sublevationi studetur maiora crimina Christi oculis minima apparent, vi eleemosynæ, vi miserationis valde decrescunt. Non potuit Christus non misereri mulieri peccatrici, vbi erat collocatio fidelium, sumptus pauperum, requies egenorum. Locus ille miserationis pietatis fontem sollicitabat ad veniam, impellebant ad misericordiam tot in pauperes misericordiæ collatæ. Et ideo in loco gazophilacii absolutionis sententiã adultera meretur audire. *Nec ego te condemnabo vade.*

Hic tamen, qui mulierem licet graui offensus scelere nõ damnauit, quo magis peccatorũ inclinatur ad veniam nostra in pauperes lenitate, & misericordia, eo in ipsorũm ardentius fertur vltionem, si in egenos, & miseros nos viderit immisericordes. De ea ciuitate, & domo Apostolos Christus iubet exire, in qua recepti non fuerint: imò addit: *exeuntes excutite pul* *Matth. 10* *uerem de pedibus vestris.* Vt quid pulueré excuti præcipit? Meo quidem iudicio in Iudaicæ inhumanitatis testimonium, & quia Christus durum in duros homines iudicem agere volebat, & durum exercere iudicium, quod exequi minimè posset, si vel exiguus pulueris in pauperũ pedibus appareret, nam quantumuis exiguus iudicem leniret, & eius minas maximè temperaret: at excussus clamat ad Deũ immisericordis hominis vindictã exigit, eius crudelitatis accusator existit, iudicem minatur, qui tantum in suos commissum vindicet scelus. Id quod sensérat Tertullian 4. in Mar. *Tertull.* pulchrè aiens. *Cum iubet pulueren excutere de pedibus, in eos, à quibus non excepti fuissent inhumanitatem in testationem redigi iubet, iudicẽ minatur.* Quot fuerint pulueris excussi granula tot erunt testes in diuino iudicio aduersus tantæ crudelitatis auctores, tot iudices eorum inhumanitatem damnantes, inhumanitatem in testationem redigũt, supremũ iudicẽ minitantur, qui quantũ nostri in egenos miseratione placatur, vt parcat, tantũ nostri in eosdem inhumanitate stimulatur, vt feriat.

Redeo ad inceptũ. Superius dicto promulgato decreto, ad exactam eius impletionẽ accingũtur omnes. Nullus è factione Antichristi cuipiã Christianorũ, vel aquę potum erogabat, ad impleta hic scriptura, quę dixerat, *re* *Matt. 24.* *frigescet charitas.* Crescebat in dies grauis rerũ penuria, consumebantur cibaria, nil reliquũ erat, nisi vel Antichristo cedere, vel morti. At veri Imperatoris Christi ciuitas, nec fame capi, nec vinci potest necessitate, quin illius tempestatis fideles (quod nostræ confusioni dixerint) demonstrabunt hominẽ in solo pane non viuere. Quot honestissimæ fœminæ, quot purissimæ virgines victus omnis egẽtes, dura rupe in virtute firmiores ijs erunt dedecori quæ modo proh dolor! vilissimo pretio corpus vẽdẽtes, & animã luxuriæ cedũt, seruiũt lubidini. Putabat tyrannus fortissimũ Eliã vna cum fideli populo, cogente fame ditioni suæ fore subdendũ, nescius illũ ministrãte coruo emissum cœlitus panem accipere consueuisse, sed experimẽto didicit, hominũ infirma esse potentia, cũ virtus adest diuina confirmans. Vixit itaque duorum, & 40. mensiũ spatio securus Elias, suorum quotidie numerũ magis augens, quo Antichristus ardentioribus iræ, & furoris incendijs æstuabat.

Quo elapso tẽpore strenui Christianismi duces vltro dedidere se hostibus, permisere se

Regi-

Regi. Itáne iustissimè Deus Catholicæ religionis fundamentũ corruet, quo ruat etiam ipsa, necesse est? Ecclesiæ defensores superari, interire pateris, quo fidè, Ecclesiã, religionẽ periturã manifestè cõstat? Si vnus Sanson duas Dagonis tẽpli colũnas amplexus molẽ ipsis innixã ingenti Philisteorũ præcipitauit strage; vnus Antichristus duplicẽ religionis colũnã euertens, non prosternet Ecclesiam? Nõ prosternet, longè nãq; à perfidiæ columnis, Christianorũ colũnæ distant; pereunt illæ, cũ frangũtur: hæ verò etiam confractæ potentes sunt mysticum religionis ædificiũ suffulcire: victorias parere; multiplicare triumphos.

Nihili habiturum Dauidem persecutiones hominum ob custodiæ firmitatem, quã habebat prudens præsagiebat Abigail 1. Reg. 25. *Si surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima tua custodita sicut in fasciculo viuentiũ.* In expugnãbilis quidem defensio, fortis murus, vitium fasciculus. Quî potest hic inimicorum ictus retundere, armis resistere? Si quadratis esset saxis cõstructus, si opere signino fabricatus, à persequentibus, & quærentibus animam Dauid, lædi illa non posset, firma siquidem custodia muniebatur; vitium verò fasciculus, leui admoto igne pascetur, & anima, quam custodit, hostiũ patebit in cursibus. Equidem licet sit demollitus hic murus inexpugnabiles sunt milites, quos custodit; imò pluribus eos facit gaudere triumphis, triumphare gaudijs, figere trophæa, victorias parere: licet frangãtur religionis colũnæ, fortissimæ sunt, & eius machinam potentes sustinere. Huc (ni fallor) spectabat Tertull. in Apologet. dum inquit: *Licet nunc nos sarmentitios appelletis, quia ad stipitem dimidij axis deuincti sarmentorum ambitu exurimur; hic est habitus victoriæ nostræ; tali curru triumphamus.* Exusta sanctorum corpora plurimo intercluſa sarmẽto victoria sunt nostra, vitiũ ille ambitus, quo vrendi martyres circũdãtur, gloriæ nostræ habitus est, currus est triũphalis, vbi eorũ & nostra decantatur victoria, facta coronãtur. Vincula illa, quibus medio alligabãtur axi fortes viri, eorum præsaga, imò & ea sunt, quibus deuincti victi hostes, & catenis onusti triumphum nostrũ præibunt, hos enim pariunt, victorias comparant, multiplicant trophæa, etiam cum frangũtur, fidei columnæ; cum carceribus, igni, & ferro dantur sancti viri, in quo à perfidiæ columnis, quæ, vbi confringuntur, se, & quæ suffulciebant, præcipitia agunt, differũt quã lõgissime. Teneri quidẽ potest vinculis Elias, cruciari, occidi; at religio Christiana euerti, fides ruere, cadere Ecclesia non potest.

Addixerat igni Nabuchodonosor Rex tres iuuenes compeditos; ardensq; fornacẽ adijt ardentem, vbi erant coniecti iuuenes, illos ardere visurus: accessit, multaque sollicitudine introspiciens, rei nouitate, quam videbat attonitus ad suos conuersus, sic ait: *Nonne tres viros misimus compeditos? Ecce ego video quatuor solutos.* Ita erat profecto tres miserat, miserat compeditos. Putabat eos tormenti atrocitate extinguere, & in medio cruciatu videt solutos, & illæsos quatuor; quartus enim ternarium accreuit ad numerum: tres vincere conabatur Regis impietas, & quatuor apparuere victores, quia sancti viri, religionis colũnæ, etiã rogis indicti, atrocibus tormentis amandati, fortissimi sunt; multiplicant victorias. Addat Rex, si placet, ad numerũ, vinciat quintũ, igni committat, & sex videbit illæsos; augeat damnatos, augebit contra se triũphos; finiri enim dãnati nequeunt, quia soli esse non possunt. Id quod regem acutè pũgens aiebat Chrysost. *Exclude si potes, eum, qui crescit ad numerũ, non potes iã tuos finire damnatos, qui soli esse non possunt.* Catenis adstrigũtur Christiani populi duces Enoch, & Elias, durissimè cũ illis agitur, vincent tamẽ, quia soli esse non possunt, vincetque proinde Christi fides, vera religio, quæ duabus illis columnis innititur. Chrysost.

Quã primùm verò claudantur in carcere, res per Catholicos breui diuulgatur, ingẽs omnes inuasit metus, ingraueſcẽte fame vires deficere, deesse cõsilium, cõcursare, ac diuagari per vrbẽ, pallere facies, cõsumi corpora, alios confusa vociferatione aliorum opem exigere omnes vitam pati morte grauiorem. Diuites & nobiles vestiũ luxu depositò, asperrimis induti cilicijs, diuinam pietatẽ precibus sollicitabant assiduis. Pulchriores fœminæ, præstantiores virgines ornatu corporis, fucato rubore, candoreque relictis; lacrymis genas illinentes, humili vestitu, qua agebantur, inopiam, & caritatem aperiebant. Vtinam hac nostra tẽpestate videremus ornatũ, cultũ comitari diuitias, cũ ita se res habeãt, vt plures videamus fœminas nullo, vel exiguo parentũ, aut propinquorũ beneficio vtentes, frequẽti populo prębere se intucdas multò maiori, quã res sua familiaris, quæ sæpe, aut exigua est, aut nulla, ferrè potest, muliebri splendẽtes mundo, gemmis, & auro, crispatis calamistro capillis, facieque nescio, quibus pigmentorũ medicamentis illita fœdissimis, sciunt ipsæ vnde hæc habeant, dolemus nos: induantur humiliter, quibus fuit parca fortuna, conueniat substantiæ habitus, sumptus respondeat diuitijs: meminerint Iob, qui tonso capite dominũ adorauit, cur non compto, non ornato, non culto? summam ex periebatur egestatem

non habebat, qũo ornări posset, ideo tõso capite Dominum adorauit. Hinc apparet eas, de quibus paulo antea locuti sumus, ingẽti corporis cultu collucẽtes, nec à marito, nec à Patre accepto, aliquod adorare idolum, à quo inhonestatis, ac pudicitiç, quam vendunt, pretiũ acquirunt luxuriosas vestes.

Tandem Antichristus Eliam, & Enoch, diro decernit mactare supplicio. Notatur dies, venit hic, educuntur è carcere venerabiles viri, multaque satellitum constipati turba, totã vrbem circumeunt, vt ab omnibus conspici valeant, tandem ad locum accessere supplitij, qui in medio eminebat foro. Ascendere læti, & graues, ingenti populo, qui Christianorũ, & infidelium mixtus adstabat, induxere cultũ serenitate vultus, quam videbãt; morũ sanctitate, quæ fugiebat neminẽ: flexisque genibus oculis in cœlum leuantes, imõ de pectore trahentes voces diuini amoris, & gloriæ zelo succensas, mundi conuersionem, Antichristi stragem, inferni ruinam precabantur. Vbi finis orãdi fuit, immanis carnifex diabolico actus furore arrepto gladio capita è ceruicibus præcisuro dextrã attollit. Heu quid agis hominum sceleratissime siste ictum, suspende manum. Suspendamus & nos rei huius euentũ in sequentem Concionẽ, & Eliæ, ac Enoch orationibus attendamus. Quid postulant? totius orbis cõuersionẽ, destructionẽ tyranni, euersionẽ malorũ, infernorum victoriã. Plura, & magna sunt hęc, vt possint breui expetita oratione obtineri, si pauciora, si minora forent, mirũ non esset in eorum cõsequẽ di spem animus erigeretur. Quinimo, quia
4. Reg. 2. tanta sunt certissime illos ea, & maiora cõsequuturos esse nõ dubito. Antequam ab Elisæi oculis raperetur Elias, discipulo Magisterim perat, vt quidquid sibi fieri velit, id petat, ille autem generosiori, quam credi potest, spiritu *obsecro* (inquit) *vt fiat in me duplex spiritus tuus*. Videte quid exigat Elisæus, vnũ Elias habebat spiritum, & duplicẽ petere nõ veretur. Meritò sanè meruit à præceptore responsum. Rem difficilẽ postulasti; quî enim præstare quis potest, quod ipse non habet? tamẽ licet difficile sit, cõceditur, quod exigitur: *si videris me, quãdo tollar à te, habebis quod vis*: ea est enim efficacia, & vis orationis, cũ magna postulãtur, vt eadem, & maiora certissime obtineat; ea est dignitas sic orantis vt meritis suis plura quã habet, à quo petũtur accipiat. Quod de Elisæo loquens confirmat Ambros.
Amb. ser. 87. *Dũ à patre plus exigit, quam habebat, facit eũ meritis suis plus præstare, quã poterat.* Difficilimũ planè est, quempiã id præbere, quo caret, plura donare, quam possit, cæterũ vbi exigẽs animosa fuerit deprecatio, vbi generosioris orationis interceſſerint merita, nil est facilius, supra id quod potest donãs habebit, & dabit, accipit enim á petẽtis oratione, quod tribuat. Vndè cum oraturus accesseris, plurima, eaq; maxima efflagitare non dubites, eo te maiora consequi pro comperto habens, talis namque oratio licet à Patre æterno plusquam ipse habet, non exigat, nec faciat meritis suis eum plus præstare quã potest, faciet, plus te quam petas accipere, plus eum donare quã exigas.

Rogas, latroni à Christi dextris cruci infixo, cur cœlestis paradisi fores tam cito referãtur? Itâne, qui sceleste, & flagiose vixerat, Deo inglorius, hominibus infestus, sibi obnoxiũ diuinũ audire promeretur eloquiũ: *Hodie mecũ eris in paradiso.* Vndè tanta, & tã subita latroni promissio? Optimo quidẽ iure patet latroni cœlũ, promittitur paradisus (acutè respõdit Arnoldus) *Iã spes subintrabat cõuerso, dilatatus charitate cũ Christo tractabat de regno, affectabat superiora.* Qui tanta animi celsitate eluxit, vt ausus sit aspirare ad cœlestia, sũmã affectare gloriã, de regno loqui, & inhiare cœlesti, ac intrepido corde, superiori spiritu summo dicere Regi Christo, Domine, *memento mei cum veneris in Regnum tuum*, quid mirũ tãtũ excipiat respõsum: *Hodie mecũ eris in paradiso.* Is est excelsi animi, animosæ orationis fructus, maiora quã petat consequi; vt sui meminisset in regno Dimas postulabat à Christo, Christus verò secum ipso regnaturũ pollicetur, constituit regem. *Arnold. Carn.*

Nesciunt profecto nõ pretiosa venire, beneficia maxima non cõferri à Deo præcipuè cum mutuus intercedit amor. Ideo fortè dies ille, qui æternis adictus erat cruciatibus, ab Abraham nõ obtinuit, quod petiuit, quia postulabat exiguũ, vt extremũ, scilicet, digiti intingeret aqua, & sic refrigeraret linguã eius. Memini ad rẽ. Morbo graui pene absumpto Lazaro: hæc ad Christũ eius sorores. *Ecce quẽ amas infirmatur.* Iesus verò mansit in eodẽ loco. Quid hoc? Laborat amicus, earũ frater, à quibus tot, ac tanta officia grati fuerat Iesus expertus hospitij, & leuissimam potest substinere morã, ac prẽsenti necessitati nõ illico subuenire? hic est amor, hęc gratitudo? sed Dei; hoc Christi officiũ, qui summa nescit nõ impertiri beneficia, largiri dona. Magnũ quid esset, infirmũ saluti restituere, sed maius multo ad gloriã resurrectionis euehere, maneat ergo Christus etiã post acceptas literas, conficiatur infitmitate Lazarus, dolore sorores, non moueatur, nõ veniat Christus vsque dum amicus morti concedat: *Eius enim amare* (ait Chrysol.) *illud est, non vt dilectũ alleuet, sed ab inferis, vt reducat, dilecto non languoris medicinã, sed resurrectionis gloriam mox paranit.* *Ioann. 11* *Chrysol.*

bit. Non ingrati tudinis ſignum eſt, ſed ardentis amoris curationem differre, quo enim maius eſt, quam mederi â mortuis excitare eo maius, eo æſtimabilius eſt: quam morbo adhibere remedium ad vitã reuocare defunctum. Quibuſcũque egeas, ſiue tẽporalia, ſiue ſpiritualia ſint fidenter à Chriſto efflagita, & quo plura, quo maiora fidẽtius: hęc mãnus diuina negare nõ ſolet, quod ſi differat largitionẽ, certior aſſecutionis expecta, nam qui Lazarũ nõ curauit, vt ad gloriã reſurrectionis eueheret, ſtatim poſtulata non confert, vt poſtmodũ maiora dona diffundens, vberiorem cõferens gratiã, ad æternã tãdẽ gloriam perducat.

# CONCIO TERTIA

## De Antichriſto.

IAMDEM carnifex ſuſpẽſum brachium præcipitans Eliam, & Enoch ictu duplici iugulauit: ditauerunt corpora terram, cœlũ animæ: quo facto vix credi poteſt, quæ Antichriſti exercitum occuparit lætitia: alij de victoria (tanquam comparaſſent) gratulabantur alijs, capi, occidi interfectis ducibus Chriſtianos milites facilẽ poſſe communi rumore ferebatur; ſui virtutem exercitus nullis iam viribus infringendam. Tertium cum dimidio diem in foro trunca patebunt, nulla vrbis formidine, nulla alteratione, nam quæ Dei filium cruci videre fixum non erubuit, quancumque ſuſtinere necem, quoduis intueri ſuppliciũ nõ formidat; quin potius omnes cateruatim ad ſpectaculum confluentes: tyranni tunc elationis aures ſacrilega acclamatione demulcere, præ lætitia geſtire videbuntur: ille egreſſus regia Principum, & populi frequentia conſtipatus ad forum acceſsit viſui indulturus ſuo, ſibi inimico ſanguine, quem cernebat. Reguſtabat illum aſtantium plaudẽte aſſentatione, illi de triumpho gratulante, cum commota terra, tonante repente cœlo, altro mundum ſilentio terribilis vox iſta compleuit. *Aſcendite huc*: aſcendite gloria, & honore coronari: ſuper manum mearum opera conſtitui: indui immortalitate: æternum regnaturi. Vix illa ſonuerat, cum præciſa capita ſuis reuniri cerui cibus pauore confecta turba conſpexit, totaq; vrbe cernente, perterrito Antichriſto, ſancti Martyres cœleſti ſplendore amicti, liquidum penetrantes aera ab omnium oculis eripiuntur: cœlos intrauere: occurrunt hi fœcũdum, & præmaturum Dominici ſanguinis fructũ percepturi, vbi vero ille æternis cõditur horreis totus orbis contremuit: horribili motu terræ ciuitate concuſſa, decima eius pars labefactata eſt; Antichriſti ſequacium ſeptem millia intereunt. Vt tantas calamitates breui perſequamur ſermone vberi indigemus gratia, ſolita eam oratione petamus. *Aue Maria.*

Plura narrauimus. Illud præ omnibus perpendendum occurrit, nimirum, de miſeris Antichriſtianis Deũ ſumpſiſſe ſuppliciũ, quo die generoſiores vindemiauit racemos, quos multis ſæculis Eccleſiæ vinea non dederat. Cum ita ſe feracem oſtentat Eccleſia vt binos producat Martyres, binos Prophetas, binos cõfeſſores iram ſtet in peccato res oſtẽdit Deus? Putarem ego ſi quo tempore veniam aſſecuturi eſſent, ſuauiter cum ipſis agendum, diuina pietate fouendos, illud fore, cũ Deus præſentem fructum lætus capiebat, & ſpe naſcituri è tanto ſemine capiebatur; & tunc gladium ſuum in peccatores diſtringit. Quid hoc? Proculdubio Eccleſiæ liberalitas, vbertas vineæ, nobiles ſanctitatis fructus ſoporatam Dei excitauere iuſtitiã, recrũduit diuina ira hominum flagitijs, corroboratum vetuſtate peccatorum odium præſens ſanctitatis exemplum renouabat.

Lucæ 23. Quidam homo poſsidebat vineam, in qua ficus conſita erat, nullum verò fructũ ferebat, ingrata viſui, inutilis Domino arida, ſterilis, mox vbi illam Dominus vidit, tanto ei ſterilitas faſtidio fuit, vt eã protinus ſuccidi, & eradicari præceperit. Vt quid ita celeriter ſecuri mãdatur, circũfodiatur pluries, cinerum circũdetur aggeribus, putetur ad tẽpus, molleſcat humore, experiatur Dominus, an his indulgentijs fota laſciuiat? Experiretur credo ni vineã luxuriaſſe vidiſſet, huius decora viriditas, vernans fęcũditas ficulneę ſterilita- *Luc. 23.*

litatem accusabat, damnabat fœditatem, at vt ariditate deformẽ vidit, succidi iussit. Acuta quidem Gilliberti mens: *Ficulneam sterilem, quam Dominus succidi iussit, fertiles de vicino vineæ condemnabant.* Cohiberi non potuit Dominus, quin ficum perderet arescentẽ, vbi floridam, vbi amœnam vineam conspiciebat, dormiebat Domini in ficulneam ira, cũ vineæ non figebat obtutum, cũ fixit, excitata est, præcidi iubet. Quam fœcũda vinea Hispania nostra, quot Religiosorum decorata, & munita copijs, quot illustrata viris sanctitate conspicuis, quot nobilitata fœminis notæ virtutis, peccare expaueat, spirituales fructus nõ ferre, qui in hac vinea consitus est: dormire quodammodo videtur Dei ira in hæreticorũ regionibus, plagis infideliũ, nulla est virtus, nulla iustitia, nullum bonum, quo excitetur opus, vt iniurias sibi illatas vindicet; at vbi quotidie virtus virtutem insequitur, sanctitatem sanctitas æmulatur, vbi bona ebulliunt opera, feruent religiosa exempla; timeat supplicium, iustitiam Dei foribus suis adesse cognoscat, qui ita viuit, ac si in hæreticis, & infidelibus prouincijs degeret, nam quæ erat quasi soporata Dei ira, sanctorum exemplis excitatur, vt puniat; sollicitant iustorum virtutes peccatorum vindictam, condemnant Religiosi de vicino viri irreligiosos homines; id quod in conspectu fertilis de vicino vineæ ficus sterilis præcidi iussa significat.

*Gillib.*

Ad hæc. Qui nuptiali veste non indutus ad nuptias venit in exteriores tenebras conijci, diris torqueri cruciatibus perhibetur. Cur in tam communi gaudio, cum maiores exerceri solent donorum largitiones, cum omnia occupabat risus, cũm nil proponebatur oculis, resonabat in auribus, nisi iubilum, lætitia, & cantus, tam seuerum fertur iudicium, tam dura quod leue apparebat, criminis castigatio, nonne nuptijs adesse æstimabilius erat, quam abesse? Non erat. Nulla ad hãc lætitiã perfidia recipitur, malignitas omnis excluditur. Cõuiuæ omnes pretiosis charitatis, cæterarumque virtutum vestibus ornabantur, his se miscere peccatorem sordido opertũ sacco, iustitiæ ornatu carentem summa est impudẽtia, Dei oculos multum offendit, in tanti splẽdore ornatus inornati hominis magis apparebat squalor, cernebatur iniquitas. Si sericò indumento ostro, & auro rigenti, aut acu artificiose picto rudem pannum opponas Deus bone, quanto hic sordidior, quanto tibi vilior videbitur: deturpat illum nitore suo, fœdat pulcritudine vestis pretiosa, sic impij iniustitia iusti sanctitati opposita turpior apparet, magnum sui despectum generat: melius ei foret sanctorum abesse cœtu, quam indecenter adfuisse. Accipe D. Maximũm. *Potuerat minus displicuisse, si in consortium iustorum minimè se dedisset* qui non habens vestem nuptialem nuptijs assistere se posse præsumpsit. Fieri quidem posset, vt si commistus iustis non esset, eius nõ pateret iniquitas, lateret forsan Dominum, quem egregia, quæ cernebat in alijs, documenta virtutum, vt in ipsum animaduerteret compellebãt. Si alia te ô peccator, infidelis teneret Prouincia, nõ Hispania, aliqualem tibi pollicereris securitatẽ, non mirarer: omnes enim peccant, flagitiosi sunt omnes, nullis sanctitatis operibus, nullo exercitio virtutum de vicino damnantur; in Hispania verò vbi semper versantur ob oculos incitamenta iustitiæ etiam inuitos trahentia; caue Dei iram non dormientem: caueat etiam qui religiosam agit vitam heroica virtutum opera non patrare, minima non vitare peccata vereatur, quia turpe & scelestum est, vbi nulla committuntur, delinquere, vbi omnes charitatis igne inflammati lucent, & ardent, se solum frigescere. Pertimescat Christianus quadragesimali præsertim tempore, cum fideles omnes corpora castigant inedia, premunt cilicijs, cædũt flagris internum animi delictum dolorem humectantibus pandentes oculis vultu demisso referentes, paueat indulgere sibi, totũ se dedere voluptatibus, delicatiori cibo, pretiosiori vesti, scurrilitati, nugis, libidini, in societate enim iustorum talem non esse maximè irritat furorem Dei: *cui potueras minus displicuisse, si in cõsortium iustorum minimè te dedisses.* Nec propterea hortari me putes ne sanctis associeris dicente Scriptura: *Cum bonis bonus eris, & cum peruersis peruerteris.* Illud verò te moneo, si cum iustis familiaritatem, & necessitudinem habeas, talem te præbeas, quales eos se præstare conspexeris. Alioquin caueto.

*D. Max.*

Vlteriùs. Indecorũm, quid audio, & à fortissimo Dauide valde alienum in tit. 1. Psalmi. Ecce illum. *Psalmus Dauid cum fugeret à facie Absalon.* Ita ne virorum fortissimè, qui horrendas belluas Leonem, & vrsum mento apprehẽso, adhuc iuuenis suffocabas, qui incircumcisum gigantem, quem tota Saulis armata castra metuebant, emisso è funda lapide prostrauisti, qui millia millium hostium profligare, exercitus aduersos perdere ingentes cõ seueras reportare victorias modo fugis? At quem? Vir adolescentem, dux tyronem, Pater filiũ, fortis imbecillũ? *Absit istã rem facere* (Machabæi clamant) *vt fugiamus, si tempus nostrum appropinquauit moriamur in virtute, non inferamus crimen gloriæ nostræ.* Et Dauid timet: sunt ne Machabæi Dauide fortiores? Puto nõ timore coactum, sed filij captum amore

*Psalm. 1.*

re fugisse Dauidem, si enim expectaret Absalonem, sanctus impiũ, innocens peccatorem, veritus est ne sanctitatis ad cõspectũ paternæ sceleſtus Absalonus occũberet, cum autẽ filij pater teneretur amore, gloriæ suæ crimẽ fugiẽdo maluit inferre, quam filiũ nõ fugiendo necare. Id quod pulchrẽ satis insinuauit Chrysost. *Fugiebat Dauid non qui timeret, sed qui caueret occidere.* Eccę quantam vim habeat iustitia, & sanctitas ad damnanda peccata, in cuius cõspectu fieri nequit, vt sceleſtus viuat, & quot virtutes erant in patre, tot mitterentur iacula in filium.

Quid plura? Sanctus Iob de impio loquẽs. Iob. *Pertranseat os eius iaculum, stellæ inambulent in tabernaculo eius.* Quę imprecatio ista? Quis vnquam duo ista coniunxit? Iaculo transfigatur, stellæ inambulent in tabernaculo eius? Quid syderum pulchritudo, & splendor vitę, ac felicitatis præsagiũ, cum telorũ iactu, emissione, & infixione iaculorũ? Conuenientius sic imprecandum videbatur. Os impij pertrãseat iaculum, stellæ non inambulent in tabernaculo eius. Quid enim non speret, quid sibi non promittat iniustus, cui multo sydere coruscante fimbriatum arrisit cœlum mille portendens fortunas, mille diuinans felicitates? Aduerte quid stellæ significent, & quam appositè fuerit Iob locutus, agnosces. Græcus scholiastes, *iustos stellas* vocat, *qui tanquam luminaria sunt in mundo*, satisque in sacris literis frequens est stellarum nomine significari iustos, inambulẽt ergo stellę, inambulẽt iusti in tabernaculis impiorũ, sociẽtur improbis, quibus illi permitiosiores sunt iaculo, pũgũt ipsos sanctorum exempla, torquent quas cernunt passim exercere virtutes, feriunt assiduę, quibus ad meliorem frugem inuitantur, suasiones: testis est iustus impium accusans, iudex condemnans: integrum in se iudicium habet, qui iniustorum consortio iniuste viuit. Sub infelici signo natus es dũ inter sanctos degens stellis insertus impię agis, ex horum syderũ pulchritudine, luce, diuersitate, virtute tuam tibi perniciem coniector inauguror infortunium. Hinc sapiens Iob in felicitatem imprecans impio dicebat: *Pertranseat os eius iaculũ stellæ inambulent in tabernaculo eius.*

Sanctorum Prohetarum triumpho, in cœlos ascensione, quam viderat, attonitus hærebat tyrannus, quæ illum rabies dilaceret, quæ consumat inuidia vix mente, calamo attingi non potest. Quem silicem tam patens miraculum non molliret? Quod ferrum tanto diuinæ virtutis igne non liquesceret? ipse vero silice durior, & ferro quasi vile lutum gemini illius solis radiis magis induruit; lucibus caligauit; cõfussusque muto ministrorum silentio, & formidabili eiulatũ eorũm; qui terræ motu supercadentibus ædificijs obruti opprimebantur paulo post animas halaturi, regiã reuertit minori quam venerat comitatu, quippe innumeri eius sectatores mendaci pro palato figmento, pœnitentia ducti Christi vexillis accesere, per vicos, & plateas sanctissimum Iesu nomen prædicarunt: eaque recẽs cõuersi militis fides erit, vt additus veterano coacto copioso agmine hostis Antichristi declaretur. Egressus igitur Christianorum exercitus Ierosolymis in montem Apadmũ proficiscitur, qui duas tantum distabat leucas, & in summo illius fastigio (Daniele attestante) stationem castra fecere. (Mons hic castello Emaus proximus esse dicitur à Hierõnym. & Theodor.) disponũtur copię, hostilẽ aciẽ expectant euersuræ. At quibus armis, nã bellica instrumẽta ex vrbe excepta non video? Quibus? Fide viua Dei innixa portentis, quæ in strenuos duces suos Eliam, & Enoch Operatricẽ Dei manum patrauisse conspexerant. Nulla armatura fide fortior, expugnari nõ potest quem defendit fides.

Cõciderat animo Gedeon; prælium cum Madianitis inire trepidabat, quem sic metuentem Angelus apparens alloquitur. *Dominus tecum virorum fortissime*, & Angelo Gædeon. *Si Dominus nobiscum, vbi sunt mirabilia eius quæ narrauerunt Patres nostri, atque dixerunt de Ægypto eduxit nos Dominus?* Ad quem iterum Angelus. *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian.* Pendo illa beati spiritus verba, *virorum fortissime*, & hæc, *vade in hac fortitudine tua.* Qui potè vt fortis appelletur, suæ confidere fortitudini suadeatur, qui grauis perculsus metu, viribus fractus nõ audet manus cum hoste conserere? Hoc imbecillitatem præseferre videtur, non virtutem. In qua fortitudine vincet in quo animi robore Israel de Madianitis liberabit, qui hostes pertimescit, qui fortitudine nulla firmatur? An quia meminerat magnaliũ, Dei quæ cũ ipsius Patribus exercuerat, quia firmiter Dei gesta credebat, quia, vt decebat opinabatur de Deo? Ità profectò. Do Theodoretum huius cõceptionis auctorem. *Memor erat Gædeon mirabilium Dei, firmamque de Deo habebat opinionem, & meruit audire ab Angelo, proficiscere in robore fidei huius, & vince.* Illustre fortissimi cognomentũ sua peperit Gædeoni credulitas, extorsit illa, quod timor negauerat, ibi vbi fides fuerit, fortitudo vigebit, credidit religiosus dux, proculdubio hostilem dispersurum aciem, militem trucidabit aduersum, Israeliticum populum liberabit. Ecce tibi quam scite ab Angelo fortissimus appelletur, magna illi victoria portendatur. Iudic 6.

Dan. 6. His áddo. Inuiſum ſatrãpis Dánielem magis inuito, quam volente Dario Babyloniæ Rege in leonum conijci lacum publica auctoritate decernitur. Permiſsit Rex credens Prophetam à Deo ſuo è ferarum faucibus iri liberatum. Solito leones alimento fraudantur, vt preſsi fame prædę auidius inhiantes non prius fuiſſet illa dedita, quam deuoraſſent; pleno ore intenti paſcua expectabant; datur eis Daniel, & quaſi refecti eſſent, & referti viſu intactam reliquere prædam. Compreſsit innocentia iuſti belluinam ferocitatem? Sua ipſius ſanctitas Danielem ſeruauit illæſum? Di cat qui velit, ego ad rem meam Tertulliano credo in hæc verba: *Danielem ſtatim vtique conclusa, & vſitata feritas leonum deuoraſſet, ſi Darij digna præſumptio de Deo falli potuiſſet.* Credulitas Regis incolumem nobis Prophetam reddidit, fruſtrari fides nõ poteſt miraculorum exiſtit effectrix, famelicas ſcit ſaturare feras ferociſsimos lenire leones, ibi virtus eſt, vbi credulitas.

Tertull.

Renuntiatum Antichriſto fuit fideles benè magnum exercitum collegiſſe, in verticè Apadmi caſtra conſtituta, munita, ex ſuis plurimos ad ipſa concurrere gaudentes ſub Chriſto duce mereri. Dirumpebat inuidia tyranni viſcera, diabolica tractus rabie iam circũquaque diſcurrebat furens, iam labia mandẽs, manu manum fricans, & premens ſtabat intẽtus, iam vocabat ſuos, egredi iubebat ingreſſos, me ne inermes? homines me ne repetebat inſaniens, ſæpe verba ſecabat, ſæpe iam iã prolaturus arcebat, totum infernum illum diceres agitare. Tandem exercitus ſui duces Gog, & Mogog ad ſe vocat, venientibus imperat, maximum comparent agmen, in ſibi re belles impetũm faciant, deleant, extinguãt. Cogitur illud, inſtruitur, canitur bellicũ, inũdant agros Antichriſti copiæ, medium tenentes exercitum prædicti duces iter faciunt oppugnaturi ſanctam Dei ciuitatem in Apadmo conditam; bellicis inſtrumentis perſonãtibus ſuperbum graditur agmen, innumerã militũ multitudine, quam claudebat, totum orbem ſubigere facile potens. Obijcitur ipſi exercitus Chriſtianorum montis fixus faſtigio, ſubitoque intonuere cœli, dare ſe precipitia fulmina in Antichriſti copias non ceſſant; ingens harum ſequitur clades.

Id præcipuè hic animaduertendum venit cœlum tam amicũm homini, ignem, qui totus vſui inſeruiuit humano in hominis perniciem conſpiraſſe. Cur ita? Hæreo inuenire rationẽ niſi quia extremus inſtabat dies, quia diuinum appropinquabat iudicium, & accenſa erat in ſupplicium hominum Dei irati cenſura. Videre eſt pulcherrimum illum mundi, & patrem, & oculũ hominis miniſterio addictum, ſubiacẽtem, fouere plantas, decorare flores, generare fructus: ſolis æmulam illo expirante, tot luminibus comitatam præbere ſe facem cõmunem noctu deambulãtibus: ignem, reliqua elementa, & creaturas, ſuas in humanam vtilitatem operas impẽdentes. At vbi extrema peruenit dies omnes illas in hominem coniurare. Cum diſtringitur diuinæ iuſtitiæ gladius, quę ſuauius modo demulcẽt, liberius ſeruiunt, quæ gratiora, & iucundiora ſe præbent, acrius accuſabũt. En tibi cur in homines cœlum iaculetur, eos ignis comburat. Accipe expreſsum huius veritatis exemplũ à D. Bernard. quam ille facetus, quam lepidus mulierem primam conſiderans, dulcibus ſponſi officijs placidam, ouantem: Adamum gratum, obſequioſum, plura pollicentẽ, patrem, & matrem, vt vxori adhæreat relinquentem. Cum autem venit Dominus præuaricationis impoſturus vltionem, excuſat vxorem, totum ſibi crimen adſcribit? Nihil minus. Audi pulcherrima Bernardi verba ne noſtris venuſtam hanc eius cogitationem fœdemus. *Ecce enim ſcimus ò Adam, quia os de oſſibus tuis, & caro de carne tua, & eius amore peccaſti videamus nunc quantum diligas eam. Venit Dominus igneum tenens gladium in vltionem præuaricationis, oppone te diſcrimini propter illam, & dic Domine, mulier in firmior eſt, mulier ſeducta eſt, mea eſt iniquitas, in me vindicta procedat, ſed nõ loquitur ſic. Mulier, inquit, quã dediſti mihi, dedit, & comedi.* O triſtẽ fœminam! homo ille, cuius te totam poſsidet amor, cui nimiũ fidis, qui aureos tibi pollicetur montes, qui fidem illæſam ſeruaturũ iurat: hæc, quam iactas, qua ſuperbis oris pulchritudo, corporis elegantia: hæ, quibus gloriaris, & triumphas diuitiæ; hæc ſunt, quæ acerbiorẽ tibi ſollicitabunt pœnam, quæ diuinam inteiram ardentius cõmouebunt. Deſere deſere, quæ in diuino iudicio nulli adiumento tibi eſſe poſſunt, nocumento maximo,

Bernard.

# CONCIO QVARTA

## De Antichriſto.

IN denſas hoſtium turmas cœlum iaculari non ceſſat; ingens Antichriſti exercitus gemitu clamoribus intermixto funditur omnis; comminuuntur copiæ, cœleſtibus ignibus inflammatæ phalanges non paucæ pereunt, eoque vis extenditur flammæ, vt non modo præliantes milites lambendo glutiat, verum omnes Antichriſti gentes vbique terrarum ſparſas quaſi admotis facibus incendat, vno eodemque tempore, pene infinita earum multitudine exanimi concidente; eam tamen inter populos communi ſtrage morientes cladem ſentiet exercitus, vt per ſeptem annos humari cadauera, pila, ſcuta, lanceas, & alia inſtrumenta belli igni alimenta miniſtrare non ceſſent. Qui ex agmine incolumes ſuperfuere (nam pauci integri, maior pars extincta) fugam arripiunt: & inter hos etiam ſuperbi copiarum duces Gog, & Mogog terga vertere, quaſi fugientibus Deum ſecurum pateret iter; ſed plures gradus non fecerant, quando impium pondus impatiens terra immanè dehiſcens deuorauit. Deus ſe fugientes punit, quærentibus eũ auxilia gratiæ reſeruans, quam intercedente Virgine, & ſperamus, & conſueta oratione depoſcimus.

In maximum labuntur errorem, qui vt imminens diuertant periculum, inſtantem laborem vt fugiant, fugiunt Deum. O miſer ſi fortitudinẽ, ſi ſecuritatem fugis, vbi ſecurus eris, vbi fortis, vbi potẽs pericula deuitare, euadere labores? nimium ne crede creaturis, omnes tibi fugienti impedimento erunt, nulla ſubſidio, nulla te impune abire permittet, nulla tibi audebit indulgere. Diuino cõpulſus præcepto Ionas, ſuam periclitari famam exiſtimans ſe dedit in fugam, commiſit mari, vix hoc fugitiuum ſuſtinere ſe ſenſit, cum fluctus euehens, ſtridentes in auxilium conuocans vẽtos, præruptis aquæ montibus fremens rapido uorãdam vortice nauẽ, qua Ionas vehebatur, adoritur. Cur ita furit mare, nũquam ne nãuale pondus expertum fuerat, terga nauibus terenda non dederat? Sæpius dederat, vndè ergo tam ſubita huius creaturæ commotio? Claudianus Mamertus in vanos Poet. *Claudian. Mam.*

*Domini natura rebellem*
*Cognoſcens timuit per ſe quaſi conſcia tutum*
*Ferre reũ, & ventis fugitiuũ vinxit, & vndis.*

Rebellant omnes creaturæ in rebelles, & fugitiuos homines, inſitus à natura inſenſibilibus creaturis peccati timor, & odium mare edocuit, ne Ionam ſuſtineret fugiẽtem; quaſi ſupplicium timuit, ſi Prophetæ ferret auxilium, timuit ſi Ionam velut compedibus, & catenis ventis, & vndis non vinciret. Sic Deum fugientẽ creaturæ impediũt, ſic ligant, ſicut cõpedes, & vincula deambulantem. Vis periculà indemnis, euadere, vis Dei iraſcentis manus effugere? A ſingulis creaturis de illo ſciſcitare, quem fugis; nulla cura premaris, niſi vt Deum diſquiras, quæritare non ceſſes quem offendiſſe cognoſcis, interroga quos offenderis, an quem tua diligit anima viderint? Audi quid ſanctę animæ cõtigiſſe feratur. Exijt ſponſa è domo ſua ſponſum quæſitura per ciuitatem, vicos, & plateas, & ecce fiunt illi obuiæ armatæ cuſtodum phalanges, *inuenerunt me* (ait) *vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem.* *Cant. 3.* Verũ inter militum arma, intempeſta nocte, & ſola non timet, ſed impauida percontatur ab illis *nunquid quem diligit anima mea vidiſtis?* & cõtinenti arma, deſpiciẽti milites inoffenſum hi trãſitum ſpõſæ dedere. Exijt ſecũdo ſponſum, *Cant. 5.* cui diſplicuerat, nolens ei aperire, quæſitum, & vbi primum cuſtodum phalangibus occurrit, grauiter ab illis percuſſa, vi multa pallio nudatur. Vndè modo ſæuiunt in ſponſam cuſtodes, quos intrepida ante contẽpſerat? Cur modo, nõ ante percutitur? Cur modo milites pallium tulerũt crudeles, & barbari, quod pij antea permiſſerant? Ingeſsit hoc difficultatẽ Doctorum grauiſsimo, & acutiſsimo Ambroſio: tamen, quæ ad rem noſtram ſpectat, ipſe euaſionem inuenit. Accipe illam. *Qua ratione*

*ſupra*

*ſupra non tulerint hæreo reperire, niſi forte quia ibi interrogaſſe ſe dixit, nunquid quem diligit anima vidiſtis?* Mala omnia propellet, ſecurus per media pericula incedet, inoffeſo pede hoſtiles per copias tranſibit, qui Deum diligenter diſquirēs de eo ab omnibus creaturis percontatur: certo autē, grauique periculo exponitur ille, qui Deum fugit. Sed quo modo, inquis, non fugiam Deum, cuius in me iram toties concitaui? quem diſtrictum iuſtitiæ gladium capiti meo imminentem habere conſpicio? Multa in Deū peccata cōmiſerat Dauid, & illū nō fugit, imò ait: *Ne declines in ira à ſeruo tuo:* At dices ideò, ſic ab Auguſt. arguitur. *Quid times ne declinet à te in ira, ſi à te declinauerit nō in te vindicabit, ſi incurras in illū iratū, vindicabit te: opta ergo potius, vt declinet à te in ira.* Adhuc Dauid in ſua oratione perſiſtit, nō declines in ira à ſeruo tuo, quid enim creaturæ infeſtius, quā à ſuo creatore auerti, quid magis homini noxiū, quam â Deo recedere; ab omni gratiarū fonte incolumitate, vita, fugis, vt viuas, & moriere quia fugis, qui enim à vita fugit in mortē incidat neceſſe eſt, Dei iram times, quem fugis, & in eam fugiendo deuenies. Nouerat id Auguſtinus Dauidis ſententiam probans, cum ſubiungit. *Quid nouit, quid deſiderat? ira eius non eſt, niſi auerſio eius.* Iram volebat declinare Dauid, non vt ab eo, etiā in ira, declinaret Deus, ira enim diuina eſſe non poteſt, vbi à Deo eſſe nequit auerſio, nec ab eſſe ira vbi auerſio adeſt. Adi ergo Deum, in eius manus te cōijce, & ſi iratus eſt, declinauit ab ira, non à te, ne fugias quia auerſio à Deo Dei ira eſt, & in fugitiuū hominem inſenſibiles etiam creaturę rebellāt ſicut è contra etiam infidelem, ſi Deum non fugiat, ſed Deum cōfiteatur, ſi Deum inuocet, nulla creatura lædet, obſequētur omnes, hac inuocatione propoſita quęlibet diffugiet pericula. Id quod Danielis, 3. ſic confirmo. Miſit Nabuchodonoſor rex tres illos pueros in fornacem ardentem; ſiquis ad caminum accedebat vorax inde erumpebat flamma, & paſcebat illum. *Erupit, & incedit quos reperit iuxta fornacem de Caldeis.* Ecce tibi Tyranus accedit tātæ impietatis reus, tā atrocis cruciatus auctor, & flamma illum tangere reuerita cohibetur. Sanè mirum eſt impijſimūs omniū igne non flagret, & Caldæi miſeri deuorentur. Quāto æquius hoc ille tormentū meruit, qui inuenit? cur igitur igne nō lædit̄ur? Quia Rex licet impius, licet attrocitatis inuentor, commotus miraculo, quod cernebat, Deo puerorum flammis intactorum benedixit, confeſſus eſt; & benedicentes, confitentes Deum neceſſario cognoſcunt, ac metuunt pericula, reuerentur labores, auidiſſima ignis creatūrā nocere formidat. Notauit hoc acute Chryſoſtom. hom. de tribus pueris nu per tradūcta, inquiens. *Tunc exijt rex ad oſtium fornacis ignis ardentis, nec cum prope fuerit poſitus flamma contingitur, neceſſario enim ab ipſo igne cognoſcitur, qui Dominū cœperit confiteri: per hoc, & dixit: benedictus Deus Sidrach, Miſſach, & Abdenago, qui liberauit pueros ſuos.* Chryſoſt.

Nō poſſunt Elias, & Enoch nō debellare dęmones, de triumphare Antichriſtum, qui Dominum confitentur, prædicant, adorant. Cōfitere Deum, nomen eius tua perſonet lingua, & voracibus flammis, prementibus malis, furentibus laborum fluctibus, cōſpirantibus in tuum interitum cunctis creaturis facili negotio reſiſtes, quæcumque euades pericula, diffugies calamitates.

Hærebat pauore plenus cum exercitus ſui fuſionem Antichriſtus cognouit, cladem ducum, crebra vndique nuntia de frequenti interitu ſuorū, credēſque tātæ calamitatis Chriſti ſectatores, & ſibi rebelles cauſam extitiſſe, in illos, quiin Appadmo monte acie collecta ſtationem fecerant, totis viribus facere irruptionem decernit: maximum hominibus ac dœmonibus commixtum cogit exercitum. Ipſe copiarum Imperator montem proficiſcitur; lata illum militum corona circuncinxit adeo, vt omnem euadendi ſpem Chriſti militibus eripuiſſet. Vna ſalus timidis vna nox quam lacrymis ſuffuſum ſanctum agmen flexis genibus feruenti oratione conſumere decernit, vt ad necem pro Chriſti gloria ſubeūdā, vbi dies appetat, diſponatur. Producebatur ſanctorū oratio, quando (teſte Lactantio) rum pi repente cœlum, clara luce fulgere terram, vnicum labi enſem, & Chriſtianorum manibus offerri magna ipſorum exultatione videtur. Sed quid vnus gladius multo militi? vnus dum taxat illo vti poteſt, at vnus in denſiſtimas hoſtiū copias prævalere quî poteſt? Potentior eſt vnus iuſtus, quem armauit cœlum vaſto quolibet exercitu peccatorum; tanta eſt imbecillitas vitij, tanta virtutis potentia, 1. Reg. 30. Saul maxima comparata manū in Dauidis necem cōiurans, ciuitate egreſſus in planitie tētorijs apta, caſtra locaurt; accidit, vt dormiente Saule Dauid preſſo pede gradiens, & veſtigium, quando acceſſit proprius, ſuſpenſum ponens ne à ſomno excitaret regē, huius haſtam caperet, & pari paſſū egreſſus foris ſtans vociferari cœpiſſet; obſtupefactus Rex Dauidis vocibus ipſum vocat, & venienti ait: *Iura mihi in Domino, ne deleas ſemen meum poſt te.* Tanti imperator exercitus vnum hominem timet, & ſuum delere ſemen potentem iudicat? in manu eius regnū æſtimat conſtitutum? Irruat, & conficiat hominem 1. Reg. 30

Ambr.

Pſal. 26.

Auguſt.

Dan. 3.

mine phalanx militaris. Vtique non poteſt, tanta enim eſt (ait luculenter Theodor.) *imbecillitas vitij, vt imperator tam multorum militum rogaret fugitiuum, & qui erat cùm multitudine militum eum, qui aufugiebat, vt ipſum imperturet clementia, vt patrium ſuum nomen non expungeret.* Theodor. Potens eſt vna iuſti virtus hoſtile multorum peccatorum agmen quantumcunque illud ſit ſuperare; inualidæ ſunt fuſiſsimę horum copiæ ſoli vno iuſto reſiſtere, aut inuadere, hic enim fortior & præſtantior eſt non ſolum vno exercitu, ſed vno regno.

Saltanti puellę dimidium regni (ſi peteret) promiſit Herodes. Illa ex nefariæ matris conſilio, ſaltationis in præmium Baptiſtæ caput expoſcit. *Et contriſtatus eſt Rex propter iusiurandum.* O ſtoliditas, ò Regis imprudentia! quid triſtaris? Nonne dimidiatum regnum puellę promiſiſti? Quid amplius debes? Ad id tantum teneris, quod ei pollicitus es: id te daturum reſponde, non caput Ioannis, quia hoc non dimidiato, ſed integro etiam tuo regno præſtantius eſt. Huius conceptionis, gloriam ſuo demus Auctori Baſilio Seleuciæ. *Quando dimidium regni pollicitus* (loquitur de Herode) *Ioannis caput pro munere repoſcebatur, quid admiſiſſet iniuriæ, ſi talia locutus fuiſſet? Ego dimidiatum regnum pollicebar, tu verò Baptiſtæ caput exquiris toto meo regno præſtantius.* Baſil. Sel. Quid ergo mirum ſi vnicus gladius vnius tantum militis Chriſtiani manum implens Antichriſti diſperdat copias, victoriam reportet.

Vix dies aduenit, cùm ſanctorum exercitus cæleſtibus armis munitus in inimicũ perruptionem facit, diſiecit illum, & in fugam ſe dare pauidum turpè compellit. Dira correptus rabie Tyrannus diſperſas phalanges colligit, quas in fugam terror impegerat: cenſet exercitum, totuſque minas expirans proſilit in fideles, qui robore, ac virtute diuina communiti contrarium impetum animoſe retundentes iterum hoſtes in terga dedere. Ter Antichriſtus Catholicos inuaſit, toties ſuperatus receſsit, multo metu perculſis inferni miniſtris, quibus augebatur: cumque ſagittà ſe vulneratum ſentiret, receptui canit: milites reuocare gradum; percuſſus grauiter imperator ſe in regiam ferri iubet; ibi expes victorię, ſi viribus cum fidelibus congrediatur, ad malas artes, & machinamenta regreditur: & tam ipſe: quam ſequaces eius mortalem illum eſſe in vulgus edunt: cæterum tertia poſt obitum die, propria virtute excitatus omnibus gloriouſus, vt appareat, fore. Tandem mentitur mortem, & triduo elapſo (ſic Haymon, & Beda, quem plures retentiores ſe quũntur) in inanime corpus ſpiritum reduxiſſe ſe fingens infinito ſe populo excitatum, & glorioſum dat. Hic hominum ſtupor, hic populi applauſus, hic orbis acclamationes triumphum mentiti reſurgentis decantantes, fallaci miraculo credentes. Ille, vt æternitati ſuum litaret figmentum, vt imbecillitatem diſsimularet ſuam maieſtate plenam aſcenſionem in cœlos machinatur: diuulgatur hæc, ſignatur dies, innumera hominum multitudo vndique in vrbem confluxit. Superbus ſupra quam dici poteſt, Antichriſtus, multis dæmonum cateruis, Angelorum ſpecies referentibus conſtipatus, luce veſtitus Oliuetum montem adijt, inde ad æthera petiturus.

Heu miſer quàm certo, quã proximè tua inſtat ruina, nullus enim imminentis ruinæ, vicini caſus certior eſt index, quam tot ſplendoribus ſimulata malitia, tot affectatæ diuinitatis, & virtutis ſignis tecta peccata. Audi Euangeliſtam. *Ab arbore fici diſcite parabolã cum ramus eius tener fuerit, & folia nata, ſcitis quia proprior eſt æſtas.* Matt. 24. Cùm hyemis declinante rigore, tenereſcunt arborum rami, vireſcũt frondibus, concepti floris, & ſtructus diuitem partum promittunt, quaſi digito æſtatis ſignant aduentum. Ita ſimiliter, cùm peccator tenereſcit, hoc eſt, quando quæ germinat vitia, ficta virtutis ſpecie quaſi florum colore decorat, & quaſi fructibus ditat, quando peccati turpitudinem mentitæ iuſtitiæ pulchritudine, & ſplendoribus illuſtrat, & ipſis flagitijs tanquam decoro prætextu tegitur (tantum abeſt, vt peccati fæditatem abhorreat) certiſſime cognoſce, proximã huic imminere ruinam; iam ſpeculari mortem hos flores, quos demetat; propriorem æſtatem eſſe æterni, ſcilicet, ignis ardorem, qui ramulos, flores, honoreſque criminoſi huius hominis iugi ſua flamma comburat. Fallar ſi hoc non intendebat Hilarius his verbis. *Peccator cum tenereſcere cæperit, atque frondeſcere, tunc proxima eſſe æſtas ſentietur. Erit enim flos criminoſorum, & honor facinoroſorũ, quibus tamen eſtus, ideſt, calor æterni ignis in proximo eſt.* Hilar. Ruet proculdubio in præcipitium miſer Antichriſtus, qui quaſi cæleſtibus malignitatem ſuam ſimulans claritatibus, commentitiæ diuinitatis argumentis peccata tegens cœlos ſe aſcenſurum eſſe mentitur, flos enim criminoſorum, facinoroſorum honor certam de vicino monſtrat æſtatem, æternos, nimirum, ignes, quibus abſumentur.

# CONCIO QVINTA

## De Antichristo.

VBI ad Oliuarum montem Antichristus pernenit, infinita turba cernente paulatim se è terra erigens, cælesti splendore amictus leuatur in aera. Pompę huius maiestas, commentitia diuinitas limpidissimos quosque perstringet oculos; innumeri ascendentem dæmones comunicantur splendidissimos fingentes Angelos: alij in glorioſas diuisi turbas, triumphatori suo sæpissimè occurrentes, festiuas acclamationes fundunt: alijs varios ducentes choros, eius cingentes latera dulcissimo concentu, & terram implebant, & æthera: omnium lucidissimi nectentes manus gloria; & honore plenum texuere solium, vbi exceptum Antichristum, fictæ diuinitatis pondere opprimi simulantes, placido, & lento volatu superbissimum hominum altè fastigiant: singulis, quibus aerem scandit, gradibus; omnium in se animos rapit, & oculos, fixo suspicientium obtutu, superamque hominis potentiam obstupentium. Sed statim communis illa lætitia, triumphale gaudium in horribilem metum, splendores illi in noctem vertuntur obscurissimam. Stat subito fictitia machina ad conspetũ veri Imperatoris Regis Regum, & Domini dominantium Christi Iesu, qui signifero suo Michaele comitatus obuiam Antichristo factus, hoc illi verbum fecit. *Morere.* Dicto citius Michael miserum, & insolentissimum hominem in terram præcipitauit exanimem.

Dan. 11. *Et nemo auxiliabitur ei.* (scribit Daniel) Nullus eorum qui Antichristi spem alebant, fouebant machinamenta sua dabant: fallacias; eorum, quibus ille tantum fidebat, opem tulit: iustum sanè supplicium insensati hominis, qui spem suam in vanissimis creaturis locat, & ab eis expectat auxilium; fœlicissimi, qui certum à Maria patrocinium, expectant, & implorãt; fœlices nos, qui id etiam speramus, & Angelica Salutatione deposcimus. Aue Maria.

O faxit Deus altamente reponatur illud Danielis verbum. *Et nemo auxiliabitur ei.* Erit erit illud tempus, quando homo, quem adorat mundus, in cuius obsequium omnes creaturæ certatim voluntaria emulatione conspirant, mox vbi auxilij videatur egens, ab omnibus deseratur. Is prius tui immemor erit, à quo pollicitationes firmiores hauseras, antea sibi, quam tibi de futurũ; tui memoria, prius se periturum, quam in se pereat; tandem id de se, quod dete, agendum, vt pote quos vnus agit spiritus. Mentitis verbis ne adhibeas fidem, nam idem ipse vix te distitutum ope, indigum cognoscet auxilio, cùm cognouisse te neget, tecum conuixisse, necessitudinem, aut cõsuetudinem habuisse se pudeat. En qui diuitiarum, & animæ non modicam iacturam pateris, qui politicas, & diuinas conculcas leges, vt amicos, vt sti patores, vt assentatores acquiras, quid acquiris? Tu etiam, quem modo parentes oculis semper, & ore ferunt, adeo tui amore succensi, vt non diligi, sed ab ipsis coli videaris; ad eorum aspectum perire te cognoscens, & illos tui obliuisci periculi, non dolore, imò lætis acclamationibus alacres vacare.

Do tibi propositæ veritatis exemplum, num. 16. Cum tibi viderentur Core, Datan, & Abiron, Mosem populi dignitates sibi affectare, & assumere, in defensionẽ, & immunitatem populi coniurant, eius causam agunt, ad id factiones compellunt, Mosi opponuntur: officia plane, quibus omnium in se conciliabant amorẽ. Ecce tibi supplicium adest, & dehinscens terra cum vxoribus filijs, ac domibus, Core, Datan, & Abiron viuos absorbuit. Quid tum familiares, quid propinqui, quid ciues? Teneant auxilium miseris præbere? Nec vnus *Omnis Israel, qui stabat per gyrum* (ait scriptura) *fugit ad clamorem perentium dicens, ne forte & nos terra deglutiat.* Miserrimum est, vt ipsi, quibus inseruis, quibus fides, amici, coniuncti, patres, cui non misereantur, sed obliuiscantur doloris, festiuis que clamoribus incumbant. Notauit hoc Iosephus in prædicto supplicio libr. 4. cap. 3. factus: *Fuit*

Num. 16.

hic

*hic caſus eo miſerabilior, quod adeo nemo, nec*
Ioſephus. *propinquorum quidem, aut cognatorum eos miſeratus, vti totus, quantus erat, populus ante actorum oblitus latis acclamationibus Dei ſententiã comprobaret.*

Mat. 25. Ad idem Matth. 25. excluſæ Virgines fatuæ pulſitauant ad prudentum oſtium, carentes oleo dum dormiærant, foris ſtantes fruſtra clamabant, nam quæ intus remanſerant nil reſpondent, ne dum earum infœlicitatem ſe exprimunt condolore. Cur ita? Non ne virginibus virgines notæ? Non ne Paulo ante familiariter cõuiuebant, & ſtricta cõſuetu-
Chryſoſt. dine amice nectebantur? Ita eſt (ait Chryſ.) Pſalm. 40. *notæ erant virgines virginibus, ſed nil eas iuuit ea familiaritas.* Poſt ſponſi aduentum, poſt clauſam ianuam, cùm imprudentũ virginum incuriæ infligitur pœna, ipſæ ſociæ, ipſæ familiares foris clamantium vocibus ſurdeſcunt: fatuæ apparuere, cùm dormierunt virgines, & oleo conſumpto extincta fuit lampas; nec minus fatuæ cum excluſæ domo ab amicis virginibus recipiendas fore ſecredunt. Ea quippe eſt creaturæ humanæ conditio, vt omnem in ſe fixam ſpem nunquam non fraudet. Vt videas ò virguncula, quantum tuæ familiari fidere debeas, quantum fallacibus amantis blandimentis, fictis pollicitationibus credere. Vt videas qui ſtipatorum exultas frequentia; qui mentitas adulantium voces inflatus captas; qui amicorum multitudine gloriaris, cõfidis, quam inanis ſit iactatio tua, quam infirmo nitens fundamento fiducia. Horum verbis necredas, vix enim aliud in humana vita communius eſt, quam ab ijs, cum afligimur, cum egemus, deſeri, qui noſtra cum egebant ope nos cõmitabantur, adulabant, vixque aliud permiteſcebat Dauid, quam huiuſmodi ſolitudinem, & deſertionem cum alieno ille opus erat auxi-
Pſalm. 7. lio, quando aiebat Pſalm. 7. *Ne quando rapiat vt leo animam meam, dum non eſt, qui redimat, neque qui ſaluum faciat.*

Qualis autem ſit iſta deſertio vt plene capias, accipe horrendum caſum, quem Damia-
Petr. Damian. nus ſcribit, eiſdem Petri Damiani verbis Epiſtol. 10. ad Greg. 7. Quidam penitus ſub peregrino habitu in noſtris partibus exulabat, qui perquiſitus, quę eum exulare cauſa compelleret? Cùm conuicaneo meo (inquit) ad ligna cędenda pergebam: Et ecce trabalis magnitudinis ſerpens, duobus atollens ſquamoſa colla capitibus, ſinuoſis flexibus obrepebat; qui nos vt eo ambulantes aſpexit, continuo ſcintillãs oculis, & tanquam linguis exacuens ora triſulcis, in nos impetum fecit; cui protinus cõuiator meus librata ſecuri vnum caput abſcidit, moxque ferramentum ex eius manibus cecidit. Protinus ſerpens in furoris rabiem implacabiliter efferatus in ſublime ſe erigit, quod ſolum remanſerat, caput atollit, auctoremque propij vulneris mordicus apprehendit, quem, mox vt inuaſit, ſinuoſis eum ſpiris implicuit, & inuoluit, totumque hominem ſuis viribus vindicans in ſubterraneæ ſpecus aſportauit. Sed dum traheretur ille (quod ſolum poterat) me flagitat, in me clamoſas voces ingeminat, vt vel ipſe ſibi promptus adiutor accurrerem, vel ſecurim, quæ in meis erat manibus, porrigere feſtinarem. ego autem infelix, & de gener., vltricibus flammis obnoxius, & ipſe potius à ſerpentibus deuorandus, væ mihi homicidæ, contremui: Et cum manibus eſſet agendum, cauſa dictante, non pedibus, fugam paraui. Ideoque a Sacerdotibus iniunctum mihi hoc exilium patior, me que vt reuera mortis illius auctorem deflere compellor. Quæ gemendæ calamitatis hiſtoria ita totum cor meum concutit, vt immenſam cordis mei formidem, nec ſtylo tradere, nec valeam ſermone proferre. Meditor enim ſæpe: ecce homo, & beſtia, duo pariter in ſpelunca: non mediator adeſt, nõ ereptor accedit, ferinũ ſane cor pietatis non emollit, præſertim cum rapidæ voracitati etiam ſupperaditur, vt illatæ contumelię grauis vltio compenſetur. Quæſo quæ rei tunc ſpecies erat, imo quæ mens miſeri hominis eſſe poterat, cum præda factus eſſet hoſt inſcio miſerari, cum euadendi ſpes nulla ſuper eſſet, ſed potius cruentis dentibus in eſcam traditus ferinam potius inglubiem ſatiaret? Huius ergo formidoloſi caſus ſpeciem in mea ſæpe mente depingo, mox que draconem totius crudelitatis auctorem, quomodo rapiat, ac deuoret animas pauida conſideratione pertracto, illum ſæpe verſiculum repetens. *Ne quando, inquit, rapiat vt leo animam meam, dum non eſt, qui redimat, neque qui ſaluum faciat.* Hæc Damianus.

Antichriſti morte latiſsimum eius euanuit imperium, dierum quadraginta & ſeptem ho-
S. Anſel. & Thom. minibus Deus conceſsit inducias (Anſelmo & Thoma teſtantibus) vt à turpi ad honeſtã traducerentur vitam. Conducet ad hoc ſubita, & horribilis elementorum commotio, tremenda cœlum prodigia dabit, quaſi mutis hominem ſuadentia vocibus, ad ſanguinem Saluatoris confugiat, niſi in manus Dei irati (quod horrendum eſt) velit incidere: è quatuor orbis partibus totidem ignea flumina vi tanta erumpent, vt in ictu oculi omnia in cinerem, & in fauillas redigãt, hoc tamen ſeruato diſcrimine, vt ignis conſumat inuictos, inſtos relinquat illæſos: hi ſuauiſsimas Deo laudes concinebant, cum interrupit eas inguens clariſsimæ tubæ ſonus medio perſonantis in aere,

aere,& totám terrám silentio,& pauore complentis. Tunc supremus iudex graui & sonora voce pronunciat *surgite mortui, & venite ad iudicium*, quam ex Archangelis vnus magno clamore ingeminans intimat surrecturis, & de eius iussu statim custodes Angeli, sui quisque alumni corpus, vbi maior pars inueniatur materiæ, iterum ex illa compangit. Iusti corpus elegans, & pulcherrimum apparebit, damnandi verô fædum, horrendum. Post hęc imperante Christo infernus emouet quot clauserat animas, quasque Lymbus, & cœlum habuerant, exhibebunt: accessere singulæ suis reuniędæ corporibus. Qualis erit primus ille conspectus? Anima iusti quam amicabili dilecto accolæ affectu consociabitur; damnati anima qua desperatione, qua rabie carneo illo carcere æternum crucianda trudatur ex iam iam dicendis agnosces.

Impatiens Israelis populus tardum Mosis cum Domino loquentis aduentum, conflauit sibi, quod adoraret, idolũ; vbi hoc Dux tãtus agnouit, Dei gloriæ inflãmatus zelo in duræ ceruicis homines grauiter est indignatus; *arripiensque* Exod. 32. *vitulum, quem fecerant, combussit, contriuit vsque ad pulueren, quẽ sparsit in aquam, & dedit ex eo potum populo.* Durio rem infidelis, & diffidens populus punitionem merebat. Vt quid in tam turpe facinus tale suplicij genus exercetur? quid illo Moses intẽdit? Puto ex probrare Israelitis vilitatem, quem coluere, Dei; ac si eos obiurgando proferret: erubescite cinerem, & puluerem adorasse. Videte, quid aureus vitulus, quid extimus, & fallax splendor, quid conflatilis Deus vester cõtineat? Fallor nisi huc respexit Aug. Ps. 73. aiens. *O ira prophecia! Quid egit, mitte in ignẽ, vt forma cõfũdatur minutatim cõminue; vt cõsumatur, da populo bibere.* Supplicii pro fecto simile ei, quod de anima damnata sume tur, cũ fædo, & horrẽdo suo corpori coniungenda accedens videat illud, cui tantum indulsit, cui nullas non appetiuit, & quæsiuit illecebras, cui omnem, quem poterat, ebibebat honorem, quod ingenti luxu, præciosis ac delicatis vestibus souebat, ornabat; cũ videat, quod adorabat, idolum in pulueris horrorem in cinerum redactum vilitatem. Cum videat libidinosa mulier, quæ capillorum vestigia artificiose calamistro notabat, quæ in facie candore, & rubore ficto illinienda, oculis inungendis stibio, inornando corpore noctes consumebat, & dies, eius iactans præstantiam, intuendum, & adorandum omnibus præbens, atque adorãs ipsa; cum videat hæc idoli, quod suspexit, squalorem fæditatem, pædorem, cũ videat deturpatos, & incomptos capillos; nigricantem, & deformem faciem; oculos rabiem scintillantes, totum corpus horrendum, & pestiferum fœtorem exhalans, quid sentiet infelix? Dici nõ potest, qua desperatione, quibus execrationibus mulieris huius anima tã horrido claudetur, ergastulo. Cõsule tibi, O fœmina consule tibi cum potes, alieno periculo, quod tibi depingo, cautior euade; ne capiaris pulchritudinis confictæ decipula: vide quod te supplicium expectet.

Tandem iusti resurgũt, & impij. Vt enim, *Cyprian.* ait Cyprianus de Resurr. Resurrectio communis est, & ante tribunal Christi, necesse est, in corpore iustos stare, & impios. Dei hoc dictãte iustitia, vt pietas, & impietas in operatoribus debitis stipendijs donarentur, & qui finẽ habere contempserunt in malis, infinita clauderẽtur vltione in pœnis, & qui gloriati sunt in cruce, cum Crucifixo regnantes beati fierent perennitatis participes. Cæterum erit in communi resurrectione diuersitas, nam iusti corpus (secus impij) non aggrauabit animam, sed caro sine mole, & pondere agilis, & mobilis nullis clausa obstaculis, visu, & auditu penetrans omnia, & attingens, quocumque voluerit, sine impedimento discurrens, non admissura iam corruptibilitatis, & mortis iniuriam, sed mortale hoc induet immortalitatẽ, corruptibile in corruptionem, nostræque humilitatis corpus corpori claritatis Christi factum conforme cœlestibus radians splendoribus collucebit. In valle Iosaphat tam fuscitati omnes, quam quos diximus ignita flumina non attigisse, conueniunt. Cæli tunc dirupto velamine Archangelus Michael visibili in forma sole lucidior, sanctissimę Crucis vexillum manugestans humanis conspectibus præsentatur.

*D. Aug.*

Delectabile quidem spectaculum iustis, improbis formidabile; cum cernant, sue quod esse potuit instrumentum salutis, in propriæ damnationis testationem produci: cum cernant vnde iusti peperere sibi gloriam, inde ipsos maius sibi comparasse supplicium: cum cernant prioris monimentum reipublicæ, Christianæ Religionis signum summam sibi ignominiam adducere. Heu quantum illos Crux Saluatoris ante oculos obiecta mordebit! Dum à Babylonijs Israelitæ captiui ducerentur, instrumenta musica veri Dei inseruientia cultui secũ asportarunt: *at in salicibus in medio eius suspendimus* (inquiunt) *organa nostra.* Cur ergo organa, & instrumenta musica deferunt, quæ pulsare recusant? *quomodo* enim aiunt, *cãtabimus Domino in terra aliena?* Sanè non sine magna Dei prouidentia factũ est, nimirum, vt veræ Religionis signis ob eorum oculos propositis pungerentur, vt dulcis Sion monimenta cernẽtes, seruiles Aegyptiorum *Psa. 136.*

tiorum facti iam incolæ morderentur. Dixerat D. Chryſoſt. *Hoc quoque fuerat a Deo prouiſum, vt in aliena regione haberent monimenta prioris reipublicæ, magis que morderentur dum Religionis, & Dei cultus illa ſigna viderent.* Eadem Dei prouidentia Crucis vexillum eorũ datur obtutibus, quos Babyloniæ rex captiuos ducit ad inferos, vt religionis, & cultus Dei illud ſignum, quod ſecuti non fuere, videntes omni tormento atrociori deſperatione, & rabie corrodantur. Chryſoſt.

Victorem ſigniferum commitantur cæleſtium ſpiritum nouem chori ſuper cæleſtibus vndique fulgoribus coruſcantes in oſtentationem glorioſæ ſui Principis maieſtatis. Hos ipſe ſequitur ſublimi ſubnixus throno è fulgentiſsimis nubibus effecto, cuius pedes rubeo candore ſplendentes Cherubim, & Seraphini inflammatis affectibus certantes oſculaturi ambibant. Conſpectus iudicis ipſo inferno impijs terribilior; adeo erit gratus, & iucundus ſanctis, vt diuini amoris æſtuantes incendio adorationem, & cultum præſtandi auidi; Principi ſuo aſcendentes occurrant. In hoc aſcenſu qui vitam retinuerant; vti neceſſum erat, morti conceſſere, & ſuſcitati parite emiſſum ibidem ſpiritum reſumpſerunt.

Mirabar equidem aliquos mundum potuiſſe deſerere, quin mortis amaritudinem paterentur. Is namque mundus eſt, qui neſciat ad huc quem ſua illi impertiendo bona blandus fefellit, eadem ipſi æternam afferendo mortem non crudelis eripere: is eſt mundus, qui non permittat ſui amatores, quos honoris vento velut chamæleones pauit, quibus voluptatum vniuerſitate ſeruiuit, quos fallaci pulchitudine, præſtantia que captiuans quieto iure poſſedit, non pati amariſsimos mortis dolores; hęc ſunt mundi teſtamẽtum, vltimaque volũtas: hęc ſunt vnica filiorum eius hæreditas. Vide hoc in vno eius amatore, & filio Abſalone: audiſti formoſum iuuenem, decoram faciem, auream comam, eleganter â natura corpus conſtitutum, imperio ſane dignum adoleſcentem, & reuera imperatoris filium, nullius indigum, omnibus affluentem. Vide nunc illum intortis capillis ramo arboris prenſum, à Ioab triplici transfixum venabulo, à decẽ militibus mille vulneribus confectum, hiatu montis iniectum, ſaxis obrutum; & dic (ſic enim fit) hic eſt humanæ pulchrituninis, humanæ felicitatis finis. *Hæc eſt hæreditas violentorum ab Omnipotente.* Aiebat Iob iuxta Magni Gregorij mentem, hæc eſt hęreditas, quam filijs huius ſæculi omnipotens ſeruat. Inſequere inſequere fugientes honoris vmbras, aucupare voluptatum illecebras, obſequere fideliter mũdo, vide quæ tibi aſſeruetur hæreditas, miſerabilis nempe caſus, præſentium iactura bonorum, horror æternus: *Hæc enim eſt hæreditas violentorum ab Omnipotente.* Iob. 27.

Illuſtrat, & protrahit Ecclæſiaſticus ſententiam ſancti Iob iniquiens: *Hoc eſt teſtamentum mundi, morte morietur.* Scis quorum te mundus fecit hæredem, quæ tibi teſtamento legauit, quas opes, quas dignitates? Profecto hęc. *Morte morietur.* Si alicui maximum legatum relinquendum erat, id quidem meruit Dei Filius, qui anthonomaſtice filius hominis vocatus eſt, qui humanũ genus demeritus adeo fuit, vt illum præſes Pilatus conſiderans ætern'is laudibus dignum iudicaret; aſt cum illum Iudeis reddere volebat incolumem, communis populi clamor excreuit Ioan. 19. *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori.* Multus eſt D. Antonius de Padua in ponderandis Iudeorum vocibus, & eas in mundialium bonorum, & voluptatum ore ſic collocat. En tibi ô pulchritudo & decor humanus hominem, qui maiorem ſuæ vitæ partem in tui impendit obſequium, inquietus die, in ſomnis noctu, decoros, & blãdos oculos ſuſpiciens; atque oris certantem cum rubore niuem adorans: quid prọ his offi cijs illi rependes? Ad quæ ſic illa. *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori.* En adeſt ô honor, qui nullum non mouit lapidem, nulli labori pepercit, vt falſæ gloriæ, popularis, auræ aucuparetur vmbram: Quæ tot meritis præmia proponis? *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori.* Ecce ô voluptas hominem tibi conſecratũ cuius in te omnis fixa felicitas, qui honore poſtpoſito, ſalute deſpecta te vnam ſemper amplexus obſequentiſsimè coluit. Quã illi mercedem propinabis? *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori. Hoc enim eſt teſtamentum mundi; morte morietur, hæc eſt hæreditas violentorum.* Vide quem colis, quem amas, cui inſeruis, ô infelix mundi mancipium, filius, amator. Eccle. 14. Ioan. 19. D. Ant. de Pad.

# CONCIO SEXTA

## De Antichriſto.

QVAM Læti, quã feſti ui ſanctorũ occurſus ad Dominum hiſtoria proximè clauſere concionis. Cœlo labebantur ab alto cæleſtium ſpirituum nouem chori viſibilibus formis apparentes. Tot putares clariſsimis ſolibus orbem illuſtrari. Aſcendebant è terra, qui glorioſam fuerant adepti vitam nũquam iãm ad funerã reddituri; ardentiſsimoque animorum ęmulantes affectu Principis ſui Ieſu pedes, & manus deoſculari occurrunt: vellent in rubentibus eorum vulneribus ſepeliri. His ſupremus ſtipatus Iudex ad Ioſaphat vallem appropinquat (intercludit eam hinc oliuarum mons, inde Hieroſolyma, eiuſque plantæ torrentis Cedron, argentea lingua lambuntur. Hic Chriſti corpus iudiciario honoratum throno, minyſterio thronorũm, & dominationũ effecto, veſtitô gloria ſupernę maieſtatis inſedit, excelſum ijdem ſpiritus iuxta, & ad Filij dextram Matri parauere conſeſſum. Sequuntur duodecim Apoſtoli duodecim glorioſa ſolia occupantes: varias que tenentes ſedes varij viri, qui Apoſtolicã duxere vitam, Chriſti Crucẽ geſtantes, tribus paupertatis, caſtitatis, & obediẽtiæ votis religati. Ea enim perfecti religioſi dignitas eſt, vt inter iudices, reliquos homines iudicaturus conſideat. Ad dexterã cæteri beati & ſpiritus, & homines ſubſellia dicta coronant. Locatur ad lævam infinita damnatorum multitudo, quam cum vallis ampla non capiat, vicinos montes, & campos occupabunt. Aderunt dæmones horribiles animalium figuras referentes. Inter tam diſcors beatorum gloriæ, damnatorum calamitatis ſpectaculum, quæ humana, quæ Angelica mens, aut lingua iudicis maieſtatẽ, & gloriam cõplecti, aut explicare poterit? Veniet (ait de ipſo Matthęus) in magna gloria. Vt nos ex tot & tantis, quæ hæc nobis loquitur gloria, aliqua loqui poſsimus, vſi tatam virgini orationem fundamus, certam eius opem imploremus: Aue Maria.

Vt quid, ſi ſapis, ſummus iudex tantam gloriam, & maieſtatis oſtentans totis, quot damnat, hominibus conſpiciendum ſedat? Equidem id cauſæ eſt, vt in noteat omnibus, ipſis proſpexiſſe, non ſibi, cum vitia propellenda, clamabat, cum peccata cauenda priuatim ſuadebat, & publice, concionatorum permouens linguas, ſeuere in effrẽnes aliquos homines animaduertens, ſingulorum, illuſtrans mentes, excitans voluntates. Peccent quantum, velint homines blaſphemijs, furtis, cædibus, adulterijs deturpentur. Peccare poſſunt, minimum gloriæ apicem eripere à Chriſto non poſſunt: Ita tamen ſe tota priuare, quam, ſi pie viuerent, obtinerent. Cui ò peccator damnum inferre te putas cum peccatorum tela cõtorques in cælum, quem aggrederis prauæ actionis ſagitta transfigere? Profecto temet ipſum feris, occidis. Luxuria, qua virilem affœminante animum tua vitafædatur; auaritiæ rapax iniquitas diuitem largitatem deprædans; ſæua iræ dementia ſenſatum quemuis dementans, liuor, quo exſiccaris, inuidiæ, violenta crudelitas, qua raptaris; inflatur ſuperbiæ, quo grauaris, tumor; vitiorum varietas debacchantium, quam inſanus exerces, pateris voluntarie; tota in tuam perniciem conſpirat: Deo cuius eſt inacceſa ſedes, ad quam vllum flagellum nõ valet accedere, obeſſe non poteſt: immutabilis Dei gloria permaneat, tua in ignominiam, & pœnam mutetur neceſſe eſt.

Ad rem. Optans Dominus vt in veritatis agnationem gens infidelis veniret, mentitos que contemneret deos: & dolens Iſraeliticum populum veram pro ficta religionem mutaſſe ſic inquit per Ieremiam 2. cap. *Si mutauit gens Deos ſuos, & certe ipſi non ſunt dij: populus autem meus mutauit gloriam ſuam in idolum*, expendo illud. *Mutauit gloriam ſuam.* Cur non dixit Dominus *gloriam meam?* Non ne quas Deo Iſraelitæ Laudes decantabant, quos deferebant honores, quem preſtabant cultum, quam exhibebant gloriam falſis dijs, veris ſpectris præſtauerunt? Ergo Dei gloriam in *Ieremi. 2.*

gloriam

gloriam idoli mutauere. Cur igitur non ait Dominus mutauit populus gloriam meam, ſed ſuam? Conſule Chryſoſtomum oratione 1. in Iudæos fantem. *Non dixit mutaſtis Deum veſtrum, ſed mutaſtis gloriam veſtram. Neque enim me læſiſtis inquit, neque vlla noxa ad me peruenit: vos metipſos affleciſtis ignominia Meam gloriam non immutaſtis, ſed veſtram ipſorũ.* Sic ille. Vides vt ſceleribus tuis nullam Deo vulnus infligas, nulla tuorum criminũ iniquitate lædatur. Quoties peccas in te tela paras, quibus confoſus, carcere trudaris æterno; igni alimenta paras, vt vltrici flamma cõflagres: tuorum tenebræ peccatorum inacceſſibilem lucem, quam Deus habitat, obnubilare nequeunt; te verò ſic excæcant, vt videas non videas, & in infernum cadas, vbi ipſo luxuriæ tuæ adipe frixus ebullies, vbi inuidiæ vermibus exedæris; vbi vẽto raptus ſuperbiæ in extremam confuſionem ruas ſæpius, & ſine fine dandus in præceps vbi ignominia, & pœna te expectant, cum ſumma Dei laus, honor, & gloria illæſa perſiſtant.

Id quod Iſaias optime explicuit hoc exẽplo: *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua.* Similitudinem pulchre expendit Adamus. Videre eſt claro, & ſereno cœlo, feruente ſole nubeculam terreſtri vapore coaleſcere, creſcere, condenſari; ſua obſcuritate cœlum obducere, obnubilare Solẽ: hic ardenti virtute radiorum nubem ferit, vrget & vrget. Ecce oritur violenta tempeſtas: orbium cæleſtium machina ruere, & opprimere creditur terram: innixeos globos cõcretus aquoſus vapor vi magna iacitur: nube fluidum enixa fætum grauis vnda demittitur; fulminibus perumpẽtibus, & per nubem dantibus iter, infremit illa grauiter diruptione concuſa. Sẽſit tellus tempeſtatis iniurias: deplorat ſtratas ſegetes: animantes emortuas: laſſatas, & confractas volucrum alas, ædificia æquata ſolo, labefactatas turres, arces demolitas. Sed vbi rareſcit, & attenuatur duello de uita nubes, vbi ſolis radijs patefecit vias: quã ſplendidus, quam imperioſus quam pulcher ille hominum offertur obtutibus ante acti triumphi acclamationẽs accepturus. Eodem prorſus modo cum ſceleſtis hominibus ſe habet iuſtitiæ Sol. horum vita, feralia crimina peccata furentia quid aliud ſunt, quam denſiſsimæ, & obſcuriſsimæ nubes, quantumuis minimo ſolari iuſtitiæ radio aditum præcludentes, negantes ingreſſum? Ferit igitur illas virtute ſua Sol iſte diuinus. Et ecce tempeſtas gignitur, funduntur nimbi, impellitur grando, iaciuntur fulmina, & poſtquam. *Deleuit vt nubes iniquitates ſuas, & quaſi nebulã peccata ſua.* Qui ſcientia inflati humiles contemnebant, velut ãues confractis alis apparebunt: qui ſuæ fortitudini inaniter confiderũt velut emortua animalia conſpicietur. At qui Chriſtus in gloria ſua ineffabili, incomprehenſibili maieſtate hominum, conſpectibus triumphator adſtabit.

Igitur tribunali conſtructo, ſedente iudice: Primum (Daniele teſte) humanarum vitarum libri pandũtur, in quibus ſingulorum hominum ratio præſcripta ſic eſt, vt ne minima quidem cogitatio, verbũ, aut opus illius diei lucem effugiat. Deinde diuina virtus beneficia in homines collata referre, quæ in eorum vtilitatem, ſalutemque geſſerit, obijcere incipit. At quę? Tui ortum præueniens, ingreſſus ego mundum ſalutis tuę curam ſuſtinui. Quanti mihi hoc ſteterit teſtis eſt Bethleem, quæ vagitus meos, lachrymas, nuditatem, infantilia membra hyemis rigore tremẽtia ſenſit. Teſtis eſt Gethſemani, qui ad terram vſque defluente ſanguineo meo rore mãduit. Teſtis eſt Pilati prætorium, quod mea viſcera per ſurculos quinque milleverberibus dilaceratæ carnis aſpexit. Teſtis eſt crucis arbor, quæ manus, & pedes clauis te rebrantibus nudum meum corpus ſuſtinuit. Teſtes vero iam omnes nationes, omnes Angeli. Quid plura? Cum in lucem edẽdus eras, videns flagrantem hæreſibus mundum, infidelitatem tenebris obuolutum, Hiſpaniam tibi ortum dedi, & parẽtes optimos, qui honeſtam tui educationem procurarent: tui in litterarum ſtudijs tolerati laboris vſuras, honores, ſcilicet, dignitates, diuitias alios in extremam egeſtate reliquens largitus ſum.

Quis hæc accepta conſiderans non expaueat? Quis horum ſine magno tremore rationem reddat? Inſenſibilis etiam creatura acceptum redditura metu concutitur. Matth. 27. Ioſeph ab Arimatia. *Poſuit corpus Ieſu in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petra, & aduolvit ſaxum magnũ ad oſtium monumenti.* Tertia autem die cum Dominus reſurrexit, ait, Euangel. cap. 28. *Et ecce terræmotus factus eſt magnus.* Vnde tremit modo ſepulchrum acceptum exhibens corpus Ieſu? Inde ſane, quia accepit corpus Ieſu, & quia reddidit, quod acceperat. Accepit à Patre Patris theſaurum cum accepit Filium, & contremit Patri depoſitũ redditurum. Quam pulchrè Chryſoſt. in Pſalm. 2. fatur. *Sepulchrum acceptо corpore territum, quod Patris theſaurum accepiſſet, depoſitum cum tremore reddidit.* Territum eſt ſepulchrum quùm Chriſti corpus recepit, vtpote quod æterni Patris diuitias recipiebat: territum etiam eſt cum ſuum Deo theſaurum, ac depoſitum reddit ne forte totum non rederet, quod accepit. O quoties

Chryſ.

Iſai. 44.

Adam.

Matt. 72.

Matt. 28.

Chryſoſt.

Euchariſtiam nempè ſacram accipiens æterni Patris theſaurum accepiſti: reddidiſti ne Deo tantum cum tremore depoſitum, agens, ſcilicet, pro tãto munere gratias largitori tuo filium, quem acceperas te cum ipſo obtuliſti Patri? Quã huius accepti in diuino iudicio rationem dabis? Et quis non contremat fidelis, quando mortuus ſepulchri lapis accepto, & reddito Chriſti corpore treme factus eſt?

Poſt cõmemorata, quæ in homines Chriſtus beneficia contulerat. Quid (inquit) tui cauſa laborauit dæmon, quos labores, quę tormenta fuit paſſus? Nec pedem mouit niſi in tui perniciem. Si quam tibi voluptatem propinauit, quot illam impendijs perſoluiſti, bonorum, ſalutiſque iactura, multo honoris, atque vitę diſcrimine. Quo tunc rubore ſuffundetur diaboli ſeruus, qui gratis, & ſine vlla mercede domino tam auaro ſeruiuit, qua confuſione miſeri prementur damnati cum in vniuerſitatis humanæ præſentia comparentes, dæmonis crudeliſſimi Domini imperio obſequutos fuiſſe videantur cum irredeantur ab Angelis, irrideantur à iuſtis, irrideantur ab impijs, irrideantur ab ipſo dæmone, cui ſeruierunt; ac pleno ore ſtulti ab omnibus appellentur. Sine dubio irriſio, & confuſio hæc ipſis erit inferno terribilior.

Moneor ad hoc dicendum auari diuitis caſu. Iactabat ipſe quæ habebat bona, quando ei Dominus ſententiam intimat damnationis, *ſtulte hac nocte repetent animam tuam.* Cur Deus diuitem, tantum modo vocat ſtultum? Nullum turpius turpitudo, & ſcelera ſua illi attulere cõgnomen? Nulla maior tot flagitijs infligitur pæna? Alijs addicitur, ſed nulli maiori, leuior namque eſt æterna pæna hac irriſione ſtultitiæ. Nil dico quod D. Baſilius non dixerit hom. in dites ſic.: *Superat æternam pœnam irriſio iſta ſtultitiæ.* Intolerabilis dolor eſt igne perenni comburi, propriæ cõſcientiæ vermę rodi, horrido, & anguſtiſſimo carcere contineri: at intolerabilior eſt irriſio illa ſtultitiæ, quam ab hominũ generalitate; dæmonum turbis; Angelorum Choris; ſupremi Iudicis ore damnatus capiet. *Baſil.*

Tandem poſt lectas Angelorum dæmonũm, iuſtorum, & impiorum hominum vitas ſummus Iudex ſententiam dicit: & conuerſus ad iuſtos placidiſſimo vultu, labijs dulcedinem effluentibus. *Venite*, inquit, *benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi, eſurijt enim & dediſtis mihi manducare.* Plura alia, eaque heroyca virtutum opera iuſti exercuerant, cur omniũ oblitus ſolius miſericordiæ, & eleemoſynæ mentionem facit? Quia nulla virtus ſine eleemoſyna triumphat, ſine miſericordia coronatur. Victricem ſponſæ mẽtem, triumphantes cogitationes & opera celebrans Sponſus, Cantic. 5. ait. *Comæ eius ſicut elatæ palmarum nigræ quaſi coruus*, video, *quantum palmata*, animæ mens, & victrices operationes Deo placeant ſponſo. Qualis autem ſit laus illa palmatæ crinis, nempe nigræ quaſi coruus, non video. Cur inter palmas non ſplendeat aurum, quid cum illis communæ nigredini? Lege D. Paulin. eleganter loquentem Epiſt. 4. *Bonus iſte coruus nec ille ad arcam reuertendi immemor, ſed ille paſcendi Prophetæ memor.* Equidem aſſiduus erat quotidie coruus in Elia famelico ſuſtentando. Hoc opere famelicos paſcendi commendãtur triumphantes fidelium mentes. Nullius virtutis triumphus eſſe poteſt, nullius ſanctæ operationis victoria, niſi vbi miſericordia præit vbi eleemoſyna duce pugnatur. Quod de virtutum ſeminario ieiunio, notauit acutè Chryſol. ſerm. 8. inquiens. *Eſt ieiunium caſtitatis, murus pudicitiæ, propugnaculũ ciuitas ſanctitatis eſt ieiunium inuictus Chriſtianæ militiæ principatus, ſed in his virtutibus ieiunium tũc, viget, tunc vincit, tunc triumphat, cum duce miſericordia pugnatur.* Quid pulchrius. Cant. 5. Paulin. Chryſol.

Dulcibus Chriſti D. verbis, *eſurijt enim, &c.* iuſti reſpondent, *Domine quando te vidimus eſurientẽ.* Quomodo ignorant iuſti quando pauerint Dominum eſurientem? Quid aliud egerunt dum mortale duxere vitam. Dum continua cum inuiſibilibus hoſtibus bella geſſere. An ignorant, quia (vt aiebat Apoſtol.) *Momentaneum, & leue tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis?* quia ad conſpectum mercedis & coronę, certaminis, & laboris tempus momentum apparet? Ita credo vbi laboris præmium coronam certaminis Deus ob oculos illis propoſuit; per breuem, imo momentaneum ante actuum laborem æſtimarunt, & certaminis tempus inſtantaneum. Ita etiam credidit Chryſoſt. hom. 8. de pœnit. dum ait. *Coronam propoſuit: certamen, atque leue fecit, & ſæculum?* Matt. 25. 2. ad Cor. Chryſoſt.

Lata iam à iudice ſalutari ſententia ſeueriſſimo, & irato aſpectu conuerſus ad improbos? *diſcedite*, inquit, *à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius.* Meditare tu, quia dici non poteſt, quid hac voce, hoc fulmine damnati ſenſerint. Tãdem cernente miſerrima illa turba. Summus imperator Chriſtus, & luciditſimus ille cæleſtium ſpirituum, hominumque beatorum coetus agilitatis beneficio vſus aera penetrando conſcendit. Precedentes, & ſubſequentes Angeli Triumphatori Chriſto victoribus iuſtis applaudebant. Tantæ magnificentiam Matt. 25.

tiam pompę hilares, celebrabant, cantãtes Domino Canticũ nouum, quia mirabilia fecit, Recedentem glorioſam illam ſocietatem intuebantur condemnati miſeri, vſque dum ab eorum oculis erepta, cæleſti excipitur ciuitate æternum regnatura. Heu quantum infælices excluſos homines triumphi huius conſpectus, huius aſcenſionis maieſtas cruciabit? Plus ſane quam æternus ignis.

Hunc patiens ille diues clamat ad Abraham. *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Negatur diuiti, aduentus Lazari, & ille iterum clamat. *Rogo ergo te Pater, vt mittas eum in domum Patris mei habeo enim quinque fratres.* Cur hoc petit: quid implacabilem linguæ temperuit ardorem? quod ſi hic temperatus non eſt, cur non inſtat, vt mittatur Lazarus & refrigeret illum? Sed petit vt ſuos mittatur ad fratres. Puto quia non erat linguæ ardor, quo magis torquebatur infelix, ſed fœlicitas Lazari, quam videbat, & tolerare non poterat; tunc ſe refrigerari putat, cum Lazarum fœlicem non videat, huius gloriæ, & fælicitatis viſus diuitem magis cruciat, & incendit, quam ignis, & ideo verbum illud in geminat, mitte Lazarum ad me, mitte ad fratres meos. Accipe acumen Chryſol. *Ante dixit mitte ad me, modo dicit: mitte ad fratres meos dolet agit infælix, ne videat fælicem, & zelo magis incenditur, quam gehenna.* Quod ſi Lazari in ſinu Abrahę conſtituti præſentia diuitem adeo torquebat, quantum generalitas fælix, & glorioſa Beatorum, incomprehenſibilis, & ineffabilis Chriſti gloria miſeros damnatos vexabit? Quid mirum ſi hoc conſpectu magis quam gehenna crucientur infælices, quos poſt viſum triumphum terra deglutiet, horridiſsimus & artiſsimus æternùm continebit carcer, vbi erit fletus, & ſtridor dentium, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.

*Luca.* 16.

*Chryſol.*

# FINIS.

# INDEX LOCORVM

## ESACRA SCRIPTVRA.

### Vbi multa loca ponuntur iuxta lectionem inuentam apud Patres.


Geneſis.

CAP.1. *Ad auram poſt meridiē, pag.7.col.1.*
*Spiraculum vitæ, pag.22. col.1.*
*Congregentur aquæ in locū vnū, pag.601.col.2.*
*Fiat lux, & facta eſt lux, pa.553 col.1.*

Cap.2. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, pag.4.col.1.& pa.849 col.1.& pag.301.col.1.& pa.571.col.1.& pag.629.col.1.& pag.640.col.1.*
*Hoc nunc os ex oſſibus meis, pag.25.col.2.*
*Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, pag.33. col.2.& pag.233.col.2.*
*Ædificauit Dominus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem, pag.41.col.2.*
*Non manducabitis ex eo, neque tangetis ex eo, pag.72.col.1.*
*Qui inde diuiditur in quatuor capita, pagin.86.col.1.lib.1.cap.9.§.1.*
*Et præſit piſcibus maris; pag.342.col.2.*
*Plantauerat Dominus paradiſum voluptatis, pag.279.col.2.*

Cap.3. *Fecit ei Dominus tunicas pelliceas, pag.100.col.2.& pag.228.col.1.*
*Ne forte mittat manum ſuam, & ſumat de ligno vitæ, & viuat in æternum, pag.251. col.2.*
*Vidit mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, pag.267.col.1.& pag.392.col.1.*
*Timui, & abſcondi me, pag.323.col.1.& pag.479.col.2.*

Cap.4. *Peccaſti? quieſce, pag.241.col.1.*
*Egreſſus eſt Cain à facie Domini, & habitauit in terra Naid, pag.3.col.1.*
*Septuplum vltio dabitur de Cain, p.485.c.2.*
*Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra, pag.457.col.2.*
*Eamus in campum, pag.569.col.2.*
*Congregamini, & audite filij vt annuntiē quæ ventura ſunt vobis in tribus nouiſſimis congregamini, & audite filij Iacob, pag.643.c.1*
*Vt offerret Cain de fructibus terræ. Abel quoque obtulit de primitiuis gregis, p.570.col.2.*

Cap. 6. *Videntes filij Dei filias hominum quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores, lib.1. cap.7.§.20.*
*Noe homo iuſtus in generatione ſua, lib.1.cap. 11.§.10.& lib.4.cap.5.§.25.*

Cap.7. *Vehementer inundauerunt, & leuauerunt arcam in ſublime à terra, pag.496.c.1*
*De animantibus mundis, & immundis duo, & duo ingreſſa ſunt ad Noe in arcā, p.644.c.1.*

Cap.8. *Ad illa venit ad eum, ad veſperam portans ramum oliuæ, pag.24.col.2.*
*Nequaquam vltra maledicam terram propter homines, pag.306.col.2.*

Cap.9. *Terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia, pag.571.col.2.*
*Et nudatus in tabernaculo ſuo, pa.595.col.1.*

Cap.11. *Celebremus nomen noſtrum antequam diuidamur, pag.354.col.2.*

Cap.12. *Noui quod pulchra ſis mulier, & quòd cùm viderint te Ægyptij, dicturi ſunt: vxor illius eſt, & interficiēt me: & te reſeruabunt. Dic ergo obſecro, quòd ſoror mea ſis, pag.275. col.1.& pag.222.col.2.*
De deſcenſu Abrahami in Ægytum cùm vxore, pag.10.col.1.

Cap.13. *Lot, qui erat cum Abraham, fuerunt greges, lib.4.cap.6.§.3.*

Cap.14. *Da mihi animas, cætera tolle tibi, pag.411.col.2.*

Cap.15. *Tu autẽ ibis ad patres tuos in pace, fol. 25. col. 2. fol. 587. col. 1.*

*Domine Deus quid dabis mihi. pag. 273. col. 1.*

*Noli timere Abraham ego protector tuus sum. pag. 39. col. 1.*

*Senectus in senectute bona. fol. 30. cap. 2.*

Cap. 17. *Erit, omnis anima, quæ non circuncisa fuerit, exterminabitur à populo suo, lib. 1. cap. 12. §. 1.*

*Cecidit in faciẽ suam, & risit, fol. 214. col. 1.*

Cap. 18. *Cùmque aperuissent oculos, apparuerunt tres viri stantes prope eum, lib. 2. cap. 3. §. 19*

*Loquar ad Dominam, cum sim pulvis, & cinis pag. 5. col. 1. & pag. 603. col. 2.*

Cap. 19. *Cur damnatur vxor Loti, pag. 15. col. 2.*

*Sol egressus est super terram, & Loth ingressus est Segor pag. 262. col. 1.*

*Erant ambo senes, prouectæque ætatis, lib. 2. c. 9. §. 9.*

*Nunquid non modica est ciuitas, & saluabor in ea? pag. 267. col. 1.*

Cap. 21. *Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro, descenderat ad fontem, & impleuerat hydriam, & reuertebatur, pag. 42. col. 2.*

Cap. 22. De Abrahamo, vt stringit gladium in filium, *pag. 5. col. 3.* vt ligat filium, *pag. 6. col. 1. & pag. 609. col. 2.*

*Abraham, Abraham. lib. 1. cap. 7. par. 15.*

*Dominus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi, libr. 2. cap. 11. par. 12. lib. 1. cap. 11. par. 6.*

*Sedete vos hic, ego verò, & puer transibimus vsque illuc & cum adorauerimus, reuertemur ad vos, lib. 3. cap. 4. par. 10.*

*Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, pag. 16. col. 2. & 25. col. 1. & pag. 555. col. 1.*

Cap. 24. De Rebbeca, vt se pallio tegit, *pag. 2. col. 2. & pag. 83. col. 1.*

*Nec dum intra se verba compleuerat, & ecce Rebecca lib. 4. par. 6.*

De quærenda sponsa Isaaco apud fontem, cur? *lib. 4. cap. 5. par: 28.*

Cap. 25. *Collidebantur in vtero pag. 103. col. 1. lib. 1. & cap. 4. §. 11.*

*Isaac amabat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur: & Rebecca diligebat Iacob, lib. 3. cap. 9. par. 3:*

Cap. 26. *Despexit dominam suam. lib. 1. cap. 11. §. 2.*

Cap. 27. *In me sit ista maledictio, fili mi, pag. 112. col. 2.*

*Fac mihi inde pulmentum sicut velle me nosti, & benedicat tibi anima mea lib. 1. c. 11. par. 3.*

*In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua, fratri tuo seruies, lib. 2. cap. 11. par. 11.*

*Frumento, & vino stabiliui eũ tibi vltra quid faciam? lib. 3. cap. 8. §. 15. & pag. 393. col. 1.*

*Ecce odor filij mei sicut odor agri, pag. 412. col. 1. & 580. col. 1.*

Cap. 28. *Verè Dominus est in loco isto, pag. 51. col. 1. lib. 2. cap. 3. §. 2.*

*Ibi posuit lapidẽ ad caput. lib. 1. cap. 9. par. 12.*

De scala Iacob, *lib. 3. cap. 4. §. 6. & cap. 6. par. 18.*

Cap. 29. *Quam cum vidisset Iacob, & sciret cõsobrinã suã, oues que Labã, annunculi sui amouit lapidem. pag. 98. cap. 2.*

Cap. 31. *Si sciret proſequerer te cum gaudio, & tympanis, pag. 160. col. 1.*

Cap. 32. *Sine me, iam enim ascendit aurora, pag. 96. col. 2. pag. 224. col. 2.*

*Mãsit solus, & ecce vir luctabatur cũ eo, pag. 261. col. 2. & pag. 432. col. 2.*

*Abijt itinere quo cœperat, fueruntque ei obuiã Angeli Dei, pag. 338. col. 1.*

*Multiplicabo semen tuum sicut stellas, lib. 1. cap. 2. §. 2.*

Cap. 35. *Mortua est Rachel, & sepulta est in via quæ ducit Ephram. hæc est Bethlehem, lib. 3. c. 4. §. 35.*

Cap. 37. *Vidi per somnium quasi Solem, & Lunam, pag. 2. col. 2.*

*Vestros autẽ manipulos circunstantes adorare manipulum meum, pag. 28. col. 2.*

*Fratres meos quæro, lib. 4. cap. 5. §. 19.*

*Qui cum vidissent eum procul antequam accederet ad eos, cogitauerunt eum occidere, lib. 4. cap. 5. §. 1.*

Cap. 38. *Nunciauerunt Iudæ dicentes, fornicata est Thamar nurus tua, & videtur vterus illius intumescere, pag. 1012.*

*Instante partu apparuerunt gemini in vtero, atque in ipsa effusione infantium vnus protulit manum, pag. 64. cap. 3.*

Cap. 39. *Dormi mecum. pag. 50. col. 1.*

*Præter te, quæ vxor eius es. pag. 58. col. 2.*

Cap. 40. *Suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere, quasi furtim sublatus sum, pag. 38. col. 2.*

Cap. 42. *Quare pigri estis? Ecce audiui quia frumentũ est in Ægypto, f. 220. col. 2.*

Cap. 44. *Scyphum autem meum argenteum, & pretium quod dedit tritici, pones in ore sacci iunioris, lib. 4. cap. 4. §. 7.*

Cap. 46. *Festinate, & adducite patrem meum, pag. 587. col. 1.*

Cap. 47. *Facies mihi misericordiam, vt non sepeliasme in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis, pag. 145. cap. 4. libr. 4. cap. 8. §. 19. lib. 2. cap. 10. & §. 13.*

*Adducite pecora vestra, & dabo vobis pro eis cibos, pag. 394. col. 2.*

Cap. 49. *Ad prædã fili mi ascẽdisti. pag. 33. col. 2.*

*Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius*, pagin. 111. col. 2.

*Accubans inter terminos*, pag. 484. c. 2.

*Ruben primogenitus meus tu fortitudo mea*, pag. 39. col. 1.

Exodi.

Cap. 1. *Expugnatisque nobis egrediatur è terra*, pag. 613. col. 2.

Cap. 2. *Solue calceamenta de pedibus tuis*, pag. 611. col. 2.

*Dixitque ei qui faciebat iniuriam, quare percutis proximum tuum?* pag. 346. col. 2.

*Cernensque in ea paruulum vagientem, misertus eius, &c.* lib. 4. cap. 1. §. 1.

Cap. 3. *Et nunc veni, mittam te ad Pharaonem*, pag. 56. col. 1.

*Mitte quem missurus es*, pag. 91. col. 1.

*Apparuitque ei Dominus in flamma ignis: vadam, & videbo visionem hanc*, pag. 97. col. 1.

*Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & clamorem eius audiui propter duritiem eorum, qui præsunt operibus, & sciens dolorem eius descendi vt liberarem eum*, pag. 363. col. 2.

*Ducam vos in terram lacte, & melle manantem*, lib. 3. cap. 8. §. 15.

*Ne appropies huc, solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est*, pag. 429. col. 2.

Cap. 4. *Non sum eloquens: neque ex quo cœpisti loqui famulo tuo*, pag. 613. col. 1.

Cap. 5. *Et nomen meum Adonai non indicaui eis*, lib. 1. cap. 8. §. 5.

Cap. 7. *Ecce constitui te in Deum Pharaonis*, pag. 320. col. 2. & pag. 62. col. 2. 422. col. 1.

Cap. 12. *Et videbo sanguinem, & protegam vos*, pag. 438. col. 2.

*Caput cum pedibus eius, & intestinis vorabitis*, pag. 379. col. 2.

*Omnis qui manducauerit fermentum à primo die vsque in septimum, disperiet anima eius ex Israel*, pag. 316. col. 1.

Cap. 13. *In columna nubis per diem, in columna ignis per noctem*, pag. 583. col. 2.

*Erit tibi signum super manum tuam*, pag 598. col. 1.

Cap. 15. *Submersi sunt quasi plumbum in aquis*, pag. 94. col. 2. lib. 1. cap. 8. part. 2.

*Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine*, pag. 317. col. 1.

*Sanctuarium tuum Domine, quod firmauerũt manus tuæ*, pag. 300. col. 1.

Cap. 17. *Elige tibi viros, & pugna contra Amalech*, pag. 185. col. 1.

*Si autem paululũ remisisset superabat Amalech, manus autem Moysis erant graues*, lib. 3. cap. 9. §. 10. & libr. 4. cap. 1. §. 1. & capit. 4. §. 25.

Cap. 18. *Factum est ergo vespere, & ascendit cotturnix, & operuit castra, mane quoque ros iacuit per circuitum castrorum*, lib. 3. capit. 8. §. 40.

Cap. 19. *Estote parati tribus diebus, & ne accedatis ad mulieres*, pag. 61. col. 1.

Cap. 20. *Septima die non facies opus, quòd in septima die requieuit Dominus ab omni opere*, pag. 90. col. 1.

Cap. 23. *Est nomen meum in illo*, pag. 189. col. 1.

Cap. 24. *Omnia quæcumque dixerit Deus, faciemus, & audiemus*. pag. 55. col. 3. & pag. 90. col. 1.

Cap. 25. *Præcipiam & loquar ad te supra propitiatorium*, pag. 590. col. 2.

Cap. 32. *Dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ*, pag. 234. col. 2. libr. 1. cap. 9. §. 4. & lib. 2. cap. 10 §. 10.

*Quas cùm ille accepisset, formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum*, pag 86. col. 2.

*Fac nobis Deos, qui nos præcedant*, pag. 274. col. 2.

De vitulo aureo cur? pag. 169. col. 3.

*Ite, & redite de porta ad portam per medium castrorum & occidat vnusquisque fratrem, & amicum*, pag. 320. col. 2. & pag 609. col. 2.

Cap. 33. *Ponam in te foramine petræ, & videbis posteriora mea*, pag. 298. col. 1. & pag. 558. col. 2.

*Ostende mihi faciem tuam, vt sciam te, respice populum tuum gentem hanc*, pag. 251. col. 1.

*Transi hinc tu, & populus tuus, quem eduxisti, ex terra Aegypti, & simul mittam ante faciem tuam Angelum meum, non simul ascendam tecum*, pag. 64. col. 1.

Cap. 38. *Quæ excubabant ad ostium tabernaculi*, pag. 50. col. 1.

Cap. 40. *Pones altare aureum, in quo adoleatur incensum coram arcam testimonij: tentorium introitus tabernaculi pones, & ante illud altare holocausti*, pag. 83. col. 2.

Leuitici.

Cap. 4. *Inferet sacerdos, qui vnctus est de sanguine eius in tabernaculum testimonij, tincto digito aspergens septies contra velum*, pag. 580. col. 2.

Cap. 6. *Offeret eam calidam in odorem suauissimum Domino Sacerdos, qui patri iure succesſerit*, lib. 1. cap. 3. §. 1.

*Ignis in altari ardebit semper, quèm nutrit Sacerdos, subijciens mane ligna per singulos dies, & imposito holocausto, de super adoleuit adipes pacificorum*, pag. 98. col. 2.

Cap. 21. *Ad omnem mortuum non ingredietur omnino*, pag. 87. col. 1.

Cap. 23. *Feretis manipulos spicarum primitias messis vestræ ad Sacerdotem*, pag. 319. col. 1.

Cap. 24. *Si homo maledixerit Deum, peccatum accipiet,*

*accipiet, qui autem nominat nomen Domini, morte moriatur, pag. 359. col. 1.*

Cap. 26. *Ponam tabernaculum meum in vobis; & non vos abominabitur anima mea, pag. 183. col. 2.*

## Numerorum.

Cap. 6. *Invocabitis nomen meũ super filios Israel, & ego benedicam eos, pag. 389. col. 2.*

Cap. 10. *Si semel clanguerit, venient ad te principes, & capita multitudinis, lib. 1. cap. 13. §. 7. & lib. 3. cap. 3. §. 10.*

Cap. 11. *Coloris bdelij, pag. 394. col. 2.*

Cap. 13. *Abscinderunt palmitem cum vua sua, quem portauerunt in vecte duo viri, pag. 203. col. 2.*

Cap. 16. *Fortissime Deus nũ vno peccante, contra omnes ira tua desæuiet, lib. 1. cap. 8. §. 6.*

Cap. 19. *Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra castra in loco purissimo; cumque lauerit, qui vaccæ portauerit cineres, immundus erit vsque ad vesperam, pag. 397 cap. 1.*

Cap. 21. *Nauseat anima nostra supra cibo isto leuissimo, pag. 408. col. 2. lib. 3. cap. 2. §. 21.*

Cap. 22. *Obsecro vos vt hic maneatis etiã hac nocte, vt scire queã quid mihi rursus respondeat Dominus, pag. 350. col. 2.*

*Non proficiscceris, nec execraberis, lib. 4. cap. 5 §. 11.*

Cap. 24. *Dixit auditor sermonum Dei, qui visiones omnipotentis intuitus est, qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius, lib. 2. cap. 8. §. 14.*

*Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, pag. 612. col. 2.*

Cap. 25. *Suspende eos contra Solem in patibulis, pag. 254. col. 2.*

Cap. 34. *Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illã, mortuusque Moyses, &c. pag. 614. col. 1*

## Deuteronomij.

Cap. 15. *Cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, & sex annis seruierit tibi, in septimo anno dimittas eum liberũ; & quẽ libertate donaueris, ne quaquã vacuũ abire patieris: sed dabis viaticũ de area, & de torculari tuo, pag. 409. col. 1.*

Cap. 21. *Quãdo peccauerit homo, quod morte plectendũ est: & adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno; sed eadem die sepelietur, lib. 4. cap. 6. §. 6.*

Cap. 25. *Eris perditus in prouerbium, pag. 422. col. 2.*

Cap. 26. *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus postulat à te, nisi timere Dominum Deum tuum, & ambulare in omnibus vijs eius, lib. 2. cap. 11. §. 12. & lib. 1. cap. 7. §. 32.*

Cap. 32. *Sicut aquila prouocans ad volandũ pullos suos, pag. 211. col. 1.*

*Exultate gẽtes cũ populo eius, & adorent eum omnes filij Dei, quoniã sanguinẽ filiorũ suorum vlciscetur, pag. 143. col. 1.*

Cap. 33. *Benedictio illius qui apparuit in Rubo, &c. pag. 3. col. 1. & pag. 7. cap. 2.*

*Cornua Rhinocerontis, pag. 14. col. 2.*

*Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, pag. 264. col. 1.*

*Ascẽsor cœli auxiliator tuus, pag. 618. col. 1.*

Cap. 34. *Sepelinit eum in valle Moab contra Phogor, pag. 311. col. 2.*

*Ascendit ergo Moyses de cãpestribus Moab super montem Nebo, pag. 342. col. 1.*

*Mortuus est Moyses seruus Domini, pag. 336. col. 1.*

## Iosue.

Cap. 5. *Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos, lib. 4. cap. 1. §. 18.*

*Solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est, pag. 294. col. 2. & pag. 340. col. 1.*

Cap. 6. *Clangentibus tubis postquã in aures multitudinis vox sonitus increpuit, muri illico corruerunt, pag. 479. col. 2.*

Cap. 7. *Postquã filij Israel inualuerunt, & fecerunt Chananæos obedientes: exterminio autem eos non exterminauerunt, pag. 601. col. 1.*

Cap. 10. *Non fuit antea, & postea tã longa dies, obediẽte Deo voce hominis, lib. 2. cap. 11. §. 12.*

*Tunc locutus est Iosue ad Dominum in conspectu filiorũ Israel: dixitque corã eis: Sol, ne mouearis, pag. 329. col. 2.*

*Habitatores Gabaõ vrbis obsessæ miserunt ad Iosue: & dixerunt ei, ne retrahas manus tuas ab auxilio seruorum tuorum, accede cito, pag. 330. col. 1.*

Cap. 18. De translatione tabernaculi ad Silo, *pag. 93. col. 2. lib. 1. cap. 8. par. 1.*

## Iudicum.

Cap. 1. *Fuit Dominus cum Iuda, & montana possedit, nec potuit delere habitatores vallis, lib. 2. cap. 10. §. 3.*

Cap. 3. *Ipse quoque defendit Israel. pag. 330. col. 1.*

Cap. 4. *Iael aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere, & opperuit illum: tulit Iael clauũ tabernaculi, assumẽs pariter, & malleũ, & ingressa abscondit, & cum silentio posuit supra tempus capitis clauum, percussumque malleo defixit, lib. 1. cap. 12. §. 2.*

Cap. 5. *Forsitam nunc diuidit spolia, & pulcherrima fœminarum eligitur ei. pag. 28. col. 1. lib. 4. cap. 6. §. 4.*

*De cœlo dimicatum est, stellæ manentes in ordine suo contra Sisaram pugnauerunt, lib. 1. cap. 11. §. 10.*

Cap. 6. *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel, lib. 1. cap. 8. §. 16.*
*Dominus tecum virorum fortissime, pag. 104. col. 1. & pag. 653. col. 2.*

Cap. 8. *Conteram carnes vestras cum spinis, tribulisque deserti,*

Cap. 10. *Mulier recedentibus tenebris venit ad ostium domus, vbi manebat Dominus suus, & ibi corruit, pag. 15. col. 1.*

Cap. 14. *A forti egressa est dulcedo, pag. 32. col. 1.*
*De comedente exiuit mel, pag. 266. cap. 2.*

Cap. 16. *Et ipse nesciuit, quia Dominus ab eo recesserat, pag. 327. col. 1. & pag. 339. col. 2.*
*Si septem crines capitis mei cum licio plexueris, pag. 370. col. 1.*
*Consurgens à somno extraxit clauum cũ crinibus, & licio, lib. 5. cap. 2. §. 8.*

Cap. 20. *Qui fugam arte simulantes, inierunt consilium, vt abstraherent eos de ciuitate, lib. 1. cap. 7. §. 2.*

Cap. 21 *Præceperũtque filijs Beniamin, atque dixerunt: ite, & latitate in vineis. Cũmque videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repentè ex vineis, & rapite. pag. 53. col. 2.*

Ruth.

Cap. 3. *Surrexerit antequã homines se cognoscere possent, & dixit Booz, caue ne quis nouerit, quod huc veneris, pag. 55. col. 2.*

Cap. 4. *Cedo iuri propinquitatis, neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo, lib. 2. cap. 7. §. 7*

Regum. 1.

Cap. 1. De Anna offerente Samuelem templo, *lib. 1. cap. 6. §. 8.*
*Si audieris precationẽ ancillæ tuæ: & dederis mihi filium, &c. lib. 1. cap. 11. §. 14.*
*Domine Exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, dederisque seruæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino, lib. 1. cap. 11. §. 2.*
*Surrexit Anna postquam illi comederant, & biberant in Silo, constitit in conspectu Domini pag. 610. col. 2. lib. 2. cap. 3. §. 19.*
*Posuit super eos orbem, pag. 362.*

Cap. 2. *Nolite filij mei; non est enim bona fama, lib. 4. cap. 5. §. 25.*

Cap. 4. *Egressus est Israel obuiam Philistijn in prælium, & castrametatus est, iuxta lapidem adiutorij, pag. 160. col. 2.*
*Quare percussit nos Deus coram Philistijnis pag. 261. col. 2.*

Cap. 8. *Acceperunt munera, peruerterunt iudicium, lib. 5. cap. 4. §. 32.*

Cap. 12. *Filius vnius anni erat Saul cùm regnare cœpisset, lib. 3. cap. 4. §. 17.*

Cap. 14. *Applica arcam Dei, erat enim arca Dei in die illa cum filijs Israel, pag. 464. col. 2.*
De Ionatha, cur inscienter periculũ mortis incurrit, *lib. 1. cap. 12. §. 1.*

Cap. 15. *Præcepit populo, & recensuit eos quasi agnos, pag. 59. col. 1.*
*Peccaui, quia præuaricatus sum sermonẽ Domini, & verba tua; sed nunc porta, quæso, peccatum meum, vt adorem Dominum, pag. 224. col. 1. lib. 1. cap. 8. §. 10: lib. 3. cap. 4. §. 37.*

Cap. 16. *Surge, & unge eum, ipse est enim, pag. 369. col. 1.*
*Vnxit eum in medio fratrũ suorum, pag. 334. col. 1.*

Cap. 17. *De qua stirpe descendit hic adolescẽs? lib. 1. cap. 2. §. 10.*
*Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, & ursus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebã, pag. 261. col. 1.*

Cap. 19. *Pepercit Saul, & populus Agag. pag 8. col. 2.*

Cap. 21. De Panibus propositionis à Dauid manducatis, *pag. 12. col. 4. & pag. 378. col. 1.*

Cap. 25. *Erit anima tua custodita quasi in fasciculo viuentium, pag. 426. col. 2. & pag. 649. col. 1.*
*Nunquid vox tua, fili mi Dauid? Et leuauit Saul vocem suam, & flenit, lib. 4. cap. 5. §. 5.*

Cap. 28. *Nunc igitur audi, & tu vocem ancillæ tuæ, & ponã coram te buccellam panis, vt comedens conualescas, lib. 4. cap. 5. §. 26.*

Cap. 30. *Iura mihi in Domino, ne deleas semen meũ post me, ne auferas nomẽ meum, pag. 74. col. 2. & pag. 656. col. 2.*
*Hæc est præda Dauid. pag. 32. col. 2.*

Regum. 2.

Cap. 2. *Saul, & Ionathas amabiles, & speciosi, qui in vita sua non fuerunt diuisi; ita neque in morte sua separati sunt, lib. 1. cap. 12. §. 10.*

Cap. 3. *Manus tuæ non fuerunt ligatæ, nec pedes tui in compedibus coram viro iniquitatis cecidisti, pag. 443. cap. 1.*

Cap. 7. *Vade, & loquere ad seruum meũ Dauid pag. 335. col. 2.*
*Ego minimus fui in tribu mea, lib. 3. cap. 7. §. 19.*
*Quis sum ego, quod talem gratiam inuenerem in oculis tuis, pag. 604. col. 2.*

Cap. 8. *Pareite filio meo Absalon, pag. 557. col. 1.*

Cap. 11. *Libauit eã Domino, lib. 2. c. 10 §. 11.*

Cap. 12. *Dimicaui aduersus Rabbath, & capienda est vrbs aquarum. Nunc ergo congrega relinquam partem populi, & obsidi ciuitatem, &c. pag. 193. col. 2.*

Cap. 14. *Cùm autem detonsus esset ponderabat capillos, lib. 2. cap. 8. §. 18.*

*Semel autem tondebatur, quia grauabat eum cesaries, lib. 3. cap. 8. §. 11.*

Cap. 15. *Reduc arcam Dei in ciuitate, & sedeat in loco suo, pag. 414. col. 1.*

*Reuertere, & habita cũ Rege, li. 4. cap. 5. §. 4.*

Cap. 18. *Absalonis manus, pag. 435. col. 1.*

Cap. 19. *Operuit vultum suum pallio, pag. 153. col. 1.*

Cap. 23. *Sedens in cathedra sapientissimus inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit vno impetu, pag. 287. col. 2. lib. 5. cap. 7. §. 3.*

*Quis mihi potum aquæ daret de cisterna, quæ est in Bethleem, pag. 348. col. 2.*

*Libauit eam Domino, pag. 267. col. 1.*

Cap. 24. *Perambula omnes tribus Israel, â Dan vsque ad Bersabe, & numera populum, vt sciam numerum eius, pag. 193. col. 2.*

*Erant autem dies messis triticei dedit, &c. lib. 3. cap. 8. §. 29.*

Regum. 3.

Cap. 6. *Lapidibus perfectis ædificata est, pag. 193. col. 1.*

Cap. 13. *Exaruit manus eius, li. 4. ca. 1. §. 12. & cap. 4. §. 11.*

Cap. 17. *En colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciã illud mihi, & filio meo, & comedamus, & moriamur, pag. 368. col. 2.*

*Viuit Dominus, in cuius conspectu sto, pagin. 107. col. 1. & 492. col. 2.*

*Hydria farinæ non deficiet vsque ad diem, in quo Deus daturus est pluuiam, lib. 4. cap. 3 §. 40.*

Cap. 18. *Non est quicquam, pag. 35. col. 1.*

*Ecce nubecula parua quasi vestigium hominis, pag. 36. col. 1. pag. 43. col. 1.*

Cap. 19. *Sibilus aura tennis, pag. 4. col. 4.*

*Non in igne Dominus, pag. 102. col. 2.*

*Timuit, & surgens abijt quocumque eum ferebat voluntas, pag. 104. col. 1.*

*Operuit vultum suum pallio, pag. 252. col. 1.*

Cap. 21. *Num inuenisti me, inimici mi? pag. 351 col. 1.*

*Benedixit Deum, & Regem, lib. 3. cap. 9. §. 6.*

Cap. 22. *Rex autem Israel, & Iosaphat Rex Iudæ sedebant vnusquisque in solio suo, vestiti cultu regio in arce iuxta ostium portæ Samariæ, & vniuersi Prophetæ prophetabant, lib. 4 cap. 3. §. 20.*

Regum. 4.

Cap. 2. *Obsecro vt fiat in me spiritus tuus duplex, pag. 650. col. 1.*

*Si videris me quando tollar à te, erit quod petisti, si autem non videris, non erit, pag. 198. col. 2. & pag. 295. col. 2. & pag. 615. col. 2. & pag. 51. col. 2.*

De Heliæ pallium dimittente, *lib. 2. cap. 8. §. 18.*

Cap. 3. *Arripiens filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murũ, & facta est indignatio magna in Israel statimque recesserunt ab eo, pag. 272. col. 1. & pag. 264. col 4.*

Cap. 4. *Tolle baculum meum in manu tua, & vade, & pone baculum meum super faciem pueri, pag. 262. col. 1.*

*Si occurrerit tibi homo, non salutes eum, & si salutauerit te quisquam, non respondeas illi, pag. 63. col. 1.*

*Posuitque os suum super os eius, lib. 2. cap. 10 §. 6.*

Cap. 6. *Vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi, pag. 183. col. 1. & pag. 621. col. 1.*

Cap. 19. *Cùm adoraret Deum suum Adramelech, & Sarasar filij eius percusserunt eum gladio, pag. 270. col. 1. & pag. 485. col. 1.*

Cap. 20. De Ezechia, vt sanatur per solis signum, *lib. 1. cap. 8. §. 4.*

Cap. 21. *Vides Achab humiliatum coram me, pag. 593. col. 2.*

Cap. 22. *Misit ad Holdam prophetidem, pag. 40 col. 2.*

*Id circo colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace, pag. 588. col. 1.*

Paralipomenon.

Cap. 10. *Ascendit primus Ioab, & factus est princeps, pag. 294. col. 2.*

Cap. 11. *Nunquid sanguinem istorum hominũ, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam? pag. 267. col. 2.*

Tobias.

Cap. 5. *Inuenit iuuenem splendidum stantem, præcinctum, & quasi paratum, lib. 2. cap. 3. §. 12.*

Cap. 6. *Aprehende brachium eius, & trahe eum ad te, exentera hunc piscem, pag. 255. col. 2.*

Cap. 7. *Quam similis est inuenis iste consobrinò meo, pag. 290. col. 1.*

Cap. 11. *Tunc sumens Tobias de felle piscis liniuit oculos patri suo, lib. 4. cap. 4. §. 12.*

Iudith.

Cap. 8. *Fecit sibi secretum cubiculum, lib. 3. cap. 7. §. 15.*

*Quod eſt hoc verbum, in quo conſentit Ozias, vt tradat ciuitatem Aſſyrijs, ſi intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? Expectemus humiles, pag. 74. col. 1.*

Cap. 9. *Domine Deus patris meis Simeon, qui dedisti illi gladium in defenſionem alienigenarum, lib. 4. cap. 5. §. 10.*

*Percuties eum ex labijs charitatis meæ, lib. 1. cap. 7. §. 22.*

Eſther.

Cap. 3. *Argentum quod tu polliceris, tuum ſit: de populo age quod tibi placet, lib. 4. cap. 3. 13*

Cap. 3. *Si Regi placet, obſecro vt veniat ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium, pag. 418. col. 2.*

Cap. 13. *Scis Deus, quia non pro ſuperbia, & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorem Aman ſuperuiſſimũ: ſed timui ne honorẽ Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorem, excepto Deo meo, pag. 236. col. 2.*

*In Solem conuerſus eſt, lib. 3. cap. 4. §. 14.*

Iob.

Cap. 1. *Vir erat in terra Hus, pag. 1. col. 2.*

*Sic faciebat Iob cunctis diebus, pag. 190. col. 1.*

*Circuiui terram, & perambulaui eam, lib. 1. cap. 9. §. 7.*

*Nonne vallaſti eum, & domum eius, vniuerſamque ſubſtantiam per circuitum, pag. 488. col. 1.*

*Et repentè ventus irruens venit ê regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſit liberos, pag. 265 col. 1. lib. 1. cap. 12. §. 1.*

*Filijs tuis, & filiabus tuis comendentibus, & bibentibus apud fratrem ſuum ſeniorem, pag. 98. col. 1. & pag. 453. col. 2.*

*Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua tonſoque capite corruens in terra adorauit, pag. 100. col. 2. & pag. 327. col. 2. lib. 1. cap. 11. §. 13.*

*Quouſque ſuſtines? pag. 82. col. 2.*

*Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, pag. 27. col. 2.*

*Factum eſt autem quaſi dies hæc, & venerũt Angeli aſſiſtere coram Domino, pag. 12. co. 1*

Cap. 2. *Et diabolus venit, vt in medio eorũ aſſiſteret coram Domino, pag. 282. col. 2.*

*Sedebat ſuper acerbum ſtercoris extra ciuitatem, pag. 559. col. 2. lib. 1. cap. 11. §. 12.*

*Pellem pro pelle dabit homo pro anima ſua, pag. 264. col. 2.*

*Homo innocens verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni malo, & nullo perſecutionis in innocentia ſua, pag. 277. col. 2.*

*Sparſerunt terram ſuper caput ſuum: & ſederunt cum eo, pag. 585. col. 2. & pag. 586. c. 1*

*Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt conceptus eſt homo, lib. 4. cap. 5. §. 16.*

Cap. 4. *Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia, pagin. 172. col. 2.*

Cap. 7. *Cur non tollis peccatum meum? pag. 9. col. 1.*

Cap. 16. *Percuſſerunt maxillam meam ſaciati ſunt pœnis meis, lib. 4. cap. 2. §. 6.*

*Terra ne operias ſanguinem meum, nec habeat locũ latendi clamor meus, pag. 511. c. 2.*

Cap. 21. *Verum tamen quia non ſunt in manu eorum bona ſua, conſilium impiorum longe ſit à me, pag. 361. col. 1. & pag. 624. col. 1.*

Cap. 28. *Semita ignorauit auis, pag. 582. col. 1.*

Cap. 29. *Si quando ridebam ad eos non credebant mihi, pag. 6. col. 2. & 272. col. 2.*

Cap. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis ne cogitarem quidem de Virgine, pag. 67. col. 1.*

*Quis det de carnibus eius vt ſaturemur, pag. 418. col. 1.*

*Si expaui ad multitudinem nimiam, & deſpectio propinquorum deterruit me: ſed non magis tacui, neque egreſſus ſum hoſtium, pag. 475. col. 1. & pag. 479. col. 1.*

*Si abſcondi quaſi homo peccatum meum, & celaui in ſinu meo iniquitatem meam, lib. 4. cap. 5. §. 10.*

Cap. 34. *Nunquid volet Rinoceros ſeruire tibi? aut morabitur ad præſepe tuum? pag. 14. c. 2.*

*Vana eis euadent clamaſſe, & orare virum, abuſi ſunt enim ex honoratis infirmis, lib. 3. cap. 4. §. 36.*

Cap. 40. *Nunquid feriet tecum pactum, & accipies eum ſeruum ſempiternum? p. 347. co. 2.*

Pſalmi.

2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes, pa. 332. c. 2*

*Aprehendite diſciplinam, pag. 408. col. 1.*

3. *Pſalmus Dauid, cum fugeret à facie Abſalonis, pag. 227. col. 2. & 652. col. 2.*

4. *Annuntiauerunt in Sion Domini, pagin. 341. col. 1.*

5. *Manè aſtabo tibi,*

6. *Inueteraui inter omnes inimicos meos,*

*Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos, lib. 4. cap. 3. §. 9.*

8. *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem tuam, pag. 198. col. 1.*

*Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, pag. 385. col 1.*

9. *Propter quid irritauit impius Deum? Dixit enim in corde ſuo non requiret, lib. 4. cap. 2. §. 12.*

10. *Ecce peccatores intenderunt arcum paraueunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro, pag. 61. col. 2.*

16. *Exaudiat te Dominus in die tribulacionis, & protegat te nomẽ Dei Iacob, pag.* 190. *c.* 1.
18. *Nox nocti indicat scientiam, pag.* 297. *col.* 2.
21. *Amanu canis unicã meã, lib.* 1. *cap.* 4. §. 18.
*Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ. pag.* 408. *col.* 1.
22. *Deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum, pag.* 189. *col.* 2.
23. *Hæc est generatio quærentiũ Deũ, quærentium faciẽ Dei Iacob, pag.* 72. *col.* 2. *&* 198. *col.* 1.
*Tollite portas Principes vestras, pag.* 32. *col.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. §. 12.
25. *Cibauit illos ex adipe frumenti, de petra mel le saturauit eos, pag.* 63. *col.* 1.
26. *Ne declines in ira à seruo tuo, pag.* 636. *co.* 1.
28. *Vox Domini præparãtis cernos, pag.* 110. *c.* 1.
*Vox Domini confringentis cedros, comminuet eas tanquam vitulum Libani, pag.* 111. *col.* 1. *pag.* 178. *col.* 1.
*Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum, lib.* 4. *cap.* 5.
32. *Anima nostra sustinet Dominum in nomine sancto eius sperabimus, pag.* 182. *col.* 1.
35. *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen, pag.* 392. *col.* 2.
40. *Propter innocenciam meam suscepisti me, lib.* 1. *cap.* 13. §. 8.
44. *Astitit Regina à dextris tuis, pag.* 59. *col.* 2.
*Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, pag.* 65. *col.* 2.
*Speciosus forma præ filijs hominum, lib.* 4. *cap.* 5. §. 2.
*Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, pag.* 306 *col.* 1.
*Myrrha, & gutta, & cassia à vestimẽtis tuis, à domibus eburneis, pag.* 79. *col.* 1. *& pagin.* 60. *col.* 1.
48. *Audite hæc omnes gentes.*
60. *Lauabo per singulas noctes lectum meum.*
64. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, pag.* 353. *col.* 2.
67. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in illis, pag.* 220. *col.* 1. *&* 34. *col.* 2.
67 *Si dormiatis inter medios cleros, erunt penna columbæ de argentate, pag.* 46. *col.* 1. *& pag.* 498. *col.* 1.
*Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, pag.* 492. *col.* 1.
68. *Pauper & dolens ego sum, salus tua Deus suscepit me. Laudabo nomen Dei cum Cantico. pag.* 391. *col.* 2.
71. *Educens nubes ab extremo terræ fulgura in pluuiam fecit, pag.* 309. *col.* 2.
*Erit firmamentum in terra in summis montium, pag.* 385. *col.* 1.
*Descendit sicut pluuia in vellus, lib.* 2. *cap.* 2. §. 10.
73. *Quia obscuritati sunt terræ domibus iniquitatis, pag.* 503. *col.* 2.
76. *Excita potentiam tuam, & veni, vt salvos facias nos.*
*In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis, pag* 551. *col.* 1.
83. *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini, pag.* 51. *col.* 1.
84. *Misericordia & veritas obiauerunt sibi, iustitia, & pax oculte sunt, lib.* 4. *cap.* 4. §. 17.
90. *Dæmonio meridiano.*
91. *Induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se, pag.* 356. *col.* 1. *lib.* 5. *cap.* 1. §. 1.
102. *Renouabitur vt Aquila iuuentus mea, pag.* 552. *col.* 1.
103. *Cedri Libani, quas plantauit, illic passeres nidificabunt. Herodij domus dux est eorum, lib.* 1. *cap.* 11. §. 11.
105. *Fecerunt vitulum in Oreb, & adorauerunt sculptile, pag.* 263. *col.* 2.
109. *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex vtero ante luciferum genui te, pag.* 23. *col.* 2.
*Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.*
113. *Quid est tibi mare quod fugisti? & tu Iordanis, quod conuersus es retrorsum? pag.* 283. *col.* 2. *lib.* 3. *cap.* 4. §. 35.
118. *Deduce me Domine in viam iustificationũ tuarum, & exquirã eam semper, p.* 313. *co.* 1.
125. *Sagittæ potentis acutæ, ita filij excussorum, pag.* 65. *col.* 2.
126. *Nisi Dominus ædificauerit domum in vanũ laborabunt, qui ædificant eam, pagin.* 583. *col.* 2.
127. *Labores manuũ tuarum, quia mãducabis, beatus es, & bene tibi erit, pag.* 97. *col.* 1.
134. *Suspiciant montes pacem populo, & colles iustitiam, pag.* 309. *col.* 2.
*Educens nubes ab extremo terræ, pag.* 552. *col.* 2.
136. *Super flumina Babylonis illic sedimus, lib.* 3. *cap.* 7. §. 19.
147. *Qui posuit fines tuos pacem, pag.* 588. *c.* 2.
150. *Omnis spiritus laudet Dominum, pag.* 22. *col.* 2.

## Prouerbia.

*Prouerbia Salomonis filij Dauid Regis Israel, lib.* 2. *cap.* 4. §. 32.
3. *Stultissimus sum omnium hominum, pag.* 376 *col.* 1.
4. *Stultus homo despicit matrem suam, pag.* 80. *col.* 2.
*Iustorum semita quasi lux splẽdens, pag.* 250. *col.* 2.
5. *Cerua charissima, pag.* 21. *col.* 2.
8. *Ante sæcula fundauit me, lib.* 1. *cap.* 9. §. 11.

Cap.9.*Miſcuit vinum, & miſsit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem,pagin.319. col. 2. & 394.col.2.& pag.590.col.1.& 602.col.1.*
Cap.14.*Vbi plurima ſegetes manifeſta eſt fortitudo bobis,pag.397.col.2.*
Cap. 18.*Gladius acutus in ſimulatum Imperium tuum portans, & ſtans repleuit omnia morte,lib.2.cap.7.§.11.*
Cap.20.*Malum malum eſt, dicit omnis omnis emptor, & cum deceſſerit, tunc gloriatur, pag.463.col.1.*
Cap.23.*Accedens ad mẽſam potentis,conſidera,quæ ibi opponuntur tibi ſciens quia & talia te oportet parare,lib. 3.cap.8.§.26.*
Cap.24.*Septies in die cadit iuſtus,& ſepties reſurgit,pag.424.col.1.& pag.214.col.1.lib. 2.cap.10.§. 3.*
Cap.25.*Seruus cum pugnauerit,pag.84.col.1.*
*Si eſuerit inimicus tuus ciba illum, ſi ſitit potum da illi,ſic enim carbones congeres ſuper caput eius,pag.194.col.2.*
Cap.30.*Biſſus & purpura indumentum eius, pag.2.col.2.*
*Nobilis in portis vir eius,pag.84.col.*
*Domeſtici eius veſtiti ſunt duplibus, pag.51. col.2.*
*Mulierem fortem quis inueniet? procul,& de vltimis finibus precium eius.25.col.1.*
*Viam colubri ſuper petram,pag.25.col-2.*
*Tria ſunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit ſœliciter,pag.355.col.1.*
Cap.31.*Digiti eius apprehenderunt fuſum, lib. 4.cap.3.§.17.*

## Eccleſiaſtes.

Cap.1.*Eccleſiaſtes filius Dauid Regis, lib.3. cap.3.§.3.& cap.4.§.32.*
*Feci mihi hortos, & paradiſos, lib. 3.cap. 4. §.31.*
Cap.2.*Quis ita deborabit, & delitijs affluet vt ego?pag.71.col.1.*
Cap.4.*Conſiderans reperi aliam vanitatem ſub ſole vnus eſt,& fratrem non habet,lib.2.cap. 11.§.3.*
Cap.5.*Poteſtatemque ei tribuit,vt fruatur parte ſua, pag. 379.col. 1.& lib. 3.cap. 8.§. 15.*
Cap.6.*Si genuerit quiſpiam centum liberos, & vixerit multos annos,& plures dies ætatis habuerit,& anima illius non vtatur bonis ſubſtantiæ ſuæ,ſepulturaque careat, de hoc ego pronuntio quod melior illo ſit abortiuus, pag: 466.col.1.*
Cap.7.*Vtilior eſt ſapientia cum diuitijs,*
Cap.11.*Da partem ſeptem,nec non & octo,pag. 469.col.2.*

## Cantica.

Cap.1.*Oſculetur me oſculo oris ſui, pag.205. col.1.*
*Si ignoras te ò pulcherrima mulierum,pag. 29.col.2.lib.1.cap.11.§.6.*
*Indica mihi vbi paſcas,vbi cubes in meridie ne efficiar ſicut velata, pag.295.col.1. & pag.212.col.2.& 78.col.2.*
*Si ignoras te ò pulcherrima mulierum egredere, & abi poſt veſtigia gregum.lib.1.cap. 11.§.6.*
*Ecce tu pulchra es propinqua mea,lib. 2.cap. 3. §.1.*
*Oleum effuſum nomen tuum,pag.18.col.2.*
*Equitatui meo aſſimilaui te, pag.310.col.2.*
*Votrus Cypri dilectus meus mihi, pag.409. col.2.& pag.501.col.2.lib.1.cap.9.§.4.*
*Formoſa ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis,lib.4.cap.4.§.5.*
*Cum eſſet Rex in acubitu ſuo, pag. 572.col. 2.& pag.607.col.1.*
Cap.2.*Columba mea,pag.30.col.1.*
*Amica mea,pag.31.col.1.*
*Qui paſcitur inter lilia,pag.47.col.2.& pag. 223.col.2.*
*Adiuro vos filiæ Hieruſalem per capreas cer uoſque camporum,ne ſuſcitetis,neque euigilare faciatis dilectam donec ipſa velit,libr.1. cap.9.§.7.*
*Eu ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras,pag.211.col.2.*
*Introduxit me Rex in cellam vinariam, pag. 378.col.2.*
*Sicut roſa inter ſpinas, ſic ſoror mea inter filias:ſicut pomum in lignis ſiluæ, ſic patruelis meus in filios,lib.3.cap. 8.§.14.& libr. 4. cap.5.§.4.*
Cap.3.*Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum tanquam virgula fumi ex aromatibus myrrhæ,& thuris,& vniuerſi pulueris, pag. 43. col.1.& pagin. 217.col. 1.& pagin. 477. col.1.*
*Nunquid quem diligit anima mea vidiſtis, pag.52.col.2.& pag.655.col.2.*
*Per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea,pag.53.col.1.& 319.col.1,*
*Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater ſua,pag.81.col.1.& pag.101.col.2.& pag.590.col.1.*
*Septuaginta fortes,&c.lib.3.cap.2.§.23.*
*In lectulo per noctes quæſiui quem diligit anima mea,pag.355.col.2.& pag.351.col.1.*
*Videte Regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater ſua,pag.430.col.1.*
*Inuenerunt me cuſtodes ciuitatis, pag.655. col.2.lib.4.cap.1.§.21.*
Cap.4.*Sicut turris Dauid colum tuum mille clypei pendent ex ea,pag.2.col.2.*

*Capilli tui ſicut greges caprarum*, pag. 271. col. 2.
*Veni coronaberis de capite Amana*, pag. 273. col. 1.
*Odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris*, lib. 4. cap. 3. §. 20.
*Sicut fragmen mali punici genna tua*, lib. 4. cap. 5. §. 16.
*Surge Aquilo, veni Auſter, & perfla*, pag. 624. col. 2.

Cap. 5. *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto*, pag. 3. col. 2.
*Soror noſtra parvula eſt, & vbera non habet*, pag. 46. col. 1.
*Faſciculus myrrhæ dilectus meus inter vbera mea commorabitur*, pag. 59. col. 2.
*Dilectus meus miſit manus per foramen, & venter meus intremuit*, pag. 69. col. 1. & pag. 383. col. 1. & pag. 393. col. 2.
*Comæ eius ſicut elatæ palmarum nigræ quaſi corvus*, pag. 296. col. 2. & pag. 339. col. 1.
*Adiuro vos filiæ Hieruſalem, ſi inueneritis dilectum, vt annuntietis ei, quia amore langueo*, pag. 357. col. 1.
*Vinum bibi cum lacte meo*, pag. 318. col. 2.
*Manus me diſtilauerunt myrrham*, pag. 585. col. 2.

Cap. 6. *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens*, pag. 56. col. 2.
*Pulchra eſt amica mea ſuauis, & decora ſicut Hieruſalem*, pag. 283. col. 2.

Cap. 7. *Coma capitis tui purpura Regis*, pag. 33. col. 1. & pag. 55. col. 1. & pag. 177. col. 2.
*Pone me vt ſignaculum ſuper brachiũ tuum*, pag. 188. col. 1.
*Venter tuus acervus tritici vallatus lilijs*, pag. 393. col. 1.

Cap. 8. *Ego murus*, pag. 16. col. 2. & pag. 322. col. 1.
*Si murus eſt ædificemus ſuper eum propugnacula argentea*, pag. 27. col. 1. & pag. 293. col. 1.
*Alæ eius, alæ ignis*, pag. 194. col. 2.
*Qui habitas in hortis amici auſcultant, fac me audire vocem tuam, Fuge fuge dilecte mi*, pag. 608. col. 1. lib. 2. cap. 10. §. 1.
*Vt inueniam te foris, & deoſculer*, pag. 504. col. 2.
*Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto dilitijs affluens, ſupra pectus recumbens dilecti ſui*, lib. 4. cap. 5. §. 18.

Sapientia.

Cap. 2. *Venite fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Coronemus nos roſis ante quam marceſcant. Nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra: Circumueniamus iuſtum, morte turpiſſima condemnemus eum*, pag. 54 col. 2.

Cap. 4. *Videbunt finem ſapientis, & non intelligent quid cogitauerit de illo Deus, & quare munierit illum*, pag. 323. col. 1.

Cap. 16. *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & deſeruiens vnuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat conuertebatur*, lib. 2. cap. 3. §. 10.
*Propter hoc, & tunc in omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ deſeruiebant ad voluntatem eorum, qui â te deſiderabant*, lib. 2. cap. 3. §. 10.

Eccleſiaſticus.

Cap. 4. *Melius eſt eſſe duos quam vnum; habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ: ſi vnus ceciderit ab altero fulcietur; ſi dormierint duo foouebuntur mutuo: & ſi quiſpiam præualuerit contra vnum, duo reſiſtunt ei*, pagin. 399. col. 1.

Cap. 24. *Ego ex ore altiſsimi prodiui primogenita omnium creaturarum*, pag. 22. col. 1. & pag. 137. col. 1.
*Quaſi platanus exaltata ſunt iuxta aquas*, lib. 1. cap. 13. §. 7.
*Quaſi palma exaltata ſum in Cades, & quaſi plantatio roſæ in Hierico; quaſi oliua ſpecioſa in campis, quaſi platanus exaltata ſunt iuxta aquas*, pag. 368. col. 2.

Cap. 25. *Timor Dei ſuper omnia ſe ſuper poſuit.*

Cap. 39. *Audite me diuini fructus, florete flores quaſi lilium*, pag. 555. col. 2.

Cap. 50. *Vas auri ſolidum ornatum omni lapide precioſo*, pag. 181. col. 2.

Iſaias.

Cap. 1. *Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen*, pag. 25. col. 1.
*Cum extenderitis manus auertã oculos meos*, lib. 2. cap. 8. §. 19.
*Erubeſcent ſuper hortis ſuis quos concupierunt*, pag. 311. col. 1.
*Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me*, pag. 318. col. 2. 457. col. 1.

Cap. 2. *Non ſum medicus*, pag. 59. col. 2.

Cap. 4. *Tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos.*

Cap. 6. *Ea quæ ſub ipſo erant replebant Templum*, pag. 106. col. 2. & pag. 604. col. 1. & pag. 64. col. 2. lib. 5. cap. 8. §. 1.
*Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum*, pag. 83. col. 1. & pag. 622. col. 1.
*Quem mittam?* pag. 90. col. 1. & pag. 91. col. 1.
*Ecce ego mitte me*, pag. 91. col. 1. pagin. 107. col. 2.
*Clamabant alter ad alterum. Sanctus Sanctus, Sanctus*, pag. 206. col. 1. & pag. 207. col. 2. & pag. 618. col. 2.

*Duabus volabant faciem eius, & duabus velabant pedes, & duabus volabant, pag. 567. col. 2.*

Cap. 7. *Pete tibi ſignum, pag. 214. col. 2.*
*Ecce Virgo concipiet, & pariet filiũ, p. 214. c. 2*

Cap. 9. *Parvulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, cuius Principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, Pater futuri ſæculi, pag. 177. col. 2. & pag. 415. col. 1. & pag. 450. col. 2. & 463. col. 1.*

Cap. 10. *Væ Aſſur: virga furoris mei, & baculus ipſe in manu eorum indignatio mea, pag. 40. col. 1.*

Cap 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe, pag. 40. col. 1.*
*Et flos de radice eius, pag. 556. col. 1.*
*Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſciientiæ & pietatis, & repleuit eum ſpiritus timoris, pag. 110. col. 2. & pag. 318. col. 1. & pag. 446. col. 2.*

Cap. 12. *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conuerſus eſt furor tuus, & conſolatus es me, pag. 40. col. 2.*

Cap. 14. *Ex radice colubri egredietur regulus, pag. 299. col. 2.*
*Sedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis, pag. 313. col. 1.*

Cap. 16. *Et erit ſicut auis fugiens, pag. 92. col. 2. & lib. 1. cap. 7. §. 56.*
*Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de petra deſerti, ad montem filiæ Sion: & erit fugiens, pag. 146. col. 2. & pag. 25. col. 2.*

Cap. 18. *Ite Angeli veloces ad gentem expectantem & conculcatam, pag. 360. col. 1.*

Cap. 21. *Si quæritis quærite. pag. 241. col. 2.*
*Cuſtos quid de nocte? pag. 439. col. 1.*

Cap. 22. *Comedamus & bibamus, eras enim moriemur, pag. 354. col. 2.*

Cap. 28. *Qui crediderit nõ feſtinet, pag. 577. c. 2.*

Cap. 26. *Miſereamur impio & non diſcet iuſtitiam, pag. 359. col. 2.*
*Expergiſcimini & laudate qui habitatis in pulvere, quia ros lucis, ros tuus, pag. 569. col. 2. & 570. col. 1,*

Cap. 30. *Erit tranſitus virgæ fundatus, pag. 188. col. 1.*

Cap. 33. *Oculi tui videbunt Hieruſalem ciuitatem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, pag. 188. col. 2.*
*Nec auferetur clauis eius in ſempiternũ, quia ſolum ibi magnificus Dominus. Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, pag. 608. col. 2.*

Cap. 46. *Nũquid tolletur aſorti præda? p. 31. c. 2*
*An quod ablatum fuerit a robuſto ſaluabitur? pag. 33. col. 1.*

Cap. 47. *Impius quaſi mare feruens, p. 234. c. 2.*

Cap. 49. *Non eſurient neque ſitient, p. 390. c. 1.*
*Vocans ab Oriente auem, pag. 391. col. 1.*

Cap. 52. *Quam pulchri pedes euangelizãtium pacem, pag. 450. col. 1.*

Cap. 53. *Vidimus eum, & non erat aſpectus, pag. 83. col. 1.*
*In ſapientia ſua iuſtificauit iuſtos ſeruos meos multos.*

Cap. 57. *Generationem eius quis enarrabit quoniam abſciſſus eſt de terra viuentium, pa. 19. col. 2.*

Cap. 60. *Super quem reſpiciam niſi ſuper humilem, & manſuetum, & trementẽ verba mea, pag. 107. col. 1.*
*Ponam te in ſuperbiam, &c. pag. 77. col. 2.*
*Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges ſplendore ortus tui.*

Cap. 62. *Ecce Saluator tibi aderit, p. 449. c. 1.*
*Saluator tanquam lampas accendatur, p. 48*
*Vocabitur tibi nomen quod os Domine peruſo rauit, pag. 181. col. 2.*

Cap. 63. *Angelus faciei eius ſaluabit eos.*

Hieremias.

Cap. 1. *Priuſquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua ſanctificaui te.*
*Ollam ſuccenſam ego video, & faciem eius à facie Aquilonis, pag. 359. col. 2.*

Cap. 2. *Poſt gloriam miſsit me ad gentes, pag. 458 col. 1.*

Cap. 11. *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentiũ, p. 397. c. 1*
*Verbum quod factũ eſt à Domino ad Ieremiã.*

Cap. 31. *Famina circundabit virũ, p. 91. c. 2.*

Threni.

Cã. 1. *Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo? pag. 460. col. 1.*
*Sacerdotes, & ſenes mei in vrbe conſumpti ſunt, quia quæſierunt cibum ſibi, vt refocillarent animam ſuam, pag. 95. col. 1.*

Cap. 2. *Magna eſt velut mare contritio tua, pag. 420. col. 1. & 433. col. 2.*
*Deduc quaſi torrentem lacrymas, p. 459. c. 2*
*Conſurge lauda in nocte, in principio vigilarũ effunde, ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini: leua ad Deum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame, in capite omnium cõpitorũ, p. 95. c. 1.*
*Leua ad Deũ manus tuas pro animabus parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame, & ſiti; in capite omnium compitorum.*

Cap. 3. *Bonum eſt viro, qui portauerit iugũ ab adoleſcentia ſua, pag 44. c. 2. & 179. c. 1*
*Ponet in pulvere os ſuũ ſi forte ſit ſpes, pag. 451. col. 1.*
*Venatione ceperunt me quaſi auem, pag. 443 col. 1.*
*Tantum in me vertit, & conuertit manum ſuam, pag. 255. col. 2.*

*Manus mulierum per miſericordiam coxerunt filios ſuos, fol.306. col.2.*

*Recordare paupertatis & trãſgreſſionis abſinthij, & fellis, fol.326.col.2.*

*Egorir videns paupertatem meã, in virga indignationis eius : meminauit & adduxit in tenebras, & non in lucem. Tantũ in me vertit, & conuertit manum ſuam, folio 345.col.2.*

*Sordes eius in pedibus eius, nec recordata eſt finis ſui, depoſita eſt vehementer non habens conſolatorem, fol.565.col.2.*

Cap.4. *Filia populi mei crudelis ſicut ſtruthio in deſerto, fol.242.co.1.*

## Ezechiel.

Cap.1. *De currus carbonibus, fol.194.colun.2.*

*Duæ pennæ ſingulorum iungebantur, & duo tegebant corpora eorũ, lib.1.cap.9. paragr.10.*

*Sed manus hominis ſub pennis eorum, folio 389.co.1.*

*Et ſuper firmamentum quod erat imminens capiti eorum, lib.3.cap.5.parag.10.*

*Hæc viſio ſimilitudinis gloriæ Dei, folio 580.col.1.*

Cap.2. *Alumbis de orſum vidi ſpeciem ignis, & arcum, lib.2.cap.2.parag.6.*

*Fili hominis ſta ſuper lumbos tuos, & loquar tecum. Et ingreſſus eſt in me ſpiritus poſtquam locutus eſt mihi, & ſtatuit me ſupra pedes meos, fol.553.co.2.*

Cap.3. *Propone ægnigma ad populum Iſrael, fo.422.col.2.*

Cap.4. *Fili hominis ſume tibi lateꝛẽ, & pones illum ante faciem tuam, & deſcribes in eo ciuitatem Hieruſalem, fo.375.co.1.*

Cap.8. *Et ecce ab Aquilone portæ altaris Idolum Zeli, fo.462.co.2.*

Cap.9. *Eutiu Domine Deus, ergo ne diſperdes omnes reliquias Iſrael, fo.383.co.2.*

*Vir quoque vnus in medio eorum veſtitus erat lineis, & attramentarium ſcriptoris ad renes eius : & ingreſſi ſunt, & ſteterunt iuxta altare, fo.407.co.2.*

Cap.17. *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate, venit ad libanum, & tulit medullam cedri, & tranſportauit eam in Chanaam, in vrbe negociatorum poſuit illam, fol.49.col.1.*

Cap.21. *Limati ad fulgendũ, amice adnecem, fol.200.co.2.*

Cap.24. *Erit clauſa principio, fo.76.co.1.*

Cap.27. *Ventus Auſter contriuit te in corde maris, fo.74.co.1.*

*Tranſtra tua fecerũt tibi ex ebore, f.337 co.1. & fo.604.col.1.*

*Leua planctum tuum ſuper Regem Tyri, fo.468.co.2*

Cap.35. *Aquatuor ventis veni ſpiritus, & exſuffla ſuper interfectos iſtos, & reuiuiſcant, fo.265.col.1. & fo.626.co.1.*

## Daniel.

Cap.1. *Fuerunt ergo inter eos de filijs Iuda, Daniel, Ananias, Miſſael, folio 92. colum.1.*

Cap.2. *Tunc Rex Nabuchodonoſor cecidit in faciem ſuam, & Danielem adorauit, & hoſtias, & incenſum præcepit vt ſacrificarent ei, fol.337.col.2.*

*De ſtatua aurea, lib.3.cap.2.parag.23. & 24.*

*Deferreis tibijs, lib.2.cap.8.parag.18.*

Cap.3. *De tribus pueris, lib.1.cap.2.para.9.*

*Nonne tres viros miſimus in mediũ ignis compeditos? Ecce ego video quatuor viros ſupra, fo.54.co.2. & fo.200.col.2. & fol. 206.co.1. & 646.co.2*

*Cur Nabuchodonoſor vidit filium Dei inter pueros, lib.1.cap.2.parag.11.*

*Species quarti ſimilis Filio Dei, li.3. ca.3. parag.5. & lib.2.cap.8.parag.4.*

*In hora qua audieritis ſonitum tubæ, & fiſtulæ, & citaræ, & ſambuccæ pſalterj, & ſymphoniæ, & omnes generis muſicorum, cadentes adorate ſtatuam, fo.103.co.2.*

*Ne tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, lib.3.cap.5.parag.17.*

*Tunc Nabuchodonoſor obſtupuit, & ſurrexit propere, lib.5.ca.8.parag.7.*

*Sidrach, Miſſach, & abdenego ſerui Die altiſſimi. fol.336.co.1. & lib.3.cap.5. parag.16.*

*Benedictus Deus Sidrach, Miſach, & Abdenego, lib.2.ca.7.parag.*

*Qui miſit Angelum ſuum, & eripuit ſeruos ſuos, qui crediderunt in eum, & verbum Regis immutauerunt, lib.4.ca.3.para.19.*

Cap.4. *Deus magnus oſtendit Regi quæ ventura ſunt poſtea, lib.4.cap.3.parag.9.*

*Ex hominibus abiectus eſt, & fœnũ vt bos comedit, lib.3.cap.5.parag.2.*

Cap.5. *Munera tua ſint tibi, & dona domus tuæ altari da, ſcripturam autem legam tibi Rex, fo.257.co.2. & fo.321.co.1.*

*In eadem hora apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis, li.4. cap.5. parag.11.*

Cap.6. *Placuit Dario, & conſtituit ſuper regnum ſatrapas centum viginti, vt eſſent in toto regno ſuo : Et ſuper eos Principes tres, ex quibus vnus Daniel erat, fo.114.co.1.*

*Vt omnis qui petierit aliquam petitionem aquocunque Deo, & homine vsque ad triginta dies, nisi à te Rex, mittatur in lacum leonum, lib. 4. cap. 1. parag. 2.*

Cap. 10. *Et ecce quasi similitudo filij hominis tetigit labia mea, & aperiens os meum locutus sum, lib. 3. cap. 4 parag. 35.*

Cap. 13. *Mundus ego sum à sanguine huius, fol. 55. col. 1.*

*De Susana quod operta iudicio stetit, lib. 2. ca. 10. parag. 12.*

*Surgens Daniel comedit, lib. 3. cap. 6. parag. 1.*

Oseas.

Cap. 2. *Dabo eis vallem Achor ad aperiendam spem, fo 69. col. 1.*

Cap. 4. *Et erit populus meus tanquam Sacerdos, cui contradicitur, libr. 4. capit. 2. parag. 13.*

*Turbo spiritus tu es in alis eius, lib. 4. capit. 5. parag. 22.*

Cap. 6. *Percussit eos Dominus sicut agnum in latrone, lib. 4. cap. 5. parag. 8.*

Cap. 5. *Ego capiam, & vadam, & tollam, & & non est qui eruat: & reuertar ad locum meum, fo. 687. col. 2.*

Cap. 7. *Quasi columba seducta non habēs cor, fol. 358. col. 1.*

*Ephrain factus est subcinericius panis, fol. 438. co. 1.*

*In vtero supplantauit fratrem, fol. 82, colum. 1. & fol. 261. col. 2. & fol. 251. colum. 2.*

Cap. 9. *Scito te Israel stultum, folio 478. colum. 2.*

Cap. 10. *Montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos. fo 269. col. 2.*

*Ex diebus Gabaa peccauit Israel, fo. 9. col. 2.*

Cap. 11. *In funiculis Adam traham eos, folio 384. col. 2.*

*Ero ei, quasi exaltans iugum super maxillas eorum, & declinaui ad eum, vt vescerctur, fol. 400. col. 1.*

*Flenit, & rogauit eum, &c., fo. 623. col. 1.*

*Non faciam furorem iræ meæ, non conuertar, vt disperdam Ephrain, quoniã Deus ego sum, & non homo, in medio tui sanctus, & non ingrediar ciuitatem, li. 4. cap. 4. parag. 17.*

Cap. 14. *Ego quasi iuniperus cooperiens folio 486. co. 2.*

*Radix eius vt libani, ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius ::: vinent tritico, lib. 3. cap. 4. parag. 29.*

Ioel.

Cap. 2. *Ecce ego mitto vobis frumentum, vinum, & oleum, & replebimini in eo, f. 413 col. 1. & fo. 414. col. 2.*

Cap. 3. *Sol, & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. Et Dominus de Sion rugiet, & de Hierusalem dabit vocem suam, & mouebuntur cœli, & terra, fol. 348. co. 1.*

Amos.

Cap. 1. *Tria scelera Damasci: tria scelera Hazæ: tria scelera Tyri: tria scelera Edon: tria scelera filiorum Ammon, pagin. 644. col. 1.*

Cap. 3. *Si clangerit tuba in ciuitate, & populus non paueſcet, pag 644. c. 1.*

Cap. 4. *Auertam faciem meam abipſis, folio 454. col. 1.*

Cap. 7. *Ecce Dominus stans super murum litum, & in manu eius trulla cementarij, folio 27. col. 1. & f. 40. co. 4.*

Ionas.

Cap. 1. *Indica nobis cuius causa malum istud sit vobis, quod est opus tuum? quæ terra tua? & quo vadis? vel ex quo populo es tu? lib. 4. cap 3. parag. 14.*

*Remigabant viri, vt reuerterentur in aridam, fol 472. col. 2.*

Cap. 2. *Præparauit Dominus piscem grandē, vt deglutiret Ionam, fol. 73 co. 2.*

*Tulerunt Ionam, & miserunt in mare, lib. 5. cap. 4. parag. 3.*

*Et ascendet de corruptione vita mea, Domine Deus meus, lib 5. cap. 5. parag. 5.*

Cap. 3. *Prædicauerunt ieiunium, & induti, sunt saccis fo. 202. co. 2.*

*Induti sunt saccis à maiori vsque ad minorem fo. 368. co. 2. & fol. 605. col. 1.*

Cap. 4. *Et afflictus est Ionas afflictione maxima, & iratus est. fo. 455. col. 2.*

Habach.

Cap. 1. *Tyranni ridiculi eius, fol. 487. colum. 2.*

Cap. 2. *Circundabit te calix iræ Domini, fol. 234. col. 2.*

Cap. 3. *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius, fo. 336. co. 2. & f. 355. co. 2. & fo. 397. co. 2.*

*Aspexit, & dissoluit gentes, & cõtriti sunt montes sæculi, fol. 458. co. 1.*

*Audiui auditionem tuam, & timui, lib. 4. cap. 4. parag. 10.*

So-

## Sophonias.

Cap. 1. *Scrutabor te in lucernis, lib. 1. cap. 6. parag. 36.*

*Verbum Domini, quod factum eſt ad Sophoniã filium Chuſi, filiæ Godoliæ, li. 3. cap. 6. parag. 19.*

## Zacharias.

Cap. 2. *Qui tangit vos, tangit pupillas oculi mei, lib. 1. cap. 12. parag. 4.*

*Orietur vobis timentibus nomen meũ Sol iuſtitiæ, lib. 2. cap. 2. parag. 14.*

Cap. 3. *Ecce ego cælabo ſculpturam eius, folio*

Cap. 4. *Educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius, fol. 36. col. 2. & fol. 192. col. 2.*

Cap. 9. *Quid bonum eius, & quid pulchrum eius, niſi frumẽtũ electorũ, &c. f. 396. col. 2.*

*Exultat ſatis filia Sion, iubila filia Hieruſalem, quia Rex tuus venit tibi, li. 3. cap. 5. parag. 11.*

Cap. 11. *Sume tibi vaſa paſtoris ſtulti, f. 465. colum. 1.*

Cap. 12. *Sicut planetus mali granati, lib. 1. cap. 12. parag. 7. & 8.*

## Malachias.

Cap. 2. *Locuti ſunt timentes Dominum, vnuſquiſque cum proximo ſuo: attendit Dominus, & vidit, & ſcriptus eſt liber monumẽti coram Deo, fo. 268. co. 2.*

Cap. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ, ſanitas in pœnis eius, fol. 182. col. 1. & fol. 185. co. 1. & fo. 208. co. 2. & fol. 223. col. 2.*

## Machabæorum 1.

Cap. 2. *Tulerunt illis bellum Sabbatis: & mortui ſunt ipſi, & vxores, & filij eorum.*

*Omnis homo qui venerit ad nos in bello in die Sabbathorum: pugnemus aduerſus eum, & non moriemur omnes, ſicut mortui fratres noſtri, lib. 3. cap. 2. parag. 10.*

Cap. 4. *Congregata eſt ad eos Sinagoga Aſsidæorum, omnis voluntarius in lege, & facti ſunt illis ad firmamentum, lib. 2. cap. 3. parag. 16.*

*Habentes ſolatio ſcriptas libros, qui ſunt in manibus noſtris, &c. fo. 510. co. 1.*

Cap. 13. *Circum poſuit columnas magnas. li. 3 cap. 5. parag. 15.*

## Machabæorum 2.

*Vnius territus fortidine pacem rogauit, lib. 3. cap. 8. parag. 6.*

## Mathæus.

Cap. 1. *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, fol. 262. col. 2.*

*Abraham autem genuit Iſaac, &c. pagin, 23. col. 2.*

*Ioſeph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuã, &c. pag. 275. co. 1.*

Cap. 2. *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum, fo. 14. col. 2.*

*Gauiſi ſunt gaudio magno valde, fol. 65. co. 1.*

*Stetit ſupra vbi erat puer, fo. 98. co. 2.*

*Surge, & accipe puerum, & Mariam matrem eius, & fuge in Ægyptum, fol. 64. clo. 2.*

Cap. 3. De cœlo intonante apud Iordanem, *fol. 5. col. 2.*

Cap. 4. *Dic vt lapides iſti panes fiant, lib. 4. cap. 5. parag 37.*

Cap. 5. *beati pauperes ſpiritu, fol. 181. colu. 1. & fol. 367. col. 1.*

*Beati mundo corde, quoniam ipſi Deũ videbunt, fo. 61. col. 1*

*Beati eritis, cum maledixerint vos homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſus vos, fol. 451. co. 1.*

*Qui ergo ſolucrit vnum de mandatis iſtis minimis, fol. 353. col. 1.*

*Nemo accendit lucernam, & ponit eã ſub modio, fol. 371. col. 2. & f. 223. co. 2. & fol. 242. co. 1.*

*Vos eſtis lux mundi, fo. 208. co. 1.*

*Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita, lib. 4. cap. 5. parag. 15.*

Cap. 6. *Sicut & nos dimittimus, fol. 9. col. 2.*

Cap. 8. *Ipſe vero dormiebat. f. 108. col. 1.*

*Qualis eſt hic homo, quia venti & mare obediunt ei, lib. 5. cap. 3. parag. 5.*

*Cum veniſſet Ieſus in domo Petri, lib. 2. cap. 2. parag. 2.*

*Tenuit manum eius, & dimiſit eam febris, lib. 4. cap. 3. parag. 25.*

*Surrexit, & miniſtrabat, lib. 5. cap. 7. parag. 12.*

*Puer meus iacet in domo paraliticus, fol. 211. col. 1.*

*Dic verbo, & ſanabitur puer meus, folio 220. col. 1. f. 320. co. 2.*

*Occurrerunt ei duo dæmonia habẽtes, lib. 4. cap 6. parag. 12.*

*Oleo caput meum non vnxiſti: hæc autẽ vnguẽto vnxit pedes meos pag 269. c. 1.*

Cap. 9. *Circuibat Ieſus omnes ciuitates, & caſtella docens, lib. 1. cap. 8. parag. 2.*

*Vnguento vnxit pedes meos, pag. 269. c. 1.*

*Cum tranſiret Ieſus, fol. 209. co. 2.*

*Vidit hominem ſedentem in telonio, folio 356. co. 2. & fo. 458. col. 2.*

Cap. 10. *Veni separare hominem aduersus patrem, fol. 15. col. 1. & fol. 588. col. 2.*
*Tradet frater fratrem, fol. 97. col. 2.*
*Nec calceamenta, nec virgam ferant, fol. 274. col. 2.*
*Primus Simon Petrus, fol. 203. col. 2.*
*Estote prudentes sicut serpentes, fol. 69. col. 1. fol. 392. col. 1. fol. 502. col. 1.*
*Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis, lib. 4. cap. 5. parag. 37.*
Cap 11. *Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ, lib. 1. cap. 11. parag. 9.*
*Regnum cælorum vim patitur, fol. 431. columna. 1.*
*Non surrexit maior Ioanne Baptista, lib. 4 cap. 3. parag. 23.*
*Iugum meum suaue est, & onus meum leue lib. 4. cap. 4. parag. 4.*
*Discite à me, qui mitis sum, & humilis corde, lib. 4. cap. 6 parag. 11.*
Cap. 12. *Abijt Iesus per sata Sabbatho, fol. 106. col. 1.*
*Sic luceat lux vestra coram hominibus, lib. 2 cap. 7. parag. 4.*
*Quæ est mater mea, fol. 441. col. 1.*
Cap. 15. *Etiam domine, nam & catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum, lib. 1. cap. 11. parag. 9. & 380. col. 1. & lib. 2. cap. 8. parag. 45.*
*Rogabãt eum dicentes: dimitte eam quia clamat post nos.*
*Iam triduo sustinent me, lib. 4. cap. 3. parag. 15.*
*Præcepit turbæ, vt discumberent super terrã lib. 4. cap. 4. parag. 13.*
Cap. 16. *Absit à te Domine, non erit tibi hoc, fol. 313. col. 2.*
*Quam dabit homo commutationem pro anima sua, lib. 1. cap. 4. parag. 14.*
*Duxit illos in montem excelsum, lib. 1. cap. 8. parag. 14.*
Cap. 17. *Ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias, fol. 8. col. 1. & fol. 203. col. 1.*
*Bonum est nos hic esse, faciamus tria tabernacula, fol. 252. colu. 1. & lib. 2. cap. 5. parag. 17.*
*Nonne hic est filius fabri, fol. 17. col. 2.*
*Aperto ore eius inuenies state rẽ, li. 5. ca. 7. parag. 15.*
Cap. 18. *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regno cælorum, fol. 18. col. 1. & 563. col. 2.*
Cap. 19. *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, sedebitis, lib. 2. cap. 3 parag. 5.*
*Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumꝰ te. Quid ergo erit nobis, f. 256. col. 2.*
Cap. 20. *Dic vt sedeant duo filij mei, vnus ad dexteram, alius ad sinistram, f. 213. c. 2. fol. 447. c. 2.*
*Non est meũ dare vobis, lib. 2. c. 3. para. 5.*
Cap. 21. *Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini, lib. 1. c. 7. para. 50.*
*Intrauit Iesus in templum Dei, & eijciebat omnes ementes, & vendentes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit, & accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo, lib. 1. cap. 7. parag. 45.*
Cap. 22. *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem, fol. 413. col. 2.*
Cap. 23. *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine iusti Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ, &c. fol. 516. col. 1.*
Cap. 24. *Cùm videritis abominationem stantem in loco sancto, tunc qui in Iudæa est, fugiat ad montes, fol. 345. col. 1.*
*Orate ne fuga vestra fiat hyeme, vel Sabbatho fol. 350. col. 1. & fol. 156. col. 1.*
*Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur, & aquilæ, fol. 390. col. 1.*
*Tunc parebit signum Filij hominis, lib. 4. cap. 5. parag. 21.*
Cap. 25. *Simile est regnum cælorum decem virginibus, fol. 50. colum. 2. fol. 54. columna. 1.*
*Dormitauerunt omnes, & dormierunt, lib. 1. cap. 10. parag. 7.*
Cap. 26. *Vt quid molesti est is huic mulieris lib. 1. cap 10. parag. 4.*
*Mitte gladium tuum in vaginam, lib. 1. cap. 11. parag. 12.*
*Transeat à me calix iste, lib. 1. capit. 13. parag. 1.*
*Tunc abijt vnus ex duodecim Iudas Iscariotes ad Principes, lib. 2. cap. 10. parag. 8.*
*Ad sepulturam meam hoc fecit. Tunc profectus vnus ex duodecim, &c. fol. 354. columna. 1.*
*Vbi vis paremus tibi pasca? fol. 413. columna. 2.*
Cap. 27. *Laqueo se suspendit, fol. 276. cap. 2. & fol. 325. col. 2.*
*Mane autem facto, consilium inierunt omnes Principes, fol. 424. col. 2.*
Capit. 28. *Quotidie sedebam in templo docens, & non me tenuistis, folio 242. columna. 2.*
*Prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita sua, fol 96. col. 1.*
*Terremotus magnus factus est, fol. 282. col. 2. & fol. 552. c. ol. 2.*

Marcus.

Cap. 5. *Vidit Iesum à longè, cucurrit, & adorauit eum, lib. 3. cap. 7. parag. 4.*

*Interrogabat eum Iesus, quod tibi nomen est, lib. 4. cap. 3. parag. 14.*

*Exeuntes spiritus immundi introierũt in porcos, & magno impetu grex præcipitatus est in mare, lib. 1. cap. 11. parag. 8.*

Cap. 6. *cum placuißet Herodi, fo. 103. co. 2.*

Cap. 7. *Catelli sub mensa comedunt demicis, fo. 65. co. 1.*

Cap. 10. *Non erat tempus ficorum, fol. col. 2.*

Cap. 14. *Vnus ex vobis tradet me, qui manducat mecum, lib 3 cap. 8. parag. 31.*

*Posset vnguentũ istud vænundari plusquam trecentis denarijs, fol. 463. co. 2.*

Cap. 16. *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, non est hic, lib. 4. capit. 4. paragraph. 18.*

Cap. 26. *Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, vt veniẽtes vngerent Iesum. Et valde mane vna Sabbatorum veniunt fol. 330. co. 1.*

## Lucas.

Cap. 1. *Et non erat illi filius, fol. 77. co. 1.*

*Apparuit illi Angelus Domini stans à dextris altaris, fol. 52. co. 2.*

*In spiritu, & virtute Eliæ, fol. 104. c. 1.*

*Aue Maria, pag. 26. col. 1.*

*Virtus altißimi obumbrabit tibi, lib. 1 cap. 9. parag. 1.*

*Concipies, & paries filium, fol. 76. co. 2.*

*Et regnabit in domo Iacob, fo. 27. c. 1.*

*Turbata est in sermone eius, fo. 382. c. 2.*

*Vna de filiabus Aaron, fo. 22. co. 2.*

*Ambo iusti apud Deum, fol. 317. co. 2.*

*Exultauit infans in vtero meo, lib. 1. capit. 7. parag. 11.*

*Ipse enim saluabit populum suũ, f. 186. co. 2.*

*Et tu puer Propheta altißimi vocaberis, fo. 251. col. 1.*

Cap. 2. *Quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero cõciperetur, fol. 213. col. 1.*

Cap. 3. *Qui fuit Adam, qui fuit Dei, fol. 20. col. 2. & f. 23. co. 2.*

*Facite fructus dignos pœnitentiæ, folio 100. co. 2.*

*Factum est Verbum Domini super Ioan. Zachariæ filium, pag. 252. col. 1.*

Cap. 4. *Quid nobis, & tibi, fol. 182. co. 1.*

Cap. 5. *Recede à me Domine, parag. 5. col. 1.*

*In verbo tuo laxabo retia, fo. 329. co. 2.*

*Annuerunt sociis, pag. 187. co. 2.*

Cap. 8. *Exijt qui seminat li. 3. cap. 4. parag. 7.*

Cap. 9. *Hic si eßet Propheta, non sineret hanc mulierem tangere se, fo. 9. col. 1.*

*Vt cognouit quia Iesus, &c. libr. 9. capit. 3. parag. 9.*

*Osculabatur pedes Domini. fo. 437. co. 1.*

*Permitte mihi prius ire, & sepelire patrem meum, folio 250. colu. 1.*

Cap. 10. *Ipsa sedens secus pedes Iesu, audiebat verbum illius. folio 107. col. 1.*

Cap. 11. *Ostium clausum est, & pueri mecũ sunt in cubili, fol. 199. col. 2. & f. 450. co. 1.*

*Et ibit ad illũ media nocte, fo. 620. co. 1.*

*Cum immundus spiritus exierit ab homine, fo. 67. co. 2.*

*Beatus venter qui te portauit pag. 36. colun. 2. & pag. 616. co. 2.*

Cap. 12. *Sint lumbi vestri præcincti, fol. 12. co. 2. & fo. 67. co. 1. & lib. 2. ca. 3. para. 12.*

*Lucernæ ardentes in manibus vestris, fol. 194. co. 1. & f 196. co. 1. & f. 202. c. 2.*

*Similes hominibus expectantibus dominum suum quando reuertatur à nuptijs, vt cum venerit, & pulsauerit, ostium confestim aperiant ei, fo. 197. col. 1.*

*Nolite timere, pusillus grex, quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnũ, lib. 3. cap. 3. parag. 15.*

*Quid faciam? quod non habeo quo congregem. Destruam horrea mea, fo. 63. co. 2. & fo. 269. co. 2. & fo. 358. co. 1.*

*Dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem, lib. 4. cap. 4. parag. 23.*

Cap. 13. Deitercorẽ imponendo ficui, *li. 3. cap. 9. parag. 5.*

Cap. 41. *Cum intrasset Iesus in domo cuiusdã Principis Pharisæorum, vt manducaret panem, fol. 377. col. 2.*

*Iuga boum emi, & eo probare illa, lib. 3. cap. 4. parag. 22.*

*Et cõpelle intrare, vt impleatur domus, lib. 4. cap. 5. parag. 8,*

Cap. 15. *Domũ euertit, lib. 1. cap. 11. para. 1.*

*Dimisit illis substantiam. fol. 527. col. 2.*

*Ego hic fame pereo, surgam, ibo ad patrem meum, fo. 263. co. 1. & pag. 277. co. 2. & pag. 377. co. 1.*

*Osculatus est eũ, fo. 593. co. 1. lib. 2. capit. 2. parag. 9.*

*Cito afferte stoleam primam, fol. 318. co. 1. fo. 453 co. 1.*

*Indignatus est autẽ, & nolebat introire, lib. 4. cap. 2. parag. 4.*

Cap. 16. De villico, *lib. 3. cap 4. parag. 18. & lib. 4. cap. 5. parag. 7.*

*Cubiens saturari de micis,*

*Factũ est autẽ vt moreretur mẽdicus, & portaretur ab Angelis. fo. 316. co. 1.*

*Pater Abrahã miserere mei, fo. 274. c. 1. & f. 318. co. 1. & f. 324. co. 2.*

*Mitte Lazarũ, vt intingat extremũ digiti sui in aqua, fol. 361. col. 2. & fol. 380. co. 1. & li. 4. ca. 6. para. 5. & li. 5. c. 2. par. 5.*

*Vt mittas eum in domum fratris mei, habeo enim quinque fratres, vt teſteturillis, lib. 1. cap. 9. par. 2.*

Cap. 17. *Emebant vendebant, & plantabãt, & ædificabant, & pluit ignis de cœlo, folio 279. col 1.*

Cap. 18. *De Phariſæo, & Publicano, fo. 416. col. 2. & f. 432. co. 1.*

*Nõ ſum: ſicut hic publicanus. f. 480. co. 1.*

*Ieſu fili Dauid miſere mei, fo. 306. co. 2.*

Cap. 19. *Præcurens Zachæus aſcendit arborẽ ſicomorum, vt videret Ieſum, fol. 251 colum. 2. & fo. 474. co. 1.*

*Zachæe, deſcende hodie, namq; in domo tua me manere oportet, fo. 45 . col. 2.*

*Ecce dimidium bonorum meorũ od pauperibus, & ſi quid aliunde fraudani, reddo quadruplum, fo. 465. co. 2. & f. 466. c. 2.*

*Dixerunt Domini eius ad Diſcipulos, lib. 3. cap. 4. parag. 1.*

*Si cognouiſſes, & tu equidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, fo. 452. col. 1.*

Cap. 21. *Simon non grauati, l. 4. c. 6. para. 10.*

Cap. 22. *Occurret vobis homo amphorã aquæ portans, ſequimini eum, fol. 396. co. 2.*

*Tecum paratus ſum, & in carcerem, & in mortem ire. fol. 71. co. 1.*

*Ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua, fol. 203. co. 1. & fol. 45 . col. 2.*

*O homo, non ſum, fo. 276. co. 1.*

Cap. 23. *Tolle, crucifige eum, lib. 2. cap. 2. parag. 11.*

*Neque tu times Deum, fol. 110. col. 2. & fo. 211. co. 2.*

*Domine memento mei dum veneris in regnum tuũ, fol. 250. col. 2. & f. 509. c. 2. & lib. 1. cap. 9. parag. 6.*

*Hodie mecum eris in paradiſo, li. 2. capit. 9. parag. 1.*

Cap. 24. *Et accepit panem, benedixit ac fregit, & porrigebat illis, & aperti ſunt oculi eorum & cognouerunt eum, fo. 273. col. 2. & fol. 392. co. 2.*

Ioannes.

Cap. 1. *In ipſo vita erat, & ipſe erat lux hominum, fol. 102. co. 2.*

*Intuitus autem Ieſus eũ dixit: tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur, Petrus, fol. 107. co. 2.*

*Cum eras ſub ficu, vidite. fol. 74. c. 4.*

*Cuius non ſum dignus corrigiam calceamenti ſoluere, fo 323. co. 1.*

*Magiſter, vbi habitas. fol.*

Cap. 2. *Vocatus eſt autem Ieſus, & Diſcipuli eius ad nuptias, fo. 112. co. 1.*

*Quid mihi, & tibi, mulier, lib. 1. cap. 11. parag. 2.*

*Implete hydrias aqua, fol. 407. colun. 2.*

Cap. 4. *Ego miſi vos metere quod non laboraſtis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introciſtis, lib. 1. cap. 9. parag. 6.*

*Patres noſtri adorauerunt in monte hoc, & vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus, fo. 131. co. 2.*

*Voca virum tuum, & veni huc, fo. 35. colum. 1.*

*Erat quidam regulus, fol. 369. co. 2.*

Cap 5. *Ieſus eſt, qui fecit me ſanum, fol. 185. col 2. & lib. 2. cap. 5. parag. 8.*

Cap. 6. *Eum qui venit ad me non ejiciam foras, quia de cœlo deſcendi, non vt faciam voluntatem meam, ſed eius qui miſit me, fol. 214. co. 1.*

*Vnde ememus panes, vt manducent, fol. 397. co. 2.*

Cap. 7. *Nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis, fo. 52. co. 1. lib. 2. cap. 3. parag. 18.*

Cap. 8. *Hæc verba locutus eſt Ieſus in Gazophilatio, docens in templo Salomonis, & nemo apprehendit eum; fol. 258. colun. 2.*

*Digito ſcribebat in terra, fo. 562. & folio 569. col. 2.*

Cap. 9. *In mirabile eſt, quia vos neſcitis vnde ſit, & aperuet oculos meos, lib. 2. cap. 3. parag. 18.*

Cap. 10. *Dimittit oues, & lupus rapit, f. 453. colum. 1.*

*Et lupus rapit, & diſpergit oues, lib. 5. cap. 4. parag. 4.*

*Ecce quem amas infirmatur, pag. 630. colum. 2.*

Cap. 11. *Lazarus amicus noſter dormit, & gaudeo propter vos, fo. 265. co. 1.*

*Lachrimatus eſt, fo. 428. c. 2. & f. 623 colum 1.*

*Vbi poſuiſti eum, lib. 1. cap. 7. paragr. 3. & parag. 48.*

*Statim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus inſtitis, & facies eius erat ligata, fol. 326. colu. 1. & fol. 228. col. 2.*

Cap. 13. *Cum intinxiſſet panem, dedit Iudæ, fol. 224. col. 1.*

*Quod faces, fac citius, lib. 2. cap. 9. paragra. 7.*

*Et cum accepiſſet ille bucellam, exiuit continuò, fol. 241. col. 2. & folio 400. colun. 1.*

*Cum hæc dixiſſet Ieſus, turbatus eſt ſpiritu, & poteſtatus eſt dicens, Amen dico vobis, quia vnus ex vobis me tradet, lib. 3. cap. 6. parag. 2.*

Cap. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus, lib. 2. cap. 6. parag. 13.*

*Pater maior me eſt, lib. 2. cap. 6. parag. 14.*

*Philippe, qui videt me, &c, fol. 13. colum. 1.*

Cap. 16. *Mundus gaudebit, vos autem contriſtabimini. ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium, fol. 348. col. 2.*

Cap. 17. *Pater quos dediſti mihi, &c. lib. 4. cap. 4. parag. 14.*

Cap. 19. *Si hunc dimitis, non es amicus Cæſaris, omnis enim qui ſe Regem facit, &c. fol. 66. co. 1.*

*Et accepit eam Diſcipulus in ſuã, pag. 2. col. 1. & 295. co. 2.*

*Venit homo quidã dives nomine Ioſeph, fol. 17. col. 1.*

*Sicut eſt mos Iudæis ſepelire, pag. 258. colum. 1.*

Cap. 20. *Vidit Ieſum ſtantem, & non ſciebat quia Ieſus eſt. Dicit ei Ieſus: mulier, quid ploras, quẽ quæris, fo. 92. co. 2. & lib. 1. capit. 7. parag. 56.*

*Et poſt dies octo iterum erant Diſcipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio, li. 2. cap. 3. parag. 5.*

Cap. 21. *Simon Ioannis diligis me plus his, pag. 13. colum. 1.*

*Cum ſenueris, extendes manus tuas, & alius cinget, fol. 356. col. 1.*

*Et ducet quò tu non vis, fol. 499. col. 1.*

## Acta Apoſtolorum.

Cap. 1. *Quid ſtatis aſpicientes in cælũ, fol. 82. colum. 2.*

*Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis, folio 185. col. 2. & f. 492. col. 1.*

*Perſeuerantes vnanimiter in oratione cũ mulieribus, & Maria, fol. 16. colum. 2. & fol. 565. col. 1.*

Cap. 2. *Quia muſto pleni ſunt iſti, lib. 4. cap. 2. parag. 28.*

*Liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam defunctus eſt, & ſepultus eſt, & ſepulchrũ eius eſt apud nos, fol. 554. col. 1.*

Cap. 4. *Ponebant ante pedes, fol. 470 colu. 2.*

Cap. 5. *Factum eſt autẽ quaſi horarum trium ſpatium, & vxor illius neſciens quod factũ fuerat, introiuit, fol. 422. co. 1.*

Cap. 7. *Date mihi poteſtatem, vt cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctũ, lib. 1. cap. 9. parag. 2.*

*Cum eſſet plenus Spiritu ſancto intendens in cælum, fol. 342. col. 1.*

*Viri fratres, & patres audite, fol. 357. colum. 1.*

*Video cælos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei, fol. 298. col. 2. & folio 220. co. 1.*

Cap. 8. *Saulus autem deuaſtabat Eccleſiã per domos intrans, & trahens viros, ac mulieres, fol. 610. col. 1.*

Cap. 9. *Vas electionis eſt iſte mihi, vt portet nomen meum, fol. 181. col. 2.*

Cap. 10. *Aſcendit ſuperiora domus, vt oraret, fol. 94. co. 2. & f. 616. co. 1. & lib. 1. ca. 8. parag. 2.*

Cap. 16. *Subito terræ motus factus eſt, & ſtatim aperta ſunt omnia oſtia, & vniuerſorũ vincula ſoluta ſunt, fol. 482. co. 1.*

*Lætatus eſt cum omni domo ſua, lib. 4. cap. 5. parag. 18.*

## Epiſt. Pauli ad Romanos.

Cap. 2. *Nõ enim qui in manifeſto Iudæus eſt, ſed qui in abſcõdito, li. 3. cap. 4. parag. 10.*

Cap. 7. *Quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro alligata eſt legi, lib. 1. cap. 2. parag. 19.*

Cap. 8. *Habitat in me peccatum, lib. 1. cap. 7. parag. 48.*

*Nã expectatio creaturæ reuelationẽ filiorũ Dei expectat. Scimus enim quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit, f. 621. col. 1. lib. 1. cap. 9. parag. 5.*

Cap. 12. *Obſecro vos vt exhibeatis corpora vẽſtra hoſtiam viuentem, fol. 12. col. 2.*

Cap. 15. *Dico enim Chriſtum miniſtrũ fuiſſe circunciſionis.*

## Ad Corinth. 1.

Cap. 3. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, fol. 76. col. 1.*

*Si cuius opus manſerit, quod ſuper ædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem, lib. 4. cap. 6. parag. 7.*

Cap. 5. *Paſcha noſtrũ immolatus eſt Chriſtus, itaq; epulemur, fol. 381. col. 1. & lib. 4. ca. 4. parag. 9.*

Cap. 7. *Qui virginẽ ſuã tradit, benefacit, & qui non tradit, melius facit, fol. 31. co. 1.*

Cap. 8. *Nobis tamen vnus Deus Pater ex quo omnia, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, lib. 1. cap. 11. parag. 7.*

Cap. 9. *Nunquid nõ habemus poteſtatem mulierem ſororem circunducendi ſicut, & cæteri Apoſtoli, lib. 1. cap. 7. parag. 56.*

Cap. 10. *Petra autem erat Chriſtus, lib. 1. cap. 4. parag. 15.*

*Bibebant de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus, fol. 382. colun. 1.*

*Et panem quem frangimus, nonne communicatio corporis Chriſti eſt, fo. 406. co. 1. & fol. 418. co 1.*

Capi 1. *Ideo debebat mulier poteſtatem habere in capite propter Angelos, fo. 92. col. 2.*

*Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annunciabitis, f. 398. co. 2.*

Cap. 12. *Non poteſt oculus manui dicere, opera tua non indigeo, fol. 564. co. 1.*

Cap. 15. *Omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius. Cum autem dicat, omnia ſubiecta ſunt ei, ſine dubio propter eum, qui ſubiecit ei omnia. Cum autẽ ſubiecta fuerint illi omnia: tunc & ipſe filius ſubijcitur ei, fol. 92. colun. 1.*

*In Chriſto omnes viuificantur, vnuſquiſq; in ordine ſuo, primitiæ Chriſtus, lib. 1. cap. 2. parag. 7.*

*Seminatur in corruptione, ſurgit in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate, ſurgit in gloria, ſeminatur in infirmitate, ſurgit in virtute: ſeminatur corpus animale, ſurgit ſpirituale, f. 394 col. 1.*

*Inſipiens tu quod ſeminas non viuificatur, niſi prius moriatur, fol. 570. col. 1.*

Ad Corinth. 2.

Cap. 12. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogaui, fol. 426. columna. 1.*

*Virtus in infirmitate perficitur, lib. 3. cap. 4. parag. 9.*

Ad Galatas.

Cap. 1. *Cum autem placuit ei qui me ſegregauit de vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me, vt euangelizaret illũ gentibus, f. 320. columna. 1.*

*Si nos aut Angelus de cœlo euangelizauerit vobis præter id quod accepiſtis, anathema ſit, fol. 315. col. 1.*

Cap. 4. *Dico autem quanto tempore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cum ſit Dominus omnium, ſed ſub tutoribus, & actoribus eſt, lib. 2. cap. 2. parag. 1.*

Cap. 6. *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini, lib. 4. capit. 4. paragraph. 3. & parag. 15.*

*Ego enim ſtimmata Domini mei in corpore meo, fo. 596. col. 2.*

Ad Philipenſes.

Cap. 1. *Sub miniſtratio, inquam, Ieſu Chriſti, lib. 1. cap. 9. parag. 11.*

*Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrũ, fol. 220. col. 2.*

Cap. 2. *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſeruã accipiens, lib. 2. cap. 1. parag. 3.*

*Factus obediens vſque ad mortem crucis, fo. 187. co. 1. & fo. 567. co. 2.*

*Sed & ſi immolor ſupra ſacrificium, & obſequium fidei veſtræ, gaudio, & congratulor vobis: id ipſum vos gaudete, & congratulamini, fol. 223. co. 1.*

Ad Epheſ.

Cap. 5. *Surge qui dormis, & illuminabit te Chriſtus, fol. 281. co. 2. f. 550. co. 2.*

Ad Coloſſenſes.

Cap. 1. *Nobis donatum eſt à Deo, vt non ſolum in eo credamus, ſed etiam pro eo patiamur, lib. 3. cap. 2. parag. 4.*

Cap. 2. *In quo circunciſi eſtis circuciſione non manufacta, in ſpoliatione corporis carnis, in circunciſione Chriſti conſepulti ei in Baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidem, fol. 258. co. 2.*

Ad Theſſalonicenſes 1.

Cap. 5. *Ij ſe Deus pacis ſanctificet vos per omnia, vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querella in aduentu Domini Ieſu Chriſti ſeruetur, pag. 257. col. 1.*

Ad Timothæum 1.

Cap. 1. *Manifeſtè magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria, lib. 2. cap. 3. parag. 14.*

Cap. 2. *Mulieri docere non permitto. fol. 447. colun. 2.*

*Volo viros orare omni loco, leuantes puras manus. f. 217. co. 2.*

Ad Titum.

Cap. 3. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris, f. 102. co. 1.*

Ad Hebræos.

Cap. 2. *Vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem. fol. 352. co. 2. & f. 363. co. 1.*

Cap. 5.

Cap.5. *Dicit ex his, quæ passus est, obedientiam. Et consumatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, folio 362. colun. 2.*

Cap.9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis, fol. 23. col. 1.*

Cap.10. *Fide & Sara virtutem accepit, folio 46. co. 2.*

*Ideo ingrediens mundum dicit, hostiã, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, lib. 2. cap. 4. parag. 2.*

*Ideoq; non confunditur vocari Deus eorum, lib. 3. cap. 4. parag. 7.*

*Iuxta fidẽ defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, lib. 3. capit. 4. parag. 22.*

*Habemus fiduciam, fratres, in introitu Sanctorum, in Sanguine Christi, quem initiauit nobis viam nouã, & viuentẽ, f. 362. co. 2. & fo. 580. co. 2.*

*Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain obtulit Deo, fol. 398. co. 1.*

Cap. 11. *Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iocunditatem, fol. 282. co. 1.*

*Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid disponente, vt non sine nobis consummarentur, libr. 2. capit. 3. paragraph. 5.*

Cap. 12. *Accessistis ad testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionẽ, melius loquentem, quam Abel, folio 382. colum. 1*

Epist. D. Iacobi.

Cap. 1. *Suscipite insitum verbum, fol. 29. co lumn. 1.*

*Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminũ, fo. 71. col. 1. & f. 613 co. 2.*

Epist. Petr. 1.

Cap. 1. *In quem desiderãt Angeli prospicere, fol. 296. co. 2.*

Cap. 2. *Si gustastis quoram suauis est Dominus, fo. 312. co. 1.*

*Genus electum regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, lib. 4. cap. 5. parag. 9.*

Epist. D. Ioannis.

Cap. 1. *Quod erat ab initio, quod audiuimus, quod vidimus, oculis nostris perpeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, fo. 72. col. 1.*

Cap. 3. *In hoc cognoscimus charitatem, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, lib. 1. cap. 12. parag. 6.*

Cap. 5. *Hic est qui venit per aquam, & sanguinem Iesus Christus, non aqua solum, sed in aqua, & sanguine, lib 4. cap. 6. parag. 5.*

Apocalypsis.

Cap. 1. *Princeps Regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum, fo. 177. co. 2.*

Cap. 2. *Vincenti dabo calculum candidum, & in calculo nomen nouũ scriptũ, fo. 181. col. 2. & f. 377. co. 2.*

*Vincenti dabo manna absconditum, li. 3. cap. 8. parag. 1.*

Cap. 5. *Vicit Leo de Tribu Iuda, radix Dauid: & vidi, & ecce agnum, fo. 336. co. 2.*

Cap. 10. *Accipe librum, & deuora illum, fol. 319. co. 2.*

Cap. 12. *Mulier amicta Sole, fo. 28. co. 1.*

*Luna sub pedibus eius, fol. 38. co. 1.*

Cap. 14. *Nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis, fo. 58. co. 1.*

Cap. 15. *Vidit tanquam mare vitreum mixtum igni, & eos qui vicerunt bestiam, & imaginem eius stantes supra mare vitreũ, habentes citharas Dei, & cantantes canticum Moysi, fol. 195 col. 1. & fo. 638. co. 1.*

Cap. 17. *Hi cum agno pugnabunt, & agnus vincet eos, fo. 211. col. 1.*

Cap. 21. *Vidi sanctam ciuitatem nouam, descendentem de cœlo, adeo paratã sicut sponsam ornatam viro suo, & audiui vocem magnam de trono dicentẽ: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, fol. 42. col. 2. & fo. 43. col. 2.*

*Veni, ostendam tibi sponsam vxorem agni, & sustulit me in spiritu in montẽ magnum, & altum, & ostendit mihi ciuitatem sanctam Hierusalem, fo 53. co. 2.*

Cap. 22. *Qui audit, dicat, veni, fol. 98. co. 2.*

# INDEX RERVM

## QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

### A.


Absentia Iesu durissima amanti lib.4.cap.2.§.24.

Absentia Dei per peccatum, vt timenda, libr.5.cap.2. parag.3.

Abscondi virtutes debent,lib.3.c.4.§.10.

Abiectiones & vilitates voluntariæ, vt gloriæ fructus parient,lib.1.c.8.§.1.

Abnegatio bonorum temporalium filios Dei facit,lib.3.cap.7.§.13.

Accusator fratrum ineptus ad gubernandum,lib.5.cap.3.§.5.

Actiua coronat opus,lib.5.cap.1.par.10.

Aduentus Dei hominis lætissimus iustis, lib.3.cap 5.§.17.

Adolescentes in eligendo Religionis statu parentum vota sequantur, lib.1.cap. 6.§.9.

Aemulatio de virtutibus vt honesta, libr. 5.cap.1.§.8.

Afflictiones & calimitates reddunt homines Deo conspicabiles,lib.3.cap.5.§.2.

Afflicti & laborantes Dei sedes sunt,lib.3. cap.5.§.13.

Afflicti homines nec ad momentum deserendi,sed citissime subueniendi,lib. 4. cap.5.§.24.

Agrorum frequentiæ inhonestæ fœminis,lib 1.cap.7.§.2.

Alapa Christo Domino inflicta,vt eius patiendi famen saturarit,lib.4.cap.2.§.6.

Alieno muneri ne te inseras,lib.3. cap.4. §.25.

Amicitia hominũ traxit Deũ ad laqueos, lib.4.cap.1.§.22.

Amicus Dei,eius passiones imitetur, lib. 5.cap.4.§.2.

Amor coniugalis Deo gratissimus, lib.1. cap.2.§.13.

Amor Christi in hominis horaria fecit tormenta,lib.3.cap.7.§.2.

Amor Christi in homines coronidem pulcherrimam habuit,lib.3.cap.7.§.3.

Amor Christi in homines vt efficacior, quam amor Trinitatis,lib.3.ca.7.§.5.

Amor vnus Christi hominum corda perse trahit,lib.5.cap.1.§.2.

Amoris diuini artificium,libr.3.cap.7. parag.16.

Amor in Deum sine metu suspectus, libr. 4.cap.2.§.3.

Amor hominum erga Christum,vt Deum maxime commendat,libr.5.cap. 8. parag.8.

Ancilla crudelior carnifice in Christum, lib.4.cap.1 §.22.

Animarum saluti in vigilare omnes decet, lib.4. cap.5.§.9.

Angeli saluati à Iesu ante casum, lib.1.ca. 2.parag.3.

Angeli hominibus salutares,lib.1. cap. 6. parag.1.& deinceps.lib.2.cap. 3.§.4.

Angeli militiæ nomen dederunt,vt Christi stabilirent,principatum,libr.2. cap. 3.parag.9.

Angeli mille formas subeunt, vt hominibus prosint,lib.2.cap.3.parag.11.

Angeli magis tenentur hominibus prospicere ab Ascensione Dominica,lib. 5. cap.7.§.16.

Angelorum exercitus inuigilant viro perfecto custodiendo,lib.3.cap.2.§.23.

Antiqui serui Dei etiam reprobandi non sin honori manent,lib.2.cap.9.§.4.

Arbitrio humano periculose committuntur bona diuina,lib.3.c.9.§.10.

Argumentis non turbanda quæ ad salutẽ pertinent,lib.5.cap.9.§.1.

Ascẽsio Christi Domini, lib.5.cap.7. per totum.

Ascendens Dominus hominum genesim reddit auspicatissimam,lib.5.c.7.§.11.


Atten-

Attentio in precibus, lib. 1. cap. 7. §. 15.
Auitam mediocritatem ne excedant qui Christo nomen dederunt, libr. 5. cap. 6. parag. 1.
Author primus criminis, reus est omniū, lib. 4. cap. 2. §. 2.
Auxilium à solo Deo sperandum nō à creaturis, lib. 3. cap. 2. §. 17.

B.

BAptismus Christi alites facit, qui ad cælestia volent, lib. 3. cap. 1. §. 11.
Beneficia diuina quæ plurimis profint citius, quam quæ vni soli exhibentur, lib. 1. cap. 7. §. 8. amant pluribus communi cari, lib. 3 cap. 9. §. 2. & lib. 5. cap. 5. § 2.
Beneficia diuina de exigenda ratione solli citant, lib. 1. cap. 7. §. 31.
Beneficia diuina præmanibus, libr. 5. cap. 6. parag. 3.
Beneficia Dei, vt timorem debent incutere, lib. 5. cap. 8. §. 10.
Benignitas Dei aliquando acris in ingratos.
Benignitas hostes fugat, lib. 4. cap. 5. §. 3.
Bona mundialia inania & vacua, lib. 1. ca. 7. §. 32. lib. 4. cap. 2. §. 33. fugacia, libr. 3. cap. 7. §. 11.
Bona temporalia, vt grauant possessores, lib. 2. cap. 8. §. 18. vt damnosa, libr. 3. c. 2. §. 22. contemnuuntur ab his qui, lib. 3. cap. 5. §. 18.
Bona temporalia diabolus præsefert, vt homines in sui adorationem trahat, lib. 3. cap. 2. §. 23.
Bona terrena magni, cælestia parui æstimant hominis. lib. 4. parag. 3. Bona terrena nusquam sine fletu, lib c. 5. 2. §. 2.
Bona terrena contemnēda ab his qui Deo implentur, lib. 5 cap. 7. §. 6. qualia, libr. 4. cap. 3. §. 37.
Bona vniuersa Iesu nomine insigniuntur, lib. 2. cap. 5. §. 5.
Bona cælestia sola appetuntur ab his qui à Deo aguntur, lib. 3. cap. 5. §. 18. præmanibus habentur, lib 5. cap. 8. § 3.
Bona permanentia nulla nisi in Christo, lib. 3. cap. 4. §. 14.
Bona spiritualia proximi communicare laudatissimum, lib. 1. cap. 7. §. 54.
Bona nobis à Deo data petunt, & à nobis proximis dari, lib. 3. cap. 7. §. 17.
Bona Ecclesiastica non recondi, sed effundi amant, lib. 4 cap. 3. §. 12.
Bona Ecclesiæ iniuste retēta exitialia sunt possidenti, lib. 4. cap. 3. §. 13. & libr. 2. cap. 11. parag. 2. & libr. 2. cap. 7. parag. 11.
Bonorum cælestium magnitudo, libr. 3. cap. 4. parag. 22.
Bonorum cælestium desideria, vt hominē didat, lib. 5. cap. 7. parag. 8.
Bonorum temporalium abnegatio filios Dei facit, lib. 3 cap. 7. parag. 13.
Brauium cæleste etiam ab infantibus, potest obtineri, lib. 2. cap. 10, para 6.

C.

CAlumnias tacite tolerare virtutis est diuinæ, lib. 4. cap. 3. parag. 8.
Caro Christi, vt carnales condemnat, lib. 3 cap. 4 parag 13.
Caro Christi deitatem honorauit, libr. 2. c. 3 parag. 7. efficaciam deitat, is acuit, lib. 2. cap. 2. parag. 11. Deum gloriosiorem reddidit oculis Angelicis, lib. 5. cap. 2. parag 4.
Castitas inter fœminas rara, libr. 1. cap. 2. parag 8. & Sacerdotes creat, & lib. 1. cap. 2. parag. 9. & vincit fugiendo, & libr. 1. cap. 7. parag. 10. & imperterrita est, & libr. 1. cap. 7. parag. 21. & totum Deum sibi astantē requirit, lib 1. ca. 7. parag. 33. & lib. 3 cap. 8. parag. 45.
Castus vir pro muro est fœminis, libr. 1. cap. 2. parag. 8. vt inuigilare debeat, lib. 1. ca. 6. parag. 7. & maxime Deo notus, lib. 1. cap. 7. parag. 3. & famæ cælator sit, lib. 1. cap. 7. parag. 6. & de se timeat in quouis sanctitatis culmine constitutus, lib. 1. cap. 7. parag. 20. & caueat blandiciarum verba, lib. 1. cap 7. parag. 21. suspectum habeat quidquid carni cohæret, lib. 1. cap. 7. parag. 47. & æternū viret, lib. 1. cap. 7 parag. 48.
Celeritas in obsequijs commendatur, lib. 2. ca. 3. parag. 17. & lib. 5. cap. 2. parag. 10. & lib. 4. cap. 4. parag. 13.
Charitas Christiana sibi labores, & mala præsumit, proximis bona cupit, libr. 1. cap. 9. parag. 10.
Charitas fraterna filios Dei ostendit, libr. 2. cap. 10. parag. 1.
Charitas vera primum sibi diuinam gratiam quærit, deinde alijs, libr. 1. cap. 9. parag. 2.
Christus, vide Iesus. Passiones suas manifestauit abscondit glorias. lib. 1. cap. 7. parag. 43. & Solis amat sentiri beneficijs, lib. 1. cap. 8. parag. 12. & Filius Dei apparuit descendendo ad mortem, lib. 3. cap. 2. parag. 16. & labores & opprobria sibi præ occupauit, libr. 1. cap. 9. §. 10. & voce & exemplo docit, lib. 3. ca. 3. parag. 3. & Damnatis quam terribilis,

ribilis,lib.3.cap.6.paragra. 8. Solus in arena relictus infinitas hoſtium turmas deiecit,lib.4.ca.5.paragra.23. in mortem moriens exultauit,li. 4.cap.4.parag.33.
Chriſti iugu ſuaue,libr.4.cap.4. parag.4.
Chriſti humanæ voluntati debemus ſui ſanguinis effuſionem,lib.3. cap.7.paragra.10. Poſt Paſsionem anxius ſitit ſalutem noſtram,lib.4.cap.5.parag.27.
Chriſti conuerſatio facilis acceſſu vt Magiſtrum decebat,libr.3.cap.3.parag.3.
Eius virtutes, vt ſuperent facundiã creatam,lib.4.cap.4.parag.19.
Chriſti miniſter ex humilibus operibus, lib.1.cap.8 parag.7.
Chriſti caro,vt carnales condemnat, libr. 3.cap.4.parag.13.
Chriſtiani præ Iudæis chariores Deo,lib. 2.cap.8.parag.10.
Cibus Dei homo, & vt inuideatur à diabolo,lib.3.cap.2.parag.8.
Cicatrices Chriſti Domini teſtimonium perhibent eius virtuti, qua ſe excitauit lib 5.cap.4.parag.7.
Circunciſio Ieſum oſtendit eiuſdem patriæ nobiſcum,lib. 2.cap.4.parag.3. fidelium oſtendit originem ex Cruce,libr. 2.cap.4.parag.4.
Circunciſio Ieſu veterem Circunciſionẽ euacuauit,lib.2.cap.4.parag.5.
Ieſu natali auſpicium dedit,libr.2.cap. 4.parag.7.
Circunciſio Moſaycanomine Ieſu emollita,lib.2.cap.5.parag.1.
Clauſura vt decet virgines,libr.1.cap.7. parag.11.& lib.1.cap.7. parag.14. vt decet ſapientiæ ſtudioſos,libr.5.cap.4. parag.8.
Coecitas mentis noſtræ quam damnoſa, lib.3.cap.9.parag.11.
Cœleſtia appetenda, libr. 1.cap.8.parag.2.
Cœlum implendum humanis corporibus ex Dominica Aſcenſione,lib.5.cap.7. parag.13.
Cognatio naturæ noſtræ filium Dei nobis reddidit ſalutarem, libr.2.cap.11. parag.4.
Cognati vt ſubueniendi,libr. 1.cap. 8. parag.6.
Cognitio ſui reddidit hominem ad Dei imaginem,lib.3.cap.4.parag.8.
Colloquia vt detrimentoſa, libr.1.cap.7. parag.22.
Colloquia fœminarum fugienda, lib.1.ca. 7.parag.56.
Colloquia de Deo, vt vtilia ſapientiſsimo cuique, fol.10 4. col.3. libr.2. cap 3.parag.13.
Colloquia ſpiritualia, vt trahunt Deum, lib.2.cap.11.parag.8.
Communes viæ terendæ,lib.1.cap.11.parag.10.
Concionator per compita & montana, verbum miniſtret,lib.1.cap.8.parag.3.
Confeſsio peccatorum neceſſaria, lib.14. cap.5. parag.10.
Conſilia Euangelica efficacius puer Ieſus perſuadebat,lib.2.cap.2.parag.7.
Conſilia quæ à Deo dantur,ab ipſo etiam perficiuntur,lib.2.cap. 10. parag.7. & lib.5.cap.1 parag.5.
Conſiliarius qui ſuſpectus,lib.2.cap.1. parag.9.
Conſiliarius malus ſupplicium maximũ, lib.4.cap.3.parag.5.
Conſolatio vera ſolum ex Ieſu,lib.2. cap. 9.parag.1.
Contemplationis prætextu non ametur ocium,fol.59.colum.3.lib.1. cap. 8. parag.5.
Contemplatio addit alas,actio coronat opus.lib.5.cap.1.parag.20.
Contumelias & calumnias patienter ferre, non eſt cuius vis hominis virtus, ſed perfectiſsimi viri,lib.4.ca.2.parag. 10.
Conuiuia vt celebranda,lib.5.cap. 7. parag.2.
Cor dandum Deo in primis,lib. 3. cap.7. parag.22.
Corda reproborum patent diabolo poſſeſſori,lib.3 cap.7.parag.7.
Coronas omnium præfefert Dominus reſurgens,lib.5.cap.1.parag.10.
Creaturæ vniuerſæ etiam ſibi contrarias ſubeunt formas, vt Deo famulentur, lib.2.cap.3 parag.11.
Creaturæ vniuerſæ humaniſsime excipiunt afflictos homines, lib.3.cap. 2. parag.27.
Creaturæ cur Iudæ ſeruarunt fœdera pacis,lib.4.cap.1.parag.13. vt commouebantur in Deicidas,lib. cap.4. parag.34.
Creator vt ſequendus etiam ſi minora nobis daret quam diabolus,lib.3.cap.2.parag.25.
Cultus corporis & ornamenta, vt aliena à vero pœnitente,lib.1.cap.8.parag. 10.
Cultus & ornatus corporis cum re familiari componendus,nec excedat, lib. 1. cap 11.parag 13.
Crux Chriſti mortificationem & dolorẽ omnibus perſuadet.lib.4.cap.4. parag. 13. lucidior Sole, lib.4.c.5.parag. 11.

Crucis dolores pro delicijs ſunt Deo, lib. 4.cap.4.parag.14.
Crux Domini durior & acerbior, quam quæ ab hominibus ferri queat, lib.4.ca. 4.parag. 15. A Cruce nemo ſecurus, lib.4.cap.4.parag.16.
Crux corona & diadema Imperij, lib. 4. cap.4.parag.18.præpropera in liberandis, hominibus lib.4.c.4.§.25. eleuat & ſuſtētat portātes, lib.4. c.4.parag.4. vt à pluribus reptatur, ab alijs tollitur, li. 4.parag.3. eius ad ſocietatem ſoli admittuntur dilecti, lib. 4.§.7.
Crucis pondus ouicularum pondus minuit, lib.4.c.4.§.2. ſub illa ſpectabilis Dominus, lib.4.c.4.§.5. Per Crucē ſecure ad Paradiſum itur, lib.4.c.5.§.12.
Crucifixi Ieſu ſumma poteſtas, lib.4.cap. 5.§.36.

## D.

Diabolus perſe ſolus vt infirmus, fol. 262.colum.2.lib.4.cap.1.§.20.
Diabolus infamiſsimo interitu perditur per Ieſum, lib.4.cap.3.§.30.
Diabolus homines eijcere ſatagit in ſummum malitiæ barathrum, lib. 4. cap. 1. parag.11.
Diabolus & vitia nihil curant niſi ſolum vincire ſuos, lib.3.cap.4.§.1.
Diabolus fugit viros, à quibus, primis in conatibus reſtititur ei, lib.3. cap.2. parag.26.
Diabolus inuidit Deo cibum, lib.3.cap.2. parag.8.
Diabolus aſpernendus etiam ſi maiora bona concedat nobis, quā Deus, lib.3.cap. 2.parag.25.
Diabolus ſemper hominis ſtudet perditioni, lib.3.cap.2.§.12.
Debbora virorum defectus ſignat, folio, 346.colum.2.
Dei etiam irati præſentia nobis vtilis, lib. 1.cap.2.§.1.
Dei ſolius munus eſt parcere, lib.1.cap.2. parag.5.
Dei ex Maria manſuetudo, lib.1.c.5.parag.7.
Dei cibus eſt homo, lib.3.cap.2.§.8.
Dei guttula vel mica humana replet corda, lib.1.cap.7.§.18.
Dei benignitas in ingratos qualis, lib.4.c. 1.parag.14.
Dei filius vt gentilia materna æſtimat, lib. 1.cap.7.§.40.
Dei præſentia facit ſupra naturam audere, lib.1.cap.7.§.45.
Dei filius vt à matre accepit quamdam ſanctitatis ſpeciem, lib. 1. cap. 7. parag.50.
Dei oculi firmitudinem præſtant, lib.1.ca. 9.parag.4.
Dei vicinitas ſalutaris, lib. 2.cap.3.parag.1.
Dei meminerunt primi nocentiſsimi, fol. 128.colum.2.cap.8.§.4.
Deo integro corde ſeruiendum, lib.3.cap. 7.parag.21.
Deo vt vaces à mundialibus liberare, lib. 3.cap.4.§.5.
Deo gratioſus omnia bona habet, lib.1.cap. 7.parag.32.
Deo reddendum idem, quod ab illo accipimus, lib.1.cap.12.§.14.
Deo gratis ſeruiendum, lib.3.cap.2.§.20.
Deo vt inhærendum etiam ab illo repulſi, lib.4.cap.1.§.8.
Deum nemo ſibi ſoli præſumat, lib.2. cap. 8.§.3.
Deum qui linquunt, nuſquam non errones, lib.4.ca.1.§.21.
Deum qui quærit ſecurus à malis, lib.2.cap. 7.§.1.
Deus ſolus quærendus, lib.2.cap.8.§.3.
Deus agnoſcitur ſuggerens carni contraria, lib,2. ca.8.§.13.
Deus vt cognitos habet caſtos, lib. 1. cap. 7.§.3.
Deus vt ſe credit virginibus, lib. 1. cap. 7.§.4.
Deus ſolus fauet deprobatis, & dejectis hominibus, lib.4.cap.5.§.26.
Deus ſuſpectam habet impudicitiam lib. 1.cap.7.§.5.
Deus vt adſtat Mariæ, lib.cap.7.§.17.
Deus ab vtero Virginali vt extollitur, lib.1.cap.7.§.39.
Deum humanas mentes in ſublime agit, lib.1.cap.8.§.2.
Deus ſalutaris paruulis, lib.1.cap.8.§.13.
Deus citius pluribus quam vni ſubuenit, lib.2.cap.9.§.5.idem lib.2.c.9.§.5.lib. 1.cap.7.§.8.
Deus in Maria Virgine vt magnus, lib.1. cap.8.§.1.
Deus nullum ſeruum in honoratum dimittit. lib.2.cap.9.§.6.
Deus multis modis quærendus, lib. 2.cap. 11.§.6.
Deus ſine glorioſis titulis, vt male nominatur, lib.1.cap.9.§.7.
Deus nō in auro, ſed in paupertate inter noſcitur, lib.3.cap.2.§.24.
Deus res humanas fulcit & firmat, lib.1. cap.9.§.11.

Deus inter afflictos & laborantes, lib. 3. cap. 5. §. 13.
Deus vt præuenit peccatores, lib. 2. cap. 1. parag. 3.
Deus in præsepi amplius innotescit. lib. 2. cap. 2. §. 8.
Deus homo fit vt homines possimus Deũ sustinere, lib. 2. cap. 11. parag. 4.
Deus solus amandus sine creaturis, lib. 2. cap. 2. §. 16.
Deus vt Saluatoris gloria fulgeret, vt indiguit peccatoribus, lib. 2. cap. 3. parag. 6.
Deus facile inuenitur ab his qui labori incumbunt, dum alij indulgent voluptati, lib. 2. cap. 3. parag. 19.
Deus in præmiandis laborantibus quam celer, lib. 2. cap. 7. §. 2.
Deus ipse perficit in nobis quidquid iubet, lib. 2. ca. 10. §. 6.
Deus is est cuique, qui vnusquisque sibi est lib. 5. cap. 3. §. 4.
Deus longanimiter expectandus in suis promissionibus, lib. 5. cap. 3. §. 7.
Deus possessio fidelium est, lib. 5. cap. 5. parag. 5.
Deuotio in oratione, non facile interrumpenda, lib. 1. cap. 7. §. 15.
Desideria in efficacia salutis vana, lib. 4. cap. 3. §. 17.
Diuitiæ vt fructuosæ & vtiles, lib. 4. cap. 2. §. 34.
Doctor Euangelicus erga Principes sæculi qualis, lib 2. cap. 8. §. 6.
Doctor suam habeat sapientiam, lib 3. cap. 4. §. 32.
Doctrina Christi Domini vna, diuisionem fugit, lib. 2. ca. 8. §. 5.
Dolor de peccatis verus qui operibus exhibetur, lib. 5. cap. 2. §. 5. & qui non leui satisfactione contentus est, lib. 4 cap. 6. parag. 5.
Domini compellatio sola potens est ad se omnia trahere, lib. 3. cap 5. parag. 4.
Dominorum oculi vt faciunt seruos laborare, lib. 3. cap. 4. parag. 6.

## E.

ECclesiæ bona non recondi, sed effundi amant, lib. 4. cap 3. parag. 12.
Ecclesiæ bona iniuste retenta exicialia sunt possidenti, lib. 4 cap. 3. parag. 13.
Ecclesiasticorum ornatus & cultus.
Elemosina præparauit Virgineum vterũ, vt Deum caperet, libr. 1. cap. 6. parag. 5.
Crucis onus leuat, lib. 4. cap. 4. parag. 4.
cito largienda, lib. 3. cap. 5. parag. 5. Necessaria ad alias virtutes coronãdas, lib. 3. cap. 5. parag. 15. extraneis & alienis sine discrimine exhibenda, maxime à Prælatis, lib. 4. cap. 3. parag. 11. Reddit Deum facile inuentu, lib. 5. ca. 3. parag. 3. Vide Pauper.
Eleemosina nuptias cælestis agni nanciscitur, lib. 4. cap. 5. parag. 28.
Eremum amet qui Christum videre cupit, lib. 3. cap. 1. parag. 2.
EVCHARISTIA, lib. 3. cap. 8.
Examinanda frequenter opera, lib. 2. cap. 7. parag. 9.
Exemplum malum quam efficax, lib. 4. cap. 5. parag. 22. Qui eo non rapitur rarus, isque fortissimus, lib. 4. cap. 5. parag. 15.
Exemplum, lib. 3. cap. 3. parag. 4. lib. 3. ca. 7. parag. 27. lib. 4. cap. 3. parag. 19. lib. 3. cap. 1. parag. 9.
Expectatio vt cruciat, lib. 1. cap. 10. §. 6.
Expectatio quæ gratissima Deo, lib. 2. ca. 7. parag. 3. & lib. 4 cap. 1. parag. 4.
Expectationem qui nouit habere dignus Imperio, lib. 2. ca. 10. parag. 7. & lib 4. cap. 4 parag. 24.
Exterior homo nusquam sine periculis, lib. 4. cap. 2. parag. 1.

## F.

FAbri filius Iesus vtilis omnibus, lib. 1. cap. 3. parag. 3.
Fama vt obseruari debet à castis, lib. 1. ca. 7. parag. 6.
Fastus regios depone quisquis hominum animos cupis capere, lib. 2. cap. 2. parag. 2.
Fides seu fiducia in Deum repulsæ nescia, lib. 1. cap 8. parag. 16.
Fides beneficia diuina præcedat, lib. 5. ca. 5. parag. 6.
Fides robusta omnia præ Deo contemnit, lib. 2. cap. 3. parag. 17.
Fide nitens in quauis iactura lætus agit, lib. 5. cap. 1. parag. 17.
Figuras mille subit Deus vt hominibus proficiat, lib. 3. cap. 4 parag. 8.
Filij parentum vota adimplent duplicato lucro, lib. 1. cap. 6. parag. 9. quales in parentes, & eorum præmia, lib. 3. cap. 5. parag. 14.
Filiorum mors acerbissa parentibus, lib. 1. cap. 12. parag. 1.
Filius Dei magnus ab vtero Mariæ, lib. 1. cap. 7. parag. 38.

Filius Dei oſtenditur quis ex multorum fratrum amore, lib. 2. cap. 11. parag. 3.
Filius Dei ob naturæ cognationem hominibus ſalutaris, lib. 2. cap. 11. parag. 4.
Filius Dei vt ſe trans figurat in hominum vtilitatem, lib. 3. cap. 4 parag. 8.
Filius hominis vt hominum tutor, lib. 2. cap. 2. parag. 14.
Filium à parentibus condemnari, ſceleſtiſsimi indiciũ, lib. 3. cap. 4. parag. 30.
Firmitudo in bonis à Dei oculis, lib. 1. ca. 9. parag. 11. 12.
Flagella in Ieſu ſigna euidentiſsimæ charitatis, lib. 4. cap. 3. parag. 31.
Flagellis Ieſu humana terra excolebatur, lib. 4. cap. 3. parag. 29.
Fortitudo maxima Dei, quod ſe credat fœminæ, lib. 1. cap. 8 parag. 6.
Fortitudo mediis periculis, lib. 4. c. 4. §. 2.
Fœmina bona viros condemnat, lib. 5. ca. 3. parag. 8.
Fœminarum colloquia fugienda, lib. 1. ca. 7. parag. 56.
Fœminis leuamen in puerperio ex Maria, lib. 1. cap. 8. parag. 11.
Frater Chriſti quis? lib. 1. cap. 6. parag. 1.
Fratrum amor filios Dei oſtendit, lib. 2. cap. 11. parag. 3.
Fundamentum Ieſu inexpugnabile, lib. 4. cap. 6. parag. 7.

G.

GAudia magna citius pluribus quã vni à Deo parantur, lib. 2. c. 3. parag. 5.
Gentes vt amabant Ieſum, lib. 4. cap. 3. parag. 15.
Gloria cæleſtis vt gratis, & ſine labore habetur, lib. 3. cap 4. parag. 28. Vt à pluribus habetur in ſingulis abundatior, lib. 5. cap. 6 parag 8.
Gloria nobis parata excedit vires humanas, lib. 3. cap. 4. §. 34.
Gloria vana fugienda propter Dei gloriam, lib. 1. cap. 7 parag. 4.
Gloriæ humanæ vilitas, lib. 4. cap. 2. parag. 33.
Gratia Dei omnia in bonum veſtit, lib. 1. cap. 7. parag. 30. præſto eſt etiam obduratiſsimis peccatoribus, lib. 4. cap. 1. parag. 12. timores excutit, lib. 1. cap. 7. §. 3.
Gratia Dei primum nobis, deinde alijs, lib. 1. cap. 10. parag. 2.
Gratioſus Deo, omnia bona habet, lib. 1. cap. 7 parag. 32.
Gratis Deo ſeruiendũ, lib. 3. c. 2. parag. 20.

H.

HOmo nil magnum niſi propter Deũ operetur, lib. 1. cap. 2. parag. 12. faciat quod id remittat Deo, lib. 3. cap. 2. parag. 18. Seueriſsimus eſt vltor iniuriarum. lib. 4 cap. 3. parag. 40. Cæleſtis ſit à Sepulchro Domini, lib. 5, c. 1. parag. 8.
Homo exterior nuſquam ſine periculis, lib. 4. cap. 3. parag. 39.
Homines quam ſapienter caſtigandi, lib. 4. cap. 1. parag. 18.
Hominũ frequẽtiã fugiat qui cæleſti luce perfundi cupit, lib. 2. cap. 8. parag. 12.
Hominũ res maxime promouentur ad Ieſu præſentiam, lib. 4. cap. 6 parag. 12.
Hominum Geniſis ſub Aſcencẽdente Domino quæ? lib. 5. cap. 7. parag. 11.
Hominibus qui ſeruit calamitoſus, lib. 2. cap. 8. parag. 9. lib. 3. cap. 2. parag. 21.
Honor Dei ex vilitate præſepij, lib. 2. ca. 2 §. 5.
Honorabiles ſunt Deo qui compatiuntur, lib. 5. cap. 4. parag. 3.
Hoſtis reſpiciendus qua parte amorem cõciliet, lib. 3. cap. 7 parag. 6. item, lib. 5. cap. 9. parag. 4.
Hoſtis ante omnia repellendus, lib. 3. cap. 2. parag. 10.
Hoſtes pariter amãdi à Chriſtiano, lib. 4. cap. 2. parag. 9. occulti palam trahendi, ſi vinci debent, lib. 2. cap. 10. parag. 7.
Humana temeritas etiam in diuinam faciem auderet, lib. 4. cap. 2. parag. 7.
Humaniſsimum eſt pro alijs pericula ſubire, lib. 4. cap 3. parag. 39.
Humilis ſeruitus quam Deo grata, lib. 1. cap. 7. parag. 15.
Humilitas ea amplectenda, quæ cæteros quoſque vt Dominos reueamur, lib. 1. cap. 11. parag. 11. Nulli etiam viliſsimo ſe præferat, lib. 4 cap. 3. parag. 23.
Humilitas inter gaudia maximam arguit virtutem, lib. 2. cap. 8. parag. 14.
Humilitas dupplicat præmia, lib. 2. cap. 8. parag. 13. compendium eſt ad virtutes, lib. 3. cap. 7. 14. exaltat ſuos, lib. 3. c. 9. §. 19. illuminat mentem, lib. 3. ca. 7. parag. 24.
Humilitas è Dei fauoribus, lib. 3. cap. 7. parag. 23.
Humilitas Deum ipſum extollit, lib. 5. cap. 2. parag 4.
Humilitas compendium ſalutis, lib. 3. ca. 7. parag. 14. in fine.
Humilitas potentiſsima in Ieſu, lib. 4. ca. 6. parag. 11.
Humilitas vt Deum facit glorioſiorem, lib. 3. cap. 2. parag. 4.

I.

IAcobi prælia celebrata in Eccleſia Chriſti cur? lib. 3. cap. 4. parag. 2.

Iacobus doctrinâ & prælijs clarus, lib. 3. c. 4. parag. 2.
Iacobꝰ Princeps militiæ, li. 8, c. 4. parag. 2.
Iesus absentia etiam demonibus amara, lib. 1. cap. 2. parag. 1.
Iesus vt fabri filius per quam vtilis nobis, lib. 1. cap. 3. §. 3.
Iesus Angelorum saluator, lib. 1. cap. 4. parag. 3. pudicitiæ munimẽtum, lib. 1. ca. 7. §. 34. cohiberi nõ potest à salute causanda, lib. 2. cap. 5. §. 6. in Marianis manibus, vt se auxit, lib. 1. cap. 11. §. 5. vt se hominum declarauit patrem, lib. 2. cap. 2. §. 9. vt homines tutatur, lib. 2. ca. 2. §. 14.
Iesus voluntarios homines trahit, lib. 2. c. 3. §. 15. totus suauitas, lib. 2. cap. 15. §. 1.
Iesu nomen inter sanguines effusos claret, lib. 2. cap. 5. §. 2. alas indidit Deo, vt in nostram salutem aduolet, lib. 2. ca. 4. §. 3. omnibus linguis celebratum, omnibus vtile, lib. 2. cap. 4. §. 4. ab vniuersis creaturis, vt honoratur, lib. 2. cap. 5. §. 5. facit obedientes, lib. 2. cap. 6. §. 1. efficaciam præbet in hostes, lib. 2. cap. 6. parag. 2. ditat suos, lib. 3. cap. 6. parag. 3. tolerantiam & aumẽtum præbet suis, lib. 2. cap. 6. parag. 5.
Iesu bona per luctã, lib. 2. cap. 5. parag. 7.
Iesus claruit hominis per apertos cœlorũ muros inducens, lib. 2. cap. 5. parag. 8. præliorũ domitor, & triumphator, lib. 2. cap. 5. parag 9. proprium fictmentum restaurat. lib. 2. cap. 5. parag. 10. Verus Horoscopus erga homines, lib. 2. ca. 8. parag. 7. vt suos glorificat, lib. 2. cap. 6. parag. 15.
Iesus solus veram consolationem affert, lib. 2. cap. 8. parag. 1.
Iesus solus, vt nullum Deo laborem intulit, lib. 3. cap. 4. parag. 29. semper impugnat malos, lib. 2. cap. 9. parag. 7. à veris senibus facile inuenitur, lib. 2. cap. 9. parag. 9.
Iesus dedit cõsiliũ Euangeliũ, & perfectionem illius, lib. 2. cap. 10. parag. 6. amat esse vbi patientiæ occasiones, lib. 2. ca. 10. parag. 13.
Iesu præsura est, quod eius non participemus gratiam, lib. 4. cap. 1 parag. 10.
Iesus fugax dũ paruulus est in anima, lib. 2. cap. 11. parag. 1. parẽtes terrenos obliuiscitur præ animarum amore, lib. 2. ca. 11. parag. 10.
Iesus etiam male susceptus, vt id bonũ inclinat, lib. 3. cap. 2. parag. 13. vnice amãdus & sequendus, lib. 3. cap. 4. parag. 36. solus verus Rex, lib. 3. cap. 5. parag. 8.
Iesu manibus tatus, & securus homo, lib. 4. ca. 1. parag. 17. similiter qui in eo fundatur, lib. 4. cap. 6. parag. 7.
Iesu aspectus diuinitatis odorẽ halabat, li. 4. cap. 2. parag. 11.
Iesus capitur amicitiæ illice, lib. 4. cap. 1. parag. 22. horaria putat tormenta propter homines, lib. 3. cap. 7. parag. 2. apud Cayphã, vt canescit, li. 4. ca. 2. parag. 16. eius dolor acuebatur ex illis Prophetiza, &c. lib. 4. cap. 2. parag. 17. festinior ad morbẽ, quã ipsa parabatur, li. 3. c. 6. §. 1.
Iesu absentia durissima amatori, lib. 4. ca. 2. parag. 24.
Iesus quam vili pretio potest haberi, lib. 4. cap. 3. parag. 2.
Iesus vt homo vt timendus, lib. 4. cap. 3. parag. 40. solus ante mortem canere potest victorias, li. 4. ca. 4. parag. 8. promptior sanguinem fudit, quam inimici exquirebant, lib. 4. cap. 6. parag. 2.
Iesus breui & alieno loco teneri non potest, lib. 5. cap. 1. parag. 13. Eum mortuum impij reuerentur, lib. 4. cap. 6. parag. 1.
In Sepulchro quiescen diaboli regnum populatur, lib. 4. cap. 6. parag. 9.
Iesu præsentia omnia virent, lib. 5. cap. 2. parag. 6.
Iesus rediuiuus totus vitam exhalat hominibus, lib. 5. cap. 2. parag. 7. hominũ genus in primæuæ natiuitatis decus reparauit, lib. 5. cap. 3. parag. 13.
Iesus vt peccatoribus ad est, lib. 5. cap. 3. §. 14. ægre à suis auellitur, lib. 5. c. 7. §. 7.
Iesus per aquam, lib. 5. cap. 6. parag. 5.
Iesu gloria in Ascensione maxima. lib. 5. cap. 7. parag. 15.
Iesuitæ, lib. 2. cap. 6. & deinceps.
Iesuitæ voluntarij in lege, lib. 2. cap. 3. parag. 16.
Iejunij bona, lib. 3. cap. 2. parag. 4. & 5.
Ignatius Iesuitarum fundator, lib. 2. cap. 6. parag. 7. & deinceps.
Ignobilitas in Prælatis, & Præfectis, vt damnosa, lib. 1. cap. 7. parag. 44.
Imitatio Dominicæ Passionis quam efficax, lib. 5. cap. 4 parag. 2.
Impudicitia idolatriæ erroris que comes, lib. 1. cap. 7. parag. 1.
Impunitas peccatorum pessima, lib. 3. cap. 7. parag. 9.
Indumentum nostrum sit Christus, lib. 4. cap. 3. parag. 27.
Incorruptio & integritas post mortẽ Solis cãstis, lib. 1. cap. 7. parag. 48.
Infans Iesus se hominum declarauit patrem, lib. 2. cap. 2. parag. 9.

Infantiæ ludi viriles ætatis mores præsignant, lib.2.cap.8.parag.8.
Iniuriæ illatæ non statim plectendæ, sed da locum iræ, lib.5.cap.1 parag.15.
Inimicis qui parcit, Deum agit, lib.1.cap.2. parag.5.
Inimicis parcere quasi ex iustitia tenetur Christianus, lib.1.cap.2.parag.6.
Inimicis benefaciens eos expugnat, lib.2.cap. 7. parag.6. laureolam acquiris martyrij, lib.2.cap.7.parag.5.
Inimicorum amor decorat martyrium, lib.4. cap.5.parag.2. facit homines filios Dei, lib. 4.cap.5.par.3. à Christo Domino persuadetur, lib 4.cap.5.parag.2.
Inimicus honoratus titulis vocandus, lib. 4. cap.5 par.4.
Inimicis benefacere regium est, lib.4.cap.5. par.6. eos sic de vinces, lib.4 cap.5.par.3.
Innocentes pueri, vt præcurrant ante ipsum Christum, lib 2.cap.10.parag.6.
Innocentia inter hostes secura, lib.4.cap.3.parag.22.
Inuentoribus vitiorum, & virtutum pœna, & præmia, lib 1.cap 6.par.4.
Ioannes Bap.pro castitate tutanda pugnacissimus, lib.1.cap 8. parag. 15. vt festinauit ad Christum, lib.3.cap 1. par. 1. Eremum petit, vt paret Christo viam, lib.3. cap. 1. parag 2.
Ioannis Bap.morte, vt honoratur Paulus, lib. 3.cap.1.par.6.
Ioannes Euang. silentium posuit prophanis, lib.3.cap 4 parag.3. beatior in sinu Christi quam in sede Regni, ibidem. se filium Dei ostendebat, lib 3. cap.9 parag.1. ex Mariana tutela quid? lib. 3. cap. 4. parag. 3. vt præstantissimus præsul, lib. 5. cap. 6. parag.11. illius super omnes lucra, lib 4 cap. 5. parag. 17 tormentis superior manfit, lib. 4.cap.5. parag. 18. vt à Maria matre, matrissauit, lib. 4.cap.5 parag.20.
Ioseph Mariæ sponsus, Pater Iesu, lib.1.cap.1. & 2.& 3.
Ira Dei quando in vnum desevit etiam propinquos solet pertransire, lib.2.cap.10. parag.10.
Iræ locus dandus, lib 5.cap.1.parag.15.
Iudas à nulla creatura alia interficitur cur? lib. 4 cap.1.parag.13.
Iudex reorum facinora minime prædicet, lib. 1.cap.2.parag.3.
Iudex mansuetudinem præseferat ante rigorem, lib.1.cap 2.parag.4.
Iudex minime damnet inexaminatum, lib. 4. cap 3.parag.14.
Iudicis rigorem emolliunt, qui Deum, submiti specie videre assuescunt, lib. 2. cap. 8. parag. 17.
Iudicum corruptellæ per vxores, lib.4.cap.3. parag.25.
Iudicium horrendum ex Iudice damnante, lib.3.cap.6 parag.8.
Iudicium seuerum ab ascendente Iesu nobis indicitur, lib 5 cap 7 parag 10.
Iudicium timendum ex beneficijs acceptis, lib. 1 cap.7 parag.31.
Iudicij timore leuantur iusti ab Iesu ascendente, lib. 5 cap.7.parag.15.
Iudicij extremi memoria quam efficax, lib. 4. cap.2.parag 12.
Iustitia diuina, vt in parcendo consistit, lib.4. cap.4 parag 17.
Iustus de se solo timet, quod iudicium est firmitatis, lib.3 c 6 par 4. nullis tenetur vinculis, lib.2.c.7.par 2. sibi caueat cum Regnũ percutitur peccati, lib.4.cap.1 par.16.
Iusto viro omnia etiam contraria familantur, lib.3 cap.6. parag.6
Iustorum ærumnæ potiores, quam Tyrhanorum gloriæ, lib.3.cap 6 parag 7.
Iustorum casus, & ruina quid? lib.3.c.9 par.9.
Iustorũ somn?, & quies, lib 4.c.6 par.9.& 10.

## L.

Labor necessarius ad vitæ subsidia nõ ommittendus prætextu deuotionis, lib. 1. cap.8. parag. 5.
Labores potius quã stellæ auspicatam faciunt haminum gentium, lib.1 cap 4.parag 7.
Labores, vt Christianam infantiam alant, & nutriant, lib.2.cap.10.parag.5.
Labores qua parte sunt à Deo, ideo amabiles, lib.3 cap.2.parag.7.
Labores pro Christo, dantur præmij loco, lib. 3.cap.4 parag 4 vt appetendi, ibid.
Labores iustorum potiores quam Thyranorum gloriæ, lib.3.cap.6.parag 7.
Labores & ærumnæ tutissima omnium præsidia, lib.4 cap.1 par.1. lib.5.cap.3 parag. 9. humiliter, & reuerenter excipiendi, lib.4. cap 1. parag.5.
Labores ne festines excutere, lib.4.cap.4.parag 24.
Labores secure ferunt ad Paradisum, lib. 4. cap.5.parag.12.
Laborum matutina tolerantia humanum animum in mortem armat, lib. 2. cap. 4 parag 6.
Laborantes oculis spectantium recreantur, lib.4. cap.14.parag 22.
Laborare, vt à Deo deficias, omnium miserabilissimum, lib 3.cap.4 parag.26.
Laborandum est, vt Christi lucrum faciamus, lib.3.cap.4.parag.27.

Laboriosa vita eligenda, lib 4.cap.3.par.35.
Lachrymæ Iesu Paradisum propinant, lib. 2. cap 2.parag.12.
Lachrymæ citissimè,& certissimè Deum inueniunt,lib.2.cap.11.parag.9. Vt hominem tutantur,lib 4.cap 1.parag r.
Lachrymæ amorem Dei fouent,& firmãt,lib. 4 cap 2 parag.26.
Lachryma humilis compendium salutis, lib. 3.cap 7 parag.14.in fine.
Lachrymæ Spiritum sanctum trahunt, lib.5. cap.8.parag.2.
Lætitia vera ex Iesu quæ?lib. 5. cap.4 par 10.
Lapsus aliorum quorumcumque nobis lugendi, lib.4 cap.3.parag 10.
Lapsus ille non inglorius qui in arena est, lib. 4.cap.2.parag 18.
Lapsis à culmine hominibus vnus Deus fauet, lib.7 cap.5.parag 26.
Lateris apertio puram misericordiam propinat,lib.4.cap.6 parag.3.
Laus propria timenda,lib.1 cap 7.parag.25.
Lectio sacra efficax, lib.4.cap 4.parag 20.
Lectio sacra vtilis,lib.5.cap.3.parag,15.
Leges seueritatis ad omnes æqualiter, lib. 5. cap.7.parag.1.
Legum communium obseruantia præstantissima,lib.1.cap. 1.parag.10.
Legum duricies,vt mollienda permissionibus fol.206
Leuamen decet sanctos viros laborantes,lib. 3.cap.6.parag.1.
Lingua bona inditium diuinæ filiationis, lib. 4 cap.5.parag.37.
Lingua bona,& diuitiæ, lib.5 cap.7.parag.5.
Lingua Deum sonans quam efficax.
Luxuria vide impudicitia.

M.

MAgister perfectus qui?lib.3.c 7 par.26.
Magistri spirituales cauti incondescensu,lib 3.cap.3.parag.2.
Magistri superiores discipulis,lib.2.cap.6.parag.14
Magdalenæ fortitudo qualis, lib.4.cap.5.parag.15.
Magnus Filius Dei ostenditur ex vtero Marię, lib.1.cap 7 parag.35.
Malorum præmeditatio vtilis, lib. 3.cap. 2. parag.19.
Mala â peccatis orta noscere vtile, lib.4. cap. 5.parag.11.
Malitia cordis non potest non euulgari,lib.3. cap.6.parag.10.
Mandata noua, & particularia non tradantur, nisi præmissa ratione, lib. 1. cap. 7. parag.52.
Mansuetudo, vt Deo contingit ex Maria,lib.1. cap 5 parag.8.
Mansuetudo in gubernatore efficax ad trahendos homines,lib.3.cap.5.parag 12.
Mansuetudo,& humanitas,vt deceant Prælatos,lib 2.cap.2.parag.2.
Mansuetudo ante rigorem in prælatis, lib 6. cap.2.parag.4.
Mansuetudo cum seueritate miscenda à prælatis,lib.5.cap 6 parag.5.
Maria Virgo,lib 1.per totum,á cap.4.
Maria Virgo originali peccato aduersaria,lib. 1.cap.8.parag.3 Prima resurgentem Dominum vidit,lib.5.cap.2.parag 1.Eius sollicitudo integra nobis datur á Iesu ascendente, lib.5.cap.7.parag 9
Marianum lac felles Christi Domini saporauit.fol.8 col 2.
Martyres filij Dei non habent patrem in terris, lib.2.cap.10.parag.7.
Martyrum sanguis tyranos extinguit, lib.2. cap.10.parag 9.
Martyrum fortitudo fœminea cum Iesu fortitudine comparata, lib.4.cap.5.parag.16.
Materna gentilia æstimat Deus, lib.1.cap.7. parag 40.
Matthæus cur facie hominis? lib.2.cap.3.parag.1.
Mediocritas dedecet perfectum virum,lib.4. cap.5 parag.30.
Meditatio antecedat opus, lib.6. cap.7. parag. 27.
Meditatio antecedens periculorum salutaris, lib.3.cap 2 parag 19.
Memoria natiuæ vilitatis vtilissima Prælatis, lib 5 cap 6. parag.7.
Metus abest á castis,lib.1.cap.7.parag.33.
Metus constantis viri qui?lib.5.cap 4.parag.1.
Ministri Euangelici concordes, lib.3. cap.4. parag 20.
Ministri Iesu qui sciunt humiliari, vt prosint, lib.1.cap 8 parag.7.
Ministrorum suorum authoritati,vt Deus consulat, lib.5.cap.4 parag.12.
Miracula Christi Domini,vt manifestatiua diuinitatis,lib 7.cap 3. parag. 5. á Magorum prodigijs, vt diuersa, lib. 3. capit. 3. parag.4.
Miracula plus illustrant Christum Dominum quam obscurat passio, lib. 5. cap. 3. parag. 5.
Miserationis affectus validissimus, lib. 1. cap. 12.parag.3.
Misericordia, & inclinatio Dei ad homines ex præsepio,lib 2.cap.2.parag 6.
Misericordiæ puræ vena ex lateris apertione, lib.4.cap.6.parag 8.
Misericordia in pauperes, vt necessaria ad

alias

alias virtutes, lib. 3. cap. 5 parag. 15.
Mora innegotianda salute periculosa, lib. 4. cap. 4 parag 13.
Mors virtutis præmium, lib. 1. cap. 13 parag. 1. post Christum ab omnibus sumitur, lib. 1. cap. 23 parag 2 lib. 4. cap. 5 parag. 35. à Christi aduentu dulcis, & matura, lib. 2. c. 9. parag. 4. est peccatoribus beneficium, lib. 3 cap 5 parag. 7. intrepide subeunda, vt vincatur, lib 3 cap 4. parag. 12 præ oculis habenda etiam inter ipsa gaudia, lib. 7. cap. 4. parag. 21 Ad peccatores festinat, lib. 3. cap 9. parag. 6. à Cruce Domini amabilis, lib 4. cap. 5 parag. 35.
Mortis memoria, vt efficax, lib. 3. cap 7 parag. 4.
Mortis tempore cura, quod Iesus adsit, lib. 5. cap. 3 parag. 12.
Mortis vincula nulla à Dominica Resurrectione, lib 5 cap 1. parag 7 eius horror ibi vacuatus, lib 5 cap 1. parag 14 vt expetenda mors à Domini Resurrectione, lib. 5. cap 1. parag 6.
Mors Christi nulli non vtilis, lib 4. c 6. par 6.
Moribundi bona sua expendant in animæ salutem, lib 4 cap. 3. parag. 7 Meminerint Deum, & Patrem, & Iudicem, lib. 4 cap. 4. parag. 32.
Mortificatio vtilis castis, lib. 6. c 7 parag. 11. à Cruce Domini amabilis, lib 4 c. 5. par. 35.
Mulieres nunquam non timendæ, lib. 4. cap. 2. parag. 5.
Multitudo accedentium ad Deum singulis prodest, lib. 5. cap 5 parag 2.
Mundities Christiana facilè obtinetur, lib. 3. cap. 7. parag. 14.
Munera cita, & prima, vt Deum obligant, lib. 2. cap 3. parag. 18.
Muneri alieno ne te inseras, lib. 3. c. 4. par. 25.
Mutabilitas fugienda, lib. 5. cap. 9. parag. 5.

## N.

NIli inundatio, vt Saluatoris aduentum præsagijt, lib. 2. cap. 10 parag. 4.
Nobilitas, vt Deo grata, & honorifica, lib. 1. cap. 2. parag 11.
Nobilitas in Prælatis comendatur, lib. 1. cap. 7 parag 44.
Nobilitas est, vltra legem operari, lib. 6. cap. 11 parag 2.
Nobilitas Gentilium Deum, sibi matutino munere obligauit, lib 2. cap 3 parag. 18.
Nobilitas vera ab intimis virtutibus, lib. 3. c 4 parag 15.
Nomen Iesu vide Iesu nomen.
Nomen Mariæ fere contendit celebritate cum Dei nomine, lib. 1. cap. 8. parag 5.
Nominis diuini recordatio magnum leuamẽ affert, lib. 5. cap 7 parag 4.
Nominis proprij appellatio secura, lib. 1. cap. 7 parag. 29.
Nominis ferendi conditio non inutilis esse debet, lib. 2 cap 5 parag 4.
Nuditas Christiana filios Dei facit, lib 3. cap. 7 parag. 13.
Nuditas, vt innocentiæ argumentum, lib. 4. cap. 3. parag 26.

## O

OBedientia hominem facit dignum Dei oculis, lib 1 cap. 9 parag. 3.
Obedientia indifferens optima pars, lib. 1. cap 9 parag. 3.
Obedientiæ gradus summus qui, lib 2 cap. 10 parag 2.
Obedientia, vt Deo præstanda, lib 4. c 1. par. 9 extollit suos, lib 2. c 11. par. 11. omnes profectus dedicat, ibidem, par. 12 vt certa via ad cœlum, lib 3 cap. 4 parag. 23. Victrix omnium, lib. 5. cap 6 parag. 3.
Obediẽtia incolumitatis auspicium est, lib. 2. cap 10 parag. 2.
Obliuio Dei verecunda fidelibus, lib. 2. cap. 8 parag 4.
Obsequia spontanea gratissima Deo, lib. 1. cap. 7. parag. 53.
Occasiones peccatorum fugiendæ, lib. 2 cap. 10. par 12. & lib 4 cap. 2. parag 25.
Otium fugiendum, lib. 1. cap 8 parag. 5. & lib. 5. cap 6. parag. 2.
Oculi diuini instar Solis, lib. 4. cap. 2. par. 13. instar reguli ibid. par. 22 Malitiam nostram coercent, lib 4 cap. 2. par. 15. firmitudinem conferunt, lib. 1. cap. 9 parag. 4.
Oculi Domini, vt faciant suos laborare, lib. 3. cap 4 parag 6.
Oculi spectantium, vt laborantes recreant, lib 4 cap 4 parag. 22.
Oculos fugiat humanos, qui Deo appropiat, lib. 3 cap. 4 parag. 10.
Opera, vt mentem illustrent, lib. 1. c. 11 par. 6.
Opera examinanda, lib. 3. c 7 parag. 20 à principio, vt coronantur, lib. 1 cap 7. parag 42.
Opera fiant meditatione, lib. 1. c. 7 parag. 27.
Opera bona, vt peccatorem gratiæ restituunt, lib. 5. cap 3. parag 16.
Opinio siue præsumptio magna de Deo nequit frustrari, lib. 1. cap. 4. parag 16.
Opiniones literariæ cauendæ sunt, ne illis odia, & scandala generentur, lib. 1. cap. 4. parag 1.
Opprobria, vt sustineas magna eges virtute, lib. 4. cap 2. parag. 10.
Oratio grata à corde vnum Deum quærente

rente exeat, lib.2.cap.8 parag.19. neceſſaria ad ardua virtutum facinora, lib.4. cap. 1.parag.2.
Oratio Prælati pro ſubditis Deo grata, ibidem,parag.3.
Oratio hoſtibus formidanda quæ? ibidem, parag. 6.
Oratio efficax qualiter inſtituenda,ibidem,parag.7.
Oratio attenta quantum bonum:lib.4.cap.3. parag.36.
Orandum in abſcondito qualiter? lib. 5. cap. 9.parag.7.
Ornatus, & cultus corporis ne excedat poſsibilitatem rei familiaris, lib.1. cap. 11. parag.13.

P.

PArentes cœleſtia bona filijs procurent, fol 7. col. 2. ſceleſtos filios obliuiſcantur,lib.4.cap.5.parag.25.
Parentum pia vota filij adimplent duplicato lucro,lib 1.cap.6.parag.9.
Parentum virtutes vt creſcant in filijs, ibidem.
Parentibus exhibitæ obedientiæ præmia, lib. 3.cap.5.parag.14.
Parentibus qualis pietas ſit exhibenda à cruce docemur,lib 4 cap 5.parag 19.
Parentis eſt filiorum peccata oſculis curare, lib.2.cap.2.parag 9.
Paruis prius incumbendum,vt eamus ad magna,lib.3.cap 7.parag 15.
Paruuli vt à Deo ſubueniri ſoleant, lib.1.cap. 8.parag.13.
Paruulorum cura Ieſuitis glorioſa, lib.3.cap. 5.parag 3.
Parui deffectus non contemnendi, lib.3 cap. 7. parag.20.
Parua contemne, qui magna reliquiſti, lib. 1. cap.11.parag.12.
Paſsio & mors vt Deum commendat, lib. 2. cap.8.parag.16.
Paſsio Chriſti omnem eius gloriæ ambitionem in Reſurrectione oſtendit, lib. 5. cap. 1. parag. 11. Omnium in ſe dolores ebibit, vt nobis inferat letitiam,lib 4 cap. 4.parag.9.
Paſsio Chriſti ponderata, lib.4.cap.2.parag. 1.totum Paradiſi malum extinxit,lib.4.cap. 4.parag 11.eius efficacia maxima,lib.4.cap. 3 parag.24.
Paſsio Dominica ſalutem oſtendit per mortificationem, lib.5.cap. 4 parag.9. Glorioſiorem fecit Chriſtum, cap 3 parag.10. Exaltationem Aſcenſionis effecit, cap.7. parag 12.
Paſsionis Dominicę commemoratio Ieſu præſentiam infert, lib. 5 cap. 3. parag. 1. Eius imitatio quam efficax erga Deum,lib.5.cap. 4.parag 2.
Patri Deo,vt in abſcondito orandum, lib. 5. cap. 9. parag.7.
Pater Deus inuocandus vbi operoſis obligatur obſequijs, lib.4 cap 5 parag.31.
Patres antiqui, vt mallent in inferno eſſe, quam Deum in Cruce cruciatum videre,lib. 1.cap.12.parag 4
Patientia glorioſum facit hominem, fol.191. colum 1.
Patiętiæ occaſio amplectenda, lib. 2. cap.10. parag.13.
Paupertas Chriſtiana primæuæ iuſtitiæ æmula,lib.1.cap.4. parag.13. ſequenda etiam in Regijs,lib.1 cap.11.parag.11.
Pauperes cito ſubeniri amat Dominus, lib.3. c.5.parag.5.& 7.
Pauperum ſubleuatio Chriſtianos triumphos facit, lib. 3. cap. 5. parag. 15. eorum cura ſollicitabat Dominum reſurgentem, lib. 5. cap 1.parag 11.
Pax â præſepio, lib 2. cap.2 parag.10.
Pax Chriſtiana belligerans, lib. 5. cap. 4. parag 6.
Pacis bonum,lib.5.cap 4.parag.4.
Peccator periculoſe degit poſt Chriſtum, lib. 4 cap. 4. parag. 10. Non publicandus, vt corrigatur, lib.3.cap.6 parag. 2. Feſtinatiſsimam ſibi mortem facit, lib.3. cap.9.parag.6.
Peccator flagellis non emendatus peribit,lib. 4 cap. 1. parag. 15. cap. 5 parag 7. & parag. 8.
Peccator periculoſe agit inter virtute conſpicuos, lib 5.cap.1 parag 16.
Peccator ſibi ipſi moleſtior omnibus, lib. 5. cap.3.parag.4.
Peccatoris impauidi ſtatus peſsimus,lib.3.cap. 6. parag 9.
Peccatores, vt caſtigantur beneficijs diuinis, lib.3.cap 9.parag 4.
Peccatum nudandum, lib.4.cap.4 parag.12. eius manifeſtatio,vt vtilis peccatori, lib. 3. cap.9.par.5.& lib.4.cap.2.parag.21.
Peccatum non agat radices in corde, lib. 3. cap 7. parag.8.
Peccata non publicare, pertinet ad laudem peccatoris, lib.5 cap.5 parag.3.
Peccata extraordinaria neque per reprehenſionem ſunt euulganda, lib.5.cap 3 parag. 6 Peccata ne addas peccatis,fol,339.col.2. lib 2.cap 11.parag.5.
Peccatorum antiquorum, vel vmbra fugienda,lib.2.cap 10.parag.12.&fol.116.col.4.& deinceps.

Perfecti viri timeant paruos lapſus lib.3.cap. 7 parag.20.& cap.1.par.7.& 8.
Perfectus vir,vt cuſtoditur exercitu Angelorum,lib.3.cap.2.par.23.
Perfectionis culmen vt ſecurum,lib.3.cap.2. parag.14.
Peregrini in terra, tenebrarum Principes expugnant,lib.5.cap.3.parag.2.
Pericula vt præmeditanda, lib.3. cap.2. parag.19.
Perſeuerantia in opere bono,lib.5.cap.1.parag.4 & par.18.
Petrus Ieſu abſentia duriſsimè negationem caſtigat,lib.4.cap.2.par.24. Omnium Eccleſiarum labori præficitur,lib.5.cap.6 parag.4.
Petri magnalia,lib 3 cap 4.par.1.
Petri paſcua ampliſsima, lib.5. capit.6. parag 6.
Pietas in parentes á cruce, vt commendatur, lib 4 cap 5. par 19.
Pœna pro peccatis accepta,vt glorioſa,lib.2. cap.10 par.1 & lib 4 cap.3 par.31.
Pœna venit,qua via venit peccatum,lib.4 capit.3.par.1.
Pœnas á peccatis ortas noſcere vtiliſsimum, lib 4.cap.5.par.11.
Pœnitens verus á corporis cultu alienus,lib.1 cap 8.par 10.
Pœnitens non ad ſceleſtos magiſtros accedat,lib.4.cap.3 par.4 & 5.
Pœnitentia non fiat leui ſatisfactione, lib. 4. cap 6.parag.5.
Pœnitentia feſtinanter ſumpta ſuſpecta,lib.4. cap.3 par.8.
Pœnitentia in impoſsibilitate peccandi fundata ſuſpecta,lib.4 cap.3.par.9
Poenitentia occulta quàm efficax, lib.2. cap. 7.par.11.
Poenitentia vt non differenda in vitæ finem, lib.4.cap 4.parag.14.
Poenitentia cultum corporis abijcit,lib.1.capit 8.par.10.
Potentia Dei in conuertendis ſuperbis ad Chriſtum,lib 1.cap 9 par 9.
Præcepta noua ratione, & exemplis tradenda,lib.1 cap.7.par.52.
Præcepta data á benefactore facilia, lib 3.capit.4 par.33.
Prælatus ſe ſub aliorum poteſtate meminerit,lib.2.cap 9 par.8.
Prælatus temperet zelum pietate, lib 2.cap.3 par.15. & lib.3. cap.8. par.18. Vt noſcere debet ſubditos,lib 1.cap.2.par.10. Imperfectos ſubditos ſuſtineat, lib.1.cap 10 parag.4 Non feſtinare, ſed ſuſtinere,& expectare longanimiter nouerit, lib. 1. capit. 1. parag.8. Subditorum ſordes portet, lib. 3. cap. 6 par.18. Sapiens ſit ad caſtigandum, lib.4 cap.1.par.8. Seruire in primis diſcat, lib.1. cap.7 parag 49.
Prælatus ignobilis quid? lib.1 cap 7. par.44. Meminerint priſtinæ vtilitatis,lib.5.cap.6 parag.7.
Prælatus ouès per ſe ipſum viſitet, lib 5.cap.6 parag.10.
Prælatus vt trahat ſubditos verbis amicis,lib. 1.cap.4.parag.11. & cap.6.par.8.& 11.
Prælatus ne occupetur in amicis, & conſanguineis promouendis,lib 5. cap.6. paragr. 12.
Prælatus vilis, & improbus ſuſtinendus,lib.4 cap.3 par 16.
Prælatis vt manifeſtãda á ſubditis ſecreta cordis,lib.3.cap 4 par.31.
Prælatio inter fratres odioſa, lib.4 cap.3.parag.23.& lib 5 cap 2 par.9.
Prælaturæ periculum. lib 3 cap.4 par.17.
Prælatura plena triſtitijs, & timoribus,lib 4. cap 1 par.3.
Præfectus. Vide Prælatus.
Præmeditatio ante opus lib.1.cap.7.par 28.
Præmium à Deo labores ſolet prœuenire,lib. 2.cap.7.par.2.
Præſentia Dei facit ſupra naturam audere,lib. 1.cap.7.par 45.
Præſepis palleæ, Dei,& hominis commixturam,vt firmarunt,lib 2.cap.2 par.2.
Præſepis faſciæ, & vilitas Deum honorarunt,lib.2.cap 2.par.5.
Præſepe vt dedit Deo amorem, & inclinationem in homines,lib 2 cap.2 par 6.
Prima,& antelucana munera, vt Deum obligant,lib.2.cap.3.par.18.
Prima hoſtis conamina ſuperet, qui velit coronam,lib.3.cap 2.parag.26
Princeps non ad vnum ſolum, ſed per plures diſtribuat ſua,lib 3.cap.9 par 3. Vt benefactor, lib.3.cap.4.par.33.
Princeps exigat à ſuis ſubſidia ore vulnerum pro illis acceptorum, lib 3.cap 7 par.8.
Princeps qui confeſſarios ad pompam circumfert ſuſpectus in pœnitentia, lib.3.cap. 4 par 37.
Principibus mundi omnia fugiunt è manib*, lib.3.cap.7.par.9.
Principium vt coronet opus, lib.1.cap.7.parag.41.& lib.3.cap.2.par.26.
Prophetia efficaciſsimum omnium pro veritate teſtimonium, lib.2.cap.1.par.8.
Proximum participem ſpiritualium bonorum facere cura,lib.1.cap.7.par.54.
Proximorum non vitia, ſed virtutes reſpicienda,lib.3 cap 7 par.6.
Proximorum ſaluti vt ſtudeas,mundo monia re,lib.5.cap.7.parag.3.

Proximorum errores non euulgandi, lib. 3. capit. 9 parag. 8.
Proximorum saluti studeas quisquis sis, lib. 4. cap 5. par. 9.
Puer Iesus instar omnium diuitiarum, lib. 2. cap. 2. parag 3.
Puerperium fœminarum à Mariæ puerperio leuatum, lib. 1. cap. 8 par. 11.
Pudicitia dominatur, lib. 1. cap. 7. parag. 10. Vide castitas, virginitas.
Pulchritudinis tyrhannis quanta, lib. 1. cap. 7. parag. 20.

R.

REincidentia in peccatis mala, lib. 5. cap. 2 parag. 3.
Regula bene viuendi à quouis pio viro accipienda, lib. 3 cap. 1 parag. 10.
Relaxatio animi etiam in solitudine cauta, libro 3 cap. 4. parag 11.
Religiosi etiam in Regijs sequantur paupere Christum, lib. 1. cap 11 par. 11. Caueant à prophanorum librorum lectione, lib. 5. capit. 3. parag 15.
Reproborum corda patent Diabolo possessori, lib. 3. cap. 7. parag 7.
Res veræ à solo Deo, lib. 1. cap 9. par. 7.
Restitutio quamprimùm facienda, lib. 4. cap. 3 parag 6.
Resurrectio celerior virginibus, lib. 1. cap. 13. parag. 7.
Resurrectio immortales pariet, lib. 5. cap 1. parag. 1.
Resurrectionis memoria mortis vacuat horrorem, lib. 5. cap. 14.
Resurrectiones omnium tanquã in flore sunt in Dominica resurrectione, lib. 5. cap 1. parag. 9.
Rex, vide Princeps, Præfectus, Prælatus.
Rex noscat subditos ex nomine proprio, & parentum, lib. 1. cap. 2 parag 10. Proprium sibi putet benefacere, lib 1 cap 8 par 4.
Rex verus qui? lib 3 cap 5. par. 9. Eius firmitudo, & stabilitas in accurendo suis, lib. 3. cap. 5. parag. 10. Eius exemplum malum efficax ad perdendum, lib 4. cap. 3. para. 19.
Regios fastus deponat, vt trahat hominum animos, lib. 2. cap. 2 parag. 2. Rigor mansuetudine temperandus, lib 3 cap. 4. par. 8.

S.

SAcerdos indignus quid? lib. 4. cap. 2. parag. 13.
Sacerdotes munus suum in operibus manifestent, lib 5 cap 8 par. 7.
Saluator non esset sine peccatore, lib. 2. cap. 3. parag. 6.
Salus per mulieres etiam suspecta, lib. 4. cap. 2 parag. 5.
Salus vera per mortificationis opera, lib. 5. capit. 4 parag. 9.
Salutare alijs tempora, væ qui in peccatis absumit, lib. 2. cap. 16. parag 8.
Salutis negotium nunquam non tempestiuũ, lib. 4 cap. 2. parag 8. Moram expuit, lib. 4. cap. 4. parag 13.
Sanguis Dominicus nulli primas cedit in se effundendo propter hominem, lib. 2. cap. 4 parag 1 & 2.
Sanguis Dominicus efficit nos sanguinem effundere velle, lib 2. cap. 4 par. 5.
Sanguis Martyrum extinxit Tyrhannos, lib. 2 cap 10 par 9.
Sanguini Dominico cœlestia patent, lib. 5. cap. 3 parag. 11.
Sapiens à quocumque salutis disciplinam sumat, lib. 1. cap. 1. parag. 10. Etiam nota ab alijs cum fructu audit, lib. 2. cap. 3. par. 13.
Sapientia diuina amat viros claustræ studiosos, lib. 5. cap. 3 par. 11.
Sapientum prophanorum verba algent, lib. 5 cap. 13. par. 13.
Scænici ludi inuenti à Diabolo aduersus Sanctos, lib. 1. cap 8 par. 14.
Scientia sine alijs virtutibus damnosa, lib 4. cap. 3. par. 21. Christo post habenda, ibidem.
Scientiæ contemptus pro Deo illi gratissimus, lib 4 cap. 3 par. 21.
Senes qui facilè Deum inueniunt, lib. 2. ca 9. par 9.
Senex Iesus in Passione.
Seniores in religiosa observantia, & virtutum conflictu emineat, lib. 5. cap. 6. par. 9.
Sepulchrum Dominicum cœlestes parit homines, lib 5 cap. 1. parag 8.
Serui Dei antiqui etiam si reprobandi sunt, non in honori dimittuntur, lib. 2. cap 9. pa. 6 Serui Dei, & Diaboli serui, li. 3 c. 2. p. 21.
Serui Christi glorioſi, lib. 3 cap 5 par. 11.
Serui Dei nihil sibi timent, omnia in tuto habent, lib. 3. cap 5. par. 16.
Seruitus voluntaria Deo præstita quàm vtilis, lib 1. cap 7 par. 56.
Silentium vteri virginei quid Verbo diuino? lib. 2. cap. 1. par. 1.
Silentium vteri virginei, vt Cruce grauius verbo, lib. 2 cap. 1, par. 2.
Silentium inter calumnias virtutis est diuinæ, lib 4. cap. 3 par. 18.
Singularitas fugienda quando diuina beneficia amant esse communia, lib 1 c 7 par 8. & lib. 2 cap. 11 par 2.
Singularitas damnosa, lib. 5 cap. 5 par 2.

Singularitas in fauoribus affectata inuisa Deo lib. 2 cap. 1. parag. 2. & lib 3. cap. 9. par. 2.
Societas Iesu insuperabilis ex sibi innato Iesu nomine, lib. 1. cap. 7. par. 34.
Societas Iesu in procuranda paruulorum salute Deo grata, lib. 3 cap. 5. par. 3.
Societatis Iesu viri sese transformant in varias figuras, vt proximis faueant, lib. 2. cap. 3. parag. 2.
Societas peccatorum damnosa, lib. 2. cap 10. parag. 19. & lib. 3. cap. 6 par. 3. & lib. 4. cap. 1. par. 20.
Societas bonorum quàm vtilis, lib. 4. cap. 5. parag. 17.
Solitudo virginitatis comes, lib. 1. cap 7. parag. 14.
Somnus, & quies iustorum operosissimus, lib. 4 cap. 6. par. 9. & 10.
Spectatores vt leuamen afferunt laboranti, lib. 4. cap. 4. par. 22.
Spinæ Iesu nos protegunt, lib. 4 cap. 3 par. 32
Spiritus examinandi, lib. 1. cap. 7 parag 28.
Spiritus sanctus docet integritatem corporis æternare, lib. 1. cap. 7 par 48.
Spiritus sancti aduentus, vt debebatur ab Ascensione Domini, lib 5 cap. 8, par. 1.
Spiritus sanctus lacrymis trahitur, lib. 5. cap. 8. parag. 2. Semper nobis præsentissimus adstat, parag. 3. Odit pro humano libito gubernari, parag. 4. Eius lingua per omnium ora sonat, parag 5 Habet scientiam vocis ibi. Et pungit, & vngit. par. 6. Dei similitudinem perficit in homine, par. 9.
Sponsa pulcherrima paratur Iesu, lib. 4. cap. 6 parag 4.
Subditi noscendi sunt à Principe ex nomine proprio, & parentum, lib. 1. cap. 2. parag. 10.
Subditi ad noua, & particularia mandata rationibus, & exemplis adducantur, lib. 1. cap. 7 parag. 42.
Subditi trahendi verbis amicis, lib. 5. cap. 4. parag. 11.
Superborum ad Christum conuersio Dei potentiam exaggerat, lib. 1. cap. 9. par. 5.

## T.

TEmpla in Dei honorem, væ qui in illis vitia exercent, lib 11. cap. 11. paragr 5. lib. 11 cap. 11. par 7. Ex templis profectus multis, lib. 1. cap 6 par. 8.
Tempora alijs salutaria, vę qui in peccatis absumit, lib. 12. cap. 10. par 8.
Tentare Deum vt cauendum, lib. 3. cap. 2. parag 18.
Terrenis imbuta mens nequit Deo approximare, lib. 5. cap. 2. parag. 8.
Thesaurus incantatus est virtus, lib. 5. cap. 1. parag 4.
Timor Dei amore temperetur, ne officiat, lib. 1. cap 2 parag. 1.
Timor Dei diuinam misericordiam fœcundat, lib. 1. cap. 9. par 8.
Timor Dei charitate informatus omniù præstantissimus, lib. 2. cap. 3. par. 4.
Timor sui familiaris iusto, lib. 1. cap. 2. par. 1. lib 1 cap 2. par 2. In quouis perfectionis gradu habendus, lib 3 cap 2 par. 15.
Tituli, & agnomina vt contemnenda, lib. 4. cap. 4. par. 21.
Tribulatio, & dolor consecrant hominem, lib. 2. cap. 8 par 20.
Tribulatio vt facit hominem in via Dei currere, lib. 3. cap. 1. par 2. Vide Labor.
Trinitas diuinarum personarum á Christi natiuitate apparuit lib 1. cap 3. par. 14.
Trinitas diuina, lib. 5. cap 9. par. 6. Gloria, & corona felicitatis, parag. 9. Moribundis fauet, parag. 10.

## V.

VErbo Dei plenus nulla sentit ligamina, lib 4 cap. 1. par. 19. Ad omnia intrepidus audet, lib. 5. cap. 1. par. 3.
Verbum Dei euulgandum per compita, lib. 1. cap. 8. parag 3.
Verbum Dei audiendum, lib 4. cap 1 par 10.
Verbum diuinum in præsepi, vt brutescentes homines ad rationis alimoniam trahat, lib. 2. cap 2 par. 15.
Verba blanditiæ fugiẽda castis, l. 1. c 7 p 22.
Veritas per linguas Sanctorum haurienda, lib. 5 cap 8. par 12.
Veritatem nemo vni soli adscribat, lib. 5. cap. 8 par. 11.
Vestium mollicies fugienda, lib 3. cap. 4. par. 19 lib 4. cap 3 par. 20.
Vigiliæ pro castitate, lib 1. cap 6 par. 7.
Virginitas vt tenet Deum, lib. 1. cap 7 par. 4. Videt Deum, lib 1 cap 7 par 12. Dæmonibus exitialis, lib 1 cap. 7 par 13.
Virginitas semper sit timida, nullibi secura, libro 1. cap 7 parag 20.
Virginitas Deum extollit, lib 1. cap 7 par. 3. vt in se Deum moratur, lib. 1 c 7. par. 36.
Virginitas Deum parit, lib 1. cap 7 par 49.
Virginitas vt celeriorem resurrectionẽ affert, lib. 1. cap 13 par 7 Vide Castitas.
Virgines in eligendo religioso statu parẽtum vota sequantur, lib 1 cap 6 par. 9.
Virgines vt dominantur, lib 1. c 7 par. 10.
Virgines à publicis gaudijs alienæ, lib. 1. cap. 7 parag. 11.
Virgines mortificationem ament, ibidem.

Virgines hominum frequentias fugiant, lib. 1. cap 7. parag. 14.
Virgines pauperculæ diuitem cultum, & ornatum fugiant, lib. 1 cap. 11. parag. 13.
Virgines Deo notæ, lib 1. cap 7 par 3.
Virgo nubilis agrorum frequentias ſuſpectas habet, lib. 1. cap. 7. par. 2.
Virtus plena eſt difficultatibus, lib. 5. cap. 1. parag. 4.
Virtutis maximæ inſigne communibus lapſis non tangi, lib. 4. cap. 5 parag. 15.
Virtutis aſſeclæ ab ipſis malis timentur. ſecuri viuunt, lib. 1. cap. 7 parag 2.
Virtutis in via nullus fingendus terminus, lib. 4 cap 5 parag 30.
Virtutum, vitiorumve inuentores, quid, lib. 1. cap. 6. parag. 4.
Virtutes vt debent abſcondi, lib. 3 cap. 4 par. 10. & lib. 1 cap 7. parag. 43.
Virtutum ima tenenda antequam ad ſupremum voles, lib 1. cap 10 parag 4.
Virtutum a:dua non à principio arripienda, ſed paulatim lib. 5 cap 1. par. 3.
Virtutes diuinas à Chriſto edoctas facilius bibimus, lib. 2. cap 1. parag 13.
Vitiorum immunditia incredibilis, lib. 1. cap. 11. parag 10.
Vita, & Diabolus id ſolum curant, vt ſuos vinciant, lib. 3. cap. 5. par. 1.
Vitiorum ærumnæ quem non erudiant? lib. 4. cap. 5 parag. 7.
Vnio, & concordia inter miniſtros Euangelij lib 3 cap 4 par. 10.
Vnio fidelibus neceſſaria, lib. 5 cap. 9. par 2.
Vtilis ad accipienda diuina beneficia, lib. 1. cap. 7 par 8.
Vnus pro mille, lib. 1 cap. 2. par. 9. lib. 3. cap 4 parag 7.
Vocationis culmen non contemnendum, lib. 2 cap. 7 parag. 8.
Voluntati diuinæ parendum, etiam per ſanguinis effuſionem, lib 4 cap 1 parag 9.
Voluntarij ad Chriſtum imus, lib. 2. cap. 3 parag. 14.
Voluntas deprauata hominum neſcit petere, niſi ruinam, lib 5 cap 4.
Voluntati humanæ Chriſti Domini debemus largiſsimam ſanguinis effuſionem, lib. 3 capit 7. parag. 10.
Vterus virgineus, vt grauis Verbo diuino, lib. 1 cap. 8. par. 8.
Vulgus Iudæorum cur Deo grátius, quã Principes, lib 2. cap. 3 par. 18.
Vulnera Chriſti reſurgentis, Deitatis teſtes, lib. 5 cap 5 parag. 1.
Vulnera Chriſti in ingratos, & perfidos, lib. 5 cap 5 parag 4.
Vxor coniugis ſui oculos nũquam fugiat, lib. 1. cap. 2. par. 13.
Vxor nihil vel ſciat ſine marito, lib. 1. cap. 7 parag. 19.

## X.

Xauerij integritas, & incorruptio poſt mortem, lib. 1. cap. 7 parag 48.
Xauerij peregrinationes, lib. 1. cap. 3. par. 17. Ex illis gloria orta, lib. 5 cap. 3. par. 2.

## Z.

Zelotypia Deo poſt habenda, lib. 1. cap. 2. parag. 7.
Zelus animarum in ſanctis viris, lib. 2. cap. 8. parag. 11.
Zelus animarum vt ſanctos viros à Deo ſeparet, lib. 2. cap. 8. par. 21.



# NOVVS INDEX RERVM NVNC DE-NVO ADDITVS.

## A.



Absentia Dei quæuis summè deploranda, lib. 1. cap 2. § 1.

Absentia Dei maximum tormentum est deuotæ animæ. lib. 1. cap. 10. parag. 6. lib. 4. cap. 2. parag 24.

Absente Deo, omnes res patiũtur vacuitatem, & vergunt in nihil lib 5 cap 7 par. 1.

Actiua vita non est de toto deserenda á contemplatiuis, lib. 1. cap. 8 par. 5.

Actiua vita sine contemplatiuo orationis nullos fructus parit, lib 4 cap. 1 parag. 2.

Afflictio. Vide verbum, persecutio.

Amicus verus, & stabilis est is, non qui fauet amici libito, sed qui fauet veritati, lib. 3 capit. 1. col. 2.

Amanti nullum maius tormentum esse potest, quàm disiungi ab amato, lib. 1. cap. 12 parag 10.

Amanti verò quiuis dolores, seu pœnæ toleratæ pro amato, deliciæ sunt, lib. 4. cap. 4. parag 14. lib. 4 cap. 5.

Amans verus desiderat sentire in se eosdẽ dolores amati, fol 351. col. 1. à parag 2.

Amans, & cognoscens Deum nil magis ambit, quàm vt ab omnibus eodem modo ametur, & cognoscatur, fol. 100 par. 3 fol. 150 parag. 11.

Animæ negocia tractanda sunt cum longo examine, & non subito euoluenda, lib. 4. cap 3 parag. 8.

Apostolus. Vide Prædicator Apostolicus.

Assuetus paruis, seu vitijs, seu virtutibus, non ibi sistet, sed finiet in maioribus, lib. 3 cap. 7 parag 15.

Assuetus magnis postea non hærebit in paruis, lib. 4. cap. 4 parag 2.

## B.

Beneficentia, & misericordia in pauperes prodit regium animum, lib. 1. cap. 8. col. 1. prope finem & lib 4. cap 5.

Beneficentia erga inimicos parat contra eosdem victoriam, lib. 2 cap. 7 col. 2.

Beneficentia summè deuincit cor hominis, lib 3 cap 4 col 1 prope finem.

Beneficentia etiam hostes deuincit, lib 4 capit 5. col 3. parag. 5.

Bona temporalia, & terrena. Vide mundus, & mundialia bona.

## C.

Castitati inimicantur agri, & quæuis locorum solitudo, fol 32. col 3. parag. 4

Castitas non in mundi gaudijs, sed in mœrore mortificationis delitescit, lib. 1 cap. 7. parag. 11.

Castitatem euertit nimia familiaritas, & multiloquia, lib. 1. cap 7 parag. 14. lib. 1. cap 7 parag. 23

Castitati soli debetur regnum, & dominium, lib. 1. cap. 7. parag 10. Allicit Deum, & detinet apud se, lib. 1. cap 7 col. 3 & 4.

Castitas, licèt Angelica, semper timeat á quauis vel minima occasione libidinis, lib. 1 c 7 parag 19. lib. 1. cap. 7. par. 56.

Castitas est germen immortalitatis, & incorruptionis, lib. 1. cap. 7. par. 49 lib 1. cap. 13 parag. 7.

Castis summa vigilantia est necessaria omni tempore, lib 1. cap. 8 col. 4. ad finem.

Castus sibi deber cauere etiam á remotissimis occasionibus, lib. 1. cap. 7. parag. 47 lib. 1. cap 8. col. 1. & 2.

Castus fugiat verba blanda, nam his assuetus cadet, lib. 1 cap. 7. col. 3 ad medium.

Castus tollat omnem suspicionem etiam letissimã, & famę summè cõsulat, l. 1. c 7. p 7.

Caſtus Deum ſemper habet commitem, & eſt eius deliciæ, lib. 1. cap 7. col. 3. parag. 4.
Chriſtus in Euchariſtia, nihil præter miſericordiam operatur, fol. 229 parag. 9.
Chriſtus ſibi aſſumſit omnes amaritudines, vt nobis ſolum reſtarent lætitiæ, lib 4. cap. 4. parag 9.
Chriſtus in cruce non diminutione, ſed ſummam exaltationem inuenit, lib. 4. cap. 5. parag. 36.
Chriſtus bellum gerit cum peccatore, lib. 2. cap 9. parag. 7.
Chriſtus citius, & magis ſenſit amoris vulnera quam crucis, & clauorum, lib. 1 c 4 para 2.
Chriſtus peccatori ſemper præſentiſsimus, lib 5. cap. 3. parag. 14.
Chriſtiana pax conſiſtit in pugnationibus, lib. 5. cap. 4. parag. 6.
Chriſtiano nihil glorioſus, quam à malis affligi, & odio haberi, lib. 5. c. 7. col 4. in initio.
Chriſtiano maximè commendabilis vnitas, & concordia, lib. 5. cap. 9 parag. 2.
Chriſtianus verus eſt, is qui ſemper manet idē in omni ſtatu florenti, & perturbato, lib. 5. cap. 9 parag. 3.
Chriſtianus quiſque ſibi perſuadet dolores, & perſecutiones eſſe pœnas inflictas pro peccatis, lib. 4. cap. 5 parag. 11.
Chriſtiana charitas, vt ferueat, conſideret in paupere, & hoſte cognationem naturæ, lib. 5 cap 9. parag. 4.
Chriſtianus nullam occaſionem ſinat elabi, ſuæ ſalutis acquirendæ, lib. 4. cap. 4. parag. 13.
Chriſtianus qui vult Deo placere laboret, & fugiat otium, lib. 5. cap. 6. col. 1. & 2.
Chriſtianus verus eſt ille, qui inſudat ſaluti proximorum, lib. 4 cap. 5. parag. 9.
Vide Verbum Fidelis.
Conſcientia bona ſemper ſecura, & libera ab omni timore, lib. 1. cap. 2. col. 4.
Conſcientia bona nullius, conſcientia peccati ſemper hilaris etiam in maximis afflictionibus, lib. 5. cap 4. col. 1. ad finem.
Concionibus, & Sacris lectionibus intereſſe vtiliſsimum eſt licet nihil ibi de nouo audias, quod antea non ſciueris, lib. 2. cap. 3. parag 13.
Colloquia ſancta Deum maximè atrahunt, & allicuint, lib. 2. cap. 11. parag. 8.
Confeſſarius independens, ſit â ſuis pœnitentibus; vt eos bene regat, lib 3 c. 4. parag 32.
Confeſſario tota conſcientia reuelanda eſt, & nihil debet celari, lib. 1. cap 7. col. 3.
Concordia. Vide vnio.
Conſuetudo omnes difficultates ſuperat, lib. 3. cap. 7. parag. 15.
Conſortium impij damno ſiſsimum, lib. 4. cap. 2. colum. 3. ante medium.
Contemplationis quies interrumpenda eſt quando id petit ſalus proximi, lib. 2. cap. 3. parag. 17. lib 2. cap. 8. parag 21.
Creaturæ nullam mercedem ſolent dare ſuis præter ſummam miſeriam, & ruinam, lib. 2. cap 8. parag. 9.
Creaturæ nulli proprium eſt fauere, & miſereri, ſed deſtruere, lib. 1. cap. 2. col. 3. propè finem.
Creaturarum affectus, & conſortium affert triſtitiam, & mœrorem, lib 4. c. 1. parag. 3.
Creaturam rationalem dedecet in alterius, quam Dei ſeruitute detineri, lib. 1. cap. 2. parag 12.
Crux, & dolores certiſsima ad cœlum via, lib. 4. cap. 4 parag. 12.
Crucis, & laborum ſectatores triumphabunt de hoſtibus, lib. 4. cap. 4. parag. 25.

D.

DEus ſolus replet hominem, lib. 5. cap. 8. col. 3 poſt medium, lib. 3. cap. 8. par 33. lib. 2. cap. 2. parag. 3.
Deus ſemper adeſt ſuis præſentiſsimus, lib. 5. cap. 8. parag. 3.
Deus odit gubernari, pro humano libito, lib. 5. cap. 8 parag 4.
Deus non reſpicit donum, ſed affectum donātis, lib. 3. cap. 2. parag. 2.
Dei præſentia cognoſcitur, ex eo quod inclinet in bonum, lib 3 cap. 2 parag. 13.
Deo proprium eſt benefacere, & miſereri in quod dignoſcitur á creaturis, lib. 3. cap. 3. parag. 4 lib 3. cap. 8. parag. 34. lib. 3. cap. 4. col 4. ad finem.
Deus pro vnius ſolius ſalute ſubire paratus eſt omnes dolores paſsionis, lib. 3 cap. 4. col. 1. propè medium.
Deum nihil magis exaltat, & magnificat, quā labores, & effuſio ſanguinis pro mundi vita, lib. 3. cap. 4 parag. 16. lib 5. cap. 7 col. 2. ad finem.
Deus ſe, & ſua in paruo taxat, vt ematur ab omnibus, lib. 3. cap. 4 parag. 28. lib. 4. cap. 3. parag. 2.
Deum nihil magis fatigat, quam peccatoris obduratio, lib 3. cap. 4. col. 3. à medio, lib. 1. cap. 9. col. 4 ad finem.
Dei poſſeſſor licet nihil aliud poſsideat felix eſt, lib. 3. cap 4. parag. 36.
Deo gratiſsima ſunt obſequia prompta, lib. 3. cap. 5. parag 6.
Deo nihil eſt dulcius, quam pati pro mundi vita, lib. 3. cap. 7. parag. 1.
Deus ijſdem medijs vtitur ad aſſecutionem ſuorum finium, quæ ab illius hoſtibus inuenta

uenta fuerant ad eorumdem finium deſtructionem, lib. 3. cap. 6 parag 6.
Deus non vult, niſi noſtrum cor, lib. 3. cap. 7. parag. 22.
Deus pro vno ſeruitio illi oblato maius nobis rependit in eodem genere, lib. 3. cap. 7. col. 4 propè finem.
Deus ſe dat ſuis totum, mundus verò non niſi fruſtatim, & per partes, lib 3 cap 8 parag. 3.
Dei ſolius in manibus omnia creſcunt in manibus creaturæ decreſcunt, lib. 3. cap 8. col. 1. & 2.
Deus ſolus implere hominem ſufficit, nec poteſt totus capi, lib. 3. cap 8 parag. 33.
Deus ſumme odit, quod eius gratia id agere recuſemus; quod ob creaturas libenter præſtamus, lib 1. cap 2 parag. 7,
Deus confert nobis maius beneficium præueniendo ſua gratia ne peccemus, & damnemur, quam ſi in peccatis, & inferis conſtitutos nos ex illis eriperet, lib. 1. cap. 4 parag. 19. & 20.
Deus ſolus valet rectè gubernare hominem, & ſub cuiuſcq; alterius cura deficiet, lib. 1. cap. 7. parag. 17.
Dei quodcumque donum ſaciat humanum appetitum, lib 1. cap. 7. parag. 18.
Deus ab ijs quibus confert ſua dona, & beneficia ſtrictiſsimam rationem poſtea exigit, lib. 1. cap 7 parag 26.
Dei ſpecialis præſentia animat ad magna, & extraordinaria, lib. 2. cap. 10. col. 3. ad medium, lib. 4. cap 2. col. 4 ad finem.
Deus non mouet ad otium; ſed ad laborem, lib 1. cap. 8. col 3.
Dei continua præſentia, & memoria hominẽ erigit à lapſu, & firmat ne iterum labatur, lib 1. cap. 4 parag. 4. lib. 4. cap. 6 col. 2.
Dei potentia eluceſcit in eo, quod per eadem media reparat damna, per quæ illata ſunt, fol. 67 parag. 6.
Deus pro in gentibus beneficijs non expectat à nobis aliud præter exaltationem ſui nominis, lib 1. cap. 9. parag 7.
Dei nomen ſumma cum reuerentia tractandum eſt, lib. 1. cap 9 parag 7.
Deus ſibi ſoli reſeruat opprobria, & cruciatus glorias vero cum alijs communicat, lib. 1. cap. 9. para 10.
Deus ſolus eſt firmus amicus qui nunquam amicum deſerit, fol. 70. parag 12.
Dei potentia oſtenditur in eo, quod per media infirma attingat fines altiſsimos, lib. 1. cap 12 col 3 propè finem.
Deus ſumme ſentit impediri ne beneficiat homini, lib. 2 cap 1 parag 2.
Dei maxima gloria non in maieſtate, ſed in humilitate eluceſcit, lib, 2. cap-2. parag 8.
Deus vult poſsidere ſolus noſtros omnes affectus, & non admittit ſecum conſortiũ creaturæ, lib 1. cap 7. parag. 8. col. 1. lib. 2. cap. 8. col. 2.
Deus tanto amore fertur in humanum genus, vt qui Deum amat, & cognoſcit neceſſario etiam feratur in amorem proximi, lib 2. cap. 3 parag. 3.
Deo aureſcit gloria ex condonatione peccatoris, lib 2. cap. 3. parag 6. lib 1. cap. 2 col 1.
Dei gloria magis illuſtratur à nomine blando patris quam à fulgore deitatis, lib. 2. cap. 3. col. 3.
Deo nihil ſuauius accidit, quam effundere ſanguinem ob vitam mundi, lib. 2. cap. 4 col. 3. & 4.
Deus confundit fortia per infirma, lib. 2. cap. 8. parag 8
Deus non ſe facilè credit niſi ſegregatis à mundi tumultu, lib 2. cap 8 parag. 12.
Deus multo magis dat quam promittit, lib. 2. cap 8 parag 13.
Deus nunquam glorioſior quam inter vulnera, & paſsiones, lib. 2. cap. 8. col. 2. ad medium, lib 2 cap 8 col 3. ad finem.
Deus ſolus affert ſecum gaudium ſtabile, & perpetuum, lib. 2. cap. 7. parag. 1.
Dei promiſsis facta adiunguntur, lib. 2. cap. 10 col 3 propè finem.
Deus ſæpè etiam à iuſto ſe ſubtrahit auferendo ſuas ſpeciales, & diuinas conſolationes, lib. 2. cap. 11 parag 1.
Deus ſolus benefacit, ſine ſpe mercedis, lib 4. cap. 5 col. 1.
Deus magis vult dici pater quam iudex, lib. 4. cap. 5 parag 32.
Deus per vocem clementiæ, & miſericordiæ cognoſcitur, lib. 4. cap 5 col 4 ad finem.
Deus non poteſt ceſſare à benefaciendo homini, lib 4 cap, 8. col. 2. ante medium.
Deus adeò bonus, vt propter ſe ſolum à ſuis diligatur, lib 5 cap. 1. parag. 2.
Deus paſcitur, & inuenitur in paupere, lib. 5. cap. 1. parag. 12. lib. 5. cap. 3. col 2.
Deus inter cruces, & afflictiones inuenien-dus, lib. 5. cap, 3. parag. 1.
Deus cum antiquis amicis videtur ſæpè durius agere quàm cum nouis, lib. 5 cap 3. col. 2 ad finem.
Deum nihil citius trahit, & allicit ſicut cruces & paſsiones, lib. 5 cap. 4. col. 2. à medio.
Deus ſuis amicis nõ dat minus quam ſeipſum, lib. 5 cap 5 parag. 5.
Deus ita ſuos amat, vt pro miraculo habeatur ab illis abeſſe, lib. 5. cap. 7 parag. 7.
Deus nunquam diſcedit ab aliquo, niſi vi & coactus, lib 5 cap. 7. parag 7.
Diuina dona malè expenſa ſeruiunt ad maio-rem

rem condemnationem hominis, lib 3.cap. 8 parag.39.lib.1.cap.2.col.2 ad finem.
Diuina dona,& fauores sunt semper communia,& proficua pluribus,lib.3.cap.9.col.3. propè finem.lib 4.cap 1.para.2. lib.1. cap. 7.par.7.lib 2.cap. 3.parag.5. lib.2. cap 9. col 3.lib.2. cap 11 parag.2.
Diuinum est,non se cõtentare paruis; sed semper aspirare ad magna, lib. 5. cap. 1. parag. 13.
Diuina consolatio, & visitatio cum patientia, & longanimitate expectanda, lib.5. cap.3. parag.7.
Diuina dona, debent in nobis causare timorem,& humilitatem nam quo maiora, maior postea de illis ratio exigetur, lib.3.cap. 8.parag.7.lib.1.cap.2.col 2.lib.3 cap.2.parag.15.lib. 1.cap.7.parag 31. lib. 5.cap.7. parag.10.lib 5.cap.8.parag.11.
Diuina visitatio licèt differatur aderit tamen illis tandem qui perseuerant orando, lib. 1. cap.10.parag.7.
Diuinum quodcumque, vel vnum Dei nomen sufficiens est hominem cumulare mille bonis,lib.2.cap.6.parag.4.lib.1. cap.7. parag. 18.
Diuina dona,& fauores nemo sibi solis arroget,lib.5.c.8.par. 12. lib. 3. cap. 9. parag.2.
Dei amatores non se immiscеant negocijs,& colloquijs; sed magis studeant quieti, & silentio contemplationis,lib.1.cap.7.par.23.
Dolores Vide Verbum Persecutio.
Diuisio, & multiplicitas causa omnis ruinæ, & miseriæ,lib.2.cap.8 col 3.
Discordia, & disunio Vide Verbũ Solus.
Diabolus Vide Verbum Mundus.
Diabolicum est abijcere propinquorum, & affinium curam,lib 1.cap.8.col 1.
Deuotiones solitę non nisi grauissimis de causis interrumpendæ, lib.1.cap.7.col.1.
Deũotiones solitas nemo licet peccator deserat, sic enim facilius à peccatis extrahetur, lib.5.cap.3.parag.26.
Desperet nullꝰ de diuina misericordia nã quo maiora sunt peccata eo maior Deo gloria accrescit illa condonando.lib 1.cap.2 col.1.
Deci iudicij nunquam meminisse signum est reprobi, lib.3.cap.7.parag.12.
Diuitias, & bona tẽporalia semper cõmitãtur ruinę,& mille miserię,lib.3 cap.2.parag.22.
Diuitiæ áDeo auertunt cor hominis,& ad sui adorationem conuertunt, lib 3.c 2.par.23.
Diues maximã pœnã sentit in eo, quod cogatur pauper discedere ab hac vita dum alij ex eius nummis diuitescunt, lib.3 cap.1.parag.6.
Dilectio fortis est,vt mors nã qui vere diligit, mortem cum dilecto suauorẽ ducet quã vitam sine dilecto, lib.1.cap.13.col.1.& 2.

E.

Ecclesiastici vestium molliciei, & luxũ assueti Christum illudunt,lib.4.cap.3.parag. 20.
Ecclesiam violare paruis locutionibus,& peccatis Deo summe exosum, lib 2.cap.11 parag 7.
Eucharistia non debet summi, nisi præmissa longa,& diligenti præparatione,lib.1.cap. 5.col.3.
Eucharistiæ sumtionem debet præire passionum omnium,& affectuum malorum extirpatio, lib.4.cap.8.parag.5.lib.3.cap.8 col. 1.in initio, lib.3.cap.8.col 3.in initio,lib.3. parag.26.lib.3.cap.8 parag.41.
Eucharistiam non frequentare est signum reprobi, lib 3.cap.8 parag.11.
Eucharistia clamat pro omnibus misericordiam,lib.3.cap 8.parag.9.
Eucharistia est perfectio omnis boni, & felicitatis,lib.3.cap.8.col.2.ad finem.
Eucharistia creat magnos,& excelsos animos, lib.3.cap.8.parag.18 lib.3.c.8.parag.37.
Eucharistię sumtionem debet præire summa mundicies à peccatis,lib.3.cap.8 parag.24.
Eucharistia maiores fructus edit cum recolitur memoria passionis Christi, lib.3.cap.8. parag. 25.
Eucharistia immortalitatem parat sumentibus digne,lib.3.cap.8.col.1.& 2.
Eucharistia dæmones fugat, lib.3.c.8. col.3.
Eucharistia refectum non ad altas virtutes se efferre,sed veteri insistere vitæ signum est reprobi, lib.3.cap.8.parag.31.
Eucharistia non est cibus pro ociosis, sed pro laborantibus,lib.3.cap.8.parag.35.
Exemplum Regis, & Prælati efficaciſsimum, lib 1.cap 13.col.2.ad medium, lib.2.cap.3. col.4 parag.2.lib.3.cap.1.parag.9.
Vide Rex,& Prælatus.
Exemplum malorum magis damnosum quã omnis tentatio dæmonis, lib.4.cap.1. parag. 20.
Exemplum malorum efficaciſsimum, lib. 4. cap.1.parag.20.lib 4.cap. 5. parag. 15. lib. 2.cap.10.parag.11.
Exemplum quodcumque efficaciſsimum,lib. 3.c 6.col.3.lib.3. c.7.par.27.lib.4.cap.5. col.4.in initio.

F.

Familiaritas intima cum sanctiſsima Virgine transfert homines in Deos, lib.1.cap. 1.col.2.& 3.
Familiaritas nimia parit contemtum, lib. 1. cap.7.parag.14.

Famæ quinis vir sanctus debet summè consulere, lib. 1. cap. 7. parag 6.
Fauores diuini, & virtutes vni soli, scilicet Superiori, & Confessario reuelari debent; defectus autem palam omnibus manifestandi, lib. 1. cap. 7 par. 43.
Fides nunquam magis crescit, quàm inter cruentas persecutiones, lib 5 cap. 5. par 4.
Fidei mysteria simpliciter credenda, & non rationibus curiosè scrutanda, lib. 5 cap. 6. parag. 1.
Fidelis nullus cupiat sibi soli Deum seruare; sed eum etiam alijs ostendat, lib 1. cap. 11. col 1.
Fidelis qui sperat Deo aliquando frui, erubescat vsquam frui mundanis, lib. 3 cap 1. col. 3. á medio.
Fidelis nouiter conuersus ad Deum, non statim præsumat vitam agere expertem omnis luctæ, & tentationis, lib 3. cap. 2 par 3.
Fidelis dum ex suis viribus aliquid potest, vanè recurrit ad Deum, vt solus agat, lib. 3. cap. 2. par. 18.
Fidelis. Vide, Iustus.

G.

Gloria cœlestis tanta est, vt ad illam sustinendam necesse sit roborari â Deo, lib. 3 cap 4 par. 34.
Gloria non datur, nisi laborantibus, lib. 5. capit 1. col. 4. circa finem.
Grati Dei munitus quinis pauperculus, securior, ac fortior est omnibus mundi Regibus illa nudatis, Vide Iustus, lib 1. cap. 7. parag. 31.
Gratia Dei sola valet reddere hominem perfectum, lib. 1. cap. 7. par. 32.
Gratia Dei munitus nihil timet, & est semper securus, lib. 3 cap. 1 col 2 á medio, lib. 5 capit 3 col 3 ad finem
Gula destruit omnes virtutes, lib. 3. cap. 2 parag 4.

H.

Homo. Vide Creatura.
Homo ex se semper tendit in sui ruinã, lib 3 cap. 4 par 23 lib. 3 cap 9 par 10.
Homo inter omnes creaturas crudelissimus, & maximè timendus, lib. 5 cap 4 par 1.
Homo auscultet voluntati, & inspirationi diuinæ, vbi quàm periculosum sit Deum velle ad suum libitum trahere, lib. 5. cap. 8. col. 2. lib 3 cap 4 par 24.
Hominis summa dignitas, lib. 3. cap. 4. lib 2. cap 3.
Honores, & dignitates reddunt creaturas omnes insolentes, lib 2. cap 4. par 17.
Horrenda facinora non sunt palam prædicanda, vtpote pijs auribus offensiua, lib. 5. cap. 3 par. 6.
Humilis, & submissus animus Deum allicit, & deuincit, lib 1. cap. 7. par 55.
Humilitas Deum ipsum exaltat, roborat, & magnificat, lib. 2 cap 2 par. 8. lib 2. cap 2. par. 11. lib. 3 cap. 2 par. 16 lib. 5. cap. 2. parag 4.
Humilis quo magis se abscondit, & humiliat, eo eum Deus magis exaltat, & manifestat, lib 2. cap. 7. par. 7.
Humilis se omnibus postponit, & periculosum est vel vni se præferre, lib 4 cap 3. colum 4.
Humilitas, & submissio iusti valde terribilis, & tremenda est mundano, lib. 3 cap. 8 parag 8.
Humilitas, & submissio inter prospera rerum, inter aduersa magnus animus prodatur, libro 3 cap 6. par. 1.
Humilitas semper suos exaltat, & magnificat, lib 3. cap 7. col 1. ad medium.
Humilitas maximè torquet superbos, lib. 4. cap. 6 col 4. ad finem.
Humilitas & propriè vilitatis memoria Prælato, & Superiori maximè necessaria, lib. 5. cap. 6. par 7.

I.

Ieiunium. Vide verbum Pœnitentia.
Ieiunium, & carnis macceratio Dæmoni multò terribilior, quàm maiestas, & magnificentia, lib 3 cap 2. par. 4
Iesus totam clamat misericordiam, lib 4 cap. 5 par 1. lib 2. cap. 4. col. 4. ad finem.
Iesus à quouis facilè inuenitur, lib 4. cap. 10. col. 4 ante medium.
Iesus totus gratia, salus, suauitas, lib 3. cap 7. col 1. lib. 3. cap. 7. par. 6. lib. 4. cap. 3 col. 4. prope finem.
Iesus non tenetur securè, nisi inter persecutiones, labores, certamina, lib 2 cap 5 par 9.
Iesu nomen sanctum inuocemus, & dilatemus, nam vel ad nomen Iesu omnia nobis felicia obueniunt, lib. 2 cap. 5. par. 4. lib. 2. cap. 6. par 4.
Impudicum adeo odit Deus, vt nec dignetur illium nominare, & cognoscere, lib. 1. cap 7. col. 2.
Impudici omnes Deum vellent è medio tollere, & alios Deos de nouo creare, lib. 1. capit 7. par. 5.
Imperfecti detineant se in meditatione extremorum, & peccatorũ, & non statim perant alta, li. 5. c. 1. p. 3.

Iudex ne ſuſpectus ſit, recuſet munera, lib. 3 capit. 4 col. 3. ante medium.
Iudex, & Superior nullum condemnet indicta cauſa, lib. 4 cap. 3. par. 14.
Iudicij dies, & ſtricta ratio quæ tunc exigetur, ſemper habenda præ oculis, lib. 1. cap. 7. par. 3.
Iudicij dies quàm terribilis, lib 3. cap. 6. parag 8.
Iudicio proprio, & priuatis reuelationibus nemo fidat, ſed committat ſe doctrinæ Sanctorum Patrum, lib 5. cap 8. par. 12.
Ioſeph adeo ſanctus, & ſublimis vt Deitas ipſa ſibi timeat ab eius veris titulis, & ideo vocatur vir, & non ſponſus Mariæ, lib. 1. cap. 1. col. 2 & 3.
Ioſeph ſplendor tantus, vt ab eo, tanquam à Sole mutuetur lumen ſanctiſsima Virgo, lib. 1. cap. 1. par. 2.
Ioſeph præ omni hominum multitudine exiſtente, & poſsibili eligitur in Virginis ſponſum, quia alium non potuerit Deus inuenire, aut facere digniorem, lib. 1. cap 1. par. 3. lib 1 cap 2 par 9.
Ioſeph debemus accelerationem incarnationis, vtpote qui Deum ſua virtute traxit in mundum, lib. 1. cap 2 par 9.
Iuſtus, & ſeruus Dei beatior omnibus Regibus, lib. 5 cap 5 col 1 & 2.
Iuſtus, cui Deus ſemper præſentiſsimus adeſt, & qui meré Deum quærit in omnibus, nihil habet quod timeat in quauis rerum perturbatione, lib. 3. cap. 5 par 16 lib 4. cap 3 par. 22. lib. 1. cap. 2 col 4 lib 2 cap 7 par. 1. lib 2. cap. 3. par 2. lib. 3. ca. 1. col. 2 à medio, lib. 3. cap. 2. par 4.
Iuſto omnes creaturæ famulantur, lib. 3. cap. 5 par. 3 à medio.
Iuſtus non ſpeculatur curioſe aliorum conſcientias, ſed ſibi ſoli timet, ac ſe circumſpicit, lib 3. cap. 6. par. 4. lib. 3. cap. 6. pàr. 5.
Iuſtus ſemper timere debet, & ſuſpectus eſt qui deſinit timere, lib. 4. cap. 2. par. 3. lib. 4. cap 3 par 10.
Iuſti, & amici lapſum maximè ſentit Deus, libro 4. cap. 2. par. 17. lib. 4 cap. 1. par 19.
Iuſti vnius lapſus omnibus debet incutere timorem, lib. 4. cap. 3. par. 10.
Iuſti lapſus plurimos poſt ſe trahit, lib. 4. cap. 5. par 22.
Iuſtus dum viuit, timeat, & pugnet contra hoſtes, lib. 4. cap 4 par 8
Iuſto beatior dies mortis, quàm natiuitatis, lib. 6. cap 1. par. 8.
Iuſtus nunquam fortior, & liberalior, quàm inter afflictiones, & vulnera, lib. 4. cap. 3. par. 24.
Iuſtus ab omni corruptione liber, lib. 4. cap. 4 parag. 78.
Iuſtus ſpectaculum hilare, lib. 5. cap. 4. parag. 10.
Iuſtus alijs hoſtibus inſuperabilis, à ſe tamen timeat, lib. 3. cap. 2 par 15
Iuſtum Deus magis æſtimat, quàm cæteras omnes creaturas, lib 3 cap 4. par 7.
Iuſtus, & fidelis nihil facit iacturam bonorum temporalium, dum lucretur æterna, lib. 5. cap 1 par 17
Iuſtus gaudet examine ſuarum actionum, ſecus peccator, lib. 5 cap 7. par. 14.

## L.

Laudes proprias nemo audiat, ni ſequatur vana gloria, lib 1 cap 7 par 25.
Lacrymæ recta ducunt ad cœlum, lib. 2. cap. 2 par 12
Lacrymæ, & dolores Deum ad ſe attrahunt, lib 2 cap 11 par. 9 lib 5 cap. 8. par. 2.
Leges communes ſub nullo prætextu violandæ, aut diſsimulandæ, lib. 5. cap 7. parag. 1.

## M.

Magna qui ſemel vicit, dedignetur vnquã in paruis hærere, lib 4 cap 6 par. 2.
Maria placat Deum quando iratcitur, lib. 1. capit 5. par. 8.
Mariæ Deus contulit maius beneficium, & perfectius redimit, præueniendo ne peccaret originaliter, quàm ſi poſt peccatum liberaſſet idem, lib. 1. cap 4 par. 19 & 20.
Maria reſtaurat quicquid Eua perdidit, lib. 1. cap 5. par. 1.
Maria quaſi à Deo aſſumitur ad perficiendam naturam diuinam, dum ſupplet ſterilitatem Spiritus ſancti in generanda perſona diuina, lib. 1 cap. 6. par. 2.
Maria illuminat homines ne cadant, lib. 1. capit. 7. par. 12.
Mariæ ſanctitatem Diuinitas ipſa reueretur, lib. 1. cap. 7. par. 46. medium.
Mariæ gratia, & ſublimitas tanta eſt, vt timeat ipſa Deitas ne habeatur pro natura diuina, & ideo deſponſatur Ioſeph, lib. 1. cap. 7 parag. 7
Mariæ ſuperabundans gratia ſufficiens fuit ad replendum omnes creaturas, & etiam ipſum Deum, lib 1 cap 7. par. 6.
Mariæ conſortio non eſt deiecta Diuinitas, ſed ſummè exaltata, lib. 1. cap. 7. par 38. & 39.
Maria Deo tam grata fuit, vt magis glorietur de temporali generatione, quam habuit à matre, quàm de æterna, quam à patre habuit, lib. 4.

lib.1.cap.7.parag.40.colum.4.
Maria filij diuini perfectionum æmulatrix, libro 1.cap.3.par.9.
Maria capatior ad complectendum Deum, quàm totum cælum,lib.1.cap.9.par.1.
Maria est ipsa gratia sanctificans, lib.1.cap.8. par.8
Mariæ nomen arcanum est, sicut nomẽ Dei, lib.1 cap 8.par.5.
Maria sola maiori abundat gratia, quàm omnes Angeli,& puri homines simul,lib.1.capit.10.par.1.
Mariæ in manibus omnia crescunt, lib.1.cap. 11.par.5.
Maria tanto amore ferebatur in homines, vt pro eorum salute non recusauerit Filium vnigenitum proprijs manibus afferre morti,lib.1.cap.12.par 2.
Maria nihil etiam contulit proprio Filio, nisi quod postea redundaret in nostram vtilitatem,lib.1.cap.12 par.2.
Maria omnia saporat, & ipta mala vertit in bonum,lib.1.cap.13 par 3.
Mariæ Deus dedit omne suum dominium,& imperium misericordiæ, lib.1. cap. 13. parag.11.
Mariæ proprium est consolari,& illustrare genus humanum,lib 5 cap.7.par.9.
Martyrium, & persecutio est pretiosissimum, quod Deus potest mortalibus in hac vita conferre,lib 1 cap.13.par.1.
Misericordia in pauperes debet esse promptissima, vbi quàm Deus irascitur ijs,qui tardant misereri,lib 3 cap 5 par 7.
Misericordia solo Deo,& non ab aliqua creatura expectanda est,lib.3 cap.8 par.9.
Misericordia in pauperes Deo gratissima,lib. 3.cap.5.par.5.
Misericordia vera non limitatur ad determinatas personas; sed ad omnes pauperes indiscriminatim extenditur, lib. 4. cap.3. parag.11.
Misericors verè is est, qui sibi durus est, vt alios lucretur,lib.4.cap 3.col 3.
Misericors verus dum miseretur,amat abscondi,ne cognoscatur,lib.1.cap.8.par 12.
Misericordia in pauperes delet peccata, lib.5. cap 1.par.13.
Mors post Christi mortem non est tremenda,sed gloriosa,lib.5.cap.1.par.6.lib.4.capit 5.par.35.
Mors non est timenda,vtpote ducens ad gloriam,lib 5 cap.1.par.14.
Morti qui appropinquant, toti intenti sint Deo,lib 5 cap 3 par.12.
Mors viro iusto dulcissima,& optatissima,lib. 2 cap.9 par.4.
Mortis memoria efficacissima ad pariendum contemptum mundi,lib.3.cap.4.par.21.
Mortis contemptor de morte triumphabit, lib.3 cap 4.par.33.
Mulierum munus est obedire, & discere,non docere,lib 4 cap.2 par.4.
Mulierum munera corrumpunt,& quasi vim inferunt,lib 4 cap.3.par.25.
Mulierum omne auxilium fugiendum, & suspectum,lib.4.cap 2 par.5.
Multiloquia maximè inimica sunt toti virtuti, lib 1 cap 7.par 23.
Mundus totus nihil valet reddere perfectum; sed mille scatens imperfectionibus,& defectibus lib.1.cap.7.par.32.
Mundi, & Diaboli sectatores non expectent ab his aliam mercedem, quàm ruinam, & miseriam lib.3 cap.2.par.12.& lib.4.cap.5 par 7 & lib.5.cap.5 par.1.
Mundus,& Diabolus nihil vendunt, nisi pretio charissimo,lib 3.cap.2 par.21.
Mundana bona vana,& transitoria,lib.3.cap. 4 par 14.
Mundanum omne, & quicquid hic capi potest,parum est,lib.3 cap.4.par.22.
Mundanus,qui summo studore emit bona tẽporalia, recusat vel parum offerre pro lucrando Deo,lib.3.cap.4.par.27.
Mundus,& Diabolus semper suos deserunt in extrema necessitate,lib 3.cap 7.par.11.
Mundana omnia & temporalia vilia sunt respectu cœlestium,lib 4 cap 3 par.3.
Mundana omnia, & temporalia verè sunt res contemptibiles, & ludicræ puerorum.lib. 4.cap 3 par.33.
Mundana omnia plena spinis, & afflictionibus, lib 4 cap.3.par 37. & lib.5.cap.2.parag 2.
Mundana, & tempotalia bona animos possidentium angustant,& deprimunt,lib 2.capit 8.par.18.
Mundana,& terrestria contemnenda ab ijs qui aspirant ad cœlestia,lib.5.cap.7.par.6.
Mundana, & terrestria tunc maximè vincuntur, quando contemnuntur, lib.5. cap.8. parag.3.
Mundana omnia, & terrestria difficilia inuenire, dum diuina semper sunt præsto, & præ manibus,lib.5.cap.8 par.3.

N.

NOuum omne, licèt infantile, placet,& allicit,lib.2.cap 2 parag.
Nobilis nulla re magis nobilitatur,quàm humilitate,lib.5.cap.2.parag.4.

## O.

OBedientia extollit, & eleuat quoduis opus licèt leuiſsimum, & abiectiſsimum, lib 2 cap. 11. par. 11.

Obedientia quæuis, licèt in minimis, regalia præmia ſolicitat, lib. 3 cap. 5. par. 14.

Obedientiæ opus ſemper perficiendum, nam in illo ſtat noſtra ſalus, lib. 4 cap. 1. par. 6.

Obediendum eſt Deo vocanti vſque ad profuſionem ſanguinis. lib. 4 cap. 1. par 9.

Obediendum ęqué eſt ſuperiori impio, ac vili, quàm pio, & excellenti, lib. 4. cap 3 parag. 16.

Occaſiones peccati omnes remouendæ, lib. 2 cap. 10 par. 12.

Occaſiones peccati, pericula, & tentationes nemo vltrò, ſed miſſus aggrediatur, lib. 4. cap. 4 par. 1.

Occaſio ſalutis procurandæ omitti non debet, ne poſtea non poſsit inueniri, lib. 4. capit. 4 par. 14.

Officio quiſque attendat ſuo, & non ſe immiſceat alieno, lib. 3. cap. 4 par 25.

Opera Deum venerantur, & non ſola deſideria, lib. 4 cap. 3 par 17.

Opera ſola placent Deo, & non verba vel amplituli lib. 4 cap. 4. par. 21.

Oratio illa magis grata eſt, & efficax, quę funditur inter templa, & parietes religioſos, quàm inter domus priuatas, lib. 1. cap. 6 parag. 8.

Orans ſi vult impetrare, petat non ſibi ſolum, ſed proximis; nam beneficia diuina gaudẽt eſſe communia, & proficua pluribus, lib. 1. cap 7. par. 8.

Oratio patiens, & longanimis nunquam fruſtratur, lib. 1 cap. 10 par. 7.

Orationes noſtræ offerantur Deo per manus ſanctiſsimæ Virginis, nam ſic certiſsimè impetrabunt, lib. 3 cap 8 par. 16.

Oratio illius eſt efficaciſsima, qui ſoli Deo vacans exuit omnes affectus humanos, lib. 4. cap. 1. par. 6.

Oratio velociſsimè impetrat, ibidem.

Oratio ita Deo grata eſt, vt ſæpe differat concedere quod petitur, quo acrior, & longior fiat, lib. 4. cap. 1. par. 8.

Orare qui vult ſine diſtractione, cogitet Paſſionem Chriſti Domini, lib. 4. cap. 3. parag. 36.

Oratio illa, & deuotiones Deo gratiſsimæ ſunt, & facilius obtinent, quæ cum multis exercentur, lib. 5. cap. 4 par. 2.

## P.

PAſsionis Chriſti meditatio efficaciſsima contra omnes tentationes, lib. 2. cap. 4. parag. 5.

Patiens vir dignum exhibet toto mundo ſpectaculum, lib. 4. cap. 4. par 22.

Patienter ſufferre dolores, & pœnas inflictas ſine cauſa, diuinum eſt, lib. 4. cap. 4 parag. 15.

Patientia inter calumnias, & opprobria prodit animum ſummæ virtutis, lib. 4. cap. 2. par. 10.

Pœnitentia apud Deum nulla ſerò venit, lib. 5. cap. 7 par. 14.

Pœnitentia, & peccatorum caſtigatio Deo gratiſsima, lib. 2. cap. 10. par. 1.

Pœnitentia, & vitæ aſperitas ſunt ſolæ ſemitæ, quæ ducunt ad ſalutem, lib. 1. cap. 5 parag 2. & lib. 5. cap 4. par. 9.

Pœnitentia dilata ad extremum vitæ ſuſpecta eſt, lib. 4. cap 3 par. 6. 8. & 9. & lib. 4. cap. 4. par. 14.

Pœnitentia, & peccatorum caſtigatio homini glorioſiſsima, lib. 4 cap 3 par 31.

Pœnitens verè non eſt, qui rogat alios, vt ſe affliga: pro illius peccatis; ipſe tamen interim ſtat ociosus, lib. 5 cap. 2. par. 5.

Peccatorem nulla res ſic torquet, ac conſortium iuſtorum, lib. 5 cap 2 parag 7.

Peccator ſibi maximè carnifex, lib. 5. cap. 3. parag 4.

Peccatoris inconſtantia, & miſerrimus finis, lib 3. cap 9 par. 6.

Peccatori magnum beneficium confertur, dũ non diu toleratur, ſed breui à Deo reſcinditur, lib 3. cap. 9. par. 7.

Peccatum quoduis mortiferum deſtruit in inſtanti quod labore multorum annorũ comparatum fuerat, lib 3. cap. 9 par 11.

Peccatorem nunquam Deus de toto deſerit in hac vita, quin poſsit reſipiſcere, lib 4 capit. 1. par 12.

Peccatorẽ non ſtatim puniri, ſed foueri à Deo, maximum ſupplicium eſt, lib 4. cap. 1. parag. 14.

Peccator dum à Deo deſciſcit, incidit in mille miſerias, ac inquietudines, lib. 4. cap 1. par. 21. lib 3 cap 4. par. 26.

Peccator is felix eſt, cuius peccata ſtatim puniuntur, lib 4 cap. 2 par. 21.

Peccatori verruntur in ſupplicium eadem media, quæ ſumpſit ad peccandum, lib 4. cap. 2. par. 1.

Peccator ſemper inconſtans, & timidus, lib 4 cap. 3. par 22.

Peccata proximorum celanda ſunt, & ſuauiter

ter castiganda. Vide verbum, Superior.
Peccata quasi ex iustitia exigunt condonari à Deo, lib. 1. cap. 2 par 6.
Peccator ereptus è peccato plus debet Deo, quàm si ereptus fuisset ex inferis pœnis peccatorum, lib. 1. cap 4 par. 19. & 20.
Peccatorem adeo Deus odit, vt nec illum dignetur nominare, & cognoscere, lib. 1. cap. 7. parag 3.
Peccatoris habitus nõ debet esse alius, quàm dolor, & pœnitentia, lib 1 cap. 8 par 10.
Peccatoris obstinacia Deum magis fatigat, quàm tota mundi machina, lib 1. cap. 9. parag. 9.
Peccator primus est, qui dissoluit amicitiam, & Deus primus est, qui illam redintegrat, libro 2 cap. 1 par. 3
Peccator nullus desperet de Dei misericordia; nam quo maiora peccata, eo accrescit Deo gloria ex eorum condonatione, lib. 2. cap. 3. par. 6.
Peccatorem omnes creaturæ paratæ sunt punire, & de illo vindictam sumere, lib. 2. capit. 3. par. 2. & lib 4. cap. 5. par. 34.
Peccata proximorum quantum possumus, debemus excusare, & obliuisci, & solum inspicere eorum virtutes, lib. 3. cap. 7. parag. 6.
Peccator qui agnoscit peccatum, facilius resurget, lib. 2. cap. 10. parag. 3. & lib 4. cap. 5. parag. 10.
Peccatis adhærere in consortio Sanctorum, signum est reprobi, lib. 2. cap. 10 par. 8. & lib. 5. cap 1 par. 16.
Peccatoris consortium vitandum, ne simul cum illo puniamur, lib 2. cap 10. par. 10.
Peccatoris consortium efficacissimum ad perue tendum. Vide exemplum malorum.
Peccati quęuis minima vmbra & occasio detestanda, lib. 3 cap 2. par. 9. Vide, Occasio.
Peccati mortiferi poenam, & grauitatem qui semel agnoscit, non solum id detestabitur, sed etiam quoduis veniale, vtpote remotè ad illud disponens lib. 3. cap. 2 par 94.
Peccatorum castigatio nos reddit Deo conspicabiles, lib. 3. cap. 5 par. 2.
Peccata subditorum non statim publicanda, sed illis solis aperienda suauiter; sic enim facilè corrigentur, lib. 3. cap 6 par 2.
Peccati deformitas palam in lucem trahenda, vbi quàm Deum offendat peccata deaurare, lib 4 cap. 4 par. 12.
Peccatum omnibus terribile, nisi soli peccatori, vbi quàm tremendum sit peccata non agnoscere, lib. 3 cap 6 par 9.
Peccator tunc maximè punitur, quando fouetur, & eius peccata relinquuntur hîc impunita, lib. 3. cap. 7. par. 9.
Persecutionibus, & tribulationibus assuetus nihil mortem timebit, lib 2. cap. 4 par. 6.
Persecutio, & afflictio principium omnis felicitatis Christianæ, lib. 2 cap. 4. par. 7.
Persecutionibus crescit virtus Christiana, & fit robustior, ac tremenda ipsis persecutoribus, lib. 2. cap. 7. par. 2. lib. 2. cap 10 par. 5 lib. 4 cap 5. par. 18. & lib. 5. cap. 5 par. 4.
Persecutiones, dolores, & poenæ hominem exaltant, lib. 2. cap. 8. par. 20.
Persecutor. Vide, Tyrannus.
Persecutiones, dolores, & afflictiones dona sunt pretiosissima Dei, lib 2. cap. 10 par 13 lib. 1. cap 12 par. 1. lib. 4. cap. 1 par. 5 lib. 3. cap. 4 par. 4.
Persecutiones, & dolores semper sequitur diuina visitatio, lib. 1. cap. 13. par. 9.
Persecutiones sufferre gloriosissimum reddit etiam ipsum Deum, lib. 4. cap. 3 par 2.
Persecutionibus non minuitur, sed augetur numerus credentium, ibidem.
Persecutio, & afflictio signum est amici, & filij Dei, lib. 4. cap 4 par 7.
Persecutione iactatis citissimo adest Deus, libro 4 cap. 5 par. 24. lib 4. cap. 5. par. 1 lib. 3. cap. 3 par. 5. lib. 3 cap. 5 par. 13.
Persecutio, & afflictio rectè ducit ad coelum, lib. 4 cap. 5. par. 8. lib. 3. cap 1. par. 1. lib. 4. cap. 4. par 4.
Persecutiones, & dolores non impediunt, sed faciunt hominem anxium de salute proximorum, lib. 4 cap. 5 par. 1.
Persecutiones, & dolores semper comitantur iustum, lib 3. cap 2. par 6.
Persecutiones, & dolores cum patientia tolerandi, vtpotè à Deo missi, lib 3 cap. 2. par 7.
Persecutiones, & poenæ Deum semper habent comitem, secus ac maiestas, & magnificentia, lib 3. cap. 2. par. 24.
Persecutiones, & afflictiones subire pro Deo, magis glorioſum, & optandum est, quàm frui ipso Deo lib 3. cap. 4. par. 4.
Persecutiones, & pericula non temere adeunda, ac vbi à Deo mittuntur, magno animo subeunda, lib. 4. cap. 3 par. 1.
Persecutio, & afflictio illum solum reddit beatum, qui voluntariè Dei gratia illas patitur, & non qui coactè, lib. 4. cap 4 par. 3.
Persecutione afflicti Dei ergo, non festinent liberari, vsque dum ipse Deus eos liberet, lib 4. cap. 4 par 24.
Persecutione afflictis iure debetur regnũ perpetuum, lib. 4. cap. 4 par. 18.
Perseuerantia nunquam frustratur, lib 4. cap. 4 par 25 lib. 4. cap. 1. par. 4. lib 1 cap. 7. parag 7. lib. 2. cap 7. par. 3
Perseuerantia sola coronat opus, lib. 4. cap. 5 par. 30.

Perfectus. Vide Iustus.
Perfectus, & sanctus est is, qui status sui omnes regulas rectè obseruat; & suspectus, qui alias quærit, suis neglectis, lib. 3. cap. 1. par. 7. & lib. 1. cap. 1. par. 10.
Prædicator Apostolicus, qui insudat saluti proximorum, exuat omnem affectionem, vt bene fungatur suo munere, lib. 2. cap. 11 par. 10. lib. 5. cap. 7. par. 3.
Prædicator Euangelicus est ille, non qui suauia; sed qui dura carni, & sanguini prædicat, lib. 2. cap. 8. par. 13.
Prædicator Apostolicus debet magno animo docere veritatem, & non nimium se deijcere in conspectu magnarum, lib. 2. cap. 8. par. 6.
Prædicator qui Deum merè quærit, & non se ipsum, semper erit securus in quatis rerum perturbatione, & nihil timebis, lib. 2. cap. 6. par. 1. & lib. 2. cap. 7. par. 2.
Prædicator Euangelicus dum nihil timet; sed docet cum magno animo, ab omnibus timetur, & respicitur, lib. 3. cap. 1. par. 3.
Prædicaturus inter Gentiles, & barbaros, prius domi assuescat se labori, & afflictionibus, vt postea palam de illis triumphet, lib. 3. capit. 2. par. 2. & lib. 3. cap. 2. par. 19.
Prædicator vt persuadeat efficaciter, debet idē opere implere, quod ore prædicat, lib. 3. capit. 3 par. 3.
Prædicatoris, & Deum publicè confitentis maxima est excellentia, & dignitas, lib. 3. capit. 3 par. 1.
Prædicator independens sit, vt bene fungatur suo munere, lib. 3. cap. 4 par. 32.
Prædicator Apostolicus omnia mundana, non tanquam propria; sed vt peregrina respiciens, summè tremendus est Dæmoni, libro 5 cap. 2. par. 2.
Prædicator fugiat manus tyranni, donec diuina voluntas præcipiat contrarium, lib. 5. capit. 4. parag.
Prædicator se domi exerceat priuatim antequam suscipiat curam proximorum, lib. 3. cap 7. par. 14. & 15. lib. 1. cap 20 par. 2.
Prædicatori omne tempus opportunum est agere de salute proximorum, lib 4. cap. 2. par. 8.
Prædicator Apostolicus fugiat nimiam familiaritatem, ne vilescat, & contemnatur, lib. 1. cap 7. par. 14.
Prædicator, & quiuis insudans saluti proximorum, non misceat colloquia cum fœminis, nisi necessaria, & illa paucissima, lib. 1. cap. 7. par. 56.
Prædicator debet verbum Dei omnibus æqualiter prædicare, tam plebeijs, quā magnatibus, lib. 4. cap. 8. par. 3.
Prædicator Apostolicus nihil humile recusset ob proximorum salutem, lib. 1. cap. 2. par. 7.
Prædicatoris Apostolici officium tam sublime est, vt illud ambiant supremi Cœlites, lib. 1 cap. 8. par 16.
Prædicator, & qui habet curam animarum, debet se accommodare naturæ, & conditioni eorum, quibus præest, lib. 2. cap. 2. parag 13. & lib. 2 cap. 3. par. 10. Vide verbum Superior.
Prælatus. Vide verbum, Superior.
Pudicitia Vide verbum, Castitas.
Proximorum saluti spirituali summo conatu inuigilandum est, lib. 1. cap 7. par. 54.
Primus in aliquo scelere reus est omnium, quę postea ab alijs committuntur, lib. 4 cap 2. par 2.
Priuatum ambitiosum Regi contra Deum nō obedire, miraculum est, lib 4 cap. 3. parag. 19.
Priuati Regis non ponant spem in Rege, qui volubilis est; sed in solo Deo, qui nunquam mutatur, lib. 1. cap. 9 par. 12.

R.

Religiosus nemo desperet de assequenda perfectione suæ vocationis; nam Deus, qui vocat, ipse perficiet, lib 5. cap. 1. par. 5.
Religiosus erubescat vinci in pietatis, & virtutis officijs à mundano, lib. 2 cap 8. par. 4
Religiosi fugiant nimiam familiaritatem cum sæcularibus, ne euadant & ipsi sæculares, libro 2. cap 10. par. 11.
Religiosus qui non adimplet quasi suam vocationem, & obseruat minutissimas quasque regulas, multum periclitatur, lib. 3. cap. 1. par. 8 lib. 3 cap. 7. par. 20. lib. 4 capit. 5. parag. 30.
Religiosus erubescat, postquam magna ob Deum reliquerit postea in paruis detineri, lib. 3. cap. 11 par. 12 lib. 2. cap. 4. par. 5.
Rex qualis, tales subditi, lib. 4. cap 2 par. 14. Vide etiam verbum, Exemplum.
Rex nunquam glorioſior, quàm dum profundit se in salutem subditorum, lib. 4. cap. 4. par. 5.
Reges, & Principes, licèt potentissimi, non excusantur á patienter tolerandis iniurijs sibi illatis à subditis, lib. 4 cap. 2. par. 1.
Rex non debet tam sibi, quàm suis prospicere, lib 3. cap. 5. par. 9.
Rex tunc solùm iustè petit tributa à subditis, quando laborat pro illis, lib. 3. cap. 5. par. 8.
Reges debent esse benefici, & misericordes, & liberales, lib. 1. cap. 8. par. 5.
Rex. Vide, Superior.

Reuelationes, & impulſus interni non ſtatim credendi eſſe à Deo; ſed diligenter, & diu prius examinandi, lib. 1. cap. 7. par. 28. & lib. 2. cap. 7. par. 8.

S.

SAnguis Martyrum tyranno ſummè formidabilis lib. 2 cap. 10 par 9.

Sanctus nunquam ita fidat ſuæ ſanctitati, vt negligat media communia, lib. 1. cap. 2. parag. 2.

Sanctus inter fauores ſpeciales magis timeat; nam quo maiora ſunt dona, maior poſtea de illis ratio exigetur, lib. 1. cap. 7 parag. 26. Vide, Diuina dona.

Sanctus. Vide, Iuſtus.

Saluti animæ omnia poſtponi debẽt, vbi qua auiditate procuranda eſt ſalus, lib. 4, cap. 4 par 13.

Similitudo naturæ conciliat beneuolentiam, lib. 5 cap. 9 par 4.

Scandali vitandi ergo, abſtinendum etiam eſt à rebus aliàs honeſtis, & licitis, ſi non ſunt neceſſariæ ad ſalutem, lib. 1. cap. 4, par. 1.

Scandalizans proximos, etiam reus eſt peccatorum, quæ poſtea committunt, & cum illis omnibus punitur, lib. 4, cap. 2 par. 2.

Spes tota in Deo ponenda eſt, vbi quàm miſerum ſit ad creaturas in anguſtijs confugere, lib 3 cap 2 par 17.

Spes victoriæ tota ponenda eſt in Deo, ab ijs qui cupiunt vincere, lib. 2. cap. 5. par. 10. & lib 3. cap. 2. par. 1.

Silentium caſtis eſt maximè neceſſarium, lib. 1 cap 7 par. 23.

Seruitia ſpontanea, & prompta Deo gratiſſima, lib. 5 cap 2 par. 10. lib. 2. cap. 3. par 18 lib. 1. cap 7 par. 53.

Subditi non ſunt trahendi vi, ſed amore, & beneficijs, lib 5 cap 6 par. 8.

Subditus magis ſtudeat famæ Superiotis, quã propriæ, lib 3 cap 1 par 5.

Subito, & feſtinanter nihil magnum agendũ, ſed cum magno examine, & præmeditatione, lib. 4. cap. 3. par 14. lib 4 cap 1 par 4. lib. 1. cap 7 par. 27 & lib 2 cap. 9 par. 3.

Subitæ, & extraordinariæ viæ etiam ſanctitatis ſuſpectæ, lib. 1 cap 7 par. 27. Vide, Virtutis via.

Superior, & omnis qui præeſt, debet ſubditorum defectus ſuauiter caſtigare, lib. 2. cap. 2 par 3.

Superior non publicet, ſed celet peccata ſubditorum, lib. 1 cap 2 par 3.

Superior fugiat nimiam cum ſubditis familiaritatem, ne apud illos vileſcat, & contemnatur, lib. 1. cap. 7. par. 14. lib. 2. cap. 9. par. 5.

Superior ad exemplum Dei per ſe ipſum adſtet ſubditis, lib. 1 cap. 7. par. 17.

Superiori tota conſcientia reuelanda eſt, & nihil celandum, lib. 1. cap. 7. par. 17.

Superior mandata facilia, & iucunda ex ſe imperet; ad difficilia autem ſolum perſuadeat, vt ipſe ſubditus ſibi onus imponat, lib. 1. capit. 7. par. 53.

Superiori cum ſubditis facilis ſit, & ſibi ſoli auſterus, & rigidus, lib. 1. cap. 9. par. 10.

Superior qualis, tales ſubditi. Vide verbum, Exemplum.

Superior debet eſſe blandus, & facilis ſine fauſtu, vt nemo timeat eum accedere, lib 2 cap. 2. par. 2 lib. 3 cap 4 par 33. lib. 3. cap. 5 par. 12. lib 3 cap 3 par. 1.

Superior humilitate non perdit de authoritate; ſed potius eam exaltat, & roborat, lib. 2. cap. 2 par. 11. & lib. 3. cap 7 par. 19.

Superior accommodet ſe ad naturam, & conditionem ſubditorum, lib 2 cap 2. par. 3. lib. 3 cap. 3. par. 1. lib. 2. cap 3. par. 10. lib. 3. cap. 4. par. 8. & lib. 3. cap 4 par. 35.

Superior qui vult à ſubditis amari, & haberi loco Dei, ſit blandus, & patiens, lib. 2. cap. 1 par. 19. lib 5. cap. 4. par. 11. & lib. 5. cap. 6. par 8.

Superior qui merè Deum quærit in ſubditis, & non ſe ipſum, ſemper erit ſecurus, & rectè fungetur ſuo munere, lib. 5 cap 6. par. 1.

Superior lenitatem rigori debet adiungere, libro 3 cap 4 par. 18. lib 5 cap 8. par. 6 lib. 5 cap 9 par. 5.

Superior, & omnis qui præeſt, independens ſit à ſuis ſubditis, vt illos bene regat, lib. 3. cap. 4. par. 32.

Superior non debet tam ſibi, quàm ſuis ſubditis conſulere, lib. 3. cap. 5 par. 9.

Superior quantum licet, compatiatur ſubditis, lib 3 cap. 7. par 18.

Superior æqualitatem ſeruet cum omnibus, lib 3. cap 9 par. 2.

Superior vt rectè medeatur ſubditorum infirmitatibus, vnà patiatur cum illis, lib 4 cap. 1 par 3.

Superior qualis, tales ſubditi, lib. 4. cap. 2. par. 14. Vide verbum, Exemplum.

Superior nullus ſit non excellens prudentia, libro 4 cap 1. par 18.

Superior in caſtigatione offenſarum omnes æqualiter reſpiciat & nullum ex affectu particulari condoner, lib. 5. cap. 7. par. 1.

Superior. Vide verbum, Prædicator.

Surdus admonitionibus, & inſpirationibus diuinis maximè omnium peccatorum deplorandus eſt, lib. 4. cap 1. par 19.

Solus, & ſeiunctus à fratribus charitate deſperet de conſequendis diuinis gratijs, & beneficijs,

neficijs, quæ ſemper ſunt communia, & proficua pluribus, lib. 1. cap. 11. par. 8. lib. 2 cap. 1. par. 5. lib. 3. cap 9. par. 2. Vide verbum, Diuiſio.

Superbus eget tota Dei potentia, & præſentia, vt transformetur in humilem, lib. 1. capit. 9 par. 9.

T.

TEmpla, & loca Deo conſecrata ſumma pietate tractanda, vbi quàm impium ſit Deum in illis offendere, lib. 2. cap. 11. parag. 7.

Templa magis apta ſunt orationi, quàm alia quæuis loca priuata, lib. 1 cap. 6. par. 8.

Tentationes vincendæ ſunt reſiſtendo initijs, lib. 1. cap. 7. par. 42. & lib. 3. cap. 2. par. 26.

Terreſtria omnia in cõparatione cœleſtium vileſcunt, lib. 1. cap. 3 par. 2.

Timor Dei eſt principium omnis felicitatis, lib. 1. cap 9. par. 8.

Tyrannus. Vide, perſecutor.

Tyrannus magis affligitur, & proſtratur perſequendo Chriſtianum, quàm hic patiendo, lib. 1. cap 7 par 42.

Tyrannus dum perſequitur iuſtũ, ſibi ruinam parat, lib. 2. cap. 10. par. 8.

Tribulatio. Vide verbum, Perſecutio.

V.

VAna gloria fugatur per conſiderationem infirmitatis noſtræ naturæ, lib. 2. cap. 7. par. 4.

Verbum Dei efficaciſsimum ad cõuerſionem animarum, lib 5. cap. 8 par 7.

Virtutis æmulatio vna glorioſa, lib. 5. cap. 1. par. 18.

Virtutes noſtræ, & omnia opera bona Deo, vt principali authori referri debent, lib. 5. cap. 1. par. 5.

Virtuoſum eſſe in conſortio malorum ſumma laus, lib. 4. cap. 1. par. 15.

Virtutes, & opera pietatis non ſunt limitanda certis diebus; ſed omni tempore patranda, lib. 3. cap. 5. par. 7.

Virtus interna, & non decor externus facit nobilem, lib. 3 cap. 4 par. 15.

Virtutes, & dona diuina celãda; ſic enim Deus ſecurè poſsidetur, lib. 3. cap. 4. par 10.

Virtutem, & ſanctitatem nemo ſibi ſoli arroget, ſed bene etiam ſentiat quiſque de proximis, lib. 5 cap. 8 par. 12. lib. 4 cap. 3 par 2 lib. 2. cap. 11 par. 3.

Virtutis incedendum eſt via ordinaria, & viæ extraordinariæ fugiendæ tanquam ſuſpectæ, lib. 1. cap. 11. par. 10. & lib. 5 cap 1. parag. 5.

Virtus, & ſeruitia ſpontanea Deo gratiora, quàm coacta, lib. 1. cap 7. par. 53. Vide verbum, Seruitia.

Vnum, & ſingulare eſt omne præclarum, & excellens, lib. 1. cap. 11. par. 8.

Vita præſens nunquam ſecura á cruce, lib. 4. cap. 4. par. 16.



AD

# AD CONCIONATO-

# RVM VSVM.

## In Dominicam primam Aduentus.

### *Lucæ cap. 21.*



*RVNT signa in Sole, & Luna, &c.* Creaturæ vniuerſæ Deo ſeruiunt, in peccatores, lib.2. cap.3. paragr.2. In Sole, & Luna horrentia ſigna apparebunt; quia beneficia diuina de exigenda ratione ſolicitant, lib.1. capit.7. parag. 26. Et metum incutiunt, lib. 5. cap. 8. parag.10.

*Areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione.* Deploratus eſt ille, qui ſecurè agit, cum pro illo vniuerſi timent, lib.3.cap.6 parag.9. Iudicij memoria, & expectatio quàm efficax, lib.4 cap.2. parag.12.

*Et tunc videbunt filium hominis, &c.* Caro Chriſti Domini carnales condemnat, lib.3. cap.4. parag.13. Quàm timendus vt homo in iudicio! lib.4. cap.3. parag. 40. Vox eius damnatis horrenda, lib.3.cap.6. parag 7. Expendo adhuc illud: *Tunc videbunt*: & felices prædico illos, qui nunc eum ſub miti ſpecie vident. Hi tunc iudicij rigorem emollient, lib.1.cap 8. parag.17.

*Tunc leuate capita veſtra.* Vt iuſti leuantur timore iudicij ex Chriſto Domino, lib.5. cap.7. parag.15.

*In Dominicam 2.*

Matth. 11.

*CVM audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti, &c.* Chariſsimi Deo ad laborum ſocietatem admittuntur, lib.4. cap.4. parag.7. Labores vt tutantur iuſtos, lib.3. capit.9. parag.11. & lib.5. cap.3. parag.9. Nec miror quod ad Ioannem vinctum operum Chriſti fama perueniat; quandoquidem homines afflicti, & laborantes Dei ſedes ſunt, lib.3.cap. 5. parag. 13.

*Mittens duos ex Diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es qui venturus es?* Multi putant quod Ioannes interrogauit, non de quocunque aduentu Chriſti; ſed de aduentu per crucem. Felix igitur qui crucem meminit Chriſti, is mortem ambibit, lib.4 cap.5. parag.35. lib.4. cap.5. par.36. par.37.

*Illis autem abeuntibus, cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne.* Ioannes vinctus laudatur á Ieſu; etenim labores, & preſſuræ reddunt homines Deo conſpicabiles, lib.2. cap.5 parag.2.

*Hominem mollibus veſtitum?* Dedecent Eccleſiaſticos viros veſtes molles, lib.3.cap.4. parag.10. & lib 4. cap.3. par 20.

*Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.* Cui non eſt pecuniæ copia indecens, & ſuſpectus ornatus, lib.1. capit.12. paragraph.12.

*In Dominicam 3.*

Ioann. 1.

*MIſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem.* Diuinitatis indicium dedit Ioannes hominibus contraria carnis perſuadens, lib. 2. cap. 8. parag. 13.

*Et confeſſus eſt, & non negauit, quia non ſum ego Chriſtus, &c.* Ne ames cæteris præferri, lib. 4. capit. 3. parag. 23. lib. 5. cap. 2 parag. 9.

*Propheta es tu? Non.* Clariſsimum Prophetæ nomen abiurat; non enim à titulis, & cognominibus, ſed à vera virtute amat dignoſci, lib. 4. cap. 4 par. 21.

*Ego vox Clamantis in deſerto: dirigite viam Domini.* Quàm decet omnes animorum ſaluti inuigilare, libro 4. capit. 5 paragrap. 9.

*Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* Ieſus vt ſuas glorias abſcondit, manifeſtat paſsiones, lib. 1. capit. 7. paragrap. 43.

*Cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam.* Vide, Humilitas.

*In Dominicam 4.*

Luc. 3.

*FActum eſt verbum Domini ad Ioannem Zachariæ filium in deſerto.* Hominum frequentiam fugiat, qui cœleſti luce perfundi cupit, lib. 2. cap 8. par. 12.

*Prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum.* Pœnitentia non de leui ſatisfactione facienda, lib. 4. cap. 6. parag. 5.

*Sicut ſcriptum eſt: Vox clamantis in deſerto: parate viam Domini.* Suus quemque virtutis gradus decet intra ſui ſtatus regulas; ſicut in choro alius acutâ, alius alta contendit voce iuxta numerum artis, ſic alius habitus pœnitentem Heremitam, alius Sacerdotem, alius coniugem, lib. 5. capit. 8. paragrapho 2.

*Omnis mons, & collis humiliabitur: & videbit omnis caro ſalutare Dei.* Humilitas compendium ſalutis, lib. 3 capit 7. parag. 14. Illuminat mentem, lib 3. cap 7. paragr. 24. Exaltat ſuos, lib. 3. cap. 6 parag 9.

*In Feriam 4. Cinerum.*

*MEmento homo quia puluis es, &c.* Mortis memoria efficax, lib. 3. cap. 7. par. 4. Habenda inter ipſas lætitias, lib 3. capit. 4 par. 20. Mors ad peccatores feſtinat, libro 3. cap. 9. par. 6. Intrepidè ſubeunda, vt vincatur, lib. 3. cap. 4. par. 12. Vt eſt beneficium peccatori, lib 3. cap. 7. par. 22. Vt eſt virtutis præmium, lib. 1. cap 13. parag. 1. Poſt Chriſtum ab omnibus ſumitur, lib 1. cap. 13 par. 2. A Chriſti aduentu matura, lib. 2. cap. 7 parag. 4.

Cognitio ſui reddit hominem ad Dei imaginem, lib 3 cap. 4 par. 9. Se inſpiciat homo, lib. 4 cap. 2. par 4.

Ex Matth. 6. *Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, &c.* De ieiunio pulchra lib 3 cap. 2. parag. 5. In via virtutis quâ fugiendi humani oculi, lib. 3. cap. 4. par. 10. lib. 2. cap. 7 par. 11. lib. 1. cap. 7 par. 43. & parag. 44.

*Exterminant facies ſuas.* Laborare vt à Deo deficias quàm miſerum, lib 3 cap. 4 parag. 26. In peccatorum vijs crux eſt labor, libro 4. cap 4. par. 16. pondus, lib. 2 cap 8. parag 19.

*Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, &c.* Bona temporalia vacua, lib. 1. capit. 7 par 32. Fugacia, lib 3 cap 7 par. 11. Permanentia nulla, niſi in Chriſto, lib 3. capit. 4. parag. 14.

*In Feriam 6. Cinerum.*

Matth. 5.

*EGO autem dico vobis, diligite inimicos veſtros.* A Chriſto Domino manauit amor in inimicos, lib. 4. cap 5. par. 1. lib. 1. capit. 7. par. 10. Chriſtianus quati ex iuſtitia tenetur parcere, lib. 1. cap. 2. par. 8. De inimicorum amore. Vide verbum Inimici, verbum Hoſtes, vbi plura.

*Benefacite his, qui oderunt vos.* Inimicis benefaciens, eos expugnas, lib. 2. cap. 7. parag. 5.

*Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos; vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Calumnias patienter tolerare, diuinæ virtutis eſt, lib 4 cap 3 par. 18.

*Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, &c.* Vt latere debes in ipſa virtutum exhibitione, diſce ex Ieſu, qui dum facit beneficia, non patet obtutibus, lib. 1. capit. 8. paragr. 12. lib. 2. capit. 4. paragrapho 4.

*Te autem faciente eleemoſynam.* Vide verbum, Eleemoſyna, Pauperes.

*Dominica 1. Quadrag.*

Vide lib. 3. cap. 3. per totum.

*In Feriam 4. poſt primam Domin.*

Matth. 12.

*Accesserunt ad Ieſum Scribæ, & Phariſæi dicentes: Magiſter, volumus a te ſignum videre.* Tarditas in obſequijs præſtandis Principes, ac nobiles Iudæorum repellit, lib 2 cap. 3 parag. 17. Vaniſsimi homines petunt ſigna è cœlo, quæ ſunt humilitatis faſtidientes. Chriſtianos autem decent ſigna humilitatis, lib. 1. cap. 8. parag 7.

Voluntas propria ſemper ſui ruinam petit, lib. 3. cap 4 parag 22 Ecce hominum voluntates quàm longè á ſalute erant, dum ſigna aerea quærebant, vt vni voluntati Chriſti debeamus ſui ſanguinis effuſionem, lib. 3. cap. 7. parag. 10.

*Generatio mala, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ.* Paſsionis Chriſti efficacia maxima, vt poſsit veram pœnitentiam perſuadere, lib. 4. cap. 4 parag. 13. Datur ſignum Ionæ ſubmerſi, hoc eſt, ſignum Ieſu paſsi, vt perſuadeatur ſalus vera acquirenda, non de leui diligentia, ſed per ingentia mortificationis opera lib. 4. cap. 6. parag. 5. & lib. 5. cap. 4. parag 9.

*Inuenit eam vacantem, ſcopis mundatam, & ornatam.* Cultus corporis damnoſus pœnitenti, lib 1 cap 8. parag 10.

*Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant.* Verbum diuinum cùm prædicatur, timeat qui abeſt, lib. 4 cap. 1 parag. 19.

*In Feriam 6. Dom. 1.*

Ioann. 5.

*In his iacebat multitudo magna languentium: expectantium aquæ motum.* Non qui à leui aquæ aſperſione, ſed qui vera mortificatione carnis curari volunt, hij grati Deo, lib. 4 cap. 6. parag 5.

*Expectantium aquæ motum.* Non feſtinandum tibi, vt labores excutias, lib. 4. cap. 4. parag. 25. Sed Deus longanimiter expectandus, lib 5. cap. 3. parag. 7. Vide etiam verbum, Expectatio.

*Qui prior deſcendebat in piſcinam, ſanus fiet.* Patet Angeli miniſterium ex eo quòd vnus ſanabatur, Deus enim cuiùs pluribus, quàm vni beneficia largitur, lib. 1. cap. 7 parag. 8 lib. 3. cap. 9. parag. 2. & lib. 5. cap. 5. parag. 2. vbi quàm fugienda ſingularitas in diuinis fauoribus procurandis

*Erat autem quidam homo ibi, triginta, & octo annos habens in infirmitate ſua.* Vide, Labores, Afflictiones.

*Hunc cum vidiſſet Ieſus* Laborantes oculis recreantur ſpectantium, lib. 4. cap 4 parag 22.

*Dum venio enim ego, alius ante me deſcendit.* Contentio, & æmulatio ad ſalutem prærripiendam honeſta, lib. 5. cap. 1. parag 8.

*Tolle grabatum.* Bona temporalia, vt grauent poſſeſſores ſuos, lib. 2. cap. 8. paragraph 18.

*Quis eſt ille homo qui dixit tibi, tolle grauatum tuum, & ambula.* Nil curant virtutes, ſed eò ſpectant, quò aliquam ſpeciem deffectus poſsint prætendere. Quàm hoc malum, lib. 3. cap. 7. parag 6.

*Is autem qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet.* Dominus ſolis amat ſentiri beneficijs, lib. 1. cap. 8. parag. 12.

*Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Peccata eſſe cauſas malorum noſtrorum, cupit Deus, vt ſciamus, lib. 4 cap. 5. parag. 11.

*Quia Ieſus eſſet, qui fecit eum ſanum.* De hoc vide, lib. 2. cap 5. parag 6. lib. 2. cap. 5. parag 8.

*In Dominicam 2.*

Vide lib. 3. cap. 4. per totum.

*In Feriam 4. Dom. 2.*

Matth. 20.

*Aſſumpſit duodecim diſcipulos ſuos ſecretò, & ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & Filius hominis tradetur, &c.* Quos publicè ſuſtinere cupit conflictus, prius domi in ſecreto n eminit, vt diſcas ſecretò aſſueſcere tolerare mala, quæ poſtea in publico facilè vincas, lib. 3. cap. 2. parag. 2 Malorum præmeditatio vtiliſsima, lib. 3. cap. 2. parag. 19.

*Et tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum: & tertia die reſurget.* Flagella in Ieſu ſigna euidentiſsimæ charitatis, lib. 4 cap 3. parag. 9.

vbi de Iesu flagellis alia. Resurrectionis memoria facilè mors,& cruciatus vorantur,lib.5. cap.1. parag.6.

*Tunc accessit mater filiorum Zebedæi adorans, & petens, &c.* Salus per mulieres etiam suspecta, lib.4.cap.2.parag.5. Vtrumque Dei latus malè petit, quia nemo debet sibi soli Dei bona præsumere, lib. 2. cap.8 parag.3.lib.2. cap.11.parag.13.

*Non est meum dare vobis.* Non est boni Principis vni, aut duobus ditandis incumbere,lib.2 cap.11. parag. 7. Imò Dei proprium est potiùs plurimis, quàm vni tribuere, lib. 2. cap.3.parag.5.

*Et audientes decem indignati sunt.* Prælatio inter fratres odiosa, lib. 5. cap. 2. parag.9.

*Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister.* Minister Iesu est, qui scit humiliari, vt prosit lib.1.cap.8.parag.6. Humilitas.

*In Feria 6. Dom.2.*

Matth. 21.

*PLantauit vineam, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est.* Deus laborem requirit nostrum, ocium odit, lib. 1. cap. 8. parag. 5. & lib.5. capit.6. paragrah.2. In vinea, & torculari passiones, & labores exprimuntur, quos reliquit Deus hominibus, vt firmissimas illorum custodias, lib. 4. cap. 1. parag. 1. Sese ab his perfidis agricolis absentauit, & abscondit Dominus, ne citiùs in eius faciem sæuirent, lib. 4. cap. 2. parag. 7.

*Iterum misit ad illos alios seruos plures prioribus.* Vtinam ingens misisset supplicium, quia impunitas peccatorum pessima est, lib. 3. cap. 7. parag.9.Sed beneficia præstita ingratispro summo supplicio sumuntur, lib.3.cap 9 parag.4.

*Nouissimè autem misit ad illos filium, &c.* Ad reprobandos Iudæos, mittit Deus filium suum, illos sic honorans, quia nec reprobat seruum sine aliquo munere, lib. 2. cap.9. parag.5.

*Eiecerunt extra vineam, & occiderunt.* Iesus extra ciuitatem passus, vt suam iustitiam singularem ostenderet, quæ in parcendo consistit,lib.4.cap.4.parag.17.

*Quid faciet agricolis illis?* Non exprimit eorum nomina, ne tu nominatim mordeas quos corrigere amas, lib. 3. cap. 6. paragraph. 2.

*Auferetur à vobis regnum Dei.* Occultissimum Dei iudicium in iis horum perditione,lib.3.cap.9 parag.9.

*In Dominicam 3.*

Luc. 11.

*ERat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum.* Diabolus semper studet hominibus officere, Deus prospicere, lib. 3.cap.2.parag.12.lib.3.cap.2.parag.21.

*Et cùm eiecisset dæmonium, locutus est mutus.* Confessio peccatorum necessaria,lib. 4.cap.5.parag.10.

*Omne regnum in se diuisum desolabitur.* Vnio quàm necessaria, lib. 4. cap. 4. parag.23.

*Cùm immundus spiritus, &c.* Vitiorum immunditia incredibilis, lib. 1. cap. 11. parag. 9.

*Inuenit eam scopis mundatam, & ornatam.* Cultus, & ornatus corporis in pœnitente suspectus,lib.1.cap.8 parag.11.

*In Feriam 4. Dom. 3.*

Matth. 15.

*QVare Discipuli tui transgrediuntur traditiones Seniorum?* Proximorum errores, nec videndi, nec nuntiandi, sed virtutes, lib.3. cap. 7. parag. 6. Non probo inuidiosam accusationem de leui aquæ lotione, id tamen scio, quòd in viris perfectis aliquando paruissimi defectus exitu periculum trahunt, lib.3.cap.7.parag 20.lib.2.cap. 5.parag.8.& parag 10.

*Quare & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram?* Peccatores non decet alios accusare, sed sibi prospicere. Non fert Iesus, quòd sui mordeantur, vt qui sibi opprobria, & accusationes omnes præoccupauerat, lib. 1. cap. 9. parag. 10.

*Deus dixit: Honora patrem, & matrem.* Pietas in parentes, lib. 3. cap. 5. parag. 14.

*Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Cor dandum Deo in primis. lib.primo, capit. septimo, paragraph. 22.

*Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur.* In solo Deo firmitudo, lib. 1. capit. 9. paragraph. 11. & 12.

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD PALENCIA

In

*In Fer. 6. Dom. 3.*

Ioan. 4.

HOra erat quaſi ſexta. *Venit mulier de Samaria haurire aquam.* Quàm facilè inuenitur Deus ab his qui labori incumbunt, dum alij voluptati indulgent, lib. 2. cap. 3. parag. 19.

*Da mihi bibere.* Poſt labores exantlatos, amplius Deus noſtram ſalutem ſitit, ſic poſt fatigationem ſitit Samaritanæ ſalutem, lib. 4. cap. 5. parag. 27. Vt per potum aquæ frigidæ pauperi exhibitum ſponſas ſuas explorat, ibidem, parag. 28.

*Diſcipuli autem abierant in ciuitatem, &c.* Vt ſe acceſsibilem Deus præbet peccatoribus, lib. 2. cap. 2. parag. 2.

*Quomodo tu Iudæus cum ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana?* Ad indigentium ſubleuationem non diſtinguant Chriſtiani inter Iudæos, & Græcos, domeſticos, & extraneos, lib. 4. capit. 3. paragraph. 11.

*Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* Dei guttula replet humana corda, lib. 1. cap 7. parag. 18.

*Vade, voca virum tuum, & veni huc.* Vt plurimus proficit Chriſti gratia, ſic libentiùs præſtatur, lib. 1. cap. 7. parag. 8.

*Domine, vt video, Propheta es tu. Patres noſtri adorauerunt, &c.* A Deo nihil ſæculare petendum, lib. 2. cap. 8. parag. 13. in fine.

*Ego ſum qui loquor tecum.* Ieſus vt ſeſe peccatoribus prodit, lib. 5. cap. 3. paragra. 14.

*Et mirabantur quia cum muliere loquebatur.* Fœminarum colloquia, vt cauenda, lib. 1. cap 7 parag. 56.

*Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abijt in ciuitatem, &c.* Qui Deo implentur, amant anathema eſſe à Ieſu pro fratribus, lib. 2. cap. 8. parag. 11. Sic hæc mulier reliquit Chriſtum, & abijt, &c.

*In Dominicam 4.*

Ioann. 6.

SEquebatur eum multitudo magna. Omnes hi erant è plebe: vnde ponderanda ratio, qua vulgus Iudæorum Deo fuerit acceptius, lib. 2. cap. 3. parag. 18.

*Quia videbant ſigna quæ faciebat ſupra his quæ infirmabantur.* Miracula Domini ſalutaria, lib. 3. cap. 3. parag. 4.

*Cùm ſubleuaſſet oculos Ieſus, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eũ.* Citiùs extorquentur diuini fauores, vbi à multis participandi ſunt, lib. 2. cap. 3. parag. 5. & cap. 9. parag. 5. & lib. 5. cap. 5. parag. 2. & lib. 3. cap. 9 parag. 2.

*Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes hordaceos, & duos piſces.* Poſſet Deus ſine his quinque panibus ſaturitatem tanti populi efficere, ſed aſſumptis panibus his docuit quod homo faciat quod in ſe eſt, cætera Deo remittat, lib. 3. cap. 2. paragraph. 18.

*Accepit ergo Ieſus panes: & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus.* Princeps non ad vnum ſolum, ſed per omnes bona diſtribuat, lib. 3. cap. 9 parag. 3. Sit benefactor, lib. 3. cap. 4. parag. 33. Bona Dei præmanibus habentur, ſed bona mundialium dominorum fugiunt è manibus, lib. 3. cap. 7. parag. 11. & lib. 5. cap. 8 parag. 3. præcipuè in fine.

*In Fer. 4. Dom. 4.*

Ioan. 9.

VIdit hominem cæcum à natiuitate, &c. Cæcitas mentis quàm damnoſa, lib 3. cap. 9. parag. 11. Calamitates reddunt homines Deo conſpicabiles, lib. 3. cap. 5. paragraph. 2.

*Neque hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Homo laboribus, ærumniſque oppreſſus parentiſsima Dei ſedes eſt, lib. 3. cap 5. paragraph. 13.

*Me oportet operari opera eius qui miſit me.* Nuſquam deſtitit Dominus benefacere dum fuit in mundo, etiam ſepultus, lib. 4. cap. 6. parag. 9.

*Expuit in terram, & fecit lutum, &c.* Humilitas illuminat mentem, lib. 3. cap. 7. parag. 24 Per luti humilitatem Dominus deiecit regnum peccati, ſed & nos etiam triumphabimus, lib. 4 cap. 6. parag. 11. Lutum facit lumen oculorum, quia iuſto viro etiam contraria famulantur, lib. 3. cap. 6. paragraph. 6.

*Et abij, & laui, & vidi.* Summa Dei celeritas in præmiandis laborantibus, lib. 2. cap. 2. parag. 2. Mundicies Chriſtiana facilè obtinetur, lib. 3. cap. 7. parag. 14.

*Scimus quia hic eſt filius noſter, &c.* Felix filius qui ſic viuit, ne damnari poſsit à parentibus, & maioribus ſuis, lib. 3. cap. 4 parag. 31.

*Dixi*

*Dixi vobis, & audiſtis: quid iterum vultis audire?* Argumentis non tuibanda quæ ad ſalutem ſpectant, lib. 5. cap. 9. parag. 1.

*Si quis Dei cultor eſt, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.* Vt efficatiam ſumi oratio ex operibus, lib. 4. cap. 1. parag. 6. & 7. Bene dixit: & voluntatem eius facit, quia obedientia omnes profectus dedicat, lib. 2. cap. 11. parag. 12.

*Niſi eſſet hic à Deo, non poſſet facere quidquam.* Res veræ à ſolo Deo, lib. 1. cap. 9. parag. 7.

*In Fer. 6. Dom. 4.*

Ioann. 11.

*Ecce quem amas, infirmatur.* Deus iuſtos viros acceſſu faciles reddit ærumnis, lib. 3. cap. 2. parag. 6. In mortis tempore vnus Ieſus querendus,

Amicus Dei, eius infirmitates imitetur, lib. 5. cap. 4 parag. 2.

*Lazarus mortuus eſt, & gaudeo, &c.* Gaudet in amici morte quia mors virtutis eſt præmium, lib. 1. cap. 13. parag. 1 Et ab eius aduentu dulcis eſt, & matura, lib. 2. cap. 9 parag 4. Rurſus vbi reſurrectio ſperatur, totus mortis horror abijt, lib. 5. cap. 1. parag. 14 Et mors ipſa ſit expetibilis, ibidem, parag. 6 Item qui inuiſibilia nouit bona, in quauis iactura lætus agit, lib. 5. cap. 1. parag. 17.

*Sed nunc ſcio, quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Fiducia in Deum repulſæ neſcia, lib 1. cap 8. parag. 16.

*Credis hoc?* Fides beneficia diuina præcedat, lib. 5. cap. 5. parag 6.

*Ieſus ergo vt vidit eam plorantem, &c.* Deus vt capitur lachrymis, lib. 5. cap. 8. par. 2. præcipuè circa finem.

*Ecce quomodo amat eum.* Amoris Chriſti erga homines efficacia, lib. 5. capit. 7. parag. 5.

*Ieſus ergo rurſus fremens in ſemetipſo.* Ieſus damnans quàm terribilis, lib. 3. cap. 6. parag. 8.

*Tollite lapidem.* Chriſtus facilem ſalutem propinat, lib. 3. cap. 7. parag. 14. Nulli creaturæ vim facit, lib. tertio, cap. primo, paragraph. 12.

*Voce magna clamauit: Lazare, veni foras, & ſtatim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus manus, &c.* Verbo Dei plenus nulla ſentit ligamina, lib. 4. cap 1. parag. 19. ad omnia audet, lib. 3. cap. 1. parag. 3.

*Dominica in Paſſ.*

Ioann. 8.

*Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ieſus ſolus ante mortem canere poteſt victoriam, lib. 4. cap. 4. parag. 8. Solus nullum laborem intulit Patri, quia nullum fecit peccatum, lib. 3. cap. 4. parag. 29. Solus inter homines potuit viuere, abſque eo quod contaminaretur labe, lib. 2. cap. 10. parag. 11. & lib. 3. cap. 6. paragraph 3. & lib. 4. cap. 1. parag. 20. vbi quàm ſolus Dei ſit inter homines inculpabiliter degere.

*Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Verbum Dei audiendum, lib. quarto, cap primo, parag. 19.

*Samaritanus es.* Non negat ſe Samaritanum, quia ipſe verè cuſtos hominum, in quo ſoli ſecuri, lib. 4 cap. 1. parag 17. & cap. 6. parag. 7.

*Eſt qui quærat, & iudicet.* Iudicij memoria efficax in peccatores, lib. 4. cap. 2. parag 12.

*Si ego glorificabo me ipſum, gloria mea nihil eſt.* Gloria vana fugienda propter Dei gloriam, lib. 2. cap. 7. parag 4.

*Exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauiſus eſt.* Vera lætitia ex Ieſu, lib. 5. cap. 4. parag. 10.

*Tulerunt ergo lapides, &c.* Cur non lapidibus, ſed cruce mori voluit, lib. 4. cap. 1. parag. 19. Vide verbum, Crux, vbi de cruce plura.

*Feria 4. in Paſſ.*

Ioan. 10.

*Circuierunt ergo eum Iudæi.* Innocentia inter hoſtes ſecura, lib. 4. cap 3. parag. 22

*Quouſq; animam noſtram tollis?* Hoc eſt, quouſq; ſuſpenſos angis, excrucias? Ieſus enim ſemper impugnat malos, lib. 1. cap. 9. parag. 7.

*Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, teſtimonium perhibent de me.* Opera Chriſti, eius diuinam filiationem manifeſtabant, lib. 3. cap. 3. parag. 5.

*Et cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis; & nō rapiet eas quiſquam de manu.* Ex eo quòd oues ſuas cognoſcit, ſecuritatem prædicat ea ū, quia oculi Dei firmitudinē cōferūt in bono, lib. 1 c. 9 par. 4.

*Multa opera bona oſtendi vobis ex Patre meo.* Non ſolùm Pater cœleſtis, ſed & pater terrenus Ioſeph, Ieſum oſtendit vtiliſsimum hominibus, lib. primo, cap. tertio, par. tertio.

Quàm-

Quamque vtilis, & proficuus fuerit nobis, vide in verbo, Ieſus Chriſtus; Filius Dei.

*Feria 6. in Paſs.*

Ioann. 11.

*Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium aduerſus Ieſum.* Ter impugnauit Diabolus Ieſum in deſerto, nec ei quicquam mali inferri potuit, donec homines in illum coegit, quia Diaboli manus infirma, vbi homines non adiuuant, lib 4. cap. 1. parag. 19.

*Quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit.* Et ſigna noſcunt, & dicunt hominem, vt ethnicam cæcitatem oſtenderent, qui ex virtutibus non prædicant Deum, lib. 5. cap. 3. parag. 5. Cur potiùs non dicunt quia Ieſus multa ſigna facit? Sanè Ieſus non tam inter ſigna, quàm inter profuſos ſanguines claret, lib 2 cap. 5. parag. 2. Vrgeo illud: *Quid facimus?* Etenim Ieſus cohiberi non poteſt á ſalute cauſanda, lib. 2. cap. 5. parag. 6.

*Et tollent noſtrum locum, & gentem.* Ob bonum temporale firmandum, Ieſum perſecuntur, rapiunt enim bona temporalia homines, á Deoque deficere faciunt, lib. 3. cap. 2. parag. 23.

*Vnus autem ex his Cayhas nomine cùm eſſet Pontifex anni illius, dixit. Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis quia expedit vobis, vt vnus homo moriatur, &c.* In Caypha metuant peccatorum duces, lib. 4. cap. 2. parag. 2. Illius faſtus nota in illis; *vos neſcitis quicquam*, & quidem peticuloſum eſt vni tibi ſcientiæ claues attribuere, lib. 5. cap. 8. parag 11.

De Paſionis Chriſti vtilitate, vide verbum, Paſsio.

*Dominica in Ramis.*

DE hac Dominica agitur, lib. 3. cap. 5. Similiter deinceps, inuenies quidquid ad Hebdomadam Paſionis pertinet, tum de Reſurrectionis, Aſcenſionis, Spiritus ſancti Aduentus, & Beatæ Trinitatis myſteriis.

*Laus Deo, Virginique Matri.*

1.807